


2. 2. 210.

Q.2

Digitized by Google

cl XII
[illegible]

[illegible] by Goo[illegible]

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN S. SCRIPTURAM

GENESIS ET EXODUS.



Digitized by Google

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN OMNES LIBROS
VETERIS ET NOVI
TESTAMENTI

AUTHORE

R. P. D. AUGUSTINO CALMET

Ordinis S. Benedicti Congregationis SS. Vitoni & Hydulphi.

OPUS GALLICÉ PRIMÚM AB AUTHORE,


Nunc verò Latinis literis traditum

A JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, Lucensi.

TOMI PRIMI PARS PRIMA.






LUCÆ MDCCXXX.

TYPIS SALVATORIS ET JO: DOMINICI MARESCANDOLI

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google



PRÆFATIO INTERPRETIS.




ENTUM *est tandem ad Commentarios in universam S. Scripturam Viri Summi Augustini Calmet Ordinis S. Benedicti, Latinis literis tradendos; quam provinciam ut susciperem impulit & insitus ille meus in studia Scripturarum amor, diuturnâ tot annorum consuetudine validior, & instantes doctissimorum Virorum plurimâ cum authoritate conjunctæ persuasiones. Suggerebant illi, nullum prodiisse aliud in Sacras Literas Opus absolutissimum, quod vota Eruditorum omnia compleverit. Deesse aliis externam Profanorum eruditionem, aliis linguarum penitiorem scientiam; alios recentium Polyglottorum necessario planè auxilio destitui; in aliis Criticæ studium desiderari; in aliis pruritum novarum opinionum, in aliis occupatam præjudiciis mentem reprehendi. Terret interdum Lectores portentosa illa Librorum strues, quibus nonnulli studium Literarum onerarunt potiùs, quàm juverunt; vicissim autem angustioris voluminis finibus adstrictus quorumdam in universam Scripturam Commentarius gustum provocat, non satiat appetitum. Hinc Tostati spissum Opus tædium ingerit Eruditis, & nauseam; ac breviora Sa, Tirini, & Menochii, hiantes corvos relinquunt. Quod nunc versamus Opus, nec prolixum est adeò, ut Eruditos deterreat; nec contractum adeò, ut minùs quàm pro voto instructos dimittat. Grande argumentum nec minoribus tractandum erat, nec majora postulabat; justis finibus omnia continentur. Eruditioni suus est modus, ut serviat argumento, non ut servire illi argumentum cogatur; quâ in re Grotii, eruditissimus aliòqui, Commentarius minus placet nonnullis. Suus est etiam modus in recitandis Græcis, Arabicis, Hebraicis, & id genus aliis Testimoniis; quod Eruditis pluribus, præsertim Seldeno, vitio datum est; suis tandem finibus, atque intra æquitatis ac modestiæ cancellos ille inquietus Criticæ Spiritus coërcetur, quo tenentur non semel Commentariorum Scriptores Heterodoxi plures, ac maximè nostrâ ætate Clericus, vir summus, sed Criticus intemperantior. Hæc illi quidem eruditissimi viri suggerebant, tum per se ad persuadendum aptissima, cùm etiam validiora, quòd impletum tandem demonstrarent votum meum jam inde à pluribus annis conceptum, ut scilicet in beatâ illâ novorum Operum copiâ, quæ litterariæ Reipublicæ ubertatem promovet in dies, lucem tandem aspiceret absolutissimus aliquis in Scripturam Commentarius, in quo indicati ab aliis errores omnes emendarentur; suis sedibus restituerentur, quæ sparsim in virorum Doctorum scriptis disseminata sunt; uno verbo, strues, & cæmenta, quæ Eruditorum labores suppeditarunt, ad opus redigerentur. Noveram ego quidem, plures justæ Scriptores, qui in Textus aliquos Scripturæ Exercitationes luculentissimas dedissent; argumenta etiam tractasse multos, quæ ad illustrandam Scripturam plurimùm conferrent. Ita Geographica illustrarunt cum Bonfrerio, & Bocharto, Clericus, Relandus, aliique: Bocharto iti-*

Digitized by Google

paraphrasis Gallica prona efficeret, atque ita Commentario parceretur. Utraque hæc in Latinâ nostrâ versione ultrò Gallis reliquimus, contenti commodi hujus defectum novo eo commodo compensasse, quod Italis nostris proveuit, si Latinè potius quam Gallicè differentem Calmetum auscultent. Siquæ autem obscura præfert Latina versio, quibus lux aliqua in Commentario non affundatur, hæc rara sunt, atque addito a nobis uno, vel altero verbo satis superque illustrantur. Cæterùm Calmeti Præfationem, quæ de consilio hoc suo, Gallicè scilicet scribendi, Lectores docet, retinendam in hac Editione totam censuimus, ne quid in nobis desideraretur de fide Interpretis. Vicissim plura sunt nostræ hujus Latinæ editionis commoda præ Gallicâ. Æquior est voluminum moles, & scripti Operis sermo communior; tandem & defæcatior est in Hebraicis Græcisque, quàm postrema Parisiensis editio anni 1720. In recensendis Græcis Patrum fragmentis, Græcis singulorum editionibus, quoad suppetebant, usi sumus. Scripturarum textus Græcos Hebraicosque contulimus ad Polyglotta Valtoniana, ita tamen ut errores ad illas emendaremus, Calmeti lectione, ac syntaxi retentâ. Quâ in re quantum nobis, atque Eruditis omnibus sedulitate, atque eruditione suâ contulerit P. Josephus Maria Priaui Januensis, sodalis meus, verbis exequi non possum. Huic viro debent Eruditi recensionem totius operis ad Gallicum exemplar, huic totam quidem sed maximè in Græco & Hebræo curatam editionem, huic nitorem Operis, & gloriam. Quare viro insigniter de nobis deque Literatis omnibus merito hoc statuimus grati animi monumentum, æternum, quamdiu scilicet opus vixerit, permansurum. Æquas gratias referimus P. Septimio Bruni Januensi, Sodali itidem meo, a quo versionem Latinam Dissertationum in priorem Epistolam ad Corinthios, & deinceps cæterarum omnium adusque Apocalypsim, accepisse nos & olim professi sumus, & nunc etiam profitemur. Æquas tandem rependimus D. Bernardino Baroni, cujus viri, utrum prius laudemus humanitatem in nos singularem ac favorem, an solicitudinem, curam, diligentiam in nostro hoc opere promovendo, expoliendo, curando, ambigimus.

Restaret, ut de Authoris vitâ aliquid traderemus: sed quid Italus de Gallo? Eruditionem Lectores æquè ac nos habent exploratam; res ab eo gestas nos æquè ac illi ignoramus.



EXEM-

EXEMPLAR EPISTOLÆ

R. P. AUGUSTINO CALMET

ORDINIS S. BENEDICTI

AD

P. JO.NEM DOMINICUM MANSI

Congr. Clericorum Regular. Matris Dei Lucam.

MONSIEUR.



Uisque la Langue Françoise vous est familiere, j'aurai l'honneur de vous écrire eo cette Langue pour couper court en Cérémonial. L'on m'a déja ioformé de la Traduction que vous avez faite de mon Dictionaire de la Bible. Je ne l'ai pas vûë; mais on m'assure que le Publie en est fort content. Je vous en felicite, Monsieur, & je vous reos graces de tout mon coeur de l'honneur que vous avez fait à mon Ouvrage. Je ne puis que gagner à cela, puisque ce Dictionaire, étant par vôtre moyen porté dans la Langue des Savans, deviendra plus commun, & par consequent conno à un plus grand nombre de Personnes, & plus utile à l'Eglise, qui est la seule ambition, qui nous doit porter à écrire.

Quant à la Traduction de mes Dissertations, à la quelle vous travaillez, je ne doute pas, que venant d'une aussi bonoe maio, elle n'ait uo pareil succès. Et comme nous ne devons travailler l'un & l'autre qu'à l'edification des Fidelles, si vous trouvez dans ees Dissertations quelque chose, qui voos paroisse trop hardy & plus capable de ehoquer certains Esprits délicats qoe de les instruire, je vous prie de le supprimer, ou de le mettre en forme d'Objections. En un mot, Monsieur, entrez, s'il voos plait, dans mou asptit, & faites eo sorte que Dieu soit glorifié, & que les foibles ne soient pas scandalisés.

Si vous voulez bien me faire l'honneur de m'envoyer la Traduction Latine du Dictionaire, je vous en serai bien obligé, de même que de eelle des Dissertations. Vous pouvez l'adresser à *Paris à M. Emery le Fils Libraire demeurant sur le Quay des Augustins*, ob vous servir du canal que vous indiquera le R. P. D. Matthieu Petitdidier, qui m'a fait tenir vôtre lettre.

Je ne doute pas, que vous ne soyez informé, que j'ai fait un Supplement du Dictionaire de la Bible en un Volume *In Folio*, & qui pourroit bien même aller à deux Volumes, si nous executons le projet qoe nous avons formé, de donner la *Bibliotheque Sacrée* dans sa juste étendüe; avec un Jugement sur les differens Autbeors, qui y doivent entrer. C'est un nommé D. Hildefonse Castulmot Bibliotbecaire de l'Abbayie de S. Miebel, qui travaille depuis long tems à cet important Ouvrage de la Bibliotbeque Sacrée, & qui a achevé l'Ancien Testament depuis quelque mois.

Depuis quelques années, je ne suis presque occupé que de l'Histoire Ecclesiastique & Civile de Lorraine, & dout les deux premiers Tomes *in Folio* sont déja imprimez. Le troisieme & dernier est commencé; & je compte que le tout sera achevé dans sept, ou huict Mois. Quant au Supplement du Dictionaire de la Bible, oo le mettra incessamment soos la presse. J'ai l'honneur d'être tres-respectueosement

Monsieur.

A Nancy ce 8 Août 1726.

Vôtre tres-humble & tres-Obeissant Serviteur
D. Augustin Calmet.
* *

Digitized by Google

PRÆFATIO GENERALIS

IN LIBROS VETERIS TESTAMENTI.



ÙM primùm animo destinavimus novum Commentarium in Vetus Novumque Testamentum, id pariter nobis propositum fuit, ut quæ optima essent in hoc argumento, eaque ordine facili & methodico, ac linguâ nemini nostrorum hominum ignotâ uno veluti complexu exhiberemus. Neque verò nos fugit uberrimâ eximiorum operum supellectili ornatum fuisse studium Scripturæ; quin & eorum lectione factum est, ut consilium formaremus nostri hujus moliendi, animo juvandi eos, qui cum Librorum sacrorum studium ament, non satis tamen sese instructos sentiunt, ut legent in ipsis fontibus Latina Scripta, quibus frequentia Hebraica, Græca, Latina, & Arabica testimonia augent difficultatem. Mens est igitur nobis in præsenti ea decerpendi ex optimis Scriptoribus Commentariorum, quæcumque nobis æquiora ac solidiora visa sunt, ut in expositionem Literalem & perpetuam textûs Scripturæ digerantur.

Nihil simile hucusque linguæ suæ traditum habuerunt Galli. Exibemus hìc Textum Latinum cum Versione Gallicâ; tum ponè sequitur Commentarius Gallicus, quoad fieri potuit, expeditus a molestis Librorum indicibus, a linguarum externarum anfractibus, salebrisque vocum Grammaticarum. Norunt profectò omnes, cujus sit moliminis, id genus argumenti Gallicè tractandum suscipere, præsertim nemine præeunte: quare veniam ultrò dabunt aliquam, si quas novas voces procudere coget necessitas; sicuti & si quæ periodi minùs rotundæ insonuerint auribus, quippe quas expressit vis originalis, prono & naturali sensu pro viribus reddendi. Offendet delicatos externorum quorumdam nominum barbaries: quam in nominibus illis servavimus, orthographiæ rationem fortè non omnes æquè probabunt. Conserendis inter se propositionibus, argumentisque nihil magis quàm studium omne, & artificium negleximus. Quibus non curatis, minùs utique limatum fiet Opus & aridum magis; at vicissim & concisius, ac forte etiam nervosius.

Simul autem conari sumus inter prolixitatem & brevitatem justum tenere medium, ut in textus planos apertosque leviùs excurrentes, obscuros implexosque justâ discussione exponeremus. Dissertationibus insuper nonnullis adornatis quæstiones difficiles gravesque, quæ prolixitate suâ morosum efficerent Commentarium, discussimus; quas & seorsum constituere extra seriem Commentarii, visum est.

Intelligent profectò omnes, ideæ huic implendæ subsidiariam e Commentariis cæteris opem nobis petendam fuisse, quin & frustrà laboraret ille, qui in Scripturam novum prorsus Opus moliri conaretur, post innumeras illas Lucubrationes, ad nostram usque ætatem in Sacros Libros vulgatas. Sed neque id conduceret Religioni; necesse est enim, ut connexio quædam, concordia, & affinitas sententiarum spectetur inter varios Scriptores, in expositione Sacrorum Librorum laborantes; & ipsa licèt veritas vario sub aspectu prospici citra dispendium possit, juvat tamen eamdem, quantum fieri potest, omnibus proponi. Perniciosum esset enim maximè, in iisdem sententiis, quas Spiritus Sanctus variis subesse sensibus jussit, novas novasque interpretationes, quæ nemini adhuc succurrerint, indagare; cùm id levitatis indicium esset & inconstantiæ, a quibus Veritas Essentialis, in Scripturis loquens, maximè abhorret.

Si nihil esset aliud in studio Librorum Sacrorum, quàm Morum & Fidei quæstiones agitandæ, non esset cur illis constituendis firmandisque novi in dies Libri ederentur: vel saltem in expositionibus Scripturæ varietas esset nulla, cum fixa sit & stabilis Fides, & morum regulæ invariabiles. Sufficerent nobis Patres, Conciliorum decreta, & Traditio Ecclesiæ, quidquid in singulis articulis & teneremus mente, & voce proferremur. Sed plura occurrunt ardua in literâ Scripturæ, quæ viros Doctos occuparunt semper, & nunc occupant, ut inter ea meritò referantur, quæ humano ingenio inquirenda tradidit Deus (*a*). Hic autem viri doctissimi hærent, ignorantiam fatentes suam, expertique intelligunt quàm arctè sapiant, cum mente complecti non valeant res specie simplices facilesque, re ipsâ tamen grandes & arduas, si Mysteria spectes sub cortice literæ velata, atque augustas illas veritates, quas continent.

Nec id nobis arrogamus, ut nova tradamus & mira: tritam aliorum Interpretum viam secuti sumus, cùm rectè incedere illos reputavimus; si quid verò aberrarunt, solos reliquimus in errore. Sed & in iis quæ ab illis tradita tenuimus, selectione aliquâ uti visum est, ut non servili quadam ratione illos tamquam heros famuli sequeremur, nec eam nobis statueremus legem, id tantùm referendi, quod ab illis priùs literis traditum esset. Nova attulimus plura, conjecturis illorum novas subtexuimus; ut rari sint Textus alicujus indaginis, quos in novam lucem producere novis aliquibus allatis non conaremur. Cæterùm non ita reputandum est, quasi Authores illos exscripserimus, quorum opinionibus consentanea nobis probantur; sæpè enim vel inconsultis illis æqua tamen sentimus, ut eadem successisse nobis, quæ & illis contigerit; neque id mirum est contingere, cùm duo in eumdem Textum operam suam collocant (*b*).

Asperiores censuras atque invectivas omnes amovimus: rarò absurdarum opinionum directas refutationes adjecimus: parcendum etiam censuimus pro viribus a disputationibus, prolixisque rerum inutilium quæstionibus, & inter dissitas plures variasque opiniones, eas tantum referre visum est, quæ majoris momenti censerentur: quod a nobis absque studio partium præstitum est. Nemini singulari viro inhæremus, nullius spectamus personam, unum est nobis studium indagandæ veritatis; in Scriptoribus nihil æstimamus, nisi bonum in scientiis saporem, judicium, & acrem ingenii vim in seligendo. Si quas interdum referimus absurdas opiniones nonnullorum Interpretum, uti Rabbinorum, id eâ mente præstamus, ut intelligant Lectores, cur illas sæpè omiserimus, potiùs quam ut probare illas significaremus. Cave autem credas nos adoptasse omnes illas opiniones, quas non refutamus, sunt enim quæ seriam refutationem non merentur, sunt quædam in medio positæ, judicio potiùs Lectorum, & virorum Doctorum examini relinquendæ. Sæpè post expensa utriusque partis momenta, judicium suspenditur, quod neutrâ præponderante, mens hæret ambigua.

Multum debere nos optimis Scriptoribus Commentariorum ultro agnoscimus, quorum si nomina interdum silemus, id alio consilio factum est, quàm livore & ingrati animi vitio; sepe enim quem potissimum laudaremus, incerti fuimus, cùm ferè omnes paria animadverterent, & operosum esset maximè inquirere primum alicujus sententiæ Authorem, ac genealogiam, ut ita dicam, singularum opinionum retexere. Ad hæc, frustrà & non sine affectationis notâ daretur assertor communis opinionis, quæ spontè succurrit omnibus, eumdem Textum legentibus. Cùm tamen res poscit, cùm singulare aliquid & alicujus momenti detectum est, primis illorum Authoribus honorem non invidemus.

Neque hic unius singularis Authoris molimen damus. Qui totum Opus direxit, adjutus est in duobus vel tribus primis voluminibus, in Psalmis, & in S. Matthæo, studio Sodalium quorundam, qui collatâ cum illo operâ percurrerunt optimos, qui in singulos Scripturæ Libros sunt, Commentariorum Scriptores, excerpseruntque ad propositum omnia. Excerpta verò illa in commune conferentes, liberam reliquerunt singulis facultatem, opinionem suam proponendi; tum & dicta omnia, atque sancita in unum veluti corpus redacta sunt. Ex his omnibus autem selegit Author, quæcumque sibi viderentur apta, ut ad Opus suum conferrent (*c*); addidit scriptis illis animadversiones plures, deductas e Scriptoribus, qui seorsim Textum aliquem Libri, cui dabantur Commentarii, expenderunt; excussit pariter varios Scriptores Græcos Latinosque, recentiorum Itineraria plura, unicum sibi præfigens scopum instiu-

(a) *Eccl.* III, 12.

(b) *Aug. lib.* 2, *c.* 6, *de Doctri. Christ. Ad edomandam labore superbiam, & intellectum a fastidio revocandum, cui facilè investigata plerumque vilescunt. Aug. Ep.* 82, *n.* 34: *Qui scripturas edisserendo pertractant, necesse est, etiamsi rectæ atque unius fidei fuerint, varias parere in multorum locorum obscuritate sententias: quamvis nequaquam ipsa varietas ab ejusdem fidei veritate discordet.*

(c) *Hieronym. ad Augustin. Ep.* 75, *inter Augustinian. Ego in parvo tuguriunculo cum Monachis, idest, compeccatoribus meis, de magnis statuere non audeo, nisi hoc ingenuè profiteri, me majorum scripta legere, & in commentariis secundùm omnium consuetudinem, varias ponere explanationes, ut ex multis sequatur unusquisque quod vult.*

instruendi se de moribus vetustarum Orientis gentium, & ex earum legibus ac disciplinis lucem obscuris Scripturæ Textibus affundendi. Veternosa illa Librorum Hebraicorum antiquitas, & quod est discrimen morum, dogmatum, & loquendi phrasium inter Librorum illorum Scriptores, ac quæ apud nostros obtinent, rectæ eorumdem Operum expositioni plurimùm officiunt. Cùm ardua quædam occurrerent, virorum doctissimorum sententiam poposcimus; quorum æquum est beneficia ingenuâ confessione hic recognoscere.

Intra fines literalis sensûs continere nos optimum censuimus, is est enim cæterorum sensuum atque interpretationum fundamentum & origo. Operosum fortè non erit, animadversiones quasdam morales, & spiritales assignare, uti & allegoricos, typicosque sensus e Scripturâ exprimere, quibus scripta Patrum atque Interpretum complurium abundè scatent: sæpissimè autem expositiones illæ ex mero arbitrio sunt. Id maximum negocium est, ut genuinus Textui sensus tradatur, detegaturque vera literæ significatio; quod utique validissimum esse & utilissimum in studio isto Scripturarum, reputamus. Si literalem Scripturarum sensum haberemus exploratum, facilè post hunc commodæ spirituales expositiones succurrerent.

Licèt autem studiorum nostrorum finem literam constituerimus, non ita tamen reputandum est, quasi nos intra unicum grammaticalem sensum continuerimus, ut Commentarium traderemus planè exsanguem, in indagandâ solummodò significatione voculæ Hebraicæ, vel in criticâ alicujus versionis, seu certæ lectionis Hebraicæ vel Græcæ occupatum. Plures occurrunt in Scripturâ Textus, ubi literalis sensus ac typicus strictò adeò fœdere junguntur, ut alter sine altero explicari non possit: sunt etiam interdum sententiæ, quarum literalis sensus ipse est pariter spiritalis & typicus: occurrunt tandem quædam, quæ ad spiritalem interpretationem nos adigunt, quamquam literalem sensum offerant; denique incidas in aliquos Textus, quorum sensum historicum & literalem ubi intellexeris, nunquam te expedias, nisi simul demonstres, quantâ conjungantur affinitate facta illa historica cum Jesu Christo, & Ecclesiâ Christianâ. Hanc nos præfiximus methodum, cùm agimus de Patriarchis Veteris Testamenti, ac Libris Propheticis: Expensâ enim singulorum Patriarcharum vitâ, potissima illorum gesta epilogo quodam coëgimus, res a Jesu Christo præstandas exprimi illis, velut in imagine, demonstrantes. Id nobis fuit studii, ut monstraremus, Novum Testamentum ita contineri in Veteri, ut Autographum in Apographo, & Jesum Christum imagine quadam expressum esse in Sanctis omnibus Veteris Testamenti: sed hæc omnia innuimus tantùm, non probavimus, quippe qui ageremus cum Christianis, qui omnem veritatibus hisce fidem adhibent, quibus satis est rem indicare, argumentis verò demonstrare, supervacaneum.

Hanc potissimùm methodum in Opere conficiendo secuti sumus, ut singulos Libros Scripturæ Præfatione suâ instrueremus, ubi narrarentur res gestæ Scriptoris, siquidem notus esset, vel inquireretur de illo, cui Lucubratio tribui posset; tum & indicaretur consilium & totius Libri argumentum; tempus pariter scripti Operis, stylus, methodus, & ordo scribendi; claudit hæc omnia tabula chronologica factorum in eo Opere narratorum.

Gallica Versio, quam Textui Latino Vulgatæ jungimus, eximit nos ab eo onere, ut Textus plures obscuri & implexi in Latino, additâ paraphrasi exponantur; proniores sunt enim, & magis aperti in Versione, absolvit nos pariter a digerendis in Commentario turbatis vel ambiguis quibusdam periodis Textûs Latini: est denique Versio Operis nostri compendium. Cùm verò vulgata Latina Versio discrepat a Textu Hebræo, seu ab aliis Versionibus, vel cùm Hebræus præter Vulgatæ sensum alios plures admittit, omnes tradimus in Commentariis. Interdum pariter, cum Latinus Textus sensum offert vagum & suspensum, determinare illum in Versione, supplendo aliquid, refugimus, contenti retinuisse vagum istum & indefinitum sensum: id enim in Versione Textûs alicujus adornandâ cavendum est maximè, ne determinetur sensus, quem fortè suspensum de industriâ Author reliquit; alioqui enim non Scriptoris sententia exprimitur, sed Interpretis animus proditur (d).

In Commentario, qui ponè sequitur Versionem, varias habes lectiones, tum & varias interpretationes Textûs Hebraici, quas offerunt & versiones antiquæ, & optimi quique Interpretes, tam veteres, quàm recentiores. Id tamen nonnisi in variantibus majoris momenti servatum est, neglectis minimis, cæterisque seu pravis, seu erroneis, sive illustrando Textui superfluis. Sæpè in adnotationibus ad infimam paginæ oram variantia ista rejecta sunt, quò minùs infarciretur Commentarius prolixâ earum sententiarum recensione, quæ ægrè Gallicis literis exprimerentur.

Qua sumus persuasione de Chronologiâ generatim parum nosse Eruditos, temperandum nobis censuimus ab accuratâ discussione versatarum in eâ scientiâ quæstionum; satisque nobis duximus, potissima referre argumenta in quæstionibus majoris indaginis: de reliquo con-

(d) *Hieronym. in Ezechiel. XX: Melius est in divinis libris transferre quod dictum est, licèt non intelligas quare dictum sit, quàm auferre quod nescias.*

tenti fidem sequi docti alicujus Chronologi. Usserium prætulimus, cujus est Chronologia in pretio; ducem tamen illum interdum deseruimus, cùm optimæ rationes id suaderent. Exhibemus inferiùs Dissertationem in Chronologiam Chaldæorum, Egyptiorum, Hebræorum, Græcorum, & Romanorum, quæ dirigendis Libris sacris valebit.

Inter ea, quæ nos maximè exercuit, primatum tenet Geographia; experti enim novimus, id studii genus neglexisse maximè nostrates Interpretes. Plurimum debemus Samueli Bocharto, qui ingentibus illis voluminibus *Phaleg & Chanaan* viam nobis aperuit, qua in cognitionem veteris Geographiæ longiùs excurreremus; plura ille felici molimine detexit, & argumentum excussit pleniùs; interdum autem ipse se neglexisse Author videtur, quare alias aperire vias nobis necesse fuit. In hoc volumine habebunt Lectores novam tabulam descriptam a D. Moulart Sanson, qua sub oculos exhibetur ea, quam nos formavimus, idea de regionibus, quas posteri trium filiorum Noëmi indicati in capite x Geneseos frequentarunt, & quid de situ Paradisi terrestris censuerimus. De Paradiso autem illo nihil nos singulare ac novum tenemus, sed tantùm conati sumus fulcire argumentis opinionem virorum plurium doctissimorum (*e*), quibus collocandus visus est, uti & nobis pariter probatur, in regione inter fontes Euphratis & Tigridis, Phasidis & Araxis. Tabulam terræ Sanctæ dabimus in Commentario ad Josue, ac minor illa, quæ huic volumini jungitur, ponet sub oculos sedes, ac varias itinera Abrahami & filiorum per Chanaanitidem.

Protestantibus Scriptoribus usi sumus interdum, sed in rebus tantùm criticis, tum & humanæ ac profanæ literaturæ; rarò in Theologicis, nec unquam, nisi ubi cum Ecclesiâ Romanâ conveniunt, vel ubi refutare illos optimum factu judicavimus. Qua in re defendimur exemplo & authoritate veterum Ecclesiæ Patrum (*f*), tum & optimorum inter Catholicos Commentatorum. Siquæ fortè interpretationes, versiones, ac sensus, quæ repugnare Vulgatæ in speciem videntur, proponuntur; nunquam id tamen eo consilio præstitum est, ut vel minimum desimus obsequio & venerationi in hanc Versionem, quam Concilium Tridentinum (*g*) approbavit, consecravitque; nec menti ejus Concilii nos adversari censuimus, illam conferentes cum textibus; non enim ideò Vulgatam deserimus, nec æquam cum illâ authoritatem vindicamus cæteris hisce Versionibus, quas proponimus. Utique S. Hieronymus, vir licèt doctissimus, unicâ versione suâ exprimere non valuit varias omnes interpretationes, quas unus idemque Scripturæ textus admittit, neque omnes simul sensus singulari illâ interpretatione exprimere (*h*), cujus defectum supplevit vir sanctus eximiis suis Commentariis, quem eumdem sibi constituere scopum ad ejus imitationem, reliquos Commentatores par est. Constat autem non unico exemplo, Hebræum Textum, quem ille in suâ versione adhibuit, discrepasse in multis ab eo, quem habemus superstitem, in his autem Textibus versionem nostram ejus interpretationi repugnare, nemo prudens affirmaret, cùm diversis Textibus ambo laboraverimus.

Ut autem Textus Gallicus Commentariorum minùs impediatur, Hebræas, Græcas, & Latinas voces, tum & testimonia Authorum, quæ laudamus, ad infimam paginæ oram rejecta sunt. Facilè verò animadvertent Lectores in uno eodemque Authore exscribendo non unam semper Operis editionem nos tenuisse; quòd scilicet variis in locis ac per intervalla Opus hoc elaboratum sit, nec semper eadem volumina prompta fuerint & ad manus. Notum est autem plurimum esse discriminis in distributione Capitum, inter varias ejusdem Authoris editiones.

In stilo id potissimùm conati sumus, ut brevis esset & apertus; persuasi utique, hunc esse genuinum id generis Operum scribendorum characterem (*i*). Tantum valet Commentatius, quantum ex illo lucis affunditur Textui, ac Lectori minuitur laboris. Nimia brevitas ægrè obscuritatem vitat; prolixitas morosior oblivionem facilè inducit ejus, quem illustrare satagit, Textûs. Majestas & gravitas sacrorum Librorum respuit exquisiti nimiùm stili, ac delicatioris phrasis luxuriem.

Quæ nos potissimum induxit ad suscipiendum Opus, ratio ea suppetebat, ut pro viribus amoris in studium sacrarum Scripturarum igniculos excitaremus, quà in Ecclesiasticis, quà in reliquis e vulgo Fidelibus; in studium, inquam, non perfunctorium, sed accuratum, solidum, & profundum pro singulorum captu, tum & ardua submovendi, quorum difficulta- te a

(*e*) *P. Fournier, P. Lubin, Sansonis, Craverii, Reineri, &c.*
(*f*) *Origen. Homil.* VII *in Levit. & S. Aug. de Doctr. l.* 3, *num.* 42.
(*g*) *Concil. Trident. sess.* 4.
(*h*) *Aug. in Psal.* 18. *enar.* 2, *art.* 4: *Nonnulla verba scripturarum obscuritate suâ hoc profuerunt, quòd multas intelligentias pepererunt.*
(*i*) *Hieron. in qu. Hebraic. p.* 56: *Pedestris & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ vim explicet, sensus edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat. Sint alii diserti .... mihi sufficit sic loqui ut intelligar, ut de scripturis disputans, scripturarum imiter simplicitatem.*

te a viâ deterrerentur. Suppetet illis brevi verborum complexu in hoc Commentario traditum, quod nonnisi ingenti labore atque conatu vix obtinerent excursu ingentium plurium Voluminum, quos pauci habent, & pauciores legendi voluntate tenentur. Porrò sacrotum Librorum lectio familiarior fuit, atque omnium maximè feria occupatio sanctissimorum Prophetarum, & religiosissimorum quorumque Veteris Testamenti. Jubet Moyses (*k*) ne oculus removeatur unquam a præceptis Dei, quæ & imprimantur memoriæ, & adscripta jugiter ferantur in manibus ac fronte; insculpantur in superliminaribus domorum; versentur assiduâ meditatione diu noctuque, domi forisque. Id Psalmista (*l*) habebat sanctum, ut voluptatem suam in meditatione Legis Dei constitueret; verbumque Dei perinde habebat ac lumen suum, robur, gaudium & solamen. Prophetarum occupatio ad id unicè ferebatur, ut Legi Dei studerent, inquirerentque tempus adventus Messiæ (*m*), quod sibi à Deo revelatum didicerant: hæc sapienrum, hæc virorum doctorum scientia atque Sapientia, ut mente conderent, ac opere Legem Domini exequerentur.

Veteres Ecclesiæ Patres, atque Theologorum Sanctæ nostræ Religionis Principes in eo sive unicum, sive potissimum studium suum collocabant, ut Divinis Scripturis vacarent, pervadendis illis, atque detegendo genuino earum sensui intenti. Quid eorum scripta, nisi perpetuus Sententiarum Scripturæ contextus? e Scripturis deducebant argumenta; quæcumque sancirent in Conciliis, quæcumque in publicis privatisque institutionibus docerent, non aliundè petebant, quam e Scripturâ, expositâ juxta receptam ex Apostolis ac viris Apostolicis doctrinam. Siquæ fortè fidei suæ ratio erat reddenda, si qui confutandi Increduli, si quando pugnandum erat cum Infidelibus, si refutandi Hæretici, vel instituendi Fideles, assignandæque morum regulæ ac dogmata credendi, sufficiebant hæc omnia Sacri Libri; unde tantæ virtutis argumenta eruebant, ut ad intima usque corda penetrarent, lumen inferrent mentibus, atque pervicacissima quæque & durissima pondere suo frangerent. Fruebantur illi in Scripturâ castis spiritalibus deliciis, hauriebant e largissimo illo, atque inexhausto fonte vivas sapientiæ aquas, quæ usque ad Cœlum saliunt.

Hinc obsequium, hinc amor & admiratio in sacros Libros, quos humili ac sancto terrore demissis oculis suspiciebant. Quò altiùs penetrabant mysteria, altiora semper sibi scrutanda manere intelligebant, atque in eo studio tam jucundo, tam assiduo, tam profundo, nova semper & nova nanciscebantur, quo majori semper ardore sese iis dederent, eorum more, qui cùm thesauro effodiendo laborent, non modò ab opere cessant, cùm aliquid detexerint, quin novo animantur robore, ut perseverent. Is erat Spiritus Apologistarum nostræ Religionis, & verorum Ecclesiæ Doctorum; cujusmodi generis homines spiritu & eloquio valebant plurimum; in scientiâ Scripturarum, quarum omnes penetraverant sensus, erant exercitatissimi; utebantur eâ scientiâ ceu gladio ancipiti, tum adversariis omnibus veritatis debellandis, tum vi in crimen & infidelitatem inferendæ.

Patres illi, qui in otio tei Christianæ floruerunt, cùm recta Fides cæteras omnes Religiones jam superaverat, pari ardore Sacrorum Librorum studium coluerunt, quippe quos ea tenebat persuasio, Christianos omnes, & jure etiam fortiori Pastores, & Episcopos, conditionis suæ præcepto adigi, ut præsto sint semper ac parati fidem suam palam explanare, ac pervicaces illius oppugnatores evincere (*n*), tueri Religionem, ejusque veritatem ac sanctitatem asserere. Perbiberunt illi altè Divinarum Scripturarum sensus, nihil habuerunt antiquius, quàm ut vivâ voce & scripto Volumina illa sacra explicarent: Commentarios adornarunt, aptasque illa explicandi regulas statuerunt: nihil denique desiderandum reliquerunt, quò altius insinuarent fidelibus omnibus amorem & obsequium, quo ipsi tenebantur.

Varia fuit eorum methodus pro tempore & personarum discrimine, eorum enim necessitati atque habitudini eorum, quibuscum loquebantur, sese accommodabant. Si veritas rerum ac miraculorum, de quibus in Libris sacris, asserenda erat Paganis: si demonstranda Judæis oraculorum fides impleta in Jesu Christo: si confutandi Hæretici, quoad dogmata fidei ab ipsis convulsa, in Libris sacris argumenta literalia & validissima quærebantur, quibus nihil ex æquo opponeret contentiosa ac pertinax refractariorum audacia.

Quamquam autem illi minus laboraverint, ut sensum literalem ac grammaticalem illustrarent, quam Critici nostrates, ingenuè tamen fatendum est absolutissimos Commentariorum Scriptores, & Criticos emunctæ naris veterem ætatem peperisse. Quidquid superest Origenis, Eusebii Cæsariensis, Theodori Heracleensis, itidemque Theodori Mopsuesteni, ad sensum demonstrat, scientiâ illos Scripturarum non leviter aspersos, sed probè instructos fuisse. Commentarii S. Chrisostomi, S. Hieronymi, & Theodoreti criticas & literales animadversiones eximias sufficiunt plures; quin & meritò assereremus, in iis maximè, quæ ad novum

(*k*) *Deut.* VI, 7, 8, *&c.*
(*l*) *Psalm.* CXVIII.
(*m*) 1. *Petr.* I, 10, 11, *&* *Daniel.* IX, 1, 3, 4.
(*n*) *Tit.* I, 9.

vum Teſtamentum pertinent recentiores nihil afferre, quod non olim Antiquis fuerit exploratum.

Ad verus Teſtamentum quod attinet, ultrò etiam fatendum eſt, plura illis fuiſſe adjumenta, quibus hodie deſtituimur. Hexapla Origenis, quæ manibus illorum terebantur, perinde erant ac theſaurus, Librorum planè infinitorum egeſtatem compenſans. Ad Opus illud conferebant varias ejuſdem Textûs verſiones, eamque amplectebantur ſententiam, quam maximè judicarent cohærere ſenſui Librorum Hebraicorum, quorum alioqui pleriſque ſermo erat ignotus. Quod autem in eorum Scriptis admiror magis, illud eſt, criticâ uſos eſſe illos ſapienti, modeſtâ, & circumſpectâ; atque debitum ſibi religionis conſtituiſſe, ut prædeceſſores ſuos ſequerentur, neque tantùm in ſenſu literali, verum etiam in morali, & allegorico. Id nobis ſæpiùs animadvertere contigit inter legendum, conferendumque ſimul plures Græcos, Latinoſque Patres, eumdem Scripturæ Librum verſantes.

Ante orta diſſidia de Libris Origenis, Authorem illum fermè ſolum in eo ſtudii genere, quem ſequerentur, habebant. Exinde Græci ita abierunt in ſententiam S. Chryſoſtomi, ut ferè nihil aliud præſtarent, quàm ipſum exſcribere, variaque ejus compendia adornare. Latini, S. Auguſtino & S. Gregorio Magno ætate ſuperiores, Græcorum plerumque veſtigia relegerunt, uti facilè intelligent omnes, qui conferant S. Hieronymum cum Origene ac Euſebio Cæſarienſi; S. Ambroſium cum Origene & S. Baſilio; & ſic de cæteris. Poſt S. Auguſtinum, & S. Gregorium Magnum, ſequioribus literarum ſæculis, ſatis habitum eſt, ſi Epitomæ vel Catenæ e ſcriptis præcedentium Patrum adornarentur. Hanc ſibi methodum præſtituerunt Beda, Alcuinus, Rabanus Maurus, Haymo, Ausbertus, Rupertus &c.

Poſt duodecimum ſæculum, eaſdem ſubiit vices ſtudium Scripturarum ac cæteræ ſcientiæ omnes; Scolaſtica methodus invaluit, reſque agitatæ ſunt per quæſtiones, ac per locos communes diſtributæ. Quidquid ſupereſt S. Thomæ in Novum Teſtamentum, collectam e Patribus Catenam refert. Lyranus origine Judæus, cùm ad Chriſtiana ſacra tranſiiſſet, S. Franciſci Religionem profeſſus, jacens eò uſque literale Bibliorum ſtudium reſtituit. Gloſſa Ordinaria, Dionyſius Carthuſianus, Hugo de S. Caro, aliique nonnulli breviores notas in Libros ſacros ſcripſerunt. Sed cùm originales linguas haberent penitus inexploratas, ſatis reputarunt, ſi Vulgatam exponerent ad mentem Patrum Latinorum, quorum opera ſuppetebant. Alia Toſtati methodus; propoſuit enim ſibi varias in Textus quæſtiones, quas fusè & ſcholaſtico more tractavit; quod item placuit Tenæ in Epiſtolam ad Hebræos, Mendozæ in Reges, & Pererio in iis, quos adornavit, Scripturæ Commentariis.

Sanctius, Serarius, Bonfrerius, Cornelius a Lapide perpetuos Commentarios, omnibus ſimul ſenſibus implexos, literali, morali, & allegorico vulgarunt; controverſias etiam non rarò intermiſcent, unde & moroſitas in eorum ſcriptis plurima; ex moroſitate verò factum eſt, ut minùs deinceps eorum lectio curaretur. Huic incommodo ut occurrerent alii vel epitomas vel breviſſimas notas reliquêre, uti inter cæteros Emanuel Sa, Tirinus, Menochius, Mariana &c. Quorum tamen brevitas in alterum incurrit vitium, ut cùm interpretationum ſuarum nulla exhibeant documenta, ambiguum ſæpe Lectorem relinquant, & inquietum, ac quàm maximè ſequatur partem, incertum.

Vix proximæ hæreſes ſubortæ ſunt, majori quàm antea animi contentione Viri docti ſtudio linguarum, Textuum Scripturæ, hiſtoriæ, criticæ, politioris literaturæ, ac lectioni Scriptorum Judaicorum & Patrum incubuerunt. Novæ adornatæ ſunt e Græco & Hebræo verſiones, certatumque, ut novæ item & novæ expoſitiones darentur. Tandem brevi CL annorum ſpatio plus Commentariorum, & Lucubrationum in Scripturam procuſum eſt, quàm antea dederit longus MD annorum excurſus. In eo tamen communiter peccarunt Commentatorum Proteſtantium plerique, quanquam alioqui majori ex parte doctiſſimi, quòd Lucubrationes exhibuerint nimis aridas, inſertaſque quisquiliis grammaticalibus, Rabbinicas nimis, viciſſim autem Patribus minùs obſequentes. Nihil hìc ego de dogmatibus fidei Eccleſiæ contrariis, quæ ſanciunt, nec ſæpè eâ ingenuitate, quæ Scriptorem decet. Imputant enim non ſemel Eccleſiæ Catholicæ ſententias, quas illa nunquam admiſit.

Parcimus hìc ab effuſis Prolegomenis in Textus, Linguas, Inſpirationem, & varios Scripturæ ſenſus, cujuſmodi generis Opera vernaculis literis tradita ſuppetunt plura; nec adeò de nobis præſumimus, ut meliùs quàm illi, nos eam rem tractaturos eſſe credamus. In decurſu tamen Commentarii aliquid afferetur de primâ mortalium linguâ, & Babelicâ ſermonum diviſione. Scriptâ diſſertatione tractavimus de materiâ & formâ librorum veterum Hebræorum, de characteribus Moſaicis; quæ ſanè argumenta ſunt Prolegomenon. Agemus inſuper de Inſpiratione, ac variis ſenſibus Prophetarum in generali præfatione ad Prophetas.

Si judicium ex rerum apparentium ſpecie petendum eſſet, nihil ulteriùs ſupereſſe videretur in Scripturâ; ejus omnia patêre; & ſi quæ fortè adhuc manent in obſcuro, fruſtra in illis torqueri hominum ingenia: quare ſupervacaneam ille navare operam cenſendus eſſet, qui publico tradendum ſuſciperet novum in Libros Sanctos Commentarium; cùm magiſtra experien-

perientia doceat, post adornatas in id argumentum Lucubrationes in pristina semper recidi; ut quicumque optimum Commentarium excusserit, cæteros omnes habeat exploratos.

Sed hæc tantùm illis occurrerint, qui a limine id studium salutarunt. Plura supersunt adhuc in literâ Scripturæ obscura, quæ nemini adhuc ità patuerunt, ut ambages omnes sublatæ sint. Librorum in unum idemque argumentum copia profectò demonstrat, illud nondum penitùs satis apertè fuisse explicatum. Si quis nova tantùm tractanda susciperet, jam inde a multis annis siluisset. Numquam non laborant viri docti in Historiam, & Philosophiam, nec frustra. Si quis altiùs effodiendas susciperet Scripturas, ignotas hucusque difficultates detegeret, & solutiones nancisceretur nunquam allatas. Nec enim ita reputandum est, quasi prioribus Interpretibus incognita, nos etiam fingere necesse sit; quæque illis fuerunt impervia, & nostros pariter conatus respuere. Exuenda sunt præjudicia illa ex authoritate & majori numero petita. Major numerus pronas vias sequitur; pronum est autem maximè, ut qui alios exscribit, aliorum dicta omnia admittat probetque. Sed applicet se quispiam studio ac meditationi unius singularis Capitis; statim intelliget, quanta sit adhuc necessitas laborandi in sacros Libros, & quanta sit rei, ut par est, præstandæ difficultas.

Linguæ Hebraicæ minor, qua laboramus, peritia intelligentiæ Scripturarum, si quid aliud, maximè officit. Nec enim linguæ illius eadem est ac cæterarum omnium jam obsoletarum sors, uti e. g. Græcæ ac Latinæ. Supersunt enim literis illis tradita scripta plurima, atque assiduâ in studium contentione vim tandem earum linguarum omnem, uti & vocum proprium sensum assequimur. Non ita pariter in Hebræo; eloquii enim illius puritatem sola Hebraica Biblia servat. Quare illud nobis tollitur commodi, ut Textus simul plures & Authores, eandem ferentes vocem, consetamus; nullus supperit Scholiastes, nulla Glossa, Commentarius ac Dictionarium vetus nullum, justam indicans significationem vocis; opus esset enim, ut scripta hæc Opera haberemus, quo tempore purus Hebraicus regnabat.

Sunt Hebrææ quædam voces semel tantùm in Bibliis occurrentes; sunt quæ recurrunt frequentet, nec tamen inde magis exploratæ sunt, tum quòd radicem habeant obsoletam & ignotam, tum quòd recedant a significatione primitivi sui, tum pariter, quòd sensus ejus radicis vagetur incertus, nihilque in Textu suppetat, quo ad peculiarem sensum determinetur. Judæorum est sermo, si quis alius, sterilis, vocibus & radicibus infrequens: verborum duo sunt tempora, præsens & futurum; quæ pariter & indiscriminatim alterum pro altero ponuntur, & locum tenent cæterorum omnium, quæ suppetunt in aliis linguis. Ad hæc, duplex tantùm participium cum infinito & imperativo; atque hæc tota verborum Hebraicorum Syntaxis: qui varii temporum modi alias linguas omnes locupletant, desunt in Hebræo. Quanta ex his difficultas determinandi apud illos tempora? solus interdum contextus sermonis ad unum præ altero sensum lectores determinat. Interdum certum verbis tempus determinarunt Interpretes, eò ducti pro suo quidem sensu a contextu ac narrationis serie; sæpè tamen futuro aut præterito tradiderunt, quidquid futurum aut præteritum nacti sunt in Textu, nullâ contextûs sermonis habitâ ratione. Id autem auferre valet admirationem, qua fortè tenentur nonnulli, si perfecto, vel plusquamperfecto teddimus interdum, quod futurum præfert in textu; & vicissim futurum reformamus in perfectum.

A puro Hebraico sermone desueverunt Hebræi octingentis ab hinc annis ampliùs: vetustissimum Opus, unde lucis aliquid affundirur nobis in textum Hebraicum scripturæ, Versio est Septuaginta. Nec utique nos fugiunt quæcumque a viris doctis objecta sunt in veritatem historiæ hujus Versionis, quam post Aristæam Josephus, & Philo tradiderunt. Horum examen alterius est loci; satis est nobis in præsenti, Judæis Ægyptiis innotuisse Versionem Scripturæ saltem quinque Librorum Moysis (o) jam inde ab ætate Ptolemæi Philadelphi, 250 annis circiter ante Christum. Quicumque tandem ejus operis Authores reputentur, vivebant illi quo tempore ab Hebraico sermone nondum desueverant aures incolarum Jerosolymæ, atque Judææ. Quod attinet ad cæteros Scripturæ Libros, multum quidem earum Versio, minùs certè accurata prioribus illis concedit; & quæ varianria in interpretatione ejusdem vocis deprehenduntur, satis indicant, Interpretum ingenia, plurimùm in determinando earum sensu laborasse.

Paraphrasis Chaldaica, cui præfixum est nomen Onkelos, documentum est omnium accuratissimum pro expositione vocum, ac sensûs literalis Textûs Hebraici; sed Onkelos in Pentarheucum tantummodò laboravit: cæteri Paraphrastæ Chaldæi reliqua Bibliorum illustrantes, a merito prioris illius quàmlongissimè absunt: nec rarò in eorum Paraphrasibus occurrunt pueriles expositiones, eædem profectò, quas in Commentariis suis venditant Rabbini.

Porrò Rabbini, quos habere par esset in eo studio veluti principes ducesque, deducen-

(o) *Hieronym. in Ezech. vi: Quamquam & Aristeas & Josephus, & omnis Schola Judæorum quinque tantùm libros Moysi a Septuaginta translatos asserant.*

cendis nobis potiùs in errorem, quàm ab errore revocandis valent, cùm in eorum scriptis plerumque pedestres sufficiantur interpretationes pueriles, indignæ majestate Scripturarum. Absoluti inter ipsos Grammatici judicio ferè carent & delectu, innutriti traditionibus ad arbitrium confictis, superstitionibus futilibus, ac præjudiciis occupati suis, gravi supercilio asserunt absurda, & apertos errores, tum & sensibus ipsis compertas Scripturarum corruptiones. Legum judicialium, quas invehunt, expositiones plerasque pravas reputamus, arbitrio delirantis animi invectas. Ne levi quidem asperguntur cognitione genuinæ veteris Historiæ, denique rarissimè in conjecturis suis scopum attingunt. Diu multumque hæsimus suspensi, num opiniones illorum afferemus: tandem proponendas decrevimus, potius ut revocemus ad saniora consilia eos, qui opinione aliquâ de illis tenentur, quàm ut authoritatem & fidem illis conciliemus.

Difficultatem instruendi optimum Commentarium in Scripturam auget illud, quod & infelicem exitum induxit Scriptoribus plerisque, qui ad id usque paruerunt, quòd scilicet in obscuro versemur de moribus veterum Judæorum; tum & pauca innotescant de rebus illorum politicis, atque œconomicis; qui in eorum regione fuerit vivendi ritus, quæ forma ædium ac vestium, quæ ratio gerendi belli, colendi agri, & agendi cum exteris. Nec magis docemur de politiâ earum gentium, quibuscum res vinculo aliquo stringebantur; qui obtinerent apud finitimos mores; hisce autem remotis auxiliis vix fieri potest, ut exploratus omninò Textus sacrorum Librorum pateat. Si quis ad id studium conferat mentem, occupatam præjudiciis, ac solis instructam ideis vitæ nostris moribus exactæ, quà in civilibus, quà in œconomicis, ille facilè ad omnem gressum impinget. In id potissimum operam nostram contulimus, ut mores Veterum haberemus exploratos, assuesceremus phrasibus Scripturæ, quas & cum Græcis Latinisque vetustis Scriptoribus conferremus. Speramus autem futurum, ut methodi hujus jucunditatem sentiant Lectores, intelligantque, quàm utile consilium in exponendis pluribus Scripturæ Textibus inierimus.

In expositione Pentateuchi conferre visum est leges moresque Judaicos cum iis, quæ de Ægyptiis comperta sunt. Ægyptum deserebat Moyses; quique sub eo Duce exibat populus, assueverat moribus, legibus, ac Religioni Ægyptiorum. Legislator sensa sua significare non poterat, nisi verba accommodaret ad populi hujus ideas, præjudicia, atque habitudines. In Libris Propheticis, ex Authoribus Profanis derivavimus, quæcumque apta videbantur, ut impletam demonstrarent fidem oraculorum juxta sensum literalem & historicum; simul autem e Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis decerpsimus quæcumque oraculorum illorum exitum demonstrant in Jesu Christo, & in constitutis Ecclesiæ Christianæ fundamentis.

Divisio Librorum Scripturæ per capita & versus, qualis obtinet modò, recentissimum est inventum, nullâque absterremur religione quin interdum commodiorem sensum, mutatâ punctorum atque distributionis œconomiâ, quæramus. Librorum quorumdam ordo jam inde a longissimâ ætate determinatus est, uti de Libro Psalmorum constat; de quo affirmat S. Hilarius *in Præfatione in Psalmos*, digestum fuisse discretumque in varios Psalmos a Septuaginta, ut quam hodie servant inter se Psalmi illi œconomiam, hanc olim illis curantibus habuerint (*p*), cæteri verò Scripturæ Libri longâ ætate nullis adstricti certis divisionum finibus vagati sunt. Distribuerunt Græci capita Librorum Regum, Proverbiorum Salomonis, Isaiæ, Jeremiæ, aliâ plane œconomiâ, quàm quæ in Hebræo, & Vulgatâ obtinet. Psalmorum distributio juxta Hebræos discrepat etiam ab eâ, quæ apud nos invaluit. Aliter ordinant Græci duodecim minores Prophetas quam Hebræi & Latini: capita & versiculi, qui hodie adnotantur in Bibliis Hebraicis, Græcis, Latinisque, non item pariter adnotabantur ante sexcentos annos. Ante illam ætatem nullus Scripturæ Textus adscriptum præfert numerum capitis & versiculi, unde deductus est. Solebant Veteres sedem Textûs alicujus, quam in Libro tenebat, adnotare, distinguentes initium, medium, & finem ejusdem Libri, vel circumstantiis aliis eorum, quæ in Libro continebantur, observatis. Ita S. Augustinus *in Retractationibus libro 2, cap. 24* scripsisse se in Genesim prodit ab exordio ad usque expulsionem primorum parentum e Paradiso; quod nos ita indicaremus, scripsisse illum in tria prima capita Geneseos.

Nec id tamen affirmandum suscipimus, nullam capitum ac versiculorum rationem novisse Veteres (*q*). Affirmat S. Hieronymus, *Præfatione in Isaiam*, divisisse se Prophetas per versiculos, imitatione operum Demosthenis & Ciceronis, per *cola & commata* descriptorum. Perhibet ille pariter, *in Præfatione in Libros Paralipomenon*, digessisse Paralipomena per versiculos, *ut inextricabiles moras & silvam nominum . . . . . per versuum cola dirigerem*. Qua in re imitatus fuerat S. Doctor Origenem (*r*), eodem ordine digerente Hexapla sua.

Affir-

(p) *Vide nostram Præfationem in Psalmos art. 2, ubi demonstravimus, hanc S. Hilarii opinionem suâ difficultate non carere.*

(q) *Vide Proleg. D. Du-Pin.*

(r) *Eusebius lib. 6 Histor. Eccles. c. 16.*

Affirmat Hesychius Hierosolymitanus Sacerdos, vetustorum Patrum inventum esse, ut Textus Librorum Sacrorum ita per στιχὸν *versiculos* digeratur, tum perspicuitatis majoris gratiâ, cum ut faciliùs conferantur atque exponantur. Supersunt adhuc vetera manuscripta, quæ Libros Propheticos, Psalmos, Jobum, Proverbia, Canticum Canticorum, ita distributa per versus exhibent: sed is ordo nunquam certâ & uniformi regulâ servatus est, nunquam generatim ab Ecclesiâ adoptatus. Ita cùm S. Augustinus perhibet, singulo versiculo sex voces complecti, nonnisi de Exemplari, quo utebatur, sermonem fecisse videndus est; alia etenim Exemplaria prolixiores adscribunt versibus singulis sententias; & quæ summa versuum ad finem librorum in variis Exemplaribus adscribitur, non ubique eundem numerum refert. In dividendis versibus illis potissima fuit ratio sententiarum, ut singuli versus integram plerumque sententiam complecterentur.

Omnium vetustissima methodus secandi Libros Novi Testamenti obtinuit per Τίτλων *titulos*, per Κεφαλαῖα *capita*, & per Στίχοι *cola* vel *commata*. Titulus prolixius aliquid continebat velut integram historiam, seu longiorem sermonem; titulus autem dividebatur in capita; versus tandem referebant singulos periodos, vel periodi unum membrum ab alio discretum.

Oeconomiæ ratio illa adscripta legitur in capite vel in calce plurium Codicum Evangelicorum, sed ratione adeò vagâ & incertâ, ut nihil satis constans in eâ re obtinuisse ad sensum demonstretur. Consule eâ de re volumen primum novæ Editionis S. Hieronymi, & Notas Huetii in Origenem. Erant capita apud veteres multò, quàm apud nos, breviora; assignat enim Suidas S. Matthæo LXVIII titulos, & CCCLV capita, S. Lucæ LXXXIII titulos & CCCXLVIII capita. In postremâ Editione S. Hieronymi ex quorumdam Exemplarium fide S. Matthæus præfert XXVIII capita; in aliis verò LXXIV, in aliis CXVII.

Quod attinet ad novam rationem determinandi certam & uniformem Bibliorum œconomiam per capita & versus, ægrè admodum ejus epocha constitueretur. Notat Huetius (s) Theophylactum, qui floruit exeunte sæculo undecimo, eamdem capitum rationem tenuisse, quæ modò obtinet, servarique ejus sæculi manuscripta idem præferentia.

Tradit Balæus (t), a Stephano Langthone, qui Cantuariensem tenens cathedram obiit circa annum 1227, distributam fuisse Scripturam universam per capita, eâdem ac apud nos methodo.

Autumat Trithemius in Chronologiâ, libro IV ad annum 1240, Scholasticos primos ejus rei fuisse Authores: nec facilè alios symbolam contulisse unà cum Hugone a S. Caro in adornandis magnis concordantiis Bibliorum; exinde enim, ait, Theologis familiaris ea Bibliorum œconomia, qua superior ætas nunquam usa est. Illud certò constare arbitramur, Hugonem a S. Caro Dominicanum, qui obiit anno 1261 vel 1262, omnium primum certa adscripsisse in Bibliis capita, ut digereret Concordantias Latinas omnium vocum declinabilium Sacræ Scripturæ. Operâ illum suâ juvisse feruntur quingenti ejusdem Professionis Monachi. Arlotus, Ordinis Fratrum Minorum Monachus, qui florebat anno 1290, Concordantias hasce auxit perfecitque; & R. Nathanum Concordantias suas Hebraicas digessisse anno 1438, ad normam Concordantiarum Latinarum P. Arloti, perhibet R. Gedaliah. Conradus Albrestadensis Dominicanus, circa annum 1290, indeclinabiles voces adjecit. Tandem Joannes Segoviensis, quo tempore agebatur Concilium Basileense, anno 1430, vetustas Concordantias incremento tabulæ alphabeticæ particularum indeclinabilium ampliavit: hæc autem tabula seorsum non rarò exhibetur impressa in calce Concordantiarum Latinarum, donec in Editionibus posterioribus in Textum transivit. Olim in Concordantiis unus adscribebatur numerus capitis, & litera notans exordium, medium, & finem capitis. Versiculi nonnisi diù post priores impressiones incepêre.

Neque hic ego fusiùs immorandum censeo in Concordantiis impressis, quarum aliæ aliis ampliores sunt, & defœcatiores. Peculiarem sibi methodum proposuit Bulloco, quippe qui materiarum potiùs & rerum spectavit ordinem, quàm elementarium literarum. In eo potissimùm optimi Bibliothecarii scientia versatur, ut præstantiores Editiones Concordantiarum distinguat.

Latinorum exemplum in eam mentem induxit Eutalium Rhodium, Græcum Monachum, anno 1300, ut ad Græcas Bibliorum Concordantias animum applicaret; & Conradus Kircherus Lutheranus Augustanus vulgavit anno 1607 Græcas Concordantias a se paratas, Opus ad sacrorum Librorum intelligentiam utilissimum. Vitio illi datur, quòd Græcam Septuaginta Editionem Complutensem secutus sit, quæ sanè a genuinâ Versione Septuaginta abest. Concordantias Græcas Novi Testamenti digestas a Xisto Betulejo, Basileensia primùm dederunt præla anno 1546, tum Genevensia anno 1600 & 1624, tandem Vittembergensia anno 1634.

(s) *Nota in Origenis Comment. p. 19.*

(t) *Vide Buxtorf. præf. in Concord. hebraic. Balæus Hist. Eccles. Centur.* XIII. *c.* 7. & *c.* 10.

IN PENTATEUCHUM
ATQUE IN
GENESIM POTISSIMUM
PROLEGOMENON.

PENTATEUCHI Opus Moysi authori deputandum esse, post tot luculentas in idem argumentum scriptas lucubrationes, frustra prorsùs a nobis in præsentiarum demonstraretur. Post diuturnam sanè ultra 3000. annorum possessionem, nemo in Moysem litigator admittitur, nisi juris sui non dubia tantùm & ambigua, sed evidentia planè & perspicua documenta protulerit. Nec aliud quidem, quàm apertæ veritatis vis contra vetustum adeò Moysis jus, cui Christi, Apostolorum & Universæ Ecclesiæ consensus suffragatur, prævaleret.

Quæ aurem a recentioribus Incredulis promuntur argumenta, multò illa a perspicuitate longissimè absunt. Quædam, inquiunt illi, in Pentateucho occurrunt, quæ Moyses scriptis mandare non potuit. Ultrò fatemur; iis enim, qui Operis recensendi sibi curam assumpserunt, nonnulla addere, expungere quædam visum est. Iisdem etiam Authoribus quædam in compendium redacta videntur; sicut & quandoque narrationum & orationum series intermittitur; quod quidem de industriâ potiùs factum, quàm casu vel amanuensium lapsu contigisse apparet. Historia Lamech alia videtur nostrâ ætate, ac a Moyse scripta prodierit; priùs enim narrasse Sacer Historicus creditur ea, quorum occasione verba illa Lamechi ad uxores prolata sunt: *Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ, & Sellæ: Audite vocem meam uxores Lamech: auscultate sermonem meum, quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum. Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies. Gen.* IV. 23.

Ita post Moysem adjecta videntur illa (*a*): *Chananæus autem tunc erat in terra.* Quædam etiam in Exodo sunt loca, ubi aliqua in textu Hebræo desiderari suspicamur. Ita Moyses (*b*) acephalâ oratione, uti quidem apparet, Pharaonem alloquitur; Samaritanus ibidem defectum Hebræi facilè supplet. In eodem Samaritano non modicæ additiones in cap. XX, 17. 19. leguntur, frustrà in Hebræo requirendæ; sicut & variæ etiam in sequentibus Libris, & in ipso Deuteronomio plures resultant. Ex hisce variantibus inter levia aliqua, quædam etiam majoris momenti exhibentur; adeò autem illa cum totâ Textûs serie plerumque colligantur, ut vix alienâ manu in Textum irrepsisse persuadeamur. Fragmentum Libri bellorum Domini (*c*), alterius planè à Moyse Authoris, quemadmodum & initium Deuteronomii, videtur. Occurrunt etiam in eodem Deuteronomio paretga quædam ab alienâ manu, quantùm assequimur, Operi adjecta, uti dum crebrò certus quorumdam locorum situs (*d*) *trans Jordanem* designatur; quæ nonnisi Author cis amnem scribens animadvertisset. Quæ etiam de lecto Og referuntur, qui nempè etiam Scriptoris ætate adhuc in Ramathâ monstrabatur; de urbibus *Jair* (*e*), quod illis nomen diù post Moysem inditum est, omnia sanè hæc recentiori manu obstetricem agente in Textum irrepserunt. Sed hæc planè additamenta rara sunt, & levioris momenti, ab iis, qui Opus Mosaicum recensuerunt, apposita, non eo consilio, ut incautis Lectoribus singula tanquam ab ipso Moyse scripta obtruderentur. Ita e. g. ad calcem Deuteronomii historia obitûs Moysi recitatur, quam sanè ipsum Moysem per se non adornasse satis constat (*f*). Porrò si quis dolo aliquo malo Opus illud sub Moysis nomine obtrudere voluisset; illene consilio suo incautus adeò providisset, ut ea, quæ post Moysem contigerunt, operi inferens, fraudem suam proderet? Qui tantum valuisset ingenio, ut Pentateuchum procuderet, ille sanè errori tam crasso impar fuisset. Quid, quòd integræ fidei vir, præter Moysem nemo, hæc atque ita scribere nunquam in animum induxisset? Quare suos exhiber genuini Operis characteres Pentateuchus, cùm nec impostorem aliquem, nec virum integræ fidei alium a Moyse ferat authorem. Fraus magis in aperto est, quàm ut Impostorem arguat: in viro autem integræ fidei fraudem suspicari non decet. Solus igitur Moyses, Divino Spiritu afflatus, certus hujus Operis scriptor habendus est.

a *Gen.* XII, 6.

b *Exod.* XI, 8.

c *Num.* XXI, 14.

d *Deut.* I, & III, 8. & XI, 30.

e *Num.* XXXII, 14. *Deut.* III, 14.

f *Josephus Antiq. l.* IV. *c.* 8. & *Philo de vit. Mos. lib.* III *autumarunt, ipsum per se Moysem obitûs sui historiam prophetico spiritu dictasse; sed solis fermè ea sententia stetit.*

Eo planè tempore natus est in Ægypto Moyses, cùm in universam Regionem collatis a Patriarchâ Josepho beneficiis e Regum Ægypti memoriâ deletis, Israëlitas in immensum penè auctos, metu ne quid novi molirentur, arctissimæ servitutis, atque durissimæ tyrannidis jugo ipsi Reges oppresserant. Lato enim edicto, Obstetrices omnes Israëlitarum mares mox a partu exceptos perimere jussæ sunt. Ut igitur Moyses a communi cæterorum infantium fato eximeretur, sedulâ parentum cautione aliquandiu celatus est; deinde vimineâ in cistâ conditus, & Nili fluento expositus, curæ Providentiæ relictus est. Ibi Filia Regis Ægypti casu puerum nacta, enutriendum sibi, atque omnibus Ægyptiorum literis instruendum curavit. Successu temporis, intimo Dei instinctu deductus Moyses, fratribus suis ab Ægyptiis oppressis suppetias ferre conatus est: sed ejus beneficiis pessimè a populo rependis, coactus in Arabiam secedere, ibi cum filiâ Sacerdotis & Principis Madian conjugio copulatur. Per visum autem a Deo in monte Sina monitus, ad populum suum ab Ægyptiacâ servitute ultra 80 annorum liberandum proficiscitur.

In Ægyptum igitur Divinâ pollens virtute se conferens, prodigiorum vi populorum suorum animis in se inclinatis, simul Pharaonis pervicacem animum fregit. Quare factum est, ut ab Ægypto Judæos educere, atque itineri obsistentes maris undas prodigio diffindens, in adversam ripam pedestres deducere potuerit. Tum in desertum Sinai succedens, exceptas ibi a Deo Leges, deinde literis mandatas, ad nos usque transmisit. Quòd autem a Terræ Promissionis aditu populus excluderetur, ejusque filii nonnisi post 40 annos ab egressu ex Ægypto eò introducerentur, populi ejusdem obmurmurantis crimen in causâ fuit. Toto eo quadraginta annorum spatio Moyses ab immorigero pervicacique populo multum & querelarum, & oblocutionum, & injuriarum sustinuit; quas ipse vicissim & invictâ patientiâ, atque mirâ injuriis condonandis facilitate rependit. Vixit omnis hypocrisis & ambitionis expers: obiit nullis dignitatis insignibus familiæ relictis.

Summo vir erat ingenio, qui proinde rudi populo facilè pro suo arbitrio omnia imponere (præter ea, quæ ipsi præsentes aspexerant) potuisset; in iis maximè, quæ cum ipso tantùm, remotis arbitris, Deus communicabat. Ne tamen nisi vera doceret, fecit infiræ probitatis atque genuini candoris virtus, cujus in omnibus gestis suis minimè fucata documenta monstravit. Si humani aliquid passus est, silentio planè rem non obvolvit; quod etiam in referendis Fratris sui atque Sororis erroribus observat. Prodigia supra captum hominum simplici stylo, ac veluti tranquillo vultu describit, ut hominis habitum non planè imponentis, neque grandia, decipiendis incautis, jactitantis exhibeat. Ipse de se, tanquam de alieno, in suâ narratione locutus videtur: vel si aliquándo se prodat, ideam tamen exhibet hominis, veluti latescere volentis, atque de se tanquam de alieno loquentis; bonis scilicet, & malis æquè productis, absque eo quòd eas captet rationes, quas superbiæ, & hypocrisis amor suggerit, ut, si quos habeat defectus, legentium obtutibus abscondat. Nihil turbidum, æquivocum nihil ejus oratio præsefert; procul ambages omnes, atque de industriâ appositæ parergæ narrationi digressiones, quibus subdoli Scriptores aliquando Lectores suos longè a veritate abducunt, quò faciliùs falsa insinuare, atque mendacium, facilè alioqui in simplici & apertâ narratione prodendum, incautis supponere valeant. Porrò Moyses rectâ ad scopum contendit, ut si quid esset in ejus narratione falsum, atque repugnans, statim sentiretur.

Ultro quidem fatemur, in ejus narratione plura extra suum locum & temporum seriem vagari; sed hæc potissimùm sunt genuini Operis atque Scriptoris certum indicium; quippe qui omnium oculis explorata ac comperta narrans, non eam sedulitatem rebus dirigendis affert, quam Author vel non synchronus, vel aliud quàm veritatem præ oculis habens.

Pentateuchi Author eo tempore Operi suo adlaborabat, quo Dei nominis cognitio, præter Judæos, cæteros ferme latebat; reliquæ enim per Orbem gentes, glomerantibus ignorantiæ eorum, quæ ad Deum & veram Religionem pertinent, tenebris obvolvebantur. Ipsi etiam Judæi, quibus Moyses scribebat, homines erant rudes & indociles, prono in idololatriam ingenio ruentes. Accedebat diuturna in regione corruptissimâ, & idololatriæ deditâ consuetudo; animi tenor, durissimis quibusque toleratis, fractus; ac tandem longâ sub servitute educati, serviles prorsus spiritus induerant. Durissimo quin etiam jugo oppressi, avitam ferè religionem ex animo & mente excusserant, ut in dominantem superstitionem tandem, neque eorum genio neque moribus prorsus abhorrentem, descenderint. Hæc omnia præ oculis habere oportet, ut Moysis consilium in scribendo intelligatur; oportuit enim ut ad captum rudioris

populi,

Digitized by Google

populi, ejusque præjudicia sese accommodaret; quidquid educationi illius deerat, suppleret; revocaret in memoriam tum factas Patribus suis promissiones, cùm avitam pristinamque ingenuitatem; ac tandem aggerem se tuenti in vitia populo opponeret. Hæc plane præ oculis habere Moyses debebat, dum Pentateuchum scriberet; huc totum Opus collimat. In Genesi spiritum & cor populi ad Legem, mox tradendam, præparat; Legis enim veluti præfationem in eo libro instituit. Porrò ea creationis historia narratur, quæ omnem penitus opinionem abolet æternitatis Mundi; atque Ægyptios, & Phœnices, cultum astris, elementis, atque vilioribus etiam exhibentes, ludibrio exponit. Patriarcharum res gestæ describuntur, selectæ familiæ Abrahami, veluti peculiaris & acceptæ Deo portionis historia deducitur. Totus est autem Scriptor sapientissimus, ut ideam ingerat unici Dei, Cœli Terræque Creatoris, ejusque amplitudinis, potentiæ, & justitiæ, quò Judæorum animos excipiendæ Legi cultum Divinum præscribenti compararet. Nec modica illi cura genealogiis deducendis, ac maximè Sethi ante diluvium, & Sem post diluvium; hunc enim patrem Judæi habuerant; hunc Salvator, Judæorum expectationem expleturus, generis authorem fuerat habiturus. Post relatam hominum dispersionem, occasione turris Babelicæ, in unam familiam Phaleg, & Heber historiam cogit; versoque ad Abrahamum patrem Hebræorum stylo, magnificas promissiones ipsi factas a Deo, de futuro Liberatore mittendo, prosequitur; in quem sanè Liberatorem suum Judæorum vota omnia, Legisque latæ, ac tandem Religionis a Deo per Moysem ferendæ consilium, tanquam in unicum scopum & complementum collimabant. Quo sanè nihil erat confirmandis, atque in spem erigendis animis, dirigendisque moribus aptius; nihilque potentiùs in fide Dei, & in obsequio Legis populum indocilem continuisset.

Potissima Legislatoris cura in eo versatur, ut occasionem innovandarum, vel constituendarum Legum aperiat, uti Legis, Sabbati, & Circumcisionis. Originem morum, qui apud Israëlitas obtinent, sedulò indicat, uti abstinendi a nervo femoris in cibum adhibendo (g). Promissiones a Deo factas Abrahamo inculcat; quibus scilicet se familiam ipsius provecturum, & in Chanaanitidis possessionem immissurum fidem suam obligavit. Sacrificiorum atque cæremoniarum occasiones, historias ritusque omnes prosequitur; sicut vicissim Patrum eorum in Chaldæa idololatriam silentio præterit. Vetera Oracula longâ a Patribus traditione servata, singula totidem planè verbis refert; uti ex historiâ oraculorum Jacobi ad obitum decumbentis intelligimus. Quò verò se omnibus exploratissima retulisse demonstret, ad vetera sæpe monumenta, vetera proverbia & cantica provocat.

g Gen. xxxii, 32.

Hic veterum inter se Gentium simultates, a suâ deductæ origine, describuntur; hic legenda Noemi in Chanaam maledictio, quæ potior fuit ratio terram Israëlitis tradendi. Moabitarum, Ammonitarum & Philistæorum, populi Dei nunquam non hostium, crepundia; jura primoris natu Jacobo asserta; cui ante & post ortum promissiones factæ, excluso Esau, narrantur.

Omnia hæc Eusebius, de Libris Moysis agens [h], latè confirmat. Admirabilis, ait, Theologus atque Legislator Judæorum religiosam populo sancire politiam, planéque sanctam volens, non vulgari atque consuetâ Præfatione utendum sibi esse censuit; sed pro excelsâ, quam sibi præscripserat, omnibus numeris absolutæ Legis condendæ ideâ, quam in suum succum converteret doctrinam, ex ipsis veteris Theologiæ fontibus derivavit. Quare veluti Præfatione mox tradendæ Legis in Genesi præstitutâ, ab Authore & Creatore rerum omnium visibilium & invisibilium Opus illud suum auspicatur. Hunc autem veluti Legislatorem & Moderatorem, hunc Arbitrum Regemque universi vivis coloribus pingens, potentiâ & suavitate temperatâ sapientiâ, veluti amplissimæ Urbi, Mundo jura dare, atque Universum, qua latis, qua in alto pectore insculptis Legibus, regere describit.

h Præp. l. 7. c. 9. Vide etiam capp. 7. & 8.

Hebræorum Theologia in ipso sui vestibulo (i) potentissimam virtutem, vel Authorem rerum omnium exhibet; exhibet, inquam, non subtilibus atque artificiosis argumentis, sed dogmaticâ planè ratione, atque authoritate deductam. Divinitùs enim afflatus Legislator, Deum esse Cœli terræque verbo tantùm prolato, atque unico voluntatis potentissimæ nutu conditorem pronunciat. Nec tamen illud tale tantumque Numen, id unquam committere Moyses animadvertit, ut Creaturas deserat, veluti amantissimum Patrem, qui obitu suo orbatos filios, superstite tamen providentiâ curat; ut ille quidem non Creatoris tantùm & Artificis, sed deductoris etiam, moderatoris, Principis & Regis Universi rationem & munus gerat. Hæc non in Moyse tantùm spectes, virum nempè Coryphæum & primum Theologiæ Hebraicæ authorem; sed & in cæteris post ipsum omnibus, eodem Spiritûs S. œstro afflatis, quin & in exi-

i Idem ibid. c. 11.

miis ante illum viris, veluti Abraham, Melchiſedech & Patriarchis, quos grandia de Deo ejuſque Providentiâ ſenſiſſe ex lectione Geneſeos intelligimus.

Porrò ſi quis paulò diligentiùs conſideret, nihil ad Moyſis conſilium contuliſſe magis animadvertet, quàm ut ſub oculis populi, cui ipſe jura dare Legeſque conſtituerat, grandia illa Patriarcharum geſta exhiberet. Quid enim conducibilius ad providentiam Creatoris adſtruendam, quam Abrahami, Jacobi, & Joſephi geſta? Quid potentiam Dei commendat magis, quàm creationis hiſtoria? Dei ultio juſtiſſima in Diluvio, & everſione Sodomæ exeritur. Grandia verò grandioribus phraſibus exprimens, vividam rerum ideam excitat. Deus modò prolatis verbis colloquia miſcens, modò rebus agendis intentus, ad flagella modò, nunc ad præmia manum extendens, vigili ſemper oculo puniendæ injuſtitiæ, atque præmio donandæ æquitati excubans exhibetur. Juſtitiam Legis Judaicæ, Veterum ante eandem Legem exemplis demonſtrat; quippe qui maxima Legis præcepta ante togatam Legem coluerant. Religionis vetuſtatem ita commendat, ut ſtultam ſimul novitatem cæterarum tacitus ſuggillet. Hoc planè conſilium æque per totum Opus regnans, atque felici planè calamo expreſſum, ipſiſſimum fuiſſe Moyſis ſub S. Spiritûs ductu, & diſciplinâ conſilium ac ſcopum, nullus dubito.

Moyſem cum cæteris Poëtis, & Legislatoribus Gentilium conferens Origenes,
k L. 1. cont. Celſ. pag. 15. ipſum præ Lino, Muſæo, Orpheo, Pherecide, ac cæteris effert [k]. Quid enim, ait, ſcripta virorum, quorum adeò ſapientiam demiramini, ad Moyſis ſcripta comparata, hiſtoriæ ad hiſtorias, narrationes ad narrationes? Quantum illorum documenta præſcriptis ab illo dirigendis moribus, regulis & præceptis concedunt? quantò iſtæ præ illis animo ad bonam frugem revocando aptiores? Porrò Scriptores illi, populi inſtitutione ferè neglectâ, omnem vertunt curam, ut Sapientibus proſint; quippè qui ſub figurarum & allegoriarum involucris ſingularem abdiderint, his tantùm viris perviam, Philoſophiam.

Verùm Judaicus Legislator, diſertiſſimi Oratoris more, orationem ſuam ita in quinque Pentateuchi Libris attemperat, ut doctis æquè ac indoctis rerum, quæ dicuntur, idem pro ſingulorum indole ingerat; eumque in præceptis tradendis modum ſervavit, ut neque plura ſanciret, quàm rudioris populi imbecillitas ferret, ne ſcilicet tranſgreſſionem ignorantiâ cauſarentur; atque ea præſcriberet, quæ doctorum virorum meditationes, in abditis figurarum ſenſibus ſcrutandis, detinerent. Jure ergo de illo uſurparetur, quod de Catone a T. Livio dictum: *Cujus gloriæ neque profuit quiſquam laudando, nec vituperando quiſquam nocuit, cùm utriuſque ſummis præditi fecerint ingeniis*. Fruſtra in illum oblatrarunt Porphyrius, Appio, Julianus, quorum calumniæ viro in majus celebrando valuerunt; ſi enim laudandum illum ſuſcepiſſent, reponi meritò laudantibus potuiſſet: Ut quid vos laudatis hominem, quem nemo reprehendit unquam?

Leges, uti jam innuimus, Moſaicorum operum majorem partem occupant; reliqua ad eundem ſcopum referuntur. Primus omnium Decalogus occurrit, juris divini & naturalis ſumma: præcepta judicialia & cæremonialia ſuccedunt, quæ ſcilicet imbecillioris populi indoli ſerviant. Cùm enim regulis illis idem ſemper conſtanſque tenor manere non deberet, ſed pro rerum viciſſitudine immutari atque variari: quinimò cùm & ſuum tandem locum veritati, quam tantùm adumbrabant, eſſent facturæ; ideò plura Deus deteriora Iſraëlitis indulſit, quæ tamen ipſe abrogari penitùs maluiſſet, utì Polygamiam & Divortium in Lege tolerata. Plurimarum cæremoniarum & rituum, ultrò nullâque peculiari ratione præſcripta obſervantia videtur, nec alius fortaſſe Dei præcipientis ſcopus conſtituendus eſt, quàm Judæorum pervicacia, atque removendi illos ab idololatriâ, & conſuetudine Gentium conſilium. Pravos etiam ritus, contrariâ invectâ conſuetudine, iis præſcriptis cæremoniis correxit; vel ſi non contrariis invectis, ſaltem prioribus nonnihil immutatis, eoſdem illos ad Dei cultum tranſtulit, ut ex pravis in religioſas cæremonias deducerentur. Ita enim imbecillioris populi, atque ſanctioris diſciplinæ incapacis ratio habenda fuit. Dura ſiquidem cervix arduo horum præceptorum jugo edomari debuit, quò & elatiores illorum ſpiritus reprimerentur, atque imbecillitatem ſuam experti, Liberatoris neceſſitatem ſentirent.

Omnes fermè a Deo in veteri Lege factæ Judæis promiſſiones, intra bonorum temporalium limites continentur; ſicut & pœnæ tantùm temporariæ atque ſenſibiles in tranſgreſſores indictæ. Præcepta nonniſi ferè in politiâ civili, vel externo Religionis cultu dirigendo verſantur; præcepto interim amoris Dei ſemel tantùm in totâ
l Deut. vi, 5. Lege expreſſo [l]. Myſterium SS. Trinitatis apertis verbis diſertè nunquam, deductis

tamen

tamen, ex sententiis ibidem expressis, consequentiis quandoque infertur: nullus prespicuus de pœnarum & præmiorum æternitate, sicut & de animarum immortalitate textus. Deus plerumque ore ad severitatem, minas, ultionem, atque ad zelum & authoritatem suam exerendam composito exhibetur. Intimas cordis dispositiones nullas Moyses exigit, in exteriotibus tantùm corporis habitudinibus se continens; quòd scilicet eâ essent cordis mentisque habitudine Judæi, ut nihil perfectius vel sapere ipsi, vel affectare valuissent. Voluit nimirum Deus, ut Moyses primas tantùm summorum futuræ Religionis præceptorum lineas, atque operis a Jesu Christo dein perficiendi crepundia duceret. Hinc nihil ab illo nisi imperfectum & intra figurarum limites, nihil quod demum a Christo Jesu non perfectionem & complementum acciperet. Potissimum Legislatoris studium in eo versatur, ut de futuro Liberatoris adventu, quò sanè Patriarcharum & populi vota collimabant, oracula etiam atque etiam ingerat. Quare stato tantùm tempore perseveraturæ Leges a Moyse sancitæ sunt, a Messia demum, unà cum cordium mentiumque sensibus, reformandæ.

Provido verò Divinæ Sapientiæ consilio ita Leges illæ temperatæ sunt, ut rudiorum imbecilliorumque viribus congruerent. Qui verò intelligentiæ acumine præstabant, illi literæ ductu ad penitiorem doctrinam scrutandam pervadebant. Ex quo enim Deum talem se exhibuisse hominibus legerent, ut Deus proderetur, illud etiam facilè poterant intelligere, reipsâ sibi alium finem præstitui, quàm qui in Libro Legis rudibus ingeniis constitueretur. Deum insuper omni corporis admixtione liberum, justum, bonum, æternum, non solo externo, & sensibili cultu, sed & interno, mente & spiritu impenso, delectari facilè intellexissent. Tandem post tot amplissimas promissiones, a Deo Patriarchis exhibitas, quarum, dum illi viverent, fide nunquam se liberasset, quis, rogo, alterius vitæ & felicitatis certam sibi spem non spopondisset?

Totus Pentateuchus unius ejusdemque Authotis opus, unum eundemque finem spectat; quin & perpetuâ serie universa olim Biblia continuari Judæi testantur. Quæ modò obtinet in v libros divisio, [m] ad arbitrium inventa est; cùm totus æquè liber Genesis usque ad cap. xii Exodi continuari potuisset. Tituli Græci singulis libris præfixi sunt. Genesis sonat Generatio, historia nempè genealogiæ & rerum a Patriarchis gestarum; Exodus redditur Egressus, ex Ægypto nempè; Leviticus Leges Sacrificiorum respicit; quæ scilicet Sacrificia a filiis Levi offerri debuerant; Numerorum liber ex censu familiarum, undè Opus instituitur, nomen obtinuit: Deuteronomium Græcâ voce secundam legem significat; quippè quòd omnes fermè Leges in eodem Libro repetantur. Apud Hebræos tamen singulis illis nomen inscribitur ex voce, quæ in capite Operis occurrit; ita cùm prima vox Genesis in Hebræo legatur, *Beresith*, ex illâ nomen Operi impositum; eâdemque methodo Exodus *Veelle Schemot* vocitatur. Uno tamen eodemque contextu quinque illos Libros a Moyse scriptos credimus, ut proinde librorum & capitum divisio recentiori manu invecta videatur.

Opus illud omnes, quotquot ad nos pervenerint, Græcos libros vetustate superat. Quin & fictæ illæ earum Gentium historiæ ex sacrorum Librorum fonte plerumque deducuntur. Optima etiam quæque e libris Moysis suffuratos veteres Philosophos & Legislatores, vulgò SS. Patres arguerunt. *Quis Poetarum* (n), *quis Sophistarum, qui non de Prophetarum* (nempè Authorum sacrorum) *fonte potaverit? Indè igitur Philosophi sitim ingenii sui rigaverunt.*

Non Judæorum tantùm, sed & Christianorum Religio originem suam ex Mosaicis Legibus refert. Dei Filius ideò venisse se in Mundum profitetur, non ut latas illas abrogaret, sed ut impleret perficeretque: quod quidem egregiè ille præstitit, abusibus, qui tractu temporis irrepserant, sublatis, congruis explicationibus adjectis, detortis & a consilio Divini Legislatoris alienis interpretationibus abolitis, ac tandem pedestri & carnali cultu Judæorum, in sublimem & spiritualem reformato, omnibus ad certa & inconcussa Legis naturalis dogmata, & ad amorem Dei & proximorum redactis.

Samaritanis Palæstinam aliasque regiones incolentibus, suus est, non secus ac Judæis cæteris, Hebraicè scriptus Pentateuchus, characteribus ille veteribus Phœniciis exaratus, iis scilicet, quibus olim Moysem ipsum usum fuisse tradunt [o]. Porrò ea literarum ratio apud Hebræos ante captivitatem Babylonicam unicè obtinebat. Demum ad propria restituti, sivè pristinis Phœniciis, qui in nummis sub Simone Macchabæo cusis leguntur, sivè novis Chaldæis, modò etiam apud Hebræos familiaribus, indiscriminatim utebantur. Interdùm etiam, cùm Græcorum lingua in Syriâ usurpari cœpta est, Græcas literas Judæi non respuerunt; ut ex nummis Antigoni, characteribus Hebraicis, vel Phœniciis & Græcis insculptis, intelligimus. Sub Herode Magno cusæ monetæ solos Græcos characteres præseferunt.

Textus

m *Pseudo Philo in lib. de Mundo hanc divisionem ab ipso Operis Authore Moyse repetit; sed dicti sui nullam affert rationem. Jesus Christus & Apostoli totum illud Opus nunquam, nisi sub uno Moysis vel Legis Mosaicæ nomine, laudant; quod etiam apud Judæos nostræ ætatis obtinet. Non inviti credimus, Esdræ authori hanc divisionem in quinque libros tribuendam; quod maximè probat additamentum, præfationis loco, Deuteronomio præpositum. Septuaginta hanc divisionem jam antea inductam servarunt.*

n *Tertul. cont. Gent. c. 47.*

o *Hieron. Præfat. in libb. Regum. Samaritani Pentateuchum Mosis totidẽ literis scriptitant, figuris tãtùm & apicibus discrepantes. Certum est, Esdram Scribam & Legis Doctorem, post captam Jerosolymam, & instaurationem Templi sub Zorobabel, alias literas reperisse, quibus nunc utimur; cùm ad illud usque tempus iidem Samaritanorum & Hebræorũ characteres fuerint.* Vide nostram Dissertationem in illud argumentum, an Esdras veterum characterum formam immutarit?

p *Corruptum a Dositheo Textum Samaritanum putat Usserius; incorruptiorem Hebraico defendit P. Morinus.*

Textus Samaritanus latuit usquè ad Origenem, & S. Hieronymum, a quibus interdum laudatur. Nostrâ tandem ætate exemplaria quædam ex Oriente deducta sunt, unde Pentateuchi Samaritani editionem P. Morinus anno 1631 curavir. Utriusque Textûs Hebraici & Samaritani collatio in eam opinionem quosdam induxit [p], nimirum Samaritanum alteri præferendum. Alii corruptum credunt a Dositheo, apud Origenem noto. [q] Loca omnia, in quibus Samaritanum Hebraico saniorem vel corruptiorem judicat, exactissimè notavit Joan. Clericus in Pentateuch. indice 2. Ita saniorem arbitratur *Gen.* II, 4. VII, 2. XIX, 19. XX, 2. XXIII, 39. XXXIV, 14. IL, 10. 11. L, 26. *Exod.* I, 2. IV, 2.

q *Orig. cont. Cels. l. 2. in Matth. tract. 27. in Joan. 14.*

Analogiam servat magis *Gen.* XXXI, 39. XXXV., 26. XXXVII, 17. XLI, 34. 43. XLVII, 3. *Deuter.* XXXII, 5.

Glossis & additionibus infercitur *Gen.* XXIX, 15. XXX, 36. XLI., 16. *Exod.* VII, 18. VIII, 23. IX, 5. XXI, 20. XXII, 5. XXIII, 19. XXXII, 9. *Levit.* I, 10. XVII, 4. *Deuter.* V, 21.

Criticâ quâdam manu correctus videtur *Gen.* II, 2. IV, 10. IX, 5. X, 19. XI, 21. XVIII, 3. XIX, 12. XX, 16. XXIV, 38. 55. XXXV, 7. XXXVI, 6. XLI, 50. *Exod.* I, 5. XIII, 6. XV, 3. *Num.* XXII, 32.

Plenior est Hebraico *Gen.* IV, 8. XI, 31. XIX, 9. XXVII, 34. XXXIX, 4. XLIII, 25. *Exod.* XII, 40. XL, 17. *Num.* IV, 14. *Deuter.* XX, 16.

Mendosus est *Gen.* XX, 16. XXV, 14.

Cum Septuaginta cohæret *Gen.* IV, 8. XIX, 12. XX, 16. XXIII, 2. XXIV, 55, 62. XXVI, 18. XXIX, 27. XXXV, 29. XXXIX, 8. XLI, 16, 43. XLIII, 26. XLIX, 26. *Exod.* VIII, 3. & alibi sæpiùs.

Recedit interdum a Septuaginta, quod adversùs Usserium valet; quippe qui correctum a Dositheo ad Textum Septuaginta autumavit. *Genes.* I, 7. V, 29. VIII, 3. 7. XLIX, 22. Num. XXII, 4.

Liber Genesis historiam complectitur a Mundi creati exordio usque ad obitum Josephi Patriarchæ, annorum scilicet 2369, juxta Hebræum textum & Vulgatam. Scriptus creditur a Moyse in desertis Arabiæ, cùm, post murmur populi in Cadesbarne, 40 annis in eâ solitudine errare cogerentur. In eo verò nomen *Jehovah* exprimit, quod a Deo in visione ad montem Sinai didicerat; animalium etiam purorum ab impuris discrimen, Noëmi historiam describens, innuit; ex quo satis intelligimus, post rogatas eas Leges de animalium discrimine, sicut & scriptas Leges ceteras, ac post castrametationem ad Sinai, operi scribendo manum admovisse. Cùm autem (r) fontem Judicii commemoret; quod sanè nomen primò post seditionem populi ibidem ad aquas contradictionis inditum loco videtur [s], nonnisi postremo itineris per desertum biennio eam provinciam suscepisse (nisi fortè hæc alienâ manu in textum irrepserint) deducitur.

r *Gen.* XIV. 7.

s *Vide Num.* XX, 8. *&c.*

Primorum capitum Geneseos literalis interpretatio ardua est adeò, in iis potissimùm, quæ ad Protoparentum peccatum, sicut & ad sententiam in illos & in anguem dictam spectant, ut eorum lectio nonnisi post annum ætatis 25, vel 30 Judæis permittatur.

Ut autem vera fateamur, acceptâ a Patribus orali traditione Moyses ea omnia, quæ de creatione Mundi, diluvio, & Patriarcharum ætate narravit, didicisse potuerat. Noë etenim, qui filios & nepotes Adami superstites viderat, ad ortum circiter Abrahami vitam produxit; & Abraham vicissim cum Sem filio Noë, suâ ætate nondum vitâ functo, consuetudinem facilè habuit. Ab Abraham verò usque ad Moysem soli tantùm tres viri intercesserunt, Isaac, Jacob, & Levi; quare servatas in familiis Judaicis earum rerum traditiones, & memorias facilè Moyses collegerat. Neque enim, nisi ex scriptis familiarum commentariis, Genealogias, rerum gestarum tempus, historiarum eventus omnes, certumque annorum vitæ Patriarcharum tempus adeò exactè rescisse potuerat.

Liber Justorum, in Josue (t), & in 2. Reg. I, 18 laudatus, ipsissima videtur historia Veterum Patriarcharum. In 1. Paral. VII, 20 &c. prælium legimus, cùm Judæi in Ægypto essent, commissum, de quo ne verbum quidem in libris Moysis; quin & in nominibus, & Genealogiis in pluribus Scripturæ locis varietas, non aliunde fortasse, quàm ex Scriptorum & Exemplarium varietate, & multiplicitate originem duxit. Fatemur quidem rariorem fuisse ante Moysem scribendi usum; nec desunt Gentes quamplurimæ, a quibus scribendi ars diutiùs exulavit; sunt etiam qui Homerum ipsum nihil scriptis mandasse contendant. Sed quænam est in historiâ illorum populorum obscuritas, & tenebræ? Quot fabellas pro historiis ejus ætatis, nullâ scriptorum

t *Josue* X, 13.

ptorum

ptorum monumentorum memoriâ notis, Græcia non obtrusit? Quot in religione & in Genealogiis indigna? Nihil tale apud Hebræos; singulis enim suus decor, unus & perpetuus narrationis solidæ & exactæ tenor; quæ sanè omnia scriptis rerum gestarum Commentariis, a Moyse consultis, accepto referenda sunt.

Sed quorsum hæc ad eam authoritatem Pentateucho asserendam, quam nos Operi tribuimus, nisi etiam Divino Spiritu afflatum Sacrum Scriptorem dixerimus? Divino, inquam, Spiritu, qui abdita quæque scribenti pandebat, obscura alioqui & incerta; certis verò assertisque, aliorum relatione vel traditione cognitis, Divinam, atque infallibilem authoritatem afferebat. Hinc Isaias. XLIV, 7. 8. &c. Dei Israëlis supra cæteros aliarum gentium authoritatem, & majestatem exaggerans, populo suo ea pandisse ex veteribus historiis narrat, quæ frustra alii ab Idolis suis requisivissent. *Quis similis mei?* [ait Dominus] *ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura, & quæ futura sunt, annuncient eis... Ex tunc audire te feci, & annunciavi: Vos estis testes mei: nunquid est Deus absque me, & formator quem ego non noverim?* Eadem apud Origenem legas [u]. *Unde enim poterat Moyses, vel quæ ab origine Mundi gesta sunt, vel quæ in fine ejus gerenda erant, narrare, nisi per inspirationem Spiritûs Dei?*

u *Homil. 16. in Num.*

DISSERTATIO
DE LINGUA PRIMITIVA,
Et linguarum ad turrim Babelicam confusione.

IN varias diffitasque linguas discretos mortales homines prophani Scriptores animadvertentes, veram ejus rei originem scrutaturi, varia excogitarunt systemata. Autumarunt nonnulli, sub ipsum mundi exordium, aureum Regnum tenente Saturno, non omnes homines tantùm, sed & bruta etiam, pisces, aves uno eodemque sermone tanquam vetnaculo usos (*a*). Additur in Fabulis, felicitatem suam minimè intelligentes homines, missâ ad Saturnum legatione, immunem a letho vitam postulasse, minùs æquum reputantes, privilegium illud, quod ultrò serpenti collatum fuerat, ut scilicet singulis annis ætatem suam, vetera spolia exuens, innovaret, hominibus invideri. Minùs æquis auribus rem accipiens Saturnus, non postulata tantùm negavit, sed pœnam inflixit, eâ idiomatis communione privatos illos volens: quod in hominum linguâ diffidium mutuò se invicem separare illos coëgit.

Qui fortuito casu, sive humenti terrâ Solis calore fotâ productum hominem putarunt, in eâ fuerant persuasione [*b*], terram ubique, qua latè patet terrarum orbis, homines eructasse, nullâ usos certâ linguarum vel signorum methodo, ut latentes cogitationes suas aliis significarent; quæ tamen omnia temporis successu invenerint homines, ne mutuâ inter se consuetudine privarentur, varia inducentes vel idiomata vel signa, prout casus, ingenium, usus in singulis tulit (*c*).

Cùm prorepserunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus; glandem atque cubilia propter
Unguibus & pugnis.... pugnabant...
Donec verba, quibus voces sensusque notarent,
Nominaque invenêre........

Ab ipso rerum exordio certa indita rebus ipsis nomina putare, stultitiæ damnat Lucretius [*d*].

.... Putare aliquem tum nomina distribuisse
Rebus, & inde homines didicisse vocabula prima,
Desipere est......

Addit idem Lucretius:

At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere, & utilitas expressit nomina rerum.

Varia

a *Plato in Politic. Philo de confus. Linguar. p.* 320. Ε'τερον δὲ ὑγιὲς τῶν περὶ τῆς τῶν ζώων συμφωνίας πρὸς μῦθον πλαστῶν ἀναγράφεται. Λέγεται γὰρ ὡς ἄρα πάνθ' ὅσα ζῶα χερσαῖα καὶ ἔνυδρα καὶ πτηνὰ τὸ παλαιὸν ὁμόφωνα ἦν.

b *Diodor. Sicul. l. 1. p. 5. seu 80.* Τῆς φωνῆς δὲ ἀσήμου καὶ συγκεχυμένης οὔσης, ἐκ τοῦ κατ' ὀλίγον διαρθροῦν τὰς λέξεις, καὶ πρὸς ἀλλήλους τιθέντας σύμβολα περὶ ἑκάστου τῶν ὑποκειμένων γνώριμον σφίσιν αὐτοῖς ποιῆσαι τὴν περὶ πάντων ἑρμηνείαν. Τοιούτων δὲ συστημάτων γινομένων καθ' ἅπασαν τὴν οἰκουμένην, οὐχ ὁμόφωνον πάντας ἔχειν τὴν διάλεκτον, ἑκάστων ὡς ἔτυχε συνταξάντων τὰς λέξεις.

(c) *Horat. Satir. l. 1. sat. 3. v. 99. 100.*

(d) *Lucret. l. 5. v. 1040. Vide & Vitruv. l. 2. de Architecturâ c. 1. Primos homines sine sermonis articulati usu, diu in cavernis terræ ferarum instar habitasse, ac crebris nutibus, spiritu vocali, & voce rudi animi sensus designasse, ac sic demum ex eâdem voce, de eâdem re sæpius repetitâ, vocem articulatam, vocabula significativa, ac sermonum usum ortum esse.*

Digitized by Google

Varia hæc systemata expressit ignorantia, qua de verâ hominis origine tenebantur Pagani; neque enim sive homines ex uno quodam prodiisse (e), sive primum illum hominum parentem, qua erat a Deo prædıtus sapientiâ, singulis animantibus peculiaria nomina assignasse (f) norant. Qua primus ille hominum parens utebatur, lingua ad filios transmissa, pura putaque sine alterius admixtione ad diluvium usque servata est; vel saltem veluti acceptum a primo homine depositum sanctè custodivit Justorum genus Seth, Enos, Enoc, Lamec, Noë. Cùm autem Noë, velut alter Adamus, novos incolas Mundo daret, eandem pariter, quam prior ille Adam, linguam in filios transfudit, & longè latèque cum illis propagavit. Factum inde, ut post sæculum circiter a diluvio, (g) cùm, auctos plus nimio homines unus idemque locus non ferret, posceretque divisionem, sermo unus esset omnibus (h): *Erat terra labii unius & sermonum eorumdem*.

Fatemur quidem, postremum hoc Scripturæ testimonium, *Erat terra labii unius & sermonum eorumdem*, variè apud varios exponi: sunt enim qui de consiliorum inter homines assensu exponant (i), ut communibus suffragiis decretam turris novæque item Urbis ædificationem seorsum omnes probarent. Hanc ipsam interpretationem sequutus videtur Philo, quamquam ad allegoriam omnia detorquet (k). Hæc sanè phrasis, *labii unius*, cui altera respondet, *sermonum eorumdem*, summum plurimorum consensum exprimit aliquando, ut in illo Josue (l) *Congregati sunt* (Reges Chananææ) *pariter uno animo, eâdemque sententiâ*. Hebræus: *Eodem ore*; Septuaginta: *Simul omnes*.

S. Philastrius Brixiensis Episcopus [m] hæresis notâ inurit sententiam illorum, qui ante Babelicam turrim unum tantùm vernaculum in Mundo sermonem obtinuisse acendèrent. Idem autem fuisse tunc hominibus, quod & Angelis, privilegium censet, ut singuli omnes callerent linguas. Sed cùm, addit, tanti doni largitori Deo minùs æqua, factâ ab illo secessione, rependerent, eoque perduellionis spiritu turrim ædificandam aggrederentur, actutùm Linguarum oblivione multati sunt: *Oblivione immissâ a Domino, vix discere prævalent, non omnes, nec multas, sed vix paucas Linguas*.

Vulgò tamen Patres & Interpretes, qua Judæi, qua Christiani, de unico in Mundo vernaculo sermone dictum illud Mosaicum interpretantur. Nec sanè aliter obvius pronusque sensus insinuat. Lectoris sui animum ad excipiendam linguarum confusionem præparaturus Moyses, illud antea animadvertendum duxit, nimirum uno ad id usque ore omnes locutos; & cùm his verbis æquivocum aliquid subesse intelligeret, mentem suam apertioribus aliis prodens subdit: *Et sermonum eorundem*. Ad sententiam S. Philastrii quod attinet, illi sanè de singularitate suâ præjudicatum est, quippè quæ refragatores habet reliquos omnes Patres, contrariâ planè ratione Textum Mosaicum interpretantes.

Qua verò ratione linguarum ista confusio induceretur, nec satis assequimur, nec satis inter Authores convenit. Prodigio Divino factum aliqui putant, ut maximæ hominum portiones phantasia simul & memoria penitus inversæ, notum antea sermonem in novum alium transmutarent. Hanc rerum inversionem Angelorum ministerio inductam alii tuentur.

Non promptam aliquam subitamque linguarum inversionem agnoscit S. Gregorius Nyssenus [n], sed illud tantummodò Scripturæ verbis insinuari opinatur, homines scilicet tandiu uno sermonis vinculo coaluisse inter se, quandiu uno omnes in loco substiterunt: cùm deinde in varia abeuntes loca inter se dissociarentur, simul & vinculum sermonis abruperunt, suum singuli idioma secuti, ut neque communionem habere sermonum sibi invicem possent. Porrò nihil in eâ sermonum discretione sibi Deus peculiare reservavit; sed omnia naturæ perficienda reliquit, singulis hominibus facultate permissâ, ut quacumque mallent voce, diversâ planè ab eâ, cui illuc usque assueverant, intimos animi conceptus significarent.

D. Clericus [o], qui non linguarum, sed consiliorum concordiam in textu illo Mosaico agnoscit, in divisione pariter & confusione dissidium animorum, non sermonis pariter invehit. Factum inde opinatur, ut factâ inter homines sedium & locorum discretione, & idiomatum quoque discrimen naturâ ipsâ insinuante induceretur. Tandem Simonius (p) linguarum ad turrim Babelicam confusionem non aliâ ratione ad Deum authorem referri posse autumat, quàm quòd ipse Providentiæ suæ consilio disposuerit, ut homines per varia Mundi loca dispergendi vario pariter assuescerent sermoni: quod naturæ legibus apprimè consonum est, ut quisque quomodo maximè voluerit, intimos animi sensus exprimat. Est igitur Deus sermonum discretionis author eâ tantùm ratione, quòd ratione utendi facultatem hominibus indiderit, unde variarum in mundo linguarum discrepantia.

Porrò

e Genes. I, 26. Act. XXVII, 26.

f Genes. II, 19.

g Anno Mundi 1757.

h Genes. XI, 1, 2. ויהי כל הארץ שפה אחת ודברים אחדים Septuag. Καὶ ἦν πᾶσα ἡ γῆ χεῖλος ἕν, καὶ φωνὴ μία.

i Joan. Cleric. in Genes. XI, 1. & Sentimens de quelques Théolog. d'Holl. Lettre 19.

k Philo de confus. Lingu. p. 322. Φαμὲν τοίνυν ἐκ τοῦ τὴν γῆν εἶναι πᾶσαν χεῖλος ἕν, καὶ φωνὴν μίαν, κακῶν ἀμυθήτων καὶ μεγάλων συμφωνίαν δηλοῦσθαι.

l Josue IX, 2. פה אחד Septu. Ἅμα πάντες.

m Philastr. Brix. hæres. 56.

n Greg. Nyssen. orat. 12. contra Eunom. p. 353. 354. Ἕως γὰρ ἦν πᾶσι καθ᾽ αὑτὸν ἡ ζωή, καὶ οὔπω πρὸς πολλὰς ἐθνῶν διαφορὰς ἐμερίσθησαν, μιᾷ συνέζων φωνῇ πάντων ἀνθρώπων τὸ πλήρωμα. Ἐπεὶ δὲ κατὰ θείαν βούλησιν ἔδει πᾶσαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων κατοικηθῆναι τὴν γῆν, τοῖς διασπασθέντες κατὰ τὴν τῆς φωνῆς κοινωνίαν ἄλλος ἀλλαχῆ διεσπάρησαν, καὶ πρὸς ἄλλοις καὶ ἄλλον χαρακτῆρα ῥημάτων καὶ φωνῆς μετηρμόσθησαν.

o Le Cler in Genes. VI, & Lettre 19. Sentimens de quelques Théolog. d'Hollande.

p Hist. Critique V. Testam. l. c. 14. 15. & Réponse aux Théol. d'Hollande, c. 20.

Porrò tria ista systemata, in unum fermè convenientia, ut omnem prodigii a Scripturâ insinuati rationem evertant, rem maximè naturalem & simplicem mysticâ quadam & figuratâ locutione a Moyse descriptam insinuant (q). Ait enim Moyses: *Descendit Dominus, ut videret Civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam, & dixit: Ecce unus est populus, & unum labium omnibus; cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare Civitatem.* Tanto hoc verborum apparatu exponeretur tantummodo, Deum permissâ inter homines dissensione id commisisse, ut discretis inter se locis & sedibus, alii ab aliis segregarentur; quæ locorum separatio sermonum discrimen invexerit.

q Gen. XI, 6. 7. 8.

Semel hac admissâ Scripturarum exponendarum ratione, ut scilicet evitandorum prodigiorum gratiâ in nova abire systemata singuli permittantur, & ea systemata, quæ historicum & literalem sensum, apertissimum licet, corrumpant & evertant; quid erit amplius in Sacris Libris assertum? Prodigia, expressa licet & clara, cum rebus maximè simplicibus & ad naturæ leges confundentur. Ita fiet, ut nimiam in prodigia credulitatem & populorum in eâ te licentiam refrænaturi, quiquid validum est & maximè ad hominum captum in Religione asserendâ tollatur. Est igitur cur literalem sensum obvium pronumque hoc in loco sequamur; neque enim ab eo recedere ulla cogit necessitas, statuendumque cum Patribus & Interpretibus omnibus, unicam distinguendarum linguarum causam in Deum referri, qui ultionis illius genere animadvertendum duxit in primos temerarii illius operis authores aggressoresque.

Pro familiarum numero linguarum pariter discrimen invectum fuisse, una fermè obtinuit apud Veteres sententia (r). Principes autem familiarum, 70 censebantur, ex quibus totidem linguarum genera invecta. Sed unde septuaginta familiarum tantummodò Principes? Ex Deuteronomio XXXII, 8, inquiunt: *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel.* Porrò filii Israel in Ægyptum cum Jacob descendentes, 70 enumerantur [s]: *Omnes animæ domûs Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta.* Alii 70 linguas e pari filiorum Noë censu referunt; Moyse enim authore, Japhet genuit 14 filios, Cham 30, Sem 26, omnes simul 70. Huic hominum numero duos addunt LXX Interpretes, videlicet in genealogiâ Japhet *Elisam*, & in genealogiâ Cham *Cainanum*. Ephorus aliique apud S. Clementem Alexandrinum Strom. l. 1, 75 linguas recensent; 120 S. Pacianus Barcinonensis Epist. contra Novatian.

r *Lactan. Epiphan. Euseb. Clem. Alex. Hieronym. August. Philastr. Arnob. Beda, alii passim Vide Natal. Alex. Histor. V. T. Tom. I.*

s *Gen. XLVI, 27.*

Sed inania omnia; quando enim locum Deuteronomii ad Babelicam dispersionem referendum constaret, quod incertum est maximè; nonne duodecim tantùm familiæ recensendæ essent, quòd totidem haberet Israël filios? Credimus autem, numerum istum familiarum minorem habitum fuisse ab assertoribus hujus sententiæ, quam ut tantum opus in se susciperent; quare prorogandum censuerunt. Æquè autem potuissent pro numero Israëlitarum ex Ægypto egredientium, totidem pariter homines in turris constructionem impendere, nempe ad 600000. Sed plus nimio aucta ædificantium turba videbatur. At quânam conjecturâ deducendum esset, septuaginta tantummodò Principes familiarum, quo tempore imminebat dispersio, in mundo fuisse? *Elisa* & *Cainanus*, quod in Septuaginta tantum legantur, nihil facessunt negocii assertoribus Hebræi & Vulgatæ. Qui verò statuunt, nec Arphaxad, nec Sale, nec Heber conscios fuisse nefarii moliminis, sicut & a pœnâ in perduelles inflictâ immunes, illis certè linguarum numerus minor est quam septuaginta. Jectan filius Heber, & tredecim ejus liberi nondum facile nati erant, cum linguæ dispescerentur; en nova e septuaginta linguis subcisio. Ad hæc, quâ poterant ratione septuaginta linguarum genera apud homines distingui tempore Nemrodi, & Noëmi ætate inclinante? Hodie pariter, cum mundi nullus locus suo careat habitatore, vix totidem recenserentur, nisi una in varias divideretur, & nullâ cogente necessitate non jam idiomata distinguerentur, sed dialecti.

Sed modò ad vernaculum illum & communem hominum sermonem regrediendum. Narrat Herodotus l. 2, c. 2, Psammetichum Ægypti Regem indagaturum, quinam inter mortales homines primi in mundum paruissent, singulare illud consilium inivisse. Reputabat igitur Vir solertissimus, siquidem fieri potuisset, uti in cognitionem veniret primæ omnium linguæ; exinde pariter assecuturum se, qui primi fuerint in orbe homines; quare duos recèns natos infantes alendos committit Pastori, mandatis onerato, ut alterum ab altero seorsum haberet, nunquam coram illis loqueretur, & ab hominum consortio teneret secretos; exploraturus inde quo tandem sermone conceptus

illi suos promerent. Cùm igitur loqui præ ætate valuerunt, pueri ingeminabant identidem *beccos*: quod animadvertens Pastor Regi nuntiavit, qui vocem illam, cujus esset sermonis vocabulum investigans, deprehendit tandem, apud Phrygas panem *beccos* appellari. Ex quo rectà ille consecutione intulit, vernaculum populi illius sermonem primigenium fuisse a naturâ datum hominibus, eamque gentem omnium esse vetustissimam.

Hunc Regem non Psammetichum, sed Bocchorim appellat, lapsu quodam memoriæ, uti credimus, Constantinus Manasses [t]. Quod autem hic maximè animadvertendum, illud ducimus, Regem hunc primorum mundi hominum in cognitionem venturum, non rectam viam tenuisse. Quæ enim e sermone duorum illorum infantium deducitur conjectura, fallere potest maximè. Falsa enim Rex constituit, reputans, naturalem quandam esse hominum linguam, unde cæteræ derivarentur, veluti unius ejusdemque idiomatis dialecti; ponens insuper terram alios & alios homines in variis mundi locis effudisse: quod Ægyptiorum fuisse systema, Diodoro Siculo authore discimus. Referunt enim homines universi genus suum a Deo, qui Adamum & Evam condidit, illos primos loquendi, ratiocinandi, imponendi rebus nomina authores; omnium enim illi sapientissimi, expeditam habebant ratiocinandi, & loquendi, utpotè perfectæ jam ætatis homines producti, facultatem. Non nisi per errorem quis opinaretur, datam fuisse hominibus certam sermonis rationem, quemadmodum sua habent a naturâ indita bruta quælibet signa, veluti clamores, sibilos, & cantus. Neque id etiam statuendum, tanquam omnibus æque brutis peculiares sint a naturâ datæ voces. Avis recèns exclusa, & longè ab avibus sui generis innutrita, eorum potissimùm sonos imitabitur, quos stridentes fortè vel canentes instrumentisque ludentes audierit. Sunt etiam qui humanam vocem imitentur. Ita pariter & cum infantibus longè ab hominum consortio innutritis continget, ut sonos exprimant brutorum, qui fortè tenellis auribus insonuerint.

Sequestrati illi Psammetici infantes balantes oves vel fortè capellas audierunt: balatus illos exprimebant, clamantes illi pariter *beccos*, vel tantùm *becc*; *os* enim Græca est terminatio ab Herodoto addita. Si alterius cujusque voces auribus illorum insonuissent, imitatione retulissent actutum. Forte etiam casu vocem illam pronunciarunt; quomodo immeditatas quandoque voces, nihil in nostro quidem sermone sonantes, edimus interdum, varios mentis conceptus significaturi; contingit autem quandoque, ut quæ nullam habent in nostro quidem idiomate significationem voces, aliquos non inanes sonos referant in Hebræo, Arabico, Græco, Germanico. Quid ergo? An rectâ inde consecutione inferretur, indicia esse illa primigeniæ & naturalis linguæ, quòd nobis inopinatò, & immeditatis occurrant? Si hæc absona; absonum est pariter Phrygum linguam primigeniam, sicut & vetustissimos esse in mundo Phrygas inde constitui, quod duo infantes casu *beccos* clamaverint, cui voci Phrygum sermone sua est significatio.

Quando autem fateremur, naturalem esse aliquam hominis linguam, vitiosa esset semper argumentatio illa: Vernaculus Phrygum sermo naturalis illius linguæ voculam retinet, non alia est ergo naturalis hæc lingua quàm Phrygum. Porrò ex singularibus nihil nisi singulare statuas. Ad hæc, Phrygas Psammetici ætate primitivam illam linguam servasse, quis ad sensum demonstret? Si enim tunc primitivus ille Phrygum sermo corruptus fuisset, tota Regis Ægypti ratiocinatio corruisset.

Si naturalis quædam daretur lingua, nemo hominum illam non calleret, vel saltem nullo negocio, utpotè naturæ omnium & genio consonam, disceret. Nemo est autem, qui naturâ magistrâ idioma quodpiam edoctus loquatur. Exercitatione linguas discimus & studio, leviori quidem maternam, quam unà veluti cum lacte sugimus; improbo verò cæteras. Suppetunt etiam exempla quædam ab experientiâ; infantes enim ab hominum commercio nullam quidem vocem, nisi edocti, dare noverunt. Ita narrat Purchas [u] de puero, jussu Melabdim Echebar Regis Indostan, seu Magni Mogolis, longè ab hominum consortio innutrito. Legimus apud Joannem Radvitz [x], anno 1661, inventos apud Polonos in saltu quodam Lituaniæ geminos novennes pueros cum ursis gregatim errantes. Non facili labore captum ex illis unum coram Rege statuerunt; quem Baptismate initiavit Episcopus Posnaniensis; levavit e Sacro Fonte Regina. Puer autem ille belluam altè imbiberat adeò, ut nunquam salvis omnis loquelæ organis, nec sermonem ullum proferret, nec discere unquam potuerit.

Quærendus est ergo inter vulgares primigenius ille Adamo inditus sermo. Sed variæ eà de re sententiæ. Hebraicam linguam maxima Scriptorum pars præfert; alii Syriacam malunt; alii Chaldæam vel Æthiopicam vel Armenam; nemo tandem ex Orien-

t *Constantin. Manass. Breviar. Historic.* p. 99. Καὶ γὰρ ϗ Βέκκορος, φησὶν ὁ κράτωρ Αἰγυπτίων. Ἀπὸ ψελλίσματος ἑνὸς ἀφθιγγενοῦς βρεφίου Τὴν παλαιοτέραν πᾶσαν διάλεκτον ἐπέγνω.

u *Purchas l. 1. c. 8. apud Vualton. Prolegom. 1. n. 3.*

x *Joan. Radvitz. narm. Alc. Vide* Moreri *art.* Ursin.

Orientalibus vetustatis privilegio, in eo quod attinet ad sermonem, alteri concedit [y]. Goropius Becanus seriò docet, Belgicam linguam ipsissimam esse primi hominis vernaculam. Sunt tandem inter viros doctos non rari, qui primam illam linguam intercidisse penitùs arbitrantur: alii voculas quasdam illius remanere censent in Hebræorum cæterorumque Orientalium linguis disseminatas, quarum tamen radices ferè omnes latuerint. Singula modò ad examen revocanda.

S. Gregorius Nyssenus [z] omnium, quos noverimus, primus docuit, matricem illam linguam intercidisse; tenere enim se ait a viris in Scripturarum scientiâ doctissimis, Hebraicam linguam non eandem referre antiquitatis indolem, quam aliæ nonnullæ; Deum autem inter cætera, quibus populum suum donavit, prodigia, illud etiam non exiguum contulisse, ut in ipso egrediendi ex Ægypto articulo novam illis linguam antea ignotam, & singulorum mentibus infusam traderet. Laudat in eam rem illud Psal. 80, 6. *Cùm exiret de terra Ægypti, linguam, quam non noverat, audivit.* Si enim hæc ad Moysem, ait ille, referantur, non nisi de Hebraica lingua exponenda sunt, qua sola in scribendo usum illum scimus.

Judæis facilè opinionem hanc suam de prodigio in exitu populi ex Ægypto debet S. Gregorius Nyssenus (a); sed Judæorum authoritas quanti facienda sit, ignorat nemo. Porrò locus ille Psalmi illud tantùm insinuat, Josephum, id est, Israelitas ex Ægypto egressos vocem loquentis Domini tunc primùm audivisse. Quæ verò e doctorum quorumdam virorum animadversione didicisse se tradit S. Episcopus, linguam nempe Hebraicam nescio quid novi referre, quod nunquam vetustiores linguæ spirarent, id maximè repugnat doctissimis nostris Criticis, & Hebraicam linguam maximè callentibus, qui in Hebræorum sermone nihil non vetustum agnoscunt, concisus est enim, simplex, exprimendi vim habens singularem, fœcundus, cùm sit plurium in cæteris Orientalium linguis regnantium vocum fons & origo.

Recentiores illi, qui in S. Doctoris sententiam concesserunt, altero sibi argumento persuadent, primigeniam illam linguam interiisse (b). Observant igitur illi, in ipso Moyse totâque Babelicam confusionem præcedenti ætate plura obtinuisse nomina, quorum nulla est in vernaculo Hebræorum sermone significatio; illa verò, quorum in Hebræo occurrit radix, potuit Moyses per se aptasse, cùm scilicet vetera illa nomina in suam linguam verteret; fortè enim vir ille sapientissimus novit Hebraicas illis etymologias, quas modò in ejus scriptis animadvertimus, addere. Similia notant exempla in variis Hebræis, Græcis, & Latinis Authoribus, pares etymologias & allusiones referentibus. Majora tamen in Hebræorum sermone, quam in ceteris aliis Orientalibus linguis primævæ illius vestigia superesse, ultrò quidem concedunt; negant verò ipsissimam esse Adamicam, & omnium, quotquot unquam fuerunt, vetustissimam.

Sed his omnibus duo reponenda; 1, Hebraicè sermonis multa nos hodie latere, nec proinde monstri loco habendum, si radices plures vel ignoremus, vel in decursu tot sæculorum intercidisse constet. In lectione Sacrorum Librorum nunquam non animadvertunt Viri docti voces, quarum radices frustra, nisi in Linguis Arabicâ, Chaldæâ, & Ægyptiâ, quærerent. Familiares illæ erant Hebræis, ut ex ejus Gentis Scriptoribus intelligimus, sed longa desuetudine antiquatæ penitùs interciderunt.

2. Non abs re opinamur, primævæ linguæ radices plures in confusione Babelica & deinceps intercidisse, uti vernaculo Græcorum & Latinorum sermone, multò sanè recentiori, reipsâ accidisse constat: quot enim veteres in illis radices & voces abrogatæ jam & neglectæ nonnisi in vetustis eorum Scriptorum Operibus servantur? An ergo rectâ inde consecutione inferamus, Græcum & Latinum interiisse; vel illis salvis, eodem illo argumento Hebraicæ vel Adamicæ linguæ casus probaretur.

Theodoretus [c], Amira (d), Myricæus [e], aliique Montis Libani Maronitæ, primævæ linguæ honorem Chaldaico, vel Syriaco vindicantes, rem faciunt pietati quidem in patriam suæ, non criticæ exactissimæ maximè conducentem. Nomina *Adam, Abel, Eva*, & alia multa radicem habent Chaldaicam, ideò scilicet, quòd hæc surculus sit Hebraicæ; & quæ nunc exhibetur inter duo hæc idiomata similitudo, major olim & ab initio spectabatur. Quod autem vetustatis privilegium Hebraicæ supra Chaldæam linguam asserit, illud est non contemnendum, quod illa concisa sit præ ista maximè, & simplicior.

Duas hasce sententias conciliaturi viri quidam docti autumarunt, Chaldæum & Hebraicum unum esse eundemque sermonem; quare cùm Theodoretus Syriaci vel Chaldæi vetustatem prætulerit, nihil aliud eo nomine insinuatum ab illo volunt, quàm veterem Hebraicum sermonem, quem cum vernaculo regionis suæ confuderit. Re-

y *Vide* Simon. Hist. Critiq. du V. Test. l. 1, c. 14.

z *Orat. 12. contra Eunom. pag.* 354. φασὶ δὲ τινες τῶν ἐπιμελέστερον ταῖς γραφαῖς ἐπηκολουθηκότων, μηδὲ ἀρχαΐζειν τὴν ἑβραίαν φωνὴν καθ' ὁμοιότητα τῶν λοιπῶν, ἀλλὰ μετὰ τῶν ἄλλων θαυμάτων καὶ τοῦτο τοῖς ἰσραηλίταις θαυματοποιηθῆναι, τὸ τὴν γλῶσσαν ταύτην ἀθρόως μετὰ τὴν Αἴγυπτον σχεδιασθῆναι τῷ ἔθνει.

a Theodoret. quæst. 61. in Genes. hæc eadem insinuat: Διὰ τοῦ Μωσέως ὁ τῶν ὅλων Θεὸς ταύτην ἔδωκε τὴν γλῶτταν διδακτὴν οὖσαν οὐ φυσικὴν, &c. laudans pariter in eam rem illud Psalmi 80, ut de S. Gregorio jam allusimus.

b *Vide Grot. ad Genes.* XI, 1. *& not. ad lib. de verit. Relig. Christ. n.* 16. *Huët. Demonstr. Evangel. propos.* 4, *c.* 13. *Cluver. Germania Antiq. pag.* 74. *Georg. Horn. not. in Sulpit. Sever. l.* 1, *pag.* 22. *Henric. Ripping de lingua primava art.* 6. *&c.*

c *Quæst.* 60, 61. *in Gen.*

d *Georg. Amira Præfat. in Gramm. suam Syriacam.*

e *Præfat. in Gramm. suam Chaldaic.*

vocant in eam sententiam Philonem, asserentem, Versionem Septuaginta e Chaldæo adornatam fuisse; sicut & Legem Chaldaicis literis traditam, ignotam exteris diu latuisse (*f*); ex quo utique intelligimus, inter Chaldæam, Hebræamque linguam nullum fuisse Viro huic erudito discrimen. In eam fermè Theodoreti interpretationem concedunt Villalpandus (*g*), & P. Thomassinus [*h*], quibus visum est, Theodoretum inter Assertores vetustatis Hebraicæ linguæ recensere.

Quò verò Philoni duas hasce linguas confundenti reponamus, nunquam fieri potuisse animadvertimus cum S. Hieronymo in Daniel. c. 1, ut Rex Nabuchodonosor tres illos pueros officiis Aulæ Chaldææ destinatos erudiendos in Chaldæorum idiomate traderet, siquidem Hebraicus cum Chaldæorum sermone confunderetur. Nec Eliacim loquentem Hebraicè ad Legatos Ezechiæ Regis Judæ (*i*) Rabsacem obsecrasset, ut Chaldaicè potiùs vel Syriace loqueretur, ne populus, qui fortè in mœnibus aderat, dicentis verba auscultaret. Experimento etiam quotidiano discimus, quàm vera de se testaretur S. Hieronymus [*k*], nimirùm post improbum in literis Hebraicis studium, iterum esse nobis laborandum, ut Chaldæum addiscamus.

Ad Theodoretum quod attinet, frustra adduceretur in patrocinium illorum, quibus Hebraicæ linguæ vetustas probatur; quo enim in loco de primævâ illâ linguâ agit, ille factâ Chaldæum inter & Hebræum collatione, primum illum alteri præfert. Non ergo utramque linguam confudit.

Veteres illæ etymologiæ, Adamicæ linguæ reliquiæ, ideò fortè in Chaldæo illo supersunt, quòd vernaculus Chaldæorum sermo Hebræi esset dialectus; ex quo factum, ut in utroque illo eædem pariter radices deprehenderentur. Ad hæc, sunt quidem, fatemur, radices quædam in Chaldæo, frustra in Hebraico quærendæ; sunt vicissim & aliæ in Hebraico quidem superstites, in Chaldaico nihil habentes simile. Ita e. g. legit Hebræus; *Hæc appellabitur Ischa* [idest Virago] [*l*]. Chaldæus autem: *Hæc appellabitur mulier* [Itteta] [*m*] *quia de viro suo sumpta est* [Mibbaalah].

Quod Amira maximè urget argumentum, illud est. Abraham ejusque progenitores Chaldæam referebant originem; quare Chaldæo, antequam Hebraico, tanquam vernaculo uterentur sermone; superat ergo Chaldæus vetustate suâ Hebraicum. Cui reponimus, 1, Inter geminas hasce linguas satis olim convenisse: facilè proinde utramque callens Abrahamus, cùm in Chanaanitidem veniret, loquentes Chananæos, quorum est idem ac Hebræus sermo, percipiebat. 2, Fac autem Abrahamum Chaldæo, antequam Hebraico, assuevisse. Quid inde? an proinde Chaldæus vetustate potior est Hebræo? Ut judicium de hac quæstione feratur, res ipsa in examen revocanda est, & utriusque monumenta expendenda.

3. Quanquam Hebraicus sermo ex tunc a Chaldæorum vernaculo facilè distingueretur, certò tamen constat, Abrahami familiam Hebraico assuevisse, antequam in Chanaanitidem transmigraret: cujus rei certum exhibent argumentum Hebraica nomina ipsius Abrahami, Saræ uxoris ejusdem, sicut & parentum, fratrum atque nepotum.

Cum Jacob in Mesopotamiam veniens, ad Labani avunculi sui ædes divertisset, nullo negocio responsa dabat, excipiebatque. Utriusque uxoris illius, atque obstetricum, sicut & filiorum nomina Hebraicum sonant; nec nisi ex Hebraico petuntur allusiones, quas in eorumdem nominum impositione pater sibi proposuerat. Non ergo, nisi temerè prorsùs, inferimus, Abrahamum ante Chaldæo assuevisse, quàm Hebraico. Si Chaldæi & Babylonii originis suæ authores habuerunt Cham & Chus, quemadmodum facilè suadet Nemrod filius Chus, imperii sui sedem Babylone constituens, si hæc, inquam, vera sunt, monstri profectò loco non habebitur, si Abraham, & ejus familia genus e Semo referens, purum putumque Hebraicum sonarent, alterum illum profectò a Chaldaico, quo Babylonii utebantur. Eundem Hebraicum vernaculum habebat Labanus, quemadmodum ex impositis nominibus ab ipso & Jacob, monumentis ab utroque in monte Galaad erectis [*n*], satis constat.

Goropius Becanus, Cimbricæ seu Belgicæ linguæ antiquitatem demonstraturus, rem totam egisse se putat, si etymologiis quibusdam ex eâ Linguâ, ægrè ille quidem, Hebraica primorum parentum nomina exponat. Ita e. g. *Adam* deducit ex Belgico *Hat-dam*, agger invidiæ, veluti si primus ille hominum parens agger esset invidiæ oppositus. *Eva* ex *Eu-vath*, idest vas sæculi; erat enim Eva hominum germen & principium. *Abel* ex *hat-belg*, odium belli; illatum enim in se a Cain bellum injustum Abel execratus est. Tandem *Cain* ex *cait-ende*, idest malus finis. Noë ex *nos-acht*, qui necessitatem cogitando prævidet. Sed Lectorum patientiâ abuteremur, talia referentes: quid refutantes? Quæ, rogo, lingua antiquitatis sibi privilegium non assereret, si non dissimiles etymologiæ valuerint?

Ara-

f Philo de vitâ Mosis l. 2, pag. 657, 658, 659. Τὸ παλαιὸν ἐγράφησαν οἱ νόμοι γλώσσῃ Χαλδαϊκῇ, καὶ μέχρι πολλοῦ διέμειναν ἐν ὁμοίῳ τὴν διάλεκτον οὐ μεταβάλλοντες, &c.

g Apparat. Urbis ac Templi, c. 3. pag. 372. col. 2.

h Method. pour enseigner de etudier les langues l. 2. c. 1. art. 21. pag. 139.

i 4. Reg. xviii. 26.

k Præfat. in Dan.

l Genes. 11. 23. לזאת יקרא אשה כי מאיש לקחה

m Chald. לדא יתקרי אתתא ארי מבעלה נסיבת דא

n Gen. xxxi. 47. 48.

Arabes, Armeni, Ægyptii, Sinenses, Æthiopes hæc pro se afferunt. Plura, inquiunt illi, primorum parentum nomina suam habent respondentem in nostrâ linguâ significationem; regionem nostram frequentarunt vetustissimi illi Patriarchæ, gens etiam nostra cum vetustissimis certat: his profectò omnibus persuademur, vernaculum apud nos sermonem ipsissimum esse Adamicum. Verùm singula hæc singillatim multum planè a demonstratione recedunt; omnia verò simul conveniunt ex his gentibus nulli. Vernaculus Armenorum & Syrorum sermo idem reipsâ habendus est cum Chaldæo, Chaldæum verò ex Hebraico derivatum constat. Hebraici pariter surculus est Arabicus, qui sanè originis suæ similitudinem adhuc refert. Arabum pater fuit Ismaël filius Abrahami; quare vetustate illi quidem Abrahamum non superant; nec proindè majorem sermonis referre possunt antiquitatem, nisi per Abrahamum ad usque posteros Noë Babelicæ turris ædificatores ascendant, tunc autem æquum illis jus erit cum Israëlitis, genus ex Abrahamo per Isaac referentibus. Reipsâ tamen potior erit Israëlitarum causa, quòd & Patriarcharum series purior apud istos, quàm apud Arabes, manserit, & multò sint apud Israëlitas vetustiora, ac certiora, quam apud alias quascumque gentes documenta. Moyses eodem sermone loquebatur ac Abraham; Abraham verò eodem ac Thare: hic, uti credimus, eodem ac Sem & Noë. Hebræis hodie integrum manet ejusdem linguæ Mosaicæ depositum; eosdem Legislatoris Libros servant, legunt, & legendo intelligunt. Paria de se prodant Arabes, & reliquæ per orbem nationes.

Ægyptii ac Æthiopes nostræ ætatis, negocio multò difficiliori, linguæ suæ antiquitatem supra cæteras omnes efferrent; carent enim primævæ linguæ suæ certioribus documentis, vel, si quæ suppetunt, intellectu non percipiuntur. Servantur equidem nostrâ adhuc ætate in Sacrâ Scripturâ, Græcisque Authoribus veteris Ægyptiorum historiæ fragmenta; quibus tamen gentis illius privilegia nihil juvantur. Quæ de Psammetico, experimento duorum segregatorum ab hominum commercio infantium primævam linguam explorante, habet Herodotus, satis probant, Ægyptios nihil de linguæ suæ vetustate præclarè sensisse. Constat etiam Scripturæ testimonio, primum Ægyptiorum authorem fuisse Mizraim filium Cham; æquè autem certum est, Chanaan filium Cham, & fratrem Mizraim Hebraicè locutum. Cur ergo non æquè certum erit, Mizraim ejusque filios eodem vel non absimili sermone ab initio usos? Ex hoc autem intelligimus, Ægyptios etiamsi linguam suam ex Adamo repetendam optimis argumentis demonstrare potuissent, nihil inde aliud deducturos, quàm quòd Hebræorum vel Phœnicum linguâ omnium vetustissima habenda esset.

Unicum ergo quæstionis hujus punctum in eo constitutum est: 1, An Noë ejusque filii communi cum Adamo sermone uterentur. 2, An eodem Abraham idiomate loqueretur, ac filii Noë, qui Babelicæ turris ædificium aggressi sunt. Duo sunt enim veluti puncta certa, in quibus linguæ omnes ad unam coaluerunt; in Adamo nempe & Noë; in exordio scilicet Mundi, & in constructione turris Babelicæ. Neque demonstrandum suscipimus, toto illo 1656 annorum intervallo, quod inter creatum Adamum & diluvium interjacet, nihil in primævâ linguâ mutationis accidisse; nullo enim argumento sivè ea res probaretur, vel assereretur contrarium. Fatendum est tamen, vix fieri potuisse, ut tanto temporis spatio nihil incommodi sentiret inter varias effusa gentes lingua illa primæva; inter gentes, inquam, adeò à se invicem moribus dissitas, ut ne commune quidem haberent commercium; certam enim designat Moyses epocham connubiorum inter filios Dei cum filiabus hominum [o], nempè filiorum Seth cum filiabus Cain, quasi rei novæ & ad id usque insuetæ.

o Gen. VI. 2.

Utcumque tamen res habeat sese, certum modò constituimus, Noë tresque ejus liberos Adamico sermone locutos, quem integrum auctumque ejus familia deinde servarit adusque dispersionem Babelicam, quo tempore Noë, Sem, Arphaxad, Sale, Heber adhuc agebant in vivis. Noë 150 annis circiter post Babelem vitam adhuc produxit; a cujus obitu biennio vel circiter Abraham natus est (p). Si Babelica linguarum confusio in ultionem suscepti temerè ab hominibus consilii divinitùs immissa est, non ægrè quidem persuaderemur, immunem, sicut a crimine, ita etiam a pœnâ fuisse Noë pariter & Sem.

p Turrim Babelicam componimus cum A. M. 1757. Noë diem clausit A. 2006. Abraham natus est Anno 2008.

Cùm interim homines in varia orbis loca dispergerentur, Noë, Sem, Arphaxad in Mesopotamiâ & Chaldæâ sedes retinuerunt suas. Thare cum totâ familiâ in Ur Chaldææ morabatur (q), quo tempore Deus Abrahamo indixit [r]: *Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo Patris tui.* Quæ dicendi phrasis satis exprimit, sedes habuisse jam diu in eâ regione fixas.

q A. M. 2083.
r Gen. XII, 1.

Ex Urbe Ur Abraham in Mesopotamiam ad Urbem Haram contendit: inde se contu-

contulit in Chanaanitidem, tum in Ægyptum, iterumque in Chanaanitidem, ubi potissimùm substitit. In variis hisce locis vernaculo semper usus sermone, nullo adhibito interprete, videtur. Nec tamen inde ego intulerim, unum eundemque sermonem ubique eorum locorum regnasse. Constat enim, Chaldæorum vel Syrorum, sicut etiam Ægyptiorum sermonem alium tunc fuisse ab Hebræo; sed ita alium credo, ut non multum ab illo abhorreret; ex quo facilè qui unum calleret, alterum intelligeret. Uno verbo, ita apud me constituo, Mesopotamiam universam, Chaldæam, Babyloniam, Armeniam, Syriam, Arabiam, Palæstinam, Phœniciam, & Ægyptum eo vernaculo usos sermone, qui satis ad Hebræum accederet; ut linguarum confusio in iis maximè Provinciis sentiretur, quæ multùm essent ab ipsis dissitæ. Teneo pariter constiturum, primigeniæ linguæ expressiores characteres Hebræam supra cæteras servasse; quod mihi hisce potissimum argumentis persuadetur.

Rectè sentientes omnes statuunt congruentia origini, indoli, dotibus, & proprietatibus nomina singulis quibusque rebus animantibus, & personis imponi oportere. Si contra hodie nomina absona, origine & significatione occultâ, indita rebus animadvertamus, inde causa repetenda est, quòd non matrice linguâ, sed ex aliis pluribus coalescente linguâ utamur. Cùm autem in ipso rerum exordio unicus esset sermo, imposita rebus omnibus nomina suâ non destituebantur significatione.

Quo igitur in cognitionem primævi illius idiomatis deducamur, sedulò animadvertendum est, quæ potissimùm lingua radices contineat primorum nominum rebus singulis impositorum, veramque illorum exprimat etymologiam pariter, & significationem. Congruunt autem hæc omnia cum vernaculo Hebræorum sermone, & ita congruunt, ut cum alio nunquam. Imposita hominibus, animantibus, arboribus, locis, metallis Hebraica nomina naturam exprimunt, dotes, vitia, impositæ appellationis occasione; ecquid non? *Adam* est rufus, quòd e subrubrâ terrâ, in Hebræo *Adama*, deductus fuerit. *Heva*, seu *Cheva*, derivatur ex *Chaiah*, vita; *Ischa*, virago, ex Isch, vir; *Cain*, possessio, ex *Canah*, possidere; *Habel* est vanitas; *Seth*, posuit, seu replevit; Seth enim locum Abelis a fratre interfecti occupavit; *Eden*, deliciæ; *Henoch* vel *Chanoch*, innovatio, dedicatio &c. Brutis imposita nomina significationem retulisse suam, sicut & cætera locorum, fluminum, Urbium, & Provinciarum, summâ laboris contentione Bocharrus demonstravit.

Statuendum est igitur, sivè Hebraicum sermonem ipsissimum esse Adamicum, & Noemicum, sive eò deducendi sumus, ut fateamur Moysem genuina singulorum nomina ad arbitrium procudisse, novis hisce suis ex Hebræo sermone deductis in locum veterum & primigeniorum substitutis. Felix planè viri ingenium, qui in eâ nominum transmutatione potuit vernaculi sermonis æquè significativa, & non dissimilibus ducta etymologiis nomina in locum Veterum substituere. Hæc ægrè quidem, sed tamen utcumque in lucubratione aliqua scribenda, in quâ rata tantum nomina transmutanda, tentarentur, sed in spisso quodam Opere, quale Pentateuchum agnoscimus, vix fieri posse credimus. Opus etiam fuisset, cæteros post Moysem Scriptores eandem cum illo methodum sequutos fuisse, quod factu possibile minimè credimus.

Fac tandem Moysem cæterosque Sacros Hebræorum Scriptores hanc sibi methodum statuisse: anne poterant eam pariter legem prophanis etiam Scriptoribus, integris gentibus, atque infestissimis Judaici nominis adversariis imponere, qui scilicet omnes iisdem, ac Moyses, nominibus Urbium, locorum, hominum, provinciarum, fluminum uterentur? Undè tam concors sententiarum affinitas & similitudo, nisi a linguâ illâ primitivâ, cujus vestigia in omnibus fermè linguis ac gentibus residua? Nomina Cham, Chanaan, Sidon, Mesor, Mizraim, Aram, Assur, Babel, Jordanis, sive Jaerden, Eden, Ninive, Euphrates, Ararat, Libanus, & alia multa, Sacris æquè ac Prophanis sunt familiaria. Vero igitur propius existimamus, primævam hominum linguam Hebraicam fuisse.

Satis jam occupavimus objectionem illam è ratis illis nominibus deductam, quorum nullæ sunt in Hebræo radices. Occurrere illa quidem ultro fatemur; sed privilegio vetustatis, quod Hebraicæ linguæ asseruimus, nihil officiunt. Quis enim monstri loco habuerit, si abolitæ jam duorum millium annorum desuetudine sermonis voces quædam interierint, quarum tamen veluti depositum affines quædam & collaterales linguæ servarint? Jure quin etiam postliminii restituendus est illis primus, quem tenebant in vetustissimo & simplicissimo idiomate locus. Ad hæc, quænam ratio cogit, ut in vernaculo Hebræorum sermone etymologias omnes quæramus nominum, sive apud Moysem, sive in Libris Sacris occurrentium? Nonne ex illis plura a primævâ illâ linguâ sunt aliena, deductaque potiùs ab externo aliquo sermone, quonam illo, in-

cer-

certum? Non est enim nobis, nisi de tempore ante diluvium & linguarum confusionem, habenda ratio.

Aliud in eam rem argumentum ex eo ducitur, quòd e vernaculo Hebræorum sermone facilè repetitur significatio nominum, vetustissimis gentium Numinibus impositorum, quæ sanè nomina genuina erant hominum ætate interdum diluvium ipsum superantium. Porrò nomina illa ex Oriente in Græciam totumque latè mundum divulgata, in aliis omnibus linguis inanem referuut sonum; cùm vicissim in Hebræo & suam habeant significationem, & rei prodant originem. Ita *Ammon* idem est ac *Cham*. Idem est etiam Græcis *Zeus*, Jupiter, ac Hebræis *Cham*, nempè ardens, fervens. *Jupiter* sive *Jovis*, congruit cum Hebræo *Jova*, *Jehova*, *Jao*, Deus. *Japetus* est *Japheth*; *Smy* est *Sem*; *Neptunus* refertur ad Hebræum *Niptha*, quod est extendi. *Poseidon*, Græcum Neptuni nomen, deducitur ex *Phasah*, extendere. *Vulcanus* ipse est *Tabacain*. *Ares*, id est Mars, reperitur ex *Aritz*, fortis, violentus; *Venus* ex *Benoth*, puellæ, sive ex *Bana*, filios habere, domum construere; & sic de cæteris.

Musica instrumenta ante diluvium obtinebant, ipso Moyse, *Genes.* IV 21, testante, quorum nomina apud Græcos & Latinos manent; sed incerta apud illos etymologia offertur in Hebræo sermone; sicut & Hebræorum scripta primos eorundem instrumentorum Authores produnt.

Nomina gentium, provinciarum, amnium, montium, vetustissima sunt & barbara plerumque Græcis & Latinis, sicut & gentilia Hebræis, quorum sermo & genuinas illorum explicationes, & primos Urbium Authores ac gentium Patres aperiunt. Nonne conjecturam inde capere licet, hunc ipsum Hebræorum sermonem primorum hominum vernaculum fuisse? Videsis ingens Opus Geographicum Bocharti, inscriptum *Phaleg & Chanaan*.

Ea est etiam Hebraici sermonis indoles, ut vetustatem suam & supra cætera antiquitatem prodat. Ita est enim naturâ comparatum, ut ex simplicioribus & facilioribus via pateat ad ardua. Ipsa rerum compositio, admixtio, additiones, nonnisi post prima illa irrepserunt. Studii sunt enim & meditationis. Porrò Hebraicus sermo simplicissimus est supra cæteros; Hebraicus, inquam, in Libris sacris expressus; quo enim in Libris suis utuntur Rabbini, plurium externarum vocum admixtione corrumpitur. Radices Hebraicæ plerumque non nisi tribus literulis vel duabus syllabis constant; nomina in variis casibus nunquam inflectuntur: pluralia tantum a singularibus distinguit. Syllaba *im* masculinis & *oth* fœmininis pluralibus adjecta: anomaliæ raræ in declinationibus & conjugationibus: conjugationes verò potiùs, quam verba, multiplicantur; unde factum, ut ad nullum ferè usum valeant verba auxiliaria, summo linguæ compendio. Genus ipsum in verbis distinguunt; & in verbis, sicut in nominibus, sua sunt fœminina & masculina.

Loco pronominum possessivorum, meus, tuus, suus, sunt apud Hebræos affixa ex unicâ literulâ vel ad summum duplici, quibus satis loquentis persona distinguitur, an fœmina ut an mas; genus etiam rei, masculinum scilicet an fœmininum. Vocales rarissimæ in scribendo, quo Scriptura breviatur maximè. Desunt tandem sive verba, sive nomina composita; rarissimæ propositiones, & illæ quidem plerumque non seorsum scriptæ, sed vocibus adjectæ, in unum cum illis coalescunt. Nihil de comparativis, vel superlativis, variisque conjugandorum verborum rationibus. Duo tantum distinguunt tempora, præteritum, & futurum; participia unum vel duo; infinitum & imperativum. Uno verbo, concisum magis, simplicem, facilem, & expressivum sermonem ne concipere quidem facile est.

Hæc planè omnia a demonstratione adhuc abesse fateor; & ineluctabili planè argumento id nunquam evincetur, sive Adamicam linguam hodie superesse, sive illam cum Hebræâ confundendam, sive alio, quàm Chaldaico, sermone locutos Noë & ejus filios. Sed ineluctabile pro se argumentum promant adversarii, & quæ a nobis fusiùs deducta sunt, aliis depromptis firmioribus conjecturis, evertant. Argumenta nos quidem plausibilia adduximus, quorum vim auget multò sanè validior & numero & authoritate ejusdem sententiæ propugnatorum manus. Rabbini (r), & ex nostris Commentatoribus & Patribus plerique (s) Hebraicam linguam ex Adamo repetunt. Nec aliter planè suadent vetustatis illi characteres in eâdem linguâ expressi; quæ pariter lingua omnium fermè Orientalium matris loco jure meritoque haberetur, Chaldææ scilicet, Syriacæ, Arabicæ.

Quæ sederunt Prophanis sententiæ, naturalem scilicet quandam fuisse hominibus linguam; vel productis casu in variis terræ locis hominibus, post rem tentatam pluries, & post varios articulatos sonos, tandem usuvenisse, ut varias linguas instruerent; quæ,

r Ita Rabb. Ben-Gerson, Abenezra, Abrabanel, Jarchi ad Gen. XI. 1.2. Simeon Ben-Jochai in Libr. Zohar. Liber Cosri, Azarias in Meor Enaiim.

s Origen. hom. 11. in Num. Hieronym. in cap. 3. Sophon. August. l. 16. de Civit. c. 11. & l. 18. c. 39. alii plures.

quæ, inquam, sederunt Scriptoribus hisce sententiæ, nihil habent, non dicam veri, sed nec verisimilis quidquam & solidi. Homines nec casu provenerunt, nec prodiisse quidem poterant: Deum habent authorem, a quo simul & sermonem acceperunt, ut nunquam sine usu sermonis fuerint.

Nec monstri loco habenda sunt, quæ de vetustate linguæ suæ jactitant Ægyptii, Armeni, Æthiopes, postquam mirabilior alter inventus est, Goropius scilicet Becanus, linguæ suæ Belgicæ sive Hollandicæ vetustatem supra cæteras efferens. Insito quidem a naturâ amore Patriæ suæ & aviti sermonis studio quique tenemur; sed rari sunt, qui amorem hunc suum ad extrema eò usque provexerint. Illud constat, quo gradu a locis & regionibus, ubi primorum illorum hominum sedes constituta erat, recedimus, eo pariter crescere linguæ primitivæ inveniendæ difficultatem. Ad hæc, sicuti vestigia quædam primævæ hujus linguæ in cæteris fermè omnibus Orientalibus superesse constat; ita pariter ad distinguendam Adamicam linguam a cæteris omnibus satis non esse arbitramur, si quis radices quasdam hujus primævæ linguæ, vel saltem affines quasdam voces invenisse sibi in aliquo sermone confidat. Cætera omnia congruere oportet. Sicut vicissim non rectâ consecutione deducitur, Hebraicam linguam aliam esse a primitivâ, quòd veterum nominum radices quædam nusquam in illa recurrant, si cæteroqui reliqua omnia cum illâ planè congruant.

Tandem linguarum illa confusio, de quâ Moyses, non ita accipienda est, quasi ex suborto inter gentes illas dissidio, earumque in varia orbis loca dispersione, naturali quadam veluti consecutione deduceretur. Prodigio debentur omnia. Deus enim sive per se, sive Angelorum ministerio [t] idiomata confudit: ita tamen, ut primævus ille sermo minus alienæ corruptionis sentiret in genere Sem, quàm ipsius fratrum; purus autem putusque maneret in familiâ Phaleg, Heber, Thare, Abrahami progenitorum, sicut & in familiâ, alioqui tamen corruptissimâ, Chanaan [u]. Ita Divinæ Providentiæ consilio disponente, ut cùm Abraham in destinatam illam sibi suisque posteris regionem veniret, patrum suorum sermonem familiarem in illâ nactus, ab avito illo desuescere non cogeretur.

Chananæis, alio nomine Phœnicibus, authoribus factum est, ut Hebraicus longè latèque per Africam cæterasque ferè omnes Insulas Mediterranei atque maritimas ejusdem freti regiones propagaretur. Hæc probabilissima visa sunt, quæ de primæva hominum linguâ differerentur; quod argumenti genus egregie adeò excusserunt Viri quidam doctissimi, ut non aliâ ratione in examen revocandum illud susceperimus, nisi in eorum gratiam, qui cùm Libris alioqui vel careant vel non abundent, præclarè secum agi censerent, si aliquid eâ de re in Dissertatione hac nostrâ discerent.

[t] Vid. Orig. hom. 11. in Numer. Aug. de Civit. l. 16, c. 6. Jonathan Paraphr. in Gen. XI, 7. 8.

[u] Chananæorum Phœnicum, & Hebræorum sermonem unum esse eundemque, probant Bochartus, Huetius, Valtonus & alii.

DISSERTATIO
DE GIGANTIBUS.

IN totâ Antiquitate maximè celebres Gigantes habentur, quippe quibus testimonium ferunt Poëtæ, Historici, & qua Sacri qua prophani Scriptores, omnium denique sæculorum traditio, cum vetustissimis regionum monumentis, unâ omnes voce prædicantes viros, qui immani corporis & virium habitu, tum & cœptorum audaciâ, longè latèque sui nominis terrorem intulerunt. Ut autem insitam habent homines in res novas propensionem, magnis majora libuit adjicere, non Poëtis tantùm, sed & Historicis non rarò, adeò rem per se miram exaggerantibus, ut justos rei limites præscribere, & vera a falsis secernere, operis sit non exigui. Nec minùs est laborandum, si quis velit ad fidem inducere suspicacia quædam ingenia, quibus errandi timor satis est causæ, ut credulitatem suam erga res insuetas, & a nostris penitùs abhorrentes, suspendant.

Operis ergo nostri in præsentiâ erit, ut Gigantes reipsâ extitisse demonstremus, simul etiam ejus veritatis adversarios refutantes. Verùm antequàm manus operi admoveatur, certus quæstionis status determinandus est. 1. Gigantum nomine non viros tantùm intelligimus, qui procerioris corporis staturâ cæteros regionis suæ viros non digiti solùm vel etiam semipedis aut pedis mensurâ superant, plures enim in Mundo ejus generis occurrunt; sed viros designari arbitramur, nostræ ætatis homines pedi-

Digitized by Google

pedibus nonnullis vel etiam duplo, triplo, quadruplo justam staturam quinque pedum & semis excedentes.

2. Neque id nobis quærendum, an plurium sæculorum successu contigerit aliquando, ut naturæ quodam nisu Gigantes prodierint: quemadmodum interdum monstra & pumiliones spectantur, quorum singuli successione carent. Sed illud discutimus, an vetustissimâ ætate ante diluvium, & diù etiam post, satis frequentes homines occurrerint justâ hominum nostræ ætatis staturâ multò superiores; qui in certo quodam regionis tractu certisque familiis frequentiùs, quàm alibi prodierint; ut certum genus & peculiaris Gigantum regio possit assignari.

Inter eos, qui Gigantes extitisse negant, non satis convenit. Asserit Josephus (*a*) Angelos plures ad filias hominum accessisse, eorumque commercio natos viros impotentis audaciæ, qui viribus valentes nihil sanctum habebant, eaque aggressi sunt, quæ de Titanibus Poetæ comminiscuntur. Gigantum ergo nomine designari credit Josephus viros audaciâ impotentes.

Aliquis fortè putat, ait Philo (*b*), *quæ Poetæ de Gigantibus fabulantur, Legislatorem subindicare, cùm hæc immensum distent à fabulis...... Nullam de Gigantibus affert fabulam, sed illud te docere vult, eos venari voluptates corporis, & harum usum fructum, quærendo undecumque singularum materiam.*

Ipse idem Philo (*c*) de Turri Babelica a Gigantibus ædificata agens, tradit, Paganos cùm hæc legerent reclamasse: *Ecce sacri, quos vocatis, Libri fabulas continent, quales, aliis referentibus irridere soletis.* Simillimo enim ausu Gigantes ædificationem Turris aggressi narrantur, quo de Gigantibus Pelion Olympo & Ossæ superimponentibus ad Cœlum obsidione tentandum fabulosa vetustas commenta est. Universam nanc historiam Philo ad allegoriam referendam contendit, autumans, sub allegoriæ hujus ambagibus hominis impii adversus Deum audaciam, & proterviam exhiberi. Nulli erant ergo huic Authori sive ante sive post diluvium Gigantes.

Persuasum pariter fuerat Origeni (*d*), Gigantum nomine non viros corpore immanes designari, sed sceleratissimos quosque, impios, Atheos, & hujus farinæ homines, quibus nulla de Deo, hominibus & justitiâ, est cura. Malunt alii cum Eusebio Cæsariensi *Præpar. l.* 5, *cap.* 4, & 5, Gigantes apud Moysem ipsissimos esse Dæmones, quorum adversùs Deum pugna in Gigantum & Titanum adversùs Deos fabellâ describeretur. Exequemur inferius veteris illius opinionis originem, quæ Gigantes & Demone parente accersit, quia & ipsas Gigantum animas in censum malorum Spirituum refert. Quam tamen opinionem cave ne cum alterâ Gigantes prorsus subducente confundas; illa enim a communi omnium sententiâ in eo tantùm recedit, quòd de Gigantibus illis in libro Henoch legit, ad patres Dæmones cum filiabus hominum ante diluvium commixtos esse referendos; cùm interim contraria Gigantibus opinio Librum illum penitus ad fabellas rejiciat.

S. Chrysostomus (*e*) tenet, Gigantum nomen exprimere in Scriptura viros corporis robore & staturâ immanes; (*f*) quorum in censum refert Nemrodum, virum, ut habent Septuaginta, Gigantem. Professò Hebræum *Gibbor*, quem Gigantem reddunt, sonat ad literam virum fortem, & imporentem.

S. Cyrillus Alexandrinus ad Imperatorem Julianum respondens (*g*) insinuare videtur, Gigantes monstris similes viros esse, quos quidem proceritate corporis & robore reliquos vulgo homines superare potuisse credit; sed multùm concedere Gigantibus illis, Poetarum carminibus celebratis, quos ferunt ex ipso maris sinu Insulam manu avulsam contra Cœlum ejaculatos. Sunt igitur, ait, Scripturæ stylo, Gigantes viri fortes & audaces, ore terribiles, & monstro simillimi, quos vindicis Numinis ira effudit, atque malè affecta parentum phantasia formavit. Non inviti credimus, has Patrum interpretationes expressisse necessitatem nominis Gigantum, ne fortè nominis similitudine cogerentur in Scripturâ viros agnoscere eâdem corporis immanitate, qua apud prophanos Poetas, Gigantes.

Gigantes apud Stoicos in eodem ordine cum Centauris aliisque monstris, errantis phantasiæ ludibrio efformatis, habentur; *Centauri, Gigantes, & quidquid aliud falsâ cogitatione formatum habere aliquam imaginem cæpit, quamvis non habeat substantiam*, ait Seneca *Ep.* 85. Totam illam de Gigantum adversùs Deos expeditione fabellam ad allegoriam detorquens Cicero *de Senect.* significari tantùm credit passionum adversùs rationem & naturam certamen. De Gigantibus hæc Macrobius [*h*] *Gigantes quid aliud fuisse credendum est, quàm hominum quandam impiam gentem, Deos negantem, & ideò existimatam Deos pellere cœlesti sede voluisse?*

Scriptores quidam rerum naturalium cùm in animum inducere non possent, na-

a *Joseph. Antiq. lib.* 1, *c.* 4. Διὰ τὴν ἐπὶ τῇ δυνάμει πεποιθησιν. ὅμοια τοῖς ὑπὸ γιγάντων τετολμῆσθαι λεγομένοις ὑφ' ἑλλήνων, καὶ οὗτοι δράσαι παραδίδονται.

b *Philo de Gigantibus p.* 292. Ἴσως τις τὰ παρὰ τοῖς ποιηταῖς μεμυθευμένα περὶ τῶν γιγάντων οἰεται τὸν νομοθέτην αἰνίττεσθαι ... μῦθον μὲν οὐδένα περὶ γιγάντων εἰσηγεῖται τὸ παράπαν.

c *Idem de Confus. linguar. p.* 320. Ἰδοὺ καὶ ἱεραὶ λεγόμεναι βίβλοι παρ᾽ ὑμῖν, καὶ μύθους περιέχουσι &c.

d *Orig. apud Gen. C. P. in Cat. Gr. in Octateuch. Vide & apud Theodoret. q.* 48 *in Gen.*

e *Chrysost. in Genes. homil.* 22, *p.* 232, *a.* Γίγαντας ἐνταῦθα τοὺς ἰσχυροὺς τὸ σῶμα οἶμαι λέγειν τὴν θείαν γραφήν.

f *Hom.* 30 *in Gen. pag.* 422.

g *Cyrill. Alex. in Julian. l.* 9. Ἐλίττον δὲ φησὶν εἶναι γυναῖκας τοὺς γίγαντας. τῆς θείας ὀργῆς δηλονότι παραχαραττούσης λοιπὸν καὶ αὐτὰ τῶν σωμάτων τὰ κάλλη. ἦσαν δὲ γίγαντες ἄνδρες μὲν τάχα που καὶ ἄλκιμοι τάχα τοι, πολὺ δὲ νοσοῦντες τὸ εὐθεχθές.

h *Macrob. Saturn. lib.* 1, *c.* 20. Vide & Juvenal. *Sat.* 15, *v.* 70.

tos unquam in rerum natura viros, quales describunt Gigantes, suspicati sunt, ea omnia, quæ de Gigantibus in Cœlum arma inferentibus narrantur, de ventorum quodam spiritu, quo terræ viscera concutiuntur, exponenda fuisse. Vim enim interunt venti, ut è terræ carcere liberati per apertum aera exspatientur, cujus libertatis amore mirum est quanto impetu montes disjiciant; excitant non rarò ignes, lapides longè ejaculantur, specie quasi in Cœlum protrudant. Tunc Jupiter, i. e. Cœlum, & aer fulgura in illos, & imbres demittit, quibus pacantur omnia, ventorum impetus comprimitur, funterranei ignes extinguuntur, vel saltem ita coercentur, ut exteriùs non prodeanr. Hinc nata fabella, Jovem dejecisse Gigantes, quos sub montibus Etnna & Vesuvio, veluti grandi ponuere, quo se relevari quandoque nituntur, oppressos detinet. Ex eo Gigantum nisu intimæ illæ terræ succussiones, & ignes, quos dato temporum intervallo evomunt montes. Nihil hic non physicum & naturæ legibus consonum.

Nec figura ipsa Gigantum apud Poetas suâ caret allegoriâ. Ità de illa Ovidius Fast. l. 5, v. 15.

Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues.

Manus robur designant, angues inconstantiam, & anguium spiræ [i] dolum ac tortuosam hominum nequitiam.

Plus aliquid vident alii Philosophi, defendentes, non tantùm Gigantes nunquam in rerum naturâ spectatos fuisse, sed nec spectari unquam tam immani corporis staturâ viros potuisse. Certam enim rebus quibusque staturam præscripsit naturæ Autuor, quam prætergredi nunquam eadem natura permittitur. Nihil in universo extra legem & mensuram, cujus harmoniam gradus aliquis si rebus addatur detrahaturque, corrumpit. Certa in astris motûs mensura, sua etiam in aere, in aquâ, nec incerta pariter in terrâ, quæ si præscriptas sibi leges prætergrediatur, statim actum est de animantibus, de plantis, de arboribus. Hominis statura æquè respondet gradui, sive motui frigoris & caloris, quo terra tenetur. Plantæ quibus alitur, aer quo refrigeratur, animantia quibus utitur, homini creantur, ejusque, ut ita dicam, naturæ ex æquo respondent. Si corporis ille staturâ cresceret decresceretque, tota illa harmonia dissolveretur, atque tota corrumperetur universi elegantia. Nullibi ergo uspiam fuerunt Giganres, vel si quos fortè extitisse dixerimus, aliam statuamus, quam nunc sit, mundi naturam oportet, alium assignemus terræ locum in universo, aliam indolem aeri, aliam elementis, astris, & plantis.

Quæ nunc est narura, nunquam satis eniteretur, ut Gigantem ederet. Quis autem credat aliam fuisse olim, ac modò est, naturam? nec sanè adeò dissimilis fuisse unquam potuit, quantum debuisset, ut Gigantem efformaret. Nunquam ergo Gigantes produxit.

Veteres illi, qui vulgari majorem staturam primis illis hominibus concesserunt, multùm tamen absunt ab immani illâ proceritate, quæ de Gigantibus prædicatur. Habent enim persuasum, hominis staturam, ut longius non ultra septem altitudinis pedes (k), quos Herculi assignant (l), assurgere potuisse: *Licèt plerique definiant, nullum posse excedere longitudinem pedum septem, quod intra mensuram istam Hercules fuerit.* Hanc mensuram si qui subinde viri excesserunt, uti Orestes, vir septem cubitis, sive decem altitudinis pedibus non impar, & *Pusio ac Secundilla*, quos ultra decem pedum staturam immanes Roma sub Augusto spectavit, exceptiones sunt hæc regulæ communis, & monstruosi quidam naturæ fœtus, ex quibus nihil inferas pro reliquis.

Si naturæ senescentis vitio homines imbecilliores essent, quà staturâ quà viribus, quàm olim fuerint, statueremus etiam oporteret, naturam in eo consistentiæ statu jam inde à pluribus sæculis mansisse; cùm jam inde a tribus annorum chiliadibus factum sit, ut staturæ hominum nihil addatur decerpaturque. Quare nunquam pet nos admitteretur Veterum illud, *cuncto mortalium generi minorem in dies mensuram fieri propemodum observatur* [m]. Multùm ætate suâ decrevisse hominum staturam præ veteribus hominibus, Homerus deplorat (n).

Nam genus hoc vivo jam decrescebat Homero [o].

Ejus rei causam refert Plinius l. 7, c. 16, ad ignem illum, quo tandem mundus in cinerem favillasque redigetur, paulatim absumentem radicalem humorem, vitam hominum alentem. Factum inde, ait, *raros* (esse filios) *patribus procertores, consumente ubertatem seminum exustione, in cujus vices nunc vergit ævum.*

In eamdem sententiam concedens Author quarti Esdræ scribit cap. v, 51: *Interroga quæ parit, & dicet tibi. Dices enim ei: Quare quos peperisti, nunc non sunt similes his, qui ante te, sed minores staturâ? & dicet tibi & ipsa: Alii sunt, qui in juventute virtutis*

i Macrob. Saturn. lib. 1, cap. 20.

k Solin. Polyhist. c. 2. Vide & Varron. apud Gell. l. 3, c. 10. Varro modum esse dixit summum adolescendi humani corporis, septem pedes.

l Vide Salmas. in Solin. p. 3, Edit. 1686.

m Plin. l. 7, c. 16.

n Iliad. 7. Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι.

o Juvenal. Sat. 15.

tutis nati ſunt; & alii qui ſub tempore ſenectutis (naturæ), *deficiente matrice, nati ſunt. Conſidera ergo & tu, quoniam minori ſtaturâ eſtis præ his, qui ante vos*. Lucretius Philoſophus Epicureus ita mentem ſuam hac de re prodit lib. 2.

Jamque adeò fracta eſt ætas, effœtaque tellus.
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Repugnare quidem illa ſententiæ Gigantibus adverſæ planè videntur; ſed bonam cauſam non bonis argumentis tuentur. Si enim naturæ ſeneſcentis ægritudo tanta erat jam inde a Moyſis, nempe 2500 annis poſt Orbem conditum, vel ab Homeri ſaltem ætate, nempè mille ſolidis ante Jeſum Chriſtum annis, ut nullis adhuc Gigantibus ſufficeret, quò deinde perveniſſet evolutis adhuc 5718 annis, quot ab eâ ætate ad nos uſque fluxerunt? Ad Pygmæos profectò redactos jam homines ſpectaremus.

Audiunt (p), nonniſi monſtra habendos fuiſſe homines, quos juſtæ nunc ſtaturæ exiſtimamus, ſiquidem procera corporis habitudo ſpecioſior eſſet, & naturæ hominum magis conformis, tunc enim omnes Gigantes nati fuiſſent. Nunc verò contraria omnia; homines enim vulgò ejuſdem erant olim & modò ſtaturæ, ac Gigantes tanquam omnium ætatum monſtra perinde habiti ſunt. Statuendum eſt igitur, quemadmodum monſtra rara ſunt, & extraordinaria, ita pariter & Gigantes vel nunquam paruiſſe, vel ſi rari interdum prodierunt, errori id naturæ præſcriptas ſibi leges nonnunquam tranſgreſſæ, vel ſaltem virtutis ſuæ ſpecimen dare volentis, conatui deputandum.

p *Vide Toſtat. in cap. 11 Deut. q. 2. Boulduc. Eccleſ. ante Legem l. 2, c. 7, 8.*

Quinam ergo Gigantes Scripturæ? Homines reputat Philo (q) terrenos, voluptuoſos, terræ filios, atheos, Dei adverſarios acerrimos. Homines vitæ turpitudine & morum deformitate monſtruoſos cenſet S. Cyrillus Alexandrinus (r). Homines ad longiſſimam ætatem vitam prorogantes Diodorus (ſ).

Franciſcus Georgius [t] habet quidem perſuaſum, viros illos ſtaturæ proceritate ſupra cæteros aſſurrexiſſe, ſed æquè cenſet, fœtus, illos habendos non humani alicujus conjugii ex fœmina, & mare, ſed dæmoniaci, ex Dæmone nempe cum fœmina. Quis enim credat, ait ille, homines naturæ leges ſtaturæ proceritate adeò tranſcendentes naturâ agente in mundum veniſſe? Superat opus illud naturæ vires; quare poſt devictum a Jeſu Dæmonem, redactumque in ordinem, ne poteſtate ſuâ deinceps abuteretur, nuſpiam in mundo Gigantes viſi ſunt, quòd ſcilicet Dæmoni libera ampliùs non eſſet, uti priùs, facultas cum fœminis coeundi.

Stephanus Gobar apud Photium Cod. 232 pag. 898 rem tractat problematicè; perduelles Angeli, cùm in terram deſcendiſſent, inito cum fœminis connubio, Gigantes genuerunt. E Gigantibus cum bruris coëuntibus nata hominum monſtra, & ſexûs utriuſque Dæmones. Seu potiùs Angeli illi perduellionis rei, qui nec carne conſtarent, nec oſſibus, cùm ad filias hominum per ſe accedere non poſſent, impiorum hominum ad illas corrumpendas miniſterio uſi ſunt; vel tandem nec ipſi per ſe, nec alterius miniſterio illas tentarunt.

q *Phil. De Gigant.*

r *Cyrillus l. 9 contra Julian. & l. 2. Glaphir. in Gen.*

ſ *In Catena. Quidam apud Theodoretum quæſ. 48 in Gen.* Γίγαντες τουτέστιν, οἱ πολλὰ ἔτη βιοῦντες.

t *Franciſ. Georg. tom. 1 problemat. 74, 75 apud Sixt. Senenſ. Biblioth. Sacr. l. 5, annot. 51.*

Severi Sulpicii ſententia his verbis exprimitur [u]: *Ex Angelorum, & mulierum coitu Gigantes editi eſſe dicuntur; cùm diverſæ inter ſe naturæ conjunctio monſtra gigneret*. Porrò ſi inter monſtra rejiciendi ſunt Gigantes, nunquam ſatis frequentes fuiſſe oportet, rara ſunt enim, utpotè præter conſuetas naturæ leges, monſtra.

u *Hiſt. l. 2.*

P. Boulducus Capuccinus in ſuo Opere *de Eccleſia ante Legem* (x) defendit, *Nephilim, Raphaim, Zuzim, Enacim, Emim, Zomzomin*, quæ varia habentur Gigantum ſæviſſimorum & immaniſſimorum hominum nomina, nihil tale utique deſignare; quin potius *virtute, ſanctitate, animi magnitudine, conſtantiâ, ac bonis operibus Gigantes*. Nomen *Nepilim*, ſonans eos qui cadunt, qui ſe proſternunt, inditum cenſet viris quibuſdam piis, quod aſſidui eſſent in preces. *Enacim* vel torquem ferens, equitum erat, inſtitutus ab Abrahamo, quo tempore in Hebron morabatur, Ordo: conſtabat autem viris per omnia ſingularibus, ſtaturâ, divitiis, magnificentiâ.

x *Boulduc lib. de Eccleſ. ante legem lib. 1. c. 2, 8, 9, & lib. 111, c. 2.*

Addit, Gigantum nomen eſſe honoris, datum viris illis juſtis ante & poſt diluvium. Porrò viri erant illi apud omnes ſpectatiſſimi, quos Moabitæ honoris gratiâ appellabant *Emim*, i. e. Reverendos; Ammonitæ *Zomzomim*, Sapientes; Chananæi *Raphaim*, Reſtauratores, Syri *Zuzim*, Illuſtres. Addit proinde, elogium illud Nemrodo datum a Sacrâ Scripturâ, probri loco ab Interpretibus præpoſterè acceptum fuiſſe: *Venator robuſtus coram Domino*; ſignare hæc virum ſpectatæ pietatis ac ſanctitatis. Docet tandem Boulducus, veteribus Gigantibus ſua fuiſſe in locis, quæ in ſedem ſibi conſtituerant, pietatis aſceteria. Hæc viri commenta refutavit Anonymus in Opere, quod nunquam videre mihi contigit, inſcripto: *De Nephilim, Gigantibus vulgò dictis, exercitatio contra Jacobum Boulduc*.

 Sen-

Sententiæ illorum, qui Gigantes negant, opponunt veterem populorum traditionem, tenentem fuisse olim populos moltò quàm vulgarem hominum nostræ ætatis, staturâ proceriores, quorum ossa & olim & nunc etiam in dies inventa, rei experimentum futura, demonstrant. Sed vicissim ea populorum præventio & Gigantum illa ossa rideritur ab adversariis. Poetis obstetricantibus nati sunt Gigantes, quos fabula nutriit, populorum credulitas fovit. Quæ Gigantum ossa creduntur, ossa sunt reipsâ sive ceti, sive elephantis, sive fossilia in terra naturali igne concreta. Hæc sanè opponit P. Kircherius, acerrimus, si quis alius, Gigantum adversarius. Validissima sunt hæc pro sententiâ Gigantibus adversâ argumenta; modò pro illis quædam.

Apud Moysem & Sacros post illum Authores mentio inducitur non obscura de Gigantibus, robore, ceptis, proceritate, expeditionibus, numero, & apud Inferos supplicio notissimis. Frequentissimi erant ante diluvium, sicut & quo tempore turris Babelica construebatur: familiæ tandem quædam ad ipsam Moysis, Josue, imò & Davidis ætatem pervenerunt. Proferuntur ejus veritatis asserta, vetera, & certissima monumenta, non quidem ex Poetis, ac sublestæ fidei Authoribus, sed ex Moyse vetustissimo illo Scriptore, cujus genuina citant Volumina. Ferunt ejus rei testimonium Scriptores Sacri, vetus & constans populorum traditio, unde Poetæ historias illas de Gigantibus derivarunt, qnas commentis suis & fabellis in majus exaggerarunt.

y Gen. VI. 2, 3, 4. הנפלים היו בארץ בימים ההם וגם אחרי כן אשר יבאו בני האלהים. אל בנות האדם וילדו להם המה הגברים אשר מעולם אנשי השם:

Cum cœpissent homines, ait Moyses (y) *multiplicari super terram, videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; eruntque dies illius centum viginti annorum* (i. e. intra hoc annorum spatium perdendis hominibus diluvium immittam) *Gigantes* (Hebr. *Nephilim*) *erant super terram in diebus illis; postquam enim ingressi sunt Filii Dei ad filias hominum, illaque genuerunt, isti* [*Gibborim*] *sunt potentes a sæculo, viri famosi.*

Noti ergo erant *Nephilim*, i. e. Gigantes, in mundo, antequam filii Dei, nempè e genere Seth viri, cum filiabus hominum, e genere nempè Cain, jungerent connubia. Vetus est traditio apud Rabbinos, ac plures Christianos Scriptores recepta, Adam inter Gigantes principem locum obtinnisse. Docent enim Hebræi (z), Deum semel intro consilio hominem formandi, ingentem terræ massam, quæ vix intra totius mundi ambitum contineretur, sibi constituisse; quæ sanè terræ moles si extenderetur, ad firmamentum usque eminuisset. Cum Deus nanc terram in hominem effinxisset, simulacro spiritum vitæ indidit, actutum Adam in pedes sese erexit, Angeli ad insuetum monstrum pavescentes clamarunt: Domine Deus universi, sunt ergo geminæ in mundo potestates? Tunc Deus capiti novi hominis manu suâ impositâ, ita immanem Gigantem compressit, ut ad staturam mille cubitorum tantum juxta aliquos, vel 900, ut fert aliorum sententia, vel saltem ducentorum aut trecentorum, quin & centum cubitorum, juxta nonnullos, redigeret. Nec sane minor exigebatur hominis statura, ut decerperet fructum arboris scientiæ boni & mali, cujus spectatissima erat & monstro similis proceritas.

z Vide Bartoloc. Biblioth. Rabbin. t. 1 pag. 65 &c. Morin. Exercit. Bibl. l. 1, Exercit. 8, c. 11, art. 14.

Hæc de Giganteâ Adami staturâ sententia arrisisse pariter videtur S. Hieronymo, vertente illud Josue XIV 15. *Hebron vocabatur Cariath Arbe; Adam maximus ibi inter Enacim situs est*; sed verti aliter potest Hebræus: *Hebron ante vocabatur Cariath Arbe; vir iste maximus inter Enacim*; i. e. Arbe Princeps est Gigantum ejus regionis. Idem S. Hieronymus in *Quæstionibus Hebraicis in Genesim*, & *in locis Hebraicis* v. *Arboy*, hanc opinionem confirmat. Tandem in epitaphio Paulæ tradit, Urbem *Cariath Arbe*, sive *Urbem Quatuor*, nomen suum debere quatuor viris, Adam, Abraham, Isaac, & Jacob: tum asserit Adamum ibi conditum esse, juxta Libri Josue, & receptæ apud Hebræos traditionis authoritatem. Gemina sentiunt Christiani quidam Scriptores apud Bar-Cepha, & Joannes Lucidus.

Vetustiores diluvio homines justam hominum staturam plus nimio plerumque excedebant. Diluvii ætate superstitem fuisse tenent Rabbini Og Regem Basan, de quo legimus Deut. III, II. *Solus Og Rex basan restiterat de stirpe Gigantum*. In Arcæ scalas, extra tamen, vel super ejus tectum, neque enim una est eâ de re Rabbinorum sententia, sese recipiens Rex ille, aliorum interitnm tutò spectabat, cibo interim sibi sufficiente per expressum foramen Noemo, cujus servitiis toto vitæ tempore se se mancipaturum Og spoponderat. Porrò Og immanem corpore virum cùm semel Abraham non verbis tantùm sed factis etiam acrioribus castigasset, dentium unus ex ore viri excussus est, qui unus vel cubilibus nonnullis juxta quosdam, vel sellis juxta alios, materiam abundè suffecit.

a Vide Morin. exercit. Bibl. l. 1, 8, c. 2, n. 12, 13, 14.

Cum Og copias suas adversùs Israelitas duceret (a), animadvertens hostilem exer-

exercitum ſpatio duarum leucarum extendi, montem æquè grandem in caput ſuum levavit, quo in hoſtium capita excuſſo, omnes uno ictu opprimeret. Accurrit promptè Deus, cujus operâ immiſſus vermiculus, opportunè adeò montem, quo loco capiti Gigantis reſpondebat, perfodit, ut ſuper ſcapulas viri recidens, amplioris collaris ſpeciem exhiberet. Tentavit ille e collo ſaxeum lotum reducere; ſed ampliores viri dentes altè ſeſe in montem inſinuantes, firmum retinebant. Opportunitatem nactus Moyſes, accurrit ſtatim armatus aſciâ decem cubitorum; decem etiam cubitos altè ſaltavit, vir ipſe duodecim cubitis procerus, quibus tamen omnibus adjumentis nihil aliud valuit efficere, quàm ut talos adverſarii pertingens, mortis ictum inſligeret. Hæc Rabbini, qui illud Deut. III, 2. *Monſtratur lectus ejus* (Og)*: novem cubitos habet longitudinis, & quatuor latitudinis*; de cunis infantis exponunt. Ludibria hæc errantis phantaſiæ non moramur; ſed monſtrari illis receptam apud Hebræos traditionem quis neget?

Nomen *Nephilim* (*b*), quod redditur *Gigantes*, ſonare poteſt ad literam, cadentes, in alium irruentes, impetum facientes, veluti aves in prædam ſeſe immittentes; item, qui alios evertunt, dejiciunt, vel tandem homines violentos, impotentes, audaces. Iſraelitæ poſt exploratam terram promiſſionis ad ſuos in deſertum Cades reſtituri dixerunt: [*c*] *Vidimus monſtra quædam filiorum Henach de genere Giganteo* [Hebraicè *Nephilim*], *quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur*. En planè non obſcurum teſtimonium de Gigantibus, non raris iis, ſed in gentem, & populum coaleſcentibus: *Omnis populus quem aſpeximus*, legit Hebræus, *viri menſurarum ſunt*.

Nomen *Nephilim* poſt Moyſem nuſpiam legitur in Libris Sacris (*d*), cujus loco Gigantibus deſignandis frequens eſt apud illos vox *Rephaim*, ne Moyſi quidem ignota. Ait enim Moyſes, Codorlahomorem, & fœderatos ipſi Reges percuſſiſſe *Rephaim in Aſtaroth-Carnaim* [*e*]. Pollicetur Deus Gen. XV, 20, daturum ſe Abrahamo *regionem Rephaim*, quorum natio in Transjordanis. Og Rex Baſan *ſolus remanſerat de ſtirpe Gigantum* [*f*], Hebræus, de ſtirpe Rephaim, i. e. Moyſis ætate Gigantes fermè deſierant. Vir ille ſtaturâ adeò erat immanis, ut æneum ejus cubile novem cubitis longum, quatuor latum, adhuc poſt plures annos in Rabbat Metropoli Ammonitarum monſtraretur [*g*]. Reddunt novem cubiti pedes quindecim, digitos 4 ac ſemis, pro ſingulis cubitis, 20 digitis ac ſemis, computatis, qui ſi rectè ſupputentur, conficiunt hominus ſtaturam triplo juſto majorem.

De *Emim* populis ad Orienrem maris mortui ſermo eſt apud Moyſem, narrantem, permiſſos illos populos Moabitis, exterminio traditos fuiſſe. Potentiſſima erat & frequentiſſima natio, corporum proceritate ſpectabilis adeò, ut tanquam *Rephaim*, & filii Enach haberentur. En alteram Gigantum nationem ante Moyſem exterminatam, cujus tamen memoria adhuc recens ſervabatur; conſtat enim Moabitarum patrem nonniſi 325 annis ante Moyſem in lucem editum fuiſſe, nec niſi ſaltem poſt 150 vel 200 annos adeò valere potuiſſe Moabitas, ut expeditionem in Emim ſuſciperent.

Ammonitæ Moabitarum fratres, circa idem fermè tempus Gigantum *Zonzomim* aliam nationem aggreſſi ſunt (*h*). Porrò illi nec potentiâ, nec hominum numero, nec ſtaturâ Gigantibus e ſtirpe Enac concedebant. Eorum regio *Terra Gigantum reputata eſt, & in ipſa olim habitaverunt Gigantes*. Quare triplex Gigantum natio in Transjordanis; *Rephaim* ad ſeptemtrionem, *Emim* ad meridiem, & *Zonzomim* inter utroſque medii.

Erant etiam cis amnem *Rephaim*, & quandam ibi tenebant regionem Davidis ætate. Duo illorum genera diſtinguuntur, *Enacim*, filii Enac, ſedes potiſſimùm habentes in Hebron & adjacentibus regionibus; *Rephaim* ſeu filii *Rapha* in Urbe Geth commorantes, quorum erat gentilis Goliath. Frequens in Scriptura mentio *Vallis Rephaim* [*i*], ſeu *Vallis Gigantum*, ſatis proximæ urbi Jeruſalem, cui nempe valli nomen inditum, ſive quòd olim Gigantes ſuas haberent illic ſedes conſtitutas; ſive quòd caſtra ibi non ſemel poſuiſſent in bellis Philiſtæorum adversùs Judæos.

Meminit Scriptura [*k*] quinque Gigantum e ſtirpe *Rapha*, quos David ejuſque commilitones in variis certaminibus interfecerunt; 1 *Jesb-ben-Ob*, nempè Jesbi filii Ob; 2 *Saph* vel *Sapha*; 3 Fratris Goliath; 4 Gigantis illius, cujus ſingulæ manus pedeſque ſex digitis diſtinguebantur; 5 Tandem Goliat a David obtruncati (*l*), cui viro Scriptura ſex cubitos cum palmo, nempe 10 pedes, & 6 digitos altitudinis aſſignat; quot nempe duo proceri homines vix æquarent. Adversùs hæc hiſtorica monumenta nihil excipiendum. En Gigantes, Gigantum familias, Civitates, populos: nec illi utcumque juſtam hominum ſtaturam excedebant, ſed proceritatis & roboris erant, quales ad vivum pinguntur. Inſinuatur etiam, multò auctiorem Gigantum numerum olim

b נפילים *Nephilim*. *Aq.* ἐπιπίπτοντες, *cadentes, ſeu irruentes*. *Sym.* βίαιοι, *violenti*. *Th. & Septuaginta*, γίγαντες, *Gigantes*.

c *Num.* XIII, 34. וכל העם אשר ראינו בתוכה אנשי מדות : ושם ראינו את הנפילים בני ענק מן הנפלים

d Ezechiel XXXII, 20, 21, 23, 24, 27, ad Nephilim Moyſis ſpectaſſe videtur, agens de vetuſtis Heroibus gladio interemptis. נפלים בחרב

e *Gen.* XIV, 5.

f *Deut.* III, 2. *Joſue.* XII, 4, & XIII, 12.

g *Deut.* III, 2.

h *Deut.* II, 20, 21.

i *Joſue* XVIII, 16, & 2 *Reg.* V, 15, 22, XXIII, 13.

k 2 *Reg.* XXI. 1 *Par.* XX.

l 1 *Reg.* XVII, 4.

olim fuisse, cùm scilicet familiæ & integræ illorum nationes exterminio traditæ referuntur.

Filiis Enach suæ erant sedes in Meridionali Palæstinâ constitutæ (*m*). Enach tres olim fuerunt liberi, Gigantes & Gigantum patres, Achiman, Sisai, & Tholmai; proceræ adeò staturæ homines, ut comparati cum illis Hebræi locustæ viderentur, & Moyses non aliâ frequentiori phrasi immanes quosdam Gigantes designet, quàm patres illos affirmans filiis Enac (*n*). Josue in Chanaanitidem ingressus, omnes delevit Enacim Urbium Hebron, Dabir, Anab, cæterarumque Juda & Israel; solos reliquit Gigantes Gazæ & Geth (*o*); & diù post Gigantum sepulchra monstrabantur in Azotho [*p*]. Eorum ossa immania & supra fidem monstruosa ætate suâ adhuc spectari affirmat Josephus [*q*].

Amos de expeditionibus Hebræorum in Chanaanitidem agens, ita loquentem Dominum cap. 11, 9 inducit: *Ego exterminavi Amorrhæum a facie eorum, cujus altitudo cedrorum altitudo ejus, & fortis ipse quasi quercus; & contrivi fructus ejus desuper, & radices ejus subter*. Et Baruch III, 26. *Ibi fuerunt Gigantes, nominati illi, qui ab initio fuerunt scientes bellum. Non hos elegit Dominus, quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam*. Judiht in Cantico Dei laudes celebrat, quòd non manu Titanum & Gigantum, sed imbellis fœminæ, elegantis vultûs illecebris pugnantis Holofernem, tantum Ducem peremerit [*r*].

His documentis nihil addendum. Agit Baruch de Gigantibus antediluvianis; Amos item de Gigantibus Chanaanitidem ante Hebræorum ingressum tenentibus; describunt autem gentes illas viribus, numero, & staturæ proceritate supra vulgarem cæterorum hominum valentes. Illos exterminarunt Josue & Caleb [*f*], genus impium, ne diutiùs in mundo persisteret, non ferente Numine. Cùm verò e re sua homines universi censerent, si perniciosissima illa & impotentissima monstra delerentur, non est cur multùm miremur, si post plura sæcula nullos tamen, uti priùs, spectare contigerit Gigantes; in unum enim omnes conspirarunt homines, ut perniciosum genus delerent, quemadmodum in venenatis & perniciosis quibusdam belluis factum pariter constat, quòd ita extinguerentur, semel ac rarum aliquod ex illis in Orbe pareret, ut genus omne deleretur.

Historicis hisce exemplis alterius etiam generis argumenta accedunt, deducta e sacris Authoribus, apud quos sermo de animabus Rephaim, in Infernis criminum suorum pœnas dantibus. Job meminit Gigantum sub aquis gementium, unà cum illis, qui in Infernis torquentur (*t*); in quam pariter sententiam concedentes Prophani, Titanes describunt in imo Oceani [*u*], vel abyssi fundo (*x*) ejulantes.

.... *sub gurgite vasto*

Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Fœminæ effrænis vias ad Rephaim deducere monet Salomon (*y*); addens, eos, qui infames illas viæ ductrices sequuntur, rectâ ad locum Gigantum contendere (*z*). Isaias [*a*], & Ezechiel (*b*) Rephaim exhibent in tenebrosis quibusdam locis, qui honoris gratiâ assurgentes, venientibus gentium Regibus obviam occurrunt; Regibus, inquam, illis, qui cùm viverent, longè latèque sui nominis terrorem intulerant; post mortem verò ad Inferna unà cum Raphaim rapti sunt. Ambigat post hæc omnia, si quis vult, & Gigantes an magno etiam numero floruerint, hæreat suspensus.

Antequam consona in eam rem Patrum testimonia afferamus, animadvertisse juvat, eorum plerisque imposuisse falsò inscriptum librum Enoch, asserentem Gigantes ex commercio filiarum hominum cum Angelis perduellibus natos. Ita verò rem narrat personatus ille Scriptor: A. M. 1170 (*c*); *Vigiles* vel Angeli mulieres duxerunt, unde nata tria filiorum, ac familiarum distincta genera. 1; Gigantes, quorum statura justam multùm excedebat. 2; E Gigantibus nati Nephilim. 3; E Nephilim Eliudi. Cùm Gigantum numerus crevisset, humanis carnibus victitare cœperunt; ex quo factum, ut homines numero in dies decrescentes, clamarent ad Deum. Pronis ille auribus precantes auscultans, misit Angelum Gabrielem mandatis oneratum, ut iret, exterminaret Gigantes, nempe monstra illa ex Angelis perduellibus nata; committeret illos inter se, quò mutuâ cæde delerentur. Adjecit autem: Gigantum animæ in Dæmones transformabuntur, ex quibus mala omnia in mundum; nam ex illis obsessiones Dæmonum, tormenta in homines, spectorum territamenta usque ad extremam judicii diem. Ex his fontibus derivata plerumque Patrum ferè omnium de Gigantibus doctrina. Paulus Burgensis vir clarissimus ex Judæo Christianus [*d*], autumat, Gigantes ipsissimos fuisse sub hominum specie Dæmones.

m *Num.* XIII, 23, 24, 34.

n *Deut.* II, 10, 11, 21; IX, 12.

o *Josue* XIV, 1.

p *Josue* XI, 21, 22.

q *Antiquit. l.* 5, *c.* 2, *p.* 145 6 9. Δείνυνται δ' ἔτι καὶ νῦν τῶν ὀστῶ μηδὲν τοῖς ὑποπίπτουσιν ἐρχομένοις ἐοικότα.

r *Judith.* XVI, 8.

f *Josue* XV, 13, 14. *Judic.* I, 10.

t *Job* XXVI, 5.

u *Homer. Iliad.* 8. & *Hesiod. Theogon.*

x *Virgil. Æneid.* 6, *ver.* 742.

y *Proverb.* II, 18.

z *Prover.* IX, 18.

a *Isaias* XIV, 9.

b *Ezech.* XXXII, 19, 20, &c.

c Nempè 1071 ante diluvium, juxta supputationem Syncelli, componentis diluvium cum anno 2241.

d *In cap.* VI *Geneseos*.

Ex

Ex eodem Libro Henoch accepta credo, quæ de concepto Gigantum fœtu narrat Author Testamenti duodecim Patriarcharum (*e*). Hæc ille: Perduelles Angeli mulieres deperientes, assumptâ virorum conjugum illarum, sed giganteâ, specie, furtivum cum illis impetrarunt coitum, ex quo nati Gigantes; giganteæ enim formæ ludibrio mulierum phantasia affecta, giganteum expressit fœtum. Nulla per nos esto hujus fabellæ authoritas; sed rectâ inde consequutione infertur, apud Libellorum istorum procusores assertam fuisse Gigantum veritatem.

Patrum testimonia magno numero recitare supervacaneum ducimus; constat enim summo omnes assensu Gigantes admisisse: si qui contra senserint, vel ambigua eâ de re expresserunt, integrâ illos fide omnes supra retulimus. Jure tamen nostro omnes, qui contrariam nostræ opinioni sententiam totidem verbis non asseruerunt, pro nobis sumimus. Est enim, quam defendimus, causa una omnium sæculorum & gentium opinio. Nobis proinde favet possessio, ab aggressoribus, si quæ habent, pro se documenta promenda sunt.

Petimus tantum nobis e Patribus illos, qui authoritati rationes etiam pro sua sententia jungunt. Josephus, e. g. quem pro sententiâ nobis adversâ laudant, documenta pro Gigantibus affert, narrans spectari in Hebron immania quædam hominis ossa. Tertullianus (*f*) resurrectionem e residuis Gigantum compagibus probat. *Nec Gigantum antiquissima cadavera devorata constabit, quorum crates adhuc vivunt.* Ex ejus narratione intelligere videmur, inventa ejus ætate ex his ossibus quædam, dum fundamenta Carthagine effoderentur. S. Augustinus [*g*] demonstrat, fuisse olim maxime ante diluvium immanes staturâ homines, quam in rem primò communem hominum persuasionem eâ de re affert, laudans illud Virgilii de Ænea, tantæ molis lapidem in Turnum ejaculanti, quantam vix ferrent XII nostræ ætatis homines [*h*].

Vix illum lecti bis sex cervice subirent;
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Expressit hæc Virgilius ex Homero (*i*), quibus sanè probatur vetus omnium gentium persuasio. Addit S. Augustinus, nihil esse quod magis incredulas mentes revocet ad saniora, quam immania illa ossa, casu subinde vel e terrâ defossâ, vel aquarum alluvione detecta, vel e tumulis casu aliquo post plura sæcula eruta. Vidi ego in litore maris Uticæ, ait, ille, nec vidi solus, ingens quoddam hominis molare, quod centum vulgaria æquaret. Porrò molaria illa non uno in loco servantur, quòd dentes temporis minus sentiant injuriam, & cæteris omnibus resolutis, ipsa maneant incorrupta.

Augustinus Torniellus [*k*], in Ecclesiâ sui Ordinis Vercellis S. Christophoro dicatâ, vidisse se perhibet similis molis dentem, qui viri illius Sancti haberetur. Torquemada se vidisse pariter asserit Loriæ dentem alium, pugillum hominis strictum æquantem (*l*), & Asturgiæ partem maxillæ S. Christophori immanem adeò, ut Gigantis instar turris proceri intuentibus crederetur. Os coxendicis S. Christophori Venetiis in Ecclesia Cruciferorum servatum prodigiosæ est magnitudinis. Vetusta ejus Sancti Acta virum fuisse perhibent 12 cubitorum, vel 18 pedum altitudinis.

Ante paucos, quam hæc scriberet, annos contigisse narrat Antonius Sabellicus (*m*), ut cum in evellandâ procerâ quadam arbore ad navium constructionem insudarent fabri tignarii, casu invenirent calvariam hominis, dolii magnitudine non minorem, quæ cum ab illis tractaretur, resoluta abiit in cineres, solis remanentibus dentium nonnullis, quos in varios Venetorum cives, inter cimelia servandos, distribuerunt. Pugillo nihilo inferiorem dentem S. Christophori spectasse se in Cathedrali Valentina asserit Ludovicus Vives ejus Urbis civis (*n*). Isaacius Pontanus in suâ Danicarum rerum historiâ (*o*) meminit molaris cujusdam Starcoteri, viri Danici, duodecim digitorum ambitu.

D. Simonius Author Biblici Dictionarii [*p*] refert, anno 1667 in prato quodam, in quo servandis rebus fossa eruebatur, inventum vetustissimum quoddam monumentum, cæmento probè obductum, in quo prodigiosæ magnitudinis ossa, ut eorum unum septem pedes & tres digitos longitudinis referret, ambitu verò esset duorum pedum. Porrò os illud ipsissimum creditur, quod ex cubito ad scapulas porrigitur; post illud enim aliud sequebatur latissimum & planum: ossa cætera adeò computruerant, ut integrum nullum remaneret, salvis tantùm dentibus quibusdam, quorum singuli decem adamussim librarum erant pondo. E dentibus hisce unus, cui inferior mandibulæ pars hæret, pondus refert 17 librarum. Ovalis est dens ille figuræ longus 5 digitis & tribus latus. Dentes & ossa illa servantur in arce Molardæ juxta vicum S. Valerii, Diœcesis Viennensis in Delphinatu. Vidisse autem se affirmat Simonius dentes illos, cùm

Parœ-

e *Testam. Ruben c. 5.*
f *De Resurrect. Carnis c. 42, pag. 350.*
g *De Civit. Dei lib. XV, c. 9.*
h *Virgil. Æneid. 12.*
i *Iliad. 5, & 12.*
k *Annal. V. T. A. M. 987, n. 19.*
l *Torquemad. 1, dies.*
m *Oenead. 1, l. 1, non longè ab initio.*
n *In August. de Civit. l. 15, c. 9.*
o *Rer. Danic. l. 1, pag. 56.*
p *V. Gigantes.*

Digitized by Google

Parœciam S. Uzæ prope Molardam curaret, & testes laudat ejus rei Præfectos Arcis Uzæ & Molardæ, sicut & Sacerdotem ejusdem Arcis Capellanum, qui authenticum eâ de re instrumentum ad se transmiserunt anno 1699 die 24 Januar.

Poetarum testimonium in re quidem facti nihil faciendum: valet autem plurimùm, ut primores populorum traditiones & facta quædam historica, vetera illa & ignora, intelligentibus insinuet; quæ scilicet facta fucatis pigmentis & fabularum coloribus ad genium Poesis adumbrarunt Poetæ. Homerus de Ephialte & Orione filiis Iphimediæ novennibus pueris habet, crassiori fuisse novem cubitorum corporaturâ viros, staturâ verò ad 36 cubitos evasisse [q]. Titius apud eundem in terram prostratus novem terræ jugera occupabat [r]. Fama erat apud Græcos, frequentasse Gigantes agros Phlegræos, & urbem Pellenen [ſ], viribus autem suis adeò fisos, ut avulsas rupes & proceras incensasque arbores in Cælum ejacularent; erant autem corporaturâ enormes, crinibus & barbâ promissis, inferiùs angues.

q Odyss. 11, v. 310.
r Odyss. 11, v. 575.
ſ Apollodor. Bibliotb. l. 1, c. 6.

Agebat in Sicilia Typhon filius Terræ & Tartari, vir celsissima montium cacumina proceritate suâ excedens, Cælum tangens vertice, & utrâque manu extremos Orientis & Occidentis fines jungens; in superioribus vir, in inferioribus anguis. Poetica sunt hæc, & in majus aucta figmentis; sed vera est antiquitatis persuasio: si enim nunquam fuisse Gigantes renerent, quomodo in mentem venissent homines arma inferenres in Cælum, quomodo Cyclopes Siculi, quomodo Typhonis adversùs Deos prælia?

His omnibus argumentum præbuit Scripturæ narratio, de audacibus Gigantum Antediluvianorum cœptis, qui nempe audaciâ suâ & criminibus arma in Cælum ipsum inferre visi sunt. Est autem maximè animadvertendum, agi apud Poetas de Gigantibus; non raris illis & casu natis, sed de Gigantum nationibus, hominum genere staturâ proceto, quos nonnisi gravis Deorum & filiorum Dei manus opprimere valuisset.

Phlegon Adriani Libertus (t) meminit in eluvione quadam apud Messeniam in Peloponneso contigisse, ut lapideum quoddam monumentum detegeretur, quod fractum calvariam exhibuit hominis triplò quàm vulgates crassiorem, cum inscriptione Græcâ nominis *Ideus*, unde conjectura deducta, caput illud fuisse Idei viri inclyti, & inter Gigantes strenuissimi, ab Apolline, quem ad singulare certamen provocavit, interempti, juxta Homerum [u]. Addit insuper Phlegon c. 12 apud Dalmatas in antro Dianæ mira quædam ossa spectati cum costis 16 ulnis longioribus.

t Phlegon de rebus mirabilibus c. 12, ex Apollonio.
u Iliad. o, v. 554. Ι'δειώ θ', ὃς κάρτιστος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν Τῶν τότε &c.

Refert etiam cap. 17 sub Tiberio in vehementi terræ succussione montis ingenti portione divulsâ, luci expositas fuisse plures humanorum ossium compages ingentis magnitudinis. Loci incolæ stupentes hærentesque, tangere cadavera non sunt ausi, sed unius tantùm dentem avulsum tulerunt ad Imperatorem, ut ex ejus magnitudine argumentum faceret de reliquo. Tiberius religione quadam absterritus, Herois, cujus pars erat oblatum sibi molare, tangere non sustinuit; ne verò aspiciendi Gigantis voluptate sese privaret, adhibito doctissimo Mathematico, sibi pro datâ proportione curavit circumscribi virum, cujus tantæ molis dens pars habebatur. Thomas Fazellus historicus Siculus (x) alia plura congerit exempla de cadaveribus Gigantum in eâ regione subinde effossis. Anno 1516 detectum in agro Mazaræ corpus 20 cubitis procerum, cujus calvaria modium æquabat; dens, quem ipse apud se servabat, 5 unciis par erat. Ex quo confirmatur Veterum illa traditio de *natione Cyclopum* [y] ab ipsa origine Siciliam tenente.

x De rebus Siculis Decad. 1, l. 1, c. 6, l. 3, c. 4. Decad. 2, l. 9, c. 1.
y Homer. Odyss. H. v. 59. Ε'υρυμέδοντος, Ὃς ποθ' ὑπερθύμοισι γιγάντεσσιν βασίλευεν. Α'λλ' ὁ μὲν ὤλεσε λαὸν ἀτάσθαλον, ὤλετο δ' αὐτός.

Sui erant olim in Ægypto Gigantes, sui in Æthiopiâ, Arabiâ, & Palæstinâ, regionibus Ægypto finitimis. Locum esse in Ægypto, *Litres* appellat, ubi similia, ac in Sicilia, cadaverum monstra reperiuntur, asserit Phlegon (z). Ossa neque sub terra latent, neque eorum compages turbatæ; exposita omnia intuentibus, singula corporis ossa aptam servantia œconomiam distinguuntur, brachia, crura, & cætera itidem membra. Mentio est in Libris Paralipomenon (a) Gigantis Ægyptii 5 cubitorum, nempe 8 pedum, 6 digitorum & semis. Tantum virum interemit Banaias, miles in exercitu Davidis fortissimus. Miræ magnitudinis statuas spectari apud eosdem Ægyptios tradit Herodotus (b), utriusque sexûs homines exprimentes; describit ille simulachra pellicum Regis Mycerini in urbe Sai; Avorum Hecathæi, cum longo colossalium statuarum Sacerdotalium satellitio in Urbe Thebarum. Colossales item statuæ exhibebantur in vestibulis Templorum Apidis, Minervæ, & Vulcani, quarum alias 20, alias 70 pedum altitudinis describit Herodotus. Porrò scitum est, Ægyptios defunctorum suorum figuras in ipso eorum feretro ad staturæ mensuram fabricato expressisse [c].

z De Mirabil. c. 15.
a 1 Par. 11, 23.
b Herodot. l. 2, c. 30, 43, 175, 176.
c Herodot. l. 2, c. 86.

Cebarenorum [Gallorum erant genus, brumaliores regiones frigoris algore inhabitabiles tenentium] nihil se admiratum, procera licèt cadavera testatur Pausanias [d],

[*d*], quòd scilicet Ægyptia non excederent. De Sirbotis Æthiopiæ populis narrat Plinius [*e*], homines tunc 8 cubitis altos, nempe 12 pedibus, si cubitus 18 digitis computetur. De Gange Rege Æthiopiæ, viro 10 cubitis immani, sermo est in historia; sermo item de *Gobaro* Gigante 9 pedum & 9 digitorum, ex Arabiâ Romam deducto sub Claudio (*f*).

Quid ferant de Africanorum Gigantum ossibus Tertullianus & S. Augustinus, supra jam animadvertimus. Cùm eam regionem teneret Sertorius, juxta Urbem Tingitanam, quo loco recepta populorum traditio tenebat, Anteum filium Neptuni juxta nonnullos, vel filium terræ juxta alios, sepulturæ mandatum fuisse, spectavit ingentis molis sepulchrum, in quo Gigantis ossa recondi ferebantur. Creditu difficile id videbatur Sertorio; quare aperto monumento spectavit Gigantem 60 pedibus immanem. Actutùm Imperator Anteo hostiis litavit; tum & reconui iterum corpus præcepit, religione absterritus ne ossa ejus contingeret. Hæc Plutarchus in Sertorio. Ferunt etiam [*l*], Carthaginenses, dum terram effoderent, duo reperisse sarchophaga, aliud 24, aliud 23 cubitis porrecta.

Refert Hieronymus Magius (*m*), ex relatione Melchioris Guillandini, dum captivus Guillandinus ipse in Africa detinebatur, anno 1559 duos captivos Hispanos terram effodiendo juxta urbem *Jenexe*, olim *Juliam Cæsaream* miræ proceritatis Gigantem offendisse, avulsamque ejus calvariam duobus vectibus impositam, vix tanto ponderi ferendo pares; ad Regem Assanum Ariadenum, tanquam rem miram & novam retulisse. Ejus calvariæ magnitudinem Guillandinus ipse cum reliquo populo spectavit, asserens 11 pedum ambitum, vel 11 spithanarum (mensura est 12 digitorum) occupasse. Princeps ille barbarus, cujus nullus antiquitatis sapor, pro eo quod expectatam libertatem captivis illis donaret, vix 5 aurea scuta largitus est. Asseruerunt illi Guillandino, reliqua cadaveris ossa in eodem loco superfuisse, ex quo calvariam eduxerant.

Per ingentem cujusdam montis hiatum patuisse cadaver 46 cubitorum refert Plinius, quem alii Orionis, alii *Oti* suspicati sunt. Est autem Orion Vir ille Gigas frater Ephialtis, qui novennis adhuc puer crasso erat 9 cubitorum, & 36 altitudinis corpore. Hæc in Insula Cretæ [*n*].

In bello Cretensium cum Romanis ingenti aquarum alluvione corrosâ terræ superficie, inter latentia plurima revelatum est etiam corpus Gigantis 33 cubitorum (*o*), cujus rei supra fidem testes oculati fuerunt Metellus & L. Flaccus. Quanquam hæc historia ipsissima videtur ac Plinii illa supra relata; cùm tamen variæ sint apud Solinum omissæ à Plinio circumstantiæ, locum fecerunt conjecturæ D. Salmasii, autumantis, Solinum, quanquam alioqui Plinium breviare assuetum, aliunde tamen rei illius notitiam habuisse.

Gigantum quoque ossa spectanda in Insula Rhodo [*p*], ac Italia. Rerum potiente Henrico II Imperatore filio Conradi, anno 1041 inventum non longè cadaver ad Urbem Romam translatum est, cujus tanta erat proceritas, ut erectum ab imis ad summum usque mœnium loricam emineret (*q*). Pallantem filium Evandri à Turno occisum suspicati sunt; vulnus adhuc parebat quatuor pedibus latum. Minoris fidei aliud narrat Boccaccius (*r*). Drepani in Siculis inter effodienda ædificii fundamenta cæcum vastumque antrum revelatum est, quò incensam præferentes facem fossores illi ingressi, in cadaver hominis inciderunt, de cujus immensâ propemodum magnitudine conjecturam inde capere licet, quòd trabem velut navis antennam pro scipione haberet in manu. Tanti immanitas monstri primò terrorem injecit fossoribus, coegitque è loco sese proripere; sed animis iterum confirmati & armatorum hominum manu stipati redierunt; at Gigas vix tactus abiit in cineres. Plumbum juxta scipionem sive lanceam viri positum, pondus superabat 1500 librarum. Ossa integra erant; & calvariæ tanta erat capacitas, ut modia tritici commodè plura continuisset: reliqua ossa capiti respondebant; dentes singuli 9 librarum pondo. Polyphemus, Homero, & Virgilio celebris, Gigas reputatus est. Paulò ante captam à Gothis Romam, fœmina quædam & utrique ejus parentes, staturâ multò quàm vulgaris hominum superiores, ad sui spectaculum undique ad eam Urbem homines acciebant, teste S. Augustino [*s*].

Trojanam obsidionem urgentes Græci viros habebant in exercitu multò quàm reliquos omnes nostræ ætatis homines, etiam proceros, staturâ majores. Decem cubitis altos Heroas illos fuisse perhibet Philostratus (*t*). Eodem teste, Achilles spectandum se præbens per visum Apollonio Thyanæo, spectrum exhibuit primò 5 cubitorum, quod sensim ad 10 vel 12 excrevit. Agit ille pariter de Ajacis cadavere, cu-

d *Attic. pag.* 66.
e *Plin. l.* 6, *c.* 30; *l.* 7, *c.* 2.
f *Plin. l.* 7, *c.* 16.
l *Eumachus apud Phlegontem c.* 18. *Mirabilium.*
m *Miscellan. c.* 4.
n *Plin. l.* 7, *c.* 16.
o *Solin. c.* 1.
p *Phleg. Mirab. c.* 16.
q *Jac. Phil. Bergom. Suppl. Chronic. l.* 3, *a.* 1041.
r *Symphorian. Campeg. lib. cui titul. Ortus Gall. ex Boccaccio l.* 4, *Geneal.*
s *De Civit. l.* 15, *c.* 23, *pag.* 407, *num.* 2.
t *De vita Apollon. l.* 2, *c.* 21; *& l.* 4, *c.* 16; *de Heroic. proœm. & c.* 1, *n.* 2.

jus sepulchrum juxta mare positum reducentes arenam fluctus detexerunt: inventum est in illo cadaver 11 cubitis, vel 16 pedibus & semis procerum. Adrianus Imperator rudera Trojæ inspecturus veniens ossa illa restauratum in sepulchrum recondi imperavit. Viri Moysi relatione tenere se narrat Pausanias (u), ejus Herois tumulum, quà mare respicit, aditu facilem esse, inde verò argumentum de viri staturâ capiendum, quòd genuum vertebræ seu molæ atletici disci instar essent.

Orestis cadaver Thegeæ à Lacedæmonibus inventum, 7 cubitos, vel 10 pedes, & semis æquabat (x). In Sigæo Promontorio antrum pariter detectum est, in quo Gigas 20 cubitos excedens; quod ante 50 annos contigisse scribit Philostratus (y). Meminit etiam Gigantis, cujus cadaver quidam è necessitatiis suis in Insulâ Coo ante quatuor annos e latebris excusserat. Jacebat in antro quodam inter medias vineas; viri mensura 12 cubitorum; anguis in calvaria latebat. Cùm idem Philostratus ad insulam Lemos venisset, spectavit ossa Gigantis à Menecrate quodam detecta, ex quibus, dissolutâ licèt compage, conjecturam capere licebat hominis maximè proceri: & calvariæ tanta erat capacitas, ut duas Cretenses amphoras superaret. Porrò amphora Romanorum æquabat 28 circiter pintas Parisienses, seu 48 sextaria Romana. An Cretensis major esset minorve, ignoro.

Plura hujus rei exempla congerit idem Philostratus in suo illo Opere *de Rebus Heroicis*: meminit inter cæteros Protesilai, qui 20 annorum ætatem agens, 10 cubitos æquabat; meminit ejusdem fermè mensuræ plurium inter celebratissimos Græcorum Heroas. Pausanias, Scriptor sine controversia & exactior & correctior Philostrato, mentionem habet cadaverum Giganteorum per totam Græciam & alibi etiam; uti Asterii sepulturæ mandati in Insula Asteri è regione Mileti, cujus erat cadaver 10 cubitorum, vel 15 pedum [z]. Sermo apud illum pariter est de Gigante in Lydia superiori, juxta parvam urbem, quæ Temeni porta dicebatur, cujus inventa ossa tantæ erant magnitudinis, ut nunquam humana haberentur, nisi figuram referretur ab animantibus cæteris, præterquam ab humana, abhorrentem. Geryonis cadaver primò creditum, sed alterius visum est Pausaniæ, quippe quod Geryon in vivis egisset circa fretum Gaditanum, nec in Lybia diem clausisse unquam auditum. Quare viris emunctæ naris creditæ fuerunt reliquiæ Hylli filii Herculis.

Cùm in Syria Imperator aliò divertere Orontem tentasset, in arenti ejus fluminis alveo Gigas detectus [a] undecim cubitorum, hunc alii Orontem, alii Aryadem autumarunt. Indum quemdam declaravit Apollinis Oraculum. Reconditum cadaver illud in urna figlina undecim cubitorum. Monstratur hodie usque in Antarado monumentum 20 pedum; gemina in viciniis Damasci, alterum 30, alterum 20 pedum; priori illi 160 palmos seu 80 cubitos assignat Goujon. Credulis Itinerantibus persuadetur, amplius illud sepulchrum esse Abelis, brevius aliud Josue. Vidisse se Damasci coram hominis prodigiosæ magnitudinis testatur Benjamin Tudelensis, nec simillimæ alibi desunt.

Munitionibus vallare Insulam (fortè Æginam) non longè ab Urbe suâ Athenienses aggressi (b), cum ducendis fundamentis terram effoderent, inciderunt in monumentum 100 cubitorum, recondens non imparis staturæ cadaver. Ex inscripto epitaphio constabat, viri nomen fuisse Macrositim; vitam autem produxisse ad 5000 annos. Sed nisi mendum in Textum irrepsisse suspicemur, credulitati profectò hujus Scriptoris, qua in tumuli mensura, qua in ætate viri, impositum est.

Sub Anastasio Imperatore plura Gigantum ossa Constantinopoli inventa, & in æternum monumentum à Principe in Aula servari jussa, Glycas est author (c). Hercules victi Geryonis ossa Olympiam misit, æternum certaminum suorum & victoriarum monumentum [d].

Porus Indiarum Rex ab Alexandro Magno victus, vir fuisse narratur 7 pedibus & semis procerus (e), & cùm elephantem ascenderet, ad immanem belluam ea fuit viri proportio, quæ cæterorum ad equos [f]. Porrò 5 & semis cubitorum viri non infrequentes sunt apud Indos [g]. De Gigantibus brumales regiones olim tenentibus, quorum etiam nunc ossa & sepulchra spectantur, legas in historiis eorum populorum.

Theopompus Sinopæus in suo Opere de terræmotibus [h] refert, in validâ terræ succussione disjectum quemdam collem latentia intra viscera sua exposuisse Gigantis ossa, quæ simul composita exhibuerunt hominem 24 cubitorum. Narrat Florus (i), Theutonum, Regem gentium ejus nominis & Cimbrorum, cùm ad triumphum Romam duceretur, proceritate suâ insigne intuentibus spectaculum exhibuisse; super ipsa enim trophæa eminebat. Narrant alii interiisse virum e vulneribus in pugna relatis (k); cujus inventum in Delphinatu cadaver, expositumque, undique spectatores proceritate suâ invitabat.

u *Attic. pag.* 66, 67.

x *Herod. l.* 1, *c.* 68, & *Philost. c.* 1, *n.* 2.

y *Philost. Heroic. c.* 1, *n.* 3.

z *Pausan. Attic. pag.* 66, 67.

a *Pausan. l.* 8, *seu Arcadic. pag.* 503. Philostratus Heroic. c. 1, n. 2, æquasse cadaver illud asserit 20 cubitos.

b *Phlegon Mirabil. c.* 17. Τέθαμμ' ὁ Μακρόσιρις ἐν νήσῳ μακρᾷ. Ἐ' τῇ βιώσει πεντάκις τὰ χίλια.

c *Annal. p.* 4, *pag.* 265. Εὑρέθη ὄρυγμα, ἐν ᾧ ὀστᾶ γιγάντων πολλὰ. ἃ καὶ ἰσχύλα ὁ βασιλεὺς Ἀναστάσιος χάριν θαύματος ἐν τῷ παλατίῳ κατέθετο.

d *Philostr. Heroic. c.* 1, *n.* 3.

e *Arrian. l.* 5, *Diod. l.* 17.

f *Plutar. in Alex.*

g *Strab. l.* 15, *apud Plin. l.* 7, *c.* 2.

h *Apud Phlegon, Mirabil. c.* 20.

i *Florus l.* 2, *c.* 11. *Insigne spectaculum fuit, quippe vir proceritatis eximiæ super trophæa ipsa eminebat.*

k *Orosius l.* 5, *c.* 16.

Cum

Digitized by Google

Cùm autem ejus inventionis historia celebrarissima sit, & multorum scriptorum occasio, operæ pretium est fusiùs aliquanto illam referre. Feriâ 6, die 11 Januarii anni 1613 derectum est sepulchrum Theutobochi Regis Theuronum, in agro D. Langonii Civis Delphinatûs; erat autem locus non longè ab Arce Chaumont, inter Montrigaut de Serre, & S. Antonium. Cùm eo loci in sabulo 18 pedum altitudinis agricolæ laborarent, offenderunt monumentum 30 pedum longitudinis, 12 latitudinis, & 8 profunditatis, cum literis circum insculptis reddentibus: TEUTOBOCHUS REX.

Gigantis se invicem contingentia ossa spatium occupabant 25 pedum & semis longitudinis, 10 laritudinis in scapulis, 5 profunditatis. Ambitus capitis 10 pedum, longitudo 5, oculorum capsulæ 7 digitis gyrabant. Singula hæc deduxims e Libello, quem distribuebat Petrus Masuyer Chirurgus de Beaurepaire, qui simul exhibebat syngrapham Medicorum Montis Pessulani, & Gratianopolitanorum, ossa illa omnibus, quicumque spectatum venissent, sese monstraturos spondentium. Libellum scripsit Jesuita quidam; Lugdunensibus autem typis prodiit.

En ossium in sepulchro reconditorum catalogum. *Costæ* pars, *omoplatæ* lævæ pars superior, *humeri* caput, *femoris* caput, *femur*, *tibia*, *astragalus*, *calcaneum*, *os mandibulæ*. Crassitudo dentium, juvenci pedem æquabat; caput femoris humanum caput; a capite femoris usque ad crura, longitudo ossis 5 pedum & semis, latitudo trium. Tibia ad 4 pedes porrecta.

Eodem anno 1613 Nicolaus Habicot Anatomicus & Chirurgus insignis S. Cosmæ Parisiis *Gig..ntosteologiam* suam vulgavit, qua veritatem Gigantum arque ossium Regis Theutobochi tuebatur. Adversùs *Gigantosteologiam* illam, alreram opposuit eodem anno Joannes Riolanus Medicus & Anatomista celeberrimus Facultatis Parisiensis; cui anno 1614 opposuit *Imposturam detectam de inventione ossium Teutobochi Regis*; & anno 1618 *Gigantologiam* adjecit. Reposuit pro se alterum scriptum opponens Habicot, sed leve illud & optimis rationibus ferè destitutum: quæ censura est D. Alliot junioris, Doctoris Medici Facultatis Parisiensis, cujus humanitati singula hæc, tum Operum utriusque partis conspectum debeo.

Anno 1615 patuit scriptum Apologeticum Caroli Guilleman Medici Regii ordinarii, adversùs Habicot & Riolanum. Opus solidum, & invectivis plenum. Suspicabantur nonnulli, ossa illa ceti alicujus fuisse, vel fossilia aliqua, quæ in terrâ concrescere nonnullis in locis sat constat. Sed illorum sive figura sive substantia, omnia denique hominis sunt. Ager, in quo cadaver inventum, *Gigantis* appellabatur; nec rarò fodientibus offerebantur argentei quidam nummi *Marium* præferentes insculptum in antica, in postica verò duarum istarum literarum M. A. complexum.

Asserunt anno 785 inventam apud Bohemos calvariam hominis tanti ponderis, cui nec duo homines ferendæ sufficiebant; crura verò ad 26 penè porrigebantur. Insignis ille Medicus Felix Platerus in suis animadversionibus detecta testatur Lucernæ miræ magnitudinis ossa, ex quibus si reliqui corporis apta commensuratio facienda esset, non minus quàm 19 pedum Gigas assurgeret. De Gigante *Ferragus* à Rolando Caroli Magni nepote interfecto, memoriæ proditum est, 12 cubitos vel 30 staturæ pedes æquasse. In S. Capellâ Bituricensi os quoddam cruris monstratur, magnitudine non dissimili a tibiâ Theutobochi. Sepulchrum 30 pedum, Gigantis creditum, spectatur Parisiis ad Nostræ Dominæ. Hominem quindecim pedibus procerum vidisse se apud D. Nivernensem asserit D. Habicot. Oblatum Gontrano hominem tribus pedibus majorem, narrat in historiâ Gallorum Aimonius. Carolum Magnum æquasse 9 pedes altitudinis, concors est plurium assertum. Sub Ludovico XI (*l*) è regione Valentiæ in Delphinatu detecta in torrente, quo vicus *S. Perat* alluitur, ossa Gigantis, staturâ, quantum ex ossium illorum proportione, 18 pedum circiter; sicut fœminam giganteæ staturæ, cui nomen Garsenda, in Forcalquier sub S. Ludovico memoratur.

Immania quædam ossa monstrantur Taurini; in Valetudinario Mediolanensi vir quidam junior, staturâ erat procerior, quàm ut alendo immani illi corpori natura sufficere posset; duo juncta in longum cubilia viro substernebantur. Hanc sui temporis historiam refert Julius Scaliger (*m*). Asserit Torquemada *hexaemer. die* 1 sub Julio III virum in Calabria immanem corpore ad sui spectaculum mundum universum invitasse. Illum Romam accivit Pontifex; sed ferendo nullus par equus inventus; plaustro impositus, crura, quòd plaustrum ipsum superarent, pendula gerebat exteriùs. Ad Urbem ut pervénit, omnes affecit stupore, quòd proceriores etiam homines supra medium pectus non haberet.

Saxo Grammaticus [*n*] demonstrare nititur, Danicas regiones olim vel tenuisse Gigantes, vel saltem frequentes in illis versatos; quod ipsi quidem probatur ex im-

l *Cælius Rhodig. l.* 18, *c.* 31.

m *De subtilit. exercit.* 26.

n *Poëm. p.* 4.

manissimorum lapidum monumentis, quorum alia cavernis, alia sepulchris veterum Danorum imposita spectantur. Gigantis dentes & ossa immensæ magnitudinis detecta anno 1520 apud Scotos narrat Hector Boetius (o). In Cimeliarcho Regis Sueviæ videas (p) tibiam viri 25 librarum pondo, defossam Burgis apud Belgas anno 1643. Pertinet modò ad Othonem Sperlingium. Sermo est etiam in eodem Libro de Rege quodam Norvegiæ, defuncto anno 933, pedibus 14 procero; de Evindo quodam in vivis agente circa ann. 1338, qui 15 ulnas Norvegiæ æquabat. Propè Bircherodum humanum cadaver multò quàm cætera procerius detectum est anno 1695.

D. du Mont (q) narrat, quo tempore Græciam ipse discurrebat, inventum Thessalomeæ os quoddam Gigantis, qui, juxta Chirurgorum ejus regionis supputationem, 20 pedes assurrexisset. In expeditione Xersis in Græciam, Gigas Artachorus 5 Regiis cubitis, nempè 7 pedibus & semis immanis, terrorem Regiis adversariis faciebat. De Gigante in Syria 5 cubitorum & palmi, meminit sub Theodosio Niceforus. Surgebat Andronicus Comnenus 17 pedibus, teste Niceta; sicut & 15 pedibus Ostiarii Urbis Pechinensis, si fides sit Melchiori Nugnez Jesuitæ. Fœminam 10 pedum spectatie se Antuerpiæ tradit Coropius Medicus Germanus, qui Scriptis Libris Gigantes negavit.

Visi tandem in America Gigantes, qui vulgaris staturæ homines genibus habebant æquales (r). Hos viros, quorum ossa & opera modò etiam in Peruanis regionibus spectantur, igne cælitus in se scelerum merito provocato, absumptos, recepta apud incolas traditio fert; cui gemina jungitur similis apud Mexicanos & Brasilienses fama; apud quos simillima pariter ossium portenta. Satis hæc e multis ad asserendam Gigantum veritatem.

Suam de Gigantibus meditationem exponens D. Abbas Tilladet anno 1704 (s); defendendum aggreditur, non Gigantes tantùm in Mundo paruisse; sed & integras Gigantum Urbes ac Nationes, quin & Gigantibus accensendos primos illos Gentium Parentes, Coloniatum Ductores; utrosque pariter Gigantum parentes Gigantes fuisse, ut Adam, ex quo Abel Gigas, Cain, Seth, & priores saltem illorum posteros. Quomodo Arcam fabricasset Noe tot animantium generibus continendis aptam, nisi expressi in Scriptura cubiti ædificium illud metientes Gigantum fuissent? Anne præter Gigantes alius quispiam turrim Babelicam, tantum opus, moliri valuisset? Addit, homines illos, quò staturâ proceriores essent, eò pariter & vitam egisse diuturniorem, radicali illo & vitali humore magis abundante, quò in ampliora corporis vasa reciperetur.

Vitæ autem ad plura sæcula proregandæ valuisse plurimùm autumat, cum terræ fœcunditate opimiorem alimentorum succum, quo in naturæ senio paulatim cum fœcunditate deficiente, sensim & de vitæ diuturnitate remitti cœptum est. Ad Gigantes spectabant Nemrod, Assyrii Imperii primus author, sicut & Doctores Coloniarum Amorrhæorum, & Enacim, quorum gigantea posteritas diutiùs in regione cis & trans amnem. Inter Gigantes pariter suum habuisse locum credendi sunt Virginiæ & Magellanicæ regionis primi parentes; quòd hodie usque earum regionum incolæ robore, & corporis staturâ plurimùm valeant. Hæc D. Abbas Tilladet.

Post hæc omnia nihil ultra credimus ambigendum fuisse reipsa, nec infrequentes per omnes terræ regiones Gigantes, integras e Gigantibus constitisse nationes; Gigantibus, inquam, quorum erat statura duplo, quàm vulgaris hominum, procerior. Horum autem si nullum vel specimen extat nostra ætate, id partim tribuendum divinæ Numinis ultioni, quæ tot criminum & scelerum monstra solo tantùm nomine in mundo superesse toleravit; partim verò hominum cautioni, qui inito omnium gentium fœdere, exterminandis perniciosissimis humani generis adversariis arma intulerunt.

Quò autem objecta in contrarium omnia ordine refutemus, reponendum est: 1; Quæ de Gigantibus narrat Scriptura, multùm illa à Poetarum commentis abhorrent, quantum scilicet, veritas a mendacio, & a fabulâ historia. Quare si Patres aliquando alios fuisse docent Poetarum, alios Moysis Gigantes, nonnisi e media veritate doctrinam hanc suam prompserunt. Cave cum Poetis credas, tanto corporis robore valuisse Gigantes, ut montes montibus superstruerent, scopulos, Insulas, flammatas procerasque arbores in Cælum ejacularent; centum illos manibus instructos, superiora hominis, inferiora anguis habuisse. Poetica sunt hæc, & in majus aucta commenta, quemadmodum & ea, quæ de Polyphemo, Cyclopibus, ac Gigantibus fabulatur Homerus. Nihil tale in Scriptura: ad Poetas quod attinet, nihil ad nos.

2. Quicumque in ea sunt persuasione, Gigantes, & Cyclopes fœtæ pluribus ideis phantasiæ accepto referendos, quorum nihil tale in rerum naturâ, dissita hæc omnia in se concilians, extiterit unquam: vel qui Gigantum omnia eorumque adversùs Deos

præ...

o Hist. l. xi, pag. 240.

p Par. 1, sect. 2, n. 77, 74.

q Itiner. pag. 149.

r Acosta hist. Indic. l. 1, c. 99.

s Histoire de l'Academie des medailles & des belles Lettres tom. 1, p. 125.

Digitized by Google

prælia ad moralem & physicam quandam interpretationem, deflectunt; illi, inquam, nos habent dictis suis reponentes, nihil morari nos Poetarum commenta, e Gigantibus & Centautis monstruosa quædam portenta, nunquam in rerum natura spectanda, effingentium. Eorum tantùm asserimus veritatem, quæ in sacris Libris de Gigantibus feruntur, nimirum extitisse olim magno numero Gigantes, homines illos nihil a reliquis nisi statura corporis discrepantes; bellum autem in Deum non armis sed criminibus ac sceleribus movisse.

3 Quod dicunt nunquam fieri posse, ut Gigantes in rerum naturâ nascantur, cùm in rebus omnibus Deus ejusdem naturæ author certos præstiterit limites, quos prætergredi nihil unquam possit; repugnat id rei ipsius evidentiæ. Constat enim fuisse olim homines justam cæterorum staturam multò excedentes; sicut & infra vulgarem staturam plures, quos Pumiliones appellamus, quotidie nascuntur. Si verò aliqui paruerunt in mundo Gigantes, cur non & plures potuerint? Nec tamen in ea sumus sententiâ, primos homines universos, sicut & omnes veteres Palæstinos, & Siculos, Gigantes fuisse. Frequentes erant quidem Gigantes apud illos, erant familiæ quin & Gentes integræ; quemadmodum nostrâ etiam ætate spectamus, ut populorum aliqua natio cæteras proceritate superet.

Fatemur quidem, frigoris, caloris, aridi, & humidi certam in naturâ mensuram non facilè permittere, ut omnes ubique homines, bruta, plantæ ad majorem justo mensuram excrescant; sicut nec infra plus multò demittantur, quàm plerumque videmus. Nihil tamen prohibet, quominus in aliquibus Orbis regionibus quædam ex illis ad staturam multò supra vulgarem proceriorem pertingant; sicut & contingere quandoque spectamus, ut ferax sit hominum, brutorum & plantarum alicujus generis certa aliqua regio, quæ frustra in aliâ quærantur; ac generis alicujus animantia post certum quoddam temporis spatium ita præscriptas sibi leges pervertant, ut multò deinde minora, quàm antea fuerint, nascantur. Hæc omnium sæculorum experientia certissima, aperte satis demonstrant, potuisse in certis quibusdam locis, Gigantes spectari, qui multò quàm cæteri homines ubique locorum staturâ essent proceriores. Quæ prima ex Europâ in Americam translata sunt semina & plantæ, in proceras adeò arbores, & plantas excreverunt, ut nihil tale in Europâ: Mures ipsi & bruta cætera multùm vulgarem excesserunt corporis molem: ut quid igitur prima illa sæcula in terræ juventâ, cùm scilicet succo abundaret, & plantæ essent ad nutriendum aptiores, purior in venis hominum sanguis, succulentissima alimenta, ut quid, inquam, non major esset hominum quorumdam statura, majus corporis robur, sanitas major, vita diuturnior?

4 At enim natura nunquam produxisse Gigantes credenda est, cùm hodie, & si multùm enitatur, nunquam ad producendos illos saltem majori numero evadet. Sed nec ea, quæ hodie est, natura hominum vitam ad 8, vel 9 sæcula prorogare potest, quemadmodum in orbis juventa re ipsâ prorogavit. Nunquam pariter natura totis in unum collatis viribus lupos in Angliâ, venenatos serpentes in Insulâ Melitæ, Hippopotamum in Ægypto producet; nunquam ne ergo in iisdem regionibus paria gignere valuit? Nequit in hoc horto certum hunc fructum, hunc florem emittere; nunquam ne ergo emisit? Si natura aliquid modò in certis aliquibus locis non valet, hæc sanè non defectui in natura virtutis adscribenda sunt, sed naturalibus ad propaganda rerum genera instrumentis destituta est, omnibus ejus generis exterminatis. Ita pariter de Gigantibus reputandum. Revocet quis ad vitam veteres Palæstinæ & Siciliæ Gigantes, statimque Gigantum ipsa propagatio reparabitur. Qui verò staturam hominis 7 pedibus majorem non agnoscunt, quippè quòd Hercules eam non excederet, coguntur illi tamen fateri, spectatos Romæ Gigantes Herculeâ staturâ multò superiores. Ad hæc, Herculem 7 staturæ pedes attigisse, inter veteres Scriptores non convenit. Apollodorus 4 cubitos vel 6 pedes Viro tribuit [t].

5. Quicumque decrescere in dies homines habent persuasum, opinionem illi tuentur rationibus destitutam; quæ tamen Gigantibus potiùs asserendis quam evertendis valeret.

6. Inter eos, qui reipsa Gigantes olim in mundo spectatos volunt, nemo planè asserit, giganteam illam staturam maximè naturalem hominum fuisse; illud tantummodò reputantes, nihil habère illam naturæ repugnans, nihil absonum Universi elegantiæ, cæterisque rerum dotibus. Nullum esse dicunt Inconveniens, si Gigantes, possibiles alioqui, admittantur; uno verbo, magno numero Gigantes olim in mundo spectatos, quorum frequentia id efficeret, ut non monstra haberentur, sed certa hominum genera. Quæcumque contra aliam à nostrâ sententiam objiciuntur, nihil ad nos.

7. Eo-

t *Bibliot. l. 2, c. 5, pag. 96.* Τετραπηχυαῖον μὲν γὰρ εἶχε τὸ σῶμα.

7. Eorum error, qui persuasum habuerunt, Gigantes ex Angelorum perduellinm cum filiabus hominum connubio prodiisse; extitisse olim Giganres invictè probat. Testimonium de receptâ apud populos de Gigantibus traditione admittimus, rejicimus errorem. Quin nec ipsa pariter traditio tam vetus longè latèque propagata & constans, ineluctabile esset argumentum, nisi cum Scripturis vetustisque omnium sæculorum historiis afferræ fidei cohærerer.

8. Si tandem natura ludens interdum quædam in terræ sinu produxit, humanis ossibus, calvariæ, tibiæ, ossibusque cæteris non absimilia; nunquam tamen eò deveniet, ut integras ossium humani corporis compages nàturalibus simillimas effingat; quin & illi naturæ lusus argumentum sui nunquam non præbent, sive majori, quam par est, rotunditate, sive figuræ, sive proportionum, sive, ut plurimùm, soliditatis discrepantiâ. Sunt enim fossilia colore dilutiora, quippè quæ ad terrestrem magis, ubi concreverunt, accedant. E solidâ mareriâ compacta sunt, non intus inania, nr hominum ossa. Nec impossibile credimus, ut Elephantum, & Ceti alicujus ossa pro Gigantibus obrrusa sint; sed constat equidem & genuina quædam Gigantum ossa aliquibus in locis spectari, non incertum de Gigantum veritate documentum.

DISSERTATIO
DE TURRI BABELICA.

Turris Babelicæ ædificium monumentum est & historia, contra quam nihil valuerunt sive longissimi temporis vices, sive dissita locorum spatia, sive linguarum discrepantia, & gentium dispersio: nihil, inquam, valuerunt, ut abhominum memoriâ tantum opus delerent. A primis inde sæculis usque ad nostram ætatem manet ejus rei traditio apud gentes fermè universas, iis tantùm exceptis, quibus barbaries ipsa & antiquitatis alra oblivio in naturam penè transivit. Pura illa & exactissima mansit apud Orientales, gentem omnium maximè moribus & lireris excultam. Deductam ex Orientalibus Græci fabulis corruperunt, id sibi Vatibus eorum indulgentibus, ut omnia porrenrosis fabellis infercirent, quò genio populi in res miras servirent. Latentem hanc sub fabularum tegumentis veritatem a Græcis Larini acceperunt. Pura rei cognitio, veluti puri latices e fonte, e Moyse ipso reperenda.

a Origen. cont. Cels. l. 4. Mosaicæ historiæ fidem, argumento viro docto satis impari, in suspicionem tevocare nititur Celsus (*a*), contendens, Legislatorem Hebræum hanc de Turri Babelicâ historiam e fabellâ Poetarum de Aloidarum seu Titanum in Jovem bello expressisse; cui reponit Origenes, non Moysem quidem, utpote Poetis & literis ipsis Græcanicis vetustiorem, ex illis; sed ipsos potiùs Græcorum Vates ex Hebræo Legislatore derivasse, quidquid veritatis fabellarum figmentis corruperint.

b Vide Cyrill. Alex. l. 4, cont. Julian. Juliano Imperatori quanta quanta hæc historia subolet fabellam (*b*): usurpabat enim ad literam illud, quod in Textu legitur: *Faciamus nobis Civitatem & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum.* Illud autem irridens reputabar Imperator, nunquam, & si homines in unum conspirassent consilium, & si cæmentaria ex universo Mundo strues compararetnr, & in lateres terra compingeretur omnis, nunquam ædificium tale consurgere potuisse, vel si parietibus tenui etiam filo renujoribus constaret, ut Cælum rangeret vertice. Deridiculam autem traducit Christianorum & Judæorum credulitatem, quibus persuasum dicit, Deum hominum consiliis perdendis linguarum confusionem immisisse, quòd sibi ab illis metueret.

Has viri impii calumnias repulsurus S. Cyrillus observat, multùm nos quidem abesse ab ea credulitate, qua territum Deum sibique metuentem consiliis hominum dissipandis intendisse aurumaremus. Ad captum vulgi loquitur Moyses, cùm descendisse Deum perhibet, & dum pariter addit homines consilium molitos fuisse turrim ædificandi, *cujus culmen pertingeret ad Cælum.* Similis enim loquendi phrasis alibi in Scriptura celsum aliquid designat. Quæ verò ex ejusmodi verbis fabularum Authores fabricati sunt commenta, nihil ad Christianos. Si Deus descendisse legitur, ut ab incepto homines absterreret, si confusionem in sermones illorum injecisse, id non eo consilio factum, quasi sibi mali aliquid timeret, sed ut homines ab inutili & vano incepto, qua est in illos bonitate, cogeret absistere. Reputantes enim mortales illi, fieri iterum

iterum potuiſſe, ut nova imbrium procella in mundum excuteretur, turrim adeò proceram ædificandam aggreſſi ſunt, ut nubes celſitudine ſuâ vincens, homines a diluvio poneret in tuto, quaſi ſcilicet Deus, cujus nutu aquæ ab inundandâ terrâ deſtiterant, non æquè pariter valuiſſet homines ab earum metu liberare.

Paganorum cavillationes adversùs Babelicam turrim, quaſi ſcilicet ejuſdem hiſtoriæ veritate motum à Gigantibus Jovem bellum confirmaretur, depulſurus Philo, omnia ad allegoriam detorquet (*c*), ratus regulas omnes dirigendis moribus aptiſſimas à Moyſe ſub ejus narrationis obtentu præſcriptas. Factum tamen ille non negat; ſed morali tantummodo ſenſui excutiendo totus impenditur. Verùm nec morales ejus commentationes, nec objectas contra veritatem ejus hiſtoriæ cavillationes morati, id unum tantummodò in hac noſtrâ Diſſertatione ſuſcipimus, ut nihil ejus hiſtoriæ circumſtantiis in obſcuro relinquatur.

Hæc igitur Moyſes Gen. XI, 1, 2. *Erat* (ab initio) *terra labii unius, & ſermonum eorumdem: Cùmque proficiſcerentur de Oriente, invenerunt campum in terrâ Sennaar, & habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro ſaxis & bitumen pro cæmento. Et dixerunt: Venite, & faciamus nobis Civitatem & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum, & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras.* Geſta hæc creduntur circa A. M. 1770, poſt diluvium 114, & ante Æram Chriſtianam 2234. Neque minus temporis ſpatium exigi videbatur, ut tot homines naſcerentur, quot tantum opus repoſceret. Integrum tamen ſæculum ſatis ſuperque reputandum eſt.

Cum Arca illa, tutum Noe ejuſque familiæ ab aquis diluvii effugium, in vertice Ararat Armeniæ montis inſediſſet (*d*); [locus eſt 10, vel 12 leucis ab Erivan Orientem verſùs] eum pariter locum in ſedem elegerunt homines poſt diluvium quod etiam recepta tenet apud Armenos & Orientales populos traditio. Siſuthrus, quem Pagani cum Noe confundunt, ex Arca egreſſus, ait Alexander Polyhiſtor (*e*), datam cælitùs vocem audivit, præcipientem Babylonem rediret, docturus homines literarum uſum, quas literas inventurus eſſet in Urbe Sipparâ; ſciret autem ſe Armeniæ tunc loca tenere (*f*).

Gemina fermè refert Abidenus ex Beroſo (*g*); narrat autem Siſuthrum, celatis in Urbe Heliopoli in Sipparena monumentis & Scriptis, quæ apud ſe retinebat, conſcenſo navigio, per inundantes diluvii aquas iter Armeniam verſùs direxiſſe. Porrò Arcæ reliquias in ſua adhuc regione ſervari tenent hodie pariter Armeni; nec dubitant in Armenia quoque Noemum, ejuſque familiam poſt diluvium ſedes ſuas collocaſſe.

Torus ergo controverſiæ cardo in eo vertitur, quomodo Moyſes Armeniam *Orientis* nomine deſignare potuerit; eſt enim Septemtrionalis maximè regio, qua Babyloniæ, qua Arabiæ, & Palæſtinæ, iis ſcilicet regionibus, unicè à Legiſlatore, dum Geneſim ſcriberet, ſpectandis. Sed nullo negotio demonſtraretur, conſueviſſe interdum Hebræos eàdem *Orientis* appellatione deſignare pariter Aſſyriam, Meſopotamiam, Syriam, & Tranſeuphratæa; quas ſcilicet regiones magis orientales eſſe Palæſtinæ, quam Armeniam, dixerit nemo. Minatur Dominus Iſraelitas, futurum ut hoſtes undique adverſus illos concitaret, Syros ab Oriente (*h*), & Philiſthæos ab Occidente.

Ex Oriente in Palæſtinam veniſſe Abrahamum, quamquam reipsâ ex Haran Meſopotamiæ tranſmigraverit, author eſt Iſaias 12, 2; a quo pariter aſſeritur moviſſe Cyrum ex Oriente in Babyloniam (*i*); cùm tamen ex Armenia & Perſide veneric. Scribit Daniel (*k*), Antiochum Epiphanem, acceptis defectionis populorum Orientis nuncius, commotum fuiſſe. Porrò gentes illæ ipſiſſimæ ſunt Tranſeuphrathææ Septemtrionales potiùs, quam Orientales Judæis; quas proinde Scriptura familiari phraſi interdum *ſeptemtrionis* nomine deſignat. Ita enim arma Regum Aſſyriæ in Chaldæos prænunciat: *Ab Aquilone fumus* (*l*); *ab Aquilone pandetur malum* (*m*). Conſtat reipſa tamen omnes eas regiones, Armeniam maxime, ita Septemtrionales eſſe Palæſtinæ, ut ad Orientem vergant.

Poſteri Noe è regionibus Armeniæ *in terram Sennaar*, i. e. in Babyloniam venerunt. Vaſa Templi Domini in Fano Idolorum ſuorum in *terrâ Sennaar* à Nabuchodonoſore poſita, aſſerit Daniel 1, 2. Joſue (*n*) de rebus furto ſublatis ab Acham ſermonem habens, ſubductum ab illo ſcribit *pallium Sennaar*, i. e. interprete Aquilâ, & Chaldæo, pallium Babylone contextum. In regione ergo Sennaar conſtituta erat Urbs Babylon, quanquam alioquin regio illa multùm ſupra Urbem excurreret, Septemtrionem verſus, ubi, uti quidem probabiliſſimè creditur, mons *Sagras*, vel *Singar*, cujus apud Authores prophanos mentio (*o*), nomen ſuum derivabat ex *Sennaar*, vel *Sengar*, juxta pronunciationem eorum, qui literam Hain veluti G pronunciant, uti factum in *Segor* & *Gaza* aliiſque nonnullis conſtat.

Nec

c *De Confuſ. linguarum.*

d *Gen.* VIII, 4: *Requievit Arca menſe ſeptimo ſuper montes Armeniæ*, Hebr. *ſuper montes Ararat*: אררט

e *Apud Euſeb. Græc. Chronic. l. 1. pag. 8.*

f ὡς ὅτι ὅπου εἰσὶν ἡ χώρα Ἀρμενίας ἐστί.

g *Apud Euſeb. Chronic. l. 1, pag. 8.* κελεύει δὲ πᾶν ὅτι γραμμάτων ἀνέχεται ἐν Ἡλίου πόλει τῇ ἐν Σιππάροισι ἀποκρύψαι. Σισίθρος δὲ ταῦτα ἐπιτελέα ποιήσας εὐθέως ἐπ᾽ Ἀρμενίης ἀνέπλεε. Non inverofimiliter credimus, Urbem Sapharam, ſive provinciam Sapharenam, de qua Alexander Polyhiſtor, Beroſus, & Abidenus, ipſiſſimam eſſe, quam Moyſes appellat *Saphar*, montem Orientis, *Gen.* X, 30. & Herodotus *l.* 1 montes Sapiros; & *l.* 4 montes illos collocat inter Colchos, & Medos.

h *Iſai.* IX, 12.

i *Iſai.* XXVI, 11.

k *Daniel.* XI, 44.

l *Iſai.* XIV, 31.

m *Jerem.* I, 14.

n *Joſue*, VII. 21. אדרת שנער *Aqu.* στολὴν βαβυλωνικήν. *Sept.* ψιλὴν ποικίλην, *ſeu* στολὰν ψιλὴν ποικίλην, &c.

o *Strabo l.* 16, &c.

Nec inito consilio & unâ simul transmigratione factum credo, ut homines desertis Armeniæ montibus in Babyloniam transmigrarent. Paulatim venerunt secundùm ripam Euphratis & Tygridis, opima pascendis gregibus pascua offerentem. Aucto deinde numero tum hominum tum gregum, id tandem reputarunt, fieri vix posse, ut in unâ omnes regione consisterent. Nec in illud tantùm consilium venerunt, quòd major esset populus & greges majores, quàm ut una ferret regio; sed in id maximè propensos confirmavit servandæ pacis & politiæ difficultas in populo, cujus tot essent Principes, quot per familias capita, nullâ legis, nullâ monarchiæ communione juncta.

p Gen. XIII.

Revocari huc meritò possent, quæ de dissidiis Pastorum Abrahami, & Loth [p] vulgata sunt; cùm enim regionis unius pascua amborum opimis gregibus non sufficerent, tollendis inter utriusque Pastores jurgiis & simultatibus, quibus gregis necessitas fomentum in dies majus præbuisset, dissociare utrinque tabernacula & sedes coacti sunt.

Constitutis ergo ab hominibus in regione Sennaar sedibus, consilium cœptum est agitari de ædificanda Urbe, quam veluti Metropolim, Imperii centrum, & communem patriam haberent. Ad ornamentum & præsidium addere visum est celsissimi fastigii turrim, hæc secum reputantibus, perpetuum illud mansurum tum nominis apud posteros sui, tum & communis inter se necessitudinis monumentum, ut seris tandem nepotibus, quid hoc rei esset interrogantibus, reponeretur, posuisse illa Patres suos, quò memoria non peritura maneret, esse se e parente Noe filios. Cum verò, addebant, in varias dissitasque provincias dispergi nos omnes contigerit, Babelicam indicantes turrim, hic esse communem omnium patriam demonstrare poterimus, ut varia licèt incolentes loca, fratres tamen & unius veluti Patriæ cives nos esse agnoscamus. Simili exemplo diu post Israelitæ ad sedes suas Transjordanicas regredientes, ex aggestâ terrâ struem erexerunt; monumentum posteris suæ cum gentibus cis amnem necessitudinis (q).

q Josue XX, 2.

Illud consilii, uti verosimiliter credimus, homines agitabant, dum turrim & urbem Babelis ædificandam aggressi sunt (r). Aliis tamen aliter visum, reputant enim viros illos bellum in Deos indicere molitos fuisse; quam in rem phrasim sacri Textûs expendunt; *Turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum*; tum & titulum Gigantis a LXX collatum Nembrodo (s) viro nempe ejus consilii primo, uti creditur, authore. Quare Gigantes apud Poetas ipsum e Cœlo detrudere Jovem enixi montes montibus superstruunt, ut arma in ipsum inferant Cœlum (t).

Extruere hi montes ad sidera summa parabant.

Et magnum bello sollicitare Jovem.

r Vide Tostat. in Josue, Abenezra, Levi, Ben Gerson, Salian. A.M. 1500 & alios plures.

s Genes. X, 8, 9. כנמרד גבור Septuag γίγας ἐν τῇ γῇ

t Ovid. Fastor. l. 5. Vide & Virgil. Æneid. 6, & Homer. Odyss.

u Antiq. l. 1, c. 5.

Narrat Josephus [u], homines è diluvio reliquos novam procellam sibi metuentes aliquandiu in montibus substitisse; cùm tandem Sem, Japhet & Cham omnium primi e crepidine montium in plana descendissent, ac cæteris, ut exemplum suum sequerentur, fuissent authores, omnes tandem in regionem Sennaar transmigrasse. Tunc Deus alto providentiæ suæ consilio meditans in varia Orbis loca mittere colonias, cùm refractarios voluntati suæ haberet homines, spretæ Divinitatis injuriam ulturus, flagellum in ipsos excussit. Nec semel Deus præceptum illud refractariis injunxit, sed iterum insistens, iterum jussionibus suis habuit immorigeros; reputantes scilicet, eo consilio se dispergere meditatum fuisse Numen, ut dissipatos perderet faciliùs.

Nembrod filius Chus, & Chami ex filio nepos, vir consilio promptus & manu, facinoris hujus audaciam cæteris hominibus inspiravir. Jactitabat vir ille identidem sibi accepto referre debuisse felicitatem suam: augurabatur autem facilè se mortales omnes dicto suo subjectos habiturum, si in defectionem adversùs Deum adducere illos valuisset. Quare, ut in partes suas traheret incautos, optimum esse factu proposuit, si celsi adeò fastigii turris excitaretur, ut inundantibus deinceps diluvii aquis in tuto positi insultarent: quo simul molimine ulturos se dicebat Patrum suorum necem, quos Deus immissis diluvii aquis extinxisset.

Vanis hisce seducti homines promptam manum turri construendæ admoverunt. Cœptum impigrè opus, namque imbecillioris esse animi rebantur, si divinis jussionibus morigeros se præberent; & cùm rei prosecutioni nec deessent opifices, nec cæmentaria strues desideraretur, proficiebat in dies ædificium; quod tamen, ne citiùs etiam insurgeret, faciebat mœnium soliditas & crassitudo, ut, qua proportione turris illa in latum extenderetur, eò minùs in altum videretur excrescere. Audaciam & obstinationem intuitus Deus, nec tamen perimere omnes sustinens, divisionem & linguarum confusionem inter eos immisit; ut cùm alter alterum loquentem auscultare non posset, coacti tandem & destiterunt ab opere, & in varias orbis regiones dispersi sunt. Hæc Josephus, laudans pariter Sybillæ oraculum ferens, homines unius olim idiomatis communio-

munione junctos, celsissimæ Turris constructionem suscepisse, quo scilicet veluti scabello Cælum attingerent; sed Deos excussâ in turrim ventorum & imbrium procellâ cœptum opus dejecisse [x].

Authoritas quidem Josephi, cùm à Scriptura recedit, nullius est momenti; nec majoris supposititia Sybillæ oracula; sed ejus testimonio apertè satis demonstratur, de consilio illo mortalium, ædificandæ scilicet Babelicæ Turris, nihil præclarè sensisse Judæos. Idem Sybillæ oraculum laudat Eusebins (y), cui majoris quidem ponderis aliam addit authoritatem Abydeni, & Eupolemi, mentionem de Turri illâ inducentium, quam constructam dicebant à Gigantibus perduellionis adversùs Deos consilium agitantibus. Ita ergo Abydenus: *Sunt qui primos homines e terrâ natos, cùm viribus & corporis mole confiderent, potentiamque superis ipsis majorem affectarent, immensæ altitudinis Turrim, ubi nunc sita Babylon est, molitos esse dicant; quæ cùm jam propiùs abesset à Cælo, ventos ipsos, navatâ Diis operâ, vastam & immanem eorum in capita substructionem effudisse, cujus ex collapsæ ruderibus ea, quam Babyonem vocant, extiterit.*

Eupolemus narrat, urbem Babylonis; & Turrim hanc per totum latè orbem celebratissimam authores habuisse Gigantes e diluvio reliquos; eversorem autem Deum; Gigantes verò illos per totam late orbis faciem dispersos. Artapanus apud Polyhistorem, sive ipse Polyhistor [z], asserit legi in quibusdam ignotorum Authorum Libris, Abrahamum in terram Gigantum venisse; audaces verò homines illos perdidisse Deos sceleribus illorum provocatos: unum tamen mansisse Belum, qui Babylone considens ædem sibi elegisset in Turri à se constructâ, & ejus deinde nomine appellatâ. Addit, Abrahamum post hæc in Phœniciam & Ægyptum venisse.

Nec meliora senriunt de constructoribus Babelicæ Turris inter Patres plerique. Impium illud consilium a viris scelestissimis & Deo perduellibus initum fuisse, certum ubique constituit Philo in suâ Lucubratione de confusione linguarum. Verba illa: *Ædificemus Turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum*, ad literam interpretatus videtur S. Augustinus (a): *Si enim hoc fuit eorum consilium*, ait ille, *ut e summo Turris cacumine pertingerent ad Cælum, nimiùm stulta audacia, & impietas eorum deprehenditur.* Et quidem absurda illos sensisse, divinæ ultionis documento intelligimus. Addit autem idem Augustinus de Civit. l. 16, c. 4, *Quid factura erat humana & vana præsumptio? cujuslibet enim, & quamtamlibet in Cælum adversùs Deum altitudinem molis extolleret, quando montes transcenderet universos, quando spatium nebulosi aeris evaderet? Quid denique noceret Deo quantacumque vel spiritalis vel corporalis elatio?* Facilè autem credit alibi (b), Patriarcham Semum in audacibus illis consiliis nunquam communicasse; nihil enim ad illum de impositâ cæteris pœnâ, confusione nempè linguarum; purus namque Hebraicus sermo (quem primævam linguam constituit) in ejus familia permansit. Hæc Augustinus.

Ejus verò Operis Authorem incentoremque ne dubitans quidem constituit Nembrodum (c), ut ex Scripturâ intelligere sibi visus est, perhibente [d]: *Principium Regni ejus Babylon.* An verò una vel plures excitatæ fuerint Turres, ambigere se profitetur; solemne est enim, ut singulare usurpetur aliquando loco pluralis, ut cum designando alicujus rei generi frequenti sermone dicimus, miles, locusta, rana &c. Recepta tamen vulgò opinio tenet, in unius tantummodo Turris ædificationem junctâ operâ homines conspiratie.

Author Libri Sapientiæ ædificium illud præ oculis habuisse visus est, cùm scriberet: *In consensu nequitiæ cùm se nationes contulissent, hæc* (Sapientia) *scivit Justum, & conservavit sine querela Deo* (e], sed contextus sermonis Abrahamum innuat, inter medios Idololatras illæsum a corruptione servatum. S. Joannes Chrysostomus pluribus reprehendit consilium primorum hominum, Babelicam Turrim ædificantium, audaciæ illos, superbiæ, & vanitatis accusans (f). Scripturæ textus insinuare videtur illum, quo homines tenebantur, metum, ne a Deo mutuò divellerentur; & quid sibi cautionis evitando malo præstiterint. *Faciamus*, reputabant illi inter se, *nobis Civitatem, & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cælum.* Et infra de Nemrod ait Scriptura: *Nemrod cœpit esse potens in terra*, [Gigas] *& erat robustus venator coram Domino.* Tertullianus *superbissimam Turrim* ædificium illud appellat, ratus descendisse Filium Dei, ut opus everteret, atque ædificantium idioma confunderet (g).

Eutychius Patriarcha Alexandrinus (h), qui Orientalium plures traditiones in suo Opere collegit, refert, homines, cùm numero augerentur, in unum cœtum 72 virorum coivisse [i]; mutuò autem sese excitasse, ut urbem simul cum arce ædificarent, in qua pariter construerent Turrim, ad Cælum usque eminentem, de qua inundantes iterum diluvii aquas inferiores respicerent. Triennium igitur solidum impenderunt

x *Idem l. 1, c. 5, p. 13.* μέμνηται καὶ Σιβύλλα λέγουσα οὕτω. πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων, πύργον ᾠκοδόμησάν τινες ὑψηλότατον, ὡς ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἀναβησόμενοι δι' αὐτοῦ. οἱ δὲ θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες, ἀνέτρεψαν τὸν πύργον, καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδωκαν.

y *Euseb. Præpar. lib. 9, c. 14, 15, 16.*

z *Apud Euseb. l. 9, c. 14, 15, 16.*

a *Lib. 1, quæst. in Genes. quæst. 21.*

b *De Civit. l. 16, c. 11.*

c *De Civit. l. 16, c. 4.*

d *Gen. x, 10.*

e *Sap. x, 5.*

f *Chrysost. hom. 30, in Genes. pag. 430, &c.*

g *Adver. Praxeam c. 16, pag. 509.*

h *Annal. tom. 1, pag. 51, 52.*

i Seu potiùs Principes familiarum convenerunt. *Vide Epiphan. hæresum l. 1, hæres. 39.*

compingendis excoquendisque lateribus 13 cubitorum longitudinis, 10 latitudinis, & 5 crassitudinis. Quibus comparatis, Urbem construxerunt in loco Tyrum inter & Babelem medio, 313 perticis porrectam, 151 latam. Mœnibus cingebatur 5533 perticis altitudinis, & 33 latitudinis: Turris ad 10000 perticas surgebat, cui non minus quàm 40 annorum spatium impensum; nec tamen propterea opus absolutum est, intercœpit enim ædificantes missus à Deo Angelus, à quo idioma illorum confusum.

Paria fermè refert Glycas (k). Cœpta est, ait, Turris ædificatio anno 536 post diluvium, operi verò 40 solidis annis insudatum; meditabantur autem ab inundantibus iterum diluvii aquis tutum sibi effugium parare. Præerant ædificantibus 72 ex optimatibus. Frustraneos tamen eorum conatus immissa idiomarum inter opifices confusio reddidit. Anni 43 Turri & urbi Babylonis construendæ impensi. Parietibus typhonis impetu disjectis evertisque, oppressum Nemrodum author est Cedrenus (l); & idipsum de typhonis turbinè muros dejiciente legimus apud Sybillam & Abydenum. Malunt alii, terræ concussione ædificium illud corruisse: igne Cælitus demisso ad fundamenta usque arsisse, scribit Benjamin Tudelensis. Mansisse longiori adhuc ætate alii defendunt: nihil eâ de re apud Moysem.

Hæc scribentes eò sensim delati sumus, ut Turrim illam Babelicam describeremus. In ipso limine expectabunt fortè Lectores, ut grande aliquod ædificium oculis exhibeatur; ex quo enim ad literam verba illa accipiantur, *Cujus culmen pertingat ad Cælum*, nihil erit adeò magnificum, adeò verbis exaggeratum, quod verborum illorum granditas non superet. Arcem Babylonis, quam ipsissimam credit Turrim, post diluvium excitatam, 4000 passuum altitudinem æquasse, ex aliis acceptum refert S. Hieronymus (m). Ad Passus 5174 assurgentem describit Ado Chronic. ætate primâ, tradens insuper, paulatim in altum coarctari, quò faciliùs inferiora molis fundamenta imminens pondus sustinerent. Addit etiam post S. Hieronymum, efferri pariter Templa marmorea; statuas aureas, & plateas auro gemmisque fulgentes, aliaque plura supra fidem, quibus Urbs Babylon distingueretur. Paria legas in Chronico Isidori, cujus Textus habet 4000 passus, in orâ autem annotatum est 5174. Quod addunt Authores illi de pretiosis ejus Turris ornamentis, insinuat planè Templum Beli, de quo plura Herodotus, & Diodorus Siculus; vel arcem in medio Babylonis, cujus Diodorus & Q. Curtius meminerit; sed omnia augent in majus, hæc enim habet Herodotus (n).

Postquam enim idem Author pluribus Babylonis Urbem descripsisset, addit, in Urbe & in una ex ejus partibus, in duas enim intersecante Euphrate distinguitur, duos spectari insignis proceritatis muros, quorum alter Ædes Regias, alter Jovis Beli Templum claudunt. Postremum hoc ædificium, cujus ænei erant postes, Herodoti ætate adhuc spectabatur; impositum autem erat areæ quadratæ duorum stadiorum. Assurgebat in medio spatii ejusdem figuræ Turris, cujus basis stadium sive 125 passus in longitudine, & totidem in latitudine (o), vel, juxta alios Scriptores, in altitudine & latitudine dimetiebatur.

Surgebat supra Turrim Turris altera imposita, quæ itidem tertiæ fundamentum erat; tertiæ quartæ, & sic deinceps usque ad octavam. Per gradus in extimâ molis superficie extructos ad summum cacumen ascendebatur, quamquam non perpetuo scalarum ordine, erant enim identidem latiora requiescendi aluendique spatia.

Octavæ Turri insidebat amplissimum quoddam Templum, in quo nulla simulacra, sed splendidè stratus lectus, ante quem aurea mensa posita. Noctu in Templo quiescere nemini, ait Herodotus, permissum, nisi fœminæ inter cæteras ejus Urbis à Belo, uti quidem à Chaldæis ejus Fani Sacerdotibus credulis impositum est, selectæ; cum quâ Deus noctu maritales congressus habere creditus. Idem ritus obtinebat Thebis in Ægypto, in cujus Fano Jovi Thebæo dicato fœmina clandebatur; quod pariter privilegium erat fœminæ Sacerdotium agentis Pataræ in Lycia.

In inferioribus ejusdem Templi Belo dicati ædicula, ait Herodotus, spectatur, ubi colossalis Jovis figura throno assidens, habens ante se mensam positam; ex solido auro omnia, statua, thronus, mensa, & mensæ bases. Totum opus æstimabant Chaldæi 800 aureis talentis (p). Extra ædem aliud ejusdem metalli nitet Altare, in quo lactentia tantùm animalia mactabantur: pro victimis provectioris ætatis majus aliud positum est. Aliquandiu ante Herodotum è solido auro alterum simulacrum consecratum erat 10 cubitorum; quo excepto, reliqua omnia oculis suis lustrasse idem Author testatur; atque ex fide Chaldæorum refert, Darium Hystaspis surripere simulacrum illud tentasse; sed cùm Principis illius molimen irritum cecidisset, Xerxi ejus filio cessit felicius. Singula hæc fusius referre malui, quòd ab Authore coævo & oculato teste memoriæ prodita sint, qui nempè Author abhinc plusquam 2000 annis vivebat, Mundi scilicet anno 3520, & 484 ante Christum.

Hoc

k *Annal. par. 3, pag. 128.*

l *Annal. p. 11.*

m *Hieron. in Isai. c. 14, l. 5, pag. 49, edit. Victorii. Arx autem, i. e. Capitolium hujus Urbis, est Turris, quæ ædificata post diluvium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuum, paulatim de alto in angustias coarctata, ut pondus imminens facilius a lateribus sustentetur. Describunt ibi Templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus auroque fulgentes, & multa alia, quæ penè videantur incredibilia.*

n *Herodotus l. 1, c. 181, 182.*

o *Herodot. ibid.* σταδίου καὶ τὸ μῆκος καὶ τὸ εὖρος.

p Id est 1090000 libris, singulis talentis in 2400 libras computatis.

Hoc Beli Templum a Semiramide constructum refert Diodorus Siculus l. 2, p. 38, seu 39, nihil se tamen de illo certi scribere protestatus, tum quòd Authores inter se non consentiant, cùm etiam, quòd suâ ætate nihil de illo restaret; sed ultrò fatetur, Turrim hanc ad celsissimum erectam fastigium conscendisse Chaldæos, ut syderum ortum & occasum specularentur.

Totum opus lateritium erat, & bitumine multo opere & artificio cæmentatum. Superiora Templi tenebant, à Semiramide dicata, tria simulacra, Jovis nempe, Junonis, & Rheæ. Jovis statua hominem exhibebat gradientem, 40 pedibus procerum; pondere autem erat 1000 talentorum Babyloniorum; assidebat Rhea 1000 talentis ponderans, cujus ante pedes stabant duo leones, & totidem angues argentei 30 talentorum pondo. Juno tandem 800 talentis gravis stringebat dextrâ manu anguis caput, & sceptrum gemmis internitens sinistrâ. Ante tria illa Numina excurrebat ex ductili auro mensa 40 pedum longitudine, 17 latitudine, & 500 talentorum pondo. Hæc omnia ab Herodoto, immane quantum! discrepant.

Ætatis suæ testis Plinius asserit l. 6, c. 26: *Durat adhuc ibi Jovis Beli Templum:* sed illud senio corruisse vetustior Plinio Diodorus Siculus testatur. Refert Josephus [q], Alexandrum Magnum, cùm primùm Babylonem venisset, reparandæ illius confilio purgari aream militibus suis commisisse; ac parentibus omnibus, solos renuisse Judæos, neque minis, neque injuriis territos. Cùm opus temporis longius spatium exigeret, consilium exequi Princeps, morte prævenrus [r], eo ipso anno quo opus inceperat (s), non valuit. Ita Templum Beli semel funditus eversum à Xerxe post infelicem ejus adversùs Græcos expeditionem [t], nunquam deinceps restitutum est (u). Hæc Strabo, & Arrianus.

Sed contraria planè asserit Herodotus, oculatum se testem Templum illud sive Turrim Beli spectasse affirmans. Constat autem scripsisse illum post Xerxem, nonnisi sex annis à fuso ejus Principis exercitu anno 3526. Xerxes autem jam inde a 28 annis diem clauserat, cùm Historicus idem in frequenti Græcorum concione Librum suum recitavit A. M. 3559, ante Christum 445. Constituamus ergo oportet ejus Templi eversionem inter annum 3559 & 3681, quo scilicet ejus reparandi consilium Alexander inivit.

Sed negocium facit, an Turris vel Templum, de quo hìc sermo, ipsissimum sit à Moyse insinuatum, non enim inter Scriptores eâ de re convenit; affirmantibus enim aliis ædificium illud excitasse Nemrodum unà cum Gigantibus è diluvio reliquis (x); contra excipiunt alii, opus vindicantes Belo [y] vel Semiramidi (z), vel Nabuchodonosori (a). Constat planè, solemne fuisse Orientalibus, conditæ Urbis vel molis honorem ejus reparatori, vel qui ornandum illud augendumque suscepissent, tribuere. Ita non ratò in Scriptura Princeps aliquis conditæ Urbis author perhibetur, quamquam illam stetisse Urbem illam constat; quòd scilicet vel munitionibus illam cinxerit, vel eversam reparaverit. Ita pariter Nabuchodonosor florentem diu ante se Babylonem ædificasse gloriatur [b]: *Nonne est hæc Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei?* Fieri ergo optimè potuit, ut Nemrod & posteri Noë urbis & Turris Babylonicæ fundamenta locarint, quæ postea ædificia Belus perfecerit, ornarit, & Belo ipsi dedicarit Semiramis; ac tandem fulgentis jam Urbis nitorem auxerit Nabuchodonosor.

Belus Assyrius, qui Babylone regnabat post Arabes, congruit ætate cum Samgar Judice Israel [c]. Ninus ejus filius Imperium Assyrium fundavit anno 2737, cujus deinde pondus Semiramis ejus uxor post illum sustinuit anno 2789. Quare Moyses nec de operibus Beli, nec Semiramidis agere poterat. Qui verò Belum ipsissimum esse Nemrodum reputant, in anachronismum apertissimè incidunt, nisi alterum Belum invehant patre Nini multò vetustiorem.

Apud Prophanos Ninus Ninive Urbem condidit, quam tamen Nemrodi ætate jam floruisse (d) sat constat. Reparavit ergo Urbem Ninus, auxit, munitionibus vallavit, ornavit; Nemrod verò sive Assur primus illam condidit: ex quo aliud nostræ conjecturæ accedit argumentum, Babylonem scilicet fundasse Noëmi posteros; sed idiomatum confusione turbatos, imperfectam reliquisse; quare supremæ manui cœpto operi imponendæ suâ singuli ætate studuerunt, Belus, Semiramis, & Nabuchodonosor; quibus authoribus id incrementi Urbi, ut ejus conditæ honorem sibi singuli vindicarent.

Post Alexandrum Magnum nihil satis certi de Turri Babylonica. Facilè ipsis obruta ruinis suis, oblivione sepulta est; & cùm Plinius suâ adhuc ætate superesse testatur, Herodoti textum habens præ oculis, verbum verbo reddebat. Stabat enim Herodoto in vivis agente; & post illum usque ad Plinium magnæ rerum vices in Babylonia.

De Turris hujus celsitudine silet Herodotus, inferiorem tantummodo, nempè octa-

q *Contra Appion. l. 1, pag. 1048, 1049.*

r *Strabo l. 16, pag. 742. Arrian. l. 7.*

s *A. M. 3681, ante J. C. 323.*

t *A. M. 3526, ante Christum 476.*

u *Strab. l. 16. Arrian. l. 7, expedit. Alex. pag. 159.*

ὁ γὰρ τοῦ Βήλου νεὼς ἐν μέσῳ τῇ πόλει τῶν Βαβυλωνίων, μεγέθει τε μέγιστος, καὶ ἐκ πλίνθου ὀπτῆς ἐν ἀσφάλτῳ ἡρμοσμένος.

x *Vide Sybillam apud Joseph. Antiquit. l. 1, & Euseb. Præpar. l. 9, Eupolem. & Abydenum apud eundem ibidem.*

y *Q. Curt. l. 5. Abyden. ex Megasthen. apud Euseb. Præparat. l. 9, c. 41.*

z *Ita Ctesias, & ex illo Diodorus Strab. Trogus alii plures.*

a *Vide si placet Dan. IX, 27. Joseph. Antiquit. l. 10, c. 11.*

b *Daniel. IV, 27.*

c *A. M. 2682. ante Christum 1322.*

d *Gen. X, 11.*

Digitized by Google

vam in fundamento locatam, stadio in quadrum gyrasse referens (e). Stadio assurgentem & porrectam in quadrum, nempe passibus 125, Strabo testatur (f). Est enim, ait, quadrata pyramis lateritia; eversa est modò, dejiciente, uti quidem creditur, Xerxe. Restituere Opus tentavit Alexander; sed cùm immensi esset & laboris & temporis, non minus enim quàm 1000 hominum bimestri spatio impensi sunt, ut è ruderibus aream purgarent, cùm, inquam, tanti esset moliminis opus, nec Alexander, morte statim præventus, valuit perficere, nec ex ejus successoribus alter in ejus curæ partem venire sustinuit. Hæc Strabo, qui Turrim illam seu pyramidem Beli sepulchrum appellat.

Rabbini in Libro *Jalcut* Turrim Babelicam assurrexisse 27000 passibus comminiscuntur: quam etiam mensuram in Libro *Pirke* prorogant usque ad 70000, quò nempe numerus respondeat 70 Angelis throno gloriæ assistentibus, & 70 populis quot tunc in Orbe agebant, ac totidem linguis, in quas Babelica confusio unicum antea sermonem dispescuit. Ejus ædificii fundamenta 2000 longitudinis passibus dimetitur Benjamin Tudelensis; addens, Turrim æquasse in latitudine 240 cubitos, vel 360 pedes; in longitudine verò 100 perticas, vel 600 pedes. Porrò ille nonnisi de eversæ illius molis ruderibus, qualia oculatus testis spectavit, egisse credendus est, cùm diù antea prostratam jacuisse constet.

Itinerantes cæteri, cùm in eas regiones venissent, curas omnes impenderunt, ut de celebratissimo vetustatis monumento aliquid rescirent; sed cum inter illos non satis conveniat, nihil est ut aliquid ex illis capiamus adjumenti. Circumjacentes populi certum locum veteris Babylonis ignorant; & alta illa, quæ regiones tenet, ignoratio, portentosas adeò apud illos invexit fabellas, ut de eorum credulitate nihil nobis scientiæ adjungatur. Narrat Gujon ex relatione duorum virorum Abbevillensium, qui mancipii jure servierunt Præfecto Bagdat, Turrim Babelicam molem esse lateritiam (singulis lateribus ad brachii mensuram) rotundam, bitumine & argillâ cæmenti loco cohærentem, altitudinis 50 perticarum, vel 300 pedum. Commodè ad ejus culmen evaditur non per gradus, sed per viam in muri crassitie paulatim ascendentem, viam autem adeò spatiosam, ut 20 simul gradientes homines capiat. Crassus est murus ejus molis 100 passibus, & pro dato decem brachiorum spatio, parent januæ rotundæ, unde in interiora ædificii aditus; sicut & dispositæ sunt ad transmittendam intus lucem fenestræ, pro dato quolibet 6 brachiorum spatio. Extimam superficiem ornant insculptæ figuræ capitum virorum, fœminarum, animalium, quadrupedum, piscium, & avium. Hæc Author, persistere adhuc Babelicam Turrim intactam autumans.

D. de La Boulaye apud Daviti (g) refert, contulisse se exploratum reliquias Turris Babelicæ, in locum tribus leucis à Babylonia, in agro inter Euphratem & Tygrim medio. Spectasse autem Turrim intus solidam (h), speciem habentem montis potius quàm ædificii. Basis ejus, ait, gyrat facilè 300 passibus circiter, quanquam & aggesta circum rudera aream occupant 400 seu 500 passuum circiter.

Ita verò ædificium illud construitur. Sex lateritii ordinis primùm spectantur, postea septem, & sic deinceps alterno ordine usque ad summum. Inter sextum & septimum Ordinem è palea recenti adhuc veluti lectus insternitur, tribus digitis crassus. Lateres singuli pedem Regium habent in quadro, 6 digitis crassi; cæmentum, quo inter se cohærent, digito circiter crassum est; mixtura est autem e terrâ & bitumine, quali hodie usque pro cæmento ejus loci incolæ utuntur, scatet enim perenni fonte in lacu proximo bitumen. Numerasse se dicit Author 50 ordines 6 laterum, quibus alii 7 succederent, ut proinde totius molis altitudo ad 138 regios pedes assurgeret. Patet in cacumine amplior quædam fenestra; in basi verò antrum est, continendis leonibus aptum; & circa medium hiatus interiora penetrans ædificii adusque latus adversum, pede in quadro non major.

Alia planè sunt hæc ab iis, quæ hucusque disseruimus. An D. Boulaye cohæreat cum aliis Itinerantibus, ignoro. Spectantur, inquiunt illi, in loco tribus leucis à Bagdat inter Euphratem & Tygrim medio, in vasta quadam planitie magnæ cujusdam Turris rudera, vulgari regionis nomine & traditione creditæ Turris Nemrodi. Gyrant rudera illa 300 passibus circiter, surgunt autem majoris olim ædificii vestigia circiter 20 perticis, seu 120 pedibus. Lateribus sole excoctis decem digitorum regiorum in quadro, & trium crassitudinis constat opus; sex lateritii ordines alteri contritarum arundinum & paleæ admixtarum ordini incumbunt. De forma hujus ædificii, vetustate undique collapsi, nihil certi. Quadratum tamen potiùs quàm rotundum crederetur. An verò rudera illa Babelicæ Turris habenda sint, nec ipsâ ejus regionis traditione satis constat. Arabes enim ejus loci molem hanc appellant *Agarcuf*, opus tribuentes

Arabum

e *Herodot. l.* 1 *c.* 181, ἐν μέσῳ δὲ τῶ ἱρῶ πύργος στερεὸς οἰκοδόμηται, ςαδίου καὶ τὸ μῆκος καὶ τὸ εὖρος. καὶ ἐπὶ τούτῳ τῷ πύργῳ ἄλλος πύργος ἐπιβέβηκε.

f *Strabo lib.* 16 *initio p.* 718. ἦν δὲ πυραμὶς τετράγωνος ἐξ ὀπτῆς πλίνθου, καὶ αὐτὴ ςαδιαία τὸ ὕψος. ςαδιαία δὲ καὶ ἑκάςη τῶν πλευρῶν &c.

g *Daviti, Asia pag.* 316, 317.

h An fortè paria insinuat Herodotus agens de Turri Babylonica, Templi loco Belo dicatâ, illis verbis: ἐν μέσῳ τῶ ἱρῶ πύργος στερεὸς οἰκοδόμηται. *Turris solida ædificata est!*

Arabum cuidam Principi, qui cogendis in prælium suis accensâ in ejus cacumine face lignum dabat.

Petrus della Valle clari nominis Itinerator, eâdem, quâ cæteri, solicitudine rudera ejus Turris spectaturus venit; sed in descriptione non satis cum aliis convenit. Refert ille, in loco, leucæ quadrante ab Euphrate Orientem versùs, spectari rudera quadrati fermè & magni operis ædificii, 1150 passuum circiter ambitu. Superiora, fere ubique in conum, veluti pyramides desinunt. Constat opus lateribus sole excoctis, quibus conjungendis pro cæmento est mixtura quædam e terrâ & arundinibus quibusdam contritis, quibus colligantibus ex unâ veluti massâ totum opus concretum est. Quo loco firmior exigebatur ædificii compages, lateres igne excocti ac bitumine colligati substituti sunt.

Porrò vir iste, de quo modò, delineari sibi curavit duas ejus ædificii minùs deformatas facies, Septentrionalem nempe & meridionalem, quas, cùm Romam venisset, obtulit P. Kirchero, qui ære incidendas curavit. Qui persuasum habent ipsissimam hanc esse veterem Babelicam Turrim; 1 laudant pro se receptam incolarum traditionem, locum illum Babelem appellantium; 2 Ejus ædificii materiam, lateres nempè bitumine colligatos, quæ cum relatione Turris Babelicæ apud Moysem quadrant; 3 Quadrat & locus Turris in agro Sennaar ad Tigrim.

Sed facile hæc omnia diluas. Recepta in populo traditio, nec constans est satis, nec uniformis. Aliæ spectantur in regione Turres, quibus eadem appellatio communis. Ad rationem ædificandi quod attinet, nihil in illa peculiare; lateres enim & bitumen pro cæmentariâ omni materiâ hodie pariter obtinet in illis regionibus. Gratis autem certus ille locus pro agro Sennaar & loco Turris assignatur. Si quis scientiâ valeret adeò, ut locum illum Turris ad duas leucas præter propter assignaret, illi certè causa adjudicanda esset, atque omni ambigendi remotâ causâ, an Turris illa intacta, vel runeribus suis spectanda adhuc subsisteret, certò definiretur.

Sunt qui Turris illius rudera, juxta Baldach, ad Euphratem assignent (*h*). Monstrant Regionis incolæ ingentem ruderum & lapidum struem, veteris ædificii reliquias, quas propius accedere vetat metus anguium, magno numero in latebris illis versantium. Verùm si lapidum strues supereit, alterum sanè est ædificium a Turri Babelicâ, lateribus tantùm & bitumine fabricatâ.

Paulus Orosius (*i*), & post ipsum S. Gregorius (*k*), confudisse in unum videntur Urbem & Turrim Babylonicam, quasi pro eodem usurpantes duo illa Scripturæ verba: *Civitatem, & Turrim*; nempe, ut ipsi quidem innuunt, Urbem Turribus munitam; saltem expresse satis Authores illi Babylonem conditori Nemrodo assignant. Sed Paulus Orosius notat, reparatam illam fuisse à Nino vel Semiramide, quibus Authoribus debentur insignia illa ædificia ab Historicis celebrata. Reliquias ejus Turris ætate suâ adhuc manusse affirmat Theodoretus [*l*]; asserens pariter, illos, qui oculis rem totam exploraverant, atque frustula ejus ædificii avulsa secum tulerant, fuisse bitumine pro cæmento colligatum. Nec plura Theodoretus.

Ex his omnibus statuendum censemus, historiæ apud Moysem relatæ veritatem assertam esse maxime, nihilque alicujus ponderis adversùs illam objicere potuisse sive Julianum, vel Celsum, cæterosque nostræ Religionis adversarios. Fabellam autem Gigantum, depellere è Cælo Jovem nitentium, à Moyse derivari. Neque enim Moyses, utpote Poetis omnibus vetustior, accipere quidquam ab illis potuit. Celsitudinem verò Turris nullo doceri satis asserto monumento. Dejectam sive ventorum procellâ, seu ignis è Cælo dilapsi vi nunquam constat; quin potiùs non inverosimiliter credimus, mansisse adhuc post hominum dispersionem. Belus, Semiramis, Nabuchodonosor augendæ conditæ jam Urbi ornandæque pro suâ quique ætate laborarunt. Non Xerxes quidem molem illam dejecit; sed spontè corruit eo temporis intervallo, quod post Herodotum usque ad Alexandrum Magnum defluxit. Alexander ille restituendæ consilium inivit; sed summam operi manum non valuit imponere. Quæ ab Itinerantibus relatæ sunt, veras quidem habemus vetustissimorum ædificiorum reliquias; sed ipsissimam hanc esse Turrim Babelicam, hæremus ambigui.

h *Kernman in Templo natura pag. 289.*

i *Orosius l. 2, c. 6.*

k *Gregor. Turon. l. 1, c. 6, Histor. Francor.*

l *Theodoret. qu. 59 in Genes.* Καὶ οἱ αὐτόπται τούτου διαῤῥῆξαι τὶ μέρος ἰσχυρίσαντο, καὶ ἀκριβῶς διεγνωκέναι, ὡς ἄσφαλτος ταῖς ὠπτημέναις ὑπέστρωται πλίνθοις.

DIS-

DISSERTATIO
DE MATERIA ET FORMA
VETERUM LIBRORUM,
AC VARIA SCRIBENDI RATIONE.

Vetustissima omnium scribendi ratio, quantùm scimus, imaginibus quibusdam vel literis, in lapide lignove insculptis, constabat; cujus generis scripturam vetustissima Ægyptiorum & Chaldæorum monumenta exhibent. Hunc scribendi morem ante diluvium obtinuisse Josephus (*a*) testatur, cùm filios Seth contra duplex diluvium, per aquam primùm, deinde per ignem, quòd Mundo imminere norant, geminas columnas, lapideam alteram, ut aquarum injuriis resisteret, alteram fictilem, ne igne corrumperetur, observationibus astronomicis, a se primum factis, inscripsisse narret. Has columnas vidisse se idem Historicus sibi persuaserat. Nostras in hunc Josephi locum conjecturas dedimus in Commentario ad cap. 6 Genes. vers. 13. Veterum columnarum in Insula Cretæ extantium, in quibus insculptis characteribus ritus Sacrificiales Corybantium exhibentur, Porphyrius meminit (*b*). Euhemerus (*c*), Sanchoniato (*d*), Herodotus, Diodorus Siculus, aliique, easdem veteres inscriptiones, historias suas adornaturi, consuluerant. Characterum vulgarium & communium inventionem Phœnicibus authoribus Lucanus deputat; cùm antea, ait: Ægyptiorum hieroglyphica lapidibus insculpta obtinuissent (*e*).

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris;
Nondum flumineas Memphis contexere Biblos
Noverat: & saxis tantùm volucresque, feræque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Hæc scribendi ratio per insculptas animalium figuras sub secundo Rege Memphis primò excogitata fertur (*f*). Porrò primus Rex Menes idem ac Cham filius Noë creditur: secundus, Thoth; apud Græcos primus Mercurius dictus est. Alter Thoth, sive secundus Mercurius, quæ hieroglyphicæ scripturæ à primo Thoth de medicina commissa invênit, ea vulgaribus characteribus tradidit. Undenam verò vulgares literas acceperit secundus Mercurius, nullibi apud Historicos legimus; nec alter sane in Ægypto ante illum usus hisce characteribus occurrit, nisi fortasse Moyses, qui sæculo ante hunc secundum Mercurium præcedenti, juxta Marshamum, florebat [*g*]: facilè autem nonnullis ante utrumque virum sæculis, Phœnices eum scribendi morem invexerant; neque enim Moysis ætate primò obtinuisse videtur. Nostrâ etiam ætate translatæ ex Ægypto statuæ & columnæ perpetuis inscriptæ hieroglyphicis supersunt; atque ea scribendi ratio, etiam post inventas literas in sacris & publicis monumentis diutiùs perseveravit. Antiquitati etiam notæ sunt scripturæ in tabulis æneis & plumbeis exaratæ, cujusmodi in tabulis Hesiodi carmina primò scripta, easdemque thesauri loco in Templo Musarum in Bœotia servatas narrant (*h*). Earum maximè usus in scribendis fœderum, pactorum, atque legum conditionibus fuit; quemadmodum non rara exempla, sicut & in Scripturâ monumenta Romanorum, Lacedæmonum, & Judæorum exhibita demonstrant.

Observationes astronomicæ Chaldæorum 720 annorum tabulis laterîtiis mandatæ erant, juxta Epigenem: *Epigenes apud Babylonios 720 annorum observationes syderum coctilibus laterculis inscriptas docet, gravis Author in primis* (*i*). Leges a Solone in tabulis ligneis, authore Plutarcho, Aulo Gellio, & Diogene Laertio, datæ sunt [*k*]; hinc, Suidâ teste, *Axones* illas appellari contigit. Supererant etiam Plutarchi ætate earum Legum fragmenta (*l*); quanquam nonnullas in lapidibus exaratas, extantibus adhuc suâ ætate reliquiis, Harpocration narrat. Quæ igitur generales Leges erant, sive de Sacrificiis decernebant, illæ lapideis tabulis insculpebantur; quæ verò particulares, ligneis commissæ. Lapideæ tabulæ triangulares, *Kyrbeis* appellabantur; ligneæ, quadrangulares *Axes*, vel *Axones*. Scripturæ genus in illis idem servatum est, quod *Boustrophedon* Græci appellant, nempe versibus a lævâ in dextram, & vicissim alternatim

a *Antiq. l. 1, c. 3.*
b *de abstin. l. 2.*
c *Lactan. Instit. l. 1.*
d *Theodoret. Ser. 2, ad Græcos.*
e *Lucan. l. 3.*
f *Marsham. sæc. 2, ex Syncello.*
g *Moyses vivebat Sæc. 9, Thoth. secundus 10.*
h Utilitè des Voyag. de M. Baudelot de Airval.
i *Plin. l. 7, c. 56.*
k *Plutarc. & Diogen. in Solon. Gell. in lib. 2, c. 12.*
l *Vide Menagii Not. in Solon. Diog. Laert.*

patim ductis adinstar sulcorum, quos boves arantes in agro imprimunt. Leges duodecim tabularum apud Romanos roboreis pariter tabulis commissas fuisse Scaliger autumavit; quamquam *eboreas* textus Pomponii J. C. præseferat (*m*).

Tabellæ, sive pugillares apud ipsum Homerum commemorantur: *Pugillarium usum fuisse etiam ante Trojana tempora invenimus apud Homerum* [*n*]. Porrò pugillaria, in quibus acta Judiciorum scribebantur, *Zanides*, Aristophanes appellat [*o*]. Longobardi, cum primùm in Italiam venissent, in pugillaribus tenuissimis, & teretibus scribebant, quorum aliqua vidisse se earum gentium characteribus exarata Pancirolus testatur. Solebant autem pugillaria cerâ liniri, atque ferreis stilis, sive æreis, aut osseis literæ in eâdem cerâ insculpi; stili verò altera pars acuta ad literas exarandas, altera teres ad lituras inducendas; nec desunt, quorum caput adinstar cochlearis rotundi exibeatur, cui insistentes digiti teretem instrumenti partem supra ceram comprimebant: *Stilus ferreus aliâ parte, quâ scribamus, aliâ, quâ deleamus, affabrè factus est* (*p*). Et Horatius lib. 1, Sat. 10.

Sæpe stilum vertas, iterum, quæ digna legi sint, Scripturus.

Prudentius etiam *Hymn. 9, de S. Cassian.*

Inde alii stimulos, & acumina ferrea vibrant;
Qua parte aratis cera sulcis scribitur,
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti,
Rursus nitescens invenitur area.

m De orig. Juris l. 2.
n Plin. l. 13, c. 11.
o In Vespis pag. 490.
p Aug. de verâ Relig. c. 20.

Ex his tabulis fasciculus simul compactus librum constituebat, dictum etiam *Codicem*, vel *Caudicem*, nempe fustum; quod scilicet refert fustum ligneum in tabulas dissectum: *Antiqui plures tabulas conjunctas, codices dicebant* [*q*]; & Seneca (*r*); *Plurium tabularum contextus, Caudex apud Antiquos dicebatur*. Hisce tabulis inscriptæ Epistolæ inter amicos missitabantur, lineâ tamen telâ involutæ, atque terrâ quadam vel cerâ Asiaticâ obsignatæ (*s*). Erant etiam buxeæ, & eburneæ tabellæ, sed non in usus familiares. Nec defuerunt tabellæ sed rariores, etiam postquam chartæ, & membranæ usus invaluit.

Post tabellas palmea folia successerunt, ac deinde tenuiores & læviores arborum cortices: *In palmarum foliis primò scriptitatum*, ait Plinius (*t*); *deinde quarundam arborum libris*. Et Virgilius ita Sybillam describit:

Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, foliisque notas, & carmina mandat;
Quæcumque in foliis descripsit nomina Virgo,
Digerit in numerum.

q Varr. l. 3, de vitâ pop. Rom.
r De brevit. vit. c. 21.
s Plautus in Bacchid.... Affer cito. Pist. Quid? Chrys. Stilum, ceram, tabellas, & linum.
t Lib. 13, c. 11.

S. Isidorus carmina quædam Cinnæ in foliis descripta laudat.

Levis in aridulo malvæ descripta libello,
Prusiacâ vexi munera naviculâ.

Cùm verò ea scribendi ratio usui incommoda deprehenderetur, intimus quarundam arborum cortex familiariùs obtinuit, veluti fraxini, ulmi, tiliæ, aceris, fagi, populi, ulmi &c. Inde verò Libri nomen inditum: *Liber dicitur interior corticis pars, quæ ligno cohæret* [*u*]. Cùm autem cortices illi, ut faciliùs transferrentur, in volumen complicari solerent, inde voluminis nomen (*x*), quod etiam ad volumina chartacea & membranacea postea translatum est.

u Servius.
x Valla Elegant. l. 6.

Papyrus genus erat calami, ad Nili ripas crescentis, cujus fustum pluribus constabat foliis simul compactis, quæ acu quodam separatæ supra tabulas aquâ aspersas ad latitudinem folii extendebantur (*y*). Ita extensum folium subtili quodam glutine, vel lutulentâ Nili aquâ tepefactâ, & præparatâ liniebatur; ac deinde altero superinducto folio, Solis ardori exsiccandum totum opus exponebatur. Intima papyri folia delicatissima erant, ex quibus *Augusta papyrus* constabat; quæ illis adjungebantur *papyrum Juliam*, minoris illam pretii, reddebant. *Papyrus Claudia* tertii erat generis, inter *papyrum Augustam* & *Juliam* media, quæ Imperatorem Claudium authorem habuit.

y Salmas. not. in Vopisc.

Ex his foliis plura simul convoluta, quem Latini *Scapum* appellant, componebant. *Scapus* 20 folia ætate Plinii continebat, deinde decem. Ad opera in ævum duratura, folia illa uno tantum latere scripta, in extrema ora simul glutine conjungebantur, ut volumen pro longitudine Operis extenderetur: ephemeridibus verò, aliisque domesticis ušibus digerendis, utrumque latus scripturæ serviebat. Ejus papyri usus ante ipsam Alexandri ætatem invaluisse, quidquid Plinius refragetur, Guillandinus demonstrat; quamquam nonnisi post ejus Regis tempora evulgaretur. Servabantur in Bibliothecis volumina baculo circumvoluta, cujus bacilli utraque extremitas pretiosi ligni, sive eboris ornamentis distinguitur. Porrò baculus ille extremæ libri oræ adhærebat, ex

quo

Digitized by Google

quo illud: *ad umbilicum perducere*. Repositis verò in armariis Libris, una bacilli extremitas, cui operis titulus inscriptus esset, prodibat. Papyri Ægyptiæ usus usque ad decimum sæculum, rarus tamen, in Europâ mansit (z).

Cùm Ptolemæus Philadelphus Rex Ægypti instructissimam Bibliothecam comparasset, ejus exemplum Reges Pergami imitari statuerant; sed Reges Ægypti rem ferentes iniquiùs, lato edicto, ne papyrus extra Regnum efferretur, caverunt. Quare initâ ratione Pergamei, chartæ cujusdam genus excogitarunt, quod ex Urbe Pergami, *Pergamenum*, sive ex corio membra animalium contegente, *Membrana* appellatum est.

Ex his chartis duplex Librorum genus conficiebatur; alterum, quod ex pluribus simul conjunctis in longum foliis pro Operis longitudine distendebatur; alterum, quod ex pluribus constabat, simul consertis, & compactis foliis, quemadmodum & nostrâ ætate in Libris solemus. Volumina, quæ nempè in volumen convolvebantur, cùm ex uno tantùm latere characteres exhiberent, ideò majoris erant molis, quam cæteri ex pluribus consertis foliis Libri utroque latere scripti. Universum Livii Opus in parvum quoddam volumen redactum, Martialis commemorat, quod si ad volumina redigeretur, integram Bibliothecam occupasset.

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea vix totum Bibliotheca capit.

Latus illud voluminis, quod unicè inscribebatur, altero intacto, pagina dictum est; quod autem utrumque latus scripturæ præbebat, tabellæ, sive tabulæ.

Chartæ, qualis nunc obtinet, ex lineis detritis frustulis, in pultis liquorem jugi contusione, aquâ affusâ, resolutis, origo adhuc usque ignoratur. Ante 500 annos invaluisse (a) ex testimonio Petri Venerabilis, ubi de *rasuris veterum pannorum* instructa charta memoratur, intellegimus [b]. Scripturæ lino commissæ apud Veteres innotuerunt [c]; quin & frustula quædam veteris Ægyptiacæ scripturæ in chartâ nostrati simili adhuc exhibentur. Parthi ætate Plinii (d), licèt papyracea planta in ripis Euphratis jam innotuisset, veterem tamen morem in vestibus suis scribendi retinere maluerunt. Eodem etiam Plinio teste, ante inventam papyrum publica monumenta in tabulis plumbeis, privata verò in lineis exarari consueverant. *Lintei libri*, in quibus Magistratuum Romanorum scripta nomina, & Reipublicæ Commentarii digesti, atque in Templo Deæ *Monetæ* sub Reipublicæ crepundiis asservati à Livio memorantur (e). Hi planè libri in usus sacros tunc temporis familiares erant.

Post evulgatos Scaligeri, Bocharti, Vossii, aliorumque plurium Commentarios, nemo ferè amplius dubitat, quin primi, quibus Moyses usus est, characteres, Phœnicii fuerint; de illorum tamen origine inter Eruditos non satis convenit. Sunt qui illorum inventionem Chaldæis, vel Assyriis tribuentes, eorum tamen decus credant sibi usurpasse Phœnices, in quos, quemadmodum & in alias gentes, usus invaluit, primos se earum literarum authores jactitantes. Alii vicissim in Assyrios ipsos & Chaldæos, derivatas à Phœnicibus literas malunt. Ex hoc sententiarum dissidio, quam modò discutiendam suscepimus, controversia emergit, de origine scilicet characterum, quibus Moyses usus est.

Arbitrantur quidem nonnulli, Abrahamum acceptas in Syriâ literas posteris Chananæis tradidisse; sed alii Patriarchas ipsos, quas semel didicerant in Chanaanitide literas, in Ægypto unà cum Chananæorum linguâ servasse, atque in usus familiares usurpasse contendunt. Verùm absque eo quòd huic implexæ quæstioni de literarum origine implicemur, ea nobis impræsentiarum statuenda sunt; nimirùm eos, quibus Moyses usus est, characteres, ipsissimas esse Ægyptiorum literas, easque cum Phœniciis characteribus prorsus confundendas. In hac autem postremâ hujus nostræ assertionis parte, totam disputationis vim constitui oportere satis intelligimus; Moysem enim earum gentium characteribus usum esse facilè omninò crediderim, quibuscum Hebræi longo jam commercio, atque ipsis etiam moribus quamplurimis communicaverant; ne quid dicam de Ægyptiorum literaturâ, quâ Moyses, Regiâ educatione à filiâ Regis Ægypti filii loco enutritus, imbutus est.

Ægyptiorum characteres ipsissimos esse cum Phœniciis sive Cadmæis, a Cadmo in Bœotiam translatis, P. Kircherius operosè contendit; sed ea profert opinionis suæ argumenta, quibus sanè non omnibus æquè Eruditis persuasit (f). Totus est Author in expendendâ Cophticarum literarum, quas recentiores esse, & ex Græcis expressas defendit, cum Græcis similitudine. Quidquid sit; illud fateamur oportet, apud Ægyptios, præter Hieroglyphicos characteres, aliud in usus vulgares scripturæ, & characterum genus obtinuisse: cujus licèt formam neque Herodotus [g], neque S. Clemens Alexandrinus (h) expresserint; ex eorum tamen silentio facilè colligimus, a ratione scri-

z *Mabillon. de re Diplom. l. 1, c. 8, pag. 38.*
a *Vide Mabill. de re Diplom. lib. 1, cap. 8, pag. 38.*
b *Contra Judæ. in Bibliot. Cluniac. pag. 1070.*
c *Vide Liv. Dec. 1, l. 4, & Vopisc. in Aurelian.*
d *Plin. l. 13, c. 11.*
e *Decad. 1, l. 4, & 10.*
f *Vide apud Walton. Proleg. 2, n. 18.*
g *Lib. 2.*
h *Strom. l. 5.*

ſcribendi Gentium finitimarum, in quibus characteres Phœniclos obtinuiſſe non inepte conjicimus, non abluiſſe. Narrat Herodotus, Ægyptiorum ſcripturam è dexterâ in lævam ductam, eamque nodoſis quibuſdam & tortuoſis in modum rotæ implexis apicibus [quod cum Phœniciis characteribus quadrat] expreſſam Apulejus deſcribit [*i*]. Ante invectas Phœnicum literas, ait Lucanus (*k*), apud Ægytios nulla erat parandæ papyri ars; inſculpta in lapidibus animalia, & magicæ quædam figuræ unicè pro characteribus habebantur. Poëtæ igitur ſententia Ægyptiorum veteres characteres cum Phœniciis confundit. Sub Ageſilao Rege in tumulo Alcmenæ Thebis in Bœotia, tabella quædam ænea inventa eſt, authore Plutarcho [*l*], veteribus perpetuis characteribus inſcripta, ignotis illis, etiam poſt inſpectas pleniori luce atque a ſitu repurgatas figuras; literæ tantùm barbaræ Ægyptiis ſimillimæ deprehenſæ ſunt. Miſsâ igitur in Ægyptum tabulâ, rerum antiquarum peritiſſimus Chonuphis conſultus, poſt excuſſa ſedulò veterum librorum Ægypti monumenta, reſpondit, veteres in eâ tabulâ literas Ægyptiacas, quales ſub Rege Proteo obtinebant, expreſſas eſſe. Veteres ergò illi Cadmæi characteres, à veteribus Ægyptiorum literis non diſtinguebantur; nec proindè ab utriſque Phœniciæ literæ abhorruiſſe debuerant, ſi verum ſit, uti non ambigimus quidem, Cadmæas eaſdem fuiſſe ac Phœnicias literas. Voſſius pluribus, hæc ſpernendis rationum monumentis firmat, ante Cadmi adventum characterum in Græcia uſum per Cecropem innotuiſſe. Porrò Cecrops Ægyptius genere, non alias detuliſſe in Græciam literas videtur, quàm Ægyptias; ex quo illud conſequitur, Græcas veteres ab origine literas cum Ægyptiis confundi oportere. Apollodorus, aliique ex Veteribus [*m*] Cadmum ipſum ex Ægypto repetentes, Thebas Ægypti reliquiſſe tradunt, antequam ad Thebas Bœotiæ ſe contuliſſet.

i *Metam. lib. 15, ad fin. De opertis adyti profert quoſdam libros literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris hujuſcemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes; partim nodoſis & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis apicibus &c.*
k *Pharſal. l. 3.*
l *De Dæm. Socrat.*
m *Euſ. Chron. l. 2, an. 562.*

Fatemur quidem, Origenem [*n*] characteres Hebræos ab Ægyptiis & Phœnicibus diſtinxiſſe; ſed opinionem ille ſuam nullo rationum monumento fulcit, id tantùm demonſtraſſe contentus, Hebræorum vernaculam linguam aliam eſſe ab Ægyptiâ; quin & in eâ fuiſſe ſententiâ videtur, poſt longam in Ægypto deſuetudinem, tandem Hebræos in egreſſu ab Ægypto veteris linguæ uſum Divino prodigio recepiſſe; quam in rem Prophetam quemdam Hebræum, ſuppreſſo tamen nomine, ignotumque laudat. Sed una Origenis authoritas minùs ſanè, quàm tot rationum monumenta, valet.

n *Cont. Celſ. l. 3*

Nunc de materiâ & formâ veterum librorum apud Hebræos agendum. Quanquam de libris frequens ſit apud Moyſem ſermo, nullum tamen deſcribit, præter duas illas tabulas, in quibus Dei operâ Decalogus exaratus eſt, quas ille læves & utroque latere inſcriptas exhibet. Quorſum autem duo hæc ſedulò idem Moyſes adnotaſſet, niſi ut plane intelligeremus, eas tabulas à cæteris libris in eo diſcrepare, qui ſcilicet ligneis tantùm tabulis, & uno tantùm latere inſcriptis conſtabant?

Porrò quæ in tabellis ligneis & lapideis ſcribendi obtinebat conſuetudo, omnium vetuſtiſſimam fuiſſe novimus; nec ſanè quoties de libris apud Moyſem agitur, aliquid occurrit, quod commodè de hiſce tabellis explicari non poſſit; nihilque viciſſim legimus, quod corticeorum, papyraceorum, atque membranaceorum voluminum ideam aliquam ingerat. Quare ut librorum nomine (*o*) apud Moyſem ex his tabellis compactos libros intelligamus pronum eſt. *Voluminis* enim nomen in Vulgatâ Pentateuchi tantùm, ſed non in textu Hebræo, ne vel ſemel quidem, legitur. Extat tamen in textu Jeremiæ, Ezechielis, Eſdræ, Pſ. 39, & in Zachariâ. Neque Rabbinorum ſententiam moror voluminibus membranaceis, vel papyro Ægyptiâ uſum Moyſem autumantium; cùm membranas, atque papyrum Ægyptiam Moyſis ætate longè poſteriores fuiſſe, neminem lateat.

o ספר *Sepher.*

Cùm igitur apud Moyſem mentio inducitur de Libris Fœderis, Legis, Repudii, de Libro in quo deſcriptæ priùs maledictiones, deinde in aquâ, ad explorandam fœminæ de adulterio ſuſpectæ cauſam, eradebantur; ſicut & cùm de reponendo Libro Legis ad latus Arcæ agitur, nonniſi ad tabellas & aſſeres hæc omnia deputamus. Hinc Septuaginta Hebræum *Sepher* conſtanter vertunt *Axones*, quo ſanè nomine appellantur tabulæ, in quibus Leges, uti ſupra diximus, exarabantur. Hunc ipſum ſcribendi in ligneis tabellis morem exprimit Author libri Job: *Quis mihi det, ut exarentur [ſermones mei] in libro ſtilo ferreo, & plumbi laminâ, vel celte ſculpantur in ſilice?* [*p*] Hæc pro ſcripturâ in ligno, plumbo, ſilice exaratâ, apertiſſima ſunt. Nec etiam ambagibus Salomonis verba implicantur, cùm miſericordiam & veritatem in tabulis cordis ſculpendas admonuit [*q*]. Jeremias grandioribus verbis paria exprimens, Judæorum crimen in tabulis cordis eorum ſtilo ferreo & ungue adamantino exaratum pronunciat (*r*). Quin & Deus minitatur, ſe, poſt everſam Jeroſolymam, inviſæ urbis memoriæ abolendæ ducturum, & reducturum *crebriùs ſtilum ſuper faciem ejus* [*ſ*]. Minas a ſe in

p *Job. xıx 24.*
q *Prov. ııı, 3*
r *Jer. xvıı, 1.*
ſ *4 Reg. xxı, 13.*

Digitized by Google

in Judæos pronunciatas Isaiæ scribendas Deus edicit [t]: *Super buxum, & in libro diligenter exara illud.* Ezechiel, acceptis ab Ephraimitis, aliisque Tribubus sibi faventibus, sicut & ex Judâ tabellis, Librum compegit, [u] quem, sicut & singulas paginas, Librum ligneum appellat. Deus ad Abacuc [x]: *Scribe visum, & explana super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum.* Scriptæ à Davide pro nece Uriæ Epistolæ; quemadmodum & Jezabelis, nomine Achabi, literæ in Naboth datæ, *Sepher* in Scripturâ nuncupantur (y), quæ quidem ipsissima est pugillarium Hebraica appellatio; ut argumento sit, similem viguisse scribendarum, atque obsignandarum epistolarum apud Hebræos morem, quem supra Græcis & Romanis tribuimus.

Principum edicta tabellis, non secùs ac epistolæ, commissa, Regio sigillo obsignata ad Provincias transmittebantur. *Ipsæ epistolæ, nomine Regis scriptæ, annulo ipsius obsignatæ erant, & missæ per veredarios* [z]. In foro autem locisque publicis Urbium suspensa exponebantur: *Edictum Regis pependit in Susan, &c.* (a). Publica instrumentorum forma, qualis in rebus vendendis servabatur, in historiâ empti à Jeremiâ [b] agri Hananeelis exhibetur; ipse scilicet Propheta pacta conventa in tabellâ digessit, atque adhibitis testibus, instrumentum sigillo munivit; dein pecunia ad libram persoluta est: *Scripsi in libro* [c], *& signavi, & adhibui testes, & appendi argentum in staterâ.* Testium nomina instrumento subjecta fuisse ex Hebræo, Septuagintâ, & Arabico intelligimus: *In conspectu testium, qui scripserant* (d). Ex aliâ tamen Hebraici textus punctuatione, testium nomina solum à tabellione inscripta erant instrumento, quam legendi rationem servant Chaldæus, Syriacus, & Vulgata: *Qui scripti erant in libro emptionis, &c.* Quæ posterior lectio præferenda videtur, obtinente hodie usque in Oriente more (e), ut instrumenta non signentur quidem, sed proprio testiumque sigillo obsignentur. Porrò scriptum illud originale ratumque sigillo ita muniebatur, ut nisi vel disrupto sigillo, contractove lino aut filo, quo totum obvolvebatur, nunquam legi potuisset; eaque inita ratio est, ut omnis in literis & subscriptionibus dolus malus præcaveretur.

Ut autem pro datâ occasione consuli instrumentum posset, alterum ex autographo transcriptum, absque sigillo & obvolucris in testâ repositum servatum est, ut non obscurè in *vers.* 14, exprimitur; *Sume libros istos*, ait ad Baruch Jeremias, *librum emptionis hunc signatum, & librum hunc, qui apertus est.* Duo hic instrumenta memorantur; quorum alterum ab altero, sigillo tantum originali apposito, distinguebatur; uti disertè Syriacus: *accipe syngraphas istas; syngrapham hanc emptionis obsignatam, & syngrapham hanc minimè obsignatam.* Inter Commentatores quidem de numero horum instrumentorum non satis convenit. Arabicus enim unicum tenet: *accipe librum emptionis, qui lectus fuit, & obsigna illum*; Ludovicus de Dieu in *vers.* 11, tria distinguit; nempè: *librum emptionis* [f] sigillo munitum; alterum, cui in Hebræo nomen inest *præceptum* [g], & tertium, quod *statuta* appellatur [h]. Verum nos textui inhærentes, duos tantùm admittimus; cùm potissimum & tertium invehere nullâ necessitate cogamur.

Quo autem Syngrapha illa originalis sigillo munita est? Sunt qui annulo Jeremiæ credant; sunt qui Tabellionis; ac tandem Grotius, & Prophetæ, & testium sigillo obsignatam asseruit; gratis omnes. Non defuerunt, qui ad nostros mores veteres consuetudines redigentes, appensam instrumento obsignatoriam bullam, publicum sigillum præseferentem, autumaverint; vel saltem eo sigilli genere clausam, quo apud nos literæ obsignatæ & breviculi solent, in quibus sive arma, sive Regis ad pectus usque expressa imago cernitur. Sed omnia hæc, præterquamquòd recentiora sunt, quam cum veteribus quadrent, cum voce Hebræâ *chatam* minimè congruunt; nihil enim sonat nisi obsignare, obvolutum, ut in epistolis fieri solet, aliquid habere.

Geminæ etiam a Deo traditæ Moysi tabulæ, divini cum populo fœderis jura continentes, hujus consuetudinis, gemini scilicet conficiendi instrumenti, ut rerum fides in judiciis atque posteritati constaret, argumento sunt apertissimo. His tabulis recondendis Arca quædam, quam nos Fœderis appellamus, fabricata fuit, eaque in Tabernaculo reposita, ut scilicet commodè, quoties de infidelitate atque violati fœderis crimine populus arguendus esset, tabulæ illæ consulerentur.

Moysis Liber, in quo Gentis historia, legum & cæremoniarum canones continebantur, ejusdem Legislatoris jussu, ad latus ejusdem Arcæ, quò faciliùs & consuli, & transcribi potuisset, reconditus est [i]. Regi enim peculiari lege injunctum a Moyse est, ut ex Legis præceptis singula, quæ ad ipsum spectarent, solerti curâ descripta apud se retineret [k]. Cùm verò Samuel Regem Israelitis constituit, ejus rei instrumentum unà cum juribus novæ illius politiæ, in Tabernaculo coram Domino deposuit (l).

Quod

t *Isa.* xxv, 8.
u *Ezech.* xxxvii. 19.
x *Abac.* ii, 2.
y 2 *Reg.* xi, 14, & 3 *Reg.* xxi, 8.
z *Esth.* viii, 10.
a *Ibid. vers.* 14.
b *Jerem.* xxxii, 9, 10.
c בספר *Besepher vers.* 12.
d לעכר העדים הכתבים בספר
e Chardin Voyage de Perse l. 2, p. 90, & Gouvernement des Perses, p. 2, 2.
f ספר המקנה *Sepher hammiqueh.*
g המצרה *Hamitzarah.*
h החקום *Hahaqum.*
i *Deut.* xxxi, 26.
k *Deut.* xvii, 18.
l 1 *Reg.* x, 26.

Quod in Jeremiâ legimus, de repositâ in vase fictili syngraphâ, ipsissimum Græcis receptum moribus observamus. Aristophanis Scholiastes, ad v. *Echinos* [m] vasi æreo sive fictili commissa tradit instrumenta, eaque omnia scripta, quibus publica in judiciis fides constare debuisset. Porrò vasa illa nec obvium erat singulis recludere, nec nisi capitali crimine constringebantur. Est etiam de eodem *Echino* apud Demosthenem, & Aristotelem mentio. Ex eodem Aristophane factum scimus, ut impositis ostreis & squammis sigilla custodirentur, metu ne fortè vel delerentur unquam, frangerentur, vel adulterarentur (n). In vase seu dolio fictili inventas legimus ab Origene Versiones Græcas Scripturæ, quæ sub quintæ & sextæ nomine innotescunt.

m *In Vespis pag.* 533.

n *Ibid. pag.* 471. Και τῇ κόγχῃ τῇ πάνυ σεμνῶς τοῖς σημείοισι σεσώσῃ, &c. Τὴν Διαθήκην ἀδικῶς ἀνακογχυλιάζων.

Mos epistolas obsignandi, quemadmodum & edicta, atque tabellas, quibus Prophetæ visiones suas committebant, tam notus est in Scripturâ, quam quid aliud. Isaias ad Judæos (o): *Erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, dicent: lege istum; & respondebit, non possum, signatus est enim.* Deus ad eumdem Prophetam [p]: *liga testimonium* (nempè vel filo, vel lino obvolve tabellas, tuis oraculis inscriptas) *& signa* [obsigna] *legem in discipulis meis.* Deus ad Danielem (q): *Claude sermones, & signa librum usque ad tempus.* Prophetarum sanè oracula veluti epistolæ habebantur à Deo ad populum missæ, quas recludendi, Dei injussu, omnibus interdicta facultas [r]: *Vade, Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones.* Nec ab his abludebat Liber septem sigillis obsignatus, quem sibi in visione occurrisse S. Joannes in Apocalypsi testatur; ab utroque latere, extimo nempè & intimo, scriptus erat codex, sed lineo panno obvolutus, septemque obsignatus sigillis lectores avertebat. Notat Plinius lib. 33, cap. 1, belli Trojani ævo rara adhuc ferri sigilla, quorum loco epistolæ variis nexibus obstringebantur.

o *Isai.* XXIX, 11, 12.
p *Isa.* VIII, 16.
q *Dan.* XII, 4.
r *Ibid. vers.* 9.

In moribus positum fuisse apud Romanos constat, ut [s] epistolæ tabellis cerâ oblitis committerentur; easque panno obvolutas ac sigillo munitas, dein ad amicos transmittebant. Maluerim tamen, hanc scribendi rationem in pactionibus, testamentis, aliisque publicis instrumentis non servatam asserere. Illa enim non rarò in tabellis digerebantur, quas deindè tabellas panno obvolutas obsignabant, metu ne fortè adulterari aliquid dolo malo, sive literas quâcumque demum ratione immutari contingeret; quod sanè non operosè fieri potuisset; nec, si ab aliquo præstaretur, facile dolus, nisi tantùm ex variâ characterum formâ (quam tamen vix animadvertas in scripturâ a callido veteratore adulteratâ) deprehendi potuisset; cùm alioquin ducto super characteres stili calce, liturarum ne vestigium quidem appareret. Cum tamen falsariorum calliditas has omnes artes frustrasset, eò deventum est, ut sub Nerone novâ lege huic malo occurrendum censeretur: quare *adversùs falsarios tunc primùm repertum, ne tabulæ, nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto, obsignarentur* [t]. Porrò si de præcavendis in sigillo tantummodò fraudibus eâ lege agebatur, frustra filum tertiò usque per foramina tabellæ trajiciendum cavebatur; cùm verò de sartâ tectâ habenda scripturâ res fuerit, consultò cautum est, ut ducto reductoque filo pannus, quo tota obvolvebatur, strictiùs scripturæ adjungeretur. Porrò in scripturâ potissimùm corrumpendâ, falsariorum omnes artes versatas fuisse, ex eodem Suetonio intelligimus. De Tito enim hæc scribit (u): *Cum amanuensibus suis per ludum jocumque certantem, imitari chirographa quæcumque vidisset, ac profiteri se maximum falsarium esse potuisse.* Cùm verò in eum, quem diximus, modum instrumenta atque scripturæ panno obvoluta, atque sigillo clausa custodirentur, nullus dubito quin ad omnem occasionem ex originali apographa suppeterent. *Pater natam* (hæc Apulejus in Apolog.) *sibi filiam more cæterorum professus est. Tabulæ ejus partim tabulario publico, partim domo asservantur: porrige Æmiliano tabulas istas, linum consideret, signa, quæ impressa sunt, recognoscat.* Iisdem moribus Græci & Romani quoad testamenta potissimum censebantur [x].

s *Vide Plaut. in Bacch. Cic. in Catil. Orat.* 3, *& in Ver. & pro L. Flac.*
t *Suet. in Nerone.*
u *Suet. in Tito.*
x *Vide Laert. l.* 5, *in Theophr. & Suet. &c.*

Volumina ex arborum cortice vetustissimâ consuetudine obtinebant, quantùm ex libro Job colligimus (y): *Quis mihi tribuat, ut ... librum scribat ipse, qui judicat, & in humero meo portem illum, & circundem illum, quasi coronam mihi?* Epistolæ Sennacherib, per Rapsacem ad Ezechiam missæ, in hisce voluminibus descriptæ videntur (z): *Tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, & legit eos, & ascendit ad domum Domini, & expandit eos coram Domino.*

y *Job.* XXXI, 35.
z *Isai* XXXVII, 14, *&* 4 *Reg.* XIX.

De his voluminibus apertior est in Pss. [a], In Jeremiâ [b] in Ezechiele (c), & Zachariâ (d) sermo. Psalmista quidem scribit: *In capite libri* [Hebr. *in volumine libri*] *scriptum est de me*: ac si Deo adeò addictum se profiteretur, veluti si per scripturam solenni more se totum illi devovisset. Jeremias (e) in vinculis detentus, cùm populo verba facere prohiberetur, Baruch amanuensi suo quædam dictavit, coram populo in atrio Templi legenda. Rex certior eâ de re factus, accito ad se Baruch, tres vel quatuor paginis illius scripturæ,

a *Ps.* 39, 11.
b *Jerem.* XXXVI.
c *Ezech.* II, 9.
d *Zach.* VI, 1, 2.
e *Jerem.* XXXVI.

vel, ut habet textus, tribus vel quatuor portis ejusdem voluminis coram se lectis, statim in ignem injici codicem imperavit. Justa Regius Scriba, cultro prius dilacerato libello, executioni mandavit. Jeremiæ continuò præcepit Dominus, Librum ex integro rescriberet. In eâ historiâ referendâ, perpetuò Scriptura utitur voce מגלת *Megillath* (volumen sonat); & ea quæ de cultro Scribæ narrantur, receptum jam tunc morem, calamo & atramento scribendi, satis demonstrant. Manet adhuc idem mos in Oriente [*f*]. Optimæ arundines circa Dauracum ad Sinum Persicum Mense Martio leguntur. In fasciculos colligatæ in fimo per sex menses conduntur; ubi & obdurescunt, & pellucidâ illâ superficie ex croceo atroque mixtâ imbuuntur. Ægyptias & Cnidias arundines, easque, quæ in lacu Anaide in Asia nascuntur, omnium optimas habitas fuisse Plinius *lib.* 16, *cap.* 36, est author.

f Chardin Voyage de Perse, tom. 2, p. 208.

In eo Jeremiæ textu atramento usus Baruch perhibetur: *Ego scribebam in volumine atramento.* S. Clemens Alexandrinus supplicationem quamdam Sacerdotum Ægypti describens *Strom.* l. 6, Sacerdotem inducit pinnis in capite ornatum, librum cum reguiâ in manu tenentem, adjecto etiam ad scribendum atramento, & junco ad characteres formandos. Apud Græcos & Turcas nostrâ etiam ætate non pennæ quidem, sed arundines ad scribendum obtinent; quemadmodum apud Romanos olim in usu fuisse scimus.

Inque manus chartæ, nodosáque venit arundo [*g*].

Quonam instrumento scriberentur volumina, nusquam in Scripturâ apparet; frequens vero de stilis pro tabellis, de quibus nos supra egimus, mentio. Porrò stili & tabellæ in vaginâ reconditæ, lateri appensæ deferebantur; vaginam Hebræi *Keset*, Græci *Graphiarium* appellabant. De hoc more apud Hebræos, Græcos, & Latinos nos satis in *Comment. in Ezech.* ıx, 2, 3.

g Persius.

Volumina ista uno tantum latere scribi consueverant, quemadmodum & Critici omnes conveniunt, & apud Ezechielem satis indicatur [*h*], qui volumen scriptum intus & foris, tanquam singulare describit: *Ecce manus missa ad me, in qua erat involutus liber, & expandit illum coram me, qui erat scriptus intus & foris.* Quam verò exhiberent figuram Priscorum volumina, Zacharias ferè depingit: Oblatum est, ait, mihi per visum [*i*] volumen 20 cubitis longum, 10 latum. Non tamen omnia ejusdem amplitudinis volumina fuisse credimus, sed planè suam extitisse oportet inter codicem istum, & vulgares proportionem. Ex cortice, sive papyro Ægyptia omnia hæc constitisse facilè crediderim. Sunt qui morem scribendi in pellibus ex illo Psalmi deprehendisse sibi visi sunt: *Extendens Cælum sicut pellem* (*k*); nempè extendens Cælum, velut volumen pelliceum; sed Hebræa vox יריע apertè sonat tentorium, vel pellem tentoriis conficiendis. In Tobia [*l*], & 4 Esdræ, [*m*] vox *charta* occurrit, quæ papyrum Ægyptiam designat: Sed cum in Græco Tobiæ nihil nisi vox *Biblion* pareat, quæ ex eo libro de figurâ atque materiâ codicis laudantur testimonia incertissima sunt. Sub Macchabæis volumina obtinuisse (*n*) phrasis illa satis indicat: *Et expanderunt libros Legis.* Eundem morem Judæi olim J. C. ætate, & hodie usque in Synagogâ servant, ingentibus voluminibus scriptam Legem & Prophetas custodientes. Hæc apertissimè ıv, 17, 10. *Traditus est ei* [Jesu] *liber Isaiæ Prophetæ, & revolvit librum &c. & cùm plicuisset librum, reddidit Ministro.* Quæ sanè verba volumina ferè depingunt; quemadmodum & illa Apocal. vı, 14. *Cælum recessit sicut liber involutus.* De atramento & chartâ mentio occurrit 2 Jo. ℣. 12, & apud S. Paulum [*o*] volumina ex papyro Ægyptiâ, & ex membranis distinguuntur egregiè: *Affer tecum & libros, maximè autem membranas.* Quanquam unicus iste textus est, in quo membranæ apertissimè exprimuntur. Tabellarum etiam usus non obscurè se prodit in tabellâ, quam Zacharias, pater S. Joannis Baptistæ, ad scribendum pueri nomen postulavit (*p*).

h Ezech. 11, 9.
i Zach. v, 1, 2.
k Ps. 103, 3.
l Tob. vıı, 16.
m 4 Esdr. xv, 2.
n 1 Macch. ııı, 48.
o 2 Timot. ıv, 13.
p Luc. 1, 63.

DISSERTATIO
IN REGIONEM OPHIR.

NUllius fermè in toto Orbe regionis situs obscurior, quique Eruditos exercuerit magis, quàm Ophiretica. Quanquam enim sæpiùs de illo Scriptura, nec obscuros ejus à cæteris distinguendæ characteres exhibeat; plura tamen in eandem regionem congesta creduntur, quæ miserè Geographos confundant. Insulam esse igitur autumant, vel saltem regionem maritimam, auro, argento & ebore feracem; pavonibus, simiis, psittacis, lignis pretiosis, & aromaticis, gemmis non infrequentem, mari Rubro triennii itinere adeundam. Hæc planè omnia, dum Geographi in aliquam ex Regionibus maritimis, nostrâ ætate commercio & earumdem rerum affluentiâ divitiis conferre student, in varias abiere sententias, totamque rem implicare coacti sunt.

Veterum plerique Ophir apud Indos constituunt, quorum agmen Josephus duxit [a], perhibens vestigium nominis Ophir ad suam usque ætatem in Indiis mansisse, ubi regio aurea audiebatur. Eo nomine designasse creditur historicus (b) Chersonesum, de qua Ptolemæus, regionem quam nos Malacham peninsulam, e regione Sumatræ sitam, appellamus. Lucas Holstenius, post operosam ejus regionis disquisitionem, tandem Indias universas, vel saltem urbem Supar in Regno cognomine in Insulâ Celebum, nomine Ophir designandam concludit (c). Alii in Regnis Malabar, & Zeilan consignant, Hippurim enim, cui nomen Oppir affine, portus est in Zeilan. Alii malunt in Insulâ Taprobanâ, veteribus celeberrimâ, in quam omnes Ophir characteres quadrasse animadverterunt; sed cum ejus Insulæ situs, non minùs quàm Ophir, ignotus sit, nihilo ex ea sententia instructiores efficimur. Est apud aliquos Ophir idem ac Ormus in ostio Sinus Persici; est Eupolemo (d) in Insulâ *Urphe* ad Erythræum, est Maffæo in Pegu, cujus regni incolæ ex Judæis exulibus, à Salomone ad fodinas in eas regiones damnatis, originem repetunt; est Lipenio, in libro de eodem argumento, ultra Gangem ad Malacham, Javam, Sumatram, Siam, Bengalam, Pegu, &c.

Non desunt, qui Ophir ad Americanum tractum deputarint (e). In Insulâ Hispanâ constituit Christophorus Columbus, ejusdem Insulæ primus inventor, qui invenisse se Ophis Salomonis passim jactitabat; testatus in ejus veritatis argumentum, plures deprehendisse cavernas subterraneas ultra rô mille passus excurrentes, quas ab opificibus Salomonis eruendo auro effossas conjectabarur. Sed Postellus aliique nonnulli potiùs in regione Peruana sitam Ophir malunt; eâque illi confidentiâ rem asserunt, ut classium Salomonis, quasi ipsi deduxerint, iter totum describant. Nihil eorum systemate jucundius, nihil tamen futilius.

Alii verò, nec rari, Indias, & Americam nimis adfuisse, sicut & Arabiam nimis ad Asiongaber, unde classis Salomonis solvebat, accessisse rati, Ophir in Africâ quærunt. Eorum igitur alii, in Regno Melindæ, vel Sofalæ in plagâ Orientali Æthiopiæ Africanæ sistunt (f), cujus Insulæ traditione, etiam in libris descriptâ, inquiunt, receptum est, Salomonis classem singulis trienniis eò, ad aurum asportandum, cujus est regio ditissima, venisse. Joannes dos Sanctos narrat, in Monomotapa montem esse Furam auro optimo egregie divitem, ubi oppidi (Reginæ Sabæ ædes ferunt) vestigia supersunt, eamque regionem cum Ophir confundendam affirmat. Cornelio a Lapide est in *Angola* ad oram Occidentalem Africæ. Quid? nonne aliquibus regio Ophir ipsa est Carthago, Urbs 200 solidis annis Salomone recentior? Paraphrastes Jonathan eam regionem in Africâ posuisse contentus, nihil ulteriùs determinat. Alii Ophir & Tharsis in Hispaniis collocant. Putat Grotius in 3. *Reg.* IX, 28, naves Salomonis, fortè non ad Indias navigasse, sed ad portum ejus Urbis, quam Arrianus *Aphar*, Pliniùs *Saphar*, Ptolemæus *Saperam*, Stephanus *Saphirinam* ad Arabiæ litora positæ, quam Oceanus alluit: quò Indi merces suas deferebant.

D. Huetius in Dissertatione de Navigationibus Salomonis, ejus Regis classes novâ viâ deduxit. Ratus enim ille duo maria Mediterraneum & Erythræum, ducto quodam canali eâ ætate juncta fuisse, ut navigia ultro citroque mearent; hanc rationem init explicandi loci 2 *Par.* VIII, 18, ubi Hiram Rex Tyri navigia nautasque misisse perhibetur ad Elath in Erythræo, ut Salomonis usibus servirent. Ecquâ enim aliâ viâ, ait, trajicienda fuissent navigia, nisi per canale, de quo supra, deducerentur?

Neque de canali illo utrumque mare jungente, Veterum apertissima testimonia desi-

a *Antiq. l. 8, c. 2.*
b *Riber. Tornel. Adrichom. Marius Niger, Gaspar Vaser.*
c *In not. ad Ortel.*
d *Apud Eus. Prap. l. 9, c. 30.*
e *Arias Montani Genebr. Vatab.*
f *Ortel. Thom. Lopes.*

desiderantur: sed an illud ad Salomonis ætatem pertineret, sola superest difficultas. Huic rei probandæ, testimonia Arabum Scriptorum quædam affert Huëtius, quibus Abrahami ætate Nilus cum Erythræo canali junctus asseritur, sed fortè Arabum Authorum fides, in re vetustissimâ & ab eorum ætate remotâ, Eruditis in suspicionem revocabitur, cùm potissimùm aliorum Scriptorum authoritati adversetur, quippè qui canale illud recentiori opere sub Dario, vel etiam sub Ptolemæis absolutum perhibuerint. Strabo quidem Sesostridem operi manum admovisse tradit (g), sed teste Aristotele (h), & Plinio (i), cùm postea maris aquas reliquo Ægypti solo eminere animadvertisset, rem totam infectam dimisit, metu ne fortè superiores aquæ in imam Ægypti regionem defluentes, totam demergerent, simulque amnis aquas, Ægyptiis ad potum necessarias, corrumperent. Herodotus & Diodorus scripserunt (k), a Neco filio Psammetici Rege Ægypti initum canale illud, quod a Dario Hystaspis dein absolutum tradit Herodotus.

Regionem Ophir Præsul ille doctissimus in Plagâ Occidentali Africæ, Arabibus *Zanguebar* constituit, quanquam nomen illud, ait, parvam regionem Sophala in eodem tractu designaret. Classes igitur Salomonis, trajecto capite Guadarfuy, Africanas oras abradebant. Porrò omnia, quæ de Ophir scribuntur, in eodem regionis tractu abundabant.

Goropius Becanus, & Bivarius eam classem non e mari Rubro, sed e Mediterraneo solvisse autumarunt. Tyriis enim constabat navigiis, testante Scripturâ 3 Reg. x, 11. Tharsis locum fuisse ad Mediterraneum alibi probatum est, quemadmodum & Asiongaber ad idem adjacebat fretum. Postremum hoc de Asiongaber, quod potissimùm difficultatem facessit, hisce argumentis convincitur. Asiongaber locus erat Idumææ juxta Scripturam (l); eam verò regionem non mare Rubrum quidem, sed Mediterraneum, Ptolemæo teste, alluebat. Ad Mediterraneum etiam, addunt illi, loca sunt *Gasion Gaber* apud Strabonem, & *Bero-Gabria* apud Ptolemæum. Nomen Suph non usque adeò peculiare est mari Rubro, quin reliquis etiam fretis conveniat. Suph enim limitem sonat; quare mare Suph fretum est limitum, quod ita mari Rubro aptatur, ut Mediterraneo etiam quadret. Navigatio in Tharsis, & Ophir una est & eadem juxta 4 Reg. 22, cum 2 Par. 20, 36, collatum, Tharsis verò locum esse ad Mediterraneum negaverit nemo. Horum conjecturæ, quanquam Hornio probatæ [m], quoad ea potissimùm, quæ de situ Asiongaber & nomine Suph comminiscuntur, vanæ sunt & inanes; cùm Asiongaber portum esse Erythræi, cui uni freto nomen Suph adscribitur, ex Scriptura apertissimè constet. Potuit equidem Idumæâ Geographi Ægyptii ætate ad Mediterraneum usque protendi, quanquam in Scripturâ semper inter angustiores fines contineatur.

Mirari prorsus suberit, dum nos procul a Mediterraneo & Oceano, in Montis Masii & Saspyrorum, sive regionis Tapyrorum sinu, circa Mediam, Armeniam, & Assyriam, Ophireticam regionem requiremus. Sed ipsa Moysis authoritas in eam nos sententiam pertraxit, cujus rei ea proferemus documenta, quæ systema nostrum in eum saltem veritatis gradum apud æquos Lectores constituent, quem cætera hucusque obtinuerunt.

Regionem Ophir ipsissimam esse, quam Ophir filius Jectan, vel ejus posteri frequentarunt, non est cur ambigamus. Solemne est enim in Scripturâ, nomen loco ex primo incolarum authore tribuere. De Ophir verò, ejusque fratrum sede hæc Moyses [n]: *De Mesa pergentibus usque Sephar montem orientalem*. Huc igitur nos conferamus oportet, simulque quæramus, num regio sit his rebus, quibus coëmendis classis Salomonis adnavigabat, ferax, num triennii itinere adeunda, num ex Asiongaber per sinum Arabicum petenda.

Si ea, quæ ad Gen. x, 29, congessimus argumenta, ut Mesopotamiæ, Armeniæ, & regionis ultra Tigrim partem, filiorum Jectan sedem vindicaremus, ullius sunt roboris, si montes Mesa & Sephar ipsissimi sunt montes Masius & Saspyri sivè Tapyrorum; illud consequatur oportet, Ophireticam regionem non longè a fontibus Euphratis & Tigridis in eo, quem diximus, tractu constituendam fuisse. Planè qui regionem Ophir procul a mari constituerint, plures ante nos occurrunt. Eusebio, & S. Hieronymo (o) inter amnem Cophenem, Indias, & regionem Serum collocatur. Eustatio Antiocheno [p] in Armenia sita est, cujus opinio his conjecturis fulcitur. Justinianus Imperator Armeniam universam in quatuor partes distribuit; ex his uni nomen fuit *Zophara*; an eadem cum Sophene Strabonis, Sophane Trogi, Sophanene Procopii? Porrò litera R in N facilè barbarorum linguâ transmutatur, nec raro R in fine dictionis quiescit; ita pro Gadir, usurpatum est Gadis; pro Amilcar, Amilcas; pro Bocchor,

g *Lib.* 17.
h *Meteol. l.* 1, *c. ult.*
i *Lib.* 6, *c.* 29.
k *Herod. l.* 2, *c.* 158. *Diod. l.* 1.
l 3. *Reg.* 1x, 16.
m *De orig. Gent. Americ. l.* 2, *c.* 18.
n *Gen.* x, 30.
o *De Loc. Hebr.*
p *In Hexaem.*

chor, Bocchus; ex *pleres* factum est *pleuus*; ex *doron* donum; ita *Sopher*, vel *Sophir*, quod idem est, facilè in *Sophene* conversum est. Scitum est autem, Septuaginta Græcosque pro Ophir legisse Sopheir; contigit enim sæpè, literam S in capite dictionis simplicis aspirationis loco poni. Strabo lib. 11, ad Phasim amnem Sarapenos collocat, eorumque Metropolim ad eam fluenti partem constituit, ubi navigationis impatiens esse incipit. Apud Strabonem mentio fit de maximâ Armeniæ parte, quam veteres Syspiretim appellabant, a Chalachenâ & Adiabenâ ad transmontana usque Armeniæ protensâ. Sunt ibi, ait, auri fodinæ, atque divitiis regio abundat adeò, ut Alexander Magnus Memnonem cum copiis ad ejus fodinas miserit. Pingue est etiam solum, ait, alendis equis, vel ipsis Nisæis arvis in Media nihil concedens (*q*). Si quis Isthmum ad septemtrionem penetret, illi certè vestigia quædam reliqua nominis Ophir occurrent in flumine Opharo, & populis Opharitis [*r*], Sarmatiam Asiaticam, Colchidi & Iberiæ finitimam, incolentibus. Noti sunt etiam ad Cyrum amnem *Obareni*; de quibus Quadratus [*s*]; eadem facilè gens ac *Iberes* Strabonis, *apud quos torrentes dicuntur aurum deferre, quod barbari perforatis tabulis & villosis pellibus accipiunt; undè aurati velleris fabula conficta est; & fortasse Iberes eodem nomine vocantur; quo Occidentales, ab auro, quod apud utrosque reperitur* (*t*). Facilè etiam *Obareni* illi apud Quadratum, ipsi sunt *Suarni* apud Plinium [*u*], inter fauces Caspias, montes Gordyæos, & Pontum Euxinum siti. Gens illa, ait, *indomita, auri tantùm metalla fodiunt*. Nomina verò hæc *Obareni*, *Suarni*, *Iberes*, nomini Ophir affinia sunt, maximè si litera B Græcorum more, veluti V consona ad *Phi* accedens, pronuncietur; redderetur enim *Ophareni*, *Spharni*, *Ipheri*; quod etiam ipsum sonare potest Ophir, juxtà variam pronunciandi singulas ejus nominis literas rationem. Ita planè *aurum obrisum* pro *aurum Ophirisum* usurpatum est.

In hanc autem sententiam, ut Ophir constituamus non procul à Phasi & regione Sepharvaitarum, quos ipsos credimus Saraparas, incolas Sapavortenes, vel montium Saspirum, ultrò etiam pertrahimur; quòd in Scripturâ aurum Ophir idem esse ac aurum Parvaim, animadvertamus. In 3 *Reg.* IX, 26, 27, 28, cui 2 *Par.* VIII, 18, consonat, Salomon immensam auri Ophiretici vim ad Templi ædificium comparasse perhibetur; & 1 *Par.* XXIX, 4, pares ex auro Ophir divitias, in eundem usum Davidem destinasse legimus. Cum autem ad opus ventum est, insumpsisse Salomonem narrat Scriptura, auri optimi, auri *Phervaim* thesauros; aurum igitur Phervaïm ipsum est Ophireticum. Porrò *Phervaim*, & *Sepharvaim* idem sunt nomen, adjectâ literà S aspirationis loco; quemadmodum cùm ex Ophir factum est Sophir. Sunt verò Sepharvaïm, uti ad *Gen.* II, 11, ostendimus, populi inter Colchidem & Mediam constituti; quo proindè in loco etiam Ophir ponatur oportet. Notum est etiam in Scripturâ aurum *Obaz* [*x*], *Uphaz* (*y*) & *Ophaz* [*z*], quæ diversa nomina unum idemque aurum Phasidis, quem Moyses Phison appellat, designasse non invitus crediderim. Colchidis enim divitias, & Phasidis aurum toti antiquitati celebratissima fuisse, alibi demonstravimus. Adde Ophireticum aurum è torrentibus erui consuevisse, juxta Authorem libri Job (XXII, 24), quod ipsum tradunt Veteres de auro, ex eà regione, ubi nos Ophir constituimus, advecto. Idem Author XXVIII, 6, 16, 17, 19, sapientiam rebus quibusque pretiosissimis comparans ait: *Locus Sapphiri lapides ejus* [nempè loci cujusdam] *& glebæ illius aurum*. Sed, prosequitur, sapientia his omnibus utique præstat: *non dabitur aurum obrizum pro eâ*. (Hebr. aurum Ophir) *nec conferetur lapidi Sardonycho* [Hebr. *Sohem*] *vel Sapphiro. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum, nec commutabuntur pro eâ vasa auri.* [*Hebr. Phaz*] *Non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia* (Hebr. *Pitdath de Cusch*). Facile Author, nomine regionis, aureis arenis, & gemmeis lapidibus divitis eandem designavit regionem, quam postea subsequentibus versibus, nomine suo regionem Ophir, Phaz, & Cusch, quæ auro, gemmisque insignes habebantur, prodidit. Hæc verò omnia, nulli melius regioni convenire credimus, quàm Ophireticæ, juxta nostram hypothesim in Colchide, & adjacentibus regionibus constitutæ. Aurum ibi jam olim notissimum erat, neque Sohem, quod ipsissimum esse smaragdum alibi ostendimus, rarum habebatur. Sapphirus vulgaris est in Mediâ, & Armeniâ minori; optimus in Mediâ, auctore Plinio, eruitur (*a*). Porrò nomen Sapphirus affine est cum Saphar monte, quem Moyses orientalem, terminum hæreditatis filiorum Jectan, quorum unus Ophir, constituit.

Non eâ quidem sumus confidentiâ, ut certum Ophireticæ regioni situm, atque locum destinemus. In eâ, quâ laboramus, remotissimæ Antiquitatis obscuritate, regionem circum circa designasse satis fuerit.

At enim quomodo classis in Armeniam & Isthmum inter Mare Caspium, & Pontum

q *Lib.* 11, *pag.* 368.
r *Plin. lib.* 6, *c.* 7.
s *Lib.* 2. *Parthic. apud Steph. in* Ἰβηρία.
t *Strab. l.* 11, *pag.* 350.
u *Plin. l.* 6, *c.* 11.
x *Jerem.* X, 9.
y *Dan.* X, 5.
z *Cant.* V, 11.
a L. 37, c. 9.

tum Euxinum adnavigare potuerit? Nonne si ea loca ex Judæâ adire voluissent, navigia breviori & faciliori itinere per Pontum Euxinum iter fecissent? Nonne Salomoni & Hiram conduxisset magis, si in aliquo ex Mediterranei portubus, dirionis eorundem Regum, navigia instructa per Pontum Euxinum in Colchidem, atque inde per Phasim in Isthmum transmisissent; conduxisset, inquam, magis, quàm ut longiori itinere per Erythræum, Oceanum, & Sinum Persicum deducerent? Ea verò Regio fuerit quidem auro, metallisque pretiosis ferax; sed nunquid in illâ simiæ etiam frequentes, pavones, aromata, gemmæ, ebur, quæ tamen omnia Salomonis classi in Ophir suppetebant [b]? Has difficultates ita eluimus. 1, Per Oceanum Indicum, & Pontum Euxinum navigatio tum temporis infrequens erat; atque nondum benè explorato freto difficilis. 2, Classis Salomonis non ad regionem usque Ophir perveniebat, sed in locis commercio eorundem populorum frequentatis subsistens, mercibus onerabatur suis. 3, Neque regionis Ophireticæ tantùm divitias Salomonis navigia comparabant; sed si quid rari in oris Africæ, & Æthiopiæ inter eundum offendissent, omnia simul deferebant. 4, Tandem eas, quas Plinius & Strabo pro commercio Orientali designant, vias, non multùm illas ab itinere, unde navigia Salomonis deducimus, discrepasse, paulò exactiùs demonstrandum suscipimus.

Quanquam navigationes vetustissimæ apud Phœnices habeantur, non tamen ante Salomonis ætatem, ultra mare Mediterraneum, negociationis gratiâ videntur excurrisse; cùm amplissima hujus freti litora, vastas licèt, eorum cupiditates abundè explerent. Oceanus, & Pontus Euxinus nihil habebant, quod illis in vicinioribus Mediterranei oris non abundè suppeteret. Bochartus, qui Phœnicum vestigia quaqua versum conquirens, in litore meridionali Ponti Euxini posteros Gomer, & Aschenez constituit; Bochartus, inquam, post Eusebium, unicum tantùm Phœnicum iter in Bythiniam notat; sed expeditio illa successione caruit. Oræ hujus freti septemtrionales nunquam a Phœnicibus frequentatæ leguntur. Aliquantò post bellum Trojanum primò ausos fuisse Phœnices columnas Herculis pervadere, atque in oris Lybiæ urbes quasdam ædificare, Strabo testatur (c). Euxinum fretum, juxta eundem Strabonem, non secus ac Oceanum Veteres metuebant; ut proinde per Pontum adnavigare res perindè ardua haberetur, ac si ultra Herculis columnas navigio petendum fuisset. Cùm autem, addit, miræ res & ignotæ in majora semper opinione augeantur, factum inde, ut fretum illud per excellentiam *Pontus* appellaretur; unde postea, ait, nomen illud facilè ad Oceanum transiit. Narrat etiam idem Scriptor tum loco laudato, cùm libro 3, ab Homeri ætate primò commercia cum Cymmeriis Septemtrionalibus in Chersoneso Taurica institui cœpisse: Homerus Salomoni suppar erat. Norat quidem Author, quæ de expeditione Jasonis, cæterorumque pro vellere aureo, aliquantò ante bellum Trojanum, ferebantur; sed Argonautarum navigatio singularis fuit, successione carens; quique etiam Cymmerios exploratos habuerunt, non facilè alios adducere potuerunt, ut longam, difficilem, nulliusque commodi navigationem inirent. Neque enim oras septemtrionales Ponti Euxini incolentes populi, divitiis abundant adeò, ut lucro inhiantes mercatores ad se alliciant. Scythæ divitias contemnebant; & Asiæ minoris mercatores expeditius habebant vehendis mercibus suis iter, si terrestri, vel fluviali itinere in Joniam, Ciliciam, vel Syriam, commercio florentissimas regiones, venirent. Hinc Eratosthenes apud Strabonem (d) observat, Pontum Euxinum dictum olim fuisse *Axenos*, quòd commerciis prorsùs vacaret; successu verò temporis rebus immutatis, negociosò mari inditum nomen *Euxenos*. Nolim ego de veritate hujus etymologiæ consentiosum finem trahere; sed nobis demonstrasse ex eâ sufficiet, fretum illud, obscurum diu atquè infrequens mansisse. A Mithridate Eupatore, ejusque Ducibus (e) primum illius tractûs usque ad Paludem Mæotidem cognitio cœpit. Alexandri Magni ætate adhuc in obscuro manebat regio; isque primus gentes ad septemtrionem Græciæ usque ad Danubium exploravit (f). Sub Trajano an Palus Mæotis Oceano juncta esset, in ambiguo adhuc res erat, quantùm ex Plinio intelligimus [g]. Colchis [h], & mons Caucasus [i] in finibus Mundi constituti credebantur; atque ad Phasidem (k) navigatio maritimi itineris summum habita est. Ciceronis ætate ostia Ponti Euxini vidisse Romanum, pro maximo habebatur. Non est igitur cur admiremur, si Salomonis, & Hirami classes, relicto expeditiori per Pontum, per fretum ignotum, itinere longiori Ophir adnavigarent. Exploremus modò quam potissimùm viam classis tenuerit, quove in loco comparandis mercibus constiterit.

Classis igitur in portu Asiongaber in mari Rubro instructa, solvens inde, Arabiæ latera usque ad Mechæ, sive Babelmandel facilè abrasit; inde secundùm latera meridionalia

b *Vide* 3. *Reg.* 9, 22.

c *Strab. l.* 1.

d *Strab. l.* 1, *pag.* 38, *& l.* 7, *pag.* 307.

e *Strab. l.* 5, *pag.* 21.

f *Id. l.* 8, *pag.* 209.

g *Plin. l.* 2, *c.* 62.

h *Apollonius apud Casaub. in Theocrit. Idyl. c.* 9. . . . . . Αἶα δὲ Κολχίς. Πόντυ καὶ γαίης ἐπικέκλιται ἐσχατίῃσι.

i Η' Α'ῖα, ἢ Ῥοδόπαν, ἢ Καύκασον ἐσχατόεντα.

k Ε'ς Φᾶσιν ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος.

dionalia ejusdem regionis, in sinum Persicum succedens, per Euphratem vel Tigrim adverso amne deferebatur. Urbs est ad Tigrim nomine Opis, emporio celebris, quam e sinu Persico navigia, adverso amne per Tigrim delata, tenebant (*l*). Huic navigationi impediendæ, aggeribus in amne excitatis, Persæ nullum non moverunt lapidem, sed Alexander Magnus, his omnibus amotis, amnem liberavit. Commoda inde commercia cum omnibus Assyriæ, Mesopotamiæ, Armeniæ, ac finitimarum regionum populis præstabantur; singuli enim per Euphratem, & Tigrim merces ad Emporium transvehebant. Poterat etiam classis, ultra quam nostrâ ætate liceat, ad Euphratis fontes propiùs accedere; neque enim tunc tot ex eo rivi deducebantur (*m*), quot fluminis illius gloriam ætate nostrâ minuunt. Populi ad fontes Tigris fluviali itinere Babylonem usque deducebantur, teste Strabone, nec Herodoto, & Diodoro Siculo refragantibus (*n*). Sunt quidem, qui rapidiorem esse amnem, quam ut navigia patiatur, asseruerint; sed illos authoritate & experientiâ suâ Petrus Duval refutat, qui & navigationem in eodem amne instituit, & lenioribus, quàm Euphratem, aquis Tigrim fluere testatur (*o*).

Navigia per Euphratem adverso cursu usque ad urbem Sipharam, sive Tapsacum deferri potuisse satis convenit inter omnes. Porrò Siphara apud Ptolemæum sita est ad amnem nondum aquarum in diversos canales divortio fluentem; est autem metropolis Sipparenorum, de quibus Abidenus apud Eusebium (*p*). Non deerunt, qui majori, quam nos, confidentiâ regionem Ophir eò loci constituant, nominis affinitate potissimùm persuasi, atque auri, non quidem genuini regionis, sed adventitii e vicinis Provinciis, in quibus abundat, affluentiâ.

Scitum est apud Aristobolum, a Strabone [*q*] laudatum, cives Gerræ (urbs est juxta sinum Arabicum) merces suas navigio Babylonem usque transvexisse; qui inde per Euphratem Tapsacum usque ascendentes, pedestri itinere opportunè in Mesopotamiam, Armeniam, & Assyriam perveniebant.

Potuit igitur classis Salomonis eamdem tenens viam, Babylonem usque, vel Opim, vel Sipharam, quin & Tapsacum usque adnavigasse; inde, advectis ex Judæâ mercibus cum auro Ophir commutatis, onere facto rediisse.

Cùm in amplissimâ regione Salomon jus diceret, nulla etiam in toto orbe regio solertiùs, quàm Judæa colebatur; optimis propterea vinis, electo frumento, atque oleo eximio ferax erat. Quare ex Judæâ, & Israële delata ad nundinas Tyrias frumentum, balsamum, oleum & resinam, Ezeciel significat (*r*). Pannis etiam purpureis Phœnicia celebrabatur; sicut tenuissimis telis Ægyptus, & Judæa; Arabia, montes Libani, & Galaad aromata sufficiebant. His mercibus onusta classis Salomonis, commercia cum populis Mesopotamiæ, Armeniæ, vel Assyriæ detinebat. Eunti autem in eas regiones atque redeunti, qui in itinere occurrebant portus, & loca omnia, ad utrumque litus sinus Persici, & maris Rubri, pervia fuisse poterant. Æthiopia similis præ cæteris totius orbis regionibus frequentatur; quare litora occidentalia maris Rubri classis Salomonis adnavigans, simias comparabat. Quoad Pavones, apud Veteres Aves Mediæ appellabantur, quòd in eâ regione, sicut & in Babyloniâ, frequentissimi essent. Belle autem id congruit cum nostrâ hypothesi, qui Salomonis classem ad Tapsacum, Opim, & Babylonem deducimus. Neque fusiùs nobis agendum est de mercibus, ad Asiongaber ab eâdem classe relatis, cum satis superque de illis 3 *Reg.* 10, 22, egerimus. Unum superest, ut Veterum testimonio ostendamus, iter illud, unde classem deduximus, ipsissimum in navigationibus ejusdem & interioris ætatis per mare Rubrum servatum fuisse.

Quæ de Gerræis supra indicavimus, ex finibus sinûs Arabici Tapsacum usque per Euphratem ascendentibus, & merces suas transvehentibus, manifesto satis exemplo indicant, per sinum Arabicum navigationem tum temporis institui consuevisse. Quin & eodem itinere ex Ægypto Erythræum, atque Indiæ ætate Plinii petebantur (*s*); per Nilum enim adverso amne delata navigia, Alexandriâ Juliopolim, seu potius Heliopolim tenebant; inde cursus ad Coptum, celebre Ægyptiorum & Æthiopum Emporium, dirigebatur. Ibi impositis super Camelos mercibus, nocturno itinere, æstuantibus calore diebus, duodecim itineribus Berenicem ad Erythræum perveniebant. Interim opportuno navigationis tempore, ad mediam nempe æstatem, ante vel statim post Caniculam, expectato, conscenso navigio, 30 navigationis diebus *Ocelim*, vel *Canan*, vel *Muzam*, portus Arabiæ, tenebant; sed euntibus ad Indias *Ocelis* portus commodior. Institutus inde ad *Muzirim* cursus 40 dierum itinere. Locus ille commercio Indiarum primus habebatur. Alii tamen, relicto Muziri, *Bacar*, alium tutiorem, & commodiorem Indiarum portum, adnavigabant. Solebant autem mer-

l *Strab. l.16. Vide Herod. l.1, cap.* 139.

m *Plin. l.6, cap.* 26.

n *Strab. l.16. Herod. l.1, cap.*194. *Diod. l.*17.

o *Apud Cellar. Geograph. antiq. l.*3.

p *Præp. l.9, c.*41. *In eâdem regione nota est urbs Hippurium apud Plin. l.6, c.*26.

q *Strab. l.16, pag.* 520.

r *Ezech.* XXVII. 17.

s *Plin. l.6, cap.* 23.

catores ineunte *Tybi*, mense Ægyptiorum, Decembri respondente, patriam repetere. Interdum ejusdem anni spatio iter instituebatur simul & absolvebatur.

Minùs sanè expeditum Salomonis classi cursum fuisse, quàm illis, quas Plinius descripsit, facilè credimus; tum quòd nautæ eâ ætate essent imperitiores, cùm quòd in locis plurimis ad commercii opportunitatem aliquantò fuerit immorandum. Quare tot morulis productum iter, non planè citiùs, quàm spatio tantùm 26 mensium ad minus confici poterat. Quanquam enim ad Indias usque classis non pertingeret, longissimâ tamen viâ Sinum Persicum circumeuntibus, atque non modicum Euphratis atque Tigris tractum dimetientibus decurrenda fuerat; quod sanè duplo prolixiorem navigationem reddebat. Hinc factum est, ut iter, quod e Berenice ad Indias unius anni spario peragebatur, totum triennium vel 25, aut 30 menses, usqueqnò portum, undè solverat, repeteret, Salomonis classem detinerent. Quid, quòd hyemale tempus navigationi adversum, otiosum transigendum fuerat; quare ter recurrente hyeme, ac bis æstate, tota expeditio non prius, quàm per triennium absolvi potuerat?

At enim disertis in Scriptura verbis Ophireticam regionem petiisse navigia Salomonis exprimuntur? Quæ sanè minùs cum nostro systemate quadrant: non enim nisi ad emporium Ophiræorum, atque finitimarum illis gentium (quod Ophir nonnisi incongruè appellaretur) classem appulisse autumamus.

Ultrò quidem fatemur, in eâ, qua sumus, sententiâ Salomonis classe ab Ophir procul substitisse; sed Scripturæ verba in sensu vulgari & communi intellexisse saris superque habendum est. Quare sicut Hollandiam petiisse ille rectissimè dicitur, qui ad ejus regionis extremas oras appellens, ab Hollandis negociatoribus, illic versantibus, merces Hollandicas comparat; ita navigia Salomonis Ophiræorum emporium tenentia, in Ophir ventitasse censebantur. Nonne planè onerarias naves Alepum negociationis causâ transmitti, quotidiano sermone dicimus, quæ tamen in portu ejusdem Urbis, trium dierum itinere distanti, subsistunt (*t*)? Classe in Æthiopiam duxisse Menelaum Homerus tradit (*u*); quem locum in examen revocans Strabo (*x*) narrar, pluribus quidem iter illud impossibile visum fuisse; alios prolixas adeò classi vias designasse, ut fabellas somniasse crederentur; se verò difficultatem expeditiùs enodaturum, si classem illam adverso per Nilum cursu, usque ad extremas Æthiopiæ oras, & ad proximam usque Thebarum nrbem deducat. Ita planè Ulysses in regionem Cyclopum venisse narratur, qui tamen in antro ad ultimas oras illius regionis substitit. Quid? addit Strabo, nonne Troglodytæ etiam Æthiopes censentur? quos adivisse Menelaus censebatur, si Nilum eò usque, dum populos illos e regione spectaret, ascendisset.

t *Vide Gab. Sionit. Arabiam cap.* 5.
u *Odyss. l.* 4.
x *Strab. l.* 1, *pag.* 29.

Hæc planè omnia etiam de expeditione Ophireticâ usurpari rectissimè possunt. Euphrates & Tigris, flumina in vicinils regionis illius nata, vehendis Assyriæ, Mesopotamiæ, Armeniæ, & Colchidis mercibus, famulis aquis serviebant. Inter eos negociatores, Ophiretici, quòd preciosissimas auri & argenti merces adveherent, cæteris præstabant. Quidni igitur in Ophir tetendisse classis diceretur, cùm Opim, Tapsacum, Babylonem, Urbes Ophireticæ finitimas, onerandis Ophireticis mercibus, atque commerciis cum Ophirericis negociatoribus agendis veniret? Josephus venditus in Ægypto dicitur (*y*), quòd a mercatoribus ejusdem regionis in Ægypto iterum vendendus, emptus esset.

y *Gen.* XLV, 4.

Sed cui bono maritimum in Armeniam & Mesopotamiam iter institutum est, solidi triennii spatio absolvendum; cùm brevioris temporis & impensæ terrestre iter per camelos, ad eum usum aptissimos, suppeteret? Hæc sanè in speciem aptissimè observantur; sed animadversione dignum est, Iter illud non referendo rantummodò auro Ophir fuisse institutum, quin & lignis pretiosis, simiis, aliisque Arabiæ felicis & Æthiopiæ mercibus comparandis. Ea insuper itineris ratio tunc temporis tutissima & commodissima habebatur; quippè quæ cæteris etiam populis probaretur, utì a Gerræis, quibus alioquin, non secus ac Judæis, ad Euphratem terrestre iter per camelos expeditius fuisset.

DISSERTATIO
DE ORIGINE, ET ANTIQUITATE
CIRCUMCISIONIS.

Circumcisionem avitum esse ritum, in suo solo natum, Ægyptii olim jactitarunt. Herodotus, a Sacerdotibus ejusdem gentis instructus, idem Græcis persuaserat: & Religionis Christianæ osores, de opprobrio Judæorum invidiam in illam creare conati, hanc instaurarunt objectionem; circumcisionem nempe, non ita peculiarem Judæorum fuisse ritum, quin & apud Ægyptios priùs obtineret; cessarent proinde prærogativam illam, tanquam selecti a Deo populi, sibi divinitùs datam jactitare. Hæc Celsus in Christianos ingerebat (a); cui Origenes respondet, Judæis pariter, primos se circumcisionis authores asserentibus, saltem æquum esse cum Ægyptiis jus, ut affirmantibus crederetur: Judæorum Circumcisionem aliam planè esse ab Ægyptiorum, & Ismaëlitarum, tum illius instituendæ fine, tum lege instituente, tum etiam initiandorum eo ritu mente spectatâ. Judæi enim unam tantùm circumcisionem octavâ die probant; cæteras tanquam vanas, & superfluas abjiciunt. Præposterè igitur Celsus ait, varias hasce cæremonias, & ritus confundit. Demonstrat tandem iniquum esse, relevatos per Jesum Christum, & Apostolos a jugo Legis Fideles invidiâ Legis Judaicæ onerare. Julianus Imperator tradit, Abrahamum, cum e Chaldæâ in Ægyptum venisset, circumcisionis ritum ibidem didicisse, quem sanè Christiani, filios se genuinos Abrahami jactitantes, recipere tenerentur; cui S. Cyrillus, iis, quæ de Abrahamo ab Apostatâ dicebantur, ne refutatis quidem, respondet, cordis & spiritûs circumcisionem unicam esse, quam Jesus Christus a Fidelibus exigit; carnalem verò ad salutem supervacaneam prorsus esse, & inutilem [b].

a *Apud Orig. l.1, & 5 contra Celsum.*

Cùm ad hoc usque temporis Eruditi quidam non desint (c), qui circumcisionis primò invectæ decus Abrahamo abjudicantes, ab Ægyptiis, si non omnibus, saltem Sacerdotibus primitùs usurpatum credant; ideò laborandum nobis est, ut in omnes illos populos ex Judæis derivatam circumcisionem ostendamus; ea omnia, quæ de vetustate hujus ritûs apud Ægyptios, Æthiopes, & Colchos ab Herodoto aliisque Authoribus feruntur, vana esse & inania demonstrantes.

b *Cyril. l.10. contra Jul.*

c *Marsh. Can. Ægypt. sæc. 5. Joan. Cleric. in Gen.*

Ægyptios antiquitatem suam atque rerum inventionem jactitasse tam certum est, quàm quid aliud. Hujus gloriæ adeò illos studiosos fuisse constat, ut cæteros populos prærogativis quibusdam, maximè in rebus Religionis, supra se efferri nullâ ratione paterentur. Cùm autem persuasum sibi haberent, Deorum cultum, & Religionem ex Ægypto cœpisse, omnium se cæremoniarum, & rituum authores haberi volebant. Hinc nata cum Judæis vetus, & perpetua simultas; quam enim Judæi veram assertamque præseferebant antiquitatem, quemadmodum & solidam in cæremoniis majestatem, puritatem Religionis, & morum, legumque inter utrasque gentes discrepantiam, in odii, atque invidiæ fomitem Ægyptii convertebant.

Græcorum Historici de vetustate populorum, atque origine rituum acturi, frustra se alibi, quam in Ægypto, vera scrutaturos reputarunt. Doctissimi enim in toto orbe Ægyptii habebantur adeò, ut eorum virtutis fama omnes fermè veteres Scriptores e Græciâ ad se acciverit; unde pariter Græci eas, quas in scriptis suis inseruerunt, fabellas, unà cum pluribus admixtis veritatibus, hauserunt.

Herodoti, si cujus unquam inter Historicos, fides in suspicionem revocatur. Manetho, scriptor Ægyptius, tanquam fabulosum authorem, atque antiquitatis Ægyptiacæ imperitum illum accusat. Diodorus Siculus, Græcus alioqui scriptor, paria in viro reprehendit (d); neque nos illum absolvere possumus, vetustatem Circumcisionis Ægyptiis, Æthiopiæ, Colchidis, & Phœnicis populis tribuentem; eò maximè, quòd illius authoritate cæteris deinde Historicis impositum est.

d *Diod. l.1.*

Ægyptii, ait idem Author (e), oppositos planè cæteris ferè omnibus mores habent, Circumcisionem admirrunt, ritum omnibus ignotum, præter iis, ad quos ex Ægypto superstitio descendit. Et alibi (f) primos, apud quos circumcisio obtineret, indicat Colchos, Ægyptios, & Æthiopes; namque, ait, quoad Phœnices, & Syros Palæstinam incolentes, ex Ægypto in ipsos derivatum morem, ipsorum consensu intelligimus; in cæteros verò Syros ad Thermodoontem, & Parthenium ipsis fatentibus ex

e *Herodot. lib.2, c.35, 36.*

f *ibid. C.104.*

ex Colchide superstitio propagata est. Verùm quod ad Ægyptios, & Æthiopes spectat, utri eorum Circumcisionis priùs obtinentis palma deferenda sit, in medio relinquo; quanquam ex commercio Ægyptiorum & Æthiopum, ab Ægyptiis in illos devenisse ritus facilè videtur. Hactenus Herodotus, cujus testimonium modò in examen revocandum est.

Sibi planè non cohæret Herodotus, dum asserit Ægyptios a cæteris populis circumcisione discerni, ritu planè cæteris omnibus incognito, præter iis, in quos ex Ægypto devenerit; cùm tamen alibi primùm illius admissæ honorem Colchis, Ægyptiis, & Æthiopibus tribuat. Sibi etiam repugnat, cùm ambigere se profitetur, utris potiùs, Ægyptiisne, an Æthiopibus circumcisionis inventio deputanda sit. Cùm enim optimè Æthiopes Asiaticos ab Africanis distinguat, ignorare profectò non potuit, Æthiopes Africanos ex Indiâ in Ægyptum venisse; qui proinde, utpote ex Æthiopibus Asiaticis (apud quos ignota circumcisio) derivari, nunquam fieri potuisset, ut circumcisionem tanquam avitam cæremoniam haberent. Quare nullus ambigendi locus erat, an ex Ægyptiis in Æthiopes circumcisio irrepserit.

Falsus est enim Herodotus dum narrat, Phœnices, & Syros Palestinæ incolas, suâmet confessione, ex Ægyptiis recepisse circumcisionem, professos fuisse; nullam enim gentem in Syriâ circumcisione obsignatam præter Phœnices, & Judæos novimus; neutra verò recepisse se circumcisionem ex Ægypto fatetur. Judæi ex Abrahamo, quin potiùs ex ipsomet Deo; Phœnices, ex prisco gentis Rege Ilo, ut infra dicemus, repetunt. S. Barnabas in Epistolâ Syros omnes, Arabes & Sacerdotes Ægyptios circumcisione initiari consuevisse perhibet (*g*). S. Epiphanius (*h*) idem asserit de Ismaëlitis, alio nomine Saracenis, Samaritanis, Idumæis, Homeritis; addit & Moabitas, atque Ammonitas S. Hieronymus *in Jerem.* 9. Tuetur S. Ambrosius *annot. in Levit. ad Constantin.* seu *Epist.* 72 *n.* 6 *nov. edit.* eo stigmate inustos fuisse non Ægyptios Sacerdotes tantùm, sed & apud Æthiopes, Arabes, & Phœnices, nonnullos. Gemina legas in libro de Circumcisione inter Opera S. Cypriani.

Illud ergo ex mente horum Authorum exploratæ antiquitatis & authoritatis consequitur, morem illum per universum latè Orientem pervagatum fuisse. Nihil modò in Ismaëlitis, Idumæis, Arabibus, Ammonitis & Moabitis immorandum; potuerunt enim omnes ex Abrahamo circumcisionem recepisse. Idumæos circumcisionis ritum à Joanne Hircano victore recepisse prodit Josephus *Antiq. lib.* 13, *cap.* 17. Eadem facilè Moabitis & Ammonitis accidisse potuerunt; nec invitus suspicor, Phœnicum nomine Samaritanos a Scriptoribus illis designari, cùm S. Epiphanius Samaritanos recensens de Phœnicibus sileat. Nullo autem negocio originem circumcisionis apud Samaritanos deprehendimus, cùm illi Mosaicæ Legis cæremonias admitterent. Soli ergo manent Ægyptii atque Æthiopes; sed cùm & posteriores isti suâmet confessione decus inventæ circumcisionis a se abjudicantes, tenuisse illam ex Ægyptiis Hebræisve ultrò profiteantur, ad unos Ægyptios controversia cogitur.

Igitur plurium Scriptorum testimonio colligitur, nullâ apud Ægyptios lege præceptam esse circumcisionem, ejusque morem in universâ gente non obtinuisse. Causas quare circumcisionem admitterent populi, plures enumerat Philo [*i*]. Prima, ut eo remedio, peculiare morbi genus, carbunculum dicunt, quod circumcisione evitatur, præcaverent. Secunda, quò, fordis causâ sublatâ, corpus elutum purumque servetur; cujus rei gratiâ pilos omnes corporis, metu ne quid impurum detineant, eradunt. Tertia, quæ symbolica est, a nostro argumento aliena, ultrò omittitur. Quarta tandem, ut fœcunditas, multùm enim circumcisionem ad eam rem conducere arbitrantur, promoveatur.

S. Ambrosius *Epist.* 72, *ad Constant. n.* 5, in eâ esse sententiâ videtur, Ægyptios persuasum habere, sordis nescio quid Sacerdotibus illis inesse, qui circumcisione non eluerentur. Addit insuper: *Neque Magici carminis sapientiam, nec Geometriam, nec Astronomiam judicant vim suam obtinere, sine circumcisionis signaculo.* Vestingius *Syntag. anatomic.* 6 Medicus celebratissimus, causâ quadam naturali Arabes & Ægyptios, quà mares, quà fœminas ad circumcisionem propelli arbitratur; mares enim, ait, præputium plus nimiò excrescens necessitate magis, quàm Religione, quamvis & Religione etiam aliquâ, vel potiùs superstitione, inducti, amputant. Fœminæ verò quid causæ habuerint, cur ad circumcisionem adigerentur, vide Notam infra pag. LIV. Certum est autem circumcisionis hujus admittendæ nullam fuisse apud eos populos legem, neque morem illum per totam provinciam obtinuisse. Ad arbitrium probabant rejiciebantque omnes, si unos excipias mares Mahometicæ Legis sectatores, quos legis ejusdem præscriptum duræ illi necessitati subdebat.

S. Cle-

g Ἀλλὰ καὶ πᾶς Σύρος καὶ Ἄραψ, καὶ πάντες οἱ ἱερεῖς τῶν εἰδώλων. ἄρα οὖν κἀκεῖνοι ἐκ τῆς διαθήκης αὐτῶν εἰσιν, ἀλλὰ καὶ Αἰγύπτιοι ἐν περιτομῇ εἰσι. *Barnab. Ep.* 32.

h *Epiphan. l.* 2. *contra hæres. hæresi* 30. Ἀλλὰ καὶ Σαρακηνοί, οἱ καὶ Ἰσμαηλῖται περιτομὴν ἔχουσι, καὶ Σαμαρεῖται, καὶ Ἰουδαῖοι, καὶ Ἰδουμαῖοι, καὶ Ὁμηρῖται.

i *Philo de Circumcisione*, p. 810. Πολλὰ δὲ εἶναι τὰ προτρέποντα τὴν εἰσαγωγὴν τῶν παλαιῶν διατηρεῖν καὶ ἐπιτελεῖν, τὰ δ' ἀνωτάτω τέτταρα. Ἓν μὲν χαλεπῆς νόσου καὶ δυσιάτου πάθους ἀπαλλαγήν, ἣν ἄνθρακα καλοῦσι... ἥτις εὐκολώτερον τοῖς τὰς ἀκροποσθίας ἔχουσιν ἐγγίνεται. Δεύτερον, τὴν διὰ ὅλου τοῦ σώματος καθαριότητα πρὸς τὸ ἁρμόττον τάξει ἱερωμένῃ. Παρ' ὃ καὶ ξυρῶνται τὰ σώματα προσυπερβάλλοντες οἱ ἐν Αἰγύπτῳ τῶν ἱερέων. Προσυλλέγεται γὰρ καὶ ὑποστέλλει θριξὶ καὶ ποσθίαις ἔνια τῶν ὀφειλόντων καθαιρεῖσθαι. Τρίτον δὲ τὴν πρὸς καρδίαν ὁμοιότητα τοῦ περιτμηθέντος μέρους... Τέταρτον δὲ καὶ ἀναγκαιότατον τὴν πρὸς πολυγονίαν κατασκευήν. Λέγεται γὰρ ὡς εὐοδοῖ τὸ σπέρμα μήτε σκιδνάμενον, μήτε παραρρέον εἰς τοὺς τῆς ποσθίας κόλπους, &c.

S. Clemens Alexandrinus *Strom. l.* 1 refert, Pythagoram, cùm in Ægyptum auscultandis Gentis illius Propheris venisset, circumcisioni se subjecisse, quò & eorum mysteriis initiari, & ad initima philosophiæ adyta admitti permitteretur. Origenes *in Epist. ad Rom.* 1, 2, & *in Jerem. hom.* 5, exactum ducens catalogum eorum, qui circumcisione in Ægypto initiabantur, recenset Geometras, Astronomos, Astrologos judiciarios, Genethliacos, Sacrificulos, extorum Inspectores, Prophetas quos vocant, Hieroglyphicis studentes, Divinos, Mysteria revelantes, & qui mysteriis initiari volunt. Observat Josephus *cont. Appion. l.* 2 Sacerdotes Ægyptios omnes circumcisionem admittere, atque a suillâ abstinere. Paria de circumcisione Sacerdorum apud S. Epiphanium *hær.* 30 legas. Quæ omnia apertè demonstrant circumcisionem ritum fuisse solis Sacerdotibus peculiarem.

Eja verò quo potissimum tempore mos ille ad Ægyptios translatus est, inquiramus. Moyse authore cæremoniam habuisse Ægyptios & Æthiopes Sacerdotes, Artapanus apud Eusebium [*k*] testatur. In eamdem sententiam descendisse Origenes visus est [*l*], tradens cogendarum ad circumcisionem Gentium in causâ fuisse gliscentem apud illas metum de Angelo quodam Judæorum adversario, qui parcere circumcisione signaris coactus, incircumcisos diræ animadversioni subjicere ferebatur. Quæ in illos persuasio utique ex historiâ in Exodo relatâ, de Angelo, Moysi in Ægyptum reduci obviam facto, atque in necem Eliezer filii ipsius irruente, derivata est. Tunc enim Sephora, pueri mater, filio statim circumcisione initiato, imminens periculum e capite illius avertit. Malunt alii Ægyptiorum circumcisionem ex Israëlitis in Ægyptum cum Jacob descendentibus repetere. Quamquam enim ambo illi populi, Ægyptii & Judæi, primò se alter ab altero observassent, ne cibos quidem simul capere, neque ambulare simul, sedesque communes habere, sustinentes; successu tamen temporis de veteri utrimque jure recessum est, ut cùm ex Ægypto Israëlitis remeandum fuit, non deessent ex populo, qui connubia cum Ægyptiis puellis inivisse deprehenderentur; ne quid dicam de translatis Hebræorum in Ægyptiorum Urbes sedibus, eorumque moribus adoptatis. Quid, quòd avitâ Religione desertâ, atque pastoritiâ professione abdicatâ, plures ex Hebræis ad Ægyptiorum sacra atque consuetudinem transierunt? Inter hæc tamen, ut avitam peculiaremque circumcisionis religionem abjicerent Judæi, nunquam commissum est. Hujus ergo ritus adeò fuisse tenaces videntur, ut ne jungi quidem cum Ægyptiis facilè se sustinuerint, nisi eâ tantùm conditione, ut unicam hanc cæremoniam, quam Hebræi usque adeò observaverant, probarent, atque reciperent.

Quamquam hæc plausibilia videntur, non minùs tamen aliis plausibilibus conjecturis oppugnari possunt. Si Ægyptii circumcisionem admiserant, ut eâ conditione Israëlitas in suas Urbes atque societatem adducerent; & Israëlitæ vicissim & avitum solum, & professionem simul cum Religione abjecerant; quid tandem prohibuit, ne spatio 205 annorum, quo simul cohabitarunt, in unam eandemque gentem coalescerent? Aliter tamen res habuit sese; pauci ex Israëlitis cum Ægyptiis connubia miscuerunt, atque duæ illæ gentes suo singulæ jure censebantur; quin & pro veteri inter ipsas simultate factum credimus, ut Rex Ægypti de Israëlitis exterminandis cogitaret. Circumcisionis indicio agnitus a filiâ Regis Ægypti Moyses creditur, visum enim in ripâ Nili filium, eo signo initiatum, statim non Ægyptium, sed ex Hebræis genus referre judicavit.

Cùm Moyses leges præscribit, quibus jus Civitatis, & gentis Judaicæ exteris gentibus permitti poterat, circumcisio primo loco recensetur; quæ generalis pro omnibus gentibus lex ne Ægyptios quidem excipiebat; ut liquidò intelligamus Circumcisionis cæremoniam nondum apud illos obtinuisse. Singulare tantùm populis illis concessum est privilegium, in gratiam concessæ olim Israëlitis in suâ regione sedis, ut in tertiâ demum generatione eorum filii in cœtus Domini introducerentur (*m*); utique tamen admissâ priùs ab illis circumcisione, cæterarumque legum observantiâ, uti Commentatores observant.

Egressi ex Ægypto Israëlitæ, atque per deserta Arabiæ iter facientes, ab omni externarum gentium consortio segregari (*n*), cùm in unam veluti Civitatem coaluissent, circumcisionis cæremoniam intermiserunt; cùm enim eo signo seligere sibi populum suum a cæteris voluisset Deus, non erat utique, cur a cæteris segregati in deserto obsignarentur. Vix tamen in Chanaanitidem, atque inter medios Chananæos ventum est, iterum Divino præcepto pueri in deserto nati, circumcisioni subjiciuntur. Divinis hisce jussionibus a Josue executioni mandatis, Deus statim ad illum, *Hodie*, ait, *abstuli opprobrium Ægypti a vobis* [*o*]; ac si diceret: quidquid vobis erat cum Ægy-

k *Præp. l.* 9. *c.* 18.

l *Cont. Cels. l.* 5. *pag.* 163 *edit. Cantabrig.*

m *Deut.* 23, 7.

n *Theodoret. q.* 3 *in Josu Nave.*

o *Josue* 5, 9.

Ægyptiis commune, probrosum planè & detestabile, id modò penitus abstuli. Filii Jacob detineri se, ne cum Sichimitis connubia jungerent, significatunt, illud obtendentes: *Non possumus dare sororem nostram homini incircumciso, quod illicitum, & nefarium est apud nos* [p]; id est hominem incircumcisum nos probro ducimus & horrori (q). Chananæus igitur & Ægyptius æquè opprobrio erant Hebræis, quippe qui neutri circumcisionem recepissent.

Laudatum e Josue testimonium Marshamus in suæ sententiæ patrocinium convertens, ex eo probare conatur, Moysis ætate Circumcisionem apud Ægyptios obtinuisse; quare Deus illud usurpans: *Abstuli opprobrium Ægypti a vobis*, tantumdem effatus est, ait idem Scriptor (r), ac si dixisset: Abstuli quod vobis æquè ac Ægyptiis horrori est, & opprobrio; quasi scilicet apud Ægyptios lex illa latè & indiscriminatim obtineret adeò, ut incircumcisum hominem horrori ducerent, atque ad eam cæremoniam admittendam latis legibus cogerentur. Opprobrium igitur Ægypti, non est cur de insito in eâ gente horrore erga homines incircumcisos, quemadmodum Israelitis insitum est, interpretemur. Post hæc omnia, Moysis, & Josue ætate incircumcisos mansisse Ægyptios, jure a nobis asserendum arbitramur. Modò succedentia illis tempora examinemus.

Opinio est apud Eruditos receptissima, sub Salomone primùm Ægyptios, & Æthiopes circumcisionis ritum admisisse. Ejus rei conjecturas ex commercio atque arctissima consuetudine utriusque gentis per ea tempora cum Hebræis ducunt; verùm si Hebræis in Ægypto commorantibus, adhuc tamen nulla facta est utriusque gentis in circumcisione communio; quinam fieri poterat, ut merum inter utramque gentem commercium sub Salomone eam haberet vim, quam contubernio, tot annorum spatio continuato, denegamus? Quoad Æthiopes, in quos devenisse autumant circumcisionem, Reginæ eorum, quæ Salomonem Jerosolymam convenerat, ministerio, operæ pretium est animadvertamus, eam fœminam non in Æthiopia, de qua loquimur, regnasse, sed in Sabâ Arabiæ regione; quare iter illius ad Salomonem, atque ea, quam de Rege conceperat, opinio, conciliandæ apud Æthiopes circumcisioni nihil conferre potuerat.

Bochartus & Eruditorum nonnulli non ex Judæis invectam in Ægyptios circumcisionem, sed ex vicinâ Arabiâ derivatam maluerunt. Immanis est quidem inter Ægyptiorum, & Judæorum circumcisionem discrepantia, ac vicissim inter Ægyptiorum, & Arabum plurima consonant. 1, Admittendæ circumcisionis Judæi arctissimo adiguntur præcepto, eamque veluti peculiare signum & characterem populi Dei, cujus conditione divina in se promissa implerentur, respiciunt; Ægyptii verò ultroneâ in illam religione ita feruntur, ut non a populo universo, sed a certis tantùm Sacerdotibus illam exegerint. 2, Apud Judæos solos mares circumcisione, octavâ semper à nativitate die, initiare mos est, apud Ægyptios viri æquè ac fœminæ abscindunrur (s); idque tantùm ineunte 14 ætatis anno, juxta S. Ambrosium (t). Neque omnes Ægypti fœminas indiscriminatim Circumcisionis genus hoc admisisse satis apud Itinerantes convenit. In nonnullis tantùm Arabiæ & Persidis regionibus, veluti ad Sinum Persicum, & Mare Rubrum, ea lex obtinet; ubique enim per eas Provincias mos æquè pro maribus, & fœminis servatur, eo tamen discrimine, quòd abscindendis maribus, quintus, sextus, vel nonus, vel tertiusdecimus ætatis annus præscriptus sit; cùm interim fœminæ nonnisi post exactam juventutem circumcidantur; nequaquam enim antea caro circumcisione abscindenda in fœminis excrescit. Vide *Chardin Iter Persic. tom. 3, pag. 207.*

3. Judæi in partem initi cum Abrahamo fœderis per Circumcisionem recipiuntur, cùm Ægyptii nihilo, quàm honestate, & fortè peculiari regionis suæ incommodo corporis evitando, maximè in fœminis [u], ad eam rem impellantur. Jure proinde meritoque Origenes nihil esse inter Ægyptiorum & Hebræorum circumcisionem commune sustinuit. Quamquam, ut vera fatear, tanta ista non sunt, ut ex uno eodemque fonte utrumque morem profluxisse negemus. Estò enim ex Arabiâ in Ægyptum derivata sit, semper tamen ad Abrahamum partem Isaac & Ismaelis referentur, idemque semper ineluctabile contra vetustatem circumcisionis apud Ægyptios argumentum obtinebit.

Ætate Prophetarum Ezechielis & Jeremiæ, Ægyptii, non secùs ac Babylonii, & Tyrii, inter gentes incircumcisas recensentur. Hinc Ezechiel Dei nomine ita Assyriorum Regem affatur [x]: *Ecce deductus es ad terram ultimam, in medio incircumcisorum*

p Gen. 33, 14. חרפה לנו

q Canon Ægypt. seculi 5.

r Strab. l. 17.

s De Abraham lib. 2, cap. 11. Ægyptii quartodecimo anno circumcidunt Mares, & fœminas eodem anno circumcidi ferunt, quòd ab eo videlicet anno incipiat flagrare passio virilis, & fœminarum menstrua sumant initia.

u Huet. not. ad Orig. par. 5. Circumcisio fœminarum fit rejectione τῆς νύμφης, (imò clitoridis) quæ pars in Australium præsertim mulieribus ita excrescit, ut ferro coërcenda sit. Ita tradunt Medici insignes Paulus Ægineta l. 6, cap. 70. Aëtius Tetrab. 4, ser. 4, c. 103, quorum hic ita pergit: Quapropter Ægyptiis visum est, ut antequam exuberet (pars illa corporis) amputetur, præcipuè cùm virgines nubiles sunt elocanda... Quod igitur necessitate primùm invectum est, Religioni postmodùm usurpatum fuit; quod & aliqui de virili circumcisione opinati sunt. Porrò hanc consuetudinem circumcidendarum mulierum hodieque retinere Ægyptios ferunt ii, qui regiones illas lustraverunt, ignemque ad compescendam partis hujus luxuriem adhiberi scribit Bellon. l. 3 observ. c. 28. Morem hunc servare fœminas in Persiâ, & Cophtas etiam in Æthiopiâ, Christi licet nomen professas. Leo Africanus l. 8, narrat Mahummedi lege id præscribi, quamvis in Ægypto tantùm & Syriâ obtineat, munusque id obire vetulas quasdam, per vicos Cairi ministerium suum venditantes.

x Ezech. 31, 18.

Digitized by Google

sorum dormiet, cum eis, qui interfecti sunt gladio; ipse est Pharao, & omnis multitudo ejus. Idem Propheta Pharaonem alloquitur in hæc verba, juxta literam Hebraicam [y]: *Visitabo super omnem incircumcisum cum præputio: super Ægyptum & super Juda. Quia omnes gentes habent præputium; omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde.* Negare tamen non ausim, receptam tunc temporis apud Ægyptios quosdam circumcisionem; cùm mos Sacerdotes eo ritu initiandi vetustissimus apud illos habeatur; quanquam illud non minùs constat, Ægyptias gentes inter incircumcisas tunc censeri consuevisse.

Ut sententiæ de invectâ primùm ab Ægyptiis circumcisione nervos prorsùs omnes succidamus, ad hæc animum advertisse oportet. 1, Populum universum nullâ inductum ratione spontè se duræ circumcisionis legi subjecisse, vix possumus persuaderi. Illiberalem cæremoniam, nihil habentem prærogativæ singularis, nisi durum corporis cruciatum, simulque novam, vix ex totâ gente unus in animum induxisset; quid gens universa? Facilè quidem nobis persuademus, primùm, qui circumcisionem invexit, validioribus adductum rationibus eam tandem admisisse; validioribus, inquam, quàm de Ægyptiis excogitaverint contrariæ sententiæ patroni; nempe affectatâ quadam honestate, vel ineptiori aliquâ superstitione, Cynocephalum nempe imitandi, divinum animal, quòd, inquiunt, circumcisum ex utero matris prodit. Deliramenta quidem hæc sunt vana cogitantium, ne refutanda quidem. Nec meliora tamen afferunt Ægyptii, quibus inductos se ad circumcisionem persuadeant; quare primam illis hujus ritus inventionem abjudicandam arbitramur.

2 Observare oportet, ritum illum, si per universam latè Nationem semper obtinuisset, ejusque maxima habita fuisset ratio, tanquam peculiaris ejus Gentis atque Regionis cæremoniæ, apud omnes etiam gentes ex Ægypto deductas, atque Ægyptiacis sacris initiatas, deprehendendum fuisse. Cur igitur apud Chananæos, Phœnices, & Philistæos, variasque Africanas gentes, genus ex Ægypto referentes, non obtinet? Obtinet quidem apud Phœnices; sed à Saturno recepta, ut infra dicemus. Prætereo Ægyptiacas superstitiones per Syriam, Africam, Cyprum, & Græciam latè evulgatas; quanquam nihil simile de circumcisione fertur. Quæ ad Colchos spectant, eandem, uti ferunt, gentem ac *Casluim*, posteros Mizraim sive Ægyptiorum, infra examinabimus.

Est igitur cur asseramus, circumcisionis ritum ab Ægyptiis authoribus non cœpisse; seriusque apud illos obtinuisse, quàm ut Abraham ab ea gente cæremoniam addiscere posset. Restat ut Phœnicum conjecturas in medium afferamus, quibus inventæ circumcisionis sibi honorem adsciscunt.

Sanchoniato apud Eusebium (z) tradit, Saturno, quem Phœnices Israëlem nominant, unicum tantùm ex Anobret Nymphâ filium Jeud fuisse, quo in victimam Cœlo patri suo oblato, ipsum se circumcisione initiasse, suumque exemplum milites sequi voluisse. Mos inde apud Phœnices inolevit, in difficillimis Regni eventibus Regiorum filiorum victimas immolare; quemadmodum & circumcisionis ritus per totam latè nationem inde facilè obtinuit. Cùm tamen inter sublestæ fidei Authores Sanchoniato potissimum sibi vendicet locum, ejusdem authoritati refutandæ operam non perdimus.

Mos igitur receptæ apud Phœnices circumcisionis, Abrahamo, atque Israëlitis authoribus deputandus est, quanquam non eum fuisse ritum credo, ut latè apud omnes illos populos obtineret. Neque enim sive lege ad eum cogi se Phœnices credebant, neque Josue, quin neque Regum Juda & Israëlis ætate (quantùm conjicio) adhuc jugum illud subierant. Regi Tyri minitatus Ezechiel [a], ait: *Morte incircumcisorum morieris*; simili nempè cum cæteris incircumcisis morte, quibus spes omnis melioris post obitum vitæ præcisa est [b]. Ab eâ tandem cæremoniâ desuevisse Phœnices ex institutâ cum Græcis consuetudine, Herodotus observat (c); quam proinde, neque in deductis ab eâ gente Coloniis ad Mediterranei litora, nusquam receptam videmus. Josephus etiam luculenter asserit, ætate suâ Judæos, unicos ex universâ Syriâ populos, circumcisionem servasse, ex quibus intelligimus, adscititium externumque morem in Phœnicum solo tanquam alieno, citiùs exaruisse.

De Colchorum origine fusiùs alibi differentes, ea, quæ apud Herodotum de Ægyptiâ ejus gentis origine afferuntur, dubiæ esse fidei ostendimus; neque firmiora sunt, quæ Scriptor de circumcisione apud illos receptâ narrat: sive enim genuinum avitumque esse gentis morem, sive ex Ægypto receptum contendit, æquè semper suspectus est. Quare alium quærere fontem tum Colchorum, tum Syrorum, superiora Thermodoontis, & Parthenii incolentium, circumcisionis oportet. Quâ in re, obscu-

y *Ezech.* c. 32, 19, 21, &c.

z *Præp.* l. 1.

a *Ezech.* 28, 10, &c.

b *Vide Ezech.* 32, 19, 21, 22, &c.

c *Herod.* l. 2.

râ

ta quidem & implexâ, si conjecturas proposuisse permittimur, suspicari possumus, ex Israelitis in eas regiones exulantibus, morem increbuisse. Nisi malueris ipsos, qui Circumcisionem admittebant, Israelitas per Salmanasarem, sive Teglatphalassarem in eas regiones fuisse translatos. Cùm autem Israelitæ illi veterem circumcisionis morem retinuissent, atque e viciniis Ægypti descendissent, fuscum colorem, crispantem comam, extraneam Colchis linguam, & cultum bovis aurei, Ægyptiacæ Apidis religioni simillimum, referrent, facilè e mediâ Ægypto venisse crediti sunt. Is error Græcis Authoribus sæpiùs irrepsit, ut Hebræos, ex diuturnâ cum Ægyptiis morâ, ab Ægypto originem retulisse crederent.

His de vetustate Circumcisionis apud veteres Paganas gentes deductis, modò aliqua supersunt de circumcisione Hebræorum, ex Scripturâ decerpenda. De origine, usu, & praxi hujus ritûs explorata omnia; ejus enim invectæ historia disertè apud Moysem legitur, cujus posteritas constanti semper usque hodie successione circumcisionem servavit. Postquam Deus, ait Moyses, de fide, atque obsequio Abrahami non semel periculum fecisset, fœdus tandem cum illo, ejusque posteritate se initurum significavit; innovatisque promissionibus, atque benedictionibus suis, ita illum affatus est [d]: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, & vos, & semen tuum post te; circumcidetur ex vobis omne masculinum, ut* [circumcisio] *sit in signum fœderis inter me, & vos*. Patrum, Interpretum, quin & ipsins Scripturæ consensu illud potissimum consilium instituendæ circumcisionis Deum habuisse constat, ut eo veluti signo Abrahami posteri a cæteris gentibus discernerentur. Quòd autem in eam rem incertum, commune nempè vicinis gentibus, quibuscum Hebræi diutiùs egerant, signum elegerit Deus, vix est ut credamus. Nonne enim eo accepto signo, populus electus atque prophanus, genus Abrahami cum gente Pharaonis, confunderentur miscerenturque? Nonne contrariam planè scopo viam inivisset Deus? Fateamur igitur oportet, in eâ, quam Moyses de invectâ circumcisione retexit, historiâ, liquidò fane indicasse novum esse ritum & ad id usque cæteris incognitum. Hinc rectè Origenes [e] Abrahamum primum esse mortalium, qui circumcisionem admitteret, tanquam ex Moyse relatum, asserit; nec fanè pronior est alius Mosaicæ relationis sensus.

Post hæc omnia, primò invectæ circumcisionis gloriam Abrahamo adhuc invidebimus? Abrahamo, inquam, cui omnium vetustissimus, atque certissimus Liber Moysis suffragatur? Abrahamo, qui id sibi decus tranquillâ 3600 annorum possessione præscripsit?

Juris ejusdem viri certa sunt argumenta, sive Deum circumcisionem præcipientem, sive Abrahamum Divinis jussionibus obsequentem spectemus. Ejusdem moris apud Hebræos origo, & successio æquè exploratæ sunt. Nihil est, quo persuaderi Abrahamus potuerit, ut in eâ re Ægyptios & Phœnices, si fortè apud illos hic ritus obtinuisset, imitaretur; semper enim ab eorum ritu, & cultu abhorruit; fœdus cum illis nunquam, nisi necessitate cogente, inivit. Ut quid igitur circumcisionem illorum admisisset; præsertim neque apud illos indispensabili lege, nec nisi pudoris cujusdam gratiâ, obtinentem?

d Gen. 17,10,11.

e Contra Cels. l. 5. . . . . *Malens Ægyptiis, quàm Moysi credere, qui refert, primum mortalium circumcisum Abrahamum.*

DISQUISITIONES
DE VETUSTATE MONETÆ SIGNATÆ
Ad Gen. XX, 16.

Vetustissima commerciorum ratio, rerum permutatione fuisse creditur; olim enim in commerciis ea tradebat emptor, quæ sibi inutilia erant, & superflua, ut a venditore vicissim commoda sibi, vel necessaria reciperet. Cùm verò accidisset non semel, ut ea, quæ sibi deerant, alteri pariter deessent; sive non deessent quidem, sed alter alteri rerum permutatione tradere recusaret, factum inde, ut pretiosum aliquid certi & explorati valoris designaretur, cujus pretium emendarum mercium valorem determinaret, atque omnibus in rerum permutatione incommodis mederetur. Succurrit deinde, ut pretiosum illud publico aliquo sigillo obsignatum esset, quò certus rei valor, pondus, & usus in commerciis maneret. Porrò ejus sigilli nulla olim

olim alia inerat ratio, quàm ut metalli pendendi, atque explorandi incommodo occurreretur. Jus illud monetas obsignandi, certo illis valore atque usu assignato, Reges, atque Reipublicæ Principes sibi reservarunt. Hæc tamen omnia non simul quidem in universo Orbe, sed sensim obtinuisse, vix est quòd dubitemus. Hinc cusæ monetæ origo apud varias Gentes variis atque dissitis temporibus legitur, uti apud Persas, Græcos, & Romanos; quin & diu post inventam monetam, veterem retinuisse morem, commercia nempe rerum permutatione instituendi, Gentes aliquas scimus.

Trojani belli ætate nullus apud Græcos monetæ usus obtinebat. Apud Homerum, & Hesiodum, qui post eam ætatem floruerunt, de aureâ atque argenteâ monetâ ne verbum quidem occurrit; sed rerum valorem ita exprimunt, ut tot bobus, vel arietibus res æstimari dicant; locupletis hominis censum gregum numero metiuntur; atque divitem dicunt regionem, pascuis & metallis copiosam.

De Glauco scribit Homerus, arma sua aurea pro æneis Diomedis dedisse; quæ scilicet arma centum bobus valebant, cùm Diomedis nonnisi novem æstimarentur (*a*). Idem Poëta commercia in castris præ Trojæ mœnibus describens (*b*), alius, ait, pro vinis Lemniis æs, alius ferrum, alius pelles; erant qui boves, & qui mancipia erogarent.

De primis Græcæ monetæ authoribus inter veteres recentioresque Scriptores non convenit. Ejus inventæ honorem Ithono Regi Thessaliæ, filio Deucalionis, Lucanus vindicavit (*c*).

Primus Thessalicæ ductor telluris Ithonus
In formam calidæ percussit pondera massæ:
Fudit & argentum flammis, aurumque monetâ
Fregit, & immensis coxit fornacibus æra.

Alii tamen Erichtonium malunt, qui inventæ usum Athenienses, & Lycios docuerit: Erichtonium, inquam, filium Vulcani, a filiabus Cecropis Regis Atheniensis nutritum; ex quo de ætate ejus viri conjectura capienda est. Aglosthenes apud Pollucem (*d*), incolas insulæ Naxi præfert, seu vulgaris sententia Phidoni Regi Argivorum, Lycurgi, & Iphiti coævo, palmam tribuit; a quo, inquiunt, moneta Æginetis tradita est (*e*), ut eo commercio vitam tolerare, atque Insulæ sterilitatem utcumque reparare possent. Extant nostrâ ætate quidam hujus Principis nummi, clypeo, qualem Latini *ancile* appellant, in anticâ exculpti; in posticâ verò lagena vel botrus exprimitur, cum literis ΦΙΔΟ (*f*). Lycurgus, opposito planè ab eo Rege consilio, ut Lacedæmonios a commercio cum exteris averteret, cudi monetam ferream gravemque jussit, candentem priùs aceto infusam, ut omnibus exinde usibus inepta penitus redderetur [*g*]. Quin *eius singula non pecuniâ*, ait Trogus, *sed compensatione mercium jussit* [*h*]; quare aurum, argentumque omne Lacedæmone exulabant [*i*]. Sub Polydoro Rege, 130 annis post Lycurgum, Viduæ Uxori ejusdem Regis, in pretium venditæ Regiæ domus, opimus boum grex persolutus est. Post captas a Lysandro Athenas, aurea & argentea moneta Lacedæmonem irrupit; quamquam ad publicas necessitates tantùm, cæteris omnibus ejus usu capitali pœnâ interdicto. Apud Clazomenios, sicut & Britones, nulla, nisi ferrea, moneta valebat. Bisantinis pariter ferrea nota erat, in cujus religionem jurando obstringebantur [*k*].

De forma veteris Græcæ monetæ tradit Plutarchus [*l*], verulos quosdam ferreos, vel æneos retulisse; ex quo, ait ille, nostrâ etiam ætate monetæ omnium minutissimæ oboli nomen manet; (obelos enim Græcè veru sonat) quemadmodum & drachma, sive pugillus dicitur moneta, quæ sex obolis, tot nempe verulis quot caperet manus, valet. Fuerunt ex Antiquis, qui monetam in Lydiâ, sive in Perside, antequam in Græciam transiret, obtinuisse contenderent. Primos cusæ monetæ aureæ & argenteæ, qua in commerciis utebantur, Lydios authores fuisse tradit Herodotus (*m*). Paria apud Xenophanem à Polluce laudatum (*n*) habes; nullibi tamen epocha inceptæ apud Lydios monetæ designatur. Sub Crœso nihil adhuc de pecuniis innotuisse suspicamur, cùm ejus Principis thesauri auro argentoque rudi, atque ejusdem metalli pulvere replerentur: quod sanè ex Herodoto licet intelligere (*o*) in historiâ de Alcmæone; permissus enim ille a Crœso tantum auri ex Regiis thesauris sibi capere, quantum secum deferre posset, aureo pulvere (*p*) sinum, vestes, quas amplissimas de industriâ sumpserat, calceamenta, quin & comam ipsam refersit. Veterum porasi auri massa *aurum factum*; arena verò & pulvis, qualis ex fodinis sive auriferis amnibus hauritur, *aurum infectum* appellabatur.

Persis ante Darium Hystaspis, ignota quidem moneta videtur (*q*); Rex enim ille argenti tributa ad pondus talenti Babylonici redigenda præscripsit; aurea verò ad talentum Euboicum. Aurum illud atque argentum Darius seorsum liquanda in va-

a *Homer. Iliad. Z* Ἔνθ' αὖτε Γλαύκῳ Κρονίδης φρένας ἐξέλετο Ζεύς, Ὃς πρὸς Τυδείδην Διομήδεα τεύχε' ἄμειβε, Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων. *Domina Daceria ita reddit: Saturnius extulit animum Glauco, qui cum Diomede arma permutavit.* Tantam animi magnitudinem Glauco dedit, ut ad imparem illam permutationem induceretur. *Vide ejusdem notas, in quibus Porphirium testem affert.*

b *Iliad. H* Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ, Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτοῖσι βόεσσιν, Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι .....

c *Pharf. lib. 6.*

d *L. 9, c. 6.*

e *Strab. l. 8.*

f *Sperling. de num. non cusis.*

g *Plutar. in Lycurgo.*

h *Justin. l. 3.*

i *Athen. l. 6, c. 4.*

k *Aristoph. Nubes, act. 1. scen. 3.*

l *Plut. in Lysandro.*

m *Herodot. lib. 1, c. 94.* Πρῶτοι δὲ ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, νόμισμα χρυσοῦ καὶ ἀργύρου κοψάμενοι ἐχρήσαντο.

n *Jul. Poll. l. 9, c. 6.*

o *Herod. l. 6, c. 125.*

p ψήγματος.

q *Herod. l. 3, c. 89, &c.*

Digitized by Google

fis fictilibus tradebat, quibus in massam redactis, fracto vase, aurum in frusta, quot ad usum necessaria erant, redigebatur. Addit insuper Historicus [r], Regem illum, ut nominis sui memoriam posteritati æternam commendaret, aureos quosdam nummos ex optimo defæcatoque auro cudi jussisse, novo & nunquam apud alios Reges usurpato more, qui deinde nummi Darici appellati sunt.

r Lib. 4, c. 166.

In eâ Herodoti historiâ nihil est, quod cæteri Scriptores reprehendant. Polycritus apud Strabonem (s) testatur, argentum omne ex tributis collectum, in Regiam & in arces Persidis deportari consuevisse; ex quo moneta in usus & sumptus necessaria tantummodò cudebatur. Fiebat indè, ut auri Persici maxima portio, rudis, signata verò modica haberetur. Paria apud Diodorum Siculum traduntur (t), qui Alexandrum Magnum auri non signati ultra 40000 talenta, ad urgentissimas Regni necessitates reservata, Susis reperisse tradit; Daricorum verò nonnisi 9000 auri talenta eâ occasione inventa. Q. Curtius ad 50000 talenta *argenti non signati formâ, sed rudi pondere* supputat. Hodie etiam consuetudo apud Reges Persidis obtinet, ut nulla cudatur moneta, nisi quam Regnum ineuntes congiario populis dando impendunt; quæ quidem moneta nullo certo pretio constantique determinatur. Tandem veteres Parthi in armorum tantùm ornamentum auro argentoque, uti Justinus est author (u), utebantur.

s Strab. l. 15, ad fin.
t Diod. l. 18.
u Justin. l. 41.

Post Darii Hystaspis Regnum, Daricorum frequens in Græciâ usus, quorum figuram jaculatorem in posticâ exhibuisse ex Plutarcho intelligimus (x). Agesilaus enim Rex Lacedæmoniæ Asiam deserere, ut regioni suæ succurreret, coactus, pelli se dicebat a 30000 spiculatoribus; quòd scilicet Dinocrates 30000 Daricorum pretio Oratoribus Atheniensibus, & Thebanis corruptis, eas Gentes in Lacedæmonios armaverat. Xerses, e Græciâ facessens, Mardonium reliquit, *cùm multum auri, tum signati, tum non signati haberet* [y].

x Apophteg. Laconic.
y Herod. l. 9.

Quæ de Dario Hystaspis tradidimus, quasi omnium Regum primus Daricos fabricaverit, Scriptoribus quibusdam non probantur; quibus non Darius Hystaspis, sed alter longè vetustior Darius eamdem monetam cudisse visus est. Laudatur in eam rem testimonium Scholiastæ Aristophanis, & Suidæ, qui veteres Daricos, non Dario patri Xerxis, sed alteri vetustiori tribuunt. Hunc dicunt esse aliqui Regem Darium Medum in Scripturâ appellatum (z), & eodem nomine apud Æschylum [a] notum. Ex eodem vetustissimo Dario referunt illi monetas illas 1 *Esdr.* 2, 69, & 1 *Paral.* c. 29, 7, *Dracmonim* & *Adarcon*, sub initum Cyri regnum, appellatas, easque cum Daricis confundendas arbitrantur. Sunt etiam qui tradiderint, sub ipso Davidis regno *Adarconim* obtinuisse [b], sed Authores alii contendunt, hanc monetam ex rudi metallo constitisse; nempe ex rudibus auri argentive frustulis, certi tamen ponderis; quorum nomen ex Græco *Drachma*, non ex voce *Daricus*, derivatur. Utcumque tamen res habet sese, nulla vetus Lydiorum, & Persarum moneta nostrâ ætate superest, cùm vetustissimæ, quæ inter Cimelia serventur, Græcæ sint; & inter Græcos omnium remotissimæ ætatis habeantur nummi Amyntæ patris Philippi Macedonis, & avi Alexandri Magni. In historiâ mentio occurrit de *Decabœis*, & *Hecatombœis*, sub Theseo; sed an illa moneta esset rudis, vel signata, non constat: rudem credit Sperlingius, certi tamen ponderis, & unius, decem, vel centum boum valoris.

z Dan. v, 31.
a Æschyl. in Persis.
b Vide Sperling. de nummis non cusis.

Cùm igitur sermo est de veteribus monetis Græcorum ante Amyntham, non statim nummi aurei & argentei, instar nostrorum, emblemate quodam vel figurâ insculpti concipiendi sunt: facilè enim rudis erat moneta; vel si notam aliquam præsetulit, determinando tantùm ponderi, ne ad libram semper in commerciis examinaretur, adjecta erat. Nec facilè mihi persuaserim, nummos illos aureos Phidonis, de quibus supra, ejus ætate in Græciâ cusos fuisse; vix enim in animum induxerim, auri argentique cusam monetam in Græciâ antea obtinuisse, quàm Persidis moneta signata in eam regionem inferretur. Olim enim auri, & argenti metalla in eâ Provinciâ supra fidem rarissima erant. De Philippo Macedoniæ Rege narrat Athenæus, semper, dum cubitum iret, aureum quemdam scyphum sub cervicali reposuisse; tanti scilicet metallum illud faciebat, quod rarissimum esset [c]. Anaximenes Lampsacenus apud eumdem narrat, torquem aureum Eryphilis in totâ Græciâ eâ tantùm de causâ celebratissimum fuisse, quòd auri summa esset in eo Regno caritas; atque scyphum quemdam argenteum, tum temporis in Græciam delatum, tamquam rem novam omnes suspexisse. Gyges Lydiæ Rex omnium primus auri & argenti munera Templo Delphico obtulit, cùm antea ærea tantùm consuevissent; obtulit autem non statuas, sive alia ornamenta, sed tripodas tantùm, & lebetes. Cùm Lacedæmones auro liniendi simulacri Apollinis vultum consilium inivissent, conquisitum per totam Græciam aurum, nusquam

c Athen. l. 6, c. 4.

Digitized by Google

nuspiam inventum est; quare consulto Oraculo, ejus indicio, a Cræso Lydiæ Rege metallum postularunt. Hiero Syracusarum Rex victoriæ simulacrum aureumque tripodem Delphis oblaturus, totam Græciam excussit; tandem Corinthum veniens, immensâ auri vi apud Architelem, qui sibi minutis emptionibus totam comparaverat, inventâ, quantum sibi satis esset postulavit. Architeles ultra conventum metalli pondus, tantum auri in munus Regi superaddidit, quantum manu suâ contineret. Viri munificentiâ captus Hiero, navem frumento onustam, atque plura insuper munera rependit. Post hæc omnia pecuniam auream, atque argenteam vulgarem in Græciâ, sive in Insulis fuisse, quis credat? Argentum aurumque omne e suâ Republicâ Lycurgus, & Plato (*d*) eliminantes, monetas ferreas & æneas, eas tantùm sufficere persuasi, substituerunt. Veterem monetam, tanquam æneis & ferreis virgulis constantem, Plutarchus describit. In Regno Peruano antehac nonnisi [*e*] ferreas virgulas pro monetâ expendebant; quin & plures recensuimus, atque infra recensebimus Gentes, apud quas nullus olim erat pecuniæ usus.

Veterum nonnulli [*f*] aureæ monetæ in Italiâ inventorem Janum constituunt; quibus suffragati videntur nummi quidam veteres in Italiâ, Siciliâ, & Urbibus quibusdam Græcis cusi, Dei figuram ex uno latere, ex altero verò navim præseferentes. Sed hæc minùs certa; cùm nummos illos diù post Jani ætatem posteritas, ut adventus Dei in Italiam extaret memoria, percusserit.

At bona posteritas puppim signavit in ære,
Hospitis adventum testificata Dei.

Quamquam autem solebant Romani metallis in commercio uti, in agris tamen & armentis proventus omnes suos potissimos constituebant [*g*]. Vetus illius gentis moneta ad libram, non ad numeros, pendebatur [*h*]; æreisque frustulis rudibus & infectis constabat, *æs rude*. Servius Rex, omnium primus, rudem monetam bove & pecude insculpsit; unde monetæ nomen *pecuniæ* mansit: *Servius ovium boumque effigie primus æs signavit* (*i*). De eodem Rege hæc addit Varro (*k*): *Nummum argenteum conflatum primùm a Servio Tullio dicunt.* Plinius tamen, quinquennio tantùm ante initum primum Carthaginiense bellum, æs Romæ signari cœpisse tradit: *Populus Romanus ne argento quidem signato ante Pyrrhum Regem devictum usus est.* Quare argentea Servii moneta rudis fuisse facilè creditur. Quin & eodem Plinio authore, nonnisi post 62 annos circiter, usus cudendæ aureæ monetæ obtinuit.

Primi Carthaginiensis belli tempore ærea moneta duplex ferebatur; altera gravior [*æs grave*] bicipiti Jano in anticâ, & rostro navis in posticâ signata. In sextante navigium cudebatur. Extant etiam monetæ quædam argenteæ bigatæ vel quadrigatæ, ex quo *bigati*, vel *quadrigati* appellatæ sunt. Plinius, unde hæc omnia haurimus, innuere videtur, aureos nummos domesticum tantùm animal quodcumque exhibuisse.

Cœpisse apud Ægyptios & Phœnices cusi æris monetas ante Græcorum in Oriente imperium, nullo veteri monimento colligimus; neque enim monetæ ullæ, sive nummi veterum Phœnicum, & Ægyptiorum supersunt (*l*). Ante Romanorum in Gallos imperium usus monetæ apud eas Gentes nullus apparet. Quod Tolosæ in Templo locisque sacris aurum erutum est, rude erat, *aurum argentumque inelaboratum* [*m*], nempe massæ, vel rotulæ argenteæ malleo ductæ. Cùm Julius Cæsar in Insulas Britanniæ ingressus esset, laminæ quædam metalli rudes totam regionis monetam reddebant. De illis Gentibus hæc Solinus (*n*): *Nundinas ac nummum refutant; dant res & accipiunt; mutant ibi necessaria potiùs, quàm pretiis parant.* Antequam Phœnices Hispaniâ potirentur, & diu etiam post, apud quasdam ejus Provinciæ Gentes nulla erant commercia, sed rerum permutatio; vel saltem aureæ vel argenteæ laminæ portionem pro valore mercium solvebant. *Strab. lib.* 3. De Scythis, & Sarmatis memoriæ proditum est (*o*): *Auri & argenti maximarum pestium ignari, vice rerum commercia exercent.* Albaniæ populi, quemadmodum & Gentes ad Araxem, omnis monetæ, ponderum & mensurarum, quin & calculi ultra centum, rudes erant (*p*). Hodie pariter apud Circassos, & Avocassios moneta exulat omnis. In Æthiopiâ, & Bengalâ vilioris monetæ locum tenent testulæ, sive conchulæ, in litore maris Maldivarum collectæ, ait Bernier to. 2. Commercia omnia in Mingreliâ rerum permutatione constant, nullumque apud eas Gentes argenti pretium est certum; & si quid habent monetæ, ab exteris advehitur. *Bern. Epist. de situ Indost. pag.* 201. Apud Tartaros medius cortex mori, arte obduratus, atque sigillo armisque regiis obsignatus pro vulgari monetâ expenditur; omnisque in universâ Tartarorum ditione, vel advenis ipsis, externæ monetæ usus interdictus est [*q*]. In Regno Cathai narrat Haitonus,

d *Plut. in Lycurgo, Xenoph. de Rep. Laced. Plato l. 5, de Legib.*
e *Latius apud Horn. l. 3, de orig. Gent. Americ. c. 3.*
f *Draco Corcyraeus apud Athen. l. 15, c. 13.*
g *Plin. l. 19, c. 3.*
h *Idem l. 33, c. 3.*
i *Plin. 8, c. 3.*
k *Apud Charis. l. 1.*
l *Inter cimelia D. Girardon spectavi folium quoddam aureum, veluti folium rosæ, ex ore, uti ferunt, Mummiæ Ægyptiacæ deductum. Consuevisse quidem Veteres in ore cadaverum naulum Carontis, Infernæ navis rectori pendendum reponere, Lucianus in Dialogis mortuorum testatur.*
m *Strab. l. 4, pag. 131.* Μὴ δ' ἐπ' ἀργυρηλάτου ἀργύρου.
n *Solin. c. 3.*
o *Mela l. 2, c. 1. Vide & Strab. lib. 6, pag. 208.*
p *Strab. l. 11, pag. 352.*
q *Chardin Voyage de Perse tom. 2, pag. 92.*

papyrum sive crassiorem chartam in quadrum abscissam, vulgarem haberi regionis monetam. Ejus loco frustula quædam sive ligulæ aureæ argenteæque apud Sinas obtinent. Ejus monetæ valorem pondere supputaturi Sinenses, stateram semper lateri appensam deferre consueverunt; ex ære tamen nummulos quosdam, regionis insignibus insculptos, vel annulos, quos deferunt funiculo insertos, habent.

In Regno Mogolis ostrea & amigdalæ sylvestres loco inferioris monetæ expenduntur; in Regno Siam, & Japoniâ, æs grave tantummodo non signatum; in Mexico fructus Cacai, cujus in chocolatâ est usus. Laponibus moneta uno sæculo antiquior non est, in Æthiopiæ Regno aurum, & sal pro monetâ obtinent; aurum nempè in laminas redactum, sal in tabellas pedales tribus digitis latas, totidemque crassas. Moneta Regni Lar, Persarum armis 150 ab hinc annis occupati, filum erat argenteum rotundum, ad pennæ crassitudinem, duplatum, & transverso pollice longum. *Itiner. Tavern. & Pauli Venet. lib. II, c. 21.*

Post hæc omnia fusius deducta de origine æris signati apud Lydios, Græcos, Romanos, aliasque Gentes, aliquem fuisse monetæ signatæ apud Hebræos usum, antequam Gentibus aliis innotesceret, nunquam persuaderemur. Si autem vera sint ea, quæ supra deduximus, Phœnices nempè, & Ægyptios, gentes Judææ finitimas, & commercio maximè junctas, non nisi post vulgatum ex Perside & Græciâ æris signandi usum, monetam cudere cœpisse, paria de Judæis ne dubitantes quidem affirmamus. Ezechiel commercia & divitias Tyriorum fusiùs describens, unde usum apud illos cusæ monetæ deducamus, nihil habet. Totus est Propheta in exaggerandis auri, argenti, stamni, plumbi, æris, & ferri divitiis, quas merces gens illa comportabat (r).

r Ezech. XXVII, 21, 22.

Nec argumenta tantùm in eam rem negativa, ut ajunt, & conjecturæ suppetunt, cùm in Scripturâ de commerciis, & pecuniis veterum Hebræorum sermo frequens occurrat. An verò pecunia illa cusa fuerit, in examen revocare oportet.

Abrahami divitias Moyses exaggerans, greges ipsius, servos, aurum argentumque describit [s]. Vir ille speluncam in sepulchrum Saræ uxoris empturus, 400 argenti siclos vulgaris monetæ venditori solvit [t]. Abimelechus 1000 argenti nummos, muneris loco, Abrahamo dedit [u]. Josephi fratres 20 nummis argenteis fratrem vendiderunt [x]. Jacob filios suos cum pecuniâ, emendo in Ægyptum frumento misit (y); & Ægyptii fami tolerandæ argentum omne suum ad Josephum detulerunt [z]. Hæc omnia pecuniam evidentissimè ostendunt: quænam illa tamen, an signata, & pondere uniformi, uti apud nos; vel tantùm vulgaris, & certi ponderis, sed rudis & infecta?

s Gen. XIII, 2.
t Ibid. XXIII, 16.
u Ibid. XX, 16.
x Ibid. XXXVII, 28.
y Gen. XLII, & XLIII.
z Ibid. XLVII, 14.

Si in eâ quæstione multitudinis suffragiis ageretur, non pondere rationum, æs cusum Abrahami ætate obtinuisse, ne ambigeremus quidem; sed cùm rationibus agendum sit, cur multorum suffragia quæramus, nihil est. Ex ipso Textu, atque appositis a Moyse phrasibus res est repetenda. Nihil autem apud illum nisi nomina tantùm auri, & argenti occurrunt; sicut & certæ monetæ pondera, sinceritas, atque usus; quid tamen hæc ad cusam monetam, de qua ne verbum quidem apud Sacrum Historicum? Nomina illa Siclus, Talentum, Gera, & Beka ponderum sunt, non monetarum: neque statim ac moneta aliqua vulgaris dicitur, signata continuò reputanda est; cùm æs grave ad hæc usque tempora, monetæ loco, apud varias Gentes obtineat. Fateamur ergo oportet, textus ex Scripturâ superiùs laudatos, monetæ Abrahami, & Patriarcharum ætate cusæ, ne minimum quidem, favere.

Cum etiam in Scripturâ metallum ad libram appensum memoratur, vetus statim mos insinuatus apparet, argenti nempè ad libram solvendi; qui sanè usus ante determinatum monetarum valorem obtinuit. Abraham 400 siclos argenti in pretium sepulchri Saræ [a] appendit; inventum in ore saccorum argentum fratres Josephi, ad illum reduces, retulerunt; argentum, inquam, ejusdem ac invenerant ponderis; *argentum in pondere suo* (b). Siclus & Talentum communia erant rebus omnibus pendendis pondera. Quas Eliezer munus Rebeccæ obtulit, armillæ decem siclorum pondus habebant; inaures verò duorum (c), jubet etiam Moyses, ex myrrhæ 500 siclis, & cinnamomi (d) 250 siclis, pondere Sanctuarii, thymiama confici; atque oblata in usum Tabernaculi 72000 æris talenta alibi (e) narrat. Porrò æris nullum in commerciis usum fuisse constat. Cùm Absalom quotannis comam tonderet, detonsi crines 200 siclis pondere erant (f). Zacharias massam plumbi (g) plumbi talentum appellat; talenti enim vox generica habebatur, nec genus ullum monetæ vel pecuniæ certam summam necessariò exprimebat.

a Gen. XXIII.
b Gen. XLIII, 21.
c Gen. XXIV, 22.
d Exod. XXX, 23, 24.
e Exod. XXXVIII, 29.
f 2. Reg. XIV, 26.
g Zach. V, 7.

In libris post Moysem scriptis, cùm de pecuniis, aut solutionibus agitur, non absimiles phrases occurrunt. Impios Isaias describit argentum ad Idolum conflandum

in

in sacrâ appendentes (*h*). Jeremias agro quodam emendo, 17 argenti nummos ad libram solvit (*i*), quam in rem appensam ad latera libram, quemadmodum & lapides certi ponderis, vel saltem pondera ætea vel plumbea, quæ Scriptura lapides appellat, delata credimus. Moyses cavet, ne *in eodem sacculo diversa pondera* [in Hebræo *lapis*, *& lapis*] *majus & minus* deferantur [*k*]. Ipse insuper Legislator mandat, ut Israëlitæ, naturæ necessaria præstituri, extra castra exeuntes, paxillum semper præter libram apud se habeant [*l*]. Avari apud Amos [*m*], de nimiâ Festorum dierum frequentiâ querentes, sese insuper hortantur: *Imminuamus mensuram*, *augeamus siclum*, *supponamus stateras dolosas*. Dolis evitandis, ponderum & mensurarum typus in Templo servabatur; unde ponderi exacto designando, proverbii loco obtinuit in Sacrâ Scripturâ: *Ad pondus Sanctuarii*. In 2 Reg. XIV, 16, *pondus Regum*, sive publicum; quod scilicet monetarum, ponderum & mensurarum, totiusque in commerciis politiæ atque publicæ securitatis cura, Regis providentiæ incumberet. Duo hæc pondera, Sanctuarii & Regis, aliud imò plane oppositum ponderi extranearum gentium, Phœnicum, Ægyptiorum, & Chananæorum, designare in Scripturâ, Sperlingius autumavit; siclus scilicet Hebraicus cæteris vicinarum gentium, quibuscum Judæi assueverant, pondere præstitisse creditur. Vulgò pariter Commentatores, duo, inter Hebræos, ponderum genera distinguunt, sacrum nempè & vulgare; illud Templi & Sanctuarii dictum, quod duplo alteri præstabat; alterum in usum commercii destinatum. Hæc tamen nutare sententia, futilibus innixa conjecturis, facilè creditur. D. le Pelletier in Dissert. de pondere comæ Absalomi, *pondus Regis* de Babylonico pondere interpretatur; quo scilicet in captivitate Babylonicâ, & post illam, in commerciis Hebræi uterentur. Scriptor enim, qui Regum libros digessit, huic captivitati sive suppar, sivè paulò inferior vixit.

Olim apud Judæos, argenti tantùm & auri in commerciis usus obtinebat; qui enim nummi ejus Gentis ænei supersunt, vel adulterini sunt, vel sub Simone Macchabæo cusi. Neque Turcæ, Arabes, Ægyptii, & Orientales plerique aliam monetam præter argenteam hodiè usque norunt [*n*].

Porrò metalla illa sive in virgas, sive in laminas, sive in massam, ut de Sinensium monetis supra innuimus, redigi consuevisse credimus. Similes enim phrases in Psalmis leguntur: *fragmenta argenti* (*o*), quæ potentes viri conculcant; quod facilè de virgulis argenteis dictum explicari potest. *Ligamen argenti* legitur Gen. XLII, 35 (*p*), quod de virgulis seu verulis argenteis, instar obolorum Plutarchi, quorum pugillus drachmam reddebat, in fasciculum colligatis facile usurpatum est. Non tamen negaverim, paratim illam *ligare argentum* (*q*) tantumdem sonare in Scripturâ, ac in panno quodam, sive in marsupio argentum claudere; quod sanè nostræ hypothesi non repugnat. Achan [*] spolia Jericho excutiens, in *regulam auream* (Hebr. *linguam auream*) 50 siclorum auri, & insuper in argentum pondere 200 siclorum incidit. Crimina sua Deum recondidisse, veluti virgulas argenteas in marsupio, Jobus insinuat. David collectos auri, argenti & æris in virgas & in massam thesauros filio reliquit; aurumque illud, quod Moysi in opus Tabernaculi, Aaroni aureo Vitulo conflando, Josiæ ad sarta tecta Templi collatum est, in monetam certè cusum non fuisse constat.

Post inductum in commerciis Hebræorum argentum, adhuc tamen vetus quandoque mos rerum permutandarum servatus est; ita emisse Jacob a filiis Hemor partem agri 200 agnorum pretio in Septuag. Vulgatâ, Chaldæo, & plerisque Commentatoribus legimus [*r*]. In Hebræo est 200 *Kesitah*, cujus vocis significatio obscurissima est. Si quis tamen eam vocem de monetâ aliquâ agni figurâ signatâ interpretari maluerit, eamque Abrahami ætate obtinuisse contenderit; suæ illum opinioni innæsisse per me liceat. Jacob præstitæ Labano servitutis non aliam mercedem, quàm gregis portionem postulavit (*s*); nec ipse vicissim alterius generis munusculis Esau fratrem delinivit [*t*]. Quæ rerum permutatione instituebantur commercia, in libro Job insinuantur, cùm de homine sermo est, qui *pellem pro pelle*, *& cuncta quæ habet*, *dabit pro animâ suâ* [*u*]. Eadem spectans Ecclesiasticus (*x*), pretiosum adeo nihil esse dixit, quod pro sapiente dari possit. Utrumque commercii genus, argenti nempè soluto pretio, & rerum permutatione, exactissimè describit Isaias: *Venite*, ait, *emite absque argento*, *& absque ullâ permutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus*, *& laborem vestrum non in saturitate* (*y*)? Gregis sui hædum Judas ad Thamar detulit [*z*]; Salomon acceptis ab Hiram lignis, frumentum & oleum in pretium rependit [*a*]; Oseas III, 2, uxorem sibi pretio 15 argenteorum, & unius cori cum dimidio hordei êmit.

Obsolevit jam inter Eruditos recepta illa persuasio de siclis quibusdam, quos in Judæâ

h *Isai.* XLVI, 6.
i *Jerem.* XXXII, 10.
k *Deut.* XXV, 13.
l *Ibid.* XXIII, 13.
m *Amos* VIII, 5.
n *Bellon. Observ.* l. 2, c. 103.
o *Ps.* LXVIII, 31.
p *Vide & Prov.* VII. *Vulg. Sacculum argenti*. *Osee* XIII, 12. *Exod.* XXXII, 4. *Job*, XIV, 17.
q *Agg.* I, 6. צרור נקיב.
* *Josue* VII, 21.
r *Gen.* XXXIII, 19.
s *Gen.* XXX, 33.
t *Gen.* XXXII, 18.
u *Job*, II, 4.
x *Eccli.* XXVI, 18.
y *Isai.* V, 1, 2.
z *Gen.* XXXVIII, 17.
a 3 *Reg.* 5, 10.

Judæâ cusos sub Davide & Salomone jactitabant. Licèt enim cum Moysis ætate comparati, recentissimi nummi illi reputari potuissent; tantam nihilominus præseferrent vetustatem, quanta cusis Græcorum & Persarum monetis nunquam tribui potuisset. Cùm enim Samaritanis characteribus inscribantur, speciem, quasi ante captivitatem cusi essent, præseferunt; hæc enim scribendi apud Hebræos ratio post captivitatem obsolevisse fertur. Cùm demùm in uno latere insculptum legeretur *Jerusalem Sancta*, in altero *Siclus Israël*, certa statim ætas numismatum intelligebatur, nempè ante divisum sub Jeroboamo Regnum; post secessionem enim factam inter Israëlem, decem nempè Tribus, & Judam, id est Tribum Juda, & Benjamin, Jerusalem, Israëlitarum seu X Tribuum opinione, de veteri sanctitate excidit. Numismatum igitur ætatem constitui oportebat ante Jeroboami schisma; cùm Hebræi omnes uno Israëlis nomine censerentur, unico parêrent e domo Davidis Regi, atque Jerusalem totius Judaicæ religionis sedes haberetur.

Sed tam bellæ ratiocinationis fundamenta omnia nutant, ut proinde horum numismatum vetustas speciosior sit, quàm solidior. Veterem scribendi rationem post captivitatem apud Judæos prorsus obsolevisse, obtinentibus pro Samariticis Chaldaicis characteribus, quales hodie in Bibliis suis adhibent Judæi, tanquam certum constituitur. Sed contra receptam illam persuasionem faciunt numismata sub Simone Macchabæo cusa, Samaritanis characteribus, quos potiùs Phœnicios & Hebræos veteres dixeris, insculpta. Quin & nummi omnes Chaldæo, vel Hebraico recentiori charactere inscripti, Antiquariorum omnium assensu supposititii pronunciantur. Parem feramus sententiam oportet in numismata, quæ Davidis & Salomonis ætatem mentiuntur, cùm falsitatis characteres non obscuros præseferant; tum quòd recenti cusa metallo, cùm quòd puerilibus insculpta sæpè emblematibus deprehendantur. Nonnulla ex ære conflata sunt, quo metalli genere nunquam in commerciis usos veteres Hebræos supra ostendimus. Uno vel altero sæculo vetustiora non esse asserit Sperlingius, atque in virum se, illa fabricantem, in Holsatiâ incidisse testatur. Inter quamplurimos siclos, quos in variis Musæis Patinus inspexit, nullum sibi, qui antiquior esset, occurrisse scribit. Veros quidem siclos extare, sed omnes sub Simone Macchabæo cusos, sentit Morellus; quæ sanè Eruditorum omnium, a nobis consultorum, est una sententia. Quare inter apocrypha sunt numismata Abrahami, sene in anticâ, & vitulo in posticâ, insculpta; Moysis, cum viri imagine cornutâ, (quemadmodum imago Alexandri, & quorumdam ex Successoribus exhiberi solet) inscripta ex altero latere illâ sententiâ: *Non habebitis Deos alienos coram me*, Josue, taurum hinc, indè monocerotem exhibentia; Davidis, cum regiæ sedis, & Turris figurâ; Mardochæi, cum sacco & cinere ex uno latere, coronâ verò ex altero. Nec meliora auguramur siclis, inter veterum Ecclesiarum cimmelia servatis, quos ipsissimos a Judâ solutos in pretium venditi Servatoris jurant. Nummi siquidem illi, caput insignis Colossi, Soli dicati, præseferentes; inde verò rosâ insculpti, vetera Rhodiorum numismata sunt.

Quod ad genuinos siclos, sub Simone Macchabæo cusos, attinet; Summo illi Sacerdoti cudendæ monetæ potestas ab Antiocho (*b*) Sidete Syriæ Rege potestas facta est: *Permittimus tibi facere percussuram proprii numismatis in regione tuâ*. Cùm tamen icones omnes & imagines lege Judæorum interdicerentur, emblematibus quibusdam, sive vase aliquo Templi monetas suas Simon insculsipt; e. g. vase, scypho, vel lyrâ ex uno latere, ex altero verò palmite vitis cum fructu, pampino, manipulo, spicis, vel simili; inscriptio addita erat in uno tantùm latere, *siclus* vel *hemisiclus* (pro monetæ pretio) *Israël*; In posticâ legebatur anni nota 1, 2, 3, 4, sive 5, adjectis verbis, *Liberationis Sion*. Nullæ extant monetæ, in quibus ulterior quàm annorum quinque nota exhibeatur, quamquam ultra 8 solidos annos Simon regnavit: atque nullæ circumferuntur Joannis Hircani, qui post illum rerum potitus est, quamquam 20 annis jus dixerit. Quamobrem aliqui suspicantur, Judæos Simoni suggessisse, hæc cusa in monetis emblemata, non minùs quàm animantium, hominumque figuras, Legi repugnare; qua inductus persuasione, facilè Sacerdos concesso sibi privilegio renunciaverit. Non desunt etiam, qui cusas credant a Simone monetas non in Judæâ, sed in Urbibus quibusdam Samaritanis ditionis suæ; quòd scilicet Samaritanis characteribus, jam apud Judæos obsoletis, inscriptæ sint; neque figuram aliquam in monetis insculpi in regione suâ Judæi sustinuissent. Verùm, ratiocinantur illi, cùm inita a Simone ratio, cudendæ scilicet in Urbe Samaritanâ monetæ, quod in Judæâ nunquam ausus fuisset, cum avitâ Lege semper repugnasse deprehenderetur, tandem vir ille religiosus susceptum opus dimisit. Conjecturæ quidem sunt istæ, sed non temerè prorsus excogitatæ.

b 1 Macch. xv.

Quid

Quid enim moverint Judæi, cùm Pilatus Imperatoris imaginem in Urbem invehere tentaret (c), satis scimus. Cum Vitellius exercitum in Arabes ducens, per Judæam iter habere decrevisset, Judæi optimates, susceptâ ad illum legatione, rogarunt, ne vexilla Romanorum Imperatorum imagines exhibentia, in Judæâ explicaret.

Cum Herodes Magnus (d) in ornamentum theatri, Jerosolymæ a se excitati, trophæa erexisset, murmurare populus, quòd trophæa illa armatas statuas crederet, nec antea quiescere, quam sublatis armis nuda ligna apparuerunt. Ornatas figuris ædes Herodes Tetrarcha sibi Tiberiade construxerat, quas ut Cives ejus Urbis abolerent, Josephus Historicus, legatione pro Optimatibus Judæorum functus, etiam atque etiam rogavit (e). Salomonem violatæ Legis reum agit ipse Josephus, eo nomine, quòd boum simulacris vas, mare dictum, & in Templo constitutum ornasset (f). Rumorem etiam Jerosolymis excitatum occasione Aquilæ aureæ, super Templi januam ab Herode magno constitutæ, idem Historicus alibi narrat (g). De hac Judæorum religione ita etiam Tacitus [h]: *Nulla simulacra Urbibus suis, nedum Templis sunt; non Regibus hæc adulatio, non Cæsaribus honor*. Nulli quin etiam apud Judæos erant imaginum artifices, non sculptores, non pictores, juxta Origenis testimonium (i).

Quamquam autem inter ipsos Hebræos Doctores de sensu Legis, figuras & imagines interdicentis, non constat; atque inter ipsos nonnulli emblemata omnia, & hieroglyhica, quorum nulla in rerum naturâ similitudo, permitti in Lege contendunt; plerique tamen imagines omnes, vel astrorum, etiam ad merum ornatum, interdictas defendunt (k). Nullæ etiam hodie in domibus Hebræorum, & Synagogis extant imagines, Leone Modenâ testante [l]; quamquam pecuniis vulgatibus utuntur, quin & imaginibus ab aliis factis, non in commercium tantùm, sed etiam in ornamentum; & Jesu Christi ætate moneta Romana, Cæsarum effigie cusa, in Judæâ vulgaris habebatur (m).

Hinc conjecturam capere licet, quare Simon ab incepto cudendæ monetæ destiterit. Reges tamen Asmonæi, qui filio ipsius Simonis Joanni Hircano successerunt, ab hac avi religione recedentes, monetas cum imagine suâ, adjecto in posticâ emblemate, fertilitatem Judææ significante, cuderunt, qui deinde mos usque ad excidium Judææ sub Vespasiano obtinuit.

Varia monetarum genera in Scripturâ occurrunt; e. g. Talenti, Sicli, Hemisicli, Hebraicè *beka*, Oboli, Hebraicè *Gerah*. Alia sunt etiam minus nota, ut *Kesita*, *Adarconim*, sive *Darcmonim*, *Mina*, vel *Mua*, *Denarius*, *Stater*, quæ nomina sunt extraneæ Hebræis monetæ. Qui de valore & pondere monetarum Hebraicarum disseruerunt Auctores, adeò inter se varii sunt & discrepantes, ut quæ potissimùm sententia in eâ re sequenda, discerni vix possit. Siclos suo Simone Macchabæo vulgares non idem servare pondus, peritissimorum virorum relatione, qui plures ad libram examinarunt, didici. Cum tamen certam sibi determinari sententiam Lectores plurimi exposcant, neque inamenæ hujus quæstionis intima penetrandi sibi negocium velint assumere, hinc calculum D. le Pelletier Rotomagensis, viri exactissimi, & eruditissimi, proferendum duximus.

Dabimus etiam, supplementi loco, mensurarum, & ponderum Hebraicorum ad Gallicana supputationem.

In conferendis autem veteribus cum nostris monetis, maximè habenda est ratio, ut certum monetarum pondus, atque ponderum valor determinetur. Libra Gallicana refert 16 uncias, vel 2 marcha, vel 128 grossos, vel 324 denarios, vel 9216 grana.

Marcum 8 uncias continet.

Uncia 8 grossos, grossus 3 denarios; denarius 24 grana.

Scutum aureum 63 grana.

Ludovisium aureum 126, & Hemiludovisium 63 grana.

Ludovisium argenteum sive scutum 21 denarios, 8 grana, sive 512 grana.

Dimidium Ludovisium argenteum, sive dimidium scuti, pondere est 10 denariorum, 16 granorum, vel 256 gran.

Aureus Hispanicus 126 granorum, atque aurei dimidium 63 granorum.

Regale Hispanicum 2 denar. 16 gran. sive 649 gran.

Aureum regale 5 denar. 8 gran. sive 128 gran.

Auri valor ad argentum relatus, pondere collato, est veluti 1 ad 14.

c *Vide Joseph Antiq. l. 18, c. 4, & de bello l. 2, c. 8.*

d *Antiq. l. 18. c. 7.*

e *De vitâ suâ.*

f *Joseph Antiq. l. 8, c. 2.*

g *Antiq. l. 17, c. 8.*

h *Histor. l. 5.*

i *Contra Cels. l. 4.*

k *Vide Selden. de Jure Natura, & Gent. l. 2, c. 6.*

l *Leo Moden. par. 1, c. 2.*

m *Matth. xxii, 17.*

Valor monetarum Hebraicarum ad Gallicanas.

Siclus argenteus pondere erat hemiunciæ, vel 4 drachmarum Romanarum, vel 266 & $\frac{34}{31}$ grani; quare medium Ludoviſium argenteum 11 granis excedebat. Valebat autem 32 ſolidi, 5 denariis, & $\frac{3}{8}$ denarii pecuniæ noſtratis.

Hemiſiclus argenteus, vel Beka, pondere erat 133 granorum, & $\frac{1}{2}$; valebat 16 ſolidis, 2 denariis & $\frac{11}{16}$ denarii monetæ noſtratis.

Tertia ſicli pars, qua Judæi poſt captivitatem Templo capitationem ſolvebant, pondere erat 89 gran. valebat 10 ſolidis, 9 denar. & $\frac{19}{24}$ denarii.

Gerah, ſive obolus Hebraicus, vigeſimam ſicli argentei partem æquabat; nempè pondere erat 13 gran. & $\frac{7}{10}$ grani, valebat 1 ſolido, 7 denar. & $\frac{15}{32}$

Keſitah, moneta erat aurea, 12 circiter librarum & 10 ſolid. monetæ noſtratis, juxta ac D. Le Pelletier opinatur.

Sicli aurei pondus æquabat hemiſiclum argenteum, adeoque 2 drachmas Romanas, vel 133 grana, & $\frac{1}{2}$; nempè Ludoviſium aureum 7 granis, & ampliùs aliquantò excedebat; valebat autem 11 libris, totidem ſolidis, & 9 denariis, ac $\frac{1}{4}$ monetæ noſtratis.

Dracmonim, vel Adarconim, Darici erant; pondere, & valore ſiclum aureum æquabant. Porro monetas illas, quoties in Paralipomenis, & in Eſdra occurrunt, Septuaginta verterunt drachmas; cum Alexandrinorum drachmæ, quas illi ſupputabant, duas continerent Romanorum drachmas.

Minæ argenteæ ſumma ad 60 argenti ſiclos aſcendebat; atque valoris erat 97 librarum, 6 ſolidorum, 10 denariorum, & $\frac{1}{2}$ monetæ noſtratis.

Mina aurea erat 60 ſiclorum auri, valebat 695 libris, 6 ſolidis, 3 denariis monetæ noſtratis.

Talentum argenteum 50 minarum argenti, ſive 3000 ſiclorum argenti, pondere erat 1500 unciarum Romanarum, ſivè 125 librarum Romanarum, & ſupputatum ad noſtrum pondus Marchi, 86 librarum, 14 unciarum, & 5 groſſorum, valebat 4867 libris, 3 ſolidis, 9 denariis monetæ noſtratis.

Talentum aureum erat 100 minarum auri, ſivè 6000 ſiclorum auri, pondere erat 2 drachmarum Romanarum, adeoque 1500 unciarum, ſivè 125 librarum Romanarum, & 86 librarum, 14 unciarum, 5 groſſorum noſtri ponderis marchi; valore erat 69531 librarum, 5 ſolid. monetæ noſtratis.

Menſura longitudinum Hebræorum.

Menſuras longitudinis Gallicanæ, ad quas deinde Hebraicas reducamus, primò determinare oportet.

Pes Gallicus 12 pollices, pollex 12 lineas habet.

Pertica 6 habet pedes; leuca 2000 perticas.

Cubitus Hebraicus 20 pollices $\frac{44}{89}$, ſcilicet 20 pollices, & $\frac{1}{2}$ circiter.

Zeret, ſivè hemicubitus 10 pollices, $\frac{22}{89}$ pollicis.

Tophac, ſivè palmus Hebraicus 3 pollicibus $\frac{37}{49}$ reſpondet.

Esbah, vel digitus $\frac{76}{89}$ pollicis.

Iter, quod Sabbato confici poterat, 2000 cubitos Hebraicos habebat; nempè

569

Digitized by Google

569 perticas, pedem 1, 8 pollices $\frac{68}{89}$ pollicis mensuræ Parisiensis.

Stadium Hebraicum, authore Josepho, habebat 400 cubitos Hebraicos, nempè 683 pedes, 1 pollicem, $\frac{67}{89}$ mensuræ nostratis.

Mensura cava liquidorum Hebraica ad Parisienses relata.

Dolium Parisiense capit 8 pedes cubicos; & dolium alterum (*tonneau*) 24.

Pes cubicus habet 1728 pollices, vel 36 pintas; pinta verò 48 pollices.

Hemipinta capit 24 pollices; medius sextarius 12 pollices; & quarta pintæ pars 6 pollices cubicos. Quare dolium minus liquidorum Parisiense (*le muid*) habet 288 pintas; & dolium (*le tonneau*) 864 pintas.

Dolium idem [*muid*] aridorum Parisiense continet 48 pedes cubicos, vel 12 sextarios.

Sextarius habet 4 pedes cubicos, vel 2 minas.

Mina 2 minas parvas, vel 2 pedes cubicos.

Mina parva habet pedem cubicum, vel 3 staria (*boisseaux*).

Starium (*boisseau*) 16 quadrantes [*litrons*] vel 576 pollices cubicos.

Quadrans (*litron*) 36 pollices cubicos.

Bathus sive *epha* Hebraicum, ad nostras mensuras relatum, habet 1434 pollices cubicos, & $\frac{475158}{704969}$; adeoque capit 29 pintas, mediamque pintæ partem, hemisextarium, & octavam pintæ partem, atque insuper $\frac{475158}{704969}$ pollicis

Corus, sive *chomer* Hebraicus habet 10 bathos, nempè 14340 pollices cubicos & $\frac{310720}{704969}$; vel 298 pintas, ac mediam pintæ, sextariique partem, & $\frac{310720}{704969}$ pollicis cubici.

Letech, dimidium erat chomet, adeoque habebat 7170 pollices cubicos, & $\frac{155160}{704969}$ pollicis, vel 149 pintas cum medio sextario, octavâ pintæ parte & $\frac{155160}{704969}$ pollicis.

Seah tertiam bathi partem referebat, adeoque habebat 478 pollices cubicos $\frac{158386}{704969}$: sive 9 pintas cum dimidio pintæ & sextarii, octavâ pintæ parte, ac 4 pollices, & $\frac{158386}{704969}$.

Tria sata, de quibus *Gen.* XVIII, 6, ipsissimum sunt epha. Porrò alia est hæc mensura a trientali seu שליש Psalmi LXXIX 6, & *Isai.* XL 12.

Gomor, vel assaron, decimam ephæ partem habuit, nempe 145 pollices cubicos $\frac{1647517}{3524845}$, vel 3 pintas detracto $\frac{1877328}{3524845}$ pollicis.

Cabus sexta pars *seah* sive *sati*, vel octava pars ephæ, habebat 79 pollices cubicos & $\frac{406177}{704969}$ pollicis, sive pintam, mediamque & octavam pintæ partem, cum pollice cubico, ac $\frac{496377}{704969}$ pollicis.

Quadrans cabi habebat 19 pollices cubicos $\frac{652821}{704969}$, vel medium sextarium, octavam pintæ partem, pollicem cubicum, & $\frac{652821}{704969}$ pollicis cubici. Huic mensuræ alterum est nomen *robab* vel *log*, aut sextarius *Rabbinicus*. Vide 4 *Reg.* VI, 25.

Nebel 3 bathos capiebat; quare habuit 4304 pollices, & $\frac{15530}{704969}$, vel 87 pintas cum semipinta, semisextario, 2 pollicibus cubicis, ac $\frac{15536}{704969}$ pollicis.

Hin, sive tarcabus perinde habebatur ac medium starium, vel semi-seah Hebraicum, sive sexta pars bathi; habebat 239 pollices $\frac{70193}{704969}$, vel 4 pintas, semipintam, semisextarium, octavam pintæ partem, 5 pollices cubicos, & $\frac{70193}{704969}$

Dimidium hin habebat 119 pollices $\frac{102081}{704969}$, vel 2 pintas, semisextarium, octavam pintæ partem, 5 pollices cubicos, & $\frac{102081}{704969}$.

Tertia pars hin cabum æquabat.

Quadrans hin habebat 59 pollices cubicos $\frac{548525}{704969}$, vel pintam cum $\frac{7}{8}$, 5 pollices $\frac{548525}{704969}$.

Sextarius hin, nempè sexta pars ejus mensuræ 39 pollices cubicos, & $\frac{600673}{704969}$. Vide Ezech. IV, 11.

Pondion sive dipondion Rabbinicum, mensura, de qua in Misnâ, habebat 2 logos, adeoque sextarium hin æquabat.

Betza vel ovum Rabbinicum habebat, juxta illos, sextarium log, nempè 3 pollices cubicos, & $\frac{678895}{2114907}$.

Cos, vel scyphus paschalis, vas benedictionis, agendis post cibum gratiis destinatus, habebat 4 pollices cubicos $\frac{601032}{704969}$.

Reburh, vel quarta pars log, tantumdem ac scyphus paschalis capiebat.

Mikue, vas toto homini lavando destinatum, cùm Judæi e foro redibant. *Marc.* 7. Capiebat 40 seah, nempè 400 pintarum minus aliquantò.

Semper ac in Septuaginta & Vulgata occurrit metreta, cadus, ceramium, cous, vel chus, vel congius, atque pro mensurâ usurpantur, semper pro batho seu epha positas esse voces reputandum est.

Digitized by Google

DISQUISITIONES

IN CHRONOLOGIAM,

ANNOS, MENSES, DIES, HORAS ÆGYPTIORUM, GRÆCORUM, ROMANORUM, ET HEBRÆORUM.

Chronologiæ studium, omnium consensu longè utilissimum, summèque necessarium reputatur; ejus enim præsidio destituta historia, inconditâ rerum strue mentem onerat potiùs, confundit, atque corrumpit, quàm ut instruere, moresque & prudentiam dirigere, [quæ singularis est Historiæ indoles] valeat. Cùm tamen scribendæ Historiæ provinciam seriùs, quàm par est, veteres iniverint, atque in designandis certis rerum gestarum epochis priorum Scriptorum diligentia desideretur; factum indè, ut in studio temporum salebrosa & ardua via decurrenda sit; tunc maximè cum Historiâ Sanctâ V. T. cum Authoribus prophanis, veteres Paganorum historias narrantibus, concilianda suscipitur.

Quò autem Lectores ipsi per se, plenius in rebus Chronologicis instructi, quem singulæ certitudinis gradum attingant, æquâ sententiâ dijudicent, quidquid certi incertive continetur in Chronologiis Chaldæorum, Ægyptiorum, Græcorum, Romanorum, quibuscum maxima fuit Hebræis consuetudo, in medium proferemus; ad Hebræos deinde descendentes, de formâ annorum apud singulas eas gentes, de temporis distribuendi ratione disseremus. Hinc variis Scripturæ textibus, quorum singuli seorsim fusiorem quam pro nostro instituto, exigerent Commentarium, lux afferetur.

Magni nominis Scriptores quidam, post navatam sedulam atque laboriosam rebus Chronologicis operam, vix profecisse quidquam intelligentes, rei tandem desperatione victi, certam, exactam atque perpetuam ex Historiâ Sacrâ Chronologiam (*a*) deducere, rem esse deploratam, ultrò pronunciarunt. Quid de Historiâ prophanâ, in qua exactitudinis ut plurimùm & authoritatis semper est minus? Ex variis Josephi locis colligimus, annos Judicum & captivitatum, quæ sub Judicibus contigerunt, non continuatâ quidem successione jungi, sed intercedentibus ante captivitates anarchiis interpolari. Paria apud Julium Africanum in Chronologiâ legas. Porrò in Sacrâ Historiâ, ait Isaacus Vossius (*b*), *captivitates, & anarchiæ, veluti spatia mortua & infausta, in censum temporis politici non veniunt*. Observat deinde: *Josephus non captivitates, sed solas omittit anarchias*. Nec a Vossio in Chronologiâ dissentit Simonius [*c*]; cùm enim, ait, Libri Scripturæ ex variis rerum gestarum narrationibus, fusioribusque monumentis per compendium deducti sint, neque semper in illis immediatæ genealogiæ retexantur, constantem ex illis Chronologiam derivare frustra conaremur. Detruncatæ genealogiæ exempla plurima suppetunt 1 Esd. VII, 3, generationes sex desiderantur; totidemque desunt in genealogiâ J. C. apud S. Matthæum. Hinc S. Hieronymus de Chronologiæ Regum Juda & Jerusalem discrepantiâ agens, *hujusmodi*, ait, *hærere quæstionibus, non tam studiosi, quàm otiosi hominis esse videtur*; atque in eam rem laudat illud 1 *Tim.* 1, 4, *Neque intenderent fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis, quàm ædificationem Dei*. Annos ab ortu Mundi usque ad Ætam Christianam nunquam, nisi per conjecturas, deficiente in annis designandis Scripturâ unico hujus historiæ fonte, P. Petavius [*d*] deduci tantùm posse testatur.

Neque per Historiam prophanam, quàm per Sacram, iter est planius; cùm in prophanis etiam detruncatæ genealogiæ, atque supputationes suis numeris minùs absolutæ non desint. Ex 23 Macedoniæ Regibus Solinus, ducto catalogo 8 vel 9 tantùm recenset (*e*). Justinus Assyriæ Reges hoc ordine deducit: Belus, Ninus, & Se-

a *Isaac. Vos. Can. Chronol. pag.* 236. *Pro firmo itaque habeatur, sacras literas continere tantùm mensuram temporis politici, nec posse ex illis colligi mensuram temporis physici.*
b *Ibid. pag.* 235.
c Hist. Critique du *V. T. l.* 1, *c.* 1.
d *Ration. temp. par.* 2, *l.* 2, *c.* 1.
e *Solin. c.* 14.

Semiramis; statimque ad Sardanapalum transit. In Chronicis Persarum totum temporis spatium, post obitum Alexandri Magni usque ad Arsacem, silentio præteritur; atque de Arsace ipso ita agitur, quasi non de Partho, sed de Persâ, Dario sive Artaxerxi sanguine juncto (*f*). De singulis autem Chronologiarum Chaldaicarum, Ægyptiarum, Græcarum, atque Romanarum difficultatibus, ex iis, quæ infrà deducemus, Lectores instruentur. Nihil planè esse in historiâ prophanâ certi, donec exactior in scribendo methodus, atque supputandarum Olympiadum ratio obtineret, una est Eruditorum sententia.

f Pezron. Antiq. des temps retab. c.8, pag. 68.

Quòd scientiæ fideive parùm Historicis prophanis inesset, ex eo veluti fonte, ut plurimùm, errores, vel saltem in rebus Chronologicis ambiguitates profluxerunt, ut in decernendis temporibus perspicuitas, vel in exactissimis inter illos aliquando desideretur. Interdum numeri rotundi gratiâ, ea, quæ intra aliquod temporis spatium, incertum tamen quo potissimùm anno, contigerunt, apposito rotundo numero certo tempori assignata sunt. Hinc pro 304 sive 298 annis, annus rotundus 300 descriptus est. Princeps, qui 19 annis & 6 mens. regnavit, 20 annis rerum potitus scribitur. Accidit inde non rarò, ut 50 annorum spatio idem annus ter in supputatione recurrat; ut cùm Princeps regnasse fertur 20 annis, cùm tamen 19 tantùm ac 4 mensibus Regnum habuerit: item successoris anni 10 numerantur, cùm alioquin 9 ac 6 mensibus regnaverit; e quibus etiam decem illius annis 8 menses de vigesimo decessoris anno accipiendi essent. Ductâ interim omnium simul annorum utriusque Principis summâ, statim 30 anni supputantur, cum tamen 29 annorum spatium non excesserint. Numerus fractus, vel anni dimidium in Scripturâ, & prophanâ Historiâ nunquam ferè exprimuntur; ex quo conjecturam capere licet, accidere potuisse non rarò, ut plures anni in supputationibus omitterentur, adderenturve, quibus neglectis, universam Chronologiæ œconomiam turbatam esse, jure possumus suspicari.

Alteram errandi occasionem præbuit varia apud varias Gentes dividendi temporis ratio. In Libris quibusdam apocryphis traditum est, ab ortu Mundi usque ad 160 Henochi, annos non per mensium periodos, sed per hebdomadas numerari consuevisse; quem calculum Henochus, ab Angelo Uriele instructus de anni temporibus, astrorum atque anni revolutionibus, reformarit [*g*]. Apud aliquas Gentes anni computati sunt in menses; apud alias in singulos quadrimestres; nonnullas in semestres; erant qui æstatem & hyemem in duos annos computarent; item qui annum in singulos 10 menses, qui tandem in singulos duodecim. Fuerunt qui annum in quatuor tempora, alii in tria, alii in duo dividerent; his lunares menses sunt & anni; illis solares. Neque idem apud omnes exordium anni; quem enim plures abautumno, non pauci a vere, sicut & alii ab hyemis medietate exordiebantur. Dies quoque civilis varius apud varias gentes, illis vesperæ, his media nox, aliis mane; aliquibus tandem meridies diei caput constituitur.

g *Vide Salmas. de annis Climacter.*

Noctis verò & diei quàm multiplex dividendæ ratio; nox enim sæpè in tres, quandoque in quatuor vigilias distincta est; diei partes elevatus supra horizontem nostrum Sol pro mensuræ sui cursus dimetiebatur. Cùm verò per horas tempus supputari cœptum est, in horis dimidium fuit. Minùs cauti atque instructi Scriptores, omnes eos annos confundentes, atque variam apud varias gentes annorum rationem ad unam constantemque regionis suæ consuetudinem reducentes, incertis annorum notis tempora determinarunt, totamque inde Chronologiam & Historiam miscentes turbarunt. Ex eo fonte, ait Plinius, portentosa Ægyptiorum vetustas, quam jactant, profluxit, singulis bimestribus in annum computatis, ut infra observabimus.

Cùm Olympiades obtinerent, errores tamen incautis Historicis obrepserunt; insignes enim historias Olympiadum numero designantes, quo tamen potissimùm Olympiadis anno contigerint, silentio præterierunt. Sæpè etiam rei gestæ tempus ad celebre aliquod factum retulerunt, quantùm scilicet inter hæc duo abfuisset annorum, supputantes; cùm interim postremæ hujus historiæ tempus, Scriptorum illorum ætate notissimum, nostrâ ætate lateat; ex quo inextricabiles Lectori ambages. Ita Ezechiel Prophetiam suam ad annum 30 consignat; ex quo autem supputandi hujus calculi exordium capiat, prorsus obscurum.

Chronologia Ægyptiorum.

Postquam de universâ Chronologiâ observationes nostras in medium protulimus; mo-

modò de singulis variarum gentium singulatim agendum. Sacerdotibus Ægypti olim scribendorum Gentis Annalium provincia unicè demandata erat, qui tantâ apud se cautione Commentarios illos servabant, ut Externis nonnisi Regis expresso præcepto communicarent. Annales illos secum detulit Artaxerses Rex Persarum; mox verò Eunuchus Bagoas, ingenti pretio accepto, Sacerdotibus illis restituit (*h*).

Quibus ita constitutis, non immeritò quis suspicaretur nihil esse certius, sanctiusque servatum hac Ægyptiorum Historiâ & Chronologiâ, quippe quòd ejus rei cura doctissimorum virorum studio & diligentiæ ita commissa esset, ut ab omni corruptione depositum illud servaretur immune. Vix tamen propiùs ad id studium accedimus, confusa omnia, & præ cæteris etiam aliis corrupta offenduntur. Vetustatem suam e remotissimis adeo fontibus derivant Ægyptii, ut vana commenta sua Chronologis omnibus ridenda exponant. Horum alii, ut P. Petavius (*i*), Dynastias omnes ad meras fabellas amandant; alii immutatas, atque intra angustiores limites contractas recipiunt, uti Eusebius, Africanus, Syncellus, Scaliger, alii tandem partim rejiciunt, partim recipiunt, uti Marsbamus, qui ex 36525 annis, quorum periodo 30 Ægyptiorum Dynastiæ apud Manethonem, & Chronicon Ægyptium, a Syncello laudatum, continentur, 140 annos admittit, cæteros rejicit.

Quod autem Chronologiæ Ægyptiorum singulare est, cùm cæterarum gentium vetustas brevior sit eâ, quæ in Mosaicis libris continetur, Ægyptiorum longe Mosaicam illam excedit, ut proinde supputationem Scripturæ cum Ægyptiacâ conciliaturi Septuaginta Interpretes, juxta quorundam Scriptorum opinionem, singulorum Patriarcharum ætatem prorogarint; quæ sanè virorum indulgentia, Chronologiam sacram mirè deinde miscuit, atque turbavit. Josephus Scaliger cùm Africani dispositioni in periodo Dynastiarum Ægypti, quas ille pro libito obtruncat, inhæsisset [*k*], fatetur tandem alteram sibi periodum Julianam fabricandam esse, ut tres in eâ Dynastias Ægyptias collocaret; cùm illæ simul junctæ 1336 annis vulgarem periodum excederent. Eusebius, quem Recentiores ducem sequuntur, nihilo majori, quam Africanus, quem excribit, fide ex Dynastiis, quæ sibi commoda essent, adjecit, retraxitque. De Eusebii audaciâ altè conqueritur Syncellus, quamquam ipse ejus exemplum non imitatus tantùm, sed etiam excessisse videtur; quippe qui & annos, & Regum ad libitum excogitara nomina adjecerit, cùm interim plura retraxisset, quare in Chronologiâ Ægyptiorum turbata omnia & confusa.

Veterum nonnulli, ut ab eâ Ægyptiorum antiquitate sese extricarent, Ægyptios annos intra angustiores, quàm nostrorum, terminos reducunt. Obtinuisse ab exordio, ut Regum tempora per dies apud Ægyptios supputarentur, tradit Palæphatus (*l*). Ait e. g. post obitum Vulcani ejus filius *Helios* regnasse notatur 4477 diebus, nempè 12 annis, 3 mensibus, 4 diebus. Annis apud ipsos tunc primò sua 12 mensium periodus data est, cùm in alias gentes Ægyptiorum imperium propagaretur. Plinius lib. 7 cap. 48: *Quidam Lunæ senio*, (annum terminant) *ut Ægyptii, itaque apud eos aliqui & singula millia annorum vixisse produntur*. Hos annos reformasse Pisonem Regem, ait Censorinus [*m*]: *In Ægypto quidem antiquissimum ferunt, annum bimestrem fuisse; post deinde à Pisone Rege quadrimestrem factum, novissimè annum ad 12 menses & dies 5 produxisse*.

Sed annum adeò brevem, atque imperfectum, qualem Scriptores illi testantur, apud Ægyptios obtinuisse vix in animum induxerim; cum Moyses, qui in totâ Ægyptiorum scientiâ instructissimus fuit, ipso fortasse Pisone Rege, de quo Censorinus, [*m*] vetustior, annum semper 12 mensium, & menses 30 dierum periodo claudat, sive cùm Historias ante diluvium, sive post illud, sive cum res in Ægypto actas, sive alibi describit. 2° . *Ægyptiis principium anni non Aquarius, ut apud Romanos, sed Cancer; nam propè Cancrum est Sothis, quam Græci canis sydus dicunt. Neomenia autem est ipsius Sothidis ortus, quæ generationis mundi ducit initium* (*n*). Perfectus itaque annus apud Ægyptios jam inde constabat, cujus primi mensis nomen erat Sothis, antequam huic mensi alterum nomen Thoth, sive Mercurius inderetur; idem autem mensis & anni, & mundi exordium apud eas gentes constituebatur. Porrò non a Mercurio ea obtinuit traditio, sed penè genti coæva habita est; quare semper apud Ægyptios ea anni consuetudo mansit, ut & præcedentis anni finis, & subsequentis exordium circa tempus decrementi Nili constitueretur; ad exortum scilicet canis, syderis, juxta Plutarchum, fulgentissimi. *Isis apud eos sydus est, quod Ægyptiacè Sothis, Græcè astrokuon dicitur, quod in reliqua etiam sydera regnare videtur* (*o*). Itaque si Thoth sive Mercurius Ægyptius Moysis ætate recentior est, juxta ac nonnullis Chronologis visum, auctorem illum anni 365 dierum non est quòd habeamus, cùm ejus-

h *Diod. Sicul. lib.* 15.

i *De Doctr. temp. l.* 9, *c.* 16, *& l.* 10, *c.* 17.

k *Canon. Isagog. l.* 2, *pag.* 222.

l *Palæphati fragmenta ex Chronic. Alex.* μετὰ δὲ τελευτὴν Ἡφαίστου ἐβασίλευσεν Αἰγυπτίων ὁ υἱὸς αὐτοῦ ὀνόματι Ἥλιος ἡμέρας δυοζ´ ὡς εἶναι ἔτη ιβ´ μῆνας γ´ ἡμέρας δ´· οὐ γὰρ ᾔδεισαν οἱ Αἰγύπτιοι πότε ἢ ἄλλον τινα ἀριθμὸν ἐν τῷ ψηφίζειν, ἀλλὰ τὰς περιόδους τῶν ἡμερῶν ὡς ἔτη ἐψήφιζον· οἱ γὰρ ιβ´ μηνῶν ἀριθμοὶ μετὰ ταῦτα ἐπινοήθησαν, ἐξότε ὠνομάσθη ὑποτελεῖς εἶναι τοὺς ἀνθρώπους τοῖς βασιλεῦσι.

m *Censorin. de die natali*.

n *Porphyr. de Nymph. antrop.* 123. *edit. Holl. Vide etiam Solin. Polyhist. c.* 35, *& Macrob. l.* 1, *c.* 21.

o *De Iside astrocyon*.

ejusdem anni ratio in Ægypto ante Moysem ipsum obtineret.

Non est igitur cur magnoperè fidei Sacerdotum Thebarum deferamus, qui, vetustatem gentis suæ supra Ægyptiacam efferentes, asserebant Mercurium sive Thoth annum civilem ad solis revolutionem reformasse, atque inde ejusdem anni primum mensem de viri illius nomine appellatum [*p*]. Facilè tamen Mercurius Ægyptiacum annum ad aliquos sacros usus accommodavit; singulos scilicet duodecim menses totidem Deorum patrocinio attribuens; sicut & magni anni 36525 periodum excogitavit. Hujus periodi Mercurium authorem fuisse Jamblicus (*q*) ex Manethone testatur. Ad Numina singulis mensibus præposita quod spectat, refert Strabo lib. 17, Sacerdotes Thebanos omnem directi pro sacris usibus anni honorem ad Thoth retulisse.

p *Diod. Sicul. Bibl. l. 1. Strab. l. 17.*

q *De Myst. Ægypt. de Diis.*

Hanc a Mercurio invectam (*r*) rationem adeò religiosè Sacerdotes deinde observarunt, ut intercalarem diem singulis quadrienniis adjici, quamquam opportunum videretur, non sustinerent: quare annus sacer a civili exorbitabat, nunquam certâ Festis eorum sede manente. Tandem ut ambo illi anni inter se ad idem punctum redigerentur, 1461 annorum civilium spatium decurrendum erat, intra quod 1460 anni sacri absolverentur; cùm in 1461 annis civilibus 365 dies intercalares recurrant. Porrò periodus illa magnus annus Ægypriacus appellatur, isque annus per 25 multiplicatus, juxta lunarem cyclum, alteram conficit periodum 36525 annorum, de qua supra.

r *Geminius.*

Ad quinque illos dies, postremo mensi apud Ægyptios adjectos, quod spectat, ejus res authorem determinare difficile arbitramur. Thebani Sacerdotes ejus rei gloriam Thoth vindicant; Censorinus Regi Pisoni; Eusebius *Aseth* Isaaco suppari, juxta eumdem, vel Josue coævo, juxta Marshamum. Hæc Scriptorum discrepantia frustra aliter conciliaretur, nisi si ex *Pison*, & *Aseth* unus idemque vir constituatur; simulque dicatur Mercurius redigendi anni civilis tantùm, ad certum quemdam religionis & cæremoniarum usum, author fuisse. Marshamus demonstrat, primum [*s*] mensem Thoth, juxta Censorini supputationem, cum anno 3392 periodi Julianæ concurrere, quod, juxta Usserii calculum, Judicum imperio labenti respondet. His semel admissis, illud continuò sequitur, Moysis ætate diem intercalarem singulis quadrienniis, & facilè etiam quinque dies postremo mensi adjectos nondum obtinuisse; quanquam & menses eo tempore 30 diebus constitisse, & annos ad cursum Solis ordinatos, vix est quòd dubitemus.

s *Sac.x1,pag.310.*

Annus apud Ægyptios ab autumno exordiebatur; ita enim Horus Ægyptius a Macrobio loquens inducitur: *Explicitis duodecim mensibus, id est 360 diebus, reliquos quinque dies inter Augustum atque Septembrem anno suo reddunt* (*t*). Quæ veteri gentis persuationi de exordio Mundi ab autumno consentanea fuisse satis constat: *Quod tempus Sacerdotes natalem Mundi judicaverunt, id est tertium decimum Calend. Aug.* (*u*). Singulis Zodiaci signis eumdem, quem priùs ab ipsis Mundi crepundiis habuerant, peculiarem Deum asserebant. Soli Leo assignatus est (*x*), Mercurio Virgo, Veneri Libra, Marti Scorpius, Jovi Sagittarius, Saturno Caper, *sic factum est ut singuli eorum signorum Domini esse dicautur, in quibus, cùm Mundus nasceretur, fuiße creduntur*. Legendus Cicero *de Nat. Deor. lib.* 2, Lactan. *Divin. Instit. lib.* 1 *cap.* 4, Josephus *Antiq. lib.* 1 *cap.* 4, qui postremus Scriptor, de diluvio agens, eam opinionem insinuat.

t *Macro. Satur. l.1, fol.128, Edit. Aldi. Vide Censor. de die nat. c. 18.*

u *Solin. Polyb. c. 35*

x *Macrob. som. Scip. l. 1, c. 31.*

Tria anni tempora Ægyptii distinguunt; nempè hyemem, ver, & æstatem, quibus præsidens Pallas ab illis *Tritogeneja* appellabatur. Vide Commentarium nostrum ad *Gen.* VIII, 22.

Ab omnibus Orientis populis ab ultimâ antiquitate usitatum est, ut per septimanas dierum, sua facerent commercia, inquit Scaliger. Eodem more homines hodie usque censentur, cùm tamen septimanæ exordium varium sit apud varios; Judæis Sabbatum est, Christianis Dominica dies, Gentilibus feria tertia, Mahometanis sexta. Mos autem iste ab Ægyptiis in Græcos, Romanos, cæterasque orbis gentes derivatus est; qua de re Dio Cassius *lib.* 38: *Id institutum ab Ægyptiis, haud ita dudum ad omnes homines dimanavit*. Origenem verò ad septem Deos refert, quibus singulis Ægyptiorum superstitio singulos septimanæ dies consecravit; sunt autem Saturnus, Sol, Mars, Jupiter, Venus, Mercurius, Luna. Sed hujus rei certiora sunt apud Hebræos, in Historiâ conditi Mundi, monumenta; quare Dioni, recentiùs in Orbem invectam consuetudinem affirmanti, nihil est quod credamus. Septimanarum vetustatem fusiùs ostendit Seldenus de *Jur. Nat. & Gent. lib.* 3, *cap.* 19 *&c.*

Quem potissimum morem in diebus deducendis Ægyptii sequuti sint, varia est variorum sententia. *Ægyptii & Hypparcus*, ait Plinius *lib.* 2 *cap.* 77, *a media nocte in*

Digitized by Google

in mediam noctem ducunt. Alii Chaldæorum rationem, ab exorto scilicet Sole, secutos malunt; alii meridiem caput diei constituisse ex eo colligunt, quòd Ptolemæus Ægyptius, insignis eorum Astronomus, tantundem sæpè prætiterit; alii tandem a vesperâ in vesperam ductum ab Ægyptiis diem sustinent [*y*]. Hasce variorum Scriptorum opiniones Salmasius conciliandas assumens (*z*), autumavit, Ægyptiorum annum, sibi cæteroqui constantem, nempè 365 dierum & 6 horarum, non ab eodem semper diei naturalis articulo exordium duxisse; modò enim in mediam noctem cadebat, succedenti verò anno sex horis post mediam noctem retrahebatur; quæ autem anni caput, eadem & reliquorum anni dierum prima hora habita est.

y *Alex. ab Alex. l. 4. c. 20. Genial. dier.*
z *Exercit. Plin. pag. 552.*

Mallerim ego, variatæ successu temporis apud Ægyptios consuetudini totam rem adscribere; facilè enim, antequam Persæ & Chaldæi regionem haberent, dies suos Ægyptii ad duas vesperas ducebant, pro more finitimarum gentium, uti Arabum, Lybicorum, & Judæorum. Sed inducto genti jugo, primò a Chaldæis sub Nabuchodonosore, dein a Persis sub Cambyse, victorum moribus, ad Babyloniorum rationes dies suos reformantes, assueverunt. Tandem sub Alexandro Magno, & Ptolemæis, iterum avita temporis dirigendi consuetudo postliminii jure rediit. Facilè tamen Plinii ætate, ducendi a mediâ nocte diei morem a Romanis acceperant. Ptolemæus verò diem a meridie exorditur, qua in re non morem regionis, sed Astronomorum, & Mathematicorum sequutus est.

Diei per horas divisio in Ægypto priùs, quàm in reliquis orbis regionibus obtinuisse, vel ex ipso horarum nomine discimus; *hora* enim est ab *Horo*, quod Solis nomen est apud Ægyptios. Victorinus ex Cicerone narrat [*a*], Mercurium Trismegistum ex Cynocephalo duodecies in die æquis temporis intervallis mingente, pariterque certis diei articulis ululante, horarum divisionem didicisse. Hæc quidem historia, fabellam licèt olere videatur, nec aliter fortè de Cynocephalo statui oporteat, vetustatem tamen præfefert majorem, quàm quæ apud alias gentes occurrat; & Trismeg stus ille, cui inventæ rei honor tribuitur, paulò est Moyse recentior, si Eusebio, & Marshamo supputantibus stemus.

a *Macrob. l. 1, cap. 21. & Pausan.*

Chronologia Chaldæorum.

De Chaldæorum Chronologiâ, nisi juncto simul de Assyriorum, Medorum, & Persarum Chronologiis sermone, vix est quod agamus; quare de tribus amplissimis Imperiis, eorum origine, & periodo, uno sermonis contextu nobis loquendum est. In hoc verò argumento incerta esse omnia, atque Græcorum Historicorum errores Cl. Bossuetus in suâ Historiâ universali demonstravit [*b*]. Ita ille: „ Quidquid de „ primis tribus Imperiis Authorum Græcorum turba scriptis mandaverat, ea planè „ sapientissimis Græcorum veluti dubia & incerta, minus probantur. Sacerdotes „ Ægyptios de rebus vetustis Græcorum ignorantiam relevantes Plato inducit (*c*), „ & Aristoteles omnia, quæ de Assyriis narrantur, ad fabellas amandat.

„ Quod enim seriùs Græci ad scribendum sese contulissent, vellentque ingenio „ populi in res novas arrepti blandiri, factum indè est, ut accurata consulere mo„ numenta negligentes, ea tantùm avidè arriperent, quæ jucundam magis, quam „ veram efficerent narrationem.

„ Ordo planè, quo tria illa Imperia distribuuntur, apertæ falsitatis notam præ„ fefert; post sublatum enim Sardanapalum, ejusque lapsu Imperium Assyrium ever„ sum, Medi in scenam inducuntur, quibus Persæ succedunt; quasi scilicet totius „ Assyriæ Monarchiæ hæreditas ad Medos devenisset, atque in ipsis Medorum ruinis „ Imperii sui trophæum erexerint Persæ.

„ Contra tamen accidit, cùm Arbaces, inductis ad defectionem Medis, Assyrio„ rum & Sardanapali tantummodò jugum excusserit, intacto interim Imperio Assy„ riæ relicto. Primus Medorum Rex Dejoces, 50 solidis post eam defectionem annis, „ apud Herodotum, quem peritissimi Chronologi sequuntur [*d*], apparet; simul„ que clarissimi illius Scriptoris, & Xenophontis, al orumque testimonio scitum est, „ florentis Imperii Medorum tempore, potentissimos in Assyriâ Reges per totum late „ Orientem nominis sui terrore regnasse, quorum Cyrus, captâ Babylone, Impe„ rium evertit (*e*).

„ Itaque si vulgò apud Græcos, & Latinos Græcorum fidem sequutos, altum „ sit de his Regibus Babyloniæ silentium; si amplissimi illius Imperii nulla habeatur

„ ra-

b *Par. 1, pag. 47.*
c *In Tim.*
d *Herod. l. 1. c. 26. 27.*
e *Idem. l. 1. Xenoph. Cyrop. 5, 6, &c.*

„ ratio in Monarchiis, constanti successione apud Historias continuatis; si ne nomina „ quidem leguntur apud illos florentissimorum Regum Teglatphalassaris, Salmanasaris, „ nacheribi, Nabuchodonosoris, de quibus mira in S. Scripturâ, & in Orientalibus „ Historiis, ejus rei sive Græcorum ignorantiam in causâ fuisse oportet; sive accu- „ ratissima Historiarum Græcarum pars nostrâ ætate excidit.

„ Profectò Herodotus peculiarem de Assyriis historiam promittit, quæ sivè tem- „ porum injuriâ intercidit, sive scribendæ tempus Historico defuit. Nec sanè de „ Scriptore illo sapientissimo aliter censendum est; vix enim alioquin fieri potuisset, „ ut Reges secundi Imperii Assyriorum omitteret; cùm maximè de Sennacheribo, „ ex illis uno, tanquam de Rege Assyriorum, & Arabum, non sileat.

„ Strabo, qui sub Augusto florebat, narrat Megasthenem veterem Scriptorem, „ Alexandro ferè supparem, de expeditionibus Nabuchodonosoris Regis Chaldæorum „ scripsisse, quem transgressum Euphratem, in Hispaniam, & ad Herculis columnas „ transcurrisse perhibueri. Apud Ælianum occurrit Tilganus, Rex Assyriæ, quem „ ipsum esse Tilgath, vel Teglath Historiæ Sanctæ, nullus dubito; & apud Ptolemæum „ inter catalogos Principum, quibus amplissima Imperia paruerunt, ordine recensen- „ tur quidam Assyriæ Reges, Græcis planè incogniti, & cum Sacrâ Historiâ facilè „ conciliandi.

„ Nimius essem, si ea producerem in medium, quæ in Annalibus Syriæ, Bero- „ so, Abideno, Nicolao Damasceno leguntur. Horum Authorum fragmenta, auro „ contra pensanda, Josephus & Eusebius Cæsariensis servarunt; quod etiam de plu- „ ribus aliis ab ipsis præstitum est, quorum omnium testimonio Scripturæ authoritas „ de antiquitatibus Orientalibus, & Historiis Assyriis, potissimùm confirmatur.

„ Medorum verò Monarchiam, quam vulgò Historici cum priori continuant, „ atque a Persicâ distinguunt, Scriptura simul cum illis jungit... Quæ quidem vera „ esse, ex ipso rerum gestarum ordine intelligimus. Medorum ante Cyrum gloria, „ quamquam alioqui gentis potentissimæ, florentibus Regum Babyloniorum rebus „ obscurabatur; donec Cyrus, junctis simul Medorum & Persarum viribus, quos il- „ le popolus jure legitimæ successionis, uti ex Xenophonte constat, regebat, Baby- „ lonios sub jugum misit. Ex his planè novæ Monarchiæ, a Cyro erectæ, nomen, „ non a Medis tantùm, sed etiam a Persis imponendum constat. Quare Medorum & „ Persarum Imperium unum erat idemque; quamquam ob Cyri gloriam Persarum nomen „ prævaluit.

„ Accidere etiam facilè potuit, ut Medorum Reges, susceptis versùs Colonias „ Græcas Asiæ minoris expeditionibus, nominis sui gloriam longè latèque apud Græ- „ cos provexerint; ex quo per totam Asiam soli imperium obtinuisse, quippe qui so- „ li noti erant, crediti sunt. Reapse tamen, licèt Græcis eorumque Historicis inco- „ gniti, Reges Ninive & Babylonis florentius, quàm Medi, imperium habebant. „ Factum inde, ut totum a Sardanapalo usque ad Cyrum spatium, unum Medorum „ imperium tenuisse vulgaretur.

„ Non est itaque, cur Historiæ prophanæ ac Sacræ conciliandis tantoperè labo- „ remus; ad primum enim Assyriorum Imperium quod spectar, de illo obiter tantùm „ unum vel alterum verbum in Scripturâ, nihilque in eâ de Nino Monarchiæ autho- „ re, neque de aliis post ipsum Regibus, uno excepto Phul, occurrit; quòd eorum „ Historia nihil habet cum populo Dei commune. Secundi Imperii Assyriorum res a „ Græcis Scriptoribus sive prorsus ignoratæ, sive non satis exploratæ, cum prioris „ Imperii historiis miscentur.

„ Post hæc, si Græcorum quorumdam authoritate oppositâ, tres illas Monarchias „ ordine sibi successisse quispiam contendat, huic Græcorum in eâ historiæ parte „ ignorantiam reponimus; qui scilicet non Scripturæ tantùm repugnantes, sed etiam „ sapientissimis genris suæ Scriptoribus deprehenduntur.

„ Quod autem uno verbo scrupulos omnes eveller, illud est, nimirum Authores „ Sacros & tempore & loco ad Monarchias illas Orientis præ aliis accessisse. Histo- „ riam insuper scribebant populi, cujus res cum amplissimis illis Imperiis conjunctissi- „ mæ essent; ex quo fieri poterat, etsi cætera defuissent, ut illis præ Latinis, & „ Græcis Historicis fides addiceretur.

„ Postrema etiam superest obscuritatis veterum Historicorum causa dispicien- „ da; cùm enim Reges Orientis plura sibi nomina, vel, si mavis, titulos, nominis „ loco usurpatos, inducere solerent, ac populus nomina illa variè redderet, & pro „ vernaculâ singulorum dialecto pronunciaret; factum inde, ut vetustissimarum Hi- „ storiarum res, quarum nonnisi confusa supererant monumenta, portentosâ caligi-

„ ne

„ ne obvolverentur. Ex nominum enim confusione, res ipsas quæ homines turbari, „ facillimè contigit; uti ex difficultate suum locum assignandi in historiâ Græcâ tot „ illis Assueris, colligimus; quorum tempora, quantò Orientalibus magis, tantò „ Græcis minùs erant explorata. Quis profectò Cyaxarem ipsum esse Assuerum cre- „ deret, cujus tamen nomen ex *Ki* Dominus & *Axare* compositum, statim ad Assue- „ rum reducendum constat?

Quæmcumque tandem fuerit dirigendi Monarchias illas ratio, semper tamen Chronologia nutabit, quippe quæ ex iis tantummodò fontibus deducenda est, sive ex Scripturâ nimirum, sive ab Orientalibus, vel a Græcis, & Latinis. Ad Scripturam quod attinet, parcior in illa sermo, quàm ut perpetuæ Chronologiæ ducendæ serviat; de Orientalibus nonnisi fragmenta quædam, dubiæ ut plurimum fidei, supersunt. Græci, omnium confessione, minùs eas historias callent; feriùsque ad scribendum se conferentes, adeò inter se discrepantes supputationes & historias sequuntur, ut eorum testimonio fidere nequaquam audeamus. Tandem Latini, Græcos secuti, nihilò majorem præ illis obtinent authoritatem.

Quid enim Scriptura de Assyriorum Imperio? De Nembrod, virum fuisse venationi deditum & violentum narrat, nominis sui terrore universum Orientem complevisse; & liberis antea hominibus sub jugum missis, Imperii sui sedem constituisse Babelem, sive Babylonem, & in urbes Arach, Achad, & Calanne in terra Sennaar imperasse. Addit deinde virum illum Imperii sui fines, armis in Assyrios illatis, prorogasse, Ninive, Rohobot, Chale, & Resen subactis. Has urbes vulgò Interpretes ab Assur conditas arbitrantur; sed & omnium confessione constat, illas non diu post sive Nembrod, sive alium, post illum, Regem jure armorum occupasse, duobus Regnis in unum Regem conciliatis. Hinc Ctesias, & Diodorus Siculus uni eidemque domino urbes Ninive & Babylonis ab initio paruisse testantur. Ex inde de Regibus Assyriæ (*f*) altum est in Scripturâ, usque ad Ezechiæ tempora, silentium (*g*). Sub Ezechiâ igitur Merodach filius Baladan, Rex Babel, missis ad Regem nunciis, de prodigio, quo Ezechiæ valetudo cælitus fuit demonstrata, quæsivit. Dein potentissimi Assyriæ Reges, labentibus Regni Israelitici annis, in Scripturâ inducuntur, uti Phul, Teglatphalasar, Salmanasar, Sennacherib, & Assaradon. Ex quibus satis intelligimus, potentissimos regnasse Babylone Principes Ezechiæ ætate; quibus etiam recentior est Nabucnodonosor, in Libris Sacris notissimus. Ad Reges Medos quod attinet, ne verbum quidem de illis, quamquam alioqui florentissimum eâ ætate habuisse illos Imperium oportet, si prophanis Authoribus fides sit, penès quos vicissim altum de Assyriis, & Babyloniis silentium. Quanquam, ut vera fatear, apud Authores nonnullos casu aliquid excidit de postremis istis Regibus; obscurum tamen, nec magnæ de illis ideæ ingerendæ aptum.

f Vide Gen. xiv, 1; Ubi de Rege Babylonis nomine Amraphel.

g Reg. xx, 12, 13.

Conferantur itaque modò ea, quæ in historiâ prophanâ memoriæ prodita sunt, de ortu & progressu, amplitudine & fortunis Imperii Assyriorum; conferantur, inquam, cum iis, quæ de eodem argumento in Scripturâ traduntur; statimque vel prophani illi fabulosa narrasse convincentur; vel saltem de alio Imperio, seu alio ejusdem Imperii exordio, quàm cujus Gen. x, 10, 11 sermo fuerit, loquuturos dicemus; ex quo conciliandi duas illas historias provinciam arduam, & humanas excedentem vires nemo prudens dubitaverit. Nec feliciori conatu Historia prophana secum ipsa constaret; si enim Ctesiæ testimonio stemus (*h*), statim Herodotum rejiciamus oportet (*i*); admisso verò Herodoto, reliquos Historicos diuturniorem Assyriis Monarchiam, quàm Herodotus, constituentes, habebimus adversarios; neque enim nisi post Chaldæorum, & Arabum Imperium, de quibus ne verbum quidem apud alios, Assyrios collocat Herodotus.

h Imperium Assyriorum 1300 annis stetit, juxta Ctesiam.

i Herodotus intra 520 annorum periodum illud concludit. Ctesia Diodorus & Justinus inhærent.

Maneat igitur fixum certumque, Assyrios altiùs repetiisse Imperium, quàm quòd Herodotus concedit; nempe 100 a diluvio anni excurrerant, cùm Nembrod ejusdem Monarchiæ fundamenta jecit, uti ex Scripturâ intelligimus. Ejus tamen Imperii primordia angustiora fuerant, quàm ut ab Historicis memoriæ proditum sit. Hujus rei monumenta ex Scripturâ ipsâ producimus; quamquam enim de Assyriorum Regno ex professo non agit, quæ tamen de Regibus in viciniis Babyloniæ narrat, tenujores fuisse Imperii illius res, satis indicant. Abrahami ætate Amraphel Babylonis Rex, Codorlahomorem Regem Elam in expeditione Sodomæ unà cum cæteris fœderatis Regibus secutus est, quem sanè Regem Elam potentiorem præ Amraphel fuisse, facilè credimus; quippe qui Reges haberet usque in Palæstinâ vectigales. Sub Judicibus, Cusan Rex Mesopotamiæ Israelitas sub jugum misit (*k*), dein succedente tempore iterum relevatos, Eglon Rex Moab oppressit (*l*); quod etiam factum deinde sub Jabin

k Judic. iii, 8.

l Judic. iii, 12, 13.

Jabin Rege Chanaan (m), Madianitis, Moabitis & Philistæis variis temporibus, & eventibus populus serviit. David bellum intulit in Hadarezer Regem Soba, cujus Regnum in Orientali plagâ ad Euphratem, in Occidentali ad Damascum usque porrigebatur. In omnibus illis historiis Reges Assyriæ nunquam prodeunt, nihil his bellis tanguntur, nihil rebus suis prospiciunt, quamquam alioqui in ipsis eorum finibus bellum sit gestum; non eâ igitur potentiâ florebant, quam Græci Scriptores comminiscuntur.

Post hæc omnia, apertè satis constare arbitror, systema illud Chronologicum, quod ex Historicorum fide hucusque sancitum est, nihil habere certi, in iis maximè, quæ Historiam Assyriorum, & Medorum tangunt. Quemadmodum in iis, quæ ad Cyri crepundia, & Monarchiam Persarum pertinent, omnia a nostris misceri, atque opposita plane multa Danielis Prophetiæ asseri, dum conciliare Danielem cum Xenophonte conantur, in Præfatione ad Danielem demonstrabimus. Quare hac de re nihil peculiarius impræsentiarum attingam.

Cum Astronomicæ scientiæ famâ Chaldæi semper claruerint, loco Magistrorum in scientiâ temporum a Græcis habiti sunt. Astronomicæ eorum observationes vetustatis nomine, dum Alexander Asiam subigeret, celebrabantur, quas tamen, ut ferè fit, in majus fama provexerat. Annorum 472000 vetustatem jactitasse illos Diodorus lib. 2 testatur; ad 470000 redigit Cicero *de Divin. lib.* 1. Ad 720000 Epigenes apud Plinium [n]; sed & hæc multò veritatem excedunt, & Cicero vanitatem atque jactitantiam Chaldæorum multis exaggerat. Aristoteles, veritatem comperturus, Callisthenem rogavit, ut quæ certiora hac de re investigare posset Babylone, ea ad se transmitteret; renunciavit autem Callisthenes (o) ab exordio Monarchiæ usque ad Alexandrum Magnum 1903 annorum observationes.

Hæc annorum summa, si cum Scripturâ conferatur, ad tempus constructæ Babelicæ turris atque initi Regni a Nembrod, Monarchiæ Assyriorum authore, deducimur; ex quo illud assequimur, jam inde ab eâ ætate Chaldæorum annos 12 mensibus, seu 365 diebus constitisse: nec aliam facilè extitisse ab ipso Mundi exordio ejusdem anni digerendi rationem; vix enim fieri potuisse credimus, morem illum Nembrod Babylonici Imperii authorem ab alio, quàm a primo homine, ejus regionis incolâ, didicisse. Hinc constans semper Chaldæi anni ratio fuit, cùm alioqui apud reliquas Gentes omnes nunquam non variaret.

Apud Chaldæos, Babylonios, Persas, Syros diei caput Sol exoriens [quem etiam divino honore colebant) constituebatur. Horarum consuetudinem, omnium consensu apud illos vetustissimam, an Chaldæi ante Ægyptios acceperint, incertum. Sanè quam Ægyptii assignant, hujus inventi moris causâ fabellam subolet, atque a Babyloniis, non ab Ægyptiis invectas in Græciam horas constat. Græci, ait Herodotus (p), polum, horologia solaria, & 12 diei partes a Babyloniis acceperunt. In Chaldæo Danielis occurrit vox *scaeh*, quam Vulgata reddit *hora* [q]: *Cœpit cogitare quasi unâ horâ &c.* ex quo horarum apud Chaldæos vetustatem intelligimus. Horarum etiam meminit Vulgata in Tobiâ, qui sub Chaldæorum Imperio & in eorum ditione scribebat (r). *Sustinuit quasi dimidiam ferè horam*; & cap. XII, 22 *prostrati per horas tres*; sed nihil simile in Græco legitur.

m *Judic.* IV, 2, 3.

n *Plin. lib.* 7, *cap.* 56. *In impressis legitur tantùm* 720; *sed contextus sermonis legendum demonstrat* 720000.

o *Apud Simplic. l.* 3 *de Cœlo.*

p *Herod. l.* 2, *cap.* 109. Πόλον ϗ γνώμονα. ϗ τὰ δυώδεκα μέρη τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες.

q *Dan.* IV, 16. שעה

r *Tob.* XI, 14.

Chronologia Græcorum.

Quamquam vetustatis, eruditionis, atque studii Historiarum gloriâ cæteris per Orbem gentibus Græci præstiterunt, spissis tamen illi, si alii unquam, tenebris de veris gentis suæ antiquitatibus tenentur. Quæ ad gentis originem spectant, ea in lucem producere ad Gen. X conati sumus; modò de Chronologia & tempore historico extricandis pauca. Quæ de rebus antè diluvium Ogigis gesta feruntur, ea tanquam meras putasque fabellas, vel sublestæ fidei historias, ipsimet Græci rejiciunt. Quare patriam Historiam sive infra tempus Trojani belli, ut Diodorus Siculus, sive reducum Heraclidorum e Peloponneso, ut Ephorus Cumanus Socratis auditor in suo de Lacedæmoniis Regibus Commentario, deduxerunt. Hellanicus Lesbius historiæ suæ Chronologiam digessit ad seriem fœminarum, quæ Junonis sacra operabantur; quarum prima sæculo circiter ante Cecropem initiata est. Julius Africanus Chronologiæ Atheniensis epocham determinavit in diluvio Ogigis, quod sub Phoronæo Rege Argeos, 1020 annis ante primam Olympiadem, contingit. Varro tandem tempus historicum Græcorum ab Olympiadibus exorditur.

Cave

Cave tamen credas, post Olympiades saltem, omnem temporibus determinandis diligentiam Græcos contulisse. Qui enim supersunt vetustissimi eorum Historici, in Scriptis suis nihil magis, quam Chronologiam negligentes, sive certas rerum epochas, sive certas annorum successiones omittunt. In eorum censum, Marshamo judice, referendi Herodotus, Thucydides, Xenophon, qui Historicos quidem, non Chronologos, Olympiadum successione nondum determinatâ Chronologiâ, referunt. Est quidem apud illos brevis de Olympiadibus mentio, sed vagâ quadam ratione, atque certo earum anno prætermisso.

Nomina verò eorum, qui in Olympiacis certaminibus palmam retulerant, seriùs recenseri cœpta sunt (s); idque non dirigendæ Chronologiæ gratiâ, sed ut æternam nomini gloriam compararunt, in certamen juvenes accederentur. Evanoridas quidam, Olympiade 50 plane non vetustior, omnium primus victores Olympicos in catalogum digerit (t). Catalogum certaminum seriùs ordinavit [u] Hippias Eleus, qui tamen opus suum nullo exhibito monumento probavit. De Hippiâ quodam sermo est apud Platonem (x), cum Socrate illum colloquentem, atque Olympicis adesse consuetum, inducit; ejus tamen authoritas in Olympiadum catalogo ducendo, cùm Socrates nonnisi post 95 Olympiadem a Corœbo obierit, magni esse momenti non potest.

Corœbus, omnium primus in catalogo victorum Olympicorum apparet; neque de aliis ante illum investigari aliquem contigit; vicit autem Corœbus Olympiade 27, & exinde Olympiadum epocha, 108 annis circiter ab institutis per Iphitum ludis, ducitur. Corœbi illius nomen tumulo ejus inscriptum apud posteros mansit, quare de illo quidem constat: de cæteris verò post ipsum res dubitatione non vacat; cum Daicles, qui sextus post Corœbum ponitur, post Iphitum, a quo Olympiade septima coronam victoris accepit, recensendus sit.

Olympiadum verò successionis, ut historiæ serviret, Timæus primus author perhibetur; florebat sub Ptolemæo Philadelpho. Post ipsum, Eratosthenem, & Polybium Græcorum Scriptorum, qui Olympiades in chronologiâ adhiberent, vetustissimum, eamdem methodum secutos scimus; Polybius autem Historiam Timæi continuavit.

Post hæc omnia, si Græcorum Chronologia & Historia dubiæ sit fidei, quis jure miretur, cùm tempus primarum Olympiadum, quæ totius Chronologiæ robur habentur, obscurâ caligine obvolvatur? Porro Olympiadum tres epochæ distingui possunt; prima ab institutis per Atreum, filium Pelopis, ludis in funere Patris sui; in his verò victor renunciatus est Hercules [y] an. 345 juxta Velleji supputationem [z], ante restitutos eosdem ludos ab Iphito, Lycurgo, & Cleosthene, secunda, in restitutis illis authoribus ludis, ex quibus usque ad primam Chronologistarum Olympiadem, victoriâ Corœbi insignem, spatium 180 ann. intercedit. Quare vera Olympiadum epocha ultra 400 annis vulgarem præcedit. S. Clemens Alexandrinus 427, Eusebius 430, Syncellus 600 annos inter eas numerat.

Condita etiam duo Regna Argi, & Sycionis in Peloponneso geminæ sunt epochæ in Historiâ Græcorum celebratissimæ, in quibus tamen fabellas quamplures & incerta omnia Marshamus ostendit. Primus Argivorum Rex Phoroneus, filius Inachi, a Pausaniâ (a) constituitur; Inachum verò non viri nomen, sed amnis esse tradit. Anticlides de eodem Phoroneo testatur, Regum Græcorum vetustissimum illum fuisse (b), quin & omnium hominum primum Phoroneum Argivum Acusilas appellat; hic tandem mortalium parens a Phoronide Poetâ dictus est (c). Phoroneus etiam, & Niobe in totâ Græciâ vetustissimi Platonis ætate habebantur (d); quare nihil supra Inachum, ejusque filium Phoroneum, Reges Argivorum, in Historiâ Græcâ referri Syncellus est author.

Quæ cùm ita sint, Regum Sycioniorum in urbe Telchiniâ, dein Sycione dictâ, regnantium catalogus fidei est sublestæ; si enim nullum in Græcia Regum vetustate Argivum superat, Sycionis Reges omnes 200 ann. successione deducti, Argivis vetustiores, fabulosa sunt nomina. In Homero Adrastus primus Rex Sycionis occurrit [e].

Adrasti nomen legitur in marmore Arondelliano ad annum Atticum 325. Exinde tantum Regum Sycionis vetustas repeti potest; qui plane Reges, belli Trojani tempore, Argivorum Regibus parebant (f). Dionysius Halycarnassæus (g) numerum determinat generationum, quarum spatio Pelasgi Peloponnesum, & Thessaliam habuerunt; sed earum generationum tempus incertum, & indeterminatum, incertum etiam relinquit, quanto temporis spatio Pelasgi eas regiones tenuerint.

Qui autem fieri posset, ut Historia, & Chronologia Græca certum aliquid haberent, quam impares inæqualesque anni dirigunt? Erant quibus singuli quadrimestres

s Pausan. Eliac. 1, pag. 354.

t Idem Eliac. 1, pag. 358. apud Marsham. sæc. 16.

u Plut. in Num.

x In Hippiâ.

y An Hercules filius Jovis & Alcmenæ, vel alter Hercules inter Dactylos Idæos.

z Vellejus Paterc. lib. 1.

a Pausan. l. 2, pag. 112.

b Plin. l. 7. c. 56.

c Clem. Alexan. Strom. 1.

d In Timæo.

e Iliad. B. v. 572. Καὶ Σικυῶν᾽ ὅθ᾽ ἄρ᾽ Ἄδρηστος πρῶτ᾽ ἐμβασίλευεν.

f Vide Marsham. πρ καζ... ad finem.

g Dionys. lib. 1.

annum constituerent (*h*); anni apud Arcades in mensem unicum, deinde in trimestrem, nempè in singula anni tempora durabant; apud incolas Cariæ, & Acarnaniæ interdum annus mense determinabatur, semestri interdum, quamquam Homeri ætate Græcorum annus ad mensuram 12 mensium lunarium facilè redactus videatur.

Solon, referente Plutarcho (*i*), lunarium mensium inæqualitate animadversâ, simulque lunam cum sole non semper in idem Cœli punctum convenire intelligens, illam diei partem, quæ solis ac lunæ congressum præcedit, elapso mensi, reliquam verò ineunti tribuendam censuit; quare post eam conjunctionem succedens dies Neomenia, sive prima dies mensis, appellabatur. Factum inde, ut singulis mensibus 30 solidi dies, anno verò 360 assignarentur. Porrò hæc in verbis Solonis ad Cræsum apud Herodotum (*k*), & in ænigmate anni, authore Cleobulo, viro inter septem Sapientes, apparent (*l*): Hoc autem ænigma: uni parenti duodecim sunt filii, quibus singulis 30 infantes, colore, & formâ varii, nati sunt, alii nempè albentes, nigricantes alii; immortales singuli, quotidie licet decedant.

Athenientium annus neque lunaris maximè, neque solaris erat; cùm enim Solaris 365 diebus, & 5 horis constet, Atheniensis 360 claudebatur; quare lunarem 354 dierum excedebat. Itaque cùm Macrobius & Solinus Græcorum annum lunarem dicunt, ita intelligendi sunt, quasi scilicet in dirigendis mensibus, & annis, lunæ potius, quam solis ratio a Græcis haberetur. Solonis ætate singulis bienniis intercalaris mensis recurrebat, annumque intercalarem *trieteridem* appellabant [*m*]; quasi scilicet singulis trienniis mensis ille adderetur: sed quantum ego conjicio, intercalatio illa post reformationem anni ab eodem Legislatore institutam, abrogata est; cùm enim annus 360 dierum periodo clauderetur, singulis bienniis 10 tantùm dies, non integer mensis superesse poterat. Ea anni dispositio apud Athenienses diutiùs obtinuit. Quamquam enim Eudoxius & Plato veram anni redigendi ad cursum solis doctrinam, juxta ac Strabo insinuat, ab Ægyptiis didicissent (*n*); attamen avita consuetudo diutiùs prævaluit, cùm Demetrii Phaleræi ætate annus 360 diebus constaret. Huic enim viro *trecentas sexaginta* [statuas] *statuere, nondum anno hunc numerum excedente* (*o*). Quamquam sub idem temporis Calippus annum 365 diebus, & 6 horis dimetitur [*p*], facilè tunc Ægyptiacâ in Græciam methodo subrepente. Anno 365 diebus constanti, dies intercalaris post quadriennium addebatur; unde *Penteteris* illi nomen inditum, quasi scilicet singulis quinquenniis recurreret. Temporis successu, intercalaris diei methodus non satis difficultatibus omnibus intercessisse visa; cùm temporis adhuc alicujus spatium extra anni regulas vagaretur, huic incommodo magni anni Græcorum invecti sunt, uti Methonis 19 annorum, Philolai 59, Calioppi 76, Hipparchi 304.

Apud Achæos exorientes Plejades, æstate ineunte, anni exordium ducebant; Athenienlibus vernum æquinoctium anni caput habebatur [*q*]; dies verò apud illos a vesperâ in vesperam ducti, annus in quatuor anni tempora distributus, ver, æstatem, autumnum, & hyemem. Horarum diei ratio Homeri ætate nulla erat [*r*], cùm noctem ille, diemque in tres partes distribuat, atque in die auroræ tantum sive mane, meridiei, & vesperarum meminerit (*s*).

Diem per horas dimetiendi morem e Babylonis didicisse Anaximenem, & Anaximandrum supra innuimus: *Anaximander primus gnomonem invenit, & Lacedæmone statuit in loco captandæ umbræ idoneo, qui & solis conversiones & æquinoctia notaret* [*t*]. Mentio est quidem apud Homerum de horis, quas ille præ foribus Cœli adsistere dicit; sed eo nomine, pro more apud Græcos veteres recepto, anni tempora appellantur. Apud Latinos Hora inter Deas censetur, cui vir adjectus est Quirinus. Ovidius.

Horamque vocat, quæ nunc Dea juncta Quirino.

Huic munus foribus Cœli assistendi cùm Jano tribuitur:

Præsideo foribus Cœli, cum mitibus horis.

Hora sive *Hersilia* unica priùs erat, & singularis Dea; nomen deinde tribus communicatum est, quamquam & peculiare tribus illis horis nomen esset, videlicet Eunomia, Dice, Irene (*u*).

Et Jovis, & Themidos Horæ de semine natæ,
Eunomia, atque Dice, atque Irene dives.

Porrò tres illæ Divæ tres anni partes designant, ver, æstatem, & hyemem; dein temporis successu, cùm diem etiam in quinque partes distingui contigisset, Numina Horarum ad quinque creverunt; eademque occasione annus in quinque tempora secatus est. Tandem duodecim horæ totum diei spatium diviserunt, pro quorum numero

h Censor. de die natal.

i Plutar. in Solone.

k Herod. l. 1, c. 32.

l Εἷς ὁ πατήρ, παῖδες δὲ δυώδεκα. τῶν δὲ ἑκάστῳ Παῖδες τριήκοντα διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι. Αἱ μὲν, λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν, αἱ δ' αὖτε, μέλαιναι. Ἀθάνατοι δέ τε οὖσαι ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

m Τριετηρίς. Censor. de die natal. c. 18. Herodot. l. 1, c. 32; & l. 2, c. 4.

n Strab. l. 17. Ignorabatur annus eo tempore apud Græcos, quemadmodum & alia permulta; quousque juniores Astrologi ab iis ea acceperunt, qui Sacerdotum monumenta in Græcam linguam transtulerunt.

o Plin. l. 34, c. 6.

p Censor. cap. 19.

q Atticus occasum spectat, Babylonius ortum, Nox media Ausoniis, media at lux perplacet Umbris.

r Iliad. K. ...... παρῴχηκεν δὲ πλέων νύξ Τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται.

s Iliad. Φ. Ἀλλ' ἐπί τοι καὶ ἐμοὶ θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή Ἔσσεται ἢ ἠώς, ἢ δείλη, ἢ μέσον ἦμαρ.

t Laërtius ex Phavorino.

u Hesiod. Theogon. Δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν, ἣ τέκεν Ὥρας, Εὐνομίην τε, Δίκην τε, καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν. Αἵτ' ἔργ' ὡραίουσι καταθνητοῖσι βροτοῖσι.

rò & religio est aucta. Porrò ea superstitio multò vetustior apud Græcos, quàm apud Latinos fuit. Porphyrius, apud Eusebium *Præp. l.* 3, *c.* 11, duo horarum genera distinguit, Cœlestium nempè, & terrestrium; illas Jovis servitiis, atque Cœli ostiarias, has verò in satellitium Cereris collocat, canistros illi alios floribus plenos, veris emblema, alios spicis, æstatis indicium exhibentes constituit. Post invecta horologia, veteri nomine horarum abolito, signa appellata sunt; quæ scilicet statis intervallis in horologiis solaribus distributa, horas designabant.

Chronologia Latinorum.

Veterum Italiæ incolarum historia adeo spissâ caligine obvolvitur, ut veterum, atque recentiorum Scriptorum sedulas inquisitiones prorsùs fugerit. Ipsa urbis Romæ origo, & primorum illius Urbis Regum chronologia adeò in incerto versarur, ut quam potissimùm ineamus viam, ancipites hæreamus. Si Agatoclem Cyzicenum, Strabonem, & Cluverium audiamus, Æneam in Italia nemo vidit umquam; nulli *Numitoris* nepotes, Romulus, & Remus appellati; ac veri Urbis Romæ conditores Arcades illi habendi sunt, qui in Italiam ab Evandro adducti, ad ripas Tiberis substiterunt. Conditæ etiam Urbis tempus, non minùs quàm Conditor ipse, latet; cujus rei in causâ fuisse constat, quòd nullus apud Romanos Scriptor vetustus unquam, sive historiam, sive fabulam scripsit, uti Dionysius Halycarnassæus, sedulus præ omnibus antiquitatum Romanarum indagator, animadvertit [x]. Conditæ Urbis historia indagari diligentiùs cœpta est sub M. Porcio Catone, qui sub an. 559. U. C. Consulatum gessit. Cato verò epocham illam in anno 432 post Trojam captam constituit. Cùm tamen ejus expeditionis tempus, ad primam Olympiadem relatum, non usque adeo exploratum sit, nihilo proinde doctiores ex ejus labore circa tempus conditæ Urbis efficimur. Hanc igitur alii 384 annis post eversam Trojam constituunt, nempè 38 annis ante primam Olympiadem, vel quarto anno primæ Olympiadis, vel tertio, sive quarto secundæ, sive tertio sextæ, aut primo, vel secundo septimæ, & citiùs etiam seriùsve; nihil enim in eâ re certi.

x *Dionys. l.* 1.

Redigendi anni regula una eademque apud omnes æquè Italiæ populos non obtinebat [y]; apud Lavinos annus 374 dierum; apud Umbros 14 mensium erat. Romulus intra 10 mensium periodum annum clausit [z]; eumdemque morem. Albani secuti sunt. Ita annus 300 diebus constabat; cui initium in Martio, exitus in Decembri. Numa Pompilius ad 12 menses, nempè 355 dies prorogavit; quamquam Junius, apud Censorinum, hujus reformationis honorem (in qua duo menses Januarius, & Februarius cæteris adjecti sunt) Tarquinio Regi vindicat. Visum est etiam intercalarem diem singulis bienniis Februario adjicere, ut scilicet civilis annus ad naturalem reduceretur. Eâ ratione incommodo nequicquam occursum est; quare injunctum Sacerdotibus, ut quos opportunos judicarent, intercalares dies assignarent. Incuriâ tamen & inscitiâ Sacerdorum factum est, ut anni ratione malè successu temporis turbatâ, Julius Cæsar ipse per se novâ anni reformatione susceptâ, annum ad 365 dies, & 6 horas reduceret, assignatâ singulis quadrienniis die intercalari; hinc anno ad regulas Ægyptias conformato, nomen inditum, annus Julianus.

y *Censorinus de die Natali.*
z *Ovid. fast.*
Annus erat, decimum cum Luna receperat orbem. Hic numerus magno tunc in honore fuit.

Olim apud Romanos anni caput in Martio, dein in Januario constitutus (a). Quòd autem in Januario Sol ad nos regrediatur, ideò Ovidius.

a *Alex. ab Alex. Genial. dier. cap.* 24.

Principium capiunt Phœbus, & annus idem.

Novi Magistratus Provinciam a Januario non semper inierunt. Coss. P. Ebutio, & Q. Servilio, Reipublicæ serviriis addicti Calendis Augusti; sub Decemviris, Idibus Maji; dein usque ad secundum bellum Punicum, Idibus Decembris inaugurabantur, exinde dies destinata Magistratibus Idibus Martii. Quamquam cum Præfectis subinde consuetudo variavit, modò provinciam ineuntibus Calendis Julii, modò Octobris; tandem sub Augusto Calendæ Januarii in eam rem destinatæ sunt. Sub Nerone Imperatori illiberaliter assentante Senatu, novi Magistratus ad Decembrem remissi sunt, quò scilicet Principis natalis dies honoris accessione celebraretur. In rebus Religionis disciplina stabilior mansit, cùm prima semper Martii dies, anni Romulei exordium, innovandis laureis corollis ad fasces Consulis, & ante fores Regis Sacrificuli, Sacerdotum Jovis, & Vestalium celebris haberetur. Ea etiam dies Vestalibus perpetuo sacroque igni incendendo, quem illæ ignem curabant, sacra fuit.

Inconstans etiam apud Italos mensium ratio; Albani enim 36 dies Martio assigna-

gna-

gnabant, 12 Majo, 28 Augusto, 16 Septembri; Tusculani 36 Julio, 32 Octobri; Aricii 39 Octobri.

Martius, olim anni ineuntis caput, post reformationem Numæ tertius anni mensis, ut apud Albanos, effectus est. Apud Sabinos & Pelignos (Aprutii citerioris populos) idem mensis quartus erat in anno; apud Laurentes, & Phaliscos quintus; apud Hernicos sextus; apud Æquiculos decimus [b]. Ut mensium nomina sæpè immutarentur assentatio non raro fuit in causâ; ita *Quintili* & *Sextili* mensibus nomen Julii, & Augusti factum est; ex Aprili redditus Nero; ex Majo Claudius, ex Octobri Domitianus; ac tandem Tacitus e Septembri. Commodi nomen ab assentatoribus quibusdam mensi Augusto inditum; tum & Herculem de Septembri, Invincibilem de Octobri fecerunt; ita & Novembrem Exuperatorium appellari, Decembri Amazonium corrigit. Brevi tamen priscum singulis nomen, Julio & Augusto exceptis, redditum est. Anni tempora Romanis quinque fuerunt, ver, autumnus, æstas, hyems, & solstitium hyemale, sivè, cùm dies brevissimi sunt, *Bruma*.

Septimanæ apud illos ignotæ, solitos in tres partes menses dimetiri; Kalendas, Nonas, & Idus.

Kalendæ in primam singulorum mensium diem recurrebant. Mensium Martii, Maji, Julii, Octobris sex priores dies, ad Nonas pertinebant, cùm menses reliqui quatuor tantùm dies Nonis permitterent. Inter Nonas & Idus constans 8 dierum spatium erat; post Idus omnia ad Kalendas succedentis mensis referebantur.

Mos erat Ausoniis, vetustis Italiæ populis, a quibus in Romanos derivatus, ut diei terminos duas medias noctes constituerent; meridies in eum usum ab Umbris & Etruscis assignata. Seriùs horæ invaluerunt, cùm nulla de illis mentio in Lege 12 tabularum, juxta Censorinum, occurrat; quare 300 annorum spatio horæ a Romano solo fuerunt absentes. Dies itaque apud illos, sicut & noctes in quatuor distributæ partes, horarum defectum supplebant; quin & horis demum, clepsydris, atque horologiis introductis, verus tamen noctis in quatuor vigilias divisio in castris mansit. Neque incognita Romanis consuetudo, horis scilicet 12 inæqualibus diem ab aurorâ in vesperas, & noctem a vesperis in mane dimetiendi.

Pro variâ enim diei noctiumque ratione, modò dies excedentibus noctibus, modò noctes diebus, diurnæ præ nocturnis horis, & vicissim prorogabantur. Ita verò elaborata veterum horologia ferunt (c), ut horarum varietatem constanti semper fide monstrarent, adeò ut sexta semper hora in horologiis meridiano Soli responderet. Hujus inventionis honor Anaximeni Milesio, juxta ac supra innuimus, tribuitur.

Horologia Solaria ex quo potissimum Romæ cœperint, incertum; illud tamen constat, publica ex Siciliâ translata M. Valerium primum constituisse; cum autem, pro Siciliâ fabricatâ, Romano polo malè congruere deprehenderentur, L. Philippus alterum ponendum curavit. P. Corn. Nasica clepsydram constituit, qua dilabentes ad mensuram aquæ, cùm potissimùm nocte subeunte, sive deficiente Sole horologia solaria deessent, horas monstrarent. Exinde clepsydræ, rudes primùm, exactiores in dies constructæ sunt.

b Ovid. Fast. l. 3.
Quod si fortè vacat, peregrinos inspice fastos.
Mensis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Phaliscis.
Sextus apud populos Hernica terra tuos.
Inter Aricinos Albanaque tempora constat,
Factaque Telegoni mœnia celsa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Æquiculus acer.
A tribus hunc primum turba forensis habet.

c Alex. ab Alex. Gen. dier. l. 4, c. 20.

Chronologia Hebræorum.

Cùm ad Hebræorum Chronologiam illustrandam nostra potissimùm studia ferantur, ea quæ in antecessum digessimus, omnia tanquam ad illam præludia reputanda sunt. Porrò de Chronologiis Chaldæorum, Ægyptiorum, Græcorum, & Romanorum nihil ad nos, nisi si quid illis cum S. Scripturâ.

Hebræorum populus seorsim a cæteris per Orbem Gentibus spectatus, vetustate originis suæ certâ documentorum fide assertâ plurimùm præstat. Primos enim Gentis Scriptores [ut nihil de superno afflatu dicamus] in eâ vixisse regione constat, in qua rerum ab exordio Mundi gestarum traditio, quàm alibi uspiam, incorruptior manserat: Chaldæi scilicet vetustatum suarum & Astronomiæ studiosissimi habiti sunt; nec parum illis instruendis primorum totius Orbis hominum consuetudo, quorum apud illos sedes, contulerat.

Abraham 75 annis ibidem immoratus est; qui sanè vir Patriarchas antediluvium, quibus cum primis illis hominibus consuetudo, auscultasse potuit. Isaac filius Abrahami, Rebeccam fœminam religiosam, in eâdem natam regione duxit; natusque ex eâ Jacob in Mesopotamiam veniens, omnia, quæ a patre suo didicerat, regionis traditio-

ditione altius impressit. Inde in Ægyptum Jacob descendens, ipse unà & familia universa ab incolis discretos semper & sedibus & consuetudine sese continuerunt; factam ubi a Josepho spem visitationis, & liberationis populi mente (*d*) versantes: *Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terrâ istâ ad terram, quam juravit Abraham, Isaac, & Jacob.* In hanc autem spem erecti Israelitæ, nihil habebant antiquius, quàm ut filios suos de rebus a Patriarchis gestis, eorum ætate, & genealogiis instruerent. d Gen. 1, 23.

Eodem temporis intervallo Deus sibi virum comparavit, cujus ministerio populum adiaretur, & singularium veritatum ad posteros traditio ab incorruptione, & oblivione, jam inter Hebræos gliscente, simplex & integra transmitti posset. Moyses, omni Ægyptiorum sapientiâ instructus, in traditione gentis suæ satis versatus, ad hæc superno afflatus spiritu, Patriarcharum omnium ante & post Diluvium ætatem describit, singulari fide & diligentiâ prosequutus historiam omnium, quæ sive ad Religionem, sive ad Rempublicam Judæorum, ab exordio Mundi ad suam usque ætatem, pertinerent.

Post Moysem historiæ series, minùs quidem constans, satis tamen ad dirigendam chronologiam & historiam usque ad Cyrum, perseverat. A Cyro usque ad Darium, & a Dario usque ad Macchabæos, Sacra Historia quiescit. Hnic autem Chronologiæ illud potissimum commodi accedit, quòd Divino testimonio confirmata, omnem ab epochis suis, in Scripturâ expressis, suspicionem removeat; quare fixæ in illâ epochæ & certæ plures occurrunt: vix autem quidquam in historiâ prophanâ legitur, quod validis in contrarium argumentis non impugnetur.

Historiæ tamen Sacræ & prophanæ consensus, res est in Historiæ Sacræ studio operosissima, simulque ardunm monumenta seligere, ad quorum fidem Chronologia Scripturæ ducatur. Cùm enim Hebraica veritas, Versio Septuaginta, ac Textus Samaritanus secum ipsi repugnent, quinam potissimùm inter illos seligendus sit, ægrè admodnm discernitur.

Quod tamen ad conciliationem utriusque historiæ Sacræ, & prophanæ pertinet, non est cur res illa magni momenti habeatur, quamquam enim utramque inter se in omnibus, sive in multis convenire, e re Christianâ habetur, si tamen ejus difficultatis pondere pressi deficiamus, totius rei invidia in historiam prophanam recidet, cui de Divinæ Scripturæ authoritate præjudicatum est. Studio tamen nostrorum Chronologorum eò res adducta est, nt de fœdere illo tandem conciliando non desperemus.

Illud etiam fateamur oportet, in re historicâ, & Chronologicâ ardua, & repugnantia non semel occurrere, cùm ipsæ inter se prophanæ historiæ repugnent. Quis planè inter se conciliet varios de veteribus Imperiis Scriptores, sicut & de bello Trojano, de expeditione Argonautarum, de primis Græciæ Regnis, de vitâ Cyri &c? Ut autem datâ proportione pares in Libris Sacris difficultates occurrere, Deo sic permittente, contigit, ita plures in speciem repugnantes textus in illis occurrunt, quibus conciliandis omnes ingenii, & scientiæ suæ nervos Commentatores intendunt. Cave tamen credas, de conciliatione utriusque historiæ negocium actum planè esse, atque rei difficultatem conatus omnes & studium eludere. Inconsultâ sanè utuntur religione, qui historiam prophanam eliminandam prorsùs, nullumque illi cum Sacrâ commercium permittendum edicunt: *Actum esset de Chronologiâ Sacrâ*, ait Scaliger, *si absque exoticis monumentis foret. Quod cùm sapientissimi Scriptores Tatianus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Africanus, Eusebius, aliique animadvertissent, omninò sine exoticâ historiâ intervalla Sacra deprehendi posse desperarunt. Dicatur igitur tumidis buccis & elato supercilio, atrocem injuriam Spiritui S. irrogari, si Historia Sacra ab exoticâ subsidium petat. Quasi illa magna ignominia sit, si Historia exotica Sacræ ancilletur.*

Restat ut de eligendo Textu ad dirigendam Chronologiam agatur; in qua tamen controversiâ, post assertam a Concilio Tridentino Vulgatæ authoritatem, maximè cùm ab Hebræo textu, quo Judæi utuntur, illa non discrepet, nihil est quòd ambigamus. Neque nos latet, quantùm olim versioni Septuaginta delatum sit, cui veteres Patres fere omnes, & Historici Ecclesiastici accedunt; sed ejus obsequii in causâ fuisse credimus, quòd eorum ætate Hebraici textûs cognitio rarissima esset, atque Versio Græca, originalis loco, apud illos haberetur.

Pauca modò de anno Judæorum; in quam rem, ut sine ambagibus procedamus, tempora distinguantur oportet. Ante Legem eadem anni ratio apud Hebræos, & Ægyptios obtinebat; in Ægypto enim nutritus populus, vix aliam annorum formam, quam Ægyptiam, nosse poterat. Moyses in supputatione temporis, quo Diluvium duravit (*e*), e Gen. vii.

anni

anni Hebraici formam ad 365 dies redigendam demonstrat; annum verò 12 Menses, menses 30 dies dimetiebantur; postremus mensis 35 diebus constabat. Nullus apud illos intercalaris mensis, nisi cùm post 120 annorum periodum annus 30 solidis diebus exorbitaret [f]; in Scripturâ tamen nihil de intercalari, sive decimo tertio mense.

Post egressum ex Ægypto, eodem manente anno civili, alter in usum religionis, ad solares partim, partimque ad lunares regulas digestus, annus invectus est. Ejus caput in Vere; atque primi mensis dies decimaquarta (qui nempè mensis septimus erat anni civilis) Paschali solemnitati sacra habebatur. Quæ tamen anni lunaris forma apud Hebræos, in usum religionis introducta, nonnisi post Alexandrum Magnum productis argumentis demonstrari potest. Ex Ecclesiastico (g) enim, Macchabæis, Josepho, Philone intelligimus, Græcorum apud Hebræos annum obtinuisse, solarem nempe lunaribus mensibus constantem [h]: *Universi Græci annos juxta solem, menses verò, & dies juxta lunam agebant.* Paria apud Maimonidem legas: *Menses anni, menses lunæ; anni autem, quos nos computamus, sunt anni solis.* S. Joannes (i) annos & ipse ex lunaribus mensibus 30 dierum supputat, tres enim annos & dimidium reddere dicit 1260 dies, quot planè reddunt 42 lunares menses.

Nonnisi post invectum Talmudem, anni lunares tantùm, ope intercalarium mensium, singulis trienniis ad solares redacti, apud Hebræos obtinuerunt. Menses illos intercalares *ve - Adar*, vel secundum *Adar* appellant. Ad eam normam redigenda sunt, quæ de annis Hebræorum hodie usque apud Rabbinos feruntur. Constat autem annus ille 12 mensibus cavis & plenis, nempe 29 & 30 dierum alternatim. Porrò menses illi lunares, juxta Rabbinos, non è congressu solis cum lunâ, sed ab ipsâ lunæ phasi ducebantur. Certi enim viri, inquiunt, mercede conducebantur, ut e montium vertice ejusdem phasis punctum observarent; metu verò ne quid de præcepto festi ineunte mense celebrandi negligeretur, gemini, ut quidam ferunt, dies festi celebrabantur, quorum alter dies *latentis Lunæ*, alter dies *apparentis Lunæ* appellatus est. Scitè admodum observat D. Toinardus (k), hæc tantum servari consuevisse in Provinciis locisque ab urbe Jerosolymâ remotis; quæ enim ad Urbem & loca adjacentia spectabant, præscripto Domûs judicii dirigebantur. Opinionem illam suam Rabbini fulciunt textu 1 Reg. 20, 5, alibi a nobis examinando. De viris, quibus certum assignabatur pretium, ut phasim astrorum specularentur, scriptum creditur illud 1 Par. 12, 32: *De filiis Issachar viri eruditi, qui noverant singula tempora ad præcipiendum, quid facere deberet Israël, Principes ducenti: omnis autem reliqua Tribus eorum judicium sequebatur.*

Anni civilis Hebræi, & Ægyptii ab autumno periodum auspicabantur; ex quo labentis æstatis, atque collectorum fructuum tempus, exitus sive revolutio anni a Moyse appellatur [l]. Apud Ezechielem (m) sermo est de ineunte anno civili, quod anni tempus Judæi usque hodie *Rosch hasana* appellant; ducit autem exordium annus a Tizri, qui Septembri respondet. Diluvium cœpisse dicit Josephus secundo mense anni civilis (n); quem Macedones Dios, Hebræi Maresvam appellant [Octobri fere respondet]. Post constitutum a Moyse anni Sacri in mense Nisan caput, pristina ratio civilis anni ab autumno ducendi mansit. Festum Expiationis, quod in decimum diem Tizri incidebat, [Tizri Septembri, & Octobri respondet] institutum creditur in memoriam lapsûs Adami; quæ si vera sint, mundus ab autumno cœperat.

Septimanarum tria sunt apud Hebræos genera: I, quòd 7 annorum periodo constat, anno Sabbatico dein succedente, quo scilicet a terræ culturâ feriaretur, II, annus Jubilæi, 7 annorum septimanas, nempè quadraginta novem annos complectens; III tandem septimana dierum. Porrò Jubilæi annus tantumdem ferè apud Hebræos habebatur, ac magnus annus apud Ægyptios; æquè autem civilis erat, & sacer. Dies a vesperâ in vesperam agebatur. Moyses civilem diem, binis commemoratis terminis, describit: *Vespere & mane*; dies enim a vesperis ortus, in mane, nempè in totum diem desinebat. Inter sacros civilesque dies distinctio apud Moysem nulla; quare Festis diebus *a vesperâ in vesperam* ductis, *a vesperâ in vesperam celebrabitis sabbata vestra*, eosdem diebus civilibus terminos constituisse oportet. Festa igitur *inter duas vesperas* inibant, sole scilicet in vesperas declinante. Nec Festis tantùm indicandis voces illæ à Moyse usurpantur; quin & paribus pro vulgaribus rebus utitur: ita Deum immissurum coturnices *inter duas vesperas* prænuntiat (o); quas ipsas aves *vespere* advolitaturas paulò inferiùs repetit. Hæ igitur phrases unum idemque tempus designant. Primam septimanæ diem a vesperis init S. *Matthæus*, XXVIII, 1: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in primâ Sabbati*.

f *Vide Scalig. de emendat. temp. l.* 3.

g *Eccli.* XLIII, 6. *Luna ostensio temporis, & signum ævi; a Lunâ signum diei Festi, ... mensis secundùm nomen eius.*

h *Gemin. Isagog. c.* 6.

i *Apoc.* XI, 2, 3. XII, 6, 14. XIII, 5.

k *Toinard. Harmon. Evang. not. p.* 154.

l *Exod.* XXIII, 16. XXXIV. 22.

m *Ezech.* XL, 1.

n *Antiq. l.* 1.

o *Exod.* XXVI, 12.

Mos

Mos iste in factis Judæorum cæremoniis nunquam abolitus, ad Christianam Ecclesiam, in qua statum Officio tempus inter duas vesperas constituitur, transivit. Veteres quin etiam populi plures, exordiendi a vesperis diem consuetudinem servarunt, uti Athenienses, juxta Gellium [p], Galli, Germani, Numidæ, Lybiæ incolæ (q). De Gallis enim hæc Cæsar: *Spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt; & dies natales, & mensium, & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur* [r]. De Germanis Tacitus: *nam agendis rebus*, ait, *hoc* (nempè occasum Solis) *auspicatissimum initium credunt, nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant; sic constituunt, sic conducunt; nox ducere diem videtur*. Hujus moris vestigia in nonnullis veterum Germanorum monumentis supersunt, in quibus tres noctes pro diebus totidem numerantur. Hodie etiam apud Anglos est in moribus positum, ut septimanam nomine *Sennight*, ad literam *septem noctes*, designent (*ſ*). In Bohemia finitimisque regionibus, qua Poloniam respiciunt, hodie usque dies & horæ 24 a vesperâ in vesperam ducuntur. Veteres Poetæ semper noctem diei præferunt, quod & Moyses in Genesi observat, & Hesiodus in Theogoniâ (*t*) diem, e nocte marte genitum, designat. Arabes noctem diei sequenti tribuunt, diemque a nocte ineunt. (*u*).

Requisitus olim Thales Milesius (*x*), diesne, an nox, prior emersisset; noctem diei præcessisse respondit. In carminibus Orphei (*y*) nox hominum & Deorum matris elogio celebratur.

Thaleti planè oppositam sententiam (*z*) reposuit Gymnosophista quidam, ab Alexandro Magno pari quæstione pulsatus. Responsum verò admiranti Regi ait Philosophus: Ambigua quærenti, ambigua reponimus (*a*).

Post Judæam a Romanis subactam, tres apud Hebræos obtinuisse dierum rationes ferunt. I, Diebus Festis pristinus a vesperâ in vesperam mos servatus est. II, Civiles dies, a mediâ nocte ducti parem habebant exitum. III, Alios invectos dies a mane in mane contendunt; hi verò dies, inquiunt, in 12 inæquales horas pro remporum diversitate distribui, eademque in noctibus dividendis servata consuetudo. Hæc a Judæis pro more Græcorum & Romanorum servata sunt, quorum sicut jugum, ita & mores subjerunt;

Horologia & horarum ratio apud veteres Hebræos nulla apparent. In Moyse mane tantummodo, meridies, vesper, & nihil ultra occurrit. Solis declinantis tempus hac phrasi designat: *inter duas vesperas*; post occasum Solis: *vespere*. Alia dividendæ diei ratio in Libris ejus frustra requiritur; noctis spatium in tres partes distinctum legitur, *vesperas*, mediam noctem, & *custodiam matutinam* (*b*)

Sub Ezechiâ prima horarum mentio occurrit, cùm scilicet de Regio solari horologio agitur, in quo styli umbra per gradus quosdam discurrens, horas indicabat (*c*). Si quid aliud ante ea tempora de horis apud Septuaginta legatur, nomen illud non diei partibus, sed anni temporibus designandis, eodem quo apud Homerum, & Hesiodum sensu, usurpatum est.

In N. T. vigiliæ quatuor totum noctis spatium distinguunt (*d*); quod ita Romanis moribus acceptum est, ut apud Græcos aliquando obrinuerit. Quanquam non ratò pro quatuor tres tantùm noctis vigilias Græci observabant. Hanc dividendæ noctis rationem omnino vetustissimam esse, supra observavimus. De horis diei 12 sermo est Jo. (*e*) & Matth. (*f*), ut proindè inæquales diei horas, quales vulgò apud Romanos & Græcos obtinebant, in Judæam quoque invectas intelligamus.

p *A. Gel. l.* XIX, *c.* 2.

q *Apud Nic. Damasce.*

r *De Bel. Gall. l.* VI.

ſ *Stravel. Brev. Chonolo.*

t Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο. Οὓς τέκε κυσσαμένη Ἐρέβει φιλότητι μιγεῖσα.

u Pietro della valle let. XIV.

x *Apud Laërt. in Thalete.*

y Νύκτα θεῶν γενέτειραν, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν.

z Τὴν ἡμέραν ἔφη, ἡμέρᾳ μιᾷ πρότερον.

a *Plut. in Alex.* Τῶν ἀπόρων ἐρωτήσεων, ἀνάγκη καὶ τὰς ἀποκρίσεις ἀπόρους εἶναι.

b *Exod.* XXIV, 24. *Judic.* VII, 19. *Thre.* 16. *Vide & Pss.* 89, & 118, & 148.

c *Vide nostrum Comment. in* 4 *Reg.* XX, 11.

d *Matt.* XIV, 25. *Marci* VI, 48, XIII, 35.

e *Joan.* XI, 9.

f *Matt.* XX, 3. 4. 5. *Vide nostrum Comment. in Matt.* XVII, 45.



TABULA CHRONOLOGICA

HISTORIÆ LIBRI GENESEOS,

Juxta ſupputationem Uſſerii.

Anno Mundi

1 PRimus Mundi annos componitur cum anno 710 Periodi Julianæ, & 4004 ante Æram Chriſtianam.

Prima die Cœlum & terra, itemque lux creantur.

Firmamentum dividens aquas ſuperiores ab inferioribus creatur die ſecundâ mundi.

Aquæ in mare congregatæ aridam relinquunt.

Plantæ in horto Eden creantur die tertiâ mundi.

Item Sol, Luna, & aſtra die quartâ.

Quinta dies gignendis avibus & piſcibus &c. deſtinata.

Sexta terreſtribus animantibus, itemque homini. Adam nomina animantibus imponit. E viri coſtâ Deus fœminam format.

Septima dies, Sabbatum 29 Octobris, Deus ab opere quieſcit, atque diei ſeptimo tum benedictionem tum ſanctificationem impertitur.

Fœmina primùm in peccatum aſſentitur, cujus ſuaſu Adam in crimen pellicitur. Eidem fœminæ ab Adamo inditum nomen Evæ; utrumque verò Deus e Paradiſo pellit; eâdem facilè die qua in Paradiſum introducti ſunt, decimâ a creatione, & 1 Novembris.

2 Oritur Cain & Abel. *Geneſ.* IV, 1, 2.

130 Abel a Caino occiditur. *Geneſ.* IV, 8.

130 Oritur Seth. *Geneſ.* IV, 25.

235 Enos filius Seth naſcitur. *Geneſ.* IV, 26.

Inter Poſteros Caini, filios hominum appellatos, & poſteros Seth, dictus filios Dei, diſcrimen. *Geneſ.* IV, 26, collatum cum VI, 1, 2.

325 Cainan filius Enos naſcitur. *Geneſ.* V, 9.

395 Oritur Malaleel filius Cainani. *Geneſ.* V, 12.

460 Item Jared filius Malaleelis. *Geneſ.* V, 15.

622 Item Enoch filius Jared. *Geneſ.* V, 18.

68· Item Mathuſala filius Enoch. *Geneſ.* V, 21.

874 Item Lamech filius Mathuſalæ. *Geneſ.* V, 25.

930 Adam 930 annis grandævus moritur. *Geneſ.* V, 5.

987 Enoch poſt 365 vitæ annos a Deo transfertur. *Geneſ.* V, 23, 24.

1042 Seth annos natus 912 moritur. *Geneſ.* V, 8.

105 Noë filius Lamechi naſcitur. *Geneſ.* V, 29.

1140 Enos 905 annos natus moritur. *Geneſ.* V, 11.

1235 Cainan 910 annorum ſenex moritur. *Gen.* V, 14.

1200 Malaleel poſt 895 vitæ annos moritur. *Gen.* V, 17.

1422 Jared poſt 962 annos moritur. *Geneſ.* V, 20.

1536 Deus miſſo Noë conſilium ſuum de expetendâ e mortalibus ultione, immiſſo diluvio, ante 120 annos hominibus ſignificat. 1, *Petri* III, 20, & 2 *Petri* II, 5. *Geneſ.* VI, 3. Ejus juſſu Arca fabricatur.

1556 Japhet filius Noë naſcitur. *Geneſ.* V, 32, collatum cum *Geneſ.* X, 21.

Sem filius Noë naſcitur. *Geneſ.* V, 32. 1558

Lamech annos natus 777 moritur. *Geneſ.* V, 31. 1651

Mathuſala annos natus 969 moritur. *Gen.* V, 27. 1656

Hoc anno 1656 Diluvium contigit.

Noë Arcam cum filiis & animantibus omnibus ingreditur die 17 ſecundi Menſis, quæ cum die Dominicâ 7 Decembris componitur. Pluviæ 40 dierum & noctium ſpatio continuantur, totiſque 150 diebus terra nihil imminutis aquis inundatur; dein illis defluentibus Arca montibus Armeniæ inſidet feriâ 4, die 6 Maji.

Noë corvum emittit feriâ 6, 28 Auguſti.

Poſt 7 dies Noë Columbam dimittit, quæ eâdem die Arcam repetit; iterumque poſt evolutos 7 alios dies dimiſſa abit in diverſa.

Noë ſuperiori tecto Arcæ amoto feriâ 6, & 1657 —
die 23 Octobris; deinde feriâ 6, die 18 Decembris egreſſus eſt, ſolemni Sacrificio in gratiarum actionem oblato. *Geneſ.* VIII, & IX.

Arphaxad filius Sem naſcitur. *Geneſ.* XI, 10, 11. 1658

Sale filius Arphaxad naſcitur. *Geneſ.* XI, 12. 1693

Heber filius Sale naſcitur. *Geneſ.* XI, 14. 1723

Phaleg filius Heber naſcitur. *Geneſ.* XI, 16. 1757

Turris Babel conſtruitur. *Geneſ.* XI. 1771

Rehu filius Phaleg naſcitur. *Geneſ.* XI, 18. 1787

Reges in Ægypto poſt Miſraim filium Chami exordium ducunt. 1816

Sarug filius Rehu naſcitur. *Geneſ.* XI, 20. 1819

Nachor filius Sarug naſcitur. *Geneſ.* XI, 22. 1849

Oritur Thare filius Nachoris. *Geneſ.* XI, 24 1878

Aran filius Thare naſcitur. *Geneſ.* XI, 26. 1948

Noë annos natus 950, poſt finitum diluvium 350, moritur. *Geneſ.* XI, 28, 29. 2006

Abram filius Thare naſcitur. *Geneſ.* XI, 32, & XII, 1, 4. 2008

Sarai filia Haran fratris Abrami naſcitur. *Gen.* XI, 29 2018

Rehu moritur. *Geneſ.* XI, 21. 2026

Sarug moritur. *Geneſ.* XI, 23. 2049

Codorlahomor Rex Elam ſub jugum mittit Reges Sodomæ & Gomorrhæ &c. qui in obſequio manſerunt ſpatio 12 annorum. *Geneſ.* XIV, 4. 2079

Abram in urbe Ur in Meſopotamiâ vocatur. 2083
In eâdem urbe Thare ejusque filii Idolorum cultui ſe ſe addixerunt. *Joſue* XXIV, 2. Abram Haran Meſopotamiæ urbem unà cum Loth nepote ſuo, Sarai uxore ſuâ, & Thare parente venit. Ibi Thare annos natus 205 diem clauſit. *Geneſ.* XI, 31, 32.

Inde digreſſus, Chanaanitidem cum Sarâ & Loth ingreditur, annos agens 75. *Geneſ.* XII, 4. Ex quo exordium habent anni 430 peregrinationis. *Exod.* XII, 40, 41.

Fa-

2084 Fame deinde pellente in Ægyptum contendit, *Gen.*
xII, 10, uxorem suam Saram furoris nomine oc-
cultans; quare Pharao (Apophis) fœminam ra-
pit; sed vix agnitam uxorem Abrami, viro resti-
tuit.
Abram & Loth in Chananæam reduces mutuò
divulsi in diversa abierunt; Loth Sodumam, & A-
bram in vallem Mambre ad Hebron, *Genes.* xIII;
in quibus omnibus annorum ratio incerta.
2091 Hoc anno defectio Regum Pentapoleos in Co-
dorlahomor contigit, *Genes.* xIV, 4; quare bel-
lum a Codorlahomore in illos inductum. Loth
2092 captivus abducitur. Abram collectâ raptim manu
318 vernaculorum, Codorlahomeri opinato su-
perveniens, nepotem suum, ceterosque captivos
liberavit; reduxque eùm Salem venisset, benedictio-
ne Melchisedechi exceptus est. *Genes.* xIV.
Deus florentissimam posteritatem Abramo polli-
cetur. *Genes.* xV, 1, &c.
2093 Sarai famulam suam Agar in thorum Abrami
introducit gignendorum filiorum gratiâ. *Gen.* xVI, 2.
2094 Oritur Ismaël, *Genes.* xVI, 15, cùm Abram an-
num ageret 86.
2096 Arphaxad moritur post 403 annos ab ortu Sa-
lem. *Genes.* xI, 13.
2107 Fœdus Dei eum Abramo, cui promissiones de
filio divinitus factæ innovantur; nomen Abram
in Abraham, & Sarai in Sara transmutatur.
Circumcisio instituitur. *Genes.* xVII, 5, &c.
Abraham tres Angelos Sodomam contendentes
hospitio excipit. *Genes.* xVIII. Quæ deinde Urbs
unà cum aliis quatuor propinquis igne cælitus
dilapso conflagravit. *Genes.* xIX, 23. Loth ab
eo incendio liberatur, ejusque merito modicæ
urbi Segor parcitur.
Abraham in Bersabee confugit; deinde post aliquid
temporis Geraram.
Abimelech Rex Urbis Saram rapit, quam deinde
viro restituit. *Genes.* xx.
2108 Isaac nascitur. *Genes.* xxI, 2, 3.
Moab, & Ammon filij Loth eodem anno na-
scuntur. *Genes.* xIX, 36.
2113 Ismaël, duriùs habens Isaacum, ab Abrahamo
pellitur. *Genes.* xxI, 13, 14.
2126 Moritur Sale 403 annis post natum Heber. *Ge-
nes.* xI, 15.
2133 Abraham sacrificium filii sui Isaaci parat. *Ge-
nes.* xxII, &c.
2145 Sara annos 127 nata moritur, cujus unius fœ-
minæ integra ætas in Scripturâ exprimitur. *Ge-
nes.* xxIII, 1.
2148 Eliezer jussu Abrahami in Mesopotamiam pro-
ficiscitur, uxorem Isaaco quæsiturus. *Gen.* xxIV, &c.
Regum series in Argos Peloponnesi incipit.
Inachus primus Rex 50 annis regnat.
2158 Moritur Sem filius Noë 500 annis post na-
tum Arphaxad. *Genes.* xI, 11.
2168 Jacob, & Esau nascuntur, cùm Isaac eorum pa-
ter annum ageret 60. *Genes.* xV, 22. &c.
2179 Hycsi seu Pastores ex Ægypto facessunt; quo
nomine designari Phœnices, e litore maris rubri in
Phœniciam, juxta Herodotum, venientes, Usserius
autumavit. Veterum plures post Josephum ipsos
cum Israëlitis confundendos arbitrati sunt. Rex
2180 Ægypti, qui pastores expulit, Thetbmosis, sive
Amosis, 25 annis & 4 mensibus in inferiori
Ægypto regnavit. *Ita Manetho.*
2183 Abraham annum 175 agens moritur. *Gen.* xxV, 7, 8.
2187 Heber 430 annis post ortum Phaleg moritur.
Genes. xI, 17.
Deus Isaaco magna promittit. *Genes.* xxVI, 4.
In Geraris urgente penuriâ moratur. *Ibid.* ℣. 6.

Esau duas fœminas Chananæas uxores ducit. 2200
Genes. xxVI, 34.
Diluvium Ogygis in Atticâ 1020 annis ante 2208
primam Olympiadem.
Ismaël annos natus 137 moritur. *Genes.* xxIV, 17. 2231
Evechous apud Chaldæos imperare cœpit 224 an- 2242
nis ante Arabes. *Jul. Afric.* Usserius eundem
ac Belum existimat, qui postea a Chaldæis cultus fuit.
Isaac imprudens Jacobo pro Esau benedicit. *Genes.* 2245
xxVII.
Jacob Haran in Mesopotamiam concedit, sesque
Labani servituti in septem annos addicit, Rachelis
ducendæ gratiâ. *Genes.* xxVIII, 1, 2.
Esau cum Maheleth Ismaëlis filiâ nuptias cele-
bravit, ut patri indulgeret. *Genes.* xxVIII, 9.
Jacob unum post mensem servitutis cum Laba-
no Rachelem sibi conjungit; sed Laban pro Ra-
chele sororem Liam locat; septem tamen post dies
etiam Rachelem ipsi concedit. *Genes.* xxIX.
Ruben nascitur. *Genes.* xxIX, 32. 2246
Simeon. *Genes.* xxIX, 33. 2247
Levi. *Ibid.* ℣. 34. 2248
Juda. ℣. 35. 2249
Joseph Rachelis filius nascitur. *Genes.* xxx, 24. 2259
Jacobum cum suis Mesopotamiâ abeuntem Laban 2265
prosequitur, & septem post dies in montibus Ga-
laad tenet; ibi fœdus ineunt, atque ad rei me-
moriam lapides in tumulum erigunt. *Genes.* xxxI.
Esau occurrit Jacobo. *Genes.* xxxII, 6.
Jacob in terram Chanaan pervenit, & transit in
Salem Sichimorum Urbem. *Genes.* xxxIII, 18.
Benjamin in terrâ Chanaan oritur, & Rachel
mater, dum ipsum parit, moritur. *Genes.* xxxV,
18. Incertus annus; ejus ortus deferri potest ad
primum annum adventûs Jacobi in hanc regionem,
scilicet 2265.
Joseph 17 annos natus fratrum crimina patri 2276
denunciat; quare in se eorum invidiâ conflatâ
mortis periculum subit; ereptus statim nihilomi-
nus mercatoribus Ismaëlitis venditur, ab his in Ægy
ptum ductus, ac Putiphari venditus. *Genes.* xxxVII.
Joseph immeritò in carcerem conjectus somnia 2287
duobus ministris Regis Pharaonis, duobus ante si-
bi datam libertatem annis interpretatur. *Ge
nes.* xxxIX, & xL.
Isaac annos natus 180 moritur. *Gen.* xxxV, 28. 2288
Joseph Pharaonis somnia interpretatur. *Gen.* xLI. 2289
Totius Ægypti præfecturâ donatur. Ab hujus
anni messe septem fertilitatis anni numerantur; &
filiorum Josephi Manasse, & Ephraim ortus con-
sequitur. *Genes.* xLI, 50.
Septem annorum sterilitatis exordium. 2296
Jacob suos filios in Ægyptum ad comparandum 2297
frumentum mittit. *Genes.* xLII, 22, &c.
Iterum cum Benjamino dimittit. *Genes.* xLIII, 12. 2298
Joseph suis fratribus se prodens, patrem in Ægy-
ptum accersit, eisque terram Gessen tradit. Tunc
temporis agente Jacob annum 130. *Gen.* xLV, & xLVI.
Joseph pecuniam ex universâ Ægypto collectam 2300
in Regia Æraria infert. *Genes.* xLVII, 14.
Joseph, omnes Ægypti greges, quos Ægyptii, 2301
ut escas sibi compararent, divendere coacti sunt, Re-
gi emit. *Genes.* xLVII, 16.
Ægyptii agros suos omnes, suamque libertatem pro 2302
recipiendis escis Josepho vendunt. *Gen.* xLII, 20, 24
Jacob annum 147 agens moritur. Diversam Ephra 2315
imo, & Manasse, cæterisque filiis benedictionem
impertitur. Ejus corpus in terram Chanaan trans-
portatur. *Genes.* xLIX, & L.
Joseph annos natus 110, moritur. *Genes.* L, 2369
25. Ægypto præfuit, Regibus Tmoli, Amenophi,
& Oro.

Finis Historiæ in Genesim, continentis annos 2369.

COMMENTARIUS LITERALIS IN GENESIM.

CAPUT I.

Creantur Cœlum, Terra, Nox, Dies, Firmamentum, Aquæ, Plantæ, Arbores, Sol, Luna, Pisces, Aves, Animalia terrestria, & Homo.

℣. 1. IN principio creavit Deus Cœlum, & Terram. An. Mundi 1. Ante Christ. 4000. Periodi Julianæ 710. Ante Æram vulg. 4004.

COMMENTARIUS.

℣. 1. IN PRINCIPIO, &c. In Principio temporum Deus Cœlum, & Terram creavit, Creaturis omnibus, quà oculis subjectis, quà sub aspectum non cadentibus, stare jussis e nihilo. Ante rerum illud exordium, nihil extra se produxerat Deus. Ejus Verbum (*a*), & Sapientia (*b*) in ipso erant a principio, nempe ab æternitate, ante temporum omnem constitutionem; sed Creaturæ nonnisi in exordio temporum cursûs sui principium instituerunt.

Sapientiâ suâ ac Verbo Deus res omnes creavit, juxta traditum in S. Scripturâ dogma (*c*); ex quo Patres sanè multi (*d*) illud *In principio*, de Filio Dei interpretantur; ut sit sensus: Creavit Deus omnia in Filio suo, & per Filium suum, principium, causa, & creaturarum omnium exordium. Tertullianus (*e*) & S. Hilarius (*f*) docuerunt, Genesim a tribus illis vocibus exordiri: *Deus creavit Cœlum, & Terram per suum Filium.* Targum Jerosolymitanum habet: *Deus per Sapientiam suam, sive in Sapientiâ suâ creavit Cœlum, & Terram.* Sed expositiones istæ literales utique haberi non possunt; & Tertulliani ac S. Hilarii opinio ex ignoratione Hebraicæ linguæ deducta est. Aquila: *Deus creavit in capitulo* (*g*), statim nempe omnia simul, scilicet Cœlum & Terram, nempè totam Universi materiam.

CREAVIT DEUS: Vox illa *creare* duo significat in Scripturâ. I, e nihilo deducere. II, formam indere rei. Rabbinorum plerique, & Christianorum Interpretes ferè omnes in priori sensu usurpant; nec alia succurrit vox exactiùs designans reipsâ creationem, nempe transitum e nihilo, ut sumus, nisi apud Hebræos *Bara* (*h*), & Latinos *creare*. Ut in hanc interpretationem concedamus, facit Scriptura (*i*) simul & traditio. Designat interdum vox illa rei cujusque juxtà consuetas naturæ leges productionem, intimarum seu externarum partium dispositione atque œconomiâ immutatâ, uti in hoc capite vers. 21 & 27, ubi legimus, creatos a Deo pisces, & hominem. Sed alius hujus loci sensus. Oleaster vertit: *In principio Deus divisit Cœlum, & Terram.* Quæ ejus interpretatio a nemine adoptatur.

Recentiores quidam Critici (*k*) vertendum censent: *In principio, cùm Deus creavit Cœlum, & Terram, Terra erat informis*: seu: *Antequam Deus crearet Cœlum, & Terram, Terra erat informis.* Sed Versiones istæ & fidei repugnant, cùm æternitati materiæ faveant, & Textui Mosaico prorsus aversantur. Distinguit enim Moyses quæ interpretes illi confundunt; ait enim: *In principio creavit Deus Cœlum & Terram; Terra autem erat inanis & vacua*; & non: *In principio, cùm Deus creavit &c. Terra erat inanis.* Expungunt illi conjunctiones

(a) *Joan.* I, 1. (b) *Proverb.* VIII, 22, 23. [c] *Coloss.* 1, 16. *Hebr.* 1, 2. *Psalm.* XXXII, 6. *Joann.* 1, 3.
(d) *Vide Ambros. & Basil. Hom.* 1 *in Hexaëm. August. l.* 1, *c.* 1. *de Genes. ad lit. & de Civit. l.* 11, *c.* 1, & 33. *Hieronym. quæst. in Psal.* 39, 11. *alii.* (e) *Contra Praxeam: Ajunt quidem, & Genesim in Hebraico ita incipere: In principio Deus fecit Filium.* [f] *In Psalm.* 11, *n.* 2. *Bereschit verbum Hebraicum, tres significantias in se habet; In principio, & in capite, & in filio. Vide Hieron. quæst. Hebr. init.*
(g) ἐν κεφαλαίῳ. *Basil. in Hexaëm.* ἐν κεφαλαίῳ, τουτέστιν, ἀθρόως, καὶ ἐν ὀλίγῳ. *Ambros. Hexaëm. in brevi, & exiguo momento.* (h) ברא *Bara. Septuag.* ἐποίησεν. *Aq. Sym. Th.* ἔκτισε. (i) 2 *Maccab.* VII, 28.
(k) *Grot. Vat. Rab. quidam.* בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארצ: . *Septuag.* ἐν ἀρχῇ ἐποίησε .... &c... ἡ δὲ γῆ. *Sym. Th.* ἐν ἀρχῇ ἔκτισεν.. ἡ δὲ γῆ.

Ѷ. 2. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & Spiritus Dei ferebatur super aquas.

COMMENTARIUS.

ctiones &, *autem*, adduntque *cùm*, contra fidem Mosaici Textûs, & veterum omnium Versionum.

In Hebræo pro *Deus creavit*, (*l*) *Dii creavit*; unde argumentum aliqui (*m*) deduxerunt pro adstruendâ in Trinitate Personarum Naturæ Divinæ singularitate: sed futilis hæc planè; vitia enim sunt Dialecti in Hebræo, sicut & in cæteris aliis, frequentissima; nec locus mysterium ullum poscit. Occurrunt interdum nomina plurali numero expressa, quæ, ex syntaxeos legibus, sensu minimè mutato, modò pluralia, modò singularia usurpantur, ut illud *Adonim* Domini, *Pnim* Facies. Vide Isai. XIX, 4. Gen. IX, 23, &c.

In ipso statim priori versu destruit Moyses invectam a Phœnicibus & Ægyptiis Mundi æternitatem, pariter ac divinam astrorum naturam; demonstrat enim invictissimè materiæ creationem, quâ positâ, utique de ejus æternitate sententia tollitur. Veram productarum rerum caussam detegit, refutans, saltem obliquè, eos, qui post ipsum, atomorum fortuito casu coëuntium systema invecturi erant [*n*].

De Spiritalium rerum naturis nihil habet; cùm enim, ait Sanctus Hilarius (*o*), rudes populos instituendos suscepisset, nihil illis nisi sensibile, & corporeum erat ingerendum. Vicissim autem Apostolus, divinus ille V. T. Interpres, altiora nobis revelavit mysteria, docens de Filio Dei: *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Quoniam in ipso condita sunt universa in Cælis & in Terrâ visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt* (*p*). Veteres Patres Græci & Latini ante S. Augustinum (*q*) docuerunt, Angelos Mundi creationem prævertisse; verùm S. Augustinus, cæterique ejus doctrinam sequuti (*r*) tenent, Angelos primâ die cum luce prodiisse. Angelos cum Astris matutinis Deum ab ipsâ sui creatione laudantes introducit Jobus c. 38. Eâdem ipsâ, quâ creati fuerunt, die, ab obsequio Creatoris recessisse illos, sentit S. Augustinus de Gen. ad lit. [*s*] qui pariter verba textûs, *Et separavit lucem a tenebris*, exponit de Angelorum perduellium a bonis & morigeris discretione.

Cœlum et terram. Duæ illæ voces simul junctæ totum Universum, & res omnes creatas in eo, quo nunc, statu designant; sed æquè pariter exprimere possunt corporum omnium materiam. Quò spectaret Moyses, in proximè subsequenti versu exponit: intelligimus autem, quantum capimus, *Cœli* nomine expressam tenuiorem & defæcatiorem quandam materiam, e qua compacti Cœli, Astra, Nubes, Aër, & Aquæ superiores; sicut & *Terræ* nomine designari crassiorem materiam, quâ terra, lapides, mineralia, & animalia constant.

Ѷ. 2. Terra autem erat inanis et vacua. Quæ hìc *terra* appellatur, nomenque deinceps terræ pariter obtinuit in Genesi, alia erat planè ab eâ, quam nunc eo nomine designamus. Informis enim reputanda est strues, ornamentis omnibus, quibus decoratur modò, penitus destituta. Hebræum habet (*t*): *Illa erat tohu, & bohu*; quæ duæ voces in Jeremia IV, 23, designant desolatam hostium excursione regionem. Vertunt nonnulli, *squallidam, vastamque solitudinem*. Septuaginta (*u*): *Terra erat invisibilis & incomposita*: seu *informis & confusa*. Aquila & Theodotion (*x*): *Erat inane & nihil*. Symmachus (*y*): *Strues sine motu*, sine actione & in *confusione*. Nihil planè meliùs exprimit sensum Textûs, quàm Chaos Veterum apud Poetas (*z*).

Tenebræ erant super faciem abyssi. Ne fortè reputaremus, Cœlum, de quo in primo versu, ornamentis suis & lumine, quo hodie nitet, decoratum fuisse, monet cautè Moyses, Cœli se nomine designare struem quandam indigestam & tenebrosam, obtegentem seu obvolventem undique aquas, nimirum aquarum materiam mixtam tunc adhuc & confusam cum terrâ, *abyssi* nomine designatâ. Terram circumfusis tenebris horridam describit Jobus sub ideâ infantis fasciis adstricti (*a*). Velut infantem in sinu matris reputat Eusebius in Psal. 89; addens, totam Creatoris virtutem explicandam fuisse, quò e sinu aquarum & extra abyssum, in cujus veluti carcere detinebatur, terra educeretur. Aquarum vorągines *abyssi* nomine designant Hebræi.

Spiritus Dei ferebatur super aquas. Veterum Patrum plerique (*b*) Spiritum Dei interpretantur tertiam in SS. Trinitate Personam, per quam motus & actio indita est materiæ; nec desunt Interpretes, qui in duobus hisce prioribus versiculis tres SS. Trinitatis Personas agnoscunt: *Deus* est Pater; *Principium*, Filius; *Spiritus Dei*, S. Spiritus. Alii (*c*) Spiritum Dei interpretantur validum quendam ventum, vastam hanc & latè stagnantem materiam, aquarum nomine designatam, agitantem. Divinum appellat Moyses, sive quòd a Deo missum agnosceret, sive quòd incredibili impetu ferretur; solent enim in Scripturis res quæ

(l) אלהים ברא (m) *Origen. S. Hieron. S. Epiphan.* [n] *Vide, si placet, Diodor. in nov. edit. Hexapl. p. 14.* (o) *Hilar. in Psalm.* XCI, *n.* 4. (p) *Colos.* I, 15. *&c.* (q) *Philo de opificio mundi p. 33. Origen. homil. 1 in Genes. Basil. homil. 1 in Hexaëmer. Nazianz. Orat. 38, & 42, alii.* (r) *Aug. l. 22 contra Faust. c. 10; & de Gen. ad lit. l. 3, c. 8, &c.* (s) *Aug. l. imperfecto de Genesi ad lit. 5, p. 100.* (t) והארץ היתה תהו ובהו (u) ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος. (x) *Aqu.* Κένωμα, καὶ οὐθὲν. *Quidam legunt in Th.* κενὸν καὶ οὐθὲν. *Vide nov. edit. Hexaplorum, p. 14.* (y) *Sym.* ἀργὸν καὶ ἀδιάκριτον. [z] *Ovid. Metam. 1. . . . . Rudis indigestaque moles,*

Nec quidquam nisi pondus iners, congestaque eodem

Non bene junctarum discordia semina rerum.

(a) *Job*, XXXVIII, 9: *Ubi erat cùm caligine illud* (mare) *quasi pannis infantia obvolverem?* (b) *Tertul. l. de Baptismo, Basil. homil. 2 in Genes. Aug. l. 13 Confess. Ambros. in Hexaëmer. l. 1, c. 8. Hieron. tradit. Hebr.* (c) *Tertul. contra Hermogen. c. 32. Theodoret. quæst. 8 in Genes. Severian. Gabal. orat. 1.*

quæcumque cæteris sui generis superiores divinæ appellari: ita legimus: *Montes Dei*, *cedri Dei*, *Opus divinum*, *homo Dei &c.* Spiritus iste Dei exprimit facilè virtutem Creatoris, qua materiæ motus inditur, ad certas leges & ad sapientiæ regulas ordinatus, ut scilicet partes singulæ materiæ adsignatum sibi in universo locum peterent intra sex creationis dies, formamque suam sibi unaquæque adsciscerer. Ita factum est, ut materiæ portiones, ut sibi quæque affines erant, vel minùs, cohærerent, vel segregarentur divellerenturque.

Quidquid veteres Philosophi disceptavêre de Spiritu motore, de animâ mundi, ac de amore, ipse est *Spiritus Dei, qui ferebatur super aquas &c.* Vox Hebræa, Latinæ *ferebatur* respondens, (*d*) sonat juxta nonnullos (*e*) plausum illum alarum, quo aves e. g. pullos suos ad tentandum volatum excitant. Defendunt alii (*f*), vocem illam apud Syros designare ovorum incubationem; usum autem illâ credunt Moysem [*g*] ad exprimendum calorem, motum, formam, ac vitam a Spiritu creatis rebus omnibus inditam. Chaldæus reddit: *Spiritus Dei insufflabat*; quod Philo (*h*) explicat de aëre super aquas incumbente. Tertullianus in Hermog. c. 32 legit: *Supervectabatur aquis*, quasi scilicet curru veheretur super aquas. Autumavit Cajetanus, Angelum super aquas discurrentem illas agitasse.

Aquarum nomine idem expressum hìc intelligimus, quod supra *abyssus* appellatum est, nempe vel informem Universi materiam, utì censet S. Augustinus (*i*), vel aquas terram undique obvolventes. Thales Milesius [*k*] & vetustissimi quique Paganorum Theologi, rerum omnium originem ab aquis repetunt: quod sub illo fabulæ emblemate de Thetide & Oceano rerum omnium parentibus docuerunt. Thales, qui omnium primus de hoc argumento, teste Cicerone [*l*] disseruit, sensit, Deum ipsum esse spiritum, qui unà cum aquarum materiâ res omnes sensibiles coagmentabat. Recepta tamen apud veteres Christianos sententia, utì supra insinuavimus, tenebat, S. Spiritum eâ, quâ pollet, virtute super aquas discurrentem, eas agitasse, inditoque illis motu & actione ad sapientiæ suæ exemplar & normam Creaturas singulas produxisse.

In primâ hujus Operis editione subjunximus hìc ideam quandam systematis Universi ad veterum Hebræorum mentem; cùm autem secundis curis adornatâ Dissertatione explicaverimus systema illud, quam Dissertationem ante Commentarium in Ecclesiasticum exhibemus; restat modò, ut aliquid tantùm attingamus de creatione Mundi, juxta systema Phœnicum, Ægyptiorum, veterumque Græciæ Philosophorum, quò hypothesi illorum cum Mosaicâ collatâ, tum eorum errores, cùm præjudicia, quæ Moyses evertenda suscipit, intelligamus, simulque deprehendamus vestigia illa veteris traditionis inter gentes relidua, sed fabellis corrupta & offuscata.

Tradit Diodorus Siculus [*m*], committi inter se Ægyptios de origine mundi disserentes; æternum enim alii & incorruptibilem autumantes, nunquam non extitisse homines defendunt; alii exordium suum habuisse contendentes, tenent & corruptioni obnoxium esse; homines verò è materiâ quadam coagmentatos in hunc ferè modum asserunt.

Olim ab ipso rerum exordio materia rudis erat indigesta, Cœlum Terramque indiscreta admixtaque ferens. Resolutis tandem vinculis, materia in suas partes distributa est, constituto ex earum œconomiâ Universo, eo planè, quem nunc spectamus, ordine. Aër motum inde suum auspicatus est, ignis celeritate suâ petiit superiora, ex quo Astra coaluerunt; humentes partes, atque terrestres simul mixtæ atque implicatæ tandiù detentæ sunt, quandiù circulari quodam & violento motu aquosæ partes sese explicantes, in mare simul omnes commigrarunt: quæ reliquæ erant crassiores solidioresque, aridam constituerunt. Hæc Ægyptii de creatione Mundi.

Eadem manebat sententia Philosopho Anaxagoræ [*n*], ejusque Discipulo Euripidi; docebant enim, ab ipso Mundi exordio confusa omnia in suum tandem ordinem distributa fuisse a superveniente quodam Spiritu. Porrò Spiritus iste ipsissimus est, quem Moysis Textus præfert: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Hunc Spiritum Ægyptii appellabant Jovem, vitam animantibus omnibus dantem, & res omnes producentem (*o*). *Mentem Divinam* appellat Cicero [*p*] Anaxagoræ sententiam recitans; ita enim ille: *Anaxagoras materiam infinitam* (docet); *sed eas particulas similes inter se, minutas, eas primùm confusas, post in ordinem adductas mente divinâ.* Platonici animam Mundi appellabant; quam scilicet animam in res creatas omnes diffusam, vitam, nutritionem, & motum suppeditare arbitrabantur. Ita hac de re S. Augustinus: *Vitalis creatura, qua universus visibilis mundus, atque omnia corpora continentur & moventur.* Plinius (*q*) aërem nuncupat, quo nomine designari pariter asserit a Græcis & Latinis. Eo Spiritu Cœlum, Terram, Astra, Homines, Bruta, Aves, Pisces animari, docet Virgilius [*r*].

(d) מרחפת על פני המים (e) *Septuag.* πνεῦμα Θεοῦ ἐπεφέρετο. *Alii* ἐπιφερόμενον. *Syr.* συνέθαλπε *incubabat, teste Basil. Hexaem.* 2. *ita & Diodor.* (f) *S. Hier. quæst. Hebraic. & Aug. l.* 1. *c.* 15. *de Genes. ad litter. Ambros. Hexaem. l.* 1. *c.* 8. *Basil. Diodor. vide sup.* [g] *Deut.* 32. 11. *Fag. Grot. & alii.*
[h] *Philo de Gigantibus p.* 287. (i) *Augustin. de Genes. contra Manich. l.* 1. *c.* 7.
[k] *Thales apud Laertium & Aristotel. l.* 1. *Metaphysic.* [l] *Tull. l.* 1. *de natura Deorum Thales Milesius, qui primus de talibus rebus scripsit, aquam dixit esse initium rerum; Deum autem eam mentem, quæ ex aquâ cuncta fingeret.* (m) *Diodor. l.* 1. *Biblioth. initio.* Οἱ μὲν γὰρ αὐτὸν ἀγέννητον καὶ ἄφθαρτον ὑποστησάμενοι τὸν κόσμον ἀπεφήναντο, καὶ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἐξ αἰῶνος ὑπάρχειν καὶ τὰ ἑξῆς. (o) *Apud Eus. l.* 14. *c.* 5. *& l.* 1. *c.* 7. Ἦν τὴν ἀρχὴν τὰ πράγματα ὁμοῦ πεφυρμένα, νοῦς δ' εἰσελθὼν αὐτὰ ἐκ τῆς ἀταξίας, εἰς τάξιν ἤγαγε (o) *Euseb. Præp. l.* III. *c.* 3. *ex Diod. Sicul.* (p) *Academic. quæst. L.* 2. [q] *Spiritus quem Græci nostrique eodem vocabulo aëra appellant; vitalem hunc & per cuncta rerum meabilem, totoque consertum, &c. Plin. l.* 2. *c.* 5.

[r] *Principio Cœlum ac Terras, camposque liquentes,*
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque Astra
Spiritus intus alit; totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus. *Virgil. Æneid.* 6. *v.* 727.

℣. 3. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux.

℣. 4. Et vidit Deus lucem quòd esset bona: & divisit lucem a tenebris.

℣. 5. Appellavitque lucem Diem, & tenebras Noctem: factumque est vespere & mane, dies unus.

COMMENTARIUS.

Thantus, quem Pseudo-Sanchoniaton [f] Theologiæ Phœnicum authorem constituit, principium rerum omnium ponit in aëre quodam tenebricoso, ceu vento quodam agitato, seu potiùs in aëre obscuro & subtili, tanquam vento, vel spiritu; ac in Chao, in abysso quodam obscurâ pariter & confusâ demerso. Is rerum status plurium sæculorum spatio; donec tandem Spiritus seu ventus, concepto quodam amoris erga principia sua igniculo, commixtus est cum illis; quæ sanè commixtio, desiderium seu amor appellata, rerum omnium causa fuit & principium, quamquam foetus hosce suos Spiritus nequaquam agnovit. *Moth* primus omnium ex eo connubio prodiit; è *Moth*, nempe è limo, semina rerum & creaturarum omnium materia derivata sunt. Unde hæc deduxerit Porphyrius, a quo Sanchoniathon procusus, ignotum mihi; non tamen a vero abludit, debere illum hæc omnia Phœnicio cuidam, seu potiùs Hebræo Doctori.

Aristophanes (t) paria fermè de rerum origine asserit, è veteri quodam, ut arbitror, Poëtâ deducta. Primi omnium, ait ille, Chaos & Nox; *Erebus* vel Infernus & vastus Tartarus. Nulla erant Terra, Cœlum, Aër; quippe quæ in vasto Inferni sinu condita manebant. Nox nigricantibus alis horrida, se ipsâ fœta ovum emisit, e quo exclusus amor aureis alis fulgens, turbini aëreo a ventis agitato simillimus. Amor cum Chao obscuro & alato in vasto Tartaro commixtus genuit homines, & in dias auras produxit. Antequam amor omnia simul misceret, nulli erant immortales Dii. E rerum admixtione illâ nati sunt Cœlum, Oceanus, Terra, & immortales Dii omnes.

In utroque hoc systemate postremo loco adducto deprehendere licet Chaos, quod plurium sæculorum spatio iners, motum tandem suum retulit a spiritu, qui inscius creatas res omnes produxit. Amor vel sympathia affines simul partes jungens, quibus naturalia tandem corpora enaluerunt, vetustos Philosophos non latuit. Plura in his omnibus occurrunt a narratione Mosaicâ non aliena, sicut & repugnantia etiam plura; ut illa quæ docent de inertiâ materiæ plurium sæculorum spatio.

℣. 3. Fiat lux. Nullâ augustiori phrasi infinitam Dei virtutem exprimere potuit Moyses, quàm illis: *Fiat lux; & facta est lux. Fiat firmamentum. Congregentur aquæ in locum unum, & factum est ita.* Quid, rogo, magis aptum ad ingerendam altissimam illam perfectionis, pulchritudinis, & gloriæ Operum Dei creatoris ideam, quàm verba Mosaicæ narrationis? *Vidit Deus lucem, quòd esset bona*, nempe pulchra. Hebræum enim *tob*, [u] pulchrum æquè & bonum designat. Hanc verborum granditatem admiratur Longinus in suo Opere de *Sublimi* c. 7.

Quærunt quid rei esset lux primâ die a Deo creata? Solem docent Rabbini; defendentes, ea, quæ versiculo 7 de creatione Solis narrantur, præteritæ narrationis veluti complexionem haberi oportere. Abs re quidem credi docet Origenes de Princip. l. 4, c. 1, tres priores a creatione dies Sole, Lunâ, & Astris fuisse destitutos. Alii verò [x] persuasi, Textum Mosaicum ad literam accipi oportere, cùm præfert Solem quartâ die coagmentatum fuisse, lucem quandam, seu lucidum corpus, a columnâ lucis, Israelitas in Deserto iter habentes per noctem deducente, non absimile, invehunt, cujus beneficio tres illi dies defectum Solis non sentirent. Suspicantur alii, primævam illam lucem tenue fuisse lumen, instar diluti illius fulgoris, quo terra prohibito, objectu nubium, Sole illustratur. Vel tandem lucem fuisse dubiam auroræ luci simillimam. Inter varias hasce opiniones, quam maluerit, sequi integrum est cuique.

℣. 4. Et divisit lucem a tenebris. Lux sensibile quiddam est & reale; tenebræ verò ipsa sunt lucis absentia & privatio; quare Moyses creatam quidem lucem dicit, tenebras non dicit. Porrò Deus duo illa segregavit, quòd naturam quandam indidit luci, adversam maximè & repugnantem tenebris; ex quo factum, ut inter se duo illa non cohæreant.

℣. 5. Appellavit lucem diem, et tenebras noctem; nempe ita appellari voluit ab hominibus. *Vocavit autem dictum est, vocari fecit*, ait S. Augustinus.

Factumque est vespere et mane dies unus. Dies artificialis noctis & diei circumvolutio est. Ita e nocte & die naturali constitit prima dies artificialis. Eâ die, sicut & aliis cæteris, nox diem

(f) *Sanchoniathon apud Euseb. Præp. l. 1. c. 10* ἀέρα ζοφώδη καὶ πνευματώδη. (t) *Aristophan. in Avibus pag. 573. Edit. Genev.* 1706.

Χάος ἦν καὶ νὺξ, ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον, καὶ τάρταρος εὐρύς.
Γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ, οὐδ' οὐρανὸς ἦν, ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις.
Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ ἡ μελανόπτερος ᾠόν.
Ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν ἔρως ὁ ποθεινὸς
Στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, εἰκὼς ἀνεμώκεσι δίναις
Οὗτος δὲ χάει πτερόεντι μιγεὶς νυχίῳ, κατὰ τάρταρον εὐρὺν.
Ἐνεόττευσεν γένος ἡμέτερον, καὶ πρῶτον ἀνήγαγεν ἐς φῶς, &c.

(u) טוב [x] *Hugo Victorin. Lyran. Menoch. &c.*

℣. 6. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & dividat aquas ab aquis.

℣. 7. Et fecit Deus firmamentum: divisitque aquas quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum. Et factum est ita.

℣. 8. Vocavitque Deus firmamentum, Cœlum: & factum est vespere & mane, dies secundus.

COMMENTARIUS.

diem præcessit. Hebræi dies suos ducunt a vespere ad vesperam; *vesper* noctem designat; *mane* diem. Nox ista exprimit tenebras ante creatam lucem regnantes. Textus habet *dies unus* pro *dies primus*. Hebraismus.

℣. 6. Fiat Firmamentum. Hebræum *Rakiah* (y), quod septuaginta vertunt *soliditatem* (z), & Vulgata *Firmamentum*, recentioribus Interpretibus plurimis est *expansum* vel *expansio*. Comparat non semel Scriptura Cœlum expansis velis: *Extendens Cœlum, sicut pellem* ait Psalmista CIII, 3: *Qui tegis aquis superiora ejus*. Isaias XL, 22: *Qui extendit velut nihilum Cœlos, & expandit eos sicut tabernaculum*. Vide capita XLII, 5, & LI, 13 ejusdem Prophetæ, sicut & Jeremiæ LI, 15. Verbum *Rakah*, unde *Rakiah*, usurpatur etiam (a) pro metallum malleo ducere; veluti si Moyses designare voluisset, Cœlum solidum esse corpus, atque compactum instar concamerati fornicis ex ære, malleatoris operâ ducto. Jobus (b) Cœlos comparat speculo fuso. Nec aliter de Cœlis egerunt Profani; Homerus enim (c) illud appellat Jovis ædem basibus æneis; & alibi Cœlum e solido ære.

Contendunt alii (d) Hebræum *Rakah* nunquam usurpari pro extendere, sed potiùs firmare, claudere, comprimere, quæ vocis significatio redditur in Syriaco; nec aliò spectarunt Septuaginta, & S. Hieronymus, vertentes, illi quidem *stereoma*, hic verò *firmamentum*. Patres quidam (e) autumarunt, Cœlum alterâ a creatione die appellatum fuisse firmamentum, quòd eâ die indidit Deus aquis soliditatem quandam, motibus omnibus & corporum cœlestium impulsionibus, ac præcipuè ignis, cujus sphæram supra Cœli hujus glaciem collocant, resistentem (f). Habent igitur Firmamentum perinde ac concretum glacie fornicem, infertis astris disseminatum (g). Hanc de illo ideam ingerit Moyses ipse ℣. 16, cùm narrat Deum condita a se Astra, Solem, Lunam in firmamento Cœli collocasse.

Firmamenti nomine intelligunt alii (h) aërem sivè atmosphæram, totum terræ spatium inter Cœlum & Terram tenentem; sivè tandem nubes (i), quibus intermediis aquæ superiores ab inferioribus veluti segregantur; superiores, inquam, aquæ, nempè pluviales, & inferiores, fluviales scilicet & maritimæ; quæ sanè interpretatio popularis est maximè. Cùm tamen firmamentum corpus indicet solidum planè & compactum, continendis aquis superioribus, segregandisque ab inferioribus aptum, eo nomine vel aëra, vel nubes designari vix credimus.

Porrò aquarum superiorum mentio tam frequens & luculenta recurrit in Scripturâ, ut illarum veritas in dubium revocari vix possit. Propheta de illis sæpiùs: *Laudate Dominum Cœli Cœlorum, & aquæ omnes quæ super Cœlos sunt*. Ps. CIII, 3. *Qui tegis aquis superiora ejus* (Cœli). Daniel III, 60: *Benedicite aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt, Domino*.

Agit Moyses infra de cataractis Cœli, reductis ad inundandam terram; & non una sit licèt Patrum ac Interpretum de hisce aquis superioribus sententia, æquè tamen omnes sentire par est cum S. Augustino: *Major est Scripturæ hujus auctoritas, quàm omnis ingenii humani capacitas* (k).

Autumavit Origenes (l), aquas superiores supra firmamentum in Scripturâ constitutas, quas Propheta ad laudes Dei invitat, non aquas reipsâ designare, sed beatos illos Spiritus in Cœlo versantes, quorum unicum est munus Dei laudes concinere; sicut e contra inferiores aquas abyssum tenentes, & in mari congregatas, designare Dæmones, quorum ingenium leve admodum, & procellosum aptissimè maris emblemate exprimitur. Sed Origenis allegorias Scriptores post illum plures solidè refutarunt, quas pariter tanquam fabulosas rejiciens S. Basilius (m) asserit, post hæc aquarum superiorum veritatem retineri oportere.

Quid autem aquæ supra firmamentum? Ut terram salutaribus imbribus irrigent, ait S. Cyrillus Jerosolymitanus Catechef. 9. Ut Solis & Astrorum coërceant ardorem, ne terræ noceat, autumant alii (n). Tenent insuper, eodem consilio Deum ingentem illam aquarum vim in mare congregasse, ut igni corporum cœlestium pabulum sup-

(y) רקיע (z) *Septuag.* στερέωμα. *Aq. Sym. Th.* (a) *Vide Exod.* 2, 9. ℣. 3, *& Num.* 16, 38. (b) *Tu forsitan cum eo fabricatus es Cœlos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt. Hebræus habet . . . Fabricatus es Cœlos, fortes sicut speculum fusum. Job* 37, 18 [c] *Iliad.* A. Διὸς χαλκοβατὲς δῶ; *&* Οὐρανὸν πολύχαλκον. (d) *Fuller. Clericus hic.* (e) *Theodoret. quæst.* XI *in Genes. Severian. Gabal. Orat.* 2. (f) *Theodoret. in Psalm.* CLVIII. (g) *Joseph. l.* 1, *c.* 1. *Antiquit. Basil. homil.* 3 *in Hexaëmer. Nyssen. l.* 1 *contra Eunom. Ambros. l.* 2 *in Hexaëm. Lyran. Menoch. Tirin. &c.* (h) *Vat. Drus. Grot. Est. Castalio.* (i) *Ita Rabbini quidam.* (k) *Aug. l.* 2 *de Genesi ad litter. c.* 5. (l) *Vide Hieron. ad Pammach. & Epiph. Epist. ad Joan. Jerosolym. apud eundem Hieronym.* (m) *Vide Basil. homil.* 3 *in Hexaëm.* τοὺς δὲ τοιούτους λόγους, ὡς ὀνειράτων συγκρίσεις, καὶ γραώδεις, μύθους ἀποπεμψάμενοι τὸ ὕδωρ νοήσωμεν.

℣. 9. Dixit verò Deus: Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt, in locum unum: & appareat arida. Et factum est ita.

℣. 10. Et vocavit Deus aridam, Terram: congregationesque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quòd esset bonum.

COMMENTARIUS.

suppeditaretur. Sedet aliis sententia (o) Deum receptacula illa in Cœlo constituisse, ut ad inundationem terræ per diluvium aquas suppeditarent. Suspicantur nonnulli, ad prohibendum mortalium obtutibus Empyreum, cujus fulgorem ægris oculis sustinere impares haberentur, aquas illas constituisse. Plures etiam contenderunt (p) aquas superiores ipsissimum esse nonum Cœlum; in quam sententiam laudantur S. Bonaventura, Ægidius Romanus, Nicolaus Lyranus, Tollatus, Cajetanus, Catharinus. Alii verò ingenuâ magis confessione fatentur, nullam nosse se opportunam aquarum superiorum rationem, nisi unam voluntatem Dei, eò aquas redigentis ad ornamentum universi.

Quæ sit superiorum aquarum natura juxta Patrum sententiam, satis ex his intelligimus; plerique enim tenebant, veras esse aquas, ejusdem cum maritimis & fluvialibus naturæ: quod satis insinuat Moyses, referens jussionem illam Dei, qua superiores ab inferioribus aquis ita divisit, ut illas supra firmamentum elevaret, has verò relinqueret in abysso. Demonstrat insuper non obscurè aquarum ejusmodi naturam, cùm asserit, Deum ad terram diluvio perdendam, revulsis Cœli cataractis, aquarum torrentes immisisse super terram. Refert S. Augustinus (q) quorumdam sententiam, autumantium aquas illas glacie concretas tantâ soliditate constringi, ut impulsionibus omnibus resisterent. Ipse verò Augustinus in eâ esse persuasione videtur (r) aquas illas non dissimilem referre naturam a vaporibus in aëra elevatis, qui levitate suâ & figuræ amplitudine in aëre veluti suspensi manent, vastaque illa nubium corpora spectantium oculis objiciunt. S. Gregorius Nyssenus in Hexaëmer (s) apertè asserit aquas illas nihil habere cum sublunaribus commune: & quamquam aquarum nomine designatas, nihil tamen ferre corporeum, nempe nihil crassum, sensibile, & palpabile.

Sed in his omnibus potuit utique Moyses ad popularem ideam sese accommodare: vulgus enim credit, aquas è Cœlo dilabentes suppeditari a cœlestibus quibusdam receptaculis; neque enim ascendentes e terrâ aquas oculis aspicere commodum est. Nonne simplicioris esset ingenii popularem hanc persuasionem adoptare, & phrases omnes Moysis ad literam interpretari? Nonne reputari utique posset, Deum, indito ab ipso rerum exordio aquis motu, vapores ingenti copiâ elevasse, qui deinde in pluviam concreti relaberentur in terram; eamque veluti legem in natura constituisse, quæ ad nostram usque ætatem maneat? Sublati in aëra vapores nubes formant; recidunt iterum in pluvias; quo sensu utique non semel tantùm, sed datâ semper opportunitate, aquæ superiores ab inferioribus separantur. An ultra aliquid excogitandum sit ad exponenda Scripturæ verba, nihil minus quàm philosophicum præferentia, ignoro.

Inferiores aquas ita constitutas olim censet (t) S. Augustinus, ut in nubes & vapores rarescerent; concretas deinde minus quàm antea spatium occupasse credit: ex quo factum reputat, ut terra nubibus istis & caliginibus antea obvoluta, veluti pondere illo levaretur; ac vapores pondere aucti & crassitudine, spontè in abyssos maris, cujus jam alveus effossus erat, vel sensim formabatur terrestrium particularum conglomeratione, defluerunt. Plerique tamen inferiorum aquarum nomine aquas reipsâ intelligunt: nihil habet Moyses de condensatione istâ partium; & cùm aquarum in unum locum coëuntium affluxum mare appellet, certâ inde consequutione deducimus, aquas illas eandem retinuisse naturam, antequam eò defluerent, quam postea prætulerunt.

℣. 9. Congregentur aquæ. Defendunt Hebræi verti hìc oportere *Deus dixerat* pro *Deus dixit*; aquæ enim in suo loco constitutæ fuerant secundâ a creatione die, cùm scilicet ab aquis superioribus discretæ fuerunt. Quid tamen inde? an fortè quòd discretæ fuerint eâdie, ideo statim confluxerunt in abyssos? Terræ illæ faciem adhuc obducebant, nec nisi tertiâ die defluxerunt in mare.

Vox Hebræa (u), quæ Latinè reddita est, *congregentur*, reddi æquè potest (x) *defluant*, quasi scilicet insinuaretur, proprio illas pondere in inferiorem terræ locum defluxisse. Vertunt alii *æquilibrentur* (y); Aquila & Symmachus (z) habent, persistant aquæ in eo consistentiæ statu, atque

(n) *Firmans locum cœlestibus,*
Simulque terra rivulis,
Ut unda flammas temperet,
Terra solum ne dissipent.

Vide Ambros. l. 2 in Hexaëmer & Severian. Gabal. Orat. 2 de mundi creat. &c. (o) *Quidam apud Bedam l. 2 de naturâ rerum.* (p) *Tirin. ex Bonfr.* (q) *Lib. 2 de Genesi ad lit. c. 5.* (r) *Ibid. cap. 4.* (s) *In Hexaëmer. sub initium.* (t) *De Genesi ad lit. l. 1, c. 12 in Hexaëmer.* (u) יקוו המים מתחת השמים (x) *Cajet. Jun.* (y) *Fuller.* (z) συςήτω τὸ ὕδωρ *Septuag. Th.* συναχθήτω.

℣. 11. Et ait: Germinet Terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Et factum eſt ita.
℣. 12. Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quòd eſſet bonum.
℣. 13. Et factum eſt veſpere & mane, dies tertius.

COMMENTARIUS.

atque in aſſignatum ſibi locum congregentur, terræ faciem liberam relinquentes. Scriptura [*a*], & Patres [*b*] ita ſæpè loquuntur veluti ſi aquæ virtute Dei ſuſpenſæ ſupra terram detinerentur, præſto ſemper ad vaſtandam inundatione terram, niſi prohiberentur a Deo.

Autumarunt nonnulli, terram ſub ipſum exordium rotundam fuiſſe ad circinum: totamque ejus faciem obduxiſſe aquas; tunc Deum virtute ſuâ èminentia quædam loca elevaſſe in montes, humiliora alia depreſſiſſe abyſſis deſtinata, quò defluentes innato pondere aquæ congregarentur. Et quidem ſi aquæ æquà undique altitudine terræ faciem texiſſent, quomodo utique in unum locum congregarentur, niſi aliæ aliis ſuperſtructæ veluti in montes protuberarent? (*e*) quomodo vi ventorum aliquando fluctus ad ſummas uſque nubes elevantur.

In locum unum. Aquæ omnes Mundi ſecretâ inter ſe communione junguntur. Amnes & fontes defluunt in mare, & maria ſimul omnia vel occulto vel aperto canali continuantur inter ſe. Perbibent Mare Caſpium cæcis ſub terrâ meatibus influere in Pontum Euxinum, vel in Oceanum, commune illud aquarum omnium totius Mundi receptaculum.

℣. 11. Germinet Terra herbam virentem, et facientem semen. Locus iſte geminatum habet ſenſum. I, Germinet terra herbas ſive plantas ſeminibus ſuis, & arbores fructibus fœtas, i. e. maturis fructibus onuſtas, & in eo perfectionis ſtatu, quo ad alimenta hominibus præſtanda nil reliqui deſideretur. II, Germinet terra herbas, ac ferat arbores, aptas productis a ſe ſeminibus & fructibus jacturas ſuas reparare ac multiplicare genus; veluti ſi Deus terræ virtutem indidiſſet germinandi, vel germina tantùm plantarum terræ commiſiſſet. Poſterior hæc ſententia probatur S. Auguſtino [*d*] & aliis nonnullis. Malunt tamen plerique, arbores & plantas ſeminibus ſuis & fructibus fœtas ac per omnia perfectas ſpectaculum ſui tunc primò in Mundo exhibuiſſe; terræ autem fœcunditatem, qua productas alit, fovet, novaſque ſemper producit, deberi impenſæ tunc a Deo benedictioni. Eorum errores, qui terræ Divinitatem quandam e ſinu ſuo omnia producentem agnoſcunt, deſtruit hìc Moyſes evertitque.

Quo anni tempore Mundus creatus fuerit, ambigitur. Ex Patribus plerique verno favent (*e*), quod etiam veluti definit Concilium (*f*) quoddam Palæſtinæ, juſſu Victoris Papæ celebratum. Primam diem veluti lætam quandam vernamque diem deſcribunt Poetæ (*g*).

Qui Autumnum præferunt (*h*), notant, apud Hebræos & Ægyptios anni civilis exordium eâ anni tempeſtate ad æquinoctium conſtitui; quod e patribus ſuis primoribuſque hominibus tenere ſe illi gloriantur. Eum morem in ſupputatione annorum veterum Patriarcharum ſequutus Moyſes, ſatis demonſtrat, vetuſtiſſimum & Mundo coævum illum reputare. Ad hæc, Adam ab ipſo ſui exordio juſtus ex tunc homo, alimentis indigebat, quibus proindè ſufficiendis neceſſe erat plantas & arbores in perfectionis ſtatu creari, quo ad cibum aptæ eſſent. Tandem dubitationem ſubmovet Deus, cavens ne Adam fructum certæ arboris tangeret, quibus utique fructibus fœtam arborem illam fuiſſe oportet, cùm Eva illos deguſtaret, deguſtandoſque traderet viro ſuo paulò poſt creationem. In hanc ſententiam conceſſerunt doctiſſimi Chronologiſtæ, Scaliger, P. Petavius, & ſapientiſſimi plures Interpretes.

Generatim tamen fateamur oportet, hanc quæſtionem ex illis eſſe, quæ fruſtra diſcutiuntur, ſecumque ferre neſcio quid repugnans; impoſſibile eſt enim, mundum ſex dierum ſpatio fabricatum undique vernum ſive autumni tempus retuliſſe. Quare ſi quid afferatur pro verno ſive autumni tempore, id ſanè verum erit uno ſingulari clymate atque unâ mundi regione inſpectâ; minùs tamen cum veritate conſtabit, ſi regio alia oppoſita habeatur præ oculis. Statuendum eſt igitur, Moyſem ſpectaſſe tantummodò locum, ubi Adam creatus

(a) *Job* 38. 11. *Jerem.* 5. 22. (b) *Greg. Nazianz. Orat.* 34. *Theodoret. in Pſalm.* 103. [c] *Aug. de Geneſi ad litt. l.* 1. *c.* 12. *& l.* 1. *contra adverſ. Leg. & Prophetarum.* (d) *Aug. de Geneſ. ad litt. l.* 5. *c.* 4. [e] *Cyrill. Hieroſ. Catech.* 14. *Baſil. in Hexaemer. Nazianz. Orat. in Nativ. Domini. Ambroſ. l.* 1. *in Hexaemer. Theodoret. quæſt.* 72. *in Exod.* (f) *Apud Bedam de ſexta ætate mundi.*

[g] *Ver illud erat, ver magnus agebat*
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri;
Cùm primùm lucem pecudes hauſère &c. *Virgil. Georg. l.* 2. *v.* 338. (h) *Vide Diſſertationem noſtram in Chronolog. Hebr. &c.*

Digitized by Google

ỳ. 14. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento Cœli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies & annos.

ỳ. 15. Ut luceant in firmamento Cœli, & illuminent terram. Et factum est ita.

ỳ. 16. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præesset diei: & luminare minus, ut præesset nocti: & stellas.

COMMENTARIUS.

creatus est. Et cùm de automnali mundi creatione aliquid asserimus, nihil aliud insinuamus, quàm autumnalem tempestatem respondisse loco, ubi Adam creatus est; vel saltem in eâ quæstione spectari tantùm Zodiaci signum, quod tunc Sol percurrebat: ita si fortè tunc Arietem solare astrum teneret, vernum tempus agebatur; si Libram, autumnale.

Creavit tunc pariter Deus in aliis mundi plagis arbores & plantas magis minusve provectas, juxta gradum frigoris & caloris in eo clymate regnantis. In Armeniâ e. g. ubi creatum Adamum constituimus, fructibus onustas arbores produxit; in regionibus septemtrionalibus germina tantùm erumpebant, foliis & fructibus nuda; florescebant alicubi, quòd vernum tempus ibi ageretur. Eadem fuit de animantibus ratio: singulæ mundi partes sua numero & genere, juxta regionis proportionem, habuerant; suffecit autem singulis apta loco & tempori alimenta. Facilè tamen Deus minorem, quàm vulgò credimus, animalium, arborum & plantarum multitudinem creavit. Vide infra ℣. 24. Sunt qui credant, terram ante diluvium æquum ubique situm ad axem Solis servasse, ut semper æquinoctium & vernum tempus ageretur. Hac de re alibi.

℣. 14. Fiant luminaria in firmamento. Judæi & ex Interpretibus plures (*i*) suspicantur, lucem & lucida cætera corpora primâ die coaluisse; quæque hîc narrantur, veluti supplementum esse eorum, quæ Sacer Author in tertio versiculo omiserat. Contendunt autem, ibi, sicut in primo versu, verbum *dixit* poni loco *dixerat*, familiari satis in linguâ sanctâ licentiâ; cùm enim illa nonnisi unicum habeat tempus pro indicando præsenti, imperfecto, perfecto, aoristis & plusquàmperfecto, occurrit non rarò, ut verbi certum tempus e contextu sermonis determinari oporteat. At illud *dixerat* substituendo aliquid e sententiâ de successivâ rerum creatione decedit, nihilque assignatur quartâ die creandum. Vide quæ diximus ad ℣. 3.

Fiant luminaria, et dividant diem ac noctem. Solis præsentia diem reddit, absentia noctem. Vicariam Soli operam in nocte præstant Luna & sydera; ita Sol & Luna noctis inter se & diei imperium partiuntur.

Sint in signa. Aëris vices ambo hæc astra designant, monentque quid nobis præstandum sit in terræ culturâ, [*k*] ac tandem tempestatum anni successionem demonstrant: *In tempora & dies & annos*. Distinguunt tempora, dies & annos. Noctem enim & diem discernimus absentiâ Solis & præsentiâ. Annos componimus septimanis, & mensibus, omnia ad normam certi cursûs Solis & Lunæ. Insinuare videtur Moyses, nihil in hominum actiones insistere, nihil in bonos malosque eventus agere astra; Solem & Lunam alienam habere a Numinibus naturam, ut nihil ab illis sive sperandum sive metuendum sit nobis. Id enim unicè spectavit Deus in eorum creatione, quò certam regulam temporum & anni tempestatum constitueret. Genus quoddam libri agnoscit in Astris Origenes (*l*), in quo futuri eventus omnes notentur, juxta fidem veteris Libri Apocryphi, inscripti *Oratio Joseph*, cujus hæc verba: *Lege in tabulis Cœli*. Plura hujus Authoris singularia notantur ex apocryphis Libris, suâ ætate probatis, deducta.

Ex eo loco Scripturæ Patres Astrologiam judiciariam falsi evincunt [*m*]. Sunt qui credant, illud *tempora* designare menses; nihil enim de illis alioqui dixisset Moyses: sicut etiam in Psalmo 104. 19. *tempora* loco mensium ponuntur: *Fecit Lunam in tempora*. Malunt alii designatum tempus cœtuum & solemnitatum; quam interdum significationem apud Moysem præfert Hebræum *Moked* (*n*). Cùm autem Liber Genesis præfationis loco sit ad Libros Legis, opportunum utique videbatur Judæis demonstrasse, Deum in ipso Mundi exordio præ oculis habuisse Legem; seu potiùs Deum certum tempus cœtuum Religiosorum sub Lege indixisse, ad normam cursuum astrorum, mensuram nostri temporis dirigentium. Instrumenta sive organa temporis appellat Plato (*o*) Solem, Lunam, & Planetas; & Horatius (*p*) Solem ait certam ducere regulam rerum agendarum ab hominibus ac Diis, moderari imperium marium & terrarum, præsidere anni tempestatibus.

℣. 16. Duo luminaria magna. Solis & Lunæ magnitudines nihil habent inter se commune; corpus est enim brevissimum Luna, si cum Sole astrisque cæteris comparetur. Sed hominum aspectui Sol & Luna præ cæteris aliis cælestibus corporibus mole præstantiores videntur, quòd nobis multò sint aliis propinquiores, atque ad nos magis pertineant: sive claritate suâ, sive aliis,

quæ

(*i*) *Cajetan. Catharin. Eugubin. &c.* (*k*) *Philo, de opificio mundi. p. 12.* (*l*) *Origen. in Genes. t. 3. edit. Huet. V. de not. ejusdem.* (*m*) *Basil. homil. 6. in Hexaëmeron c. 4. Aug. l. 4. Confess. c. 3. lib. 5. de Civit. c. 1. 2. 3. Theodoret. q. 15. in Genes. &c.* [*n*] מועד (*o*) *Plato de anima mundi* ὄργανα χρόνου. 3. (*p*) -- *Qui res hominum ac Deorum*
Qui mare & terras variisque mundum Temperat horis. Horat. l. 1. Ode 12.

℣. 17. Et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram.

℣. 18. Et præessent diei, ac nocti, & dividerent lucem, ac tenebras. Et vidit Deus, quòd esset bonum.

℣. 19. Et factum est vespere, & manè, dies quartus.

COMMENTARIUS.

quæ ab illis accepto referuntur, beneficiis. Hæc præ oculis habuit Moyses.

℣. 17. Et posuit eas in firmamento Coeli. Hebræus hujus loci in hunc sensum reddi potest: Hæc omnia in firmamento constituit; Solem, Lunam, Stellas; in communi autem versione ad Stellas tantùm sermo restringi videtur: *Posuit eas.*

℣. 18. Et præessent diei ac nocti. In Theologiâ Ægyptiorum (*q*) Sol & Luna perinde habebantur ac Reges septem Planetarum. Iisdem verbis utitur hìc Moyses, quibus infra ℣. 26, exprimit hominum super animantia cætera imperium. Sunt qui in Astris intellectûs aliquid agnoverint, quin & sententia, vitam illis & mentem adstruens, apud veteres plurimum obtinuit. Philosophorum vetustissimi, uti Thales (*r*) & Pythagoras; doctissimi & inclyti, uti Plato & Aristoteles [*s*], sicut & Stoici, autumarunt, Astris non tantùm suam fuisse animam, sed & mentem pariter, & beatitudinem; quin & in Deorum censu constituit Plato (*t*).

S. Clemens Alexandrinus (*u*) & Origenes (*x*) primorum Ecclesiæ sæculorum Scriptores, & alii plures recentioris ætatis Patres autumarunt, proborum malorumque operum gerendorum capaces esse stellas; habere autem illas majoris virtutis & sanctioris moris animas, quàm quæ in corpora amandantur. Alii tamen ex illis asseruerunt, animas illas reipsà in Astris insidere; alii verò persuasum habuerunt, dirigi tantùm ab illis Astra, sicut currus ab aurigâ. S. Augustinus (*y*), S. Hieronymus. S. Isidorus Pelusiota, & S. Thomas [*z*] quæstionem illam tanquam in medio positam habuerunt, an scilicet Astris sua esset anima assignata: nihil in hac re fide certum teneri asserit S. Thomas; nec sibi caverunt recentiores multi; quin affirmativam sententiam defendentes, animam rationis compotem Astris vindicarunt. Ita tenent Bodinus (*a*), Ricius (*b*), Tycho, Keplerus.

An priscis Judæis eadem sederet opinio, ignotum mihi: illud constat, Philoni Platonica omnia in eà re probari (*c*). Tenebat ille, astris insidere animam morum sanctitate inviolabili præditam: addit alicubi, spiritus esse purissimos; alibi tamen corporea esse affirmat (*d*). S. Paulus in Epistolâ ad Colossenses, Judæos quosdam arguit superstitiosum Angelorum cultum in Ecclesiam invehentes, docendo, ait Ambrosiaster in Epistolas Pauli, Astra Angelos esse. *Instantur, motum prævidentes stellarum, quas Angelos vocant.* R. Maymonides Astris animam pariter adstruit.

Eas quandoque phrases adhibet Scriptura, quibus opinio illa insinuatur; sed illas in sensu metaphorico usurpari oportet. Ita Moyses hìc scribit, Deum creasse Solem & Lunam, ut diei noctique præsiderent: & alibi (*e*) astra appellat Cœlorum militiam; quod etiam pluries in Sacrâ Scripturâ recurrit (*f*) ad designanda cœlestia corpora, divinis honoribus a Gentibus nonnullis culta; quod vestigium erat & veluti appendix opinionis de animâ astris inditâ ac divinâ illorum naturâ. Dominus sæpè appellatur Rex militiæ cœlestis; & ita a Prophetâ exhibetur, quasi Rex habens milites sub signis, simulque illorum lustrum instituens: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat* (*g*). Deus in Isaiâ (*h*) jussiones suas committit astris; minitatur, & pudore suffusurum se dicit Solem & Lunam, cùm Regnum suum constituerit in Sion & Jerusalem, ubi olim cultus Astris illis exhibitus. Jobus [*i*], David (*k*), & Daniel (*l*) Astra describunt laudum Domini pensum solventia. Levitæ (*m*) Dominum ita compellant: *Tu fecisti Cœlum & Cœlum Cœlorum & omnem exercitum eorum. Tu vivificas omnia hæc; & exercitus Cœli te adorat.* Ecclesiastes [*n*] ita Solem pingit: *Lustrans universa in circuitu pergit spiritus &c.*

Postrema hæc verba phrasim illam suppeditarunt S. Hieronymo (*o*), Solem esse animal quoddam, quod spirat & viget; ita vetera quædam MSS. cujus loco nova editio habet: Cœlum Spiritus est qui animat, viget, & spirat. In Psalmo 18. Sol pingitur velut heros, qui exurgens longo se itineri committit. Asserit Jobus xxv, 5: *Stellæ non sunt mundæ coram Deo*; & 15, 15: *Cœli non sunt*

(q) *Solem & Lunam septem stellis præesse arbitrantur.* Sext. Empyr. advers. Mathem. l. 5.
(r) Laërt. l. 1, in Thalete. (s) Idem Laërt. l. 8. (t) Plato in Timæo, & Epinomis p. 583.
(u) Clem. Alex. in Selectis e Propheticis. (x) Origen. passim, sed præcipuè l. 5. Περὶ ἀρχῶν. Et l. 5 contra Cels. Videsis Huet. l. 6. Origenian. quæst. 5, art. 3, & 4. (y) S. Aug. l. 2, de Genesi ad litt. c. 18, & in Enchirid. ad Laurent. Vide not. Guillel. Spencer. in l. 5, contra Cels. (z) S. Thom. l. 2, contra Gentes c. 70. (a) Bodin. in Theatro naturæ. [b] Ricius de animâ Cœli.
(c) Philo lib. Quòd somnia sint a Deo immissa; Vide & lib. de opificio mundi, p. 5. Διότι θεῶν ἀφανῶν τε καὶ αἰσθητῶν ἔμελλεν [οὐρανὸς] οἶκος ἔσεσθαι ἱερώτατος, & pag. 16. loquens de astris. οὗτοι γὰρ ζῶα τε εἶναι λέγονται, καὶ ζῶα νοερὰ μᾶλλον δὲ νοῦς αὐτὸς ἕκαστος, ὅλος δι' ὅλων σπουδαῖος, ἀνεπίδεκτος κακοῦ. Vide & lib. de Gigantibus. (d) Idem de opificio mundi p. 33, loquens de iis quæ fuerunt ante hominem in mundo; οὗτοι δέ τινες ἂν εἶεν ὅτι μὴ λογικαὶ ψυχαὶ φύσει αἱ μὲν ἀσώματοι καὶ νοηταί, αἱ δὲ οὐκ ἄνευ σωμάτων, ὁποίους συμβέβηκεν εἶναι τοὺς ἀστέρας. (e) Genes. 21, 1. (f) Vide Deut. 4, 19; & 17, 3, &c. (g) Psal. 146, 4. (h) Isa. 45, 12, & 24, 25, 22, 23. (i) Job. 38, 7. (k) Ps. 148, 3. (l) Dan. 3, 62, 63. (m) 2. Esdr. 9, 6.
(n) Eccle. 1, 6. (o) Hieron. in Ecclef. 1; Solem spiritum nominavit, quòd animet & spiret, & vigeat,

ꝟ. 20. Dixit etiam Deus: producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento Cœli.

ꝟ. 21. Creavitque Deus Cete grandia, & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundùm genus suum. Et vidit Deus quòd esset bonum.

COMMENTARIUS.

sunt mundi in conspectu ejus. Ex his duobus Testibus maximum opinioni suæ monumentum ducebat Origenes, sicut & ex illo Apostoli ad Romanos: *Vanitati creatura subjecta est, non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe*: quibus omnibus persuadebatur, astris suam esse animam affigendam. Metuebat facilè Moyses, ne fortè Hebræi Cœlos, Solem, & Lunam perinde respicerent, quasi despoticam haberent potestatem; ac proinde nihil habet antiquius, quàm ut Creaturas esse Dei ejusque imperio subjectas inculcet.

ꝟ. 20. PRODUCANT AQUÆ REPTILE ANIMÆ VIVENTIS, ET VOLATILE SUPER TERRAM. Hebræus habet (p): *Aves volitent super terram*. Intelligimus ex Scripturâ (q) pisces apud Hebræos in reptilium censum haberi. Ad volucres quod attinet, an communem cum piscibus ex aquâ originem habeant, ambigitur; seù potiùs e terra deducti eamdem habuerint materiam ac reliqua animantia quadrupedia, quæ vitam degunt super terram.

Sunt qui aquarum nomine intelligant aërem vel nubes (r), autumantes aves ex aëre productas fuisse, ut ex elemento, in quo maximè versantur, ex illo pariter constent.

Qui tenent, aves e terrâ productas fuisse, sententiam suam defendunt: 1, ex Genesis cap. 2, ubi legimus, Deum ex humo formasse animalia & aves &c. 2, Contendunt, Textum ꝟ. 20, quem modò versamus, nihil satis luculenter asserere de productione volatilium ex aquis, sed tantùm de piscibus: *Producant aquæ reptile animæ viventis & volatile super terram* (Hebr. *volent aves super terram*).

Interpretum plerique communem adstruunt piscibus & volucribus ex aquis originem, quibus favet Textus; maximè si ita reddatur. *Producant aquæ reptile* animæ viventis, *& aves (qui) volitent super terram*. Suppletur hìc relativum *qui*, nec abs re, quidem ad Hebraicam Syntaxim. Septuaginta, Chaldæus, Arabs, & Vulgata hunc eundem sensum prætulerunt. Eidem sententiæ maximè favet ꝟ. 21: *Creavit Deus cete grandia & omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundùm genus suum*. Opponit hìc Scriptura aves & pisces rerum cæterarum productioni e terrâ a ꝟ. 24 descriptæ.

Confert etiam veterum Christianorum traditio, integrum esse cuique docens in Quadragesimâ, volatilibus uti in cibum, ut scribit Socrates (s), S. Epiphanius, & Nicephorus. Volatilia non secus ac pisces nequaquam sibi interdicta putabant e priscis Monachis plures (t). Sed consequutionem istam e Patrum (u) opinione de communi piscium & avium origine deducere absurdum est maximè. Quandò enim certum teneremus, avium & piscium eandem fuisse ex aquis materiam, an illis indiscriminatim in cibum uti pœnitudini & corporis afflictationibus destinato tempore integrum esset? Quò verò ad quæstionem regrediamur, si Moyses volucrum originem adstruere voluisset e terrâ, eorum utique productionem constituisset sextâ creationis die cum reliquis e terrâ animantibus. Quod attinet ad illud Gen. 11, 19: *Formatis de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus Cœli &c.* locus ille commodè in eum sensum intelligitur, ut voces *de humo* ad animantia tantùm terrestria, non ad volucres, referantur, utì observat S. Augustinus de Genes. ad lit. l. 9, c. 1.

Sententiis hisce omnibus conciliandis, reputandum est, aves e terrâ formatos humente maximè, admixtoque humore fluente; ut proinde ex aquâ pariter & terrâ prodiisse rectissimè dicerentur. Ægyptii, authore Diodoro Siculo (x), asserunt, pisces primò formatos ex aquis, in aquis pariter mansisse; reptilia verò & terrestria cætera animantia, cùm e terrâ plerumque coaluerint, [illegible] frequentare; aves autem, quòd calore & ign[illegible] mentarentur, aëreas sedes tenuisse. Cùm [illegible] de sententiâ tantùm a Moyse expressâ ser[illegible] in præsenti, nos receptæ apud Patres [illegible]tationi inhæremus, nimirùm aves & pisces [illegible]munem habuisse ex aquis originem, quod literæ Textui magis cohæret.

ꝟ. 21. CREAVIT DEUS CETE GRANDIA. Hebræum תנינים *Tanninim* sepè redditur in Vulgatâ *Dracones* (y), nempe Dracones Marini; atque designare creditur ad literam genus quodcumque animantium mole corporis immane, quà terrestrium, utì sunt dracones, & serpentes (z); quà aquatilium, utì sunt balænæ, crocodili, boves marini, hippopotami.

Vox *cete* in nostram Vulgatam e Septuaginta receptum, denotat generatim marina quæcumque monstra, corpore immania, ac potissimùm balænas. Sunt porrò immaniora maris quàm terræ

(p) ועוף יעופף על הארץ *Septuag.* καὶ πετεινὰ πετόμενα. (q) *Ps.* 103, 26, 148, 10.
(r) *Vide superiùs* ꝟ. 2, *& S. Aug. l.* 3, *de Genes. ad lit. c.* 3. *Rup. Abb. l.* 1, *c.* 50, *de Trinitate*,
[s] *Hist. Eccl. l.* 5, *c.* 20. *Epiphan. in expositione fidei Catholica. Nicephor. l.* 12, *hist. Eccl. c.* 34.
(t) *Vid. Aimoin. de Gestis Franc. l.* 5, *c.* 10, *&* 34, *& Concil. Aquisgran. c.* 78, *& ep. Theodemari ad Carol. Mag. & vitam S. Gutberti.* [u] *Ambros. hymno ad vesper. Feria* 4, *& l.* 5, *c.* 14, *in Hexaëmeron. Cyrill. l.* 1, *in Genes. Chrysost. hom.* 7, *in Genes. Damascen. de fide orth. l.* 2, *c.* 9. *Basil. homil.* 8 *in Hexaëmer. Theodor. l.* 5, *Divin. decret.* (x) *Diod. Sicul. Bibliot. l.* 1, *c.* 1.
(y) *Ps.* 148, 7; *&* 73. 13; *&* 103, 26; *& Exod.* 7, 12. (z) נחש *Exod.* 7, 3, *collatum cum* תנינים *Exod.* 7, 9.

℣. 22. Benedixitque eis, dicens: Creſcite, & multiplicamini,
& replete aquas maris: aveſque multiplicentur ſuper terram.
℣. 23. Et factum eſt veſpere & mane, dies quintus.
℣. 24. Dixit quoque Deus: producat terra animam viventem in
genere ſuo: jumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundùm
ſpecies ſuas. Factumque eſt ita.
℣. 25. Et fecit Deus beſtias terræ juxta ſpecies ſuas, & jumenta,
& omne reptile terræ in genere ſuo. Et vidit Deus quòd eſſet
bonum.

COMMENTARIUS.

ræ cujuſcumque generis monſtra; aſseritque Plinius l. 32, 1. ſpectaſse ſe balænas 600 pedibus porrectas, & 360 latas. Tradit etiam, ſe oculatum teſtem ſpectaſse immanes adeò belluas, ut 4 jugerum ſpatium occuparent, & a longè proſpectæ ſpeciem exhiberent quaſi innatantis Inſulæ [*a*]; ſed P. du-Tertre aſserit, ſe nunquam vidiſse balænas 50 vel 60 pedibus longiores, quamquam alioqui 12000 maris leucas percurrerit.

Fabulantur Rabbini, Deum in ipſo mundi exordio geminas procreaſse immanes balænas, quarum una adhuc quotidianis ejus luſibus ſervit [*b*]; alteram verò jugulatam ſalitamque ſervat ad inſtructiſſimum in exitu mundi parandum Juſtis convivium. Porrò fabellis iſtis nec vetuſtas deeſt (*c*), nec aſserta in Libris Judæorum authoritas: Numquid tamen proinde credulis imponent?

Omnem animam viventem atque motabilem. Hebræus ad literam [*d*]: *Omnem animam animalis reptantis, quod aqua produxerunt*; piſces omnes & reptile quodcumque vivens ab aquis productum.

℣. 22. Benedixitque eis dicens: Crescite et multiplicamini. Animalia bruta excipiendis Dei juſſionibus inepta ſunt utique; ſed phraſes illæ exponendæ ſunt de fœcunditate inditâ illis a Deo, atque inſito a naturâ in multiplicationem generis ſui amore; ex quo rectâ conſequutione infertur, in eo ſtatim perfectionis ſtatu conſtituta fuiſse, quò divinis juſſionibus præſtandis eſsent comparata.

℣. 24. Producat terra animam viventem in genere suo. Virtutem quandam gignendorum animantium terræ aſserere videtur Moyſes [*e*], virtutem, inquam, illi non abſimilem, qua generis cujuſcumque animantia pro generi eidem ſuo promovendo pollent. In eam ſententiam inclinantes veteres Scriptores, appellarunt terram rerum omnium parentem; nec defuerunt qui animâ inſtructam crederent. Phraſes Moyſis ſatis cohærent in eâ re cum perſuaſione veterum Ægyptiorum [*f*], pro certo habentium, aquam & terram ſimul admixtas confuſaſque ad infimum terræ centrum proprio delatas pondere ruiſse; aquarum verò portionem e terrâ ſeparatam recepiſse ſe intra abyſsum, ex qua proinde Mare coactum eſt: quidquid reliquum eſset, unà cum terra confuſum limi quamdam ſpeciem, ſive humentis terræ exhibuiſse. Limum hunc ſolis ardor excoxit ſolidavitque, tum immodico æſtu affecta terræ, ſuperficies, protuberantes hinc inde veluti puſtulas emiſit, ad baſes humore quodam vel purulentis aquarum fœcibus exſudantes, ſuper aquas illas corruptas concreſcentes pelliculæ materiam quandam fermentatam & calore fotam tegebant. Humor calore fotus materiæ huic corruptæ indidit formam; erumpentiaque e pelliculis prodierunt cujuſcumque generis animantia, quæ velut e ſinu terræ nata videbantur. Cùm autem venti & ſolares radii humorem illum, quo terræ fœcunditas indita fuerat, diſſipaſsent, hæc jam effœta, ultra novi ex majoribus animantibus non produxit, inſecta ſolùm quædam minora ſufficiens a parentis defectum animantia ipſa ſuppleverunt, ſe invicem per generationem producendo.

Sunt iſta quidem riſu & miſeratione digna, aliena proinde a Moyſe, & ab eo maximè, quo intus agebatur, divino Spiritu; & quando populus non abſimiles opiniones adoptaſſet, ſat docuit Moyſes ad errantes illas ideas corrigendas, demonſtrans conceſſam hanc terræ virtutem Dei largientis beneficio accepto ferè deberi. Ex his occupantur univerſa Ægyptiorum præjudicia, atque errores; & Moyſes ſpeciem exhibet Creatoris, tanquam diſpotici naturæ univerſi Domini, animantibus, & telluri impartientis quidquid habent fœcunditatis & virtutis.

Vox *Jumenta*, Hebr. *Behemoth* (*g*) uſurpatur vulgò de animantibus domeſticis, & interdum etiam de feris. Cùm *Behemoth* opponitur *Chajach* [*h*], feræ, ut in hoc loco, deſignat tantùm animantia domeſtica.

Tenent nonnulli, ea, quæ hìc narrantur de terreſtrium animantium productione, referri ad ℣. 22, & ad quintam creationis diem. Nihil hìc de benedictione Dei animantibus iſtis impartitâ, qua collata fœcunditas & adoleſcendi virtus; verùm ſuppleri poteſt e verſiculo 22.

Sed numquid imperfecta quæque animantia ab ipſo rerum exordio creata ſunt? Occurrunt quandoque monſtra e coitu duarum diverſi generis belluarum nata, quæ licèt ab ipſo Deo minimè producta eſſe conſtet, rectiſſimè tamen ex illo prodiſſe dicerentur, quòd animantia, quibus originem ſuam debent, Deum habuerint Creatorem [*i*]. Occurrunt etiam alia, e corruptâ materiâ ebulliiſſe

(a) *Plin. l. 19. init.* (b) *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei, Pſal. 103. 26.* (c) *Vide 4. Exod. 6. 49. 50. & Talmud. &c.* (d) ואת גל נפש החיה חר משת *Septuag.* Καὶ πᾶσαν ψυχὴν ζώων ἑρπετῶν.
(e) *Vide quæ diximus in ℣. 2.* (f) *Diod. Sicul. Bibl. l. 1. c. 8.* (g) בהמות (h) חיה
(i) *Rupert. l. 1. de Trinit. c. 57.*

℣. 26. Et ait : Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli, & bestiis, universæq; terræ, omnique reptili, quod movetur in terrâ.

COMMENTARIUS.

ebulliisse creditâ; quæ sanè ooo immeritò S. Augustinus (*k*) e censu animantium in creatione productorum excludit. Sunt taodem alia, quorum tribuitur productio terræ, plantis, herbis, quorum esse creatorem Deum, & ab ipso rerum exordio ab illo formata tenet idem S. Augustinus. Recepta tamen inter oostrates Philosophos opinio negat, e corruptione materiæ animantia quæcumque nasei posse; defendunt insuper, nulla esse animantia in suo genere non perfecta; nasci tandem omnia ex ovo: quis ergo ab ipso rerum exordio animantia illa a Deo producta neget?

Ad carnivora quod attinet, probabiliter credimus, nullum fuisse illis carnium usum ab exordio. Nulla suot, quibus herbæ & legumina non sufficiant ad alimentum [*l*]; oec facilè alia aliarum carnibus exsaturari cœperunt, nisi post animantium propagationem (*m*).

Tenent aliqui cum S. Gregorio Nysseno [*n*] & S. Augustino (*o*), Deum undique per Orbem dispersa animalia frequenti numero creasse, quòd Creatoris augusta illa magnificentia exposcere maximè videtur. Patribus tamen aliis pluribus (*p*) contraria omnia placent, rara videlicet fuisse ab exordio animantia; quio & gemina tantùm e singulis generibus producta, marem scilicet, & femellam, asserunt Theodoretus & Procopius. Deus planè marem tantùm & femellam coram Adamn in Paradiso produxit; bioa pariter è singulis generibus iotroduxit in Arcam; eorum verò, quorum esset in sacrificiis usus, septem. Minor profectò est, quàm pro opinione, primitivorum animantium numerus; neque enim genera omnia Luporum, Canum, & Felium ereasse Deum opus fuerat. Commodè illa in unum certum genus convenire possunt, & ex uno derivari, ut homines temperamento, colore, figurâ, vultu, proceritate varii inter se, ab uno Adam & Evâ. Res tandem poscebat, ut ad hominum mensuram bruta quoque sufficereotur; quorum proinde genus multiplicari oportebat ad hominum multiplicationem: quomodo enim alioqui aucta numero animantia subdere sibi homo post crimen valuisset, nec illis superioribus numero & viribus eedere?

℣. 26. FACIAMUS HOMINEM AO IMAOINEM, ET SIMILITUDINEM NOSTRAM. Veteres Hebræi docebant, hic Deum consulere *domum judicis sui*, nempe Consiliarios suos. Domious Regum more nihil inconsultis lateri suo adsistentibus Angelis molitur. In Theologiâ Chaldæorum Deus sine Angelis præstat nihil (*q*). Deum tamen peculiarem sibi Creatoris prærogativam cum Angelis suis, & eum iis, quos convenit illis verbis, *Faciamus hominem*, communicare voluisse, quis, nisi blasphemus, reputaverit? Nec minori in Deum injuriâ suspicaremur, Angelos æquam referre cum Deo ae per omnia similem naturam: *Ad imaginem & similitudinem nostram*.

Autumavit Plato (*r*) Deos inferiores commisso sibi a summo Deo munere animam pariter & corpus formasse; nec dissentit Philo (*s*), tradens, Deum hominis formationem suscepturum, Potestates inferiores convenisse; quibus opificibus debetur quidquid malum est in homine, natura nempe corrupta. Platonica hæc sunt maximè; quippe quòd doceat Plato, Diis inferioribus accepto referri animalem illam animam, quæ passionum sedes est, & receptaculum. Nec ex aliis fontibus facilè hausit Tertullianus (*t*), cùm asserit, quidquid rationis capax est io animâ, a Deo esse authore; adversa verò omnia a Dæmone. Hæc quoque dogmata sancta erant Manichæis aliisque nonoullis Hæreticis.

Constat planè, veteres Judæos, sicut & recentiores, tenere, animas simul omnes ab exordio ereatas fuisse, vixque productas, a Deo corpori singulas suo conjuoctas; quam etiam senteotiam insinuare videtur Author (*u*) Sapientiæ, ita loquentem Salomonem inducens: *Sortitus sum animam bonam; & cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinqumnatum*. Id autem non obscurè docent post Platonicos Philo (*x*), & Josephus (*y*); ae, teste Menasse Ben-Israel, recepta apud Judæos sententia animarum præexistentiam asserit (*z*). Hi jam inde a primâ die creationis constituisse illas tradunt, & ad illarum in horto Eden cœtum verba illa fecisse Deum: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*.

Contendunt alii, Deum more Principum, ita de se loquutum, quasi de pluribus; cujus sermonis ratio ad emphasim & gravitatem composita est maximè. Fatendum est planè, Deum eâ veluti præfatione novum aliquid & extraordinarium narrandum suscipere. Ex eo Textu argumentum pro SS. Trinitate deducunt Patres (*a*), quorum aliis ereditus est Pater ad Filium loqui, aliis Pater ipse ad Filium & Spiritum Sanctum. S. Barnabas in suâ Epistolâ: *Loquente Patre ad Filium*, ait, *Faciamus Hominem ad imaginem nostram* (*b*). S. Justinus Martyr (*c*), Theophilus (*d*), Origenes (*e*), Eusebius Cæsariensis (*f*), S. Ambrosius (*g*) gemina tradunt; verùm S. Irenæus (*h*), S. Gre-

(k) *Aug. lib. 3. de Genesi ad liter. c. 14.* (l) *Plin. l. 10. c. 73. Serratorum dentium carnivora sunt omnia. Ursi & fruge, fronde, vindemiâ, pomis, vivunt & apibus, cancris etiam & formicis; lupi, ut diximus, & terrâ in fame. Vide etiam Origen. homil. 2. in Genes.* (m) *Grot. Vide Nyssen. Orat. 2. & apud Basil. hom. 11.* (n) *Nyss. l. de hominis opificio.* (o) *Aug. l. 12. de Civ. Dei, c. 21.* (p) *Basil. hom. 7. Theodoret. q. 17. in Genes. Lactant. l. 11. c. 2. Procop. in Genes.* (q) *Jamblic. passim.* (r) *Plato in Timæo, p. 69.* (s) *Philo de opificio mundi p. 16.* (t) *Tertull. de animâ, p. 317.* (u) *Sap. 8. 19.* (x) *Philo de confus. linguar. p. 270. de Gigantib. p. 222. 223.* (y) *Vide Joseph Antiq. lib. 18. c. 2. & de bello l. 2. c. 8. & lib. 7. c. 25.* (z) *Menasse Ben-Israel concil. in Genes. q. 6. p. 22. de creatione, probl. 15. p. 61.* (a) *Basil. hom. 9. in Genes. Chrys. hom. 8. Aug. de Civit. l. 16. c. 6. Cyril. adv. Jul. l. 1. Theod. q. 19. in Genes. Vide Jansen. hic.* (b) λέγει (Κύριος) τῷ υἱῷ, ποιήσωμεν κατ' εἰκόνα, *&c. Vide not. in Epist. Barnab. p. 102. 104.* (c) *Dialog. cum Tryphone.* (d) *Theophil. lib. 2. ad Antolyc.* (e) *l. 2. contra Cels.* (f) *Euseb. Cæsar. l. 1. c. 2. hist. Eccles.* (g) *Ambros. lib. 6. in Hexaëmer.* (h) *Iren. Præf. l. 4. contra hæres. & eod. lib. c. 37.*

Digitized by Google

S. Gregorius Nyssenus (*i*), alique, ac vulgò Catholici Interpretes Filium simul & Spiritum Sanctum conventos a Patre malunt.

Ad imaginem et similitudinem nostram. Duæ illæ voces (k) simul junctæ omnibus numeris absolutam similitudinem exprimunt. Hæ ad designandam Patris cum Filio in eàdem naturâ similitudinem usurpantur cap. v. 3. Non semel Scriptura iis phrasibus utitur, quibus homini peculiaria Deo asseruntur, uti corpus, oculi, brachia, passiones. Ægrè enim homines rem aliquam sine figurâ & corpore sibi fingunt in mente, nihilque magni de rebus concipere se arbitrantur, nisi indutâ illis hominis figurâ & majestate. Constat planè, Judæos gentem fuisse rudem; nec Moyses majorem aliam ideam indere homini poterat, quàm ipsius hominis; sicut & Deus verba faciens ad Moysem, nihil habebat validius ad devinciendum sibi hominem, quàm suam cum illo similitudinem ingerens. Leviter autem recogitans homo facilè intelligebat quidem, corpus omne & humanæ naturæ imbecillitates a Deo prorsus abesse; & Deus hominem condens, altè in illo impresserat notionem Numinis, multò creaturis omnibus superioris. Patribus nonnullis (*l*) distinguendum succurrit inter imaginem & similitudinem hominis cum Deo. Retulit Adam ab exordio divinam in se imaginem; similitudinem verò in dies majorem virtutum exercitio formabat.

Porrò hominis cum Deo similitudo in moribus maximè spectatur: exhibet autem homo Dei imaginem, quòd immortalitatis, intelligentiæ, libertatis dote fruatur; quòd beatitudinis & scientiæ sit capax. Quod mortale inest homini, Deo assimilatur morum sanctitate, justitiâ, gratiâ, sapientiâ (*m*); quibus cum eo, qui sempiternus est, conjungitur, ad sanctitatis & perfectionis effigiem exprimitur, adeoque ad Patris cœlestis imaginem, juxta phrasim Sacræ Scripturæ. Hanc cum Deo similitudinem amisisse homines per peccatum, docent Patres (*n*). In censum supernaturalium donorum refert Apostolus (*o*) affinem illam hominum cum Deo conjunctionem. Nullam profectò esse nobis cum Deo in unitate naturæ similitudinem, facilè omnes intelligimus (*p*); neque enim alium Deus similem habet in naturâ, nisi Deum, ipsum Verbum scilicet Patris. Largitionum divinarum merito factum est, ut nos cum illo aliquid habeamus affine; & qui naturâ alieni sumus, jungamur amore: ita tamen, ut illi subjectos per omnia nos esse noverimus.

Est etiam homo ad Dei imaginem, quòd Jesus Christus inter creaturas primum locum obtinens, per quem scilicet, & ad quem creaturæ omnes factæ sunt, præstituto divinitus tempore hominum naturam assumpsit (*q*): quo planè sensu homo refert imaginem Dei non animâ tantùm sed & corpore. Nescio quid majestatis in humano corpore observat S. Augustinus, qua supra bruta elevati ad Divinitatem ipsam quodammodo assurgimus.

Similitudinem hominis cum Deo agnoscunt alii (*r*) in collato nobis divinitùs supra creaturas cæteras principatu. Vices authoritatis suæ committens Deus homini in mundo constituto, veluti divinitatem quandam visibilem illum exhibuit, moderantem omnia, & Dei nomine imperantem. In eam sententiam locutus Ecclesiasticus (*s*) habet: *Dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram; posuit timorem illius super omnem carnem &c.* In eam pariter sententiam concessum est a priscis Patribus non raris. Pythagoricus quidam apud S. Clementem Alexandrinum (*t*) perhibet, Creatorem in homine formando se ipsum expressisse tanquam exemplar; est autem homo a creaturis aliis non quidem corpore distinctus, sed in eo tantùm, quòd ad absolutissimum illud exemplar formatus est.

Faciamus hominem. Hebræus: *Faciamus Adam*; est enim Adam nomen tum singularis hominis, cùm omnibus hominibus commune. Adam sonat *rufus, puniceus*; quod inditum dicit Josephus (*u*) primo hominum parenti, e subrubrâ quadam terrâ coagmentato. Eadem vox ex Æthiopicâ radice deducta, sonat *pulcher*.

Et præsit piscibus maris &c. Hebræus: *Et præsint*; spectabat enim Author marem æquè & fœminam, quamvis de viro tantùm agere videretur; sivè potiùs erat illi præ oculis humana natura, & Adami posteritas universa, in successionem imperii super animantia tandem ventura. Porrò e dominio in bruta crimine admisso ita excidimus, ut veteris juris nonnisi leves quædam maneant reliquiæ, quippe qui nonnisi arte & vi continere bruta possumus in aliquâ obsequii specie, & infrænare, ne noceant.

Sed unde in veneniferis animantibus virus illud letbale, & trux belluarum in homines ferocia? an ab ipso creationis exordio? noxia illa qualitas in plantis, toxicum in herbis, in rosis spinæ, graveolentia in certis quibusdam floribus unde? an ab initio?

Veterum Patrum (*x*) sententia tenuit, animantia nunc hominibus noxia, innoxia olim ante crimen fuisse. Quandiù Adam mansit in obsequio Dei, tandiu subjectas sibi habuit creaturas reliquas; sed illum jugum excutientem, Dominum suum ultrà agnoscere bruta animalia recusarunt.

Non

(i) *Gregorius Nyssen. orat. 1. in*, faciamus hominem ad imaginem *&c.*

(k) *Imago.* צלם *umbra &c.*
Similitudo דמות *figura, idem.*

(l) *Origen. l. 3.* περὶ ἀρχῶν *c. 6. Victorin. l. 1. advers. Arium. Eucher. Lugdun. l. 1. in Genes. Nicetas in Thesaur. Orth. fid. l. 4. hæres. 31.* (m) *Origen. l. 6. contra Cels. pag. 319. & homil. 1. in Genes. Vide & Platon. in Phædro, p. 79. 80. 95. & Philon. de opificio mundi p. 33.* (n) *Chrysost. Severian. Gabal. Cyrill. Alex. Aug. l. 6. de Genes. ad litter. c. 27.* (o) *2. Cor. III. 18. collatus cum Colose. III. 10. Ephes. IV. 24. & 1. Petri I. 4.* (p) *Vid. Aug. l. 7. de Trinit. c. 6.*
(o) *Tertull. lib. de Resurrectione c. 5. ad imaginem Dei fecit hominem, scilicet Christi. Ita limus ille jam tum imaginem induens Christi futuri in carne; non tantùm Dei opus erat, sed etiam pignus.*
(q) *Theodoret. interrog. 20. in Genes. Diod. Tars. apud Theodoret. Chrysost. hom. in Genes. Isidor. Pelus. l. 3. ep. 95.*
(s) *Eccli. 17. 3.* (t) *Clem. Alex. lib. 5. Strom. Vide Platon. in Timæo, & Philon. de opificio mundi. p. 15.* (u) *Joseph antiq. l. 1. c. 1.* ὁ δὲ ἄνθρωπος οὗτος Ἄδαμος ἐκλήθη· σημαίνει δὲ τοῦτο κατὰ γλῶτταν τὴν ἑβραίων, πυῤῥὸς ἐπειδήπερ ἀπὸ τῆς πυῤῥᾶς γῆς φυραθείσης ἐγεγόνει. (x) *Vide Chrysost. hom. in Ps. 148. Aug. l. 1. de Genesi contra Manich. c. 16. & l. 1. contra Julian. & alios Græcos & Latinos passim.*

℣. 27. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam : ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos.

℣. 28. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram.

COMMENTARIUS.

Non rerum quidem naturam immutavit Deus (*a*), nec ea, quæ bona essent, convertit in prava, neque pulchrum fœditate corrupit. Tota fuit in homine mutatio; quemadmodum unum idemque alimentum noxium est interdum & insipidum ægroto, quod incolumem juvabat maximè, & erat in deliciis. Quod nobis ingratum accidit & deforme, latens habet aliquid quod maximè delectaret juvaretque, si Deo revelante abditum illud panderetur. Tandem Moyses totam divinorum Operum historiam claudit his verbis: *Et vidit Deus quòd esset bonum*. Nihil est ergo noxium, nihil pravum in Operibus Dei.

Veneficas illas plantas easdem obtinuisse qualitates ab initio, quales modò, censent S. Basilius (*b*), & S. Ambrosius (*c*); nullo tamen erant homini innocenti detrimento, sive quòd corporis temperamento is esset optimo; sive quòd de rerum singularum dotibus instructus, a quibus maximè sibi fuisset abstinendum, probè nosset; vel probè calleret, quo maximè antidoto virus retunderetur. Occurrunt interdum plantæ noxiæ aliis, aliis verò innoxiæ. Autumavit S. Basilius, rosas ante peccatum nullis armari spinis (*d*): contraria omnia probantur S. Augustino (*e*), cui sua esse utilitas spinis credita est. Carduis in cibum utuntur animantia nonnulla, & plura suppetunt latentibus usibus opportuna, quæ in censum noxiorum vel inutilium nemo prudens rejiceret. Vide *Genes.* 3, 18.

℣. 27. Masculum et foeminam creavit eos. Nonnisi singularem utriusque sexûs hominem creavit Deus: plura fortè quàm bina in singulis generibus bruta animantia, sed marem planè & fœminam, ut jam dixi, singularem. Creavit igitur utrumque hominem sextâ die, quamquam Moyses productæ fœminæ historiam nonnisi post sex dies creationis referat. Profectò si mas & fœmina eâ die creati non fuissent, nunquam Deus utrique injunxisset: *Crescite & multiplicamini*; ac tandem aliquid post requiem septimæ diei creasset.

Vetus est fabella apud Platonem (*f*) productâ a Deo in ipso rerum exordio tria hominum genera, marem, fœminam, & androgynum, cui geminum esset corpus in dorso conjunctum, quatuor pedes, totidem manus, ac tandem geminata omnia.

Tenuerunt alii, uti Eugubinus (*g*) & Rabbinorum nonnulli (*h*) Deum maris & fœminæ corpus ad latera simul conjuncta formasse; e dormientis verò Adami latere avulsisse deinde fœminam. Fidem opinioni suæ adstruunt ex illo Genesis 2, 21, juxta Hebræum (*i*): *Et tulit unam* (fœminam) *de latere ejus: & replevit carnem pro eâ.* Sed ineptum istud commentum Moyses ipse refutat, apertissimè de utroque homine testatus: *Deus creavit eos*; si enim duo simul juncta in unum veluti corpus coaluissent, non *eos* scripsisset, sed *eum.* Origenes (*k*), S. Chrysostomus (*l*), S. Thomas (*m*) aliique nonnulli tenent, fœminam nonnisi septimâ die prodiisse; quod planè abhorret ab eâ, quam modò refutavimus, opinione: sed recepta vulgò sententia creatum utrumque hominem sextâ die probat. Staturam adeò proceram ab ipso exordio retulisse Adam asserunt Talmudistæ, ut extremos utrinque terræ fines contingeret; sed post crimen de immensâ illâ staturâ plurimum a Deo detractum. Tantum nihilominus viro mansit, juxta Joannem Lucidum Authorem Christianum, ut Gigantes omnes superaret; quod deduxisse ille sibi visus est ex Josue 14, 15: *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*. Sed genuinus hujus loci sensus alibi discutietur.

Rabbinorum alii contendunt, duas ab initio fœminas prodiisse, *Lilit*, & *Evam*, quarum primæ idem cum Adamo terræ limus materiam suppeditavit; altera e viri carne ac latere formata est, ac de istâ potissimum agitur *Genes.* 2, 28. Scripturæ de priori illâ fœminâ silentium supplent abundè Judæorum commenta, qui fanctè asserunt ad illam spectare Isaiæ c. 34, 14 petulantem illam mulierem, quæ factâ ab Adami thoro secessione, necem pariter natis ex se liberis molita est (*n*).

Benedixitque illis. Dei benedictio utrique homini collata, non fœcunditatem tantùm affert, & dotes corporis, uti pulchritudinem & sanitatem, sed copiam præcipuè naturalium & supernaturalium donorum in animam; scientiam nempè, æquitatem, innocentiam, rationis imperium, & corporis ad spiritum subjectionem, creaturæ in Creatorem situm amorem pariter & obsequium; quibus omnibus privilegiis multatus est homo per peccatum.

Crescite et multiplicamini. Verba illa ad literam intelligentes Hebræi (*o*) datum Adamo, ejusque posteris eâ de re præceptum contendunt. Quare transgressionis reum statuunt, quicumque ad xx ætatis annos connubio non jungitur. Eo præcepto hominem ligari, non fœminam, plerique statuunt. Sed connubium injunctum est Adamo, non omnibus & singulis ejus posteris; mandatum id tantùm generatim omnibus, ne genus humanum extingui sinant: quod post auctos in immensum homines nunquam sanè timeretur.

Quæ olim ratio Adamum ac primos ejus liberos ad connubium cogebat, nulla est hodie; nec

(a) *Theodoret. interrog.* 18. *in Genes.* (b) *Basil. homil.* 5. *in Hexaëmer.* (c) *Ambros. l.* 3. *Hexaëmer.* (d) *Basil. ibid.* (e) *Aug. l.* 3. *de Genes. ad litt. c.* 18. (f) *In Symposio pag.* 190. 191. (g) *Eugub. in Cosmopæja.* (h) *R. Samuel, Manasse Ben-Israël. Maimonides.* (i) ויקח אחת מצלעתיו (k) *Origen. in Genes. homil.* 1. (l) *Chrysost. in Genes. homil.* 15. (m) *D. Thom.* 1. *part. quæst.* 73. *art.* 1. *ad tertium.* (n) *Buxtorf. synag. Judæor. c.* 2. *& nostr. Comment. in Isai.* 34. 14. (o) *Apud Seld. de Jure Nat. & Gent. l.* 5. *c.* 3.

Digitized by Google

℣. 29. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferen-
tem femen fuper terram, & univerfa ligna, quæ habent in
femetipfis fementem generis fui, ut fint vobis in efcam:
℣. 30. Et cunctis animantibus terræ, omnique volucri Cœli, &
univerfis, quæ moventur in terrâ, & in quibus eft anima vi-
vens, ut habeant ad vefcendum. Et factum eft ita.
℣. 31. Viditque Deus cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona.
Et factum eft vefpere, & mane, dies fextus.

COMMENTARIUS.

ita planè, ficut olim, obligat homines univerfos. Cenfet Plato (o) naturam humanam multiplicari oportere productione liberorum, quibus perpetuus Dei cultus fervetur intactus. Jubet eos, qui cælibem agunt vitam, Fifco folvere & Magiftratibus quidquid illis impenfæ faciendum effet in conjuges, atque eâ planè ratione illatum Reipublicæ damnum rependere.

Replete terram et subjicite eam. Vertit Chaldæus. *Et roboramini fuper eam*, imperium vobis vindicate. Syriacus: *Domate eam*. En Principatûs noftri fuper bruta animantia, fuper terram & mare jus datum affertumque. Si homines manfiffent in obfequio Creatoris, fi in caput fuum non provocaffent mortem & concupifcentiam, nullam modò deploraremus in mundo injuftam bonorum malorumque partitionem, nihil effet diffidii inter tuum illud & meum. vel nomina ignorarentur acquifitarum injuriâ rerum, bellorum, præliorum, vaftationum, excurfionum; in medio effent omnia, & æquali fingulis portione diftributa bona neminem infelicem, pauperculum neminem, invidum denique neminem redderent. Inæqualitas illa bonorum, & conditionum difcrimen, malum eft in corrupto mundo neceffarium.

℣. 29 Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna... ut sint vobis in escam. Comparandus eft locus ifte cum illo capitis 9, 3, ubi Deus verba faciens ad Noë, liberum illi ejufque pofteris permittit carnium ufum poft diluvium; comparandus eft, inquam, ut difcrimen intelligatur inter conceffam hìc Adamo, illic verò Noë ejufque pofteris poft diluvium facultatem. Olera hìc, legumina, radices, femina & fructus indulget, illic verò: *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, quafi olera virentia tradidi vobis omnia*. Patrum & Interpretum plerique (p) tenent, ante diluvium interdictum fuiffe ufum carnium. Docet Pfeudo Juftinus (q), Veterum quorumdam perfuafionem tuliffe, ut a fructibus & carne homines antediluviani abftinerent, oleribus, & leguminibus contenti. Terræ fœcunditas, olerum fucculentia, optima hominum temperatura, infrequens animalium numerus ab exordio, præcipua funt rationum momenta, quibus opinio illa firmatur. Manent etiam veteris in eam rem traditionis in populo refiduæ veftigia in iis, quæ de aureæ ætatis felicitate prædicant; quam ætatem nos *innocentiæ* appellamus. Solæ tunc ad victum fufficiebant herbæ, fponte e terrâ germinantes. Sylveftria poma, mori fructus, & glandes inftructiffima parabant convivia, unà cum cæteris ultrò a naturâ oblatis (r).

Poft permiffas quin etiam carnes rarò conceffâ hac facultate ufi funt homines; abftinere enim ab animantibus domefticis vifum, quòd rara effent numero & fervitiis deftinata. De pifcibus & venatione captâ prædâ minor cautio. Præftita ab animantibus quibufdam in fe officia tam grato animo exceperunt Ægyptii (s), ut non occidi tantùm illa latis edictis vetarent, fed honoribus etiam haberent digna; ac tandem confecrarent in Aris. Capitali fupplicio vetuiffe Athenienfes, ne agricolarum ufibus apta animantia mactarentur, alibi animadvertimus (t); ac Plinius, tanquam extraordinarium aliquod facinus moliti, hominis illius nomen refert, qui primus in Græciâ ex animalibus illis unum occidit (u). Narrat alibi (x), exilio damnatum fuiffe Romæ agricolam quendam, reum necati bovis, fidiffimi laborum fuorum focii. Impium videbatur carnes majorum animantium in cibum adhibere, nifi fortè ad ufum facrificiorum mactata fuiffent. Ita rarus eorum ufus, nec nifi in majoribus anni folemniis. Jubet Deus (y), animalia omnia, quæ mactarentur, præ foribus Tabernaculi fui ftatui. Cenfuit Bochartus [z], conceffam fuiffe omnibus carnium ufum ante diluvium, nec ab illis homines abftinuiffe: quam in rem affert illud verf. 29: *Ut fint vobis in efcam*; referri enim hæc non ad herbas tantùm & fructus, de quibus in eodem ver-

(o) *Plato de Legib. apud Clem. Alex. l. 3 Strom.* (p) *Orig. homil. 1, in Genef. Chryfoft. homil. 27, in Genef. Theodoret. quæft. 30. & 55, in Genef. Hieronym. l. 2, adverf. Jovini.* (q) *QQ. ad Orthodoxos, Quæft. 159.*
(r) *Contentique cibis nullo cogente creatis,*
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant,
Cornaque & in duris hærentia mora rubetis,
Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes. *Ovid. 1, Metam.*
(s) *Diod. Sicul. l. 21.* (t) *Genef. 19, 3.* (u) *Animal occidit primus Hyperbius Martis filius, Prometheus bovem. Plin. lib. 7, c. 56.* (x) *Socium enim laboris, agrique culturæ habemus hoc animal, tanta apud priores cura, ut fit inter exempla damnatus a Populo Romano die dictâ, qui occiderat bovem, actufque in exilium, tanquam colono fuo interempto. Plin. l. 8, 45.* (y) *Levit. 17, 3.* (z) *De Animalibus facris, part. 1, lib. 2, c. 2.*

Digitized by Google

versiculo, sed & ad animantia, de quibus in superiori, contendit. Addit Abelem nunquam sacrificia Deo oblaturum fuisse, si a victimarum cibo interdiceretur; frustra tandem curaturum illum fuisse greges, cibum aliunde quærere coactum.

Reponimus; I, Quotidiano satis experimento doceri nos, nullam servari ab impiis agendi regulam, nisi quam sibi voluntate suâ constituunt; quare usum illis carnium etiam ante diluvium damus; sed, quantùm e Textu Scripturæ intelligimus, sanctè abstinentiam a carnibus servasse Justos ante diluvium arbitramur. II, Abel nonnisi holocaustum offerre potuit, de cujus proinde sacrificio nullum pro usu carnium argumentum deduceretur. III, Sacrificia illa fortè non cruenta erant, sed lactis & lanæ oblatione consumebantur. IV, Quod e lanis illis & lacte gregis sui nanciscebatur compendium, satis repensabat alendorum gregum solicitudinem. Observat Strabo (†), Massagetas greges aluisse ad lac & lanam, non ad carnium cibum; quippè qui ab occisione illorum abstineant. Sola Textûs Hebraici lectio docet abundè, Moysem contraria omnia insinuare, quàm quæ illi affinguntur; nec eum seorsum verbis ejus induci potuisse, nisi quibusdam adjectis absque necessitate, sensum genuinum corrumpentibus (*).

CAPUT II.

Ann. Mundi 1. Ante Christum 4003. Ante Æram Vulg. 4004.

Epilogus historiæ de Mundi creatione. Requies septimæ diei. Descriptio Horti Eden. Adam nomina animantibus imponit.

℣. 1. IGitur perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum.

℣. 2. Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat: & requievit die septimo ab ûniverso opere, quod patrarat.

COMMENTARIUS.

℣. 1. COELI ET TERRA ET OMNIS ORNATUS EORUM. Quod hìc in Vulgatâ & apud Septuaginta redditur, *ornatus*, in Hebræo est *Zaba (a)*, quæ plerumque vox designat aciem, quasi scilicet insinuaretur, Creaturas in Universo ita disponi, ut instructa acies in prælium. Referendi hæc malunt nonnulli in Cœlum & Astra, non semel sub emblemate Militiæ Cœlestis expressi in S. Scripturis (b). *Tu fecisti Cœlum & Cœlum Cœlorum, & omnem exercitum eorum.* Interdum exercitus Cœli est vis & robur Cœli (c); ac tandem Angeli eo nomine designantur (d): *Vidi Dominum sedentem super solium suum; & omnem exercitum Cœli assistentem ei a dextris & a sinistris.* Et S. Lucæ 2, 13: *Multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum.*

℣. 2. COMPLEVITQUE DIE SEPTIMO OPUS SUUM. Septuaginta (e) & Syriacus habent, *die sextâ*; sed Vulgatæ lectionem tenet cum Hebræo Græcus, Samaritanus, Arabicus, Chaldæus; sicut etiam Judæi ætate Jesu Christi, quantùm ex Epistola S. Barnabæ intelligimus. Porrò hanc lectionis varietatem in Septuaginta invexisse non injuriâ suspicaremur Amanuenses, veritos ne septimæ diei requiem turbasse Deus creationis prorogatione usque ad septimam diem crederetur. Quibus tollendis ambagibus. Judæi & Interpretum nonnulli miserè textum divexant, cujus alioqui sensus apertissimè præfert, quod ipsi pariter intendunt, scilicet Deum perductum eo usque opus ita complesse, ut nihil septimâ die præstandum remaneret.

Quæstio agitatur, an Moyses prorogatam per succedentes dies vel totam simul peractam creationem describat; i. e. an creaturæ perfectionis suæ numeros simul omnes assequutæ sint, an per septem priores dies veluti per gradus attigerint. Convenit inter omnes, Deum unico, & simplicissimo imperii actu, momentaneo nempe illo *Fiat*, totam statim materiam e nihilo eduxisse. Sed in puncto illo quæstionis dissidium est sententiarum. Defendunt alii (f), rerum sensibilium productionem per septem succedentes dies ita operatum fuisse Deum, ut tota Mundi creatio septem dierum esset molimen; quibus Moysis Textus peremptoriam sententiam ferre videtur. Explicare se utique chaos minimè valuit, nisi infinitis penè motuum successionibus agitatâ materiâ, cognatas inter se partes jungeret, disjungeret alienas; quibus tandem Cœlorum, Astrorum, Aquarum, Terræ compago coalescerer. Has profectù partes alias ab aliis disjungere, &

antè

(†) *L. 11. p. 358.* (*) הנה הרתילים את כל עב זרע זרע אשר על פני כל הארץ....ולכל חית הארצ את כל ירק עשב *Dedi vobis omnem plantam, ferentem semen suum super terram, & omnem arborem fructiferam. Et omni bestiæ terræ, & omni volatili cœli, omnem virentem herbam ad vescendum.* (a) כל צבאם *Septuag.* πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν. *Philo l. 1, alleg. Leg. initio.* Καὶ ἐτελέσθησαν οἱ οὐρανοὶ καὶ πᾶσαι στρατιαὶ αὐτῶν. *Omnes militia eorum.* (b) *Esdr. 9, 6. Vide etiam Deut. 17, 3. Isai. 45, 12. Sophon. 1, 5.* (c) *Vide Ps. 32, 6, 102 21. Luc. 21, 26.* (d) *3, Reg. 22, 19.* (e) Ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ. (f) *Ita Patres & Interpp. passim.*

℣. 3. Et benedixit diei feptimo, & fanctificavit illum: quia in ipfo ceffaverat ab omni opere fuo, quod creavit Deus, ut faceret.

COMMENTARIUS.

aptè componere temporis commodo fpatio opus fuiffet.

Non inficiamur, Deum, qua pollet virtute, fupplere abundè potuiffe defectum morofæ illius circumvolutionis, qua materiæ partes aliæ ab aliis divellerentur, aliæ aliis jungerentur. Sed prodigia fine neceffitate ne augeantur curandum eft maximè: quæ potiffimùm regula tenenda eft, cùm Scripturæ Textus certum aliquem fenfum præfert, neque naturæ legibus, neque inditæ nobis de Numine ideæ repugnantem. Fide pariter fanctum tenemus, Deo authori deberi quidquid motûs materiæ impreffum eft; ejus fapientiæ difpofitione conftare certo quodam ordine & œconomiâ partes univerfi omnes: quam quidem confeffionem eo confilio facimus, metu ne ionatum quendam & naturalem motum materiæ tribuere arguamur. Agnofcimus tandem, præter res illas, quarum caufa refundenda videtur in motum quendàm, certis a Deo præfcriptis regulis ordinatum, alias etiam fuppetere plures, in unicam fingularem Creatoris voluntatem unicè referendas; illi enim opifici tribuimus hominem, bruta, plantas, quarum partes tanto artificio difpofuit, formavit organa, ut legibus hominis captum & ingenium excedentibus, confervare fe, iterum producere, & multiplicare valeant.

Philo (*g*), Origenes (*h*), S. Auguftinus (*i*), & recentiores quidam (*k*), metu ne quid incommodi induceretur dogmati de immutabilitate & potentiâ Creatoris ex afsertâ de fucceffione Creation is fententiâ; quafi fcilicet producendis rebus fimul omnibus impar, totum opus in partes diftributum molitus fuiffet, ac tandem feptimâ die veluti ab immodico labore fefe relevaturus quieviffet; eo, inquam, metu inducti, nonnifi ordinem quemdam rationis in creatione agnofcunt, rati tantummodò ad captum populi accommodare fe voluiffe Moyfem, quò fcilicet luculentiorem illi inderet de rerum creatione ideam, cùm dierum fucceffionem in creationem invexit. Servire enim illis intendens Sacer Hiftoricus, optimum factu cenfuit, fi rationem totam exponeret, qua partes chaos explicari, ac certo quodam ordine difponi valuerint. Hoc Moyfis, dum fcriberet, confilium; fed aliter in creatione Deus: *Qui vivit in æternum*, ait Eccli. 18, 1, *creavit omnia fimul*. Præftò femper juffionibus Divinis materia, quo fe exequendæ ejus voluntati difponeret, opus habebat nihil. Repugnat utique inditæ nobis de fummâ Dei virtute ideæ reputare, Deum fex dierum labore Univerfum molitum fuiffe, ac tandem veluti feffum feptimâ die quieti fefe dediffe. Repugnant hæc pariter pietati, cujus inftinctu benignâ interpretatione lenire rigorem Textûs Mofaici inducimur.

Sed poftremam hanc opinionem vulgò Interpretes deferendam cenfuerunt; laudatufque ex Ecclefiaftico Textus nihil aliud infinuat, quàm Creaturas prorfus omnes Deo Creatori deberi (*l*). Sunt equidem in defcriptâ a Moyfe hiftoriâ quædam benignâ interpretatione lenienda: fatemur minimè verum effe, Deum fex repetitis vicibus mundi opus refumpfiffe: nullâ indigebat feptimæ diei requie; non inde tamen cogimur ordinem a Moyfe defcriptum, fucceffionem in creatione apertiffimè præferentem, deferere. Satis eft enim reputaffe Deum pro fuo maximè arbitrio ac latente prorfus confilio ftatuiffe, ut fex dies creationi darentur.

REQUIEVIT AB UNIVERSO OPERA. Chaldæus: *Placuit fibi in opere fuo*: veluti inditam a literâ ideam corrigeret; præferre enim videtur litera Deum veluti a labore feffum requiem captaffe: *Tanquam haftati mollis imago Dei*. Deus naturâ fuâ ipfum eft robur, imbecilles fuftentans & robur indens valentibus; nunquam ceffat ab agendo, atque ita in affiduâ rerum productione ac confervatione manum præftat, ut ab actione illâ nunquam defiftat, omnemque excludat mutationis ideam, veluti fi ad agendum modò fe conferat, modò laffatus defiftat. Actuofus eft femper, femper item in requie, vices femper caufat in naturâ, nullis ipfe vicibus obnoxius.

℣. 3. BENEDIXIT DIEI SEPTIMO. Plura in diem feptimam fupra alias cæteras contulit privilegia; benedixit enim illi, factâ ex tunc deftinatione, ac veluti addictâ die ad opus Religionis, ut una illa deinde religiofæ Judæorum quieti confecraretur, & peculiari Numinis cultui (*m*).

Patrum nonnulli cum Judæis quibufdam Doctoribus tenent, collatam illi fabbato benedictionem id potiffimùm tuliffe, quòd Deus diem illam ex tunc cultui fuo fpeciali confecraverit, quam proinde fanctam habuerint exinde homines, faltem illi, qui juftitiæ laude inter homines diftinguebantur, ac fanctiffimi quique ante Moyfem Patriarchæ. Quin & afferendum fibi cenfent nonnulli, diei hujus religionem apud gentes etiam Idolis addictas manfiffe, ejufque traditionem jam inde ab exordio mundi repeti. Manaffe Ben-Ifrael Amftelodamenfis Synagogæ Princeps, *lib. de Creat. Mundi Probl.* 8, afferit, veterum traditione teneri, Abrahamum ejufque pofteros, memoriam creationis fervantes, fabbati etiam religionem tenuiffe, veluti legis naturalis præceptionem. Contendit infuper, ad Sabbati illam religionem referri quod legitur *Genef. 26, 5: Eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & cuftodierit præcepta, & mandata mea &c.* Rabbinorum quorundam eâ de re fententias lege apud Seldenum lib. 3, c. 13, *de Jure Nat. & Gent.*

Docet Philo (*n*) inftitutam Sabbati religionem, non apud certam tantùm Gentem, five Regionem

(g) *Philo allegor. l. 1 de mundi opificio p. 6, & 41.* (h) *Origen. l. 6, contra Celfum.* (i) *Aug. l. 4, de Genefi ad liter. c. 18, & feq. & l. 11, de Civit. c. 7, & l. 12 Conf. c. 29.* (k) *Cajet. Melch. Canus.* (l) *Concil. Later. cap. Firmiter. Ita & Interp. in eum locum.* (m) *Tertull. l. 21, contra Judæos.* (n) *De Opificio mundi, & Vitâ Mofis l. 11.*

gionem valere, sed festum esse totius universi, ut meritò appellari possit publicum Festum, festum Nativitatis Mundi. Et alibi de Sabbato agens: *Quis sacrum illum diem per singulas hebdomadas recurrentem non honorat, remissionem laborum feriasque afferentem patrifamiliâs cum domesticis, non ingenuis tantùm, verùm etiam mancipiis & jumentis insuper?* Luculentiora addit Josephus *cont. App. l.* 2: *Nulla est Urbs non Barbara, non Græca, non gentes aliqua, apud quas Religio Sabbati, quâ die nos quiescimus, non pervenerit.* Hisce autem testimoniis addi possunt alia plura Scriptorum Græcorum & Latinorum, quibus septimæ diei religio apud Paganos asseritur. Aristobulus (o) testimonia non obscura, utì quidem videtur, adducit Homeri atque Hesiodi; contenditque hanc illos doctrinam e Mosaicis libris deduxisse. Hesiodus (p): *Prima & quarta & septima dies sacra sunt.* Et Homerus [q]: *Cùm venisset septima dies, quæ sacra est.* Et alibi (r): *Septima agebatur dies, qua absoluta sunt omnia.* Ita etiam Linus (s) ibi pariter relatus (t): *Septimâ die peracta sunt omnia.* Et alibi (u): *Septima dies inter faustas habenda est, genethliaca inter primas dies est & perfecta.* S. Clemens Alexandrinus *Strom.* 5, gemina tradit ac Aristobulus, nec omittit loca veterum Poëtarum, addens pariter eclogas Solonis, quæ laudes prosequuntur diei Sabbati, veluti peculiari religione inclyti. De Sabbati cultu apud Romanos communi usu observato nonnulla afferuntur e Latinis Authoribus Ovidius:

Nec te prætereat Veneri ploratus Adonis,
Cultaque Judæo septima sacra viro.

Seneca Epist. 95 meminit servati apud nonnullos moris incendendarum lucernarum die Sabbati, quod vulgare fuisse suâ ætate insinuat (x). Insinuare pariter videtur Tertullianus *ad Nation. l.* 2, *c.* 13, diem Saturni a Judæis æquè & Paganis observari: *Non longè a Saturno & Sabbatis vestris sumus.*

Hisce omnibus authoritatibus reponimus, I, De vetustate religionis septimæ diei non unam esse Rabbinorum sententiam; tenent enim magno numero Doctores illi (y), Sabbati præceptum primò datum fuisse in *Mara*, vel etiam in *Sinai*, nec priùs executioni mandatum, quàm post egressum ex Ægypto. II, Philo in vitâ Mosis l. 2, narrat, Israëlitas, cùm penitus excidisset e mente, qua potissimùm die mundus cœpisset (z), quave Universi opus fuisset absolutum; & cùm pariter nihil sive apud familias sive apud seniores eâ de re traditum invenirent, ejus tandem rei in cognitionem non obscuram venisse, cùm Deus cæteris diebus omnibus mannâ pluit, excepto Sabbato.

Ex eo Philonis loco lux affunditur alteri supra
laudato, qui in suffragium adducitur pro religio-
ne Sabbati per universum latè Orbem diffusâ, vel-
uti die gentium omnium festâ

Est equidem Sabbatum dies universo Orbi
festa: & Nativitatis mundi Festum, utì alibi tra-
dit idem Philo (a); nec inde tamen sequitur
feriatum fuisse per universum orbem. Alter ejus-
dem Authoris locus insinuat equidem, viros ex
Paganis religiosissimos diem Sabbati, sicut & mo-
res Judæorum nonnullos, habuisse in honore; sed
nihil ultra: ac in suo opere in Decalogum ob-
servat idem Author, gentes nonnullam septimam
illam diem nonnisi semel in singulos menses co-
luisse; Judæos verò nullam omisisse diem Sabbati
per septimanas recurrentem. Porrò septima illa
dies apud Paganos ideò fuit in honore, quòd se-
ptimâ mensis die Apollo natus fuisset: ita hujus
cultûs ratio inter Judæos & Paganos immane quan-
tum distabat!

III, Ad locum Josephi quod attinet, fatemur
equidem habuisse gentes Sabbati diem inter sacras;
novisse pariter e cæremoniis Judæorum nonnul-
las; nec tamen in illis duas illas gentes inter se
convenisse. Non equidem diffitemur, atque ultrò
damus Authoribus Josepho coævis, apud super-
stitiosos quosdam Paganos Judæorum more diem
Sabbati feriatam fuisse; sed fateri etiam oportet,
superstitionem illam de ridiculo veluti singularem
& cæteris hominibus ignotam habitam fuisse apud
viros quosdam morum vulgi censores (b).

Mathematici & Astrologi septimam post re-
rum exordium diem observabant, veluti fatidicum
aliquid ferentem; nec aliud insinuant Poëtæ supra
laudati; vel saltem septimam diem mensis cole-
bant, utì supra innuimus, tanquam Apollinis cul-
tui addictam (c).

Tandem ex deductis supra omnibus nunquam
infertur, Sabbati religionem sive ante Legem Mo-
saicam, sive apud Paganos obtinuisse. Et Scriptu-
ra non obscurè (d) nec semel docet, nihil no-
visse de ejus diei cultu Israëlitas ante Legem.
Moyses ita de illâ loquitur, tanquam de religio-
ne recèns invectâ; ac S. Justinus in Dialogo tan-
quam certum constituit, Patriarchas sive ante, si-
ve post diluvium, nunquam Sabbatum observas-
se; in quam sententiam Patres sanè multi con-
cesserunt (e).

Quod autem multùm promovet hujus senten-
tiæ veritatem, illud est, nimirùm Scripturam
& Patres asserere, Sabbatum & Circumcisionem
duas esse veluti tesseras, Judæos a cæteris distin-
guentes. Ezech. xx, 12: *Sabbata mea dedi ipsis, ut*
essent signa inter me & ipsos; & ℣. 20: *Sabbata*
mea

(o) *Apud Euseb. Præparat. l.* 12, 1, *c.* 12. (p) Πρῶτον ἔνη, τετράς τε, καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ.
(q) Ἑβδομάτη δ' ἔπειτα κατήλυθεν ἱερὸν ἦμαρ... (r) Ἕβδομον ἦμαρ ἔην καὶ τῷ τετέλεστο
ἅπαντα. (s) *Vel fortè Callimachus, uti est apud Clement. Alex.*
(t) Ἑβδομάτη δ' ἠοῖ τετελεσμένα πάντα τέτυκται.
(u) Ἑβδόμη εἰς ἀγαθοῖσι καὶ ἑβδόμη ἐστὶ γενέθλη.
Ἑβδόμη ἐν πρώτοισι, καὶ ἑβδόμη ἐστὶ τελείη.
(x) *Senec. Ep.* 95: *Accendere aliquam lucernam Sabbathis prohibeamus; quoniam nec lumine Dii egent,*
&c. (y) *Salomon Jarchi & alii RR. apud Selden. l.* 3, *c.* 11, *de Jure Nat. & Gent.* (z) Τίς, ἢ
τῶ κόσμυ γενέθλιος. (a) Τὴν τῶ κόσμυ γενέθλιον ἡμέραν, & Τὴν ἑορτὴν τῶ κόσμυ γενέσιον. *Id.*
l. de Mundi opificio. [b] *Hodie tricesima Sabbatha:* vin'tu
Curtis Judæis oppedere? Horat. Serm. l. 1, *Satyr.* 9.
(c).... Ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ.
Τῇ γὰρ Ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ. *Hesiod. in diebus.*
[d] *Super montem Sinai descendisti, & Sabbathum Sanctum tuum notum fecisti eis in manu Moysi*
servi tui; 2 *Esdr.* 19, 14. *Vide & Ezech.* 20, 10, *& Exod.* 16, 22. (e) *Vide Tertul. advers. Ju-*
dæos c. 4. *Euseb. hist. Eccl. l.* 1, *c.* 4, *& Præp. l.* 7, *c.* 3, *& Demonstr. l.* 1, *c.* 6, *& in Ps.* 91, *S.*
Bernard. in Cant. Ser. 50.

℣. 4. Istæ sunt generationes cœli, & terræ, quando creata sunt,
in die quo fecit Dominus Deus cœlum & terram:
℣. 5. Et omne virgultum agri, antequam oriretur in terrâ,
omnemque herbam regionis, priusquam germinaret: non
enim pluerat Dominus Deus super terram: & homo non erat,
qui operaretur terram.

COMMENTARIUS.

mea sanctificate, at sint signa inter me & vos. Moyses in Deuteronomio v, 15 disertissimè asserit, memoriale illud esse educti ex Ægypto populi, *Memento quòd te inde eduxerit (de Ægypto) Dominus; idcircò præcepit tibi, ut observares diem Sabbati.*

S. Irenæus *lib. 4, c. 30 advers. Hæres.* duo constituit, a nobis pariter stabilita, Sabbatum nempe nequaquam Patriarchas novisse; nihilque aliud tulisse illud, quàm signum fœderis inter Deum, & Judæos: *Quòd hæc in signa data sunt Judæorum populo, ostendit Scriptura, quòd Abraham ipse sine Circumcisione & sine observatione Sabbatorum Deo credidit, & amicus Dei vocatus est.* Vide Scriptores hoc argumentum discutientes (*f*).

Cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret. Vim Hebraici Textûs servat Vulgata; habet enim Hebræus ad literam: *Cessaverat omne opus, quod ille creaverat ut faceret, sive in faciendo*; idest, juxtà nonnullos, Materiæ creationem absolverat, & formam illi indiderat a se divinitus præstitutam; vel, juxta alios, Absolverat opus quod fecerat, & creaverat, vel quod creaverat adeò perfectum. Septuaginta (*g*): *Requievit ab omnibus operibus suis, quæ inchoavit Deus facere.* Rabbinus quidam apud Munsterum docet, verba illa Textûs: *Creavit ut faceret*, designare creaturas quasdam, quas Deus nondum numeris omnibus absolutas reliquerat, cùm, ineunte Sabbati quiete, tempus absolvendi operis summo illo Opifici deesset. Porrò Creaturæ illæ imperfectæ sunt familiares Dæmones, Satyri &c. Fabulæ!

℣. 4. Istæ sunt generationes Coeli et Terræ. Septuaginta (*h*): *Hic est liber generationis Cœli & Terræ.* Hæc est historia creationis totius Universi *in die*, nempe eo tempore, *quo fecit Deus Cœlum.*

℣. 5. Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra. Versus iste quintus cum sexto conjungendus est, quò exactior sit interpretatio, & connexio inferiorum cum superioribus intelligatur. En igitur, quantùm capio, ab Authore Vulgatæ expressam sententiam. ℣. [4] Deus creavit Cœlum & Terram, (5) plantas omnes & herbas agri antequam illæ super terrad prodirent, sive germinarent. Ut illæ e terrâ nascerentur, antequam datum illis esset a Deo, ut essent, fieri non poterat; nullo enim imbre alluta erat adhuc terra, quo fœcundaretur, nec labor & hominum industria quidquam in earum productionem valuissent; nulli enim adhuc erant in terrâ homines. Ultraquamquòd ne terra spontè herbas produceret, impedimento erant, & quidem maximo, totam terræ superficiem tenentes aquæ: *Fons ascendebat e terrâ.* Hebræus reddi potest: *Aqua elevabatur supra terram, & operiebat totam ejus superficiem.* Inundasse enim super terram aquas, sat constat ex cap. 1, ℣. 6, 7, 8, 9. Consequutio ex his omnibus deducenda restabat; quidquid scilicet terram ornabat, cùm alterius cujuspiam (quippe quod non esset) beneficio accepto referri non posset, in Deum unicè authorem refundendum. Conficiebantur hoc argumento Ægyptii, rerum causam, utì supra observavimus, repetentes ex humore quodam calore foto. Scitè etiam Patres animadverterunt, Deum sapientissimâ providentiæ suæ dispositione plantas ante Astra produxisse, ne scilicet causa illarum in Solem, & Astrorum influxus referretur (*i*).

Reddunt aliqui Textum [*k*]: *Virgultum agri nondum erat super terram, & herba regionis nondum germinaverat; non enim pluerat Dominus super Terram; & homo non erat, qui operaretur terram. Sed vapor ascendebat, & irrigabat universam superficiem terræ.* Eo veluti præambulo usus est Moyses, Lectoribus disponendis ad formandam Horti Eden justam illam ideam, quam ille descriptione suâ indere suscipiebat; illud etiam reputans, ut mentes illorum compararet, quò rationem assequerentur, cur Deus voluptatis illum locum condere decrevisset. Ità ergo ille: Quamquam Deus plantas herbasque terræ commisisset jam inde a tertiâ die, adhuc tamen terræ facies simplex erat & minùs ornata, quòd herbæ & plantæ minùs multiplicarentur; non enim dilapsis e Cœlo pluviis fœcundata, neque labore & industriâ hominum culta erat terra; sed vapor tantùm quidam sive ros super terram effusus avarum plantis alimentum præstabat. Statuit proinde Deus hortum in regione Eden condere, sedem homini assignatam, jucundam oppidò, & amœnam, ubi scilicet tamdiù moraretur, quamdiù terra plantis & arboribus vestiretur.

In hunc etiam sensum reddi potest Hebræus vers. 4: *Ita Deus creavit Cœlum, & Terram, & plantas antequam orirentur super terram, & herbas, antequam germinarent. Non enim a Deo pluerat adhuc super terram, & homo creatus non erat, qui operaretur terram; & terra non adhuc produxerat vapores, quibus in rorem & pluvias conversis irrigaretur.* Ut interpretatio ista, quam nos literæ magis

(f) *Vid. Gomar. de orig. Sabb. c. 4, & Spencer. de Legib. Ritual. Hebr. l. 2, c. 4; & Selden. de Jure Nat. & Gent. lib. 3, c. 10 in fin.* [g] Κατέπαυσεν ἀπὸ πάντων τῶν ἔργων αὐτῦ, ὧν ἤρξατο ὁ Θεὸς ποιῆσαι (h) 70: Αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως. *Aq. & Sym.* αὗται αἱ γενέσεις τῦ ὀρανῦ, καὶ τῆς γῆς. (i) *Vide Philon. de opificio mundi, p. 9. Basil. homil. 6 in Hex. Chrysost. homil. 6 in Genes. Ambros. lib. 3 in Hexaëm. c. 6, & lib. 4, c. 1.* (k)... וכל שיח השדה טרם יהיה בארץ כי לא המטיר יהוה אלהים על הארץ ואדם אין לעבד את האדמה ואד יעלה מן הארץ והשקה את כל פני האדמה

℣. 6. Sed fons ascendebat e terrâ, irrigans universam superficiem terræ.

℣. 7. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.

COMMENTARIUS.

magis cohærentem, optimamque censemus, ut inquam, interpretatio ista constet, supplenda est in Textu negatio (*l*), ut pro eo quod habetur: *Vapor ascendebat*; legatur: *Nondum vapor ascendebat* in pluviam convertendus. Reperitur hîc negatio membri præcedentis. *Homo non erat . . . & fons*, seu *vapor* (non) *ascendebat*. Non desunt in Scripturâ exempla substituendæ negationis. Ita in Psal. IX, 17: *Non in æternum oblivioni erit egenus, afflictorum expectatio in æternum peribit*; hîc profectò præcedens illa negatio in secundo etiam membro substituenda est; sicut & in Psal. XLIII, 19: *Non recessit retro cor nostrum . & declinavit gressus noster a viâ tuâ*; i. e. non declinavit.

Vox Hebræa אֵיד, *Ed*, quam Vulgata & Septuaginta reddunt, *fons*, Aquila (*m*) exponit *inundatio*, *Scatebra*. Chaldæus aliique plures *nubes*; plerique autem interpretantur de vaporibus e terrâ ascendentibus.

℣. 7. Formavit igitur hominem de limo terræ. Hebræus ad literam (*n*): *Deus formavit hominem pulverem terra*, seu *e pulvere terra*. Vulgata reddit *limum*, Hebræum *Aphar*, quòd scilicet arens solutusque pulvis, ut in corpus coalescat, ineptus est maximè. Adam e virgine terrâ formatus, typus erat secundi Adam e virgine Matre prodituri (*o*). Poëtæ appellant homines plasmata e limo (*p*).

Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Hebræus reddi potest: *Inspiravit in naribus ejus spiraculum vita*. Dedit scilicet, ut spiraret & viveret. Spirare enim animantis est; Spiramus autem potissimùm per nares, capiendi reddendique aëris organum maximè omnium aptissimum. Defendit Grotius, nequaquam fieri posse, ut immortalitatis animæ dogma e literâ hujus Textûs deducatur; quòd ibi tantùm sit sermo de vitâ hominis animali. Affert loca nonnulla, ubi mors corporis designatur emblemate spiraculi vitæ, quòd Deus ab homine reducet [*q*]. Et Deus de omnibus indiscriminatim animantibus dicit *Genes* VI, 17: *Omnem carnem, in qua est spiritus vita*.

Sed repugnant huic opinioni Patres (*r*), notantes, Deum spiraculo oris sui animam homini indidisse, infusâ in ejus corpus re quadam spirituali, nec corpori subjectâ, a Deo ipso nullo intermedio datâ, adeòque nulli sive corruptioni sive morti obnoxiâ. Id pariter observavit Ecclesiastes XII, 7: *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Ex Moysis Textu illo facilè deduxerunt Platonici (*s*) aliique nonnulli Philosophi sententiam de hominis animâ, tanquam divinitatis portione. Horatius *l.* 2, *Satyr.* 2.

Quin corpus onustum
Hesternis vitiis, animam quoque prægravat unà,
Atque affigit humo divinæ particulam auræ.

Spiraculum illud vitæ interpretantur Patres nonnulli (*t*) Spiritum Sanctum & Sanctificantem, inditum a Deo Abrahamo, quo collata illi animæ vita, justitia nempe, gratia, & sanctitas morum. Sed expositio illa, justa licèt & vera, literalis tamen nequaquam censenda est; ex eo enim vitæ spiraculo indito homini, homo ipse animal appellatus est. *Factus est homo in animam viventem*.

Factus est homo in animam viventem. Homo ab ipsâ sui creatione perfectum obtinuit corporis statum vitamque, ut omnibus præstandis humanis officiis par esset. Verti posset Textus (*u*): *Factus est in spirationem vita*: Spirare scilicet & vivere datum est illi. Chaldæus vertit: *Factus est spiritum loquentem*; scilicet, spiritum & loquendi facultatem recepit. Spirare & loqui vitæ functiones sunt, quæ non rarò pro vitâ ipsâ usurpantur.

En genuinam hominis originem, ut mirari subeat, in eam devenisse homines statûs sui ignorationem, ut neque originis suæ recordarentur. Miseratione digni sunt Poëtæ, cùm hominum exordia describunt, quos natos dicunt e terrâ recenti & cœlesti semine fœcundatâ; sive coagmentatos asserunt a Prometheo e terrâ quadam molli, admixto humore subactâ, cui plastico opere formato animam Prometheus ipse indiderit, subducto furtim e Cœlo igne (*x*). Absurdiora sunt quæ ferunt de Deucalione & Pyrrhâ, qui jactis post ter-

(l) *Vide Saadia apud Kimchi & alios.* (m) *Aquil.* Ἐπικλύνμος *a'tâs* . ἐπιβλυσμὸς, *Scatebra. Septuag.* Πηγή. (n) וייצר יהוה אלהים את האדם עפר מן האדמה
(o) *Irena. l.* 3, *c.* 31. *Tertul. de Carne Christi*, *c.* 17. [p] *Aristophanes*, πλάσματα πηλοῦ.
(q) *Si spiritum illius & flatum ad se trahet, deficiet omnis caro simul. &c. Job* 34, 14; *& Psal.* 103, 29: *Auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur. Vide Eccles.* 12. 7. *Act.* 18, 25. (r) *Philo de opificio mundi p.* 31, *& lib. de plantatione Noë*, *p.* 217, *& l. Quòd deterius, &c. p.* 170, 171. *Aug. l.* 13, *de Civit. c.* 24; *& Cyrill. l.* 12 *in Joban. c.* 56; *Athanas. &c.* (s) *Plato Phædr. p.* 79, 80, 81, 95, *& alibi sæpius.* [t] *Ambros. lib de Paradis. c.* 5 *Basil. in Psal.* 48, *Cyril. l.* 11 *Joban. c.* 47. (u) ויהי האדם לנפש חיה
(x) *Ovid. l.* 1, *Metam.*

Natus homo est: sive hunc divino semine fecit,
Ille opifex rerum, mundi melioris origo;
Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat semina Cœli.
Quam satus Iapeto mistam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.



Digitized by Google

tergum lapidibus homines post diluvium produxerunt (y).

Nec æquiora tradunt eâ in re Philosophi; seriò enim asserunt, alii mundum jam inde ab æternitate constare, ut frustrà primus homo assignandus susciperetur (z). Huic sententiæ asserendæ magna nomina, magnæ authoritatis momenta, afferuntur. Pythagoras, Cereius, Architas, omnesque Pythagoricæ Scholæ Philosophi: ad hæc Plato, Xenocrates, Dicæarchus, Aristoteles, Theophrastus, & Peripateticorum sanè multi, qui asserendum sibi duxerunt, successionem quandam & circulum infinitarum generationum præcessisse, inter quas frustra assignaretur prima. Cæteri verò Philosophi, quibus principium mundi constituere visum est, nihil tamen habent Philosopho satis dignum. Ægyptiorum eâ de re sententiam supra adduximus: gemina fermè docuit Anaximander apud Græcos. Plus aliquid addendum succurrit Empedocli apud Lucretium; habet enim persuasum, terram non hominem primò effudisse, sed hominum membra varia variis in locis; membra verò illa casu inter se coëuntia mares reddidisse & fœminas; ex quibus deinde genus hominum naturali propagatione deductum.

Humentem & calore Solis fotam terram in sinu suo filios concepisse, tenet Epicurus, eosque natos aluisse parentem terram dicit lacteo quodam humore; ac tandem adolescentes homines terræ filios alios subinde & alios homines produxisse. Veræ etiam hominum originis ignorationi debentur fabulæ illæ, apud Veteres receptæ, de aliâ quarumdam gentium vetustate, de productis quibusdam orbis populis spontè ab illâ, quam incolebant, terrâ. Huc etiam refertur persuasio populorum Atticæ, Arcadiæ, & Thessaliæ, aliarumque regionum, e terrâ natos sese asserentium; sicuti & eandem e terrâ originem ultro concedentium populis, quorum ignorabant originem.

Isaacus Peyrerius, scripto de *Præadamitis* opere, & in Hollandiâ anno 1652 vulgato, sat notus, demonstrandum susceperat, homines fuisse in mundo ante Adamum; Deum enim produxisse homines & quidem frequentes in omnibus mundi partibus die sextâ creationis, diu ante creatum Adamum. De Præadamitis usurpat verba illa Geneseos I. ℣. 26, 27: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris & volatilibus Cœli &c. Et creavit Deus hominem, ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos*; i. e. juxta ejus interpretationem, homines magno numero utriusque sexûs hinc inde dispersos creavit, sicut ex omnibus animantum generibus plura per totam terræ faciem produxerat. Diù pôst conditus Adam, juxta illud *Genes.* II. 7, *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Ex hominibus sextâ die productis Gentiles referendi sunt; ex Adamo genus electum, nempe Judæi. In suo Opere scribendo illud unicè Moysi fuerat consilium, ut populi sui tantùm scriberet historiam, non omnium hominum generatim, ac proinde de hominibus aliis nonnisi obliquè, & si quid tantum haberent cum Judaicis rebus connexionis, meminit.

Addit, diluvium Noëmicum non universum quidem inundasse mundum, sed frequentatas tantùm Hebræis regiones; quare non omnes mundi gentes originem suam debere Sem, Cham, & Japhet filiis Noë. Adam Dei jussiones transgressus, crimen induxit in mundum, cujus contagione universa ejus posteritas infecta est. Ad Gentiles quod attinet, cùm e Præadamitis parentibus nati essent, nec proinde sive Legem sive præcepta recepissent a Deo, neque prævaricationis rei facti sunt, quamquam vitam agerent criminibus non prorsus expertem: sed crimina illa imprudentibus non imputabantur, erant enim veluti materialia quædam peccata, quorum injuria non referebatur in Deum, utpote quem rudes illi homines prorsus ignorabant.

Fidem adstruit systemati huic suo Peyrerius ex illo potissimùm Apostoli ad Romanos 5, 13, 14: *Usque ad legem peccatum non erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysem, etiam in eos qui non peccaverunt in similitudinem prævaricationis Adæ.* Sermonem ibi esse contendit Author de lege Adamo primitùs datâ; ante Adamum crimen regnasse in mundo, sed non imputatum rudibus illis, qui tunc erant, hominibus. Aliud systematis sui deducebat ille argumentum ex jactatâ, etiam ultra tempora e Mosaicis Voluminibus nota, antiquitate Chaldæorum, Ægyptiorum, Æthiopum, Scytharum, & Sinensium.

Systema illud, infelicissimè licet excogitatum, theatrum sibi fecit in mundo; cujus tantam esse perniciem senserunt viri quidam docti, ut ejus refutationem opportunum sibi ducerent suscipiendam. Ursinus, Upertus Hannoveræ, Eusebius Romanus, P. Alexander, aliique nonnulli calamum in eâ re suum exercuerunt; quin & ipse systematis inventor captus Bruxellis, atque e præsentissimo discrimine, Condæi Principis, cujus servitiis erat addictus, authoritate, liberatus, recipiens sese Romam, Calvinismum atque Præadamitarum universum systema ejuravit, quod etiam parvâ Lucubratione impressâ palàm omnibus fieri voluit a diem tandem clausit ad nostram Dominam *des Vertus*, quò sese receperat.

Discrimen illud ab Authore invectum inter tempus, quo a Deo primi homines creati sunt, & aliud, quo Adam conditus, errantis est ludibrium phantasiæ; nihil enim eâ de re sive tacitum sive expressum in Scripturâ; utrinque enim in duplici Textu ab Authore adducto, Moyses sermonem habet de Adami productione. Quæ de non imputato crimine Author comminiscitur, non fabulosa sunt tantùm, sed & impia. Nunquam enim homo naturali lumine & synderesis stimulis caret, quibus intelligere cogimur, quid sit inter bonum malumque discriminis, utì fusiùs Apostolus in Epistolâ ad Romanos. Loca illa, quibus Peyrerius abutitur, apertè præferunt Legem Mosaicam, quam *Legis* nomine sine addito Apostolus designat, tunc maximè, cùm statum *Legis* opponit statui *naturæ*, in quo nulla erat hominibus lex data, nisi quam natura sancit & naturale lumen declarat. Tandem jactata illa Chaldæorum & Ægyptiorum antiquitas fidei est sublestæ, utì viri plures doctissimi, & nos pariter de Chronologiâ scribentes demonstravimus.

Nec systematis huius de Præadamitis primus Author Peyrerius habendus est; legimus enim in Libro Cozai, quem scriptum ferunt a Rege quodam

(y) . . . *Quo tempore primùm*
Unde homines nati, durum genus in orbem,

(z) *Censorin. de Die natal.* c. 3.

Digitized by Google

℣. 8. Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat.

COMMENTARIUS.

dam Cozar, spectata olim apud Indos ædificia, 100000 annorum vetustatem referentia. Sermo sibi pariter de vetustis quibusdam Libris, in quibus mentio erat Janbuzar, Zagrit, & Roani, qui Adami ætatem præcesserunt. Janbuzar præceptor erat Adami. Asserit R. Abrar, virum quendam, cui nomen Giafar, Turcarum Imanum, vitam agentem circa annum 770, Præadamitam fuisse; contendebat enim, tres Adamos præcessisse illum, de quo Moyses; expectari autem venturos adhuc 17, quòd totidem etiam revolutiones mundo superventuræ essent, quarum singulas consecuturum esset novum hominum genus, creatum ad imitationem Adami illius ejusque posterorum, quorum novimus historiam. Fabellas hasce omnes otiosis permittimus, exposuisse tantùm contenti, ut absurdum omne intelligatur. Profectò si Peyrerii palinodia, si opinionis illius novitas, vetustæ ultra 5000 annorum traditioni opposita, Scripturæ repugnans, & iis omnibus quæ vetustate asserta sunt; si scriptæ adversùs systema illud Lucubrationes nihil valent, ad avertendum, quod ex eo imminet, discrimen, frustra esset refutatio hæc nostra, cùm nihil novi addendum jam dictis succurreret: præstaret utique, ut senescere tandem permissus error, & aliis & sibi ipsi esset contemptui. Sed obiter absurda ejus nonnulla pro datâ opportunitate expendemus.

℣. 8. Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis a principio. Nulla facilè est in Scripturâ quæstio, quæ in diffitas adeò sententias Scriptores distraxerit, quàm quæ de situ Paradisi terrestris agitatur: quæ opinionum varietas argumenti hujus ambiguitatem operosamque discussionem satis demonstrat (a). „ Sunt qui locum ill. assignarunt in tertio Cœlo, in quarto, in Cœlo Lunæ, in ipsâ pariter Lunâ, in monte Cœlo Lunæ proximo, in mediâ aëris regione, extra, supra (b), infra terram, in abdito tandem, & ab hominum cognitione remoto spatio (c). Sunt qui constituunt sub Polo Antartico, in Tartariâ, in loco, quem modo Caspium mare occupat; in extremâ meridionali orâ, in Terrâ ignis. Malunt alii Orientales regiones, sive Gangis ripas, sive Insulam Ceilan, Iodorum nomen deducentes ab *Eden*. Placet nonnullis Sinensis tractus, sive alius ultra Orientem, incolis destitutus; in Armeniâ; in Africâ sub Æquatore (d); in Oriente æquinoctiali; in montibus Lunæ, ubi Nili fontes esse creduntur. Pleríque statuunt Asiam, vel scilicet in Armeniâ minori, vel in Mesopotamiâ, vel in Syriâ, Perside, Babyloniâ, Arabiâ, Assyriâ, Palæstinâ. Quin nec desunt qui in Europâ collocent. Philo lib. 1 Allegor., & Origenes Paradisum spiritualem tantùm agnoscunt. Invisibilem locum putabant Seleuciani. *Vide August. de hæres. n. 29.*

Cl. Clerico Paradisus iste locus est in Syriâ, circa Libanum, Antilibanum, & Damascum, protensus in Mesopotamiam usque, ubi fontes Author ille assignat Tigridis & Euphratis. Phison ipsissimus est Chrysorroas, modicus in eo tractu amnis; Gehon verò Orontes; terra Chus designat montes Cassiotides; regio Eden vicum cognominem in Syriâ. Cautiùs sententiam in eâ re suam retinuerunt Veteres; nec ante sæculum septimum aliquem agnoscit Jansenius, qui certum Paradiso locum assignare auderet. Præstaret fortè, hanc Patrum cautam modestiam imitari; sed nec immeritò suspicaremur, ex eo silentio nescio quid invidiæ in veritatem Scripturarum apud obtrectatores creari posse. Curandum est igitur, ut Paradisi terrestris situs vel circiter tractus investigetur, indicium præbentibus vestigiis ejus nonnullis vel longâ ab hinc ætate, vel hodie usque manentibus.

Argumenti genus hoc omnium exactissimè excussit Huetius, olim Abrincensis Episcopus, scriptâ de Paradiso terrestri Lucubratione. Constituit ille ad amnem in confluente Tygridis & Euphratis, quem fluvium appellant hodie amnem Arabum, in loco potissimum inter aquarum junctionem novumque divortium, antequam in Sinum Persicum influant, medio. Hujus amnis orientalem plagam Paradiso assignat; cùm autem, ait ille, alveum habeat in quatuor distinctum veluti ramos, spectatis scilicet duarum aquarum junctione & divortio, ideò quatuor e Paradiso amnes fluere dicuntur.

Duo illi amnes in unum confluentes sunt Euphrates, & Tygris, duo verò ex aquarum divortiis resultantes, sunt Phison, & Gehon: ille scilicet Occidentalem designat, alter verò, nempe Gehon, Orientalem Tygridis canalem, qui in Sinum Persicum devolvitur. Paria fermè sensisse creditur Bochartus, quantum e nonnullis ex ejus Operibus subodorari licet (e).

Magnâ licet teneamur tantorum hominum æstimatione, nova tamen quædam in rem præsentem afferre abs re non esse arbitramur. Demonstrare ergo pro viribus conabimur, Paradisi terrestris locum fuisse in Armeniâ, ad fontes Tygridis, Euphratis, Phasidis, & Araxis. Certum autem constituimus, Moysem Genesim scripsisse in Arabiâ Petreâ, quam potissimùm regionem spectarit in determinando locorum, de quibus agit, situ. Persuademur etiam, designasse illum Israëlitis locum hunc Paradisi e vestigiis illâ adhuc ætate remanentibus, quibus veluti indiciis regionem, in qua potissimum constitutus esset, intelligerent. Verba autem illa Moysis: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis, qui inde dividebatur in quatuor capita*, prono & literali sensu interpretamur de fonte sive lacu, qui in amnes quatuor dispescitur. Tandem duo veluti puncta ad distinguendum situm Paradisi habemus fixa, Tygridem, nempe & Euphratem,

(a) *Vide Huët. de situ Paradisi p. 4. 5. Vide & Origenian. l. 2. q. 12. art. 7. 8.* (b) *Basil. homil. de Parad. & Damasc. l. 2. de Fide orthodoxâ c. 11.* (c) *Tertull. Apolog. c. 47. Aug. l. 8. de Genesi ad lit. c. 7. Theodoret. q. 29. in Genes. &c.* (d) *Durand. in 2. Dist. 57. q. 3.* (e) *Vide Phaleg l. 1. c. 4. & de Animal. sacris part. 2. lib. 5. c. 6.*

phratem, quorum erant in Paradiso fontes. Recta utique ratio postulat, ut duo illi amnium fontes ad eundem fermè locum investigentur, nec alibi constituatur hortus Eden, quàm ad fontes omnium proximiores Tygridi & Euphrati; dummodò tamen ibi characteres alii a Moyse expressi distinguantur; nec tanta regionis amplitudo in Paradisi locum assignetur, ut ex horto veluti Provincia reddatur. Modò singulas Textûs particulas ad nostram hypothesim discutiamus.

PLANTAVERAT DOMINUS DEUS PARADISUM VOLUPTATIS A PRINCIPIO. Hebræus (*f*): *Plantaverat hortum Eden ad orientem*, sive *a principio*. Tenent aliqui, hortum illum unà cum ornamentis suis omnibus tertiâ creationis die e manu Dei prodiisse, quo scilicet temporis articulo plantæ creatæ sunt (*g*). Alii consitum a Deo malunt post formatum Adam, nec sanè nisi in gratiam illius conditum a Deo locum intelligimus e Textu Moysis.

S. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis referens Judæorum sententiam de Paradiso ante mundum creato, fidem illi adstruit e versionibus Græcis, quæ Hebræum *Mikkedem* (*h*) interpretatæ sunt *a principio*. Aquila verterat *a principio*, ἀπὸ ἀρχῆς, Symmachus *ex primo* ἐκ πρώτης. In eam sententiam locum exponit Author quarti Esdræ III, 6: *Induxisti eum in Paradiso, quem plantaverat dextera tua, antequam terra adventaret.* Paraphrastes Onkelos vertit, utì S. Hieronymus, *a principio*. Verùm Septuaginta, Josephus, & Græci Patres (*i*), cum Latinis Interpretibus inter recentiores plerisque, vocem illam de Oriente usurpatam autumarunt. Syntaxis Textûs Originalis favet Versioni *a principio*; sed non desunt exempla, in quibus particula *Min*, *ab*, ponitur loco *ad*, ut sit *ab Oriente* pro *ad Orientem* (*k*). Vox *Kadem* cùm de loco aliquo usurpatur, semper designat Orientem; valetque pro designandis Provinciis Palæstinæ Orientalibus, utì Arabiâ desertâ (*l*), terrâ Nod (*m*), monte Jephar (*n*), regione Transeuphratæâ (*o*), ac tandem Ammonitarum & Moabitarum (*p*).

PARADISUM VOLUPTATIS. Hebræus *hortum in Eden*. Septuaginta vocem *Eden* usurpant veluti de certi cujusdam loci nomine; sed ℣. 15. in sensu appellativo pro loco aliquo amœno dictam censent. Patres Græci vulgò tenent, Eden certi loci nomen esse, quem sensum Syntaxis Originalis postulare videtur: *Plantaverat hortum in Eden*. Quid enim esset, *plantaverat hortum in deliciis?* Quærendus est ergo certus situs regionis Eden; hoc punctum est quæstionis.

De regione Eden frequens recurrit in Scripturâ mentio, nec obscuri ad eam distinguendam in eâdem Scripturâ characteres. In Isaia 37. 12. populi Eden, qui etant in Thalassar, unà cùm populis Gozan &c. convenire perhibentur. *Nunquid eruerunt eos Dii gentium, quas subverterunt patres mei, Gozan, & Haram, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thalassar?* Eadem totidem verbis legas pariter 4. Reg. XIX, 12. 13. & ibidem XVIII, 11. relatum est, Israëlitas propriis sedibus a Salmanassare Rege Assyriæ avulsos, translatosque in Assyriam, mansisse in *Hala, & in Habor fluviis Gozan, in Civitatibus Medorum*. Eadem ad verbum recurrunt cap. 16, 6. sed ℣. 24. ejusdem capitis legimus, Reges Assyriæ post translatos trans Euphratem Israëlitas vacuas eorum sedes concessisse gentibus Babyloniæ, Cutha, Sepharvaim, Evah, & Hemath.

Ex his omnibus simul collatis resultat, Provinciam Eden finitimam constitui oportere ad Gozan, Haram, Reseph, cæterasque Regiones jure armorum a Teglatphalassare occupatas, trans Euphratem, & in Mediâ, in *Civitatibus Medorum*, in Colebide, ad Chaboram. Occurrunt in Esdrâ Israëlitæ captivi in montibus Caspiis. Fusiùs hæc omnia legas discussa in Dissertatione de Regione, quò decem Tribus translatæ sunt, ad Libros Paralipomenon. His autem omnibus veluti manuducti, proximè accedimus ad Armeniam & fontes Tygridis ac Euphratis: nec alibi sanè regionem Eden constituendam arbitramur.

Hìc autem Moyses duo veluti fixa puncta notat, quò certiorem ejus Provinciæ locum agnoscamus. Tradit enim, Euphratem & Tygridem e Paradiso fluere; vide ℣. 10. & 14.

Eundem circiter locum designat Ezechiel XXVII, 23. cùm scilicet Mercatores Eden jungit cum Mercatoribus Charan, & Chene, omnes ad Tyri Emporium convenire testatus. Cùm enim regiones illæ omnes intra Assyriæ ambitum vel circa illam contineantur, non longè profectò regionem Eden statui oportere intelligimus. Ut autem exactius aliquid offeramus, suspicamur, *Adiabenen* Assyriæ provinciam, Armeniæ quandoque adhærentem (*q*), portionem fuisse veteris regionis Eden. Nomen *Adiabene* derivari potest ex Hebræo *ab-Adenim*, Pater Adeniorum; vel ex *ben-Aden*, filius Aden, cujus mentio Isai XXXVII, 12. Caldæus Paraphrastes pro *Charàn, Chenne, Eden, Ezech.* XXVII, 23 reddit *Carra, Nisibis, Adiab*, quæ ipsissima est Adiabene, utì ex Talmud intelligimus (*r*).

Quæ tamen nomine Eden censebatur Provincia, ampliores habebat quàm Adiabene fines, quippe quæ intrà se continebat fontes Tygridis, Euphratis, Phison, & Gehon. Amnis Chaboras ad eam pariter regionem pertinebat, ut ex Talmudistis animaduersum est (*f*); & ad amnem illum adjacentem urbem *Addaam* notat Ptolemæus. Porrigebatur ergo Eden ad totam Sophenem, Adiabenen atque ad Mesopotamiæ, Armeniæ, & Colchidis portionem. Spectare licet adhuc vestigia quædam nominis Eden in Sophena, inter Montes Masium & Antitaurum. Eam Provinciam Æticus in *Cosmograph. pag.* 4. & 8. appellat *Adonidem*; addens pariter, amnem *Armodium* perluere Provinciam Adonidem & Mesopotamiam. *Madenam* nuncupat Sextus Rufus *in Luculli expedit. c.* 15. *Madenam opimam Armeniorum regionem obtinuit.* Hujus tractûs amœnitatem, uberemque fertilitatem,

qua

(f) גן בעדן מקדם (g) *Aug. l. 8. de Genes. ad liter. c. 3. Rupertus, Beda, Hug. de S. Vict. & pleriq; recentiores.* (h) מקדם *Septuag.* κατ' ἀνατολάς. (i) *Chrysost. homil. 13. in Genes. Irena. l. 5. c. 5. Theophil. Antioch. l. 11. ad Autolyc. Diod. Tars. apud Theodoret. &c.* (k) *Genes.* 3. 24. וישכן מקדם לגן עדן *Genes.* 13. 11. & 1. *Reg.* 14. 15. & 2. *Reg.* 11. 2. *collat. cum* 1. *Par.* 13. 6. (l) *Genes.* 4. 16. *Judic.* 6. 3. & 7. 12. & 8. 10. & 9. 30. *Job* 1. 3. (m) *Genes.* 10. 30. (n) *Genes.* 28. 14. & 29. 1. (o) *Isai.* 19. 12. & 11. 14. ארם מקדם *Aram ab oriente.* (p) *Ezech.* 25. 4. 10. (q) *Adiabene nonnunquam Armenia adhæreſcit. Plin. l.* 15. (r) *Talmud. tract. Barabatra & Kiddusim.* (f) *Tract. Kiddusim. Chabor* 4. *Reg.* 17. 16 *est Adiab.*

Digitized by Google

℣. 9. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave: lignum etiam vitæ in medio Paradisi, lignumque scientiæ boni & mali.

℣. 10. Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.

COMMENTARIUS.

qua cæteras Armeniæ regiones superat, prædicant Sciptorum plurimi.

Sita est ad amnem Chaboram urbs *Aphadena*, cujus facilè nomen ex *Aph* & *Eden*, nempe frons seu opposita Eden; sunt & in Colebide, authore Arriano, *Athena*, & *Adienum*, in quibus nominis Eden vestigia. Diodorus Siculus *l.* 17 beatam prædicat fertilitatem agri regionis Uxiorum, ubi Tygridis fontes; pertui enim tractum illum dicit frequentissimis fontibus, quibus solum irrigantibus, fructibus abundat exquisitissimis, qui Babylonem usque per cymbas totum amnis tractum dimetientes secundo aquarum cursu devehuntur. Asserit Q. Curtius *l.* 5, *init.* agrum ad fontes Euphratis & Tygridis opimia adeò pascua gregibus sufficere, ut abstrahere illos necesse sit a pascendo, metu ne saginati nimiùm disrumpantur. Hanc agri ubertatem efficit, ait ille, aquis duorum amnium, viscera terræ illius intimè penetrantium, solum irriguum. Hæc vestigia sunt amœnissimi illius horti, quem Deus primis humani generis authoribus paraverat.

℣. 9. PRODUXITQUE DE HUMO OMNE LIGNUM PULCHRUM VISU &c. Reddi potest Hebræus (*t*): *Germinare* (vel emittere) *fecerat e terrâ omne genus lignorum - - - & arborem vitæ, cum arbore scientiæ boni, & mali.* Velutì si verbis hisce insinuaret Moyses, Deum præcocius hæc omnia adolescere jussisse, quò ad hominis statim inducendi delicias præsto essent. Cùm autem Sacer Historicus statim antea egisset de regione Eden, ideò eamdem pariter designatam credimus hìc nomine *terræ: Germinare fecit - - - de hac terrâ omnem arborem &c.* Quæ ad arborem scientiæ boni & mali pertinent, infra discutiemus; acturi enim tum de illo fusiùs, cùm sermonem de Paradiso terrestri sub uno veluti contextu continuatum absolverimus.

℣. 10. ET FLUVIUS EGREDIEBATUR DE LOCO VOLUPTATIS AD IRRIGANDUM PARADISUM, QUI INDE DIVIDITUR IN QUATUOR CAPITA. Si litera Textùs attendatur, insinuari videtur e regione Eden fluxisse divitem quendam amnem, atque Paradisum subiisse, ut pingue solum uberibus aquis irrigaret; inde verò in quatuor partes diffusum, totidem ingentes amnes reddidisse, videlicet Euphratem, Tygridem, Phison, & Gehon. Verùm Interpretes ferè omnes ita locum intellexerunt quasi hortus in regione Edem consitus esset; haberetque in sinu suo fontem amnis uberibus aquis solum irrigantis; quæ deinde aquæ quatuor ingentes amnes implerent. In hac igitur hypothesi philosophamur. Non est a nobis hic expectandum, ut designetur in mundo amnis vel fons, unde quatuor illi amnes oculorum testimonio fluere probentur, nimirum Euphrates, Tygris, & duo alia flumina. Neque enim in nos suscipiemus affirmandum, id saltem Moysis ætate spectatum, sive in eum sensum verba ejus usurpata ab Hebræis. Satis est, si ante diluvium, quo tempore Adam locum hunc voluptatis inhabitavit, flumina illa ex uno eodemque vel fonte vel amne, nullo intermedio, defluerent, juxta ac Moyses testatus est; satisque habituros Lectores credimus, si in regione Eden indicemus fontes Tygridis, & Euphratis, sicut & duorum ingentium amnium, cum quibus descriptio Moysis de Phison & Gehon optimè constet. Fieri enim potuit, ut diluvium fontes illos invicem divelleret: ac post tot annorum successionem, post tot terræ vices & concussiones, monstri ne loco erit habendum, si indivisi olim amnium fontes nec eumdem, quem priùs, teneant locum, nec amicam illam servent affinitatem.

Quæ unum eumdemque Tygridi & Euphrati constituit fontem sententia, nec recèns invecta est, nec singularem habet in Moyse assertorem. Gemina enim tradiderunt e veteribus plures (*u*). Scitum est quidem, duo illa flumina hodie suos habere fontes in Armeniâ locorum intervallo satis invicem divulsos; fateri tamen cogimur, nec ambigendi locus est ullus, post datum a Moyse testimonium; communem fuisse utriusque originem, atque e Paradiso terrestri utrumque fluxisse. Hodie pariter ex iisdem Armeniæ montibus, quanquam dissito loci spatio, quatuor ingentia flumina referunt originem; defluit enim Euphrates ab Occidente, Araxes ab Oriente; Phasis a septentrione, & Tygris multò ab Euphrate remotior a Meridie. Inter duorum illorum amnium fontes Strabo constituit 2500 stadiorum, nempe 100 leucarum, trium milliarium in singulas, intercapedinem (*x*). Non abs re tamen suspicaremur, Geographum hunc doctissimum spatii hujus dimensionem ducere a fonte,

---

(*t*) ויצמח יהוה אלהים מין האדמה כל עץ... ועץ ים כתוך הגן ועץ הדעת טוב ורע

(*u*) *Lucan. Pharsal. l.* 3.

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diversis fontibus edit
Persis - -

Boët. l. 2. *de consolat. Philosophiæ, carm.* 1.

Rupis Achemeniæ scopulis ubi versa sequentum
Pectoribus figit spicula Persa fugax,
Tigris & Euphrates uno se fonte resolvunt,
Et mox abjunctis dissociantur aquis. *Vide & Salustii fragmenta.*

(*x*) *Strab. l.* 11. *p.* 501. Διέχουσι δ' ἀλλήλων αἱ πηγαὶ τοῦ τε Εὐφράτου, καὶ τοῦ Τίγριδος περὶ δισχιλίους, καὶ πεντακοσίους σταδίους, &c.

℣. 11. Nomen uni Phison: ipse est, qui circuit omnem terram Hevilath, ibi nascitur aurum.

COMMENTARIUS.

fonte, ubi super terram erumpit Euphrates, ad usque locum, ubi Tygris nomen illud primò obtinet; constat enim inter Geographos, Tygridem alia obunero in exordio sui cursùs & infra etiam nomina; tum denique Tygridem appellari, cùm aucto aquis alveo, rapidissimus fluit.

Q. Curtius (*y*) insinuare videtur, duo illa flumina communia habere exordia; facto verò aquarum divortio, alterum ab altero recedere, ubi maximè, 2500. stadiorum intervallo circa montes Armeniæ. Quæ si vera sint, Strabo amplissimam tantùm eorum distantiam in laudatâ supra dimensione notavit. Luculentiora & magis exacta tradit Xenophon (*z*), iter describens a se confectum, cum scilicet post expeditionem Cyri junioris unà cum Grecorum copiis, quibus cum euntem illum Regem prosequutus fuerat, regrederetur. Narrat ille, se cæterosque socios, cùm ad amnem Pigretem pervenissent, (ita Tygris appellatur in montibus Carduchis) nec transvadandi ex aquarum profunditate ratio ulla suppeteret; ab Incolis percontantes intellexisse, montibus Carduchis superatis tentandum esse transitum ad amnis illius fontes, ab Euphratis fontibus non plane dissitos. Historiam autem prosequutus, refert, post iter 60 milliarium, nempe 20 leucarum circiter per loca maximè confragosa & ardua venisse tandem ad Euphratem, non longè ab ejusdem amnis exordiis.

Procopius *De bell. Pers. l. 1, c. 17* pariter duos illos amnes ex uno eodemque monte derivat. Assurgit, ait ille, in Armeniâ, 42 stadiis a Theodosiopoli, mons quidam, non sanè inter maximè arduos, unde duo fontes, duobus ingentibus amnibos aquas sufficientes, nimirùm Euphrati, & Tygridi. Legimus in relatione quadam Missionis Curdistan, anni 1681, frequentare regiones illas mixtos inter incolas Jesides, nomen sibi e Jesu Chisto, cujus profitentur Religionem, adsciscentes; genus sunt Curdorum, quorum nullæ fixæ sedes, & erratica semper vitæ ratio; dum autem æstus fervet, tædium fallunt in terrâ jucundissimâ planie, cujus nomen Ben-gueil, i. e. mille fontes. Attollitur hìc lenis quidam collis, gratis aspectu arboribus consitus, innumeris floribus variatus, quem fontes (ad 1000 recensent) frequentissimi irrigant; ex his fontibus ducti rivi confluunt in vallem, divisoque in quatuor amnes fluento, totidem ingentibus amnibus aquas sufficiunt, Tygridi, Euphrati, Goëzo, & Chalicb, qui cùm latentibus meatibus semel, iterum & sæpiùs sub terram influentes decurrant, identidem tamen in lucem erumpunt. Eo loci situm fuisse Paradisum, recepta in populo ejus regionis traditio tenet.

Facilè hæc cum hypothesi nostrâ concilies; favet enim huic opinioni incolarum traditio, soli ubertas, fontes, quorum terra ebibit aquas, iterumque restitnit in lucem; verùm, uti supra jam animadvertimus, nihil est, quo cogamur hodie pariter ostendere lacum aliquem, aut amnem, sive aquarum aliquod receptaculum, quatuor fluminibus ad sensum aquas suppeditantem. Satis erit nobis, si designemus quatuor amnium fontes in eâdem Provinciâ, quibus omnia a Moyse notata conveniant. Jucundissima quædam in Armeniæ montibus occurrunt loca, opima pascua, aquis irrigua, arbores fructiferæ (*a*); ac frequentes numero Scriptores autumarunt, certum Paradisi locum assignandum esse in Armeniâ, in eâ regione, in qua mons Ararat celsissimus inter omnes ejus regionis spectatur; porrò in ejus montis vertice consedisse Arcam post diluvium, sanctum traditione habent Armeni.

℣. 11. Nomen uni Phison. Inter quatuor amnes e fonte Edem repetendos primus est *Phison*, idest *Phasis*, celebris in Colchide amnis. Intelligunt profectò omnes quanta sit inter Phasidem & Phison nominum affinitas. Vox Phison sonat [*b*] crescere, diffundi, augeri, quod satis convenit Phasidi. Fluens illo e montibus Armeniæ devolvitur in Pontum Euxinum (*c*); nullusque est in Colchide aquarum gloriâ magis inclytus. Augent fluentum amnes, aquarum vectigal subinde principi illi fluminum pendentes; majora patitur navigia toto tractu 38700 passuum, minoribus navibus multò altiùs excurrentibus. Pontes ad 120 impositi, urbes in ripâ frequentissimæ. Ubi in mare influit alveus MD passibus in latum porrigitur, LX in profundum. Porrò Colchis regio erat negotiatoribus, si quæ alia, frequentissima (*d*), ut ad 300 variarum linguarum gentes in unâ ex ejus Urbibus negotiationis gratiâ interdum convenirent; sicuti & ad commercii commodum ad CXXX interpretes stipendiarios ibi detinuisse Romanos, testis est Plinius (*e*).

Ipse est qui circuit omnem terram Hevilath. His potissimùm Phison a tribus aliis fluminibus distinguitur. Nominis Hevilah duo occurrunt in Scripturâ viri; quorum alter filius Chus *Genes.* 10, 7, alius Jectan, *Genes.* 10, 29. Ex his alter frequentavit regionem Arabiæ desertæ, circa extremas oras Euphratis; occidentales habuit Ismaëlitas, & Amalecitas, & agrum incoluit a deserto Sur ad usque Ægyptum protensum, quod ex *Genes.* 25, 18, & 1 *Reg.* 15, 7 intelligimus. Parum utique refert, cuinam e duobus hisce viris cognominibus regio Hevilah ad Phison nomen suum debeat, investigare; satis est enim nobis, si ejus nominis tractus aliquis reipsâ ad amnem demonstretur, inclinamus tamen in filium Jectan, cujus liberos in Armeniâ, Mesopotamiâ, regionibusque finitimis sedes habuisse suas, alibi demonstrabimus. Constat etiam, Arphaxad filium Sem, partem saltem Mesopotamiæ & Armeniæ frequentasse; ex quo levis conjectura, hujus viri ex filio nepo-

(y) *Quint. Curt. l. 5. Ipsi amnes ex Armenia montibus profluunt, & magno deinde aquarum divortio iter quod cœpère percurrunt. Duo millia & quingenta emensi sunt, qui amplissimum intervallum circa Armenia montes notaverunt.* (z) *Xenophon, de expedit. Cyr. Jun. l. 4. initio.* (a) *Vid. Xenoph. Cyropæd. l. 3. pag. 91.* (b) פשון Phison, *ex* פשה *crescere, diffundi.* (c) *Plin. l. 6. c. 4. 5. & Strab. l. 11.* (d) *Timosthen. apud Plin. l. 6. 4. & 5. & alii apud Strabon. l. 12.* (e) *Plin. l. 6. c. 5. Postea à nostris 130. Interpretibus negotia ibi gesta.*

℣. 12. Et aurum terræ illius optimum est: ibi invenitur bdellium, & lapis onychinus.

COMMENTARIUS.

nepotem vastas illas Provincias incoluisse unà cum patribus suis; ubi quas partes locorum sibi assignatas haberent, indicat Moyses *Genes.* 10, 29, 30, *Et Ophir, & Hevilah, & Jobab; omnes isti filii Jectan; & facta est habitatio eorum de Mesa, pergentibus usque Sephar montem orientalem.*

Porro nomine *Messa*, vel *Masa* designatum intelligimus montem Masium in Mesopotamia; & *Saphar* vel *Sephar Saraspirum* in Armeniâ regio, de quibus populis Strabo l. 10 *Saraspanorum* tractus ad Phasidem, de quibus ille l. 11 vel tandem *Tapyrorum*, de quibus pariter idem ibidem, seu potius *Sapirorum* apud Herodotum l. 1, & l. 4 quos populos Colchos a Medis disterminare, idem Historicus asserit. Saphirus gemma est, regionem potissimùm Mediæ ditans (f) ejusque facilè nomen ex incolarum nomine deductum est. Est autem orientalis *Sapirorum* tractus: *Usque ad Sephar montem orientalem.*

Nec abs re suspicor, *Sepharvaitas* de quibus 4 Reg. 17, 6, 7 ipsos esse incolas Sephar, quos proximam Mediæ regionem tenuisse credimus. Ex his autem omnibus inferimus, s Notam fuisse regionem Hevilah circa Armeniam & fontes Euphratis & Tygridis. a Phasidem ejus regionis amnem, characteres omnes a Moyse expressos præferentem, ipsissimum facilè censendum cum Phison ejusdem Moysis. Indicanda tantùm restant in Armeniâ & Colchide, quas amnis ille perluit, vestigia nominis Hevilah, quibus veluti ad sensum demonstretur, verus ejus regionis locus. Hoc igitur faciendum suscipimus.

Sunt in Armeniâ & in Colchide urbes *Cholva*, & *Cholvata* (g) & regio *Cholobetena*, & apud Haitonem *lib. de Tartaris c.* 15 legitur regio *Haloeu* in Armenia. Congruunt optimè Phasidi verba illa, quibus Moyses amnis cursum describit: *circuit*; tanto enim Mæandro fluvius reipsâ volvitur, quanto alius facilè nullus; inde pontium crebra necessitas: *Pontibus centum viginti pervius. Plin.* l. 6 c. 4.

Ibi nascitur aurum, et aurum terræ illius optimum. Colchidem auro ditissimam, metalli ubertate tantùm, sed & puritate celebrari, sat constat. Aurei velleris fabellam ex historiâ utique repetitam norunt omnes: ex historiâ, inquam; asserit enim Strabo (h), amnes, & torrentes regionis Colchidi proximæ aureas ferre paleas, quas incolæ laneis velleribus vel excavatis quibusdam lignis exceptas trahunt. Spectata in Colchide aurea conclavia, trabes, columnas, bases argenteas, asserit Plinius l. 33 c. 3. Immensas equidem ejus regionis divitias Scriptores omnes exaggerant.

Non immeritò credimus, aurum *Phaz* Uphaz, vel Ophaz, de quo sæpè Scriptura (i), ipsum esse aurum Phasidis, de quo illud gloriosum: *Nec ullum absolutius aurum est, cursu ipso trituque perpolitum.* Confirmant hæc Moysis testimonium: *Et aurum terra illius optimum.* Nec est quòd miremur, si Mingrelia, verus Colchis, e beatâ illâ divitiarum ubertate hodie exciderit; Non desunt exempla regionum, quarum inclyta olim fama scientiæ, politiæ morum; sicut & ditissimæ fodinæ atque florentissimum commercium, quæ ne vestigium quidem pristinæ gloriæ servant: superesse tamen hodie usque optimas auri fodinas in Mingreliâ, tenent nonnulli, quas incolæ cautè celant metu ne Turcas & Persas in suam regionem inducant.

℣. 12. Ibi invenitur Bdellium, et lapis Onychinus. Hebræus (k) *Bedolah & lapis Schohem*. Latet vis duarum vocum. *Bedolah* redditur a Septuaginta ἄνθραξ, *carbunculus*. Sed in Num. 11, 7 reddunt christallum. Priorem versionem servant plerique e Græcis & Latinis Patribus (l) S. Hieronymus, post Aquilam, Symmachum & Theodotionem, habet Bdellium: vertendum alii censent *ebenum*, seu *Piperis* aut *chari, phyllinum lignum*. Interpres Persa maluit Beryllum. Arabs & Syrus, & Viri doctissimi sanè multi, de *unionibus* interpretantur. De chrystallo Rabbinorum nonnulli, alii verò de adamante, jaspide, smaragdo, sive de gemmâ alterius generis.

Gemma ego designari vix credo; Moyses enim apponit vocem *Eben*, lapis, ante *Schohem*, & non ante *Bdolah*. Qui *Bdellium* vertunt, ducuntur nominum affinitate, quod persuasit Josepho, S. Hieronymo & recentiorum Interpretum pluribus. a Mannæ color refertur ad *Bdolah Num.* 11, 7; constat autem Mannam, sicut & Bdellium, subflavum colorem reddere, uti Salmasius demonstravit (m). Genus est quoddam *Bdellii* quod Scythicum appellant, e Mediâ vel Scythiâ allatum: est autem Scythia Colchidi vicina; regionem enim sua Scythæ prorogabant usque ad Phasidem, ut infra fiet planum.

Est autem Bdellium gummi genus, ex arbore quodam Arabiæ aliarumque Orientis regionum sudans. Optimum e Bactrianâ accersit Plinius l. 12 c. 9, afferens arborem, unde stillat, atrum referre colorem, ad olivæ mensuram erescere, foliis quercum & fructibus capparim referre. Probatissimum Bdellium limpidum est & subflavum, uti cera, gustui amarum, pingue & odore *ungui odorato* usto non absimile. In Arabiâ, Indiis, Mediâ, & Babyloniâ colligitur. Hoc specimen eorum, quæ de Bdellio habet Plinius.

Qui unionem vertunt, album mannæ colorem fuisse defendunt. Demonstrat Bochartus *de anim. sacr. part.* 2, *l.* 5, *c.* 5 versionem Arabicas, Syras, Talmudistas, Pagninum, Oleastrum, Steuchum, Mercerum &c. uniones præferre. Nullæ profectò uniones in Phison hodie piscatu colliguntur; sed non desunt in proximis illi maribus; nec abs re suspicaremur vel effœtum pretiosis illis gemmis redditum jam amnem, vel piscationem illam neglectam ab incolis.

Nec lapis *Schohem* præ *Bdolah* magis notus. In

(f) *Cærulea & Sapphiri raroque cum Purpura: optima apud Medos. Plin.* 37. *c.* 9. (g) *Ptolom. tab.* 3. *Asia.* (h) *Strab. l.* 11. *p.* 479. Παρὰ τούτοις δὲ λέγεται καὶ χρυσὸν καταφέρειν τοὺς χειμάῤῥους ὑποδέχεσθαι δ' αὐτὸν τοὺς βαρβάρους φάτναις κατατετρημμέναις, καὶ μαλλωταῖς δοραῖς. ἀφ' οὗ μεμυθεῦσθαι καὶ τὸ χρυσόμαλλον δέρας. (i) *Cant.*5.7.*Jerem* 10.5.*Plin.l.*33.*c.*4. (k) שם הבדלח ואבן השהם
(l) *Huet. Dissert. de Paradiso Terrestri.* (m) *De homonymis Hyles jatrica c.* 109.

℣. 13. Et nomen fluvii ſecundi Gehon : ipſe eſt, qui circumit omnem terram Æthiopiæ.

COMMENTARIUS.

In ejus verſione non ſibi conſtant Septuaginta ; modò enim reddunt *lapidem praſinum*, modò *onychinum*, modò *ſmaragdum*, *beryllum*, *ſaphirum*, *ſardonicum*. Tres alii Græci Interpretes malunt lapidem *onychinum* ; Philo *ſmaragdum* ; Joſephus *ſardonicum*. S. Hieronymus reddit hìc *lapidem onychinum*, in Job *ſardonicum*. Dictionaria ferè omnia Hebraica ſervant onychinum. Paraphraſtæ Onkelos & Jonathan, ſicut & Moyſes Barcephas, Interpres Arabs & Syrus reddunt Beryllum. Vetus Italica verſio, Euſebius, Severianus, S. Ambroſius, S. Auguſtinus aliique plures ex Patribus, Septuaginta verſionem præferunt.

Ego ad ſmaragdum inclinarem ; nomen enim *Sohem* vel *Soham ſmaragdi* nomen componit ; poteſt enim derivari poſtremum illud ex *Sohem-raguah*. שהם רגוע, *Sohem dolatum*. Optimi & probatiſſimi ſmaragdi e Tartariâ referuntur : inter duodecim varia ſmaragdi genera (*n*) præſtare Scythicum aſſerit Plinius : eſt autem Scythia limitropha regioni ad Phaſidem provincia. Obſervat demum Solinus c. 24, ea quæ de ſmaragdis Scythiæ prædicantur, referri ad Scythiam Aſiæ ad Phaſidem uſque protenſam.

℣. 13. NOMEN FLUVII SECUNDI GEHON ; IPSE EST QUI CIRCUMIT OMNEM TERRAM ÆTHIOPIÆ, Hebræus. *Qui circuit Regionem Chus.* Nullus planè in orbi amnis nomine Gehon innoteſcit, niſi fortè ad illum referatur *Oxus*, quem Arabes appellant Gehon ; qui ſanè amnis circa Orientalem plagam in mare Caſpium devolvitur. Nilus etiam apud Abyſſinos appellatur Guyon. Si quis tamen ſeduló obſervet quæcumque a Moyſe traduntur de Gehon, & ſi amnis quæratur, cujus fontes fontibus Tygridis & Euphratis non procul abſint ; hæc omnia nemini quadrare meliùs intelliget, quam Araxi, inclyto ſanè amni, cujus in monte Ararat fontes, 6 milliar. a fontibus Euphratis, inde verò defluens in mare Caſpium fertur (*o*) Mons ille fontibus Euphratis & Araxis celebris Abos appellatur a Strabone *l.* 11.

Hebræum גהון *Gehon* derivatur e radice ſonante, impetu quodam fluere, quod maximè Araxi convenit ; is enim & amnis eſt, & rapido curſu vellitur ; habet autem in ſuo curſu tributarias plurimas aliorum amnium & torrentium aquas. Liquata glacie adeo turget, ut aggeres omnes & ædificia ſecum rapiat ; aquarum ſtrepitus & rapiditas terrorem ingerit aſpicientibus ; impoſitas cymbas curſu rapidiſſimo vehens ut unico temporis inſtanti ad 500 paſſus abripiat (*p*) Pontium eſt impatiens ; impoſitos enim, quanquam alioqui validiſſimis ſuhnixos molibus, disjecit omnes ; inter quos conſtructos olim ab Alexandro Magno, alioſque, quorum adhuc ſuperſunt veſtigia. Hinc Virgilius. *Et pontem indignatus Araxes.*

Auguſtus tentatum ſæpiùs pontem conſtruendum ſuſcepit, quod in ævum manſurum credebatur, in cujus gratia Virgilianum illud accommodatum eſt : *Latii patiens jam pontis Araxes*. Sed idem Romæ hujus moli cum cæteris fatum. Hodie tamen pontem haber impoſitum. Recepta apud incolàs traditio amnem accerſit e Paradiſo terreſtri [*q*] Latiorem anguſtioremque diversâ ſpectatum ratione, quàm Danubium, eſſe affirmat Herodotus *l.* 1, *c.* 202 ; addens pariter, & montibus Mantianis per 60 ora prorumpere ; omnes autem e 60 illis rivos in paludes evolvi, uno excepto amne hoc, qui in mare Caſpium defertur.

Ejus regionis, quam perluit Araxes, fertilitas verbis ampliſſimis celebratur. Sponte ſuâ bona omnia e beato illo ſolo prorumpere ; vineaſque tantâ uvarum ubertate diteſcere, ut colligendi deſperationem ingerant Strabone *l.* 11 authore ſcimus. Semel commiſſum terræ illi ſemen ſemel, iterum & tertiò alicubi fructum reddit ; rependit autem in primâ fructuum collectione quinquageſimam, terram curantibus agricolis non vomere, utì pro more in noſtris regionibus, ſed ligno quodam inſtar vomeris. Læta aëris temperies ; vineæ ſinè cultu feraces, nec niſi ſemel in ſingulis quinquenniis inutili germinum pondere relevantur. Satæ de novo arbores altero anno fructificant. Hoc regionis Paradiſo finitimæ ubertas.

Strabo *l.* 11 & alibi in Opere Geographico teſtatur non ſemel, Jaſonem & Medeam per totum illum regionis tractum regnaſſe, qui Pontum Euxinum cum mari Caſpio continuat ; ubi pariter longâ ætate incolarum cultui expoſitam manſerunt monumenta ejuſdem Jaſonis, inter Deos ab illis relati. Aſſerunt autem, a viro illo inclyto plura e vetuſtis Provinciarum atque amnium nomina ſuppreſſa, ſubſtitutis aliis Græcis nominibus Græcorum quorumdam, qui cum Armenis illis aliquid ſimilitudinis exhiberent. Hinc Araxi nomen illud impoſitum, quòd ſatis accederet ad amnem *Peneum*, dictum pariter a Græcis Araxem, quòd Oſſam ab Olympo diſtingueret. Hæc Strabonis obſervatio rationem indicat, cur tantæ ſit hodie indaginis inveſtigatio veterum nominum amnium & locorum ejus regionis.

Proſequitur Moyſes de Gehon : *Ipſe eſt qui circumit omnem terram Chus.* Certus ſitus regionis Chus in rem præſentem determinandus eſt, cujus tamen operoſam inveſtigationem facit ſententiarum diſſidium. Hanc vocem Septuaginta reddunt plerumque Æthiopiam, quos duces ſequitur S. Hieronymus in ſuis quæſtionibus Hebraicis ad Geneſim *q.* 10, addens pariter, Judæos plerumque Æthiopiam appellare regionem Chus. Tradit Joſephus *Antiq. l.* 1, *c.* 7. Æthiopes ipſos Chus appellari ; ſicut & eodem nomine cenſeri Aſiam univerſam. Nec aliam ſanè explicationem poſtulare videtur locus Iſaiæ xi, 11 *Adjiciet Dominus manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui, quod relinquetur ab Aſſyriis, ab Ægypto, & a Phetros, & ab Æthiopiâ* (Hebr. regione Chus) Et Ezechiel 29, 10 *Dabo terram Ægypti in ſolitudines gladio*

(n) *Plin. l. 37. c. 5. Genera eorum duodecim ; nobiliſſimi Scythici, ab ea gente in qua reperiuntur appellati ; nullius major auſteritas nec minus vitii, & quantum Smaragdi a gemmis diſtant, tantum Scythici à cæteris Smaragdis.* (o) *Araxes eodem monte quo Euphrates 6. M. paſſuum intervallo, auctuſque amne Muſi defertur in Caſpium Mare. Plin. l. 6. c. 9.* (p) Chardin voyage de Perſe *p.* 285 (q) Paul. Luc. voyage du Levant *t.* 2. *c.* 27. *p* 362. 363.

dio dissipatam; a turre Syenes usque ad terminos Æthiopiæ (Hebr. ad terminos Chus). Scribit Jeremias 13, 23 rem esse æquè impossibilem, Chusæum nempè mutare pellem suam, & Judæum agendi rationem.

His tamen nequidquam, magni alioqui ponderis, obstantibus, contendit Bochartus *Geogr. sac. l. 4, c. 2*, verum regionis Chus situm fuisse partim in Arabiâ Petreâ, partim in Arabiâ Felici, porrectumque maximè ad extremam oram maris Rubri, & secundùm ejus litus occidentale. Hisce autem potissimùm movetur: Regio Chus cum regione Madian confunditur juxta illud Habacuc. 3, 7 *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ* (Hebr. *tentoria* Chusan), *turbabuntur pelles terræ Madian*: est autem Madian regio Arabiæ ad Erythræum, testibus Ptolemæo, Josepho, & S. Hieronymo. II. Jonatan Paraphrastes reddit Arabiam, quod in Genesi 10, 6 est *Chus*. III Sermo est apud Job 28 20, de *topatio Chus* פִּטְדַת כּוּשׁ. Scitum est autem, genus illud gemmæ reperiri in Insulâ Erythræi (r) regioni illi, de qua modò, satis proximâ.

IV Utitur loco illo Ezechielis 29, 10 ad sententiam suam fulciendam; ait enim Propheta. *Dabo terram Ægypti in solitudines a turre Syenes usque ad terminos Chus*: Habet ille persuasum designari a Prophetâ duos extremos Ægypti fines; Meridionales in Syene, Urbe Æthiopiæ finitimâ (s); & Septentrionales seu potius Orientales ad regionem Chus in extremâ orâ maris Rubri. V Observat Tharacam Regem Chus copias suas duxisse adversùs Sennacherib, obsidione præmentem Lebnam (t). Urbem meridionalem Juda; observat insuper, Zaram ejusdem regionis Principem venisse pariter bellum illaturum in Azam Regem Juda, venisse inquam, cum exercitu virorum (u). Initum est prælium illud in valle Sephetæ ad Marezam, ad meridiem Tribûs Juda. Quomodo autem Reges Æthiopiæ ultrà fontes Nili movissent, bellum illaturi in regionem Judam, non subactâ priùs Ægypto? Quid autem rei habebant inter se Principes tanto locorum intervallo segregati? VI. Isaias 20, 4, 5 post denunciatam futuram captivitatem Ægyptiorum, & Chusæorum, pronunciat pariter incolas Cives Azothi, Philisthæos nempe, expectaturos auxilia e Chus & Ægypto: *Confundentur ab Æthiopiâ* (Chus) *spe suâ, & ab Ægypto glorià suâ*. Non equidem illi superanda fuerant auxilia ex Æthiopiâ, regione planè remotissima, sed e Chus, regione Philisthæis conterminâ. VII Tandem Isaias 18, 12 & Sophonias 3, 10 describunt Ægyptum tamquam provinciam ultra amnes regionis Chus. Si verò illi sermonem habuissent de Æthiopiâ, ad meridiem Ægypti positâ, non Ægyptum ultra amnes Chus, sed vicissim Chus ultra amnes Ægypti collocassent. Aliam ergo regionem eo nomine designatam voluerunt, ipsissimam utique Ægypto conterminam, quam ab eâdem provinciâ distinguebant torrentes Besor, ac Rhinocoruræ, amnis Trajanus in Erithræum influens, ac tandem occidentalis Nili ramus.

Hisce omnibus addendum succurrit, Æthiopiæ nomen interdum apud Veteres tribui regioni Ægypto conterminæ, qua parte Erithræum respicit. Ita legimus Cepheum in Æthiopiâ regnasse (x) ejusque filiam Andromedam marino monstro expositam ad maris litus; porrò virginem illam puellam expositam fuisse Joppe in Palestinâ, sat constat. Demonstrat Bochartus, Chuschos illos, de quibus sæpè Scriptura, ipsissimos esse Arabes Scenitas, Veteribus notissimos; ipsissimos pariter ac Saracenos populos satis recentioribus cognitos; appellari verò eorum regionem nostrâ ætate *Hegiaz*, ac Metropoles eorum Urbes esse *Medinam & Mecham*. Ad Jeremiæ illud 13, 23: *Si mutare potest Æthiops* (Chus) *pellem suam*, respondet gentem illam fuscum habere præ Judæis colorem; quamquam enim luteo essent colore Judæi, vincebant tamen candore Chuschitas. Hæc vir ille doctissimus; in cujus sententiam nos libentissimè concedimus, dum asserit, regionem quamdam Chus jacuisse ad litus Orientale Erithræi, Ægypto proximam: habemus tamen persuasum, plures distingui in Scripturâ ejusdem nominis regiones, quibus affinia nomina indiderunt plures posteri Chus filii Cham, novas subindè & novas Colonias in varias regiones deducentes.

Cùm ex Ægypto originem referret Chus, Cham enim ejus parens regionem illam frequentaverat, factum facillimum fuisse credimus, ut vestigia sui nominis plura inveherent in Arabiam & secundùm litus maris Rubri, junctis scilicet Ægypto locis (y); quod satis intelligimus e pluribus Scripturæ textibus, ubi Chusæi in Arabiâ, Ægypto finitimâ, spectantur.

Neque committendum credimus, ut authoritas deseratur veterum Interpretum, Chuseos in Æthiopiâ constituentium; definere tamen nequaquam audemus, an Æthiopes superiora & meridionalia ad Ægyptum tenentes, regionem illam occuparent antea sive post Moysem. Eorum in regionem illam [dictam antea [z] Ætheriam sive Aëriam] adventum consignat Eusebius sub Rege Amenophi seu potiùs Thutemosi, ante 30. circiter annis ante Moysem natum. Homerus, & post illum Strabo (a), observant, occurrere Æthiopes ad Orientem & Occidentem, ultra & citra mare Rubrum, in Africâ, & Asiâ. Æthiopes ergo ad meridiem Ægypti, non in regione illâ nati, sed aliundè venientes, sedes illuc suas transtulerunt: & Chusæi Arabiæ, ad Orientem maris versantes, posteri sunt facilè alicujus e filiis Cham, patris Mezraim, cui originem suam debent Ægyptii.

Veteres illi, qui sermonem habent de adventu Æthiopum in regionem Ægypto meridionalem, referunt pariter, movisse illos e regione amni Indo superiore. Satisque inter omnes convenit, Indicam illos originem referre. Cùm tamen Indorum nomen ambiguum sit maximè, pluribusque olim regionibus citra Indum commune fuerit, ut Plinius l. 6. c. 20. observat; atque olim pariter in ejusdem appellationis societatem venirent Lybia, Ægyptus. Æthiopia, Arabia, Palæstina; si quis proinde Æthiopes Ægypto meridionales non ex aliâ remotiore provinciâ, quàm e litore Orientali Erythræi accersat, nihil reputabit non rationi satis conforme.

Quærenda est modò regio Chus ad Araxem. Autumarem ego quidem, Chutæos, de quibus Scriptura, genuinos esse posteros Chus, de quibus Moyses; nec aliam illos incolere regionem,

(r) *Plin. l. 37. c. 8. Strabo l. 91. alii plures.* (s) *Strabo l. 17. Plin. l. 5. c. 9. Solin. c. 35.* (t) 4. *Reg.* 19. 9. (u) 2. *Par.* 14. 9. (x) *Apollodor. l. 2. bibliot. c. 4.* (y) *Et num.* 1. 2. *Par.* 24. 9. & 21. 16. (z) *Strabo l.* 11. *Plin. l. 6. c. 30. Hesychius.* (a) *Strabo l. 1. pag.* 29. Διττοὺς δὲ φασι, καὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν προσθεῖναι δὲ τὸ,
Οἱ μὲν δυσομένου, Ὑπερίονος, οἱ δ', ἀνιόντος,

Digitized by Google

℣. 14. Nomen verò fluminis tertii, Tygris: ipse vadit contra Assyrios. Fluvius autem quartus, ipse est Euphrates.

COMMENTARIUS.

quàm quæ ab Araxe perluitur. Nomina *Cuth* & *Chus* unum esse idemque, servato tantùm dialectorum discrimine, facilè omnes concedent (*b*). Est enim in pronunciatione Chaldæorum *Thau*, quod in Hebræo est *Schin*. Supra autem demonstravimus, gentes illas, quarum colonias Salmanasar in Samariam miserat, subactas antea fuisse jure belli à Theglatphalassare, atque ab ipso pariter Salmanassare in bello illato Medis latera Caspii tenentibus. Nulla autem ejus regionis gens innotescit, nomen Cuth vel Cutha retinens, nisi uni Scythæ populi, tenentes olim Regionem ad Araxem, ex Historicorum omnium consensu. Major certè nominum affinitas nulla desideraretur, quàm quæ inter *Kutha* & *Schythes*, vel *Scytha*.

Asserit Diodorus Siculus (*c*), Scythas Indo proximos tenuisse olim regionem ad Araxem; inde prorogatis finibus sedes suas dilatasse per totam regionem usque ad montem Caucasum, ac per universum latè agrum usque ad Oceanum, paludem Mæotidem, & Tanaim. Hinc penetrasse ad usque Nilum, subjectasque habuisse gentes omnes inter mare Caspium, Paludem Mæotidem, Oceanum Orientalem, Ægyptum &c. Addit tandem *Sacas*, *Massagetas*, & *Arimaspos* Scytharum esse surculos.

Veteres Scytharum Sedes ad Araxem pariter determinat Herodotus l. 1. c. 201. l. 4. c. 11. addens pariter, trajecto illos amne, quòd a Massagetis pellerentur, recepisse se in regionem Cimmeriorum. Justinus (*d*) Meridionales Scythiæ limites definit Phaside & Araxe.

Remanent in nominibus locorum ejus regionis vestigia plura nominis Chus. Sermo est apud Strabonem l. 11. de Quitiis ad radices montium Mediæ & Armeniæ. Notæ sunt apud Ptolomæum Catarzena in Armeniâ, & Orchistene; sicut & Urbes Cozola, Cotomana, Cytamum &c. Hodie pariter in Mingreliâ auditur Urbs Cotatis. Apud Veteres erant Urbes Cyta, vel Citaja in Colchide, Medææ patriâ, unde populi Cytæi. Cuthæos ex eâ regione arcessit magnus Scaliger. Locum ad eandem regionem tenebant Cotæi vel Coctæ apud Xenophontem *c. 6. Anabas.* sicut & in minori Armeniâ occurrit Arx Cotyæum, vel Cotyaeum, & Urbs Cothena.

℣. 14. NOMEN VERO FLUMINIS TERTII, TYGRIS: IPSE VADIT CONTRA ASSYRIOS Tertium hunc amnem in Hebræo appellatum הדקל, *Chidkel* Tigrim significare sat convenit inter omnes. Hunc olim Veteres nuncupabant Diglito; & hodie pariter innotescit nomine Tegil vel Tigil. Apud Josephum, Paraphrastem Chaldæum, & Versiones Arabicas ac Persicas, est Diglat. Rapidus ejus cursus nomen indidit fluvio Tygridis, quo apud Medos sagitta designatur (*e*) Præstat tamen ejus etymon derivare ex Hebræo Chidkel vel Diglit, aut Tiglit, D in T, & L in R, transmutatis. Asserit Josephus, nomen illud sonare angustum, acutum (*f*).

Describens Moyses amnis hujus cursum, asserit, fluere illum ad *Orientem Assur* (*g*), seu *ante Assyriam*, aut *in conspectu Assyriæ*. Quam postremam versionem pronam sibi judicabunt quicumque Assyriam collocant ultra & ad Orientem Tygridis; in conspectu enim Assyriæ fluit Tygris, eamque distinguit a Mesopotamiâ. Quicumque verò Assyriam veterum intra Mesopotamiam & citra Tygrim prorogant, pronâ satis interpretatione Mosaicum Textum reddunt, vertentes: *Ipse vadit ad Orientem Assyriæ;* re ipsâ enim orientalem plagam ejus Provinciæ perluebat. Arrianus *l. 7 expedit. Alex.* & Ammianus l. 32, c. 20, Assyriam constituit mediam inter Tygrim & Euphratem. Sed Scriptores plerique ultra Tygrim collocant: nec sanè alibi situs veteris Assyriæ quærendus.

Tygridis exordia & cursum omnem satis exactè prosecutus Plinius *l. 6, c. 27*, ejus fontes constituit in patente quadam planitiæ magnæ Armeniæ. Nomen loci *Elongosina*. Appellatur in ipso fluendi exordio *Diglito*; cùm autem rapidiori amne fertur, *Tygris* est...... Impetu lacum Arethusam petens, non mixtis aquis paludem secat .... Inde raptus in montem Taurum, ejus objectu repercussus, in antrum quoddam subterraneum præceps ruit, erumpitque ex altero montis latere... Luci iterum eripitur post traductas aquas per Lacum Thospitem, latentibusque meatibus spatium xxv milliarium emensus, paret iterum ad Nymphæum. Affirmari utique potest, Strabonem non alios fontes Tygridis assignasse, quàm eos, e quibus erumpit ad montem Taurum. Sed Ptolemæus cum Plinio in omnibus convenit. Vidimus supra, de Araxis fontibus agentes, & hic etiam spectare licet, horum amnium exordia satis exactè designari nequaquam posse; neque abs re utique reputaretur, locum illos immutasse post Moysis ætatem, longèque hodie remotos habere fontes, quamquam olim satis proximos haberent.

FLUVIUS AUTEM QUARTUS IPSE EST EUPHRATES. Inter inclytos mundi amnes primas tenet Euphrates, cujus in assignandis fontibus licet Strabo *l. 11*, & Plinius *l. 5, c. 24* in monte Abo vel Aba Armeniæ constituentes conveniant, in reliquis tamen omnibus dissident. Accersit illum Strabo e latere septentrionali montis Tauri, dicitque primùm ad occidentem, tum ad meridiem deflectit. Contra verò Plinius ex ocularis testibus tenere se asserit, Euphratem a septentrione ad meridiem fluere, flectique deiu ad occidentem. Observat insuper, in exordio sui cursus *Pyxuratem* appellari; angustias montis Tauri subeuntem, *Omiram*; cùm

e mon-

(b) *Bochart. Phaleg. l. 4. c. p. 238.* (c) *Diodor. l. 2. p. 89. 90.* τὸ μὲν ἦν πρῶτον παρὰ τὸν Ἀράξην ποταμὸν ὀλίγοι κατῴκουν παντελῶς, καὶ διὰ τὴν ἀδοξίαν καταφρονούμενοι. ὕςερον προσεκτήσαντο χώραν, τῆς μὲν ὀρεινῆς ἕως πρὸς τὸν Καύκασον τῆς δὲ πεδινῆς τὰ παρὰ τὸν ὠκεανὸν, καὶ τὴν Μαιῶτιν λίμνην, καὶ τὴν ἄλλην χώραν, ἕως Τανάιδος ποταμοῦ. (d) *Justin. l. 1. Thomiris cum prohibere hostes posset, vadum Araxis fluminis transire permisit, & sibi feliciorem pugnam intra regni sui terminos rata &c. Idem l. 2. Scythia in Orientem porrecta includitur a tergo Asia & Phasi flumine.*

(e) *Plin. l. 6. c. 27.* (f) *Joseph antiq. l. 1. c. 1.* τίγρης δὲ διγλαθ, ἐξ οὗ φράζεται τὸ μετὰ στενότητος ὀξύ. (g) קדמת אשור *Kidmath Assur.*

e montium veluti compedibus liberatus aquas explicat, *Euphratem*. Tanta nominum varietas variis in locis non parum contulit ad obscurandam illam, quam de fontibus Tygridis & Euphratis ignorabant Antiqui, veritatem.

Veteris ubertatis reliquiæ restant hodie pariter in regione ad Euphratis fontes. Ferunt, juxta Erzerum hordei messem intra XL dies adolescere; frumenti intra LX. Ejus amnis originem ita describit Mela *l.* 3, *c.* 8, ut ex ejus verbis lucis non parum Moysis narrationi affundatur. Hæc igitur ille: *Euphrates immani ore aperto, non exit tantùm unde oritur, sed & vastè quoque decidit nec secat continuò agros, sed latè diffusus in stagna, diuque sedentibus aquis, & sine alveo patulis piger, post, ubi marginem rupit, verè fluvius est; acceptisque ripis celer ac fremens per Armenios, & Cappadocas Occidentem petit.*

Putarunt olim plures, Armeniæ montes, in quorum viciniis Paradisum constituimus, continentis nostri meditullium ad externum occupare. Mitissimâ temperaturâ aër excellit, pinguescit solum, & ex iis, quæ in decursu observabimus, planè intelligent Lectores, omnia Moysis dicta cum hypothesi hac nostrâ optimè congruere. Nec ii tamen sumus, ut apertam in lucem rem hanc obscuram produxisse nobis blandiamur; sed æquè tamen nobis persuademus, nostram hanc hypothesim incommoda habere præ aliis fortè minora.

Qui nomen *Phison* de Gange, sicut & *Gehon* de Nilo usurpatum crediderе (*b*), ad locorum situm atque ad veri speciem non satis attendisse visi sunt. Quomodo enim Paradisus, locus Adamo & Evæ in sedem a Deo, quantum ex relatione Moysis intelligimus, tandiu destinatus, quandiù terra ornamentis suis omnibus decoraretur; quomodo, inquam, hortus ille voluptatis tantum continebat terrarum tractum, ut in sinu suo fontes Gangi, Nili, Tygridis, & Euphratis complecteretur? Quis autem in animum induxerit, Gangis & Nili fontes ex Armeniâ quidem duci oportere, fluere autem cæcis sub terram canalibus, ut in Indiâ & Æthiopiâ emergant? Sunt utique auro, bdellio, aliisque gemmis divites Indiæ & ad Gangem regiones; sed & alibi etiam locorum occurrunt. Quis autem terram Hevilah apud Indos audivit?

Arabia, Ægypto ac Æthiopiæ vicina, nomine *terra Chus* interdum designatur; sed eo omnine censentur quandoque in Scripturâ loca, nullâ cum illis affinitate conjuncta. Monstri autem loco habendum esset, nunquam Scripturam Nilum, de quo sæpè meminit, sub nomine *Gehon* designasse, si genuina ejus appellatio censeretur. Notat equidem Author Ecclesiastici, exundationes Gehon (*i*) ineunte vindemiâ; quibus planè exundationes Nili, circa dies caniculares per Ægypti agros latè stagnantis centum dierum spatio, designatæ videntur. Sed eâ anni tempestate aliorum etiam amnium exundationes memorantur; majora enim flumina per æstatem plerumque intumescere satis constat, Padum, Renum, Tygridem, Euphratem. De Pado Solinus *c.* 8. *Intumescit ex ortu Canis tabefactis nivibus, & liquentibus bruma pruinis &c.* Exundat pariter Rhenus exeunte Augusto, & Septembri ineunte.

Euphrates, teste Strabone *l.* 16, *exundat æstate, a vere incipiens, cùm jam nives in Armeniâ liquefiunt.* De eodem Plinius *l.* 5, *c.* 26: *Increscit & ipse Nili modo statis diebus paulum differens, ac Mesopotamiam inundat, Sole obtinente vicesimam partem Cancri*, (post Solstitium æstivum Julio ineunte) *minui incipit a Virgine &c.* (id est mense Septembris). Et *l.* 18, *c.* 18 *Similis ratio* (Ægypti) *sed major felicitas Babylonis ac Seleucia, Euphrate atque Tygri restagnantibus*. Videsis pariter eundem *l.* 18, *c.* 17; & Solinum *cap.* 50 de Euphrate: *Iisdem ferè temporibus, quibus Nilus, exit, sole scilicet in parte Cancri vicesimâ constituto. Tenuatur, cùm jam Leone decurso ad extima virginis curricula facit transitum.*

Araxes iisdem montibus, quibus Euphrates, ducens originem, statas pariter easdem intumescendi vices pati credendus est; cùm scilicet exeunte jam æstate tabescentes Armeniæ nives liquescunt. Quare in nostrâ semper hypothesi constat, certumque tenendum est Gehon *in diebus vindemiæ* intumescere uti notat Author Ecclesiastici. Observat pariter idem Author, Tygridem exundare *in diebus novorum*, verno nempe tempore; quod pariter a Strabone animadversum supra diximus, constituente exundantis Euphratis initium (cujus amnis eædem sunt cum Tygride vices), a vere: *A vere incipiens.*

Qui Paradisi situm in Palæstinâ constituunt a veri specie tam longè posita sentiunt, statuuntque, ut seriò rem perpendisse minimè videantur. Eruditionem quidem illos suam promere, latamque sibi in conjecturas viam sternere voluisse addendum est. Legimus quidem in Scripturâ, Palæstinam designari elogio regionis a Deo selectæ, & pingui fertilitate beatæ. Fatemur pariter, agrum illum, in quo olim Sodoma constituta, Paradiso Domini comparari; sed nunquid propterea ipsissima est regio Eden, Paradisi locus assignatus? Torrens ille modicus *Gehon*, ad Jerusalem prætertlabens, nominis quidem habet cum Gehon Paradisi affinitatem; rem, cursus, impetum, & cætera non habet: & si quis conferat regionem, quam Jordanes alluit, cum Paradiso Domini (*k*), intelliget profectò, Paradisi locum alibi quæri oportere.

Systema, quod tanto eruditionis atque elegantiæ apparatu produxit D. Huëtius, felicioribus avibus excogitatum, sibique magis cohærens videtur: habet tamen illud incommodi, quòd Mosaicum Textum minùs prono & obvio sensu interpretatur. E quatuor enim fluminibus duos tantùm assignat & e quatuor fontibus ex unâ eâdemque scatebrâ deducendis, juxta Moysem, unicum tantùm profert Huëtius. Regionem Eden collocat infra confluentem Euphratis & Tygridis, cùm Scripturæ Textus postulet superiorem junctioni duorum amnium situm, Assyriam versùs. Componit regionem Hevilah, & Chus cum suâ hypothesi: Quando tamen concederemus, eo loci consignandam

(*b*) *Joseph. lib.* 1. *Antiq. cap.* 1. *Epiphan. in Anchor. Aug. l.* 8. *de Genesi ad litter. c.* 7. *Jansen. hic. Sacerdos Ægyptius apud Lucan. l.* 10.

.... Sunt qui spiramina terris.
Esse putent, magnosque cava compagis hiatus
Commeat hac penitùs tacitis discursibus unda
.... Gangesque, Padusque
Per tacitum mundi. Tunc omnia flumina Nilus
Uno fonte vomens, non uno gurgite perfert.

(*i*) *Eccli.* 24. 37. *Assistens quasi Gehon in die vindemiæ.* (*k*) *Genes.* 13. 10.

significandam regionem quandam locumque Hevilab, & Chus, nemo tamen satis aptè reputaret, duos illos Tygridis & Euphratis factos ex se aquarum divortio ramos circuire per universas regiones illas, cùm, ut maximè, minimam ejus portionem radereot.

Altum est autem sive in Scripturâ sive apud Prophanos silentium de auro Hevilah ad sinum Persicum, ubi pariter frustra quæri Bdellium, & lapidem Onychinum arbitror. Tandem duo illi Euphrates & Tygris in unum eundemque amnem nonnisi serò coiverunt; olim enim, teste Plinio (*l*), segregatis uterque aquis in sinum Persicum influebant, alterius ab altero ostium xxv m. passuum juxta aliquos vel vii m. juxta alios, intervallo separante. Quare hypothesis de Paradiso ad confluentem duorum amnium deserenda est omnino. Aliter enim narrationem suam duxisset Moyses, si hæc insinuare voluisset, quæ Huëtius reputat: sin minus ista servavit, contendus est nostram statuere voluisse ac firmare sententiam.

Quæstionem proponit S. Augustinus (*m*) an scilicet Mosaicus ille Paradisus spiritualis esset, vel materialis, vel utrumque simul. Non abs re utique reputaremus, in eam suspicionem venisse S. Doctorem, quòd ardua multa in expositione literæ offenderet. Constat equidem, rem esse maximè arduam, si quis literalem explicationem teneat eorum omnium, quæ a Moyse referuntur; prona autem esse constat omnia, si quis allegorico & spiritali sensu referat ad hominis in statu innocentiæ felicitatem, & in tranquillo virtutis beatitudinem. Sed materialem sensum præfert utique Textus Mosaicus; nec nisi obliquè satis spiritualis Adami status in Paradiso exprimitur. Quare Sanctus Doctor simul & semel, diversâ tamen ratione, agnoscit Paradisum spiritualem æquè & materialem; materialis nempe erat Paradisi locus, felicitatis tamen spiritalis viri innocentis typus & figura.

Patrum sanè multi (*n*) & Interpretum reputarunt, Henoch & Eliam in Paradisum terrestrem translatos fuisse; superesse proinde adhuc Paradisum, incognito nobis mundi in loco. Sententiam suam fulciunt ex illo Ecclesiastici 44. 16, *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum*; censent autem, Eliam eodem cum Henoch privilegio, vitæ scilicet prorogatæ, donatum, eàdem cum illo loci communione frui, ut ambo ante extremam Judicii diem pareant. Reponendum est tamen hisce, nihil in Textu Græco legi de Paradiso; sed præferri tantum translationem Henoch. At eâ voce *Paradisum* etiam admissâ; non tamen continuò inferendum, sermonem hic esse de Paradiso terrestri, sed tantùm de horto quodam voluptatis, cujus incertus situs. Doctissimi & exactissimi inter Patres de loco translati Henoch nihil certi audent definire (*o*); idque, salvo Ecclesiæ & fidei obsequio, variè agitari posse censet S. Augustinus *De peccato Orig. l. 2, c. 23.*

Admittimus tamen non inviti, locum illum Paradiso olim assignatum subsistere adhuc in mundo; quamquam ornamentis ferè omnibus & dotibus, quibus voluptati & deliciis primi hominis servitt destitutum. Erant in horto illo delectarum animalia quædam bruta, sed non omnium fortè generum; cùm enim anguis non deesset, ut quid alia etiam nonnulla desiderarentur? Erant pariter omnis generis arbores & plantæ, tam ad ornamentum quam ad cibi delicias: *Omne lignum pulchrum visu & ad vescendum suave.*

Ad arborem vitæ & arborem scientiæ boni & mali, de quibus ℣. 9, quod spectat, ad id usque nostram interpretationem reservavimus. Modò ergo de illis quædam.

℣. 9. PRODUXIT DOMINUS LIGNUM VITÆ IN MEDIO PARADISI, LIGNUMQUE SCIENTIÆ BONI ET MALI. Vitæ arbor genus esse arboris peculiare creditur, vitæ & incolumitati hominis servandæ præsentissimum; ut quicumque de ejus arboris fructu degustarent, eximerentur a morte.

Putavit S. Augustinus (*p*), dotem hanc arbori insitam nonnisi prodigio deputari; plerique tamen naturalem arbitrantur (*q*). Facilè tamen nonnisi de nomine disceptatum; nihil enim fortè voluit S. Augustinus, quàm dotem, inditam arbori resarciendi vitam, Deo Creatori deberi; quod satis esse censuit, ut supernaturalem judicaret. Ex iisdem principiis contraria planè intulerunt recentiores Theologi.

Latet hodie ejus arboris beneficæ natura, sive quòd in diluvio interiit. Reputari etiam posset, inditam illi virtutem nonnisi pro Adami innocentis corpore valuisse. Tenent pariter nonnulli, arbores vitæ & scientiæ nonnisi metaphoricum quid significare, ut iis admonentibus revocaret in mentem Adam, tenere se a Deo largiente vitam; atque collatam sibi mentem & sapientiam, nonnisi in obsequium Numinis transferri oportere. Pietatem in Deum, qua immortalitas animæ confertur, arbore vitæ; & prudentiam arbore scientiæ boni & mali designatas opinatur Philo *l. de Opificio Mundi.*

Sed locus ille capitis III: *Ne sumat de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*, satis insinuat, fructum ejus arboris non typum tantùm, sed causam re ipsa immortalitatis censeri oportere. Et cum serpens Evæ futurum pollicetur, ut post degustatum ex eâ arbore fructum oculi eorum aperirentur, habebat utique præ oculis cibum ejus fructûs plurimum ad scientiam acquirendam collaturum. Nec aliter loquentis verba percepit Eva, eumdemque sensum viro suo insinuavit.

Cum autem Adam immortalitate donaretur, quid esset potissimum immortalitatis illius donum, quæ ejus natura, modò discutiendum est. Immortalitatis genus est quoddam, si quis letho subdi non possit: hac plane donatur Deus, ita a letho immunis, ut mori non possit: pauìò aliter ejusdem immortalitatis munere fruuntur Beati in alterâ vitâ. Alia est etiam immortalitas, qua in eo statu quis constituitur, ut possit non mori: hac donatus Adam; ita enim viri illius res habebant sese, ut, si in Dei obsequio mansisset, salua illi fuissent a morte omnia. Si ille sanctum illibatumque servasset innocentiæ sibi collatæ privilegium,

vitam

(*l*) *Histor. Nat. l. 6. c. 27. Inter duorum amnium ostia 25. M. passus fuère, aut ut alii tradunt 7. M. utroque navigabili; sed longo tempore Euphratem præclusere Orcheni & accolæ agros rigantes, nec nisi per Tygrim defertur in mare, Vide Cellar. Geograph. l. 3. c. 16.* (*m*) *De Genesi ad liter. l. 7. cap. 5. & lib. 13. de Civit. c. 21.* (*n*) *Auth. quæst. ad Orthodoxos, quæst. 85. Irenæus. advers. hæres. l. 5. Author libri de Vita & obitu Sanctorum c. 3. & alii plures.* (*o*) *S. Chrysost. m. homil. 21. in Genes. Theodoret. interrog. 45. in Genes.* (*p*) *De Genes. ad liter. l. 8. c. 5. & l. 2. de peccator. merit. c. 21.* (*q*) *Bonav. in 2. Dist. 19. Gabriel in 2. Dist. 19. Strab. in Genes. Hug. Victor. Abul. in 3. Genes. Procop. in Genes. Molina. Bonfrer.*

℣. 15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum.

COMMENTARIUS.

vitam sanè diuturnam prorogaturum fuisse in terrâ aliqui opinantur, ac quotidianas vitæ & virium erogationes reparaturum fructu arboris vitæ; ac tandem post diuturnam illam in mundo moram, transferendum, sicut Henoch & Eliæ contigit, in alteram vitam immortalem, in qua ad arcendam mortem nulla esset degustandi fructus ex arbore vitæ necessitas. Docent Rabbini, post exactum vitæ diuturnæ maximè ac felicis curriculum, diem clausurum fuisse illum quieto & sine dolore interitu, quam illi non *mortem* appellant, sed *osculum pacis*. Vide *Grot. ad Rom.* v, 12.

Quibus autem morbi & mors nobis inducuntur, causæ omnes aberant in Adamo: passionum violentia, humorum corruptio, organorum laxamenta, caloris naturalis defectus, radicalis humoris erogatio, noxiæ in alimentis qualitates, externarum causarum incursiones; nihil ex illis Adamo in Paradiso metuendum. Quando lassescere illum contigisset, quando incommodo aliquo laborare, fructus arboris vitæ remedio statim convalescebant omnia; hoc enim utebatur pharmaco contra senectutis subrepentis vitia, hoc contra morbi tentamenta; quæ pariter incommoda ut a longè etiam prospiceret, atque se ab illis poneret in tuto, faciebat summa illa, qua pollebat, sapientia.

Arbor scientiæ boni & mali, rerum omnium moralium scientiam infert; sed latiori sensu exponenda videntur verba ista, de scientiâ nimirum rerum omnium, quà moralium, quà naturalium, ac supernaturalium, hominibus communicari aptâ. Cùm Demon Evæ pollicetur scientiam, qualis Deum decet, (r) conferendam illi denunciat scientiam boni & mali. Apud Homerum *scire bonum & malum est*, boni ac mali moralis scientiam habere, ac tandem rerum mundi experimentum. Puer ergo non sum, ait Telemachus, novi enim ad præsens bonum & malum (s).

Docet Josephus (t), arborem illam scientiæ indere rectam intelligendi assequendique omnia facilitatem; quæ sanè explicatio pronior nobis & magis literæ cohærens videtur. Destinabatur arbor illa ad scientiæ rerum omnium amplitudinem Adamo procurandam; quemadmodum arbor vitæ detinendæ ejus valetudini conferebat. Author Eccles. xiv, 6 appellat Legem Mosaycam *Legem vitæ & disciplinæ*, quòd ex illâ vita cum scientiâ Hebræus proveniret. Acceperant enim a Deo vitæ promissionem, siquidem Legi illi subderentur; in transgressores verò mortis supplicium erat a Deo indictum: ita factum est, ut Deus per Legem quid præstandum & a quo abstinendum fuisset, populum instrueret. Arbor vitæ & arbor scientiæ tantumdem præstabat in Adamo.

Patrum (u) ac Interpretum plerique verba illa de arbore metaphorico sensu dicta interpretantur; quasi scilicet ab arbore Adam docendus esset bonum ac malum; cùm enim transgressionis ipsius occasio futura esset, ita pariter experimento erat demonstratura, quantum differret status ille post crimen a priori innocentiæ statu. In eamdem sententiam descendisse Chaldæus videtur: *Arbor, quam manducantes discernant inter bonum & malum*. Porrò interpretatio ista satis convenit cum aliâ, quæ nomen arbori per ironiam inditum defendit (x); quasi scilicet significaretur: Hæc est scientiæ arbor, qua Dæmon fallendis hominibus, oblatâ spe scientiæ & immortalitatis, opportunè est usus. Alii verò exponunt: Arbor, qua Deus voluntatem suam hominibus manifestavit, a cibo fructûs illius abstinere vetans.

At enim una ne erat & singularis arbor scientiæ vel plures? an ab arbore vitæ diversa? subsistit ne modò?

Nunquam arboris scientiæ meminit Scriptura, quin simul unicam, & singularem insinuet: cur enim sanè plures admittamus, nihil est. Arborem scientiæ frumentum putarunt nonnulli: sed frumentum arboris nomine nequaquam censetur. Vitem malunt Rabbini (y). Theodorus (z), S. Isidorus Pelusiota *l. 1, c. 2*, Procopius aliique plures fici arborem preferunt: quòd scilicet statim post crimen primi illi homines ejus arboris foliis corporis nuda contexerint. Rabbini ficos appellant filios dementiæ, errorem Evæ, & Adami subindicantes. Contraria infert Tostatus, fieri vix posse judicans, Adam & Eva corporis tegumentum quærerent e funestâ illâ arbore, peccandi sibi causâ & offendiculo. Cerasum alii præferunt; plerique Malum statuunt, quæ communis est hodie sententia, quanquam non melioribus firmata. Laudant in eam rem illud Cant. viii, 5: *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua &c.* Sed certò affirmandum, alium esse verbis illis sensum, quàm ut crimen Evæ designet. Vide nostrum Commentarium in Canticum Canticorum.

Nihil certi definiri potest, an arbor scientiæ boni & mali alia esset ab arbore vitæ; utrumque enim, affirmationem scilicet & negationem admittere potest Textûs Syntaxis; commodè enim reddi potest sive *lignum vitæ & lignum scientiæ*, tamquam sit sermo de duplici arbore; sive *lignum vitæ, seu lignum scientiæ* quod unam & singularem insinuat. In cap. iii, 22, Deus Adamum e Paradiso foras agens ait: *Ne sumat etiam de ligno vitæ, & vivat in æternum*; quæ pariter verba duplicem illum sensum reddere possunt: *Ne iterum redeat ad fructum arboris vitæ, unde fiat, ut, sicut scientiam invenit, ita inveniat & vitam*; seu potiùs: Ne sumat de ligno vitæ, sicut priùs sumpsit lignum scientiæ. Sed quæ sententia duas arbores præfert, multò est probabilior.

℣. 15. Tulit ergo Dominus hominem, et posuit eum in paradiso. Utrumque hominem Deus extra

(r) *Genes. c. iii. 5.* (s) ---- Καὶ οἶδα ἕκαστα Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια, πάρος δὲ τε νήπιος ἦα. *Odyss. Σ.* (t) *Lib. 5. antiq. c. 2.* τὸ γὰρ φυτὸν ὀξύτητος καὶ διανοίας ὑπῆρχε. (u) *Chrysostom hom. 53. in Genes. Theodoret. quæst. 27. in Genes. Aug. l. 8. de Genes. ad liter. c. 14. & l. 14. de Civ. Dei c. 17. &c.* (x) *Rupert. Menoch. Tirin.* (y) *Sanhedrin fol. 70. Bemidbar Rabba fol. 270. & 238.* (z) *Theodorus apud Theodor. quæst. 28. in Genes.*

℣. 16. Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede.
℣. 17. De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.
℣. 18. Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi.

COMMENTARIUS.

extra Paradisum formavit, ut ex hac sententiâ collatâ cum cap. III, 23 satis constat.

UT OPERARETUR ET CUSTODIRET ILLUM. Ut scilicet hanc fallendi temporis lætam sibi daret occupationem, coleret terram ad voluptatem, non ad laborem, ut assignatam sibi custodiret, ut curam ejus haberet, impediretque, ne ab animantibus brutis vastaretur.

℣. 16, & 17. PRÆCEPIT EI DICENS: EX OMNI LIGNO PARADISI COMEDE. Utrique scilicet homini Deus injunxit; sive quòd cum Adamo coram Evâ loqueretur; sive quòd Adamum mandatis hisce suis, absente muliere, oneravit, quæ deinde vir ad fœminam deferret; sive tandem quòd injunctum priùs Adamo mandatum, Evæ postea repetiit. Illud constat, mulierem eâdem se obstrictam esse obligatione, quâ vir, agnovisse; & injuncta utrique homini pro transgressione pœna communem esse utriusque culpam abundè demonstrat. S. Justinus Martyr (a) dictum refert a Deo Adamo: *Bonum & malum ante te sunt; bonum elige.* Referri autem illa a Moyse affirmat vir Sanctus: sed ex Ecclesiastico XV, 18, 19, desumpta esse constat: *Apposui tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem, vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.*

Disquirendum hìc an bona aut adversa Adami ejusque posteritatis fortuna adeò e fidelitate ipsius penderet, ut commissum ab Evâ crimen, Adamo in obsequio permanente, nihil rebus humanis officeret.

1. Reponimus, Scripturas nunquam non Adamum exibere tanquam in se uno genus hominum universum referentem, atque mortalium omnium nomine agentem: exhiberi pariter ejus voluntatem, tanquam in universam hominum naturam influentem. Quare Apostolus, factâ ejus cum Servatore comparatione, crimine illius totam inde posteritatem infectam, sicut obedientiæ Jesu Christi merito universam pariter in fidem & gratiam restitutam dicit, Rom. V, 6.

2. Cùm mulier servitiis hominis esset a Creatore addicta, *Adjutorium simile sibi*, vir pariter erat caput mulieris constitutus, ut nihil ex illâ discriminis adversùs virum ejus cæterosque posteros induceretur. Genus hìc quoddam fœderis & pacti (b) mutuis conditionibus propositis sancitum est, Deum inter & hominem, fidem suam obligante Deo, Adam ejusque posteris felicitatem se asserturum, siquidem manerent in obsequio. Ejus fœderis communionem participavit mulier, non tanquam in se fœdus recipiens, sed tanquam Adamo subjecta. Nihil ergo illa valebat pro fœdere illo abrumpendo, si pactis non stetisset, nisi pariter & vir recessisset a fide. Quare perduellionis reos nunquam illos egit Altissimus, nisi post Adami lapsum. Rectâ proinde consecutione infertur, commissum a solâ Evà crimen nulli, nisi sonti, futurum nocumento (c).

MORTE MORIERIS; vel, juxta Syriacum, & Symmachum (d), ac Rabbinos: *Mortales eritis*, qui priùs immortalitate fruebamini. Mortis nomine plura in Scripturâ designantur; e. g. lethalia vulnera, mortis discrimen, mortis item metus, animæ, corporis, ac tandem æterna mors. Animæ mortem in suum caput induxisse Adamum crimine admisso, planè constat (e): sed expressus hìc tantùm proximè videtur a Moyse peccati sensibilis effectus, mors nempe corporis: quod confirmari potest ex illo cap. III, 19: *Donec revertaris in terram, de quâ sumptus es.*

Adami crimen cum funestis ejus appendicibus in posteros transmissum, fide sanctum tenemus adversùs Pelagianos, contendentes, primum hominem nonnisi animæ mortem incurrisse, ejusque crimen uni illi tantùm nocuisse; nisi fortè reputaretur, pravo ejus exemplo factum esse, ut posteri ex ejus peccato incommodi aliquid sentirent. Reputant nonnulli, Adamo statim post crimen mortem fuisse subeundam, nisi imminens malum pœnitudine eluisset. Sed nihil tale Scriptura. Illud *Morte morieris* necessitatem tantùm subeundæ mortis designat (f), atque mortis futuræ anticipationes quasdam, corporis lassitudine inductâ, atque œconomiâ turbatâ, quibus postea suo tempore ad mortem re ipsâ homo raperetur. Vitam Deus sonti ad aliquod tempus prorogavit, ut spatium illi resipiscendi concederet, & consilia sua de hominibus exequeretur.

℣. 18. NON EST BONUM HOMINEM ESSE SOLUM. Epilogum hìc quemdam instituit Moyses, prætermissa, sive obiter tantùm narrata cap. I, 27 fusiùs eâ occasione supplens. Incongruum censeo, inter animantia cætera hominem in suo genere esse unicum; adjutorium illi simile concedendum, quocum miscere possit colloquia, & genus suum servare, quin & prorogare valeat (g). *Adjutorium simile sibi.* Hebræus, adjutorium quod sit ante illum; adjutorium, fidissimum sibi comitem, a

(a) *Justin. apolog.* 2. *p.* 81 ἐδίδαξε δὲ ἡμᾶς ταῦτα τὸ ἅγιον προφητικὸν πνεῦμα διὰ Μωσέως, φῆσαν τῷ πρώτῳ πλασθέντι ἀνθρώπῳ εἰρῆσθαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ οὕτως, ἰδοὺ πρὸ προσώπου σου τὸ ἀγαθὸν, καὶ τὸ κακὸν, ἔκλεξαι τὸ ἀγαθόν. (b) *Vide Aug. de Civit. l.* 16, *c.* 27. *Bedam in Luc. II. Rupertum hic, & dicta ad* ℣. 24, *c.* XVII. (c) *Vide Perer. ad. Rom.* V. 12. [d] *Sym.* Θνητὸς ἔσῃ. *Septuag.* θανάτῳ ἀποθανεῖσθε. [e] *Origen. homil.* 15 *in Genes.* [f] *Aug. lib.* 1 *de Peccatorum meritis c.* 16. [g] *Joseph antiq. l.* 1, *c.* 1. Βλέπων δὲ τὸν Ἄδαμον οὐκ ἔχοντα κοινωνίαν πρὸς τὸ θῆλυ, καὶ συνδιαίτησιν, οὐδὲ γὰρ ἦν, ξενιζόμενον δ' ἐπὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις οὕτως ἔχουσι. (h) 1 *Reg.* XXIX. & 3 *Reg.* X, 8. *Ezech.* XLIV, 11. *Dan.* 1, 5. & *passim.*

℣. 19. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea: omne enim, quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus.

℣. 20. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cœli, & omnes bestias terræ: Adæ verò non inveniebatur adjutor similis ejus.

COMMENTARIUS.

quo nunquam deferatur. Coram aliquo esse, stylo Scripturæ, significat, servitus alicujus addici (*b*), & actu illi servire.

Septuaginta vertunt (*i*): *Adjutorium sibi conveniens*, ejusdem nempe conditionis, naturæ, dotum pariter, quin & voluntatum ac consiliorum. Vertunt alii: Adjutorium sibi enhærens; quod sit apud illum, quod sit illi. Onkelos, Jonathan, Arabs: *Adjutorium, quod sit incumbens anteriori ipsius*; quarum versionum authoritatem suffragio suo fulciens Ludovicus de Dieu, dictum interpretatur de concursu duorum sexuum ad generationem: quod cum S. Augustino *de Genes. ad lit. l. 9, c. 5*, optimè consonat.

℣. 19. Formatis de humo cunctis animantibus terræ, et universis volatilibus. Quæ de productione volatilium diximus, vide supra ad cap. 1, 20. Samaritanus, & Septuaginta (*k*) legunt: *Deus formavit etiam ex terrâ cuncta animantia*; simili nempe ac hominem ratione, seu potiùs ex humo illa omnia, sicut hominem, formavit. Illud *etiam* insinuare potest Dei agentis operationem in conservandis creaturis, quas novâ semper productione reparat. Ita sentire videtur S. Augustinus de Genes. ad literam l. 9, init. Arabs scitè reddit. *Collegit autem Deus de terrâ omnes belluas campi, & adduxit ea ad Adam, ut ostenderet ei quid vocaret ea.*

Adduxit ea ad Adam. Angelorum ministerio bruta animantia adducta creduntur (*l*); ex quo planè insinuatur brevis utique animantium illorum numerus, sicut & suspicio promovetur, nullibi quàm in viciniis Paradisi creata, illa fuisse a Deo. Vix enim factum credimus, ut ex omnibus undique partibus animalia, e singulis generibus singula vel geminata, præstandis Adamo obsequiis mitterentur. Multoque etiam minùs factum reputamus, omnia simul illa venisse brevi illo temporis spatio, quo Adam a crimine perseveravit immunis. Æquè tamen factum arbitraremur, ut Deus naturali quodam instinctu bruta illa induceret, quò coram Adamo convenirent, obsequiis illi tanquam Domino & Principi præstandis.

Porrò exhibetur in statu innocentiæ Adam, veluti principatum in bruta omnia animantia gerens; quod ille imperium frustra prætulisset, nisi Deus insitum in hominem obsequium, atque ad nutus ejus & vocem submissionem brutis illis indidisset. Id enim poscit hominis imperium in bruta, ut illa habeat ad nutum subiecta, atque sub manu. Non ille quidem violentum exercebat dominium, difficile, laboriosum, quo nos hodie bruta illa etiam invita subigimus, vestigia veteris principatûs in illa retinentes. Si verò hominis imperium illud facile erat & mite, facilis etiam ad nutum ipsius, & spontanea poscebatur obedientia, quantam tamen patiebatur genus illud, rationis incapax & libertatis.

Neque ad id necessitatis adigimur, ut pisces etiam coram Adamo constitutos arbitremur (*m*). Ex eo genere animantum ea tantùm, quæ amnem alluentem regionem Eden frequentabant, amico sibi elemento nequaquam relicto, facilè illi sese repræsentarunt. S. Augustinus *lib. 9 de Genes. ad lit. c. 12*, nequaquam factum reputat, ut e piscibus aliquis coram Adam sisteretur; illis enim indita ab illo & posteris ejus nomina censet, datis temporum intervallis, prout singulos noscere, earumque dotes distinguere valebant; neque interpretationem hanc Mosaicis verbis repugnare quidquam arbitratur. Censet Cajetanus, hæc omnia phantasiæ quadam imagine Adamo subiecta, nihil autem reipsâ factum. Sed phantasiæ ludibrio opinio illius deputanda est.

Certus rei illius gestæ locus, ubi scilicet Adam lustrum indixerit animantibus, ignoratur: id enim in horto Eden factum necessariò reputare non cogimur. Potuit, antequam eò introduceretur, nomina brutis indidisse; quod veri majorem speciem præfert, ne bruta in Paradisum introducta dicantur; atq; infra demonstrabimus ad ℣. 20, nominum impositionem illâ Evæ formationem præcessisse; quod multùm confirmandæ huic opinioni valet.

℣. 20. Appellavit Adam nominibus suis cuncta animantia. Principatûs sui specimen exhibiturus Adam, nomina brutis imponit, eodem planè consilio, quo Deus factâ nominis Adamo impositione, imperii in illum sui illustre præbuit documentum (*n*). Argumentum est enim authoritatis nomina rebus dare; scire autem quæ potissimùm appellatio singulis conveniat, sapientiæ est absolutissimæ; nam cuncta novisse primus ille homo debuit, rerumque naturam intimè penetrare, ut apta singulorum dotibus nomina inderet. Sermonis formandi primum authorem, sicut & qui primus rebus nomina dedit, admirati sunt, nec immeritò, veteres Philosophi (*o*): *Quis primus, quod summa sapientia Pythagoræ visum est, omnibus rebus imposuit nomina?* Prophetico id Adami spiritui tribuendum censet S. Clemens Alexandrinus *Strom l. 1.* Nec sanè res erat e mediâ quadam sapientiâ, sed maximâ ac supra humanam.

Quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est

(i) כנגדו Βοηθὸν κατ' αὐτόν. *Confer Biantis dictum* τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα. *Aq.* κατέναντι αὐτοῦ (k) עוד *Septuag.* ἔπλασεν ὁ Θεὸς ἔτι ἐκ τῆς γῆς. (l) *Aug. l. 9. de Genes. ad lit. c. 14.* (m) *Menoch.* (n) *Philo de Mundi opificio. p. 34.* σοφίας καὶ βασιλικῆς τὸ ἔργον. (o) *Plato in Cratylo.* οὐ φαῦλον εἶναι τὴν τῶν ὀνομάτων θέσιν, οὐδὲ φαύλων ἀνδρῶν, οὐδὲ τῶν ἐπιτυχόντων. *Vide & Tull. l. 1 Tuscul. quæst.*

℣. 21. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cùmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro eâ.

℣. 22. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam.

℣. 23. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.

COMMENTARIUS.

EST NOMEN EJUS. Hebraica brutorum nomina a primo homine olim imposita, continuari apud suos asserit Josephus (*p*); ex quo rectâ consecutione infertur, Adamum inditam habuisse a Deo Hebraicè loquendi facultatem. Quadrant equidem omnia Hebraica brutorum nomina cum peculiaribus animalium dotibus, & naturâ, ut adducto ingenti etymologiarum numero satis expressè demonstrat Bochartus in vasto Opere de Animalibus Sacris; quod argumenti genus magis magisque promoveretur, si Hebraicum illum sermonem meliùs hodie agnosceremus.

ADÆ VERO NON INVENIEBATUR ADJUTORIUM SIMILE SIBI: Nullum ostendit Adam inter animantia, quod sibi suisque commodis in omnibus conveniret; nullum simile; bina erant singulorum generum animantia: ipse solus. Hoc ergo lustrum inductum est ante formatam Mulierem.

℣. 21. IMMISIT ERGO DOMINUS DEUS SOPOREM IN ADAM. Vox Hebræa (*q*), quam Vulgata reddit *soporem*, vertunt Septuaginta ἔκστασιν, mentis excessum. Aquila (*r*) *somnum* supprimentem, & opprimentem. Symmachus *somnum cum capitis gravedine* (*s*). Tertullianus *de Animâ cap.* 21. legit: *Immisit Dominus in Adam amentiam.* Factus extra se Adam in mentis excessu, & facilè raptus in extasim, quæ mox facienda erant, omnia Deo revelante cognovit; simulque intellexit, Mysterium Ecclesiæ, quæ juxta phrasim SS. Patrum (*t*), formanda erat e latere Jesu Christi in lecto Crucis dormientis: seu potiùs somnum illum immisit Deus, ut sensum doloris tolleret, cùm scilicet avellenda esset e latere ejus costa.

TULIT UNAM DE COSTIS EJUS; seu, juxta alios, Tulit aliquid carnis e lateribus ejus. Chaldæus, ut observat Grotius post Maimonidem, reddit interdum Hebræum *Zela* צלע *portionem*; quam pariter interpretationem retinent Septuaginta (Μέρος) non semel, ut in Exodo XXIV, 26. 35, XXXVI 27. Verùm sermonis contextus hic de costâ vocem illam proniori sensu interpretatur. Vertendum hic esset, juxta Grotium: *Tulit unam portionem de corpore Adam, & replevit carnem pro eâ; & ædificavit partem, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Ex utroque latere singularem costam avulsisse Deum tenent aliqui; ex uno tantùm frustulum carnis alii malunt. Nihil reipsâ gestum censet Cajetanus, sed omnia metaphorico sensu explicat; metaphoricè etiam explicat Philo l. 3 Allegor. Leg. docens, literalem ejus loci sensum fabulam præferre; sed hæc Scripturæ (*u*) æquè ac Patribus omnibus, & Traditioni repugnant.

ET REPLEVIT CARNEM PRO EA. Si Deus e latere Adami costam avulsit, non sanè carne suâ nudam tulit; ita pariter cùm in avulsæ locum carnem restituisse dicitur, & costam pariter eum carne restituisse censendus est (*x*). Alia tamen sedisse S. Augustino *De Genes. ad lit. l. 9, c.* 13. sententia videtur; quasi scilicet Deus carnem tantùm, non costam, restituerit, juxta literam Textûs. Interpretum nonnullis negocium facit investigatio, num Adam unam vel duplicem, ultra quàm homines soleant, costam a creatione retulerit, vel saltem eâ portione mancus reliquo vitæ suæ tempore fuerit; quærunt insuper, an ita rebus constitutis, inter monstra censendus esset. Pueriles sanè quæstiones, otiosis hominibus dignas!

℣. 22. ÆDIFICAVIT COSTAM IN MULIEREM. Sive id fecit Deus, multiplicatâ prodigio materie, uti cùm quinque panes multiplicavit in Deserto; sive carnis, quod deerat, adjecto, sive novâ e limo formatâ. Inspirasse Deum vitæ spiraculum in fœminam, nihil habet Sacra Scriptura; sed ita intelligendum esse constat, quòd Deus evigilanti e somno Adam vivam illam produxit; nemo autem in vitam vocare mulierem illam poterat, nisi ipse solus.

℣. 23. HOC NUNC OS EX OSSIBUS MEIS, ET CARO DE CARNE MEA. Loquendi phrases istæ ad literam reddi possunt. Potuit enim Adam factâ divinitus revelatione agnoscere, quid sibi dormienti contigisset, nempe ex ossibus suis & carne mulierem illam coagmentatam. Sed commodè pariter redderentur eodem sensu, quem sæpè præferunt in Sacrâ Scripturâ, designantes scilicet necessitudinem quandam & sanguinis conjunctionem. Labanus *Genes.* XXIX, 14 ad Jacob nepotem suum: *Os meum es, & caro mea.* Abimelech *Judic.* IX, 2 Sichimitas compellat *Os & carnem suam.* Ita pariter viri Tribûs Juda Davidem 2 *Reg.* V, 1. In aliis linguis familiare est illud: *Sanguis tuus sum. Quò tendis amens? sanguinem fundis tuum* (*y*). Ad id usque Adam neminem norat ejusdem secum naturæ & similitudinis; habuit tunc Evam, in qua vidit sanguinem suum, carnem, ossa, naturam.

HÆC VOCABITUR VIRAGO, QUIA DE VIRO SUMPTA EST. Redditus est Latinè verborum ille lusus, quem in Originali referunt *Isch* vir, & *Ischah* fœmina. Latini

[p] *Antiquit. l.* 1. *c.* 2. παρίστησι δὲ ὁ Θεὸς τῷ Ἀδάμῳ κατὰ γένη τὰ ζῶα θήλεά τε καὶ ἄρσενα ἀποδειξάμενος, καὶ τούτοις ὀνόματα τίθησιν οἷς ἔτι καὶ νῦν καλοῦνται. (q) תרדמה על האדם (r) Καταφορὰν ἐπὶ τὸν Ἀδάμ. (s) *Sym.* Κάρον. *alius*, Ὕπνον, *Somnum* (t) *Aug. tract.* 9. *in Johan. & Tertull. l. de animâ c.* 43. *Epiphan. hæres.* 48. (u) 1. *Cor.* XI. 8. *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro.* (x) *Menoch. Estius, Piscat. Ita & Catharin. &c.* [y] *Senec. Trag.*

℣. 24. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ: & erunt duo in carne una.

℣. 25. Erat autem uterque nudus, Adam scilicet, & uxor ejus: & non erubescebant.

COMMENTARIUS.

(z). Latini veteres fœminam appellabant *viram*, juxta Festum; familiare etiam fuit illis *virago* ad designandam virilem aliquam fœminam. Eundem verborum lusum imitari conatus est Symmachus (*a*).

℣. 24. QUAMOBREM RELINQUET HOMO PATREM SUUM ET MATREM, ET ADHÆREBIT UXORI SUÆ. Chaldæus: *Relinquet homo lectum patris, & matris suæ.* Verba illa Interpretum alii Deo tribuunt, alii Adamo, alii tandem Moysi; Adamo favet contextus sermonis. Potest etiam non incongruè reputari, animadversionem esse quandam Sacri Scriptoris, id sibi notandum censentis ad demonstrandum inviolabile illud inter virum & fœminam fœdus. Tandem Jesus Christus *Matth.* XIX, 5 visus est tribuere Deo, primam illam legem connubialem sancienti. Docuit tandem Apostolus *Ephes.* V. 23. &c. mysterium initi a Jesu Christo cum Ecclesiâ connubii, fœdere illo maritali inter Adam & Evam typo quodam exprimi.

ERUNT DUO IN CARNE UNA. Hebræum, & Chaldæum reddi possunt: *Erunt una eadem caro;* Vel *unientur* in unam carnem. Vox *duo* deest quidem in Hebræo, sed legitur in Septuaginta (*b*): Erunt duo, ut in unam eandemque carnem coalescant filiorum productione; sunt enim filii utriusque parentis caro & sanguis. Sunt etiam una & eadem utcumque persona sponsus & sponsa, quòd una sit illis rerum communio, unum fœdus maritale, una utriusque in alterutrius corpus potestas. Samaritanus habet: *Formabitur e duobus illis una caro;* & Apostolus 1. *Cor.* IV, 16. *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur. Erunt enim*, inquit, *duo in carne unâ.*

℣. 25. ERAT AUTEM UTERQUE NUDUS, ET NON ERUBESCEBANT. Paraphrastes Jonathan: *Erant ambo sapientes; sed non moram fecerunt in gloriâ suâ.* Junius & Tremellius reddunt pariter Hebræum (*c*); *Callidi erant*, vel *Sapientes erant*. Melior utique Vulgatæ sensus; & ex collatione hujus textus cum altero cap. III, 7 apertè constat de corporis nuditate dictum intelligi oportere. Notat hìc Moyses, primos illos parentes probro nequaquam duxisse nuditatem suam; cur tamen, non exprimit. Tum addit, intelligere illos cœpisse nudos esse se, intelligere, inquam, statim post commissum crimen, tegendoque corpori continuò operam dedisse. Ex quo planè noscimus, crimen & criminis appendicem concupiscentiam in causâ esse turbatæ rerum œconomiæ, & carnis adversùs spiritum rebellantis audaciæ, ac tandem, quæ inde sequitur, erubescentiæ. Putavit Plato (*d*), homines aureâ illâ ætate nudos incessisse. Et alibi (*e*) agens de solemni Græcorum ætatis suæ more, nudos nempe incedendi in locis, ubi corpus exercebant, notat, non diu antea morem illum probro & risui fuisse in Græciâ, uti eâ adhuc ætate erat apud barbaras gentes sanè multas; modò verò, ait, nemo habet quidquam adversùs illum, consuetudine approbante.

Est erubescentia quædam inanis prorsus & ratione destituta, quam inducit opinio, vanitas, & perversa quædam consuetudo; est & alia ex ipsâ rerum naturâ petenda, probro ducens res politiæ, pudori & rationi oppositas. Utramque illam erubescentiam præposterè confundebant Stoici & Cynici; nec sanè distinxisse satis videtur Plato in iis, quæ supra de illo adduximus. Nudo sanè corpore incedere, quidquid dixerit quispiam erubescentiæ habet aliquid, quòd recto ordini & rationi repugnet, quæ utraque profectò neglexisse atque calcasse oportet illos, qui omnium primi modesti hominis fines eâ in re transgredi ausi sunt.

Hæreticorum nonnulli in eâ fuerunt persuasione, primos illos parentes cæcitatem ab ipsâ sui creatione retulisse (*f*), ne se nudos intelligerent; quorum commenta induxisse potuit illud quod sequitur in Textu: *Aperti sunt oculi amborum.* Scitè observat Origenes *l. 7. cont. Cels.* in historiâ de Adami lapsu exhiberi illum videntem pariter & cæcum; cæcum, inquam, captumque animæ luminibus, quòd officium suum non intelligeret; Videntem autem oculis corporis, quòd illa aspiceret, quibus inducta in animam cæcitas.

CA-

(z) לזאת יקרא אשה כי מאיש לקחה זאת. (a) *Sym.* Αὕτη κληθήσεται ἀνδρὶς, ὅτι ἐξ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη αὕτη. *Septuag.* αὕτη κληθήσεται γυνὴ, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς ἐλήφθη. *Theodot.* αὕτη κληθήσεται λῆμμα, ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς ἐλήφθη. *Ipsa vocabitur assumptio, quia de viro sumpta est.* (b) Ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν. (c) ויהיו שניהם ערומים (d) *In Politico p.* 272. γυμνοὶ δὲ, καὶ ἄστρωτοι θυραυλοῦντες τὰ πολλὰ ἐνέμοντο. (e) *Idem l. 5. de Rep. p.* 452. οὐ πολὺς χρόνος ἐξ οὗ τοῖς Ἕλλησιν ἐδόκει αἰσχρὰ εἶναι καὶ γελοῖα ἅπερ νῦν τοῖς πολλοῖς τῶν Βαρβάρων, γυμνοὺς ἄνδρας ὁρᾶσθαι. [f] *Philastr. hæres.* 66.

CAPUT III.

Eva tentatur a Serpente. Eva & Adam in crimen labuntur. Maledictio in Serpentem. Sententia in primos homines. E Paradiso pelluntur.

℣. 1. SED & Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno Paradisi?

COMMENTARIUS.

℣. 1. SERPENS ERAT CALLIDIOR CUNCTIS ANIMANTIBUS TERRÆ. Serpentis calliditas nemo Veterum ignorat; quem etiam multò callidiorem ante imprecatam ipsi maledictionem fuisse tenent nonnulli. De ejus versutiis frequenter agit Scriptura, ut illud, aures nempe suas claudere, ne excantantis voces auscultet (a); ungulas equi mordere, ut equitem subvertat (b). Jesus Christus *Matth.* x, 16, monet, ut anguis prudentiam imitemur. Animos dispositurus Moyses ad historiam tentationis Evæ, hoc instruit procemium, insinuans versutiam & calliditatem invisibilis anguis, ut Evam in tentationem induceret, & non stupidæ illius & rudis belluæ, quamquam alioqui versutiâ, & calliditate supra cætera animantia præstantis.

Animadversione digna est ratio, quâ Moyses refert historiam lapsûs primorum Parentum; utitur enim phrasibus metaphoricis & ænigmaticis, quarum sub ambagibus tegit rei gestæ, ac maximi sanè momenti veram historiam. Exhibet anguem, calliditate superantem cætera animantia, loquentem, sermocinantem, incautam seducentem, ac tandem in caput suum dira a Numine inducentem. Videtur Sacer ille Historicus, veluti Dæmonis oblitus, Dæmonis, inquam, primi & potissimi mali illius auctoris, totamque criminis illius pœnam, merito sceleris, angui invisibili infligendam, induxisse in belluam, purum putumque Dæmonis instrumentum. Tantâ verò cautione rem totam tractat, ut satis insinuet habere se præ oculis alium planè serpentem, quàm qui cum Evâ sermocinabatur; atque inter dira, quibus colubrum Deus percussisse describitur, nonnulla sunt, solùm in Dæmonem referenda; ut illud de simultatibus inter anguem & mulierem immittendis. Neque abs se arbitraremur, Israëlitas iisdem usos phrasibus, cùm in familiari sermone sem illam narrarent; quibus proinde stylo huic metaphorico assuetis, totamque historiam optimè callentibus, sermonem habens Moyses norat equidem illos serpentis nomine non belluam tantùm recepturos, sed antiquum illum serpentem, quo nomine Scriptura Dæmonem appellat (c), *qui fuit homicida ab initio*, juxta illud Jesu Christi *Joan.* VIII, 44.

Julianus Imperator (d) totam hanc historiam ad fabellas, & Poëtarum figmenta amandabat: interrogabat insultabundus, quo Dæmon uteretur sermone cum Evâ locutus; & quomodo Deus boni & mali cognitionem homini inviderit? Veritatem ejus historiæ defendens S. Cyrillus tuetur, Dæmonem anguis exuviis assumptis cum muliere familiariùs egisse. Rudem illam, utpote recèns natam, ratamque animalibus omnibus datam loquendi facultatem, Dæmonis astum nequaquam intellexisse. Cæterùm, ait, vix est, quòd a Pagano homine hæc nobis objiciantur; loquentia enim bruta non uno, nec infrequenti exemplo, in Græcorum historiâ exhibentur. Tandem ex Juliani confessione, comparantis Moysis historiam cum Poëtarum figmentis, illud sibi argumentum deducit S. Cyrillus, religionem nempe Græcorum, e Poëtarum figmentis deductam, merum esse putidumque commentum.

In eo Dæmonis cum fœminâ colloquio nihil nisi allegoricum quiddam agnoscit Cajetanus, ratus, sacrum Scriptorem sub verborum ambagibus designasse quid intus & in corde fœminæ egisset Dæmon, sub nomine serpentis hìc insinuatus. Totam hanc fœminæ seductionem per anguem typico sensu exponens Philo (e), anguis nomine designari credit carnis illam voluptatem, & concupiscentiam, quorum pellectu primi illi hominum parentes induci se permiserunt in malas illas cupiditates ex utriusque aspectu fotas, atque ex amore genus humanum generatione propagandi natas.

Josephus (f), aliique apud Philonem, S. Basilius, S. Ephrem, & alii credidisse videntur inditam angui tunc loquendi facultatem. Persuasum pariter habuerunt Josephus, [g] & S. Basilius, colubrum ante Evæ tentationem erectum incessisse; nec nisi Dei punientis sententiâ damnatum (quòd scilicet instrumentum Dæmoni in malum præbuisset) reptasse deinde super terram. Judicarunt alii, serpentem absque prolato verborum sono auscultatum a fœminâ, quòd scilicet optimè calleret sermonem brutorum, eo planè modo, quo illam sibi scientiam asserebat Apollonius Thyanæus. Scitum est, quid Prophani sentirent de loquendi facultate concessâ brutis aureâ illâ ætate, cùm florentissimum Regnum haberet Saturnus.

Suspi-

(a) *Psalm.* 57. 3. (b) *Genes.* 49. 17. [c] 2. *Cor.* 11. 3. *Apocal.* 12. 9. [d] *Apud Cyril. l.* 3. *contra Julian.* (e) *Philo de opificio mundi*, *p.* 36. *& de agriculturâ*, *p.* 201. (f) *Joseph. l.* 1. *Antiquit. c.* 1. ἀφείλετο δὲ τὸν ὄφιν τὴν φωνήν. *&c. Basil. homil. de Paradiso. Ephrem apud Barcepha de Paradiso*, *c.* 17. [g] *Joseph. l.* 2. *c.* 3. *Antiq.* ποδῶν τὸ αὐτὸν ἀποστερήσας σύρεσθαι κατὰ τῆς γῆς ἰλυσπώμενον ἐκέλευσε.

Digitized by Google

℣. 2. Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur.

COMMENTARIUS.

Suspicati sunt nonnulli, Dæmonem anguis linguam scitè commovisse, ut articulatos verborum sonos proferret. Desendunt alii, Dæmonem sucum oculis Evæ fecisse, formatis sive in aëre sive in organis ejusdem fœminæ verbis, quæ mulier ad serpentem referebat. Abarbanel, aliique nonnulli simplicissimos in hac re conceptus suos verborum ænigmatibus & velaminibus absconditos tradunt; serpentem scilicet repetitis vicibus arborem scientiæ boni & mali coram muliere ascendisse, degustasse de vetito ejus fructu, nihilque se se præferre incommodi ostentasse, quò scilicet audaciorem mulierem ad exempli illius imitationem redderet. Si quis Rabbinum sciscitetur, cur Deus anguem punierit? Ideo, ait ille, quòd non contentus herbis, concessis sibi in alimentum a Deo, ausus est de arboris fructu, sibi utique non permisso, degustare.

Ex hac Mosaicâ historiâ quædam antiqui prophani servarunt; nec enim aliò spectant fabellæ de aureis pomis custodiæ serpentis commissis. In mysteriis Bacchi serpens monstrabatur (h), Evæ tentatione celebrem anguem exhibens: clamabant, in Baccanalibus, *Evoë*, veluti ad memoriam conservandam nominis fœminæ illius, e qua peccatum in mundum introductum est. Ægyptii singulari cultu serpentem prosequebantur (i); rati eum immortalitate & divinâ naturâ donari; designabant illum nomine *Kneph*, quod vernaculo eorum sermone bonum Spiritum sonat: idemque angui nomen erat apud Phœnicios.

Meminerunt veteres Patres (k) hæresis Ophitarum, superstitioso quodam cultu colubrum prosequentium; permittente Deo, ut Dæmon vocatos illos impiosque falleret sub specie belluæ illius, cujus exuvias antea ad impellendos in crimen primos homines assumpserat. Volentes Poëtæ designare, fœminæ scelere inducta in genus hominum mala, comminiscebantur, Deos iratos mulierem formasse, ut in homines inducerent mala. Mulierem illam appellarunt Pandoram, quòd scilicet Numinum quisque singulare munus in illam contulerit: missam tradunt ad Epimetheum, ferentem pixidem plenam funestis hisce muneribus. Pixidem curiosa reclusit, statimque evolantia mala exundarunt: sola Spes in imo pixidis fundo remansit.

Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi. Cur omnium vobis fructuum usum non reliquit in medio? Voces originalis (m) nunquam solent in capite sermonis constitui, institutam enim jam narrationem designant. Creduntur autem verba illa continuatio esse colloquii serpentis cum fœminâ, cujus exordia Moyses scriptis non reliquerit. Reddi posset: Fierine potuit, ut Deus vobis inhibuerit usum omnium fructuum? Sive: Miror Deum non vobis permisisse; vel tandem: Cur Deus vobis ista prohibuerit? Vos certè mentem ejus assecuti non estis.

℣. 2. Cui respondit mulier: Vix conciliare possumus hanc Evæ loquentis cum serpente, absque eo quòd nullâ admiratione de formatis a bruto humanis verbis capiatur, rudem ignorationem. Vix, inquam, conciliare possumus eum inditâ nobis ideâ sapientiæ & ingenii perspicacitatis primorum parentum. Si enim Eva ignorabat anguem brutum esse ratione & eloquio destitutum, quid de ejus scientiâ præclarum reputabimus? Si verò norat, bruta loquendi facultate destitui, cur rei novitas cautiorem non reddidit? Tandem si justitiam & morum innocentiam colebat, cur sine indignatione auscultare poterat illum, qui Deum doli, invidiæ, & mendacii accusaret?

SS. Thomas & Bonaventura *in* 2. *Sentent. dist.* 21 autumarunt, Evam novisse quidem, colubrum nullam habere per se loquendi facultatem, & a spiritu quodam eâ in re duci; sed Spiritus ille cujus esset naturæ, & consilii, non continuò intellexisse. Magnificis illis promissionibus occupata nihil cogitabat, quomodo brutum illud verba formaret. Magister Sententiarum *in* 2 *dist.* 21, & Tostatus *in Genes.* ingenuè fatentur, primam illam fœminam putasse verbi usum inditum serpenti a Deo. Quantumvis enim ingenio & cognitione in speculando valeret, nihil tamen norat experimento. Agitur autem de errore facti, ad singulares alicujus bruti dotes pertinente, qui sanè error a statu innocentiæ utique excludendus non erat, sicut & veniale crimen. Poterat facilè mulier decipi, non satis reputans ea, quæ maximè norat, sicuti viris quibusdam, rerum scientiâ & sapientiâ præstantibus, error interdum subrepit imprudentibus, quem facilè attentiùs rem dispicientes evitarent. Nihil autem admirata est Eva, loquentem anguem auscultans, quòd illa neque de Dæmone cogitaret, quem ne nosse quidem poterat, neque de serpente diffideret, quem in suâ tenebat potestate.

Tandem non immeritò suspicaremur, Evam jam inde nube quadam mentis suæ lumen offuscasse, tepore quodam minuisse cordis ardorem, e quibus minor in Deum timor, & amor remissior, ad tentationem serpentis major comparatio nascebatur. Novit enim Dæmon datum sibi aditum, ut persuaderet refractariam jussionibus Divinis voluntatem. Nec statim ex innocente criminis rea facta est; receptam enim pietatem veluti per gradus amisit. Curiosus primùm aspectus, tum se suasque dotes suspicienti admiratio; minor inde mentis & cordis cautio, amor etiam in propriam excellentiam, & tepor quidam in Deum, cui debitum amorem in alios distraxit, se enim plus nimio amavit; subiit tandem indignatio, quòd volens nolens jussionibus ejus obsequi cogeretur. Superveniens Dæmon, aditumque sibi præstari intelligens, amorem despoticæ illius potestatis promovit, auxit teporem erga Deum, scientiam pollicitus est. Magnificis hisce promissionibus occupata, officii sui statim obliviscitur; amat

(h) *Vide Clem. Alex. apud Euseb. Præp. l.* 11, *c.* 3. (i) *Sanchoniath. apud Euseb. Præpar. Evang. l.* 1, *c.* 10. (k) *Tertull. de Præscript. c.* 47. *Epiphan. hæres.* 37. (l) *Hesiod. opera & dies.* (m) אף כי.

℣. 3. De fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.

℣. 4. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini.

℣. 5. Scit enim Deus quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: Et eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.

℣. 6. Vidit igitur mulier quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile: & tulit de fructu illius, & comêdit: deditque viro suo, & comêdit.

COMMENTARIUS.

mat errorem; fructum degustat; nullo negotio Adamum in societatem criminis pertrahit; Adamum, inquam, facilè in simili mentis & cordis dispositione inventum. Quam ille habuit erga uxorem, indulgentia id a viro impetravit, quod serpens ab Evâ.

Scitè observat S. Augustinus, *de Genes. ad lit. l.* 11, *c.* 30, de priori illâ fœminâ agens: *Non crederet verbis serpentis, bonâ atque utili re se esse prohibitos, nisi inesset ejus menti amor propriæ potestatis, & quædam de se superba præsumptio.* Vide etiam *de Libero arbitrio l.* 3, *c.* 24, ubi seriò discutit, quomodo primi illi hominum parentes tantâ præstantes sapientiâ seduci se a Dæmone permiserint. Vide etiam *Retract. l.* 2, *c.* 1. *& de Civit. Dei l.* 14, *c.* 11, *&* 23.

℣. 3. Ne forte moriamur. Observa hîc dubitationis cujusdam subeuntis tentamentum. Ansam imprudens exhibet Dæmoni, ambigere se significans, num Deus minas suas asseverasset. *Deus affirmat, mulier dubitat, Sathan negat* [n]. Hebræus, Chaldæus, & Syriacus ita legunt, quasi ad plures verba fierent, semper tamen eodem sensu: *Ne fortè moriamini.*

℣. 5. Scit enim Deus. Invidiæ Deum accusat Dæmon, quasi scilicet cavendum ille sibi duceret, ne creaturæ suæ ad eum sapientiæ & perfectionis gradum pervenirent, quem ipse tenebat.

Eritis sicut Dii, scientes bonum et malum. Hebræum אלהים *Elohim* sonat Deus, Dii, Principes, Angeli, Judices, Rabbini & Interpretum plures reddunt: *Eritis sicut Angeli.* Chaldæus כרברבין: *Sicut Principes.* Verti tandem posset: *Eritis Deo similes*; boni nempe & mali, rerum scilicet omnium, cognitione præditi. Videbimus autem in subseqnentibus, Adam & Evam sibi adblandientes, quasi scilicet sperarent futurum, ut ad cognitionem Divinæ simillimam pervenirent. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est,* ait Deus ad Adam, post ejus lapsum. Absoluta rerum omnium cognitio non rarò designatur phrasi scientiæ boni & mali, quà in Scripturâ (o), quà apud Prophanos [p].

Narrant Hebræi (q) delatum tunc Adamo ab Angelo Razièle Librum, maximis Mysteriis refertissimum adeò, ut Angeli ad lectionis ejus aliquid auscultandum avidissimè convolarent. Sed Angelus Adarniel Adamum admonuit: Vide, Deum tuum colas, & Librum hunc obsignes; tibi enim uni secreta ista penetrare datum est. Sedulò igitur Librum custodiit Adam, nec illum, nisi rebus abditissimis intelligendis, consuluit. Didicit ex illo formam Currûs Domini, fundamenta Cœlorum, eorum motus, linguas omnes Universi; didicit Angelos omnes quà bonos, quà malos, Astronomiam, temporum & anni tempestatum scientiam, astrorum influxus, ac tandem Talismannorum conficiendorum rationem; quidquid insuper ad cultus omnes tam sacros, quàm prophanos pertinet. Hæc Adami scientia ex doctrinâ Judæorum. Existimasse creditur Josephus *Antiquit. l.* 1, *c.* 2, primos rerum parentes abdita plura post esum vetiti fructûs antea sibi ignota, vel minùs animadversa didicisse, uti e. g. nudo se corpore incedere; quam rerum cognitionem deberi insitæ degustati fructûs qualitati.

℣. 6. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, et pulchrum oculis, aspectuque delectabile. Hebræus ad literam (r): *Vidit quòd* (fructus) *arboris bonus esset ad vescendum, & desiderabilis oculis, & desiderabilis ad dandam intelligentiam.* Reddi etiam potest, juxta Chaldæum: *Vidit mulier, quòd bona esset arbor ad vescendum, & quòd salutifera esset oculis, & delectabilis arbor ad intuendum in eam.* Grotius hanc interpretationem vindicat Septuaginta (s): *Vidit fructum arboris esse bonum ad vescendum & sanum, quantum ex aspectu intelligi poterat.* Grato ejus fructûs aspectu illecta mulier, rata pariter insitam illi virtutem rerum scientiam conferendi, degustandum ex illo sibi commodum censuit.

Et tulit de fructu illius, et comedit, dedit que viro suo, qui comedit. Hebræus ad literam: *Dedit viro suo cum ipsâ* עמה. Inferunt inde nonnulli, Adamum colloquio illi cum fœminâ præsentem adstitisse (t): sed abfuisse vulgò creditur, nec Textus contrarium suadet. Credimus autem Evam nō prius degustandum fructum viro tradidisse, quàm post agnitum errorem a se commissum (u).

Qua-

(n) *Bernard. Ser.* 22, *n.* 3, *de diversis.* [o] *Genes.* 22. 9. *&* xxiv 50. *&* xxxi 24. (p) *Hom. Odyss.* I *& Σ.* *& Hesiod. Theogonia,* Ω: δ' οἱ φραζοίατο θεὰ ἀγαθόν τε κακόν τε. [q] *Liber tobeleth Jacob in Præfat.* (r) ותרא האשה כי טוב העץ למאכל וכי תאוה הוא לעינים ונחמד העץ להשכיל (s) *Septuag.* ὅτι καλὸν τὸ ξύλον εἰς βρῶσιν, καὶ ὅτι ἀρεστὸν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν, καὶ ὡραῖόν ἐστι τοῦ κατανοῆσαι. [t] *Fag. Pisc. Oleast.* [u] *Ambros. lib. de Parad. c.* 6.

℣. 7. Et aperti sunt oculi amborum; cùmque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficûs, & fecerunt sibi perizomata.

℣. 8. Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus a facie Domini Dei in medio ligni Paradisi.

COMMENTARIUS.

Quacunque ex parte crimen Evæ respiciatur, culpa enormis apparet. Neque enim excusabile est crimen aperta Divinarum jussionum transgressio. Æqualis illa cum Deo similitudo affectata multùm exaggerat crimen; ambitio Divinæ scientiæ obtinendæ culpam promovet. Porrò mentis tumor ac superbia fons est & origo omnium horum scelerum; inde enim offuscatur spiritus, tumescit cor, curiositas, cibi criminosa voluptas, inobedientia subrepit: *Per inobedientiam* autem, juxta Apostolum Rom. v, 19, *unius hominis peccatores sunt multi*.

Quid primum hominem impulerit, ut mulieris exemplum imitaretur, non satis constat; an scilicet argumenta a serpente mulieri adducta, quæ illa retulerit ad virum; an præpostera in uxorem indulgentia; an divinarum jussionum contemptus; an tandem mulier, nacta pravas in corde Adami habitudines ad temnendas Dei jussiones, simulque animadvertens tædio quodam illum teneri servitutis Deo præstandæ, opportunam hanc captaverit occasionem, ut ad crimen impelleret, incertum. Vide ℣. 1.

Asserit Apostolus, Adamum nequaquam seductum fuisse, sed Evam tantummodo (x). Nec equidem Dæmon ad tentandum hominem se contulit; sed nulla tamen inde de Adami crimine excusatio. Si enim suggestioni serpentis aurem non præbuit, præbuit tamen mulieris; & si vir firmitate cordis, & scientiæ præstantiâ fœminam superat, ejus professò lapsus multò gravior censendus est, intolerabilior audacia, inexcusabilior transgressio.

℣. 7. Aperti sunt oculi amborum. Granditatem nempe criminis sui, & futilem promissionum Dæmonis vanitatem tandem nuverunt. Intellexerunt quod amiserant bonum, quod in se induxerant malum. Nudos se tandem senserunt.

Cumque cognovissent se esse nudos. Turbatâ passionum œconomiâ, carnis a spiritu defectio pudorem in illos induxit de probro, nudosque se esse senserunt. Quam rem nunquam antehac intellexerant; nihil enim habebat probrosum, nihil quod minùs placeret. Explicant tandem alii Textum in hanc sententiam: Noverunt se innocentiâ spoliatos, sicut & bonorum omnium pretiosissimo destitutos: deceptos se a Dæmone senserunt.

Moyses de Idolatriæ in vitulum aureum crimine agens Exod. xxxii, 25: *Spoliaverat eum* (Israëlem) *Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat*. In eam sententiam interpretari possumus illud: *Cognoverunt se esse nudos*; nempe tanto rubore suffusi sunt, quanto viri ingenui corpore nudati spectatorum oculis præbentur. Sed ad literam intelligi non debet Textus nisi de nudato corpore, utî rei contextu sat declaratur. Locus Exodi intelligi potest de expoliatis re ipsâ Israelitis omnibus suis armis & ornamentis post cultum aurei vituli, ut alibi demonstrabimus.

Consuerunt folia ficus, at fecerunt sibi perizomata. Hebræum תפר *Taphar*, quod redditum est *consuerunt*, sonat etiam applicare, accommodare, affigere; & vox illa עלה, quæ redditur *folia*, exprimit etiam ramos viriditate vestitos; quare non incongruè interpretaremur Textum de latiori quadam zonâ e foliorum plexu, sicut etiam de ramis inter se contextis. Folia arboris fici latissima sunt; & in Indicis quædam spectantur Amazonum clypeum æquantia (y). Sunt in Ægypto fici arbores quædam, dictæ ficus Adami, quarum folia Parisiensem ulnam in longitudine, & duos pedes in latitudine superant (z).

℣. 8. Cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso. Vocis Dei nomine intelligere possumus vel distinctæ vocis sonum, exprimentem e. g. *Adam ubi es?* vel etiam sonum hominis concitato quodam cursu sese moventis; ac tandem tonitru, seu terribilem quamdam vocem, quâ Adam & Eva terrore concussi fuerint. Veteres quidam crediderunt (a), Filium Dei Adamo per visum apparuisse; Angelum alii maluot.

Ad auram post meridiem. Hebræus ad literam לרוח היום *Ad ventum*, sive *ad spiritum diei*. Septuaginta reddunt tantùm Τὸ δειλινόν: *Ad vesperam*. Theodotion Ἐν τῷ πνεύματι πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας. Chaldæus, *Post requiem diei*, nempe, utì quidem interpretamur, post meridionalem illam requiem, in ferventibus æstu regionibus familiarem. Meliùs tamen intelligendum credimus Textum de tempore inclinantis Solis.

Rabbini quidam docent, primos illos mortalium parentes lapsos in crimen decimâ diei horâ, quæ cum quartâ post meridiem in æquinoctio componitur. Post crimen continuò Deus videndum se præbuit. In Cantico Canticorum (b) loquendi phrasis quædam occurrit illi similis: *Ad ventum diei. Donec aspiret dies & inclinentur umbræ*, Ibi verò satis constat, vesperas designari; quare eadem interpretatio hîc etiam retinenda. Utitur quidem aliâ voce, quàm Moyses, in hoc loco Salomon; sed utriusque eadem est significatio; utraque enim sonat *flare*. Diodorus Siculus (c), agens

[x] *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* 1 Timot. ii. 14. (y) *Plin. l. xii, c. 5. Solin. c. 45. Theophrast. l. iv de Plantis.* (z) Morizon voyage *l. 1, c. 9.* (a) *Vide August. l. 11, c. 33, de Genes. ad liter. & Estium Ibid.* (b) *Cant. ii, 17. & iv, 6.* עד שיפוח היום (c) *Diodor. Sicul. l. 3, p. 129.* τοῦτον δὲ τὸν καιρὸν ἥδιστον τοῖς ἐγχωρίοις φαίνεσθαι ταπεινουμένου τοῦ καύματος διὰ τὴν δύσιν τοῦ ἡλίου. τῶν δὲ ἀνέμων ζέφυρος μὲν, καὶ λίβες, ἔτι δ' ἀργέσται καὶ εὖροι πνέουσι, &c.

℣. 9. Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Ubi es?

℣. 10. Qui ait: Vocem tuam audivi in Paradiso: & timui, eo quòd nudus essem, & abscondi me.

℣. 11. Cui dixit: Quis enim indicavit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?

℣. 12. Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comêdi.

℣. 13. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, & comêdi.

℣. 14. Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.

COMMENTARIUS.

agens de locis maritimis Arabiæ, scribit diurnos calores ad excessum fervere: quos tamen tolerabiliores reddunt vespertini quidam zephyri, & occidentales, ac ab Euro & Noto flantes venti. Moyses in Arabiâ scribens, non sanè melius designare poterat tempus inclinantis Solis, cùm scilicet Deus Adamo videndum se præbuit, quàm notans apparuisse illum, dum zephyri flare inciperent.

ABSCONDIT SE IN MEDIO LIGNI PARADISI. Phrases istæ, & quæ antea narrata sunt, de inambulante scilicet Deo inter arbores Paradisi, ideam ingerunt nemorosæ cujusdam silvæ, cujus inter arbores Adam delituerit. S. Augustinus (*d*) insinuare videtur, latuisse Adam & Evam retro post eamdem arborem in medio Paradisi, de cujus fructu degustaverant: quod apertè docet etiam S. Hieronymus (*e*).

℣. 9. VOCAVITQUE DOMINUS DEUS ADAM, ET DIXIT EI: UBI ES? Quærit Deus Adam, veluti ubi esset, ignorans; vult enim illi agnoscendi criminis dare opportunitatem. Patres nonnulli (*f*) non interrogandi phrasi dictum illud interpretati sunt, sed tanquam criminis vivam reprehensionem habens, ut sit sensus: *Adam ubi es!* Oculos tuos aperi, infelix, vide quod in te provocasti malum, agnosce crimen. Ubi est obstricta promissionum tuarum fides?

℣. 12. MULIER, QUAM DEDISTI MIHI SOCIAM, DEDIT MIHI DE LIGNO, ET COMEDI. Criminis invidiam regerit in mulierem, & obliquè etiam in Deum, qui sociam illi adjunxerat fœminam, opem & adjutorium præstituram. Hebræus habet: *Mulier ista, quam constituisti mecum.* S. Bernardus *lib. de præcepto & dispen. c.* 11 censuit, ideò potissimum Domini in se furorem provocasse Adamum, quòd de crimine a se commisso fœminam incusaret potiùs, quàm culpam suam agnosceret.

℣. 14. AIT . . . . AD SERPENTEM . . . . MALEDICTUS ES INTER OMNIA ANIMANTIA. Reddi potest in vocativo: *Animal maledictum super omnia animantia.* Nihil est odibilius serpente (*g*): evitatur sedulò: nemo illum non insectatur; veneno & morsu lædit. Præsens adfuisse videtur, cùm Deus Adam & Evàm alloquitur.

Patres nonnulli tenent (*h*), diras illas Dei nonnisi in Dæmonem cecidisse. Et quidem sola criminis culpa ad Dæmonem referebatur, non ad anguem, qui merum fuit, animatum quidem, sed ratione destitutum, instrumentum, ut nihil de insidiâ Dæmonis & de prævaricatione Adami participaret. Alii in adversum planè extremum delati, tuentur, Dæmonem jam inde ante Adami lapsum maledictione damnatum, & criminum suorum pœnâ oneratum, adeo ut hæc augeri non posset, nihil sensisse a Deo incommodi, sed maledicta ejus omnia ad anguem referri. Nihil autem egisse Deum nisi pro meritis; cùm enim hominis tantùm servitiis facta sint bruta, furoris sui argumentum præbere potest Deus homini, criminum pœnam regerens in bruta. Ita in Lege Moysis (*i*) bruta quædam animantia puniuntur, quasi scilicet crimina cum delectu & libertate egissent; & Jesus maledictis insectatur arborem fici, fructibus destitutam. Malumus tamen nos cum S. Chrysostomo *homil.* 17 *in Genes.* & Theodoreto *interrogat.* 34 *in Genes.* maledicta illa Dei æquè in Dæmonem & serpentem, sed ratione planè diversâ, referre in hunc planè modum.

SUPER PECTUS TUUM GRADIERIS. Observavimus supra, non defuisse, qui in pedes & rectâ incedendi facultatem concederent serpenti. Nihil tamen novi in corpore serpentis accidisse post lapsum Adæ credimus; semper enim reptasse bruta illa, victitasse terræ fructibus, radicibus, & herbis, persuademur. Non desunt alioqui hodie usque serpentes erecto incedentes capite, nec nisi mediâ corporis portione reptantes. Vide Grotium in primum versum huius capitis.

Sed post hominis lapsum multò duriorem vitam agunt colubri, quòd hominum insectationibus

(d) *Aug. l.* 11 *de Genesi contra Manich.* (e) *Hieron. in Isai. l.* 9, *c.* 29. *absconderunt se sub arbore, in qua erat scientia boni & mali.* (f) *Tertull. lib.* 11 *contra Marcion. c.* 25. *Origen. lib. de rectâ fide. Basil. in Psal.* CXIV. *Aug. lib.* XI *de Genes. ad liter. cap.* 34. *Vide Philon. l.* 2. *allegor. Legis p.* 70.

(g) *Theocrit. Idyll.* 15. Ἐκ παιδὸς τὸν ψυχρὸν ὄφιν μάλιστα δέδοικα. *Artemidor. Orient. l.* 2. ὄφις ἐχθρὰν σημαίνει, *&c.* (h) *Aug. l.* XI *de Genes. ad lit. c.* 26, *& de Genesi contra Manichæos lib.* 11, *c.* 26. *Greg. Mag. Beda.* (i) *Vide Exod.* 21, 29. *Levit.* 20, 15. *Deut.* 7, 2… 13, 15. *Josue* 7, 25.

℣. 15. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.

COMMENTARIUS.

bus pateant, quòd nunqiam non ab obviis quibusque incommodi aliquid referant, ac occidantur; latebras proinde semper quærere, aspectum hominum fugere coacti. Hæc autem typo quodam exprimebant latæ in Dæmonem, tanquam mali authorem potissimum, diræ. Reptat ille in ventrem, quòd scilicet opprobrio & confusione deprimitur, munus gerens probrosum sanè & iodignum, tentandi ad scelera homines, nihilque omittens quo in illis impietatem augeat, & impietatis pœnam accumulet. Sub anguis ideâ Moyses insinuat Israëlitis haac inflictam Dæmoni pœnam.

TARRAM COMEDES. Verba illa ad literam intelligenda non sunt; non enim terrâ nutriuntur angues, sed fructibus, herbis, ranis, piscibus, avibus, aliisque animantibus. Insinuant hæc tantùm futurum, ut ille ounquam non reptet super terram, atque fœdis quibusque alimentis, corruptisque pulvere, victitet. In hunc sensum de se locutus Propheta, ait: *Cinerem tamquam panem manducabam*; scilicet, non quasi cinere victitaret, sed cineri assidens, iodigno planè ac vili cibo sustentabatur. Terram abrodit Dæmon, quòd rabie adigatur & desperatione; turpissimis quibusque rebus & eriminibus ab hominibus caroalibus commissis, veluti cibo alitur.

℣. 15. INIMICITIAS PONAM INTER TE ET MULIEREM, INTER SEMEN TUUM ET SAMEN ILLIUS. Qui fcdet hominibus in angues horror & abominatio, fatis indicat, quàm vera de maledicto anguis renunciaverit Moyses. Sed multò hæc veriora in Dæmonem, cujus mutuæ fuot cum hominibus simultates. Quamquam autem Dæmon in malitiâ utique obfirmatus, qoo tempore Evam tentavit, nullum provocaturus in se fuisset pœnarum augmentum; auctam tameo sensit in immensum rabiem & desperationem, intelligens se a Deo in eo puniri maximè, quòd a veniâ non excluderet primos illos hominum parentes, & fœminæ atque futuræ post illam posteritati promitteret de se victoriam.

IPSA CONTARET CAPUT TUUM, ET TU INSIDIABARIS CALCANEO EJUS. En luculentissimum, si quod aliud, de adveotu Messiæ, generis humani reparatore, ac victore Dæmonis, oraculum. Mulier caput anguis contritura, ipsa est SS. Virgo, quæ imperium omne Satanæ evertit, Filium gignens Jesum Christum, a qno profligata vis omois Diabolicæ potestatis, destructum peccatum, Satanæ scilicet imperium.

In Textu Hebræo (*k*) relativum & verbum pertinent ad filium fœminæ, & ad ejus posteritatem; quare ita reddendus est locus: *Semen mulieris conteret caput tuum*. In hunc sensum interpretati sunt Septusginta (*l*), illud *Ipse conteret* referentes ad Messiam, Filium mulieris, quem illi habebant præ oculis, reddentes, *Ipse*; quamquam antecedens *semen* neutrius generis postulasset, ut redderetur *ipsum*. Exemplaria quædam Latina (*m*) legunt *ipse* cum S. Hieronymo (*n*), S. Irenæo (*o*), S. Petro Chrysologo (*p*), S. Leone Papâ (*q*), Targum Jerosolymitano, cum utroque Paraphraste Chaldæo; ita pariter servant Lipomanus, Versiones Isidori Clarii, Pagninus, Arias Montanus, & recentior S. Hieronymi editio. In eundem sensum reddi potest Vulgata; neque enim aliter B. Virgo conterere valuit serpentem, quàm per filium suum Jesum Christum. Lectionem Vulgatæ præferunt MSS. Latina ferè omnia, S. Augustinus (*r*), S. Ambrosius (*s*), & PP. omnes propemodum (*t*). Rusious in veteri interpretatione Josephi (*u*) reddit: *Præcepit ut mulier capiti ejus plagas inferret*. Sed Græca fides discrepat plurimùm; habet enim: *Venenum linguâ serpentis indidit, hominum generi hostem declarans, volens hunc hominem caput ipsius potissimùm impetere, quippe in quo & vis hominis noxia resideret, & facillimè ad mortem adigi ab oppugnantibus posset.*

CONTERET CAPUT. Editio communis Septuaginta habet: Τηρήσει, *observabit*. Editio Complutensis, Τειρήσει, *Confringet, conteret*. Isaacius Vossius legendum mallet: Τρήσει, *Effodiet*. Arias Montanus vertit Hebræum: *Ipse afflabit te caput*. Onkelos: *Recordabitur quid sibi feceris ab initio, & in fine illum observabis*: nempe qui è fœminâ illâ nascetur Filius, æternam exiget iojuriæ a te acceptæ ultionem; tu verò conceptam in illum seu in mulierem jam inde ab initio rabiem fovebis.

Sed juxta Vulgatam sensus reddendus est: Mulier conteret caput tuum, tu calcaoeum illius ceu latens anguis, neque coram insilire audens, admordebis; ceu serpens, inquam, qui *calcaneum observat*, & incautos insequens a tergo adoritur. Author Vulgatæ reddit, *Insidiaberis*, quam vocem antea vertit, *conteret*. Septuaginta & alii Interpretes in utrâque propositionis parte eamdem vocem servarunt; sed ad sensum intelligimus diversam esse, nec eandē habere in utroq; loco significationem; ut si in primo sit *conterere*, in altero aliter reddenda sit. Intelligimus utique, serpentis caput pede conteri posse, nunquam tamen eumdem, a quo premitur, pedem serpens ipse vicissim conteret.

(k) הוא ישופך ראש ואתה תשופנו עקב *Bellarm. l. 2 de verbo Dei c. 12: Etiamsi codd. hebr. habent* הוא, *legi tamen unum, in quo scriptum erat* היא *ipsa.* (l) *Septuag.* Αὐτὸς σου τηρήσει κεφαλήν. *Ipse servabit caput tuum. Alius.* Αὐτή σε τηρήσει κεφαλήν. *Ipsa conteret caput tuum.* (m) *Vide nov. edit. Oper. S. Hieron. t. 1, & Henten. & Brugens.* [n] *In quæst. Hebr.* (o) *Lib. 4. advers. hæres. c. 78.* [p] *Petrus Chrysolog. serm. 173.* (q) *Leo Papa serm. 2. de Nativitate Domini. Denuncians serpenti futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem suâ virtute contereret, &c.* (r) *De Genes. contra Manich. l. 11, c. 18, & de Genes. ad liter. lib. 11, c. 36.* (s) *De fugâ sæculi c. 7.* (t) *Greg. mag. l. 1. Moral. c. 20. Euther. seu alius in Genes. l. 1. c. 29. Bern. homil. 2, in* Missus est: *& serm. 2, signum magnum. Claud. Mar. Victorius l. 1, in Genes. Teque tuo mulier perimet cum semine. Alcim. Avit. l. 2 in Genes. Bed. Alcuin. Rab. Rupert. Strabo, alii.* (u) *Lib. 1. antiq. c. 2.* Ἰὸν ἐντίθησιν ὑπὸ τὴν γλῶτταν αὐτῷ, πολέμιον ἀποδείξας ἀνθρώποις καὶ ὑποθέμενος κατὰ τῆς κεφαλῆς φέρειν τὰς πληγὰς, ὡς ἐν ἐκείνῃ τοῦ τε κακοῦ τοῦ πρὸς ἀνθρώπους κειμένου, καὶ τῆς τελευτῆς ῥάστης τοῖς ἀμυνομένοις ἐσομένης.

℣. 16. Mulieri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.

℣. 17. Adæ verò dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ.

℣. 18. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ.

COMMENTARIUS.

ob-

teret. Reddi equidem utrumque posset *insidiari*; sed tunc æqua asseri videretur potestas Dœmoni cum Deo & Messiâ, alter enim alteri insidiaretur.

Reddi posset Textus: *Ipse conteret caput tuum, & tu obvolves*, vel *sufflabis*, vel *odoraberis calcaneum ejus* (x); insequèris scilicet, ceu carnis prædam odoratu. Qui reddunt *insufflabis*, putant spectatum hîc a Moyse colubrum sibilantem, seu morsum minitantem, ut sit sensus: sibilabit anguis ac tentabit admordere calcaneum insequentis se; verùm Messias *spiritu oris sui interficiet impium* (y). Minitari utique potest Dæmon, sibilare potest in calcaneum Messiæ, in humanam ejus naturam, in addictos ipsi famulos; sed frustra, irrita sunt omnia ejus adversus Jesum Christum & Electos molimina.

℣. 16. MULTIPLICABO ÆRUMNAS TUAS, ET CONCEPTUS TUOS. Spectant hæc non ad Sanctissimam Virginem, sed ad mulieres alias ex Evâ; *Ærumnas tuas & conceptus tuos*; nempe incommoda omnia, quæ parituras puellas afficiunt, & enitendi dolores; seu potiùs: *Multiplicabo ærumnas tuas, & fœtus: paries in dolore*: Deus enim, ait S. Chrysostomus *in hunc loc.* disposuit, ut rem gaudii parientibus mulieribus plenissimam, præcedant & comitentur acerrimi omnium dolores, ut tota posteritas sentiat pœnam transgressionis primæ omnium parentis. Si illa receptam a principio innocentiam servasset, inquit S. Augustinus *l. 14 de Civit. Dei c. 26*, fœtus suos concepisset absque concupiscentiâ, sine dolore peperisset. Septuaginta habent tantùm: *Multiplicabo ærumnas tuas & gemitus* (z).

SUB VIRI POTESTATE ERIS. Interpretes ferè omnes reddunt Hebræum (a): *Ad virum tuum desiderium tuum*; nempe ad virum tuum convertes studium tuum, voluntatem, amorem, omnia; sub ejus manu eris; ipse verò in te authoritatem & imperium obtinebit: *Et ipse dominabitur tui*. Meritò equidem libertatem illam amittit mulier, quâ tam præposterè usa fuerat; & cùm æquam cum Deo excellentiam affectasset, viro suo minor effecta est. Vide 1. Timot. II, 11. &c. Hanc interpretationem præ cæteris probamus; & factâ collatione locorum, ubi verba eadem recurrunt, planè intelligimus, primam hujus versûs membrum designare re ipsâ subjectionem & servitutem, qualis est minoris natu fratris alteri majori; secundum verò membrum exprimere dominium & potestatem superioris & Principis. Vide cap. IV, 7. Sponsa in Cantico (b). *Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus*; nempe subjecta ipsi per omnia maneo. Est in hoc loco eadem originalis vox, exprimens utique obsequium quoddam, studium & subjectionem, quam connubiales leges exigunt a muliere erga virum.

In Ægypto (c), unde Hebræi egressi sunt, mulieres majorem obtinebant, quàm viri, authoritatem; major erat Reginæ, quàm Regi præstitus honor; & in rebus domesticis vir sub manu fœminæ erat. Hæ potissimùm conditiones maritalis contractûs: quod apud eas gentes obtinuit in honorem Deæ Isidis, cujus plurima fuerant in Ægyptios beneficia. Demonstrat hîc Moyses vetustam originem, & jus illud imperii, quod vir in mulierem conjugem suam exercebat apud Hebræos, obliquè simul evertens Ægyptiorum eâ in re superstitionem ac pessimè ordinatam politiam.

℣. 17. MALEDICTA TERRA IN OPERE TUO. Hæc lata in Adamum sententia. Crimen tuum, transgressio (d), contumacia, *opus tuum*, maledicta in terram inducet. Illud autem *In opere tuo*, non quidem ad labores agriculturæ spectare credendum est; exprimuntur enim infra ℣. 19. Vertit Theodotion, ἐπικατάρατος ἡ γῆ ἐν τῇ παραβάσει σου: Ob trangressionem tuã: *Aqu.* ἕνεκά σου: propter te. *Sym.* ἐν τῇ ἐργασίᾳ σου: in opere tuo. *Septuag.* ἐν τοῖς ἔργοις σου: *In operibus tuis*. Legisse videntur 70, Sym. & Vulgata in Hebræo *Baabudeca*, in opere tuo, pro בעבורך *Baabureca, propter te*, quod nos hodie in originali legimus. Facilè discrimen illud invehere potuit similitudo literarum *Resch* & *Daleth*.

℣. 18. SPINAS ET TRIBULOS GERMINABIT TIBI. Non ita quidem reputandum, quasi terra spinas nonnisi post lapsum Adæ primò produxerit (e); quæ enim hodie nascuntur, non genus sunt novum plantarum, post rerum creationem productum; sed quo loco rariores antea in terra nascebantur, deinde multò illis fuit terra feracior (f). R. Eliezer in eâ fuit persuasione (g), terram post lapsum nonnisi spinas germinaturam fuisse, nisi Deus novâ illi concessâ benedictione melioribus fœcundasset

(x) תשיפנו oriri potest vel ex שוף *obscurare*, vel ex נשף *sufflare*. (y) *Isai.* XI, 4. & 2 *Thessal.* II. 8. (z) Πληθυνῶ τὰς λύπας σου, καὶ τὸν στεναγμόν σου. (a) אל אישך תשוקתך *Sym.* ἡ ὁρμή σου, *appetitus tuus*. *Aquila* συνάφειά σου, *Societas tua*. *Septuag.* πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου. (b) *Cant.* VII, 10. אני לדודי ועלי תשוקתו (c) *Diodor. Sicul. l. 1, c. 2. p. 26.* παρὰ τοῖς ἰδιώταις κυριεύειν τὴν γυναῖκα τἀνδρὸς ἐν τῇ τῆς προικὸς συγγραφῇ, προσομολογούντων τῶν γαμούντων ἅπαντα πειθαρχήσειν τῇ γαμουμένῃ. (d) *Hieron. in qu. Hebr. opera hîc non ruris colendi, ut plerique putant, sed peccata significant, ut in Hebræo habentur.* (e) *Vide S. Aug. lib. 1. de Genesi ad litter. c. 28.* (f) *Menoch.* (g) *Apud Fagium hîc.*

℣. 19. In sudore vultûs tui vescêris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem revertêris.
℣. 20. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva: eò quòd mater esset cunctorum viventium.
℣. 21. Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.

COMMENTARIUS.

COMEDES HERBAM TERRÆ. Hebræum *Heseb*, quod hic redditur *herbam*, exprimit etiam frumentum, hominis alimentum potissimum (*h*), tum & segetis genus omne, plantas, radices, olera, & cætera quibus nutrimur. Ante crimen, horti fructibus tantummodo vescebatur Adam; post peccatum, ceu vilissima quæque animalia, herbis & fructibus agri pasci cogitur. Arbores non satis fructuum exinde suffecerunt, quibus aleretur; supplendum erat oleribus. Carnium dapes nonnisi post diluvium a Deo hominibus permissæ sunt.

℣. 19. IN SUDORE VULTUS TUI VESCERIS PANE. Necessaria ad victum & alimentum hominis sponte suâ antea sufficiebat terra; modò necessaria labore, & dolore exprimenda sunt. Panis nomine alimentum quodcumque generatim significat.

Sententia ista veluti a Judice sumpta de homine criminoso pœna censenda est, qua scilicet ad laborem ille cogitur. Non est proinde, cur vaticinium tantùm eorum, quæ hominem post peccatum manebant, habeatur. Segnities & inertia non ut animæ hostes tantummodo reputandæ sunt, sed etiam ut perniciosissima Reipublicæ & societatis lues. In optimè constitutâ Republicâ, nihil antiquius habitum est, quàm ut supplicia in desides atque otiosos decernerentur. Jubebantur Ægyptii (*i*) profiteri coram Magistratibus, cui potissimùm vitæ generi sese addixissent ad vitam tolerandam; capitali supplicio decreto in eos, qui nullam exercerent artem. Draco, inclytus ille Atheniensium Legislator, extremum supplicium decreverat in eos, qui desidem vitam agere convincerentur. Solon diem in eos dici permisit (*k*), qui otio mollescerent, quos infamiæ notâ lex damnabat.

Romanorum legibus (*l*) actio intentari in eos permissa, qui mallent otiosam & miseram agere vitam, Reipublicæ oneri, sibi verò inutilem futuram, quàm honestum sibi quærere in exercendâ arte aliquâ compendium. Apud Judæos (*m*) nemo a labore vacuus; Viri exteriora & agriculturam curabant; fœminæ domestica; nulla inter eos conditionum discretio ingenuos inter & e vulgo reliquos: Principes & Imperatores, expeditionibus confectis suis, ad exercendos agros se conferebant, non secùs ac e militibus vilissimi. Hæc pariter laus mansit florenti Romanorum Reipublicæ. Inter potissima patrum erga filios officia illud primas tenere docent Judæorum Doctores, ut illos arti alicui exercendæ addicat; desides in ea re atque negligentes ejusdem criminis reos pronunciant (*n*), ac si ad furandum filios illos applicarent. Viri in Lege doctissimi & instituendis populis occupatissimi, cùm ab aliis exercitiis vacarent, nequaquam se ab opere manuali exercendo rebantur immunes. Cujus rei illustre exhibet documentum Apostolus [*o*], quem Apostolatûs sui solicitudinis nequaquam abterruerunt, quin conficiendis tentoriis pro datâ opportunitate sese occuparet: *Si quis non vult operari*, ait, *nec manducet*.

DONEC REVERTARIS IN TERRAM, DE QUA SUMPTUS ES. Hæc in Adamum ejusque posteros sententia pronunciata: *Quia pulvis es, & in pulverem revertêris*. Nihil ingerere poterat Deus fastoso homini deprimendo aptius; nihil quo peccatum, & quæ illo admisso perdiderat, magis sentiret. Terrestre licèt plasma, si tamen in obsequio mansisset, æternam retulisset & vitam & felicitatem; transgressor verò, in mortem & incommoda sanè plurima recidit.

℣. 20. VOCAVIT ADAM NOMEN UXORIS SUÆ HEVA. Sponsam suam primò nomine *Ischah* appellaverat, quod mulieribus omnibus commune est. Post crimen *Hevah* nuncupat, quo recepti a Deo beneficii meminisse se demonstravit, prorogatæ scilicet etiam post peccatum vitæ, ac datæ insuper spei, ut posteritatem suam per mulierem illam prorogaret. Septuaginta (*p*) nomen illud *Hevah* reddunt *Zoe*, quod Græcè est vita, quemadmodum *Hevah* Hebraicè *Zoe* in Græco est nomen fœminæ: plus tamen aliquid sonat Hevah, significat enim illam, quæ vitam donat. S. Chrysostomus in Exemplaribus Septuaginta legebat *Heva*, quod pariter legisse videtur & Origenes.

℣. 21. FECIT DOMINUS ADÆ ET UXORI EJUS TUNICAS PELLICEAS. Deus facilè necare jussit animalia & eorum pellibus vestiri. Non rarò enim Scriptura Deum facere & permittere dicit, quod ipse præcipit faciendum. Theodorus Heracleensis (*q*) & Gennadius Constantinopolitanus, aliique nonnulli pellium nomine designatos credunt arborum cortices. Constat autem ex Senecâ Epist. 9, *Corticibus arborum plerasque gentes tegere corpora*. Sed Hebræum עור *Hor* nonnisi de pellibus animalium usurpatur.

Reddunt nonnulli Hebræum: *Fecit Deus tunicas, ut pellem eorum tegeret*, seu corpus vestiret. Moyses his fermè phrasibus, Exod. 22, 27, utitur ad vestes designandas: *Ante solis occasum reddes ei vestimentum ipsum, est enim solum, quo operitur, indumentum carnis ejus*; ad literam: *Ipsum est solum vestimentum pro pelle suâ*. Chaldæus: *Fecit Deus tunicas honoris pro pelle carnis eorum*. Porrò tunicas honoria indumenta illa appellat, quòd pro-

(h) *Grot. Prisc. Fag. &c.* (i) *Herodot. in Euterpe & Diod. l. 1.* (k) *Diog. Laërt. in Solone.* (l) *Cod. l. unica de mendicantibus valid. & Justinian. novella* LXXX. (m) *Vide Fleury, Mœurs des Israelites.* (n) *Rabb. Juda.* (o) *Act.* XVIII, 3, 1. *Thessal.* 11, 8, 2. *Thessal.* III, 8, *&c.* (p) *Heb.* חוה *Septuag.* ζωή. *Aqu.* Αὔα. *Sym.* ζωογόνα. *Vivipara.* (q) *Vide Theodoret. quæst.* 39, *in Genes.* עור *Hor.*

℣. 22. Et ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.
℣. 23. Et emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, ut operaretur terram, de qua sumptus est.
℣. 24. Ejecitque Adam: & collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim: & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

COMMENTARIUS.

prohrum ouditatis tegerent. R. Eliezer putavit, serpentis tentatoris exuviis indutos fuisse primos illos parentes.

℣. 22. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. Hac sententiâ satis demonstratur, tres SS. Trinitatis Personas unà simul operam creando homini contulisse (r). Grotius, & Rabbini ad Angelos sermonem factum autumarunt. Verti posset Hebræus: *Vah! Adam*, seu *homo similis nobis factus est*. Vertunt alii: *Ecce Adam sicut unus ex eo* (a Deo) *ad cognoscendum bonum & malum* (s), seu unus inter res creatas a Deo, ut discernat bonum a malo, comparatus. Chaldæus & Hebræorum nonnulli hanc interpretationem sequuntur. Septuaginta (t): *Vidisti Adam qui factus est* seu *evasit similis nobis ad cognoscendum bonum & malum*. Habent alii: *Ecce Adam, qui evadere voluit tanquam unus ex nobis*. Non rarò absolutè ponitur id, quod nonnisi loquentis votum est. Ita factum dicitur ab aliquo, quod facere tantùm optabat (u).

℣. 22. Nunc ergo, ne forte mittat manum suam, et sumat de ligno vitæ. (23) Emisit eum. Reticendi hìc figurâ utitur Deus; neque enim propositionem suam absolvit. Potuisset absolvendo dicere: *Ne fortè mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ; removendus est ergo*; vel juxta Grotium: Cavendum est nobis, ne sumat de ligno vitæ, sicut antea sumpsit de ligno scientiæ. Ironia quædam in sermone insinuata videtur. Verùm S. Augustinus (x) nihil ironicum, nihil insultans voluisse Deum censet. Alienum enim esse judicat a gravitate & majestate Dei, ut misero, quantumvis criminoso, insultet. Voluit tantùm Deus verbis illis docere mortales, ne primi hominis in Creatorem suum proterviam imitentur.

Quoto tempore in Paradiso substiterit Adam, quæritur. Sunt quidam, si fides sit Barcephæ, 40 dierum moram concedentes, quot scilicet tempore Jesus Christus mansit in Deserto. Tenent alii, utrumque hominem 30 annis in obscuro latentis vitæ jacuisse. Earum rationum futilitas sentitur. Censent quidam sex dies ibidem actos; non minus enim temporis spatium exigere putant ea omnia, quæ apud Moysem narrantur. Malunt alii (y) 6 vel 9 horas. Nihil eâ in re certi. Ad diem moram prorogant ex Patribus multi; alii ad paucos dies, nihil certi determinantes.

Contendit Usserius, decimâ tantùm a creatione die introductos illos in Paradisum, nempè primâ Novembris, eâdemque pariter depulsos. Ipsam eamdem diem postea Deus Expiationi sive jejunio solemni dedicavit, quâ de re Levit. XVI, 29, & XXIII, 29. Nihil in hac sententiâ Sacro Textui repugnans, siquidem statuamus mulierem extra Paradisum creatam fuisse, sicut & extra hunc locum censum habitum brutorum. Quod attinet ad illud Evæ ad serpentem: *De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur*; nunquam verba illa plurium dierum habitudinem exigunt, sed tantùm significare possunt, datam a Deo in fructus omnes Paradisi facultatem, uno tantùm excepto.

℣. 24. Ejecit Adam. Jussit Deus Adam recipere se e Paradiso; nec aliis opus fuit, ut locum desereret. Quantâ ille teneretur pœnitudine, quanto rubore, quantis lacrymis casum suum lugeret, inde facilè intelligimus, quòd post datam se colligendi opportunitatem, sub ipsis veluti oculis spectavit quantum amisisset boni, & quantum in suum ac posterorum suorum omnium caput mali induxisset. Ne tantum malorum pondus desperatione miserum opprimeret, valido fidei adjutorio, atque gratiæ fulcimento sustentandus fuerat.

Sed quò pulsus Adam? Reponunt singuli juxta suam quisque de Paradiso hypothesim. Plerique sedem fixisse volunt in Mesopotamiâ supra Babylonem, nonnulli in Palæstinâ; quin & in Hebron Judææ quidam. Constat tamen, ex his locis nullum orientalem esse regioni Eden, quam plagam tenuisse Adam Moyses insinuat; narrat enim Deum ad eam partem constituisse Cherubim, reditum in Paradisum Adamo prohibentem. Secessisse igitur credimus ad Orientem Armeniæ, Mediam vel Assyriam versus. Asserunt Mahometani (z), sed verbo tenùs, recepisse se illum in montem *Sarandib*, in Orientali Indiarum plagâ. Porrò Sarandib Insula est maris Orientalis, dicta *Harchende* vel *Sumatra*, juxta Geographum Arabem.

Cherubim. Censent plures, constituisse Deum, ad horti custodiam unicum tantum Cherubim; verùm Septuaginta Τὰ χέρουβὶμ *Cherubim* plurali numero reddunt; & quidem Hebræum *Cherubim* plurale est. Designari eâ voce putant Interpretes Angelos

(r) *Aug. lib. 11 de Genes. ad liter. & PP. passim.* (s) הן האדם היה כאחד ממנו לדעת טוב ורע *Ecce Adam sicut unus ex eo (Deo) ad cognoscendum bonum & malum.* (t) Ἰδοὺ Ἀδὰμ γέγονεν ὡς εἷς ἐξ ἡμῶν, τοῦ γινώσκειν καλὸν καὶ πονηρόν. *Sym.* ἴδε ὁ Ἀδὰμ γέγονεν ὁ μόνος ἀφ᾽ ἡμῶν, ἐν τῷ γινώσκειν καλὸν ἢ πονηρόν. *Vidisti Adam; factus est simul a nobis in cognoscendo bonum vel malum.* (u) *Glass. Gram. sacr. l. 3, c. 3, can. 7.* [x] *S. Aug. l. 11, de Genes. ad liter. c. 39: Verba Dei sunt hæc non insultantis, sed alios, ne ita superbiant, deterrentis.* (y) *Moses Barcephas lib. de Paradiso, & alii plures, in quibus Philoxenus, Ephrem, Diodor. & alii apud Perer.*
(z) *Apud Selden. de Jure Nat. & Gent. lib. 3, c. 51.*

Digitized by Google

gelos, coram Adami oculis jussu Dei observantes, quò spem omnem regrediendi in hortum viro illi tollerent. Cur autem Moyses hìc Angelos nomine Cherubim designat? Vim ejus vocis nosse Hebræos par erat, qua Moyses non rarò utitur ad figuras illas designandas, Fœderis Arcam protegentes. Ex textu Ezechielis I, 10, collato cum capite X, 14 ejusdem Prophetæ, intelligimus, facilè Cherubim ad bovis similitudinem conformatos; cùm idem Propheta faciem Cherubim veluti parallelam habeat ad faciem bovis, ubi unam eandemque visionem narrat: *Similitudo vultûs eorum; facies hominis, & facies leonis* (a) *& facies aquila*. Et cap. X, 14; *Facies unius facies Cherub; facies secundi facies hominis; & in tertio facies leonis; in quarto facies aquila*. Una hìc eademque constituitur *facies Cherub*, & *facies bovis*. Animadversum est pariter, Cherub deduci e radice, quæ Syriacè & Chaldaicè sonat *laborare*, quòd maximè bovem spectat: *Cherub* sonat fortis, & potens; quis bove robustior? Ezechiel XXVIII, 14 Regem Tyri comparat *Cherub*; *Tu Cherub unctus*; quod usurpat loco, Tu es Rex potens. Fortè etiam insinuare voluit Propheta, Regem hunc fortem esse, & tremendum velut taurum: quod comparationis genus nihil habet pedestre apud Veteres. Grotius (b) hæc habet de Cherub: *Puto Cherubos varias animalium formas ita exhibuisse, ut ad bovis speciem propiùs accesserint*. S. Joannes Apoc. IV, 7, Cherubim animalia vocat: *In circuitu throni quatuor animalia*.

Ezechiel in Opere Prophetico, & S. Joannes in Apocalypsi Cherubim exhibent tanquam figuras maximè compositas. Dominantem hominis formam aliqui assignant; alii verò ita pingunt: Habebant simul collecta hominis quædam, aquilæ, bovis, & Leonis; Vultum ex homine; humeros jubatos Leonis referebant: crura & pedes vituli erant; duo magna alarum aquilinarum paria protegebant corpus. Pingebant alii hominem, cujus esset in capite expressa simul facies hominis, bovis, leonis, ad tria latera respicientes: eminebat aquilæ rostrum, in galeæ modum supra cætera assurgens: inter humeros & scapulas quatuor surgebant alæ, e singulis lateribus binæ. Cherubim describit Josephus, tanquam alata quædam animalia extraordinariæ formæ & ignotæ hominibus naturæ (c). Ægyptiorum Sphinges & hieroglyphica animalia, ad imitationem Cherubim Hebræorum expressa censet S. Clemens Alexandrinus *Stromat. l.* 5. Porrò Sphinges ex variis simul constitisse figuris, ignorat nemo (d). Hieroglyphicas & symbolicas figuras Ægyptiorum atque Phœnicum descriptas habemus apud Eusebium (e). Cum vultu hominis cætera leonis retulisse Sphinges apud Ægyptios, tradit S. Clemens Alexandrinus *l.* 5 *Strom.* Homo Symbolum est solertiæ, ingenii, authoritatis, virium; Leo verò roboris.

Genuinam vocis *Cherub* radicem vix in Hebræo invenias; quare suspicamur Ægyptium esse nomen, designans symbolum quoddam & typum, cujus erant generis in Theologiâ Ægyptiorum Hieroglyphica. Sub ejus nominis emblemate tradere voluit Moyses figuram, cujus variæ simul collectæ partes in nullam satis notam creaturam convenirent. Bos roboris typus est; aquila agilitatis; homo sapientiæ & intelligentiæ: quæ simul omnia exprimunt Angelorum naturam, vix aliter repræsentandam tunc Hebræis, Theologiæ illi assuetis, quæ supremas quascumque res per typos & symbola docebat.

Itaque Deus plures Angelos vel Cherubim constituit in orientali plagâ, in faucibus ad Hortum Eden deducentibus, utì nobis insinuat in suâ narratione Moyses. Si enim in medio patentis agri Hortus ille situs fuisset, frustra aditum observassent Angeli: undique patuisset locus, nisi fortè sepium vel murorum claustro munitus dicatur, quod vix credimus: quorsum enim sepes & muri? Si autem tanta fuisset horti hujus amplitudo, quantam alii statuunt, frustra adhiberentur custodes; mille enim patuissent aditus. Facilè igitur intra montium fauces constitutus, nullum habebat nisi per fauces illas accessum.

Theodoretus *q.* 40, Theodorus Heracleensis, & Procopius nomine Cherubim designata credunt spectra & terriculamenta, quibus Adam a Paradiso arceretur, objecta. Tenent alii (f), constitutos Cherubim ad Paradisi aditum, non ut ingressum tentantes homines averterent tantùm, sed & Dæmones prohiberent. Tertullianus *Apolog. c.* 47, & post illum S. Thomas (g), igneam romphæam a Moyse hìc expressam, ipsissimam esse censent zonam torridam, ante Paradisum terrestrem positam; statuit enim Tertullianus Paradisum sub æquinoctiali lineâ, & a nostro continenti separatum zonâ torridâ intermediâ, cujus ferventes & hominibus intolerabiles, utì quidem ipse arbitratur, æstus, ceu murum igneum opponunt, communicationem nostram cum illo penitus excludentem. Autumavit Lyranus, celsissimi cujusdam montis fastigium sedem fuisse Paradisi, eumdemque montem sepivisse Deum igne, ne primus homo regressum tentaret.

S. Ambrosius in *Psal.* CXVIII, & Rupertus Abbas (h) nomine ignis ante Paradisi aditum constituti interpretantur Purgatorium illum ignem, quem inoffensis transire solis Justis singulari privilegio datur. Grotius inaccessibili igne muniri Paradisum arbitratur, cujus ignis vestigia quædam manere affirmat in agro Babylonico circa loca in Paradisi sedem olim destinata. Igne enim succensi agri illi spectantur interdum ex naphtâ (i) seu bitumine, quo ebulliunt. Contendit autem Cherubim & romphæam igneam unam eandemque rem significare, ut verti posset locus: Collocavit ante Paradisum Cherubim, nempe flammeum gladium.

Habemus tamen persuasum, Deum speciem ibi exhiberi voluisse plurium Cherubim, igneos gladios tractantium, ut alii fuerint Cherubim a gladiis. Censemus autem, Angelos illos speciem sui tamdiu exhibuisse, quamdiu Adam & Eva in conspectu erant loci, & primigenia illa amœnitas loco mansit; ex quo enim ornamentis suis omnibus spoliatus reliquis veluti accessit, quid locum servare tantâ cautione opus fuerat?

De Cherubim fusiùs etiam egimus ad Exod. XXV, 18, &c. Nomen *Corybantum* affinitatis habet aliquid cum Cherubim; sicut & eorum historia multùm

(a) פני שור. (b) *Grot. in Exod.* XXV; *Angelos* μοσχομόρφους. (c) *Lib.* III *Antiq. c.* 6, *p.* 83. Χερυβεὶς μὲν αὐτὰς ἑβραῖοι καλοῦσι, ζῶα δ' ἐστὶ πετεινὰ μορφὴν δ' οὐδενὶ τῶν ὑπ' ἀνθρώπων ἑωραμένων παραπλήσια: (d) *Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte puella,*
Sphinx ergo alata est volucris, leo, virgo triformis.
(e) *Præp. l.* III, *c.* 4, *& l.* II, *p.* 39. (f) *Pererius in hunc locum.* (g) *D. Thom.* 2, 2, *quæst.* 165, *art. ult.* (h) *Rupert. l.* III *in Genes. c.* 32, *&* 33. (i) *Plin. lib.* II *Hist. Nat. c.* 106.

multùm accedit ad ea, quæ de Cherubim traduntur in Scripturâ. Corybantes originem referre creduntur ex *Coribantio* Ægypti. Constat autem, Ægyptius in penetralibus Ædium sacrarum exhibuisse variis formis animantia (*k*). Orphei Carmina *Corybantem* appellant (*l*) varium figuris Regem; Deum geminæ naturæ; gladium stringentem (*m*); cui arboris cujusdam cura commissa erat (*n*). Quid hìc alienum a Cherubim Scripturæ?

Explicare hìc conati sumus quidquid Deus de mundo creato atque de lapsu hominis, referente Moyse, scire nos voluit. Cujus lectione evanescunt illa statim argumenta, quorum solutio tot retro seculis viros præstantissimos frustra occupaverat, atque in tam varias abire coëgerat sententias, qua in doctrinâ morum, qua in scientiâ naturæ. Certum scimus Authorem & originem universi, tum & causam inundantis hujus eluvionis malorum, criminum, & corruptionis, quibus mundum universum tenentibus, per omnes ætates suspicio inducta est non levis, cum Altissimus inferiora hæc nostra curaret. Is enim erat rerum status, ut alium profectò insinuaret rectorem, quàm sapientissimum & potentissimum.

Postquam de originali crimine certiores facti sumus, de pugnâ illâ in uno eodemque homine nihil est quod miremur, nihil de tumore illo mentis, atque indignâ homine submissione; de prono in malum ingenio; de vasto illo cordis nostri inani, quod nonnisi Deus immensus repleret. Horum omnium simul causam agnoscimus in Adamo, ab ipsâ creatione referente justitiam, morum sanctitatem, felicitatem, atque vitam ac mortem ante se positas habentem; illum verò eundemque post crimen simul spectamus contumacem, infidelem, mortem & mala omnia in se atque in posteros suos omnes inducentem. Criminosæ parentis filii, parentis, inquam, perduellionis in Creatorem suum reæ, ad ferendam criminis sui pœnam in se suisque posteris justâ sententiâ damnatæ: filii insuper patris rei damnati, miramur ne si in hæreditatem malorum venimus, si duris laboribus redimere cogimur felicitatem, unde excidimus?

In eo malorum abysso constitutis lux affulget ex datâ nobis fide de reconciliatione ac salute obtinendâ; quam habemus spem in promissione Jesu Christi de morte & Dæmone triumphatoris. Hæc difficultatum omnium nostræ Religionis solutio. Ex quo tenemus Veterem Adam prævaricatorem, & novum Adamum Liberatorem, ambages statim omnes tolluntur. Stupemus profectò, Moysem tam parcum fuisse in referendis iis, quæ tanti in rem nostram essent momenti; quæ præterisse illum oportet, quòd plura traditione apud Populum satis superque reciperentur. Spiritus ille divinus, qui scribentis manum dirigebat, tantâ cautione veritates & semina aliqua cognitionis dispersit, ut quæcumque satis haberentur optimè dispositis mentibus, omnia sufficeret; aberrantes verò in tenebris cæcas mentes atque luminis adversarios in suo errore destitueret.

CAPUT IV.

Oritur Cain & Abel. Sacrificant. Abel a Cain occiditur. Oriuntur Henoch, Lamech bigamus, Seth, & Enos filius Seth.

℣. 1. ADam verò cognovit uxorem suam Hevam: quæ concepit & peperit Caïn, dicens: Possedi hominem per Deum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ADAM COGNOVIT UXOREM SUAM. Asserunt Doctores Judæi, primos hominum parentes statim ac in hortum Eden introducti sunt, executioni mandanda suscepisse imposita sibi a Deo prorogandi genus suum præcepta. Vulgò tamen Patres & Interpretes virgines illos e Paradiso exiisse conveniunt. Tenent etiam nonnulli, caruisse illos longâ ætate liberis. Author Historiæ Scholasticæ refert, S. Methodium, in carcere Fidei Christianæ gratiâ detentum, factâ divinitùs revelatione accepisse, primos hominum parentes spatium xv annorum post exilium e Paradiso egisse in lacrymis & luctu, nihil de filiis procreandis cogitantes; natum deinde Cain & ejus germanam *Chalmenam*; tum post evolutam alteram quindennii periodum, genuisse Abelem, ejusque sororem *Delboram*. Sed historiolas hasce contemptu potiùs quàm refutatione dignas scimus. Facilè credimus, vertente anno ab exitu e Paradiso, filium genuisse, longæ deinde successionis liberorum principium: quin & facilè etiam plures unâ simul ediderunt, quamquam Moyses eorum tantùm meminit, qui argumento historiæ suæ servirent.

PEPERIT CAIN, DICENS: POSSEDI HOMINEM PER DEUM. Veluti si testatum omnibus voluisset receptum a Deo munus, quod illi vicissim offerebat. Nomen Cain ex Hebræo קָנָה *Kanah* sonat possessio. Ex קִין *Kun* est lamentatio. Pro *Possedi*, reddi potest: *Genui hominem auxilio Dei*. Septuaginta reddunt sæpè Hebræum *Kanah*, *generare* (*a*), vel

---

(*k*) *Clem. Alex. & Hero.* ζῶα πολύμορφα. (*l*) διολύμορφον ἄνακτα, θεὸν διφυῆ, πολύμορφον. (*m*) ἀρήϊος, φοίνιος. *Hym. Orphic.* (*n*) *Jul. Damasc. vita Isidori. Procl. Theol. lib. 6. c. 53. Vide Notas Thomæ Gal. in Apollodor. Bibl. l. 1.* (*a*) *Zach.* XIII, 5.

Digitized by Google

℣. 2. Rursumque peperit fratrem ejus Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, & Caïn agricola.

℣. 3. Factum est autem post multos dies, ut offerret Caïn de fructibus terræ munera Domino.

℣. 4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.

COMMENTARIUS.

vel *creare*, *formare* (*b*). Verti etiam posset: *Possedi virum Domini* את יהוה. Visa sibi est Eva in filio liberatorem suum sub oculis habere. Jonathan filius Uzielis reddit: *Genui hunc hominem, qui est Angelus Domini*; i. e. Messias, sub eo Angeli nomine a Judæis agnitus (*c*). Onkelos: *Possedi hominem, qui serviet Domino*; & qui in cultu ipsi præstando nobis succedet.

Eva igitur nomen indidit filio suo; quod deinde exemplum plures matres secutæ sunt, nomina filiis imponentes; non tamen id generatim obtinuit. Factum id sæpè a patribus; nec nisi eorum consensu matres id sibi muneris usurparunt. Ferunt, apud veteres Græcos matres sæpiùs indidisse filiis nomina (*d*); sed non desunt & de patribus avisque exempla. Saida Patriarcha Alexandrinus tradit, Evam genuisse filium Cain, & filiam Azron, quam Azuram appellat S. Epiphanius, & Machuvelietin Mahometani; addentes pariter, Evam geminatos semper fœtus, maris nempe & fœminæ, edidisse. Author Operis imperfecti in Matth. *hom.* 1 duas filias Adami, uxores Abel & Cain, nuncupat *Rifam & Edoclam*.

℣. 2. Rursumque peperit Abel. Ambos hos fratres gemellos censent Rabbini; quorum tamen persuasioni repugnat phrasis hujus Textûs. *Abel*, seu potius הבל Habel, sonat *vanitas*. Eva sedulò gesta a Cain omnia observans, intellexit tandem, alterum sibi sperandum esse Liberatorem; quare inania sperasse se indito alteri filio nomine, id exprimente, testata est; seu potiùs insinuare voluit, hunc filium vicissitudini atque inanitati rerum hujus mundi, quas tales esse experimento in dies noverat, obnoxium nasci. Sunt qui credant, *Abel* sonare *luctum*; facilè quòd legerint אבל *Abel* pro *Hebel*. Nihil hìc Moyses de puellis Adamo natis; satisque habet brevissimam intexere genealogiam filiorum, in qua nonnisi mares notat; quin nec omnes illos, sed eos tantùm, quos necessarios judicabat, ut historiam duceret ad Noë, tum ad Abrahamum & ad Messiam. Alienum erat ab ejus ætatis moribus, ut de fœminis ageretur. Gemellam Abelis puellam *Awinam* appellant Orientales, quam Cain ducere recusante, nupsisse Seth affirmant.

℣. 3. Factum est autem post multos dies. Hebræus ad literam: *Ad exitum dierum* (*e*); quod variè exponitur. Alii enim reddunt, post unum vel plures annos; alii post menses; alii post dies; alii certâ evolutâ temporis periodo; ad exitum anni, messis, hebdomadis. Præstat, uti quidem censemus, exponere, ad exitum anni, post messem; tunc enim de collectis frugibus gratias agebant Deo Cain & Abel. Vel fortè phrasis ista designavit, ambos illos fratres post provectiorem jam ætatem suo nomine offerre cœpisse sacrificia Deo, & laborum suorum fructus.

Sub Lege litabatur Deo bonis terræ ineunte & vertente anno; exordientis anni sacrificia erant primitiæ; evoluti, & post messem, oblationes. Quid ante Legem factum sit in statu, quem appellant, naturæ, ignotum.

Ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Hebræus ad literam (*f*): *Ut duceret Cain munera Domino*; ex quo aliqui inferunt, attulisse illum munera ad Adamum, ejus manu Domino offerenda. Rationis lumine doctus Cain intelligebat, Deum bonorum suorum omnium authorem esse; audierat pariter ex Adamo, sive ex Deo, oblatis muneribus Dominum coli oportere. Cùm verò agriculturâ delectaretur, quidquid e labore suo sibi pervenerat, partem obtulit, uti tritici, fructuum, mellis, uvæ. Facilè hæc omnia igne adolevit. Tenent Rabbinorum nonnulli, Cain persuasum habuisse, brutorum & hominis animas unius esse ejusdemque conditionis, qua ductum opinione, ejusdem esse criminis censuisse bruta & homines occidere, cavendumque sibi proinde duxisse a sacrificio animalium (*g*). Sed inanibus hisce quis fidem addixerit?

℣. 4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus. Syriacus: *Obtulit de primogenitis arietum suorum & de adipibus eorum*. Asserunt Talmudistæ nonnisi holocausta ab illo oblata, ipsumque totam victimarum carnem igne adolevisse, quòd ab carnium esu interdiceretur. Cruenta sacrificia nequaquam oblata credit Grotius, sed tantùm e lanis & adipibus, primitias nempe lactis, sive butyri gregum suorum. pariter & primogenita gregum censet Josephus (*h*). Hebræus reddi potest sive *primitias*, sive *lac* (*i*). Vox *Cheleb*, quæ hic redditur *adeps*, sæpè est *lac* apud Septuaginta. Vide Genes. XVIII, 8, & XLIX, 12; Exod. III, 18; & XXIII, 19. Porrò omnium vetustissimus est mos offerendi unicè in sacrificium terræ fructus, lac, lanam, herbas, flores, similam, mel; quæ pariter consuetudo diutiùs præ cæteris obtinuit. Observat Plinius *Præfat. in hist. Natural.* de sacrificiis ætatis suæ, *Diis lacte rustici multasque gentes supplicare, & molâ tantùm salsâ litare*. Vide Platonem *l. 6 de Leg.* Pausaniam, Porphyrium (*k*), Arnobium *l. 7*, Ovidium *Lib. IV Fast.* (*l*).

℣. 4.

(b) *Genes.* XIV. *Prov.* VIII. (c) *Is.* LXIII 1. *Malach.* III, 1, *&c.* (d) *Vid. Stub. antiq. conviv. l.* III, *& Homer. Odyss. T.* (e) ויהי מקץ ימים (f) ויבא קין מפרי מאדמה
(g) *Vide Joseph Albo, parte* 3 *c.* 15. (h) *Joseph. Antiq. l.* 1, *c.* 2. Ἄβελος δὲ γάλα καὶ τὰ πρωτότοκα τῶν βοσκημάτων. (i) מבכרות צאנו ומחלבהן (k) *Porphyr. apud Euseb. Præp. l.* IV.
(l) *Lacte mero veteres usi narrantur & herbis.*
Sponte suâ si quas terra ferebat, ait.

℣. 5. Ad Caïn verò, & ad munera illius non respexit: iratusque est Caïn vehementer, & concidit vultus ejus.

℣. 6. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? Et cur concidit facies tua?

COMMENTARIUS.

℣. 4, & 5. RESPAXIT DOMINUS AO ABEL, ET AD MUNARA EJUS; AO CAIN VARO NON RESPEXIT. Discriminis hujus atque prælati Abelis præ Cain in sacrificio causam silet Scriptura; nec nisi futilem assignant, qui ex ipsâ munerum naturâ & pretio repetunt. Ut enim munus aliquod Deo probetur, nihil profectò confert oblatæ rei qualitas & natura, sed pietas offerentis. Oblationum & sacrificiorum sumptus & magnificentia conceptam quidem ab offerente de numine opinionem exprimit; non tamen est certum ejus argumentum. Genuinam causam pandit S. Paulus ad Hebræos (m): *Fide plurimam hostiam*, ait, *Abel quàm Cain obtulit Deo.*

Quo ducebatur Fidei lumine Abel agnovit, non sibi tantùm Deum sacrificiis colendum, sed illi pariter deberi justitiam, morum sanctitatem, & innocentiam; intellexit offerenda Deo quæcumque optima haberet in promptu; quo veluti tributo agnosceret Supremum in Creaturas Dominium, debitumque Creaturæ in illum obsequium; fateretur simul crimina sua, quibus obstringebatur, & rependeret Deo pro acceptis jugibus beneficiis gratias. Hæc omnia exprimit elogium Apostoli, quod confert in sacrificium Abelis. His dotibus cùm oblata a Cain sacrificia carerent, ideo Deo improbante rejecta sunt. Observant Patres, discrimen illud in acceptione duorum sacrificiorum invectum fuisse ab habitudinum diversitate, quæ in cordibus saerificantium erant. Spectabat Deus in Abele vividam probatamque fidem; livorem autem, invidiam, languentem fidem, & torpentem charitatem in corde Cain.

Saida Patriarcha Alexandrinus, 700 circiter ab hinc annis in vivis agens, refert, lividis oculis Cain fratrem suum aspexisse, quòd deperiret ipse Cain Azronam sororem suam geminam, quam Adam Abeli destinaverat uxorem. Ducere illam sibi volebat Cain, quòd elegantior esset puella præ Auvinâ geminâ Abelis, sibi ab Adamo destinatâ. Antequam connubia sancirentur, jussit Adam geminos fratres conscenso monte offerre Deo sacrificia. Puram & selectam oblationem e fructibus terræ paravit Cain; puram & opimam hostiam e gregibus Abel. Ascendentibus simul montem, suggessit Dæmon Cain, ut fratrem suum occideret, quò sibi sponsam illius adsciseeret. Suggestioni assensum præbuit impius; cujus proinde rei causâ ejus oblationem nequaquam probavit Deus, cùm vicissim gratis oculis Abelis munus aspiceret. Sed historiæ hujus, traditioni Judæorum & Orientalium subnixæ (n), fides est sublesta.

Septuaginta, quos magoo numero Scriptores sequuntur, tenuerunt reprobatum a Domino Cain, non ideò quòd malè offerret, sed quòd malè oblationem suam divideret. Minimam & vilissimam portionem Deo separavit; sibi verò optimam. Vide infra ℣. 7. *Portionem bonorum suorum obtulit, sed cor sibi reservavit*, ait S. Augustious (o).

At enim quo signo Deus reprobare se Caini oblationes, probare vicissim Abelis significavit? Patres (p), & Interpretes plerique censent, Deum misso cœlitùs igne sacrificia Abelis consumpsisse; quam Caino prærogativam nequaquam concessit. Porrò bæc approbationis suæ argumenta erga oblata sibi sacrificia sæpe exhibuisse Deum, satis constat ex Historiâ Sanctâ (q). Referunt pariter Ethnici Scriptores, nullom olim fuisse detinendi in Altaribus ignis usum, quòd scilicet precibus a Deo impetraretur (r). Theodotion reddit Hebræum (s) *incendit ejus oblationes*, pro *respexit &c.* cujus versionem suffragio suo probat S. Hieronymus. S. Paulus in Epistolâ ad Hebræos observat, Deum testimonio suo probasse Abelis & munerum ipsius justitiam: quod insinuare potest, sive donorum largam retributionem in illum contulisse; sive orantem Abelem blandis verbis, audiente Caino, compellasse; sive tandem demisso cœlitùs in ejus sacrificia igne, uti jam insinuavimus.

℣. 6. DIXITQUE DOMINUS AD AUM: QUARE IRATUS ES? CUR CONCIDIT FACIAS TUA? Conceptum a Caioo livorem in fratrem suum arguit Deus. *Cur concidit facies tua?* Quæ verba ideam ingerunt hominis prava agitantis consilia, iram & desperationem intimo corde foventem. His coloribus frendentem Didonem depingit Virgilius *Æneid.* 4: *Illa solo fixos oculos aversa tenebat.* Monet Deus Cain, ne pravam in fratrem suum cordis habitudinem foveat; si bene agat, agnitorem Deum & largitorem expectet; si pravè, timeat promptum ultorem: *Statim in foribus peccatum aderit.* Peccatum est hìc, juxta Interpretes (t), pœna peccati; quo nomine exhibentur non supplicia tantùm, quibus in impios animadvertitur, sed etiam multatio juris & prærogativæ, quæ primores natu spectaret; quod sibi potissimum metuebat Cain. Similis fermè phrasis recurrit in Psal. XLVIII, 6. *Cur timebo in die malâ? iniquitas* cal-

(m) Πλείονα θυσίαν Ἄβελ παρὰ Κάϊν, προσήνεγκε τῷ Θεῷ. Heb. XI, 4. (n) *Vide Selden. de Jure Nat. & Gent. lib.* III, *c.* 2. (o) *Cain hoc ipso malè dividebat, dans Deo aliquid suum, sibi autem seipsum. Aug. de Civit. lib.* XV, *c.* 27. (p) *Vide Cyrill. lib.* 2 *in Genes. Hieron. in quæst. hebr. Procop. in Genes. &c. Ephrem ser. de Sacerdotio. Chrysost. in epistol. ad Hebræos cap.* 11. *Haymon. Halberstald. in idem caput.* (q) *Levit.* IX, 24. *Judic.* VI, 21; 1. *Par.* XXI, 26; 2. *Par.* VII, 1; 3 *Reg.* XVIII, 38; 2 *Macc.* I. 32. (r) *Servius in Æneid.* XII: *Apud majores aræ non incendebantur, sed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria.* Solinus Polyhist. c. 11, de Vulcano monte in Siciliâ scribens, ait: *Qui divinæ rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur in hanc congeriem, cùm porricias intulerint. Si adest Deus (sic sacrum probatur), sarmenta licèt viridia ignem spontè corripiunt, & nullo flagrante, a litato numine fit incendium. Vide Pausan. l. Eliac.* (s) וישע יהוה *Theodot.* Καὶ ἐνεπύρισεν ὁ Θεός. *Aq.* ἀπεκηλίθη. *Delinitus est. Sym.* ἐτέρφθη, *Delectatus est. Sym.* εὐδόκησεν ὁ Θεός. *Septuag.* ἐπεῖδεν ὁ Θεός. *Respexit Deus.* (t) *Vide Oleast. Perer. alios.*

Digitized by Google

℣. 7. Nonne si benè egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? Sed sub te erit appetitus ejus; & tu dominaberis illius.

℣. 8. Dixitque Caïn ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cùmque essent in agro, consurrexit Caïn adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.

COMMENTARIUS.

calcanei mei circumdabit me? ne pœna scilicet e vestigio peccatum consequens in me recidat.

℣. 7. NONNE SI BENE EGARIS. Cainum Deus confirmat, fidem suam obstringens futurum, utì quamquam præferre se Abelem in acceptione munerum significasset, nunquam tamen illum prærogativâ majoris natu multaret, ac subjiceret Abeli; quin & Abelem ipsum ipsi subjectum futurum: *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Relativum *ejus* optimè refertur ad Abelem, quanquam in propositione nomen Abelis nequaquam exprimitur; facilè enim intelligimus dicta hæc omnia occasione Abelis, nec de aliquo accepisse Cainum. Observavimus supra, hanc sermonis phrasim (u), *Ad te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius,* designare sponsæ erga virum submissionem, & jus vicissim sponsi in sponsam. Hanc interpretationem non obscurè adstruit S. Chrysostomus (x), satisque affinem intelligimus Versioni Septuaginta & Theodotionis, referentium pronomen *ejus* non ad peccatum, sed potiùs ad Abelem.

Septuaginta (y) reddunt: *Nonne si rectè offeras, non autem rectè dividas, peccasti? Quiesce: ad te conversio ejus, & tu principatum habebis ipsius.* Revocari facilè potest sensus Versionis hujus ad traditam nuper Vulgatæ interpretationem. Plerique tamen Patres (z) ita exponunt: Arma sumet in te peccatum tuum, Præsto erit semper, ut impetum in te faciat; obsistere tamen illi semper poteris, siquidem volueris; seu potiùs: Sistet se coram te, te etiam invito, & funestas concupiscentiæ impressiones ita senties, ut admittere tamen ac rejicere illas in tuâ sit potestate; pravæ enim voluntatis motus sequi, vel illis resistere, integrum est tibi.

Onkelos ita paraphrasticè locum reddit: *Nonne si bene egeris opera tua, dimittetur tibi? & si non bene egeris opera tua, in diem judicii peccatum tuum servatum est? in qua futurum est, ut ulciscatur de te, si non converteris; & si converteris, dimittetur tibi.* Targum Jerosolymitanum: *An non, si bona feceris opera tua, remittetur tibi peccatum tuum? Quòd si non bona feceris opera tua in hoc seculo, ad diem judicii magni peccatum tuum servatur, & ad fores cordis tui peccatum jacebit: verùm in manu tuâ tradidi potestatem ipsius concupiscentiæ malæ, & ad te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illi, sive ad justitiam, sive ad peccatum.*

Potest etiam Hebræus in hunc sensum reddi: *Si benè egeris, nonne recipies præmium? Si autem malè, peccatum* (seu pœna peccati) *præ foribus tuis aderit; quæret te, tu verò semper ejus eris dominus.* Si tu pura & legitima offeres sacrificia, fide & pietate aliisque, quibus mihi probantur ejusmodi oblationes, sancta; si tu livorem in fratrem tuum omnem depones, præmium utique a me expectabis. Si verò pravas cordis habitudines nequaquam correxeris; si crimine impuras obtuleris oblationes, scias te pro crimine manere supplicia. Semper in promptu est justitia ad rependendam ultionem; semper est, ut ita dicam, in foribus. Subeat in mentem, integrum tibi esse liberumque, ut crimini quantumvis insistenti, & concupiscentiæ quantumvis ad malum urgenti, resistas.

Alii Hebræum ita reddunt: *Si benè egeris, nonne recipies criminis tui veniam? Sin autem malè, nonne crimen illud velut in foribus tuis subabit?* Observabit te, veluti canis fores, seu tanquam hostis januas tuas obsidebit. Molietur in te insidias; tuum est autem, ut insidiantem illum prævenias atque dejicias. Aliis verò ita Textus redditur: *Si benè egeris, ne erecto capite incedas,* velut homo, cui nihil timendum; seu potius: nonne bono te oculo & benigno respiciam? Scripturæ stylo erigere vultum alicujus est favere alicui, & postulata ejus omnia concedere. Vide *Genes.* xix, 21. Tandem ita alii malunt: *Si bene egeris, nonne elevaberis?* nempe, supra fratrem tuum jure majoris natu? *Sin autem malè, criminis tui pœnam continuò senties. Illa præ foribus tuis adest, ut limen subeat, parata.* Vide Matth. xxiv, 33, *Prope est in januis.*

℣. 8. DIXITQUE CAIN AD FRATREM SUUM: EGREDIAMUR FORAS. Hebræus in nostris Exemplaribus habet tantùm: *Dixit Cain ad fratrem suum Abel; cùmque essent in agro &c.* seu potiùs: *Cain locutus est ad fratrem suum; cumque egressi fuissent &c.* Septuaginta, sicut etiam Vulgata, suppleruntur: *Egrediamur foras.* Vetus Vulgata ante S. Hieronymum, & Samaritanus legebant: *Egrediamur in agros* (a); quod & in Samaritano nostræ ætatis legitur. Mancum esse Hebræum nostræ ætatis in hoc loco, nonnulli opinantur; quare signum quoddam in Textu apposuerunt Massoretæ, ut defectum illum significarent. Targum Jerosolymitanum, & Targum Jonathan filii Uzielis, cum Patribus omnibus, qua Græcis qua Latinis, supplent

(u) ואליך תשוקתו ואתה תמשל בו *Vid. sup. c.* III, 16. (x) *Chrysost. homil.* 18 *in Genes.* 203 πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ. ὥστε καὶ μετὰ τὴν ἁμαρτίαν ταύτην ἔχειν σε συγχωρῶ τὰ προτερήματα τῆς πρωτοτοκίας, κἀκεῖνον ὑπὸ τὴν σὴν ἐξουσίαν εἶναι κελεύω, καὶ ὑπὸ τὴν ἀρχὴν τὴν σήν. *S. Cyrillus in Glaphyris hunc locum ita explicabat: Dixit Dominus ad Cain: Peccasti, quiesce, i. e. noli ulteriùs peccare. Et ad Abel: Tu ad eum converteris, & tu dominaberis illius. Vide nov. Edit. Hexapl. in hunc locum.* (y) Οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον. πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ καὶ σὺ ἄρξεις αὐτοῦ. *Theodotion:* οὐκ ἂν ἀγαθῶς ποιῇς δεκτόν, καὶ ἂν μὴ ἀγαθῶς ποιῇς ἐπὶ θύραις ἁμαρτία ἐγκάθηται. πρὸς σὲ ὁρμὴ αὐτοῦ, καὶ ἄρξεις αὐτοῦ. (z) *Aug. lib.* 15 *de Civit. c.* 7. *Ambros. de Cain l.* 2, *c.* 6, 7. *Bern. ser.* 5. *de Quadrages. Hieron. quæst. Hebr. alii passim. Syr, Arab. Targ. Hierosolymit. alii Interpp. plerique omnes.* (a) *Hieron. in quæst. Hebraic.*

℣. 9. Et ait Dominus ad Caïn: Ubi est Abel frater tuus? Qui re-
spondit: Nescio: Num custos fratris mei sum ego?
℣. 10. Dixitque ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui cla-
mat ad me de terrâ.
℣. 11. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os
suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tuâ.
℣. 12. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: va-
gus & profugus eris super terram.
℣. 13. Dixitque Caïn ad Dominum: Major est iniquitas mea, quàm
ut veniam merear.

COMMENTARIUS.

plent: *Egrediamur foras*, seu eamus in agrum. Syriacus: *Eamus in desertum*.

Integritatem originalis Textûs asserunt aliqui, contendentes minùs esse necessarium additamentum Septuaginta & Vulgatæ. Imò & veluti superfluum illud, atque e Libris Apocryphis desumptum, reprobasse videntur Origenes, & S. Hieronymus; quamquam a versionibus suis, vel operâ suâ recensitis, expungere noluerunt. Onkelos & Arabs nihil addunt, nihilque pariter veteres Græci Interpretes, exceptis Septuaginta & Aquilâ, si fides sit Origeni: qui pariter addit, ea verba, *Egrediamur in agros*, occurrere in libro Apocrypho apud Hebræos (*b*). Alii Textum ita supplendum censent: Cain locutus est ad Abel (verba dolosa) & obtentu pacis & amicitiæ eductum in agrum occidit. Malunt alii: Verbis duris & ingratis illum compellavit, quibus paria regerere coactum, occasionem sumeret occidendi (*c*). Colloquium utriusque fratris referens Targum Jerosolymitanum, loquentem inducit Cain blasphema plura verba; quæ cùm non sine horrore auscultaret Abel, factum inde ut altercatio inter fratres nasceretur, qua occasione captâ Cain fratrem interfecit. Tandem alii ita rem totam interpretantur (*d*): Recepta a Deo verba referens Cain ad fratrem suum, simul illum impacto vulnere occidit.

Docet S. Hieronymus, ex vetustâ Judæorum traditione teneri, utrosque Fratres sedem habuisse ad Damascum, inditumque nomen Urbi *Damsac*, idest saccus sanguinis, quòd sanguinem interfecti Abelis terra illa ebiberit.

Quo usus est instrumento Cain, ut fratrem suum interficeret? Sanguinem profectò fudit, vulnus inflixit, arma strinxit in innocentem. Pictores non semel mandibulâ instructum depingunt; sed generi illi hominum fabellas obtrudere jus est. Impacto in frontem lapide interfecisse tradit Targum Jerosolymitanum; dentibus dilacerasse malunt Rabbini; alii furcâ vel colonico aliquo instrumento. Conjecturæ omnes, nihil certi. Abel injuriâ a Fratre occisus, vividis coloribus exhibet necem Christo illatam a Judæis, gloriæ ipsius & virtuti invidentibus. Jesu Christi sanguinem clamare validiori voce quàm Abelis, dicit Apostolus Hebr. XII, 2.

℣. 10. VOX SANGUINIS FRATRIS TUI CLAMAT AD ME DE TERRA. Hac loqoendi phrasi atrocitas criminis vividiùs exprimitur. Censet Josephus (*e*), parricidam illum interfecti cadaver celasse, ratum neminem in criminis sui cognitionem venturum. Illud, *Sanguis fratris tui clamat ad me de terrâ*, persuadere potuit Historico illi, cadaver sub terrâ jacuisse. Onkelos ita exponit: *Vox sanguinis generationum, quæ futura erant succedere de fratre tuo, clamant coram me de terrâ*; quibus insinuatur, carentem liberis interiisse Abelem. Nihil quidem de ejus posteris Scriptura; sed nihil ex ejus silentio colligi potest. Illud equidem vitæ genus profitebatur, quod insinuare videtur fuisse illi familiam, quam aleret. Patrem familias etiam indicant oblata ab ipso sacrificia; docent enim extra domum Adami egisse; ac tandem ejusdem erat cum Cain conditionis, quippe cui nec domus, nec greges, nec certa familia deesset. Facilè vox sanguinis Abel ultionem poscentis, erant viduæ uxoris & orphanæ familiæ, quas occisi sanguinem jure dixeris, querelæ. Quis porrò credat, Abelem cælibem egisse vitam usque ad 130 annorum ætatem, quo tempore arctissimum erat multiplicandi genus hominum præceptum?

℣. 11. NUNC IGITUR MALEDICTUS ERIS SUPER TERRAM. Hebræus [*f*]: *Maledictus es de terrâ*, sive *terra nomine*. Maledicta sua uteumque in te jacit terra: tanto criminis tui, quo fœdata est, horrore tenetur. Seu, tu potiùs meis diris impetendus es, quàm terra, quæ os suum aperuit ad recipiendum sanguinem fratris tui, ac proinde tota crimine fœdatur.

℣. 12. CUM OPERATUS FUERIS EAM, NON DABIT TIBI FRUCTUS SUOS. Terra jam inde post Adami crimen maledicto fuerat obnoxia; sed Deus Caino minitatur futurum, ut laboribus ejus minùs etiam respondeat, quàm antea soleret.

VAGUS ET PROFUGUS ERIS SUPER TERRAM. Septuaginta reddunt Hebræum (*g*): *Gemens & tremens eris*. Alii Græci Interpretes (*h*). *Eris fluctuans & inconstans*.

℣. 13. MAJOR EST INIQUITAS MEA, QUAM UT VENIAM MEREAR. Hæc desperantis sunt voces, juxta Interpretes Catholicos, qua veteres qua recentiores; de nimio sententiæ divinæ rigore lamentationes, juxta Doctores Hebræos (*i*). Reddunt autem

(b) *Vide nov. edit. Hexapl. D. Bern. de Montfaucon.* (c) *Vatab. Fag.* (d) *Abenezra, Hieron. quæst. Hebr.* (e) *Joseph. antiq. l. 1. 3.* κτείνει τὸν ἀδελφὸν, καὶ τὸν νεκρὸν αὐτοῦ ποιήσας ἀφανῆ, λήσειν ὑπελάμβανεν. (f) ארור אתה מן האדמה (g) נע ונד *Septuag.* στένων καὶ τρέμων. (h) Σαλευόμενος καὶ ἀκαταστατῶν. *apud Drus. vide nov. edit. Hexapl. Caten. Reg. Heb. & Syr.* σαλευόμενος καὶ ἀκαταστατῶν. (i) *Lyran.*

℣. 14. Ecce ejicis me hodie a facie terræ, & a facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me.

℣. 15. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet; ſed omnis qui occiderit Caïn, ſeptuplum puniatur. Poſuitque Dominus Caïn ſignum, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum.

℣. 16. Egreſſuſque Caïn a facie Domini, habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.

COMMENTARIUS.

autem: *Peccatum meum eſt ergo adeò magnum, ut nulla ſpes veniæ maneat?* Alii verò ita interpretantur: *Major eſt pœna mea, quàm ut feram* (k). S. Chryſoſtomus *hom.* 19 excuſare videtur verba illa, quaſi ſcilicet abſolutam criminis confeſſionem inferant: fruſtra tamen doluiſſe dicit Caïn, quia ſerò. Verùm ſententia iſta ſectatoribus caret.

℣. 14. Ecce ejicis me hodie a facie terræ &c. Ex avitâ regione, ubi patres mei ſedem habent, extorrem me facis; ſeu potiùs, terræ nomine de hominibus uſurpato, A facie hominum expellis me, ab juſtorum ſocietate, a communione populi tui. *A facie tuâ abſcondar*. Coram apparere nunquam deinceps audebo. An fortè Deus familiarem præſentiam ſuam dabat hominibus?

Omnis qui invenerit me, occidet me. Alii ita reddunt. *Omnis qui invenerit me, occidat me* (l).

℣. 15. Omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Fratrum ſuorum, ſeu filiorum Abelis, vel fortè etiam brutorum, quibus aliquando ultionis ſuæ adminiſtris utitur Deus, indignationem ſibi metuebat Cain. Deus autem partes ejus utcumque aſſumens, miſerum ab ultoribus ſanguinis Abelis ponit in tuto, minitatus ſeptuplo graviorem pœnam exacturum ſe de interfectoribus illius. Integrum erat unicuique primâ illâ ætate ultionem ſuam exigere; nulli enim adhuc erant Principes & Magiſtratus, quibus munus illud Deus commiſiſſet. *Septuplum punietur*; numeri indefiniti, ſed magni indicium eſt illud *ſeptuplum* (m).

Varias hujus loci interpretationes affert S. Hieronymus epiſt. ad Damaſum. Putant aliqui, Cain interfectum fuiſſe a Lamech, ſeptimâ ab Adam generatione (n), in executionem latæ divinitus in illum ſententiæ; quam opinionem probavit antiquitas, maximique eſt momenti ad opinionem illam de Caïn a Lamecho, ſeptimo poſt Adam, interfecto (o). Vide ℣. 23, & 24. Cenſent alii, ſpectari poſſe in Scripturâ ſeptem crimina Cain, totidem ſuppliciis expiata. Primum crimen, quòd non benè diviſerit; ſecundum, quòd fratri inviderit; tertium, quòd fraude illum invitaverit: *Egrediamur in agros*; quartum, quòd occiderit; quintum, quòd neſcire ſe, ubi eſſet Abel, proteſtatus ſit; ſextum, quòd deſperaverit, dicens: *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*; ſeptimum tandem, quòd illum monitum peccati non pœnituerit. Deus enim, qua eſt miſeratione, vitam illi uſque ad ſeptimam generationem prorogaverat, ſpatium lugendi criminis indulgens. Pœnitudini ejus & ſaluti faviſſe nonnulli apud S. Hieronymum videntur (p).

Recentiora Hebraica Exemplaria a veteribus, ab exemplari Septuaginta, & veterum Græcorum Interpretum, ac tandem S. Hieronymi variaſſe creduntur; legerunt enim illi: *Non ita fiet*: לֹא כֵן, *Lo ken*, pro eo quod impreſſa Hebraica Biblia ferunt לָכֵן *Laken*, *igitur*: En autem ſenſum hujus Textûs: Caïn ad Dominum: *Expellis me a facie tuâ, & quicumque invenerit me, occidet me*. Deus ad illum: Ideò, ut ſcilicet imminens iſtud malum avertam, futurum pronuncio, ut omnis qui occiderit Caïn, ſeptuplum, ſeu ſeptuplo *puniatur*. Reddunt aliqui Hebræum *Laken*, imò, certè, profectò, utique (q). Ait Cain: *Quicumque invenerit me, occidet me*. Deus ad illum: Profectò quicumque occiderit Cain, ſeptuplo punietur.

Posuitque Dominus Cain signum. Quid hoc ſignum ad diſtinguendum Caïn? Unuſquiſque ſuum præfert ad arbitrium. Rabbini canem præceſſiſſe viro volunt; alii cornu in fronte diſtinctum malunt (r); alii literâ quadam ſive nominis ſui, ſive Dei, ſive Abelis compunctum in facie cenſent. Autumari etiam poſſet, Deum notam aliquam viro impreſſiſſe, illi non abſimilem, qua frons gementium apud Ezech. IX, 4, 6; vel characteri impreſſo in fronte Sanctorum Apoc. IX, 4; vel tandem ſervili illi notæ, qua mancipia apud Orientales inurebantur.

Patrum plerique (ſ) tenent, inditum viro toto corpore tremorem, tetrum quemdam aſpectum, ferocientem, atrum, criminoſæ ſcilicet conſcientiæ indicium. Quam opinionem invexerunt facilè Septuaginta, reddentes: *Gemens eris, & tremens*, pro *vagus & profugus eris*, quod legitur ℣. 13. Vetera quædam Mſſ. Latina habent: *Poſuit Cain in ſignum*; ſed correctio eſt Amanuenſium, Textui originali contraria. Abenezra, Vatablus, Pfeifferius (t), aliique tenuerunt, Deum, ut animis deſpondentem Caïn confirmaret, prodigium exhibuiſſe, eo argumento ipſi Cain demonſtrantem, neminem in ipſum manum injecturum.

℣. 16. Egressus Cain a facie Domini. Locum, ubi Deum ſpectaverat, deſeruit Cain; vel avitum

(k) *Abenezra apud Fag. Oleaſt. Piſc. Jun. &c.* (l) *Lyran. hic.* (m) *Vide Pſal.* XI, 6. *&* LXXVIII, 13. *& Prov.* VI, 31. *Eccli.* VII, 3. XL, 8. *&c. Jerem.* XV, 9. *&c.* (n) Symmachus habet: *Punietur ſeptimus, vel ad ſeptimam generationem*, juxta quoſdam apud Procopium, in hunc locum. Idem ferunt Joſephus, Chaldæus, Onkelos, & alii plures. (o) 1 Adam, 2 Cain, 3 Henoch, 4 Irad, 5 Maviaël, 6 Mathuſaël, 7 Lamech. (p) *Vide Hieronym. ad Damaſ. ad fin. q.* 1. (q) *Ludov. de Dieu, Vat. Fag.* (r) *R. Abba Joſe, Zenorenna qu.* 42. (ſ) *Chryſoſt. in hunc loc. Theodoret. qu.* 42 *in Geneſ. Aug. in Fauſt. l.* 12, *c.* 12. *Hieronym. ep. ad Damaſ. Vide & Batricid. apud Hottinger. &c.* (t) *Pfeiff. Dub. vexat S. Cent.* 1, *l.* 25. Cene, projet d'une nouvelle traduction, *p.* 79, 80, 81.

℣. 17. Cognovit autem Caïn uxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch; & ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch.

℣. 18. Porrò Henoch genuit Irad, & Irad genuit Maviaël, & Maviaël genuit Mathusaël, & Mathusaël genuit Lamech.

℣. 19. Qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella.

COMMENTARIUS.

avitum locum, parentum suorum sedem, & veluti centrum Congregationis Fidelium, dereliquit. Vide supra ad ℣. 14.

Habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden. Hebræus (u): *Habitavit in terrâ Nod ad Orientem Eden*; seu: *Habitavit profugus in terrâ ad Orientem Eden*. Septuaginta pro *Nod* legerunt *Naid*, quod de certi loci nomine cum Josepho usurparunt (x). Chaldæus & Vulgata, in sensu literali vocem interpretantes, reddunt, profugus, vagus, exul. Sed pronius est usurpare pro nomine certi loci, quò Cain secesserit. Occurrit ad Orientem regionis Eden & Assyriæ vasta quædam regio, cui nomen *Nyse* seu *Nysea*; nec rarò legas apud Historicos (y) *Nyseos campos & equos*; quæ sanè loca a regione Eden parum aberant. Veluti portionem Hircaniæ Nysæam habet Strabo; sunt autem omnia ad orientem Armeniæ & regionis Eden. Voces נוס, *Nos*, unde *Nysa*, & נוד, *Nod*, unum idemque apud Hebræos significant, fugere, vagari, errabundum discurrere.

℣. 17. Ædificavit civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui, Henoch. Vetustissima profectò Urbs ista Henoch, quò Cain ejusque familia universa se recepit; vetustissima, inquam, omnium, quotquot unquam noverimus, censenda est. Eadem facilè creditur cum *Hanuchtâ*, quam Ptolemæus (z) in Susianâ collocat. Nihil hic ego de Urbe Henochiâ Pseudo Berosi, ad Orientem Libani, Damascum versùs.

Plura tradit Josephus *l.* 1, *Antiq.* 3, de Cain, frustra in Scripturâ quærenda. Narrat enim, illum, post fixas in Naid sedes, conditamque ibi suis & familiæ commodis Urbem, tantum abfuisse, ut exilio & criminis illâ pœnâ corrigeretur, ut potiùs fræna magis magisque in vitia laxaverit, adscitâque sibi prædonum turbâ homines docuerit, divitias partâ injuriis prædâ comparare. Veterem ille ingenuitatem & simplicitatem corrumpens, dolum invexit & fraudem in commerciis, pondera constituens & mensuras. Ipso authore, limites agris dati sunt, Urbs condita & munita. Non sic aureâ illâ ætate, juxta Poëtas.

Nec signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat. In medium quærebant.
Virg. Georgic. 1. Et Tibullus:
Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.

Author Præadamitarum nonnulla in suam sententiam derivat ex iis, quæ tradit Scriptura de vitæ genere, cui se Cain & Abel addixerant; quod in utroque multum instrumentorum, rerum, quin & laborantium apparatum poscebat, quem frustra in mundo quæsiissent, si quidem alii non occurrissent homines, quàm ex Adamo nati. Sed quis Authori asseruit, neminem Adamo & Evæ natum filium, præter Cain & Abelem? Non obscurè de Adam habet Scriptura *Gen.* v, 4: *Genuit filios & filias*. Quod optimè usurpari potest etiam de tempore post natum Seth succedente, sicut & de præcedente ejus ortum. Quis profectò sibi persuaserit, longo 130 annorum spatio Adam & Evam liberis caruisse? Nonne Deus in pœnam criminis minitatus fuerat Evæ, multiplicaturum se scilicet ejus dolores, & fœtus? Ut quid Cain, si infrequentem habebat familiam, urbem condidisset? unde sibi timebat ex occiso Abele, si & ipse carebat fratribus, & ex Abele nepotibus?

Author iste e verbis illis Mosaicis, *Statim in foribus peccatum aderit*, deducendum sibi arbitratur, tum tribunalia, & judiciales omnes apparatus constitutos fuisse. Sed non immeritò credimus, proverbialem esse phrasim, designantem pœnam, vestigia culpæ prementem: *Culpam pœna premit comes*; seu potiùs Moyses, prolepsi sibi familiari, ad morem suorum temporum potiùs quàm ad primigeniam illam ætatem scribendo respexit. Monstri ne autem loco habendum est, si 130 annorum spatio instrumenta & cætera ad agriculturam necessaria excogitentur formenturque? Solertissimum est profectò necessitatis ingenium. An ferrum & metalla ita necessaria sunt ad excolendam terram, ut nihil unquam sine illis? Nonne eorum defectum supplere abundè poterant tosta igne ligna, præacuti lapides, in solo maximè multò quàm nostrâ ætate, fertiliori? Abel greges suos curabat non ab injuriis prædonum tantùm, qui fortè vel eo tempore non deerant, sed belluarum etiam; deducebat pariter ad opima ad selecta pascua, collectosque reducebat ad caulas; quæ omnia pastoritiam exercentem hominem occupant.

℣. 19. Lamech accepit duas uxores. Ex Adâ & Sellâ nati sunt Lamecho, si fides Josepho *Antiq. l.* 1, *c.* 3, silente tamen Scripturâ, LXXVII filii. Meminit S. Hieronymus semel, iterum, vel tertiò in suâ Epistolâ ad Damasum q. 1, & Origenes in fragmentis quibusdam editis in Hexaplis ad Gen. iv, 8, librorum quorumdam apocryphorum apud Judæos, in quibus plura ad Genesim spectantia. Inde fortè omnia deduxit Josephus, quæ supra fidem Mosaicorum Librorum tradit de Cain & Abel; nec nisi ex eo fonte maxima traditionum Hebraicarum S. Hieronymi in Genesim portio facilè derivanda est. Defendunt Rabbini (a), viris antediluvianis geminas fuisse uxores assignatas, alteram nempe ad voluptatem, alteram ad procreandos liberos, cujus postremæ esset de-

terior

(u) וישב בארץ נוד קדמת עדן (x) *Septuag.* ᾤκησεν ἐν γῇ Ναὶδ κατέναντι Ἐδέμ. (y) *Strab. l.* xi. *Herodot. lib.* vii. *Diodor. l.* xvii. (z) *Ptolem. lib.* vi, *c.* 3. *& Tabul. Asiæ.* (a) *Jarchi in Job* xxiv, 21. *Baresabi Rabb. Uria R. Juda Bar Simon paras.* 23.

Digitized by Google

℣. 20. Genuitque Ada Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum.

℣. 21. Et nomen fratris ejus Jubal: ipse fuit pater canentium citharâ & organo.

℣. 22. Sella quoque genuit Tubalcaïn, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror verò Tubalcaïn, Noëma.

COMMENTARIUS.

terior conditio, cùm interim prior illa amorem sibi, & studium viri totum vindicaret. Ada liberos genuit Lamecho; Sella deliciis serviebat. Hunc perniciosissimum morem, inquiunt illi, carpit Job XXIV, 21: *Pavit sterilem, quæ non peperit, & viduæ non benefecit.* Viduæ nomine uxor ad procreandos liberos designatur. Sed hæc Rabbinica sunt commenta; & Sellæ filios assignat Genesis IV, 22.

Polygamum Lamech velitti immanis eriminis reum accusant Patres. Tertullianus aliè scelus illud in viro reprehendit (*b*): *Numerus matrimonii a maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus tres in unam carnem effecit.* Et alibi tradit, pessimum Lamechi exemplum consecutiones habuisse, ad exitum usque gentis Judaicæ perseverantes; sed ante diluvium neminem eriminosi viri exempla imitanda suscepisse. Nec mitior in Lamechum S. Hieronymus *contra Jovin. l. 1. Primus Lamech, sanguinarius & homicida, unam carnem in duas divisit uxores. Fratricidium & Digamiam eâdem cataclysmi delevit pœnâ* (*c*).

Nicolaus I bigamum illum adulterii reum damnat Ep. ad Lothar. Regem: & Innocentius III (*d*) pronunciat: *Nulli unquàm licuit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit Divinâ revelatione concessum, qui mos quandoque, interdum etiam fas censetur.* Postremâ hac ratione Patriarchas, qui plures uxores duxerunt, excusat; quod itidem & a S. Augustino factum est (*e*): *Quando mos erat, peccatum non erat, & nunc propterea peccatum est, quia mos non est &c.* Sed nihil valent hæc ad excusandum Lamechum.

℣. 20. JABEL, QUI FUIT PATER HABITANTIUM IN TENTORIIS ATQUE PASTORUM. Hic, & infra, *Pater* usurpatur pro authore, institutore, inventore. Nec Jabel primus greges deduxit; constat enim Abelem gregem suum ante Jabelem pavisse; sed Jabel huic vitæ generi cum totâ familiâ posterisque se penitus addixit: *Habitavit in tentoriis.* Agrestem egit vitam, ut Scythæ, cognomento Nomades, & Arabes Scenitæ; cùm Abel, pastoritiam licèt exercens, fixam habuerit sedem.

℣. 21. JUBAL: IPSE FUIT PATER CANENTIUM CITHARA ET ORGANO. Hebræum כנור *Kinnor*, redditur plerumque *cithara*; designare tamen hìc creditur fidicularia generatim instrumenta, plectro vel digito pulsanda; sicut & pneumatica quæcumque exprimit *Tibia, Organum, Tympanum, Hugab* עוגב. Chaldæus reddit אבובא *Abuba*, quod idem est ac *Ambubaja* apud Horatium *Sat. 2*; quam Syriacam esse vocem asserunt Scholiastæ ejusdem Poëtæ, designantem *Symphoniam* seu *Tibiam*, pneumatica ambo instrumenta. Sed de Musicis Hebræorum instrumentis fusiùs agemus ad Commentarium in Psalmos.

℣. 22. TUBALCAIN, QUI FUIT MALLEATOR ET FABER. Hebræum לטש כל חרש reddunt plures Interpretes (*f*), *Qui expoliebat*, perficiebat, sciti operis artefacta elaborabat, *quidquid fieri potest è ferro*, ære, argento, auro. Fabularum Vulcanus fortè ipsissimus est Tubalcain; non enim abludunt utriusque nomina, & exercitium. Septuaginta appellant tantùm *Tobel*. Tenent plures, *Noëmam* invenisse rationem nendi ad colum lanam, atque telam conficiendi; confundendamque censent cum Minervâ, *Nemæonum* appellatâ, ut ex Plutarcho *lib. de Iside & Osiride* intelligimus.

Agunt Prophani (*g*) de artium Inventoribus multò seriùs quàm post Moysis ætatem. Ita *Liber* seu *Bacchus* rationem invenisse dicitur emendi vendendique; Ceres usum frumenti, molendi rationem, ac tandem confectum panem excoquendi docuit in Siciliâ, Italiâ, & Africâ, unde sibi divinos honores promeruit. Ferunt, ante Cererem homines glandibus, seu castaneis victitasse. E Cerere pariter accersunt aliqui leges primùm datas; quas tamen alii a Rhadamanto repetunt. Literas ac scribendi rationem tribuunt Phœnicibus; adduntque XVI Alphabeti literas a Cadmo Phœnicio in Græciam invectas. Asserunt alii tamen, literarum usum ante Phoroneum, vetustissimum Græciæ Regem, in Ægypto fuisse; idemque multò erat vetustior apud Babylonios.

Hæc tamen inventa plerumque solos Græcos spectant, quorum vetustissima ætas parùm superat bellum Trojanum. Ad alias regiones, nonquam incolis desertas, quod attinet, uti ad Assyriam, Chaldæam, Ægyptum, notas, ibi constat artes fuisse vitæ necessarias, sicuti &, quas vocant, liberales, diu antequam Græcia & populis floreret, & politiâ coleretur, & Urbes haberet constitutas. Ferunt, primos fabricandarum ædium Athenis authores fuisse Euryalum & Hyperbium; antea enim casas & mapalia incolebant. Tegulas invênit primus Cyniras filius Agriopæ; qui pariter in Insulâ Cypri æreas fodinas detexit; ac tandem mallei, forcipum, & incudis usum docuit. Honorem inventæ medicinæ, confectæ primùm telæ & panni, sibi vindicant Ægyptii. Ferrum Dactylibus Cretensibus vendicat Hesiodus; sicut & iisdem Anthoribus tribuit Diodorus l. V, æs, usum ferri, ac metalla conflandi atque elaborandi. Sunt, qui argentum tribuant Erichtonio: sunt qui Æaco.

Cadmus Phœnicius aurum invênit, artemque illud liquandi in monte Pangæo; Dædalus artem inscul-

(b) *Tertull. lib. de Exhortat. ad Castit. c. 5. & lib. de Monogamiâ, c. 5.* (c) *Vid. Ep. XX ad Salvian. & Ep. XI ad Ageruchiam.* [d] *Cap.* Gaudemus. *Extra, De divortiis. Vid. Ambros. l. I de Abrah. c. 4. Chrysost. homil. LVI in Genes.* (e) *Lib. XXII contra Faustum Manich. c. 47. & Confess. l. III, c. 7, & 8. & de bono conjugali c. 57.* (f) *Piscat. Oleast. Munst. Vat. Faz.* (g) *Plin. l. VII, c. 56.*

Digitized by Google

℣. 23. Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ, & Sellæ: Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum.

COMMENTARIUS.

insculpendi lignum & lapides; ipse pariter serram, asciam, terebram, gluten, perpendiculum &c. Pyrodes e silice excutiendi ignem; & Prometheus rationem illum servandi in cortice Ferulæ (*h*), arboris 5, vel 6 pedibus procerioris, durissimo cortice, cujus intima replet medulla, ab igne modicis erogationibus absumenda; eâdemque utuntur nautæ, ut ignem ex unâ in alteram Insulam transferant. Eumolpus Atheniensis vinearum, & arborum culturam absolutissimam docuit. Buzyces artem vomeris a bubus trahendi; quod tamen alii Triptolemo vindicant. Musicam afferunt Amphyoni; tibiam Pani filio Mercurii. De citharâ dissidium est inter Amphyonem, Orpheum & Linum. Rex Erythreus invenisse dicitur usum cymbarum in mari Rubro, quarum fuit usus longâ ætate ante longas naves invectas; sed harum inventionum pleræque, ut jam innuimus, traduntur pro Græcis; hæc enim omnia ante diluvium innotuerant, utì docet hìc Moyses.

℣. 23. Occidi virum in vulnus meum. Quid causæ esset, cur Lamech verba ista faceret uxoribus suis, silente Moyse, non satis intelligitur. Hebræorum traditio, quam sequitur S. Hieronymus *Epist. ad Damasum*, aliique plures (*i*), refert, Lamechum, occiso Caino, quid in se ultionis divinitus provocasset, declarasse uxoribus, asserentem, futurum ut, si Deus pœnam exegit septuplum de parricidio Caini, septuagies septies de homicidio a se commisso exigeret. Quò autem fabellas hasce ad voluptatem ornent, referunt ex Hebraicæ traditionis fide, Lamechum, cùm venationi se totum addixisset, & oculis senectutis vitio jam caligasset, viæ ducem habuisse adolescentulum, quem Judæi Tubalcain filium ipsius credunt. Cùm adolescentulus ille nescio quod in nemore murmur auscultasset, ratus gradientis belluæ sonum, locum indicavit Lamecho, qui statim, rem ultra non discutiens, telum emisit, quo Cain, fortè ibi versans, impetitus interiit.

Actutum Lamech, agnito errore, subitoque accensus furore, puerum, quo monente sagittam vibraverat, necavit. Referens se deinde domum, omnia retulit ad uxores, narrans, sperare se, Deum qui interfectorem Caini septuplum se puniturum edixerat, sperare, inquam, Deum ex sui ipsius interfectore, si fortè aliquis tantum auderet, septuagies septies pœnas sumpturum: Cain enim prudens volensque crimen perpetraverat; sibi verò imprudenti irrepsisse. *Occidi hominem*, i. e. Cain; & *adolescentulum*, nempe Tubalcain. Fabellæ hujus nemo Veterum meminit, & primum omnium retulisse illam credo Authorem Historiæ Scholasticæ; quod satis est, ut suspicio in illam erectur, nisi ipsa per se fabulam apertè proderet.

Nec Philo, nec Josephus unquam crediderunt occisum a Lamecho Cainum; nihilque pariter eâ de re Onkelos, nec Hebræorum plures, nec S. Chrysostomus *in Genes.* nec Theodoretus *in Gen.* q. 44, nec doctissimorum Interpretum sanè multi (*k*). Philo (*l*) disertè asserit, Moysem nihil tradere de obitu viri illius; quasi scilicet insinuare voluisset, crimen & dementiam hujus parricidæ æternùm manere. Josephus (*m*) narrat, Lamechum divinas res maximè callentem, reputasse, ultionem divinam in suum caput exerendam fuisse, in pœnam criminis ab Avo suo perpetrati. In eâ persuasione fuisse Author iste, utì alii plures (*n*), videtur, ultionem scilicet sanguinis Abelis lapsuram in septimam generationem. Onkelos reddit: *Non occidi virum, ut propter eum portem peccatum; neque adolescentulum disperdidi, ut propter eum consumatur semen meum.* Arabs & Rabbinorum nonnulli in eumdem sensum locum interpretati, addunt interrogationem: *Numquid ego interfeci virum per fractionem capitis, aut puerum per vulnus meum?* Veluti si despondentes animis uxores suas confirmare voluisset; metuebant enim, inquiunt Hebræi, ne ultioni divinæ ipsæ pariter subderentur, quòd scilicet Lamech arma conflandi usum invexisset, docuissetque Tubalcain filium suum.

Asserit Suidas, *voce Lamech*, virum hunc duos homines interfecisse alios tamen a Caino & Tubalcaino; sed potiùs geminos fratres Henoch, viri extra mundum a Deo translati. Censent alii (*o*), Lamechum nihil fateri de homicidii crimine a se commisso, sed minitari tantùm iis, qui in se manus inferre auderent: *Ego occiderem virum propter vulnus meum.* Tenent nonnulli, virum ab uxoribus suis de occiso Caino reprehensum, respondisse, suo id fecisse dispendio; *In vulnus meum*, nempe me unum pœna criminis manebit. Verum si de Caino habebat sermonem, cur virum 700 circiter annis decrepitum *adolescentulum* appellat?

Sunt qui credant, Lamech, creatâ in se apud homines universos ob polygamiam invidiâ, (habebatur enim tanquam potissimarum connubii legum trangressio & infractio) uxores suas, ne se desererent, quod probri, divinæque ultionis, utrisque utpote culpæ socius impendentis, vitandæ gratiâ, facturæ jam jam erant, confirmasse, utque metum omnem ponerent, suasisse; ait enim: *Occidi hominem in vulnus meum?* quodnam atrox commisi crimen? Si Cain fratris sui scelestus interfector, adhuc tamen vitam agere permissus est; si eiusdem Cain homicida septuplo graviorem ultionem in se provocaret, quid illi expectandum esset, qui manus in me injiceret, multò minus is criminis reum? Non desunt huic interpretationi non spernendæ quædam conjecturæ; quamquam nihil maximè solidum expectandum est, cum

Scri-

(h) M. de Tournefort. (i) *Raban. Strab. Anselm. laud. Lyr. Tost. Cajet. Delrio. Perer.* [k] *Catharin Oleast. Burgens.* (l) *Philo lib. quòd deterior potiori insidiatur, ad finem.* (m) *Joseph. antiq. l. 1. c. 2.* ὁ Λάμεχος τὰ θεῖα σαφῶς ἐξεπιστάμενος, ὁρῶν δίκην ἑαυτὸν ὑφέξοντα τῆς Κάϊνος ἀδελφοκτονίας, τοῦτο ταῖς ἑαυτοῦ γυναιξὶν ἐποίησε φανερόν. (n) Vide *suprà*, ℣. 15. (o) *Vat. Munst. Fag. alii.*

Digitized by Google

℣. 24. Septuplum ultio dabitur de Caïn: de Lamech verò septuagies septies.

℣. 25. Cognovit quoque Adam uxorem suam: Et peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth, dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occîdit Caïn.

℣. 26. Sed & Seth natus est filius, quem vocavit Enos: Iste cœpit invocare nomen Domini.

COMMENTARIUS.

Scriptura nihil referat de argumento hujus colloquii a Lamecho facti.

℣. 24. SEPTUPLUM ULTIO DABITUR DE CAIN. Duplici planè diversâ interpretatione Textus iste exponitur. 1 Quicumque Cainum interfecerit, ipse pariter occidetur, & de sanguine Caini *septuplo* major exigetur ultio, nempe severa & sæpiùs repetita. Qui verò occiderit Lamechum, multò duriorem diuturnioremque dabit pœnam (*p*). Hæc nobis literæ magis cohærens interpretatio probatur. 2 Reddi potest: Cain de occiso Abele fratre suo septuplum punitus fuit: ego verò septuagies septies, quòd vel Cainum, vel alium, vel duos homines occiderim; nihil enim eâ de re certum. Hanc interpretationem sequuntur Syriacus, Arabs, S. Chrysostomus *hom. 20 in Genes.* S. Basilius *Regul. Brevior. q.* 47. S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 44, S. Hilarius *in Matth.* 18, S. Ambrosius *de Cain l.* 2, aliique plures; favetque Textus Septuaginta (*q*): sed juxta Hebræum (*r*) & Vulgatam prior interpretatio præferenda est.

Putavit Josephus, septem illas ultiones de Caino sive de ejus interfectore exigendas, designare septem generationes post Adamum; & ultionem septuagies septies in Lamechum, sive in ejus interfectorem denunciatam, exprimere 77 liberos ex Adâ & Sellâ natos. Quid Josepho hanc persuasionem induxerit, non satis assequor; an alia a nostro Exemplari Lectio, an obtinens ætate illius, & nostræ incognita, traditio. Videsis S. Hieronymum in Epist. ad Damasum, ubi allegoricas alias interpretationes refert, ex Origene, utì credimus, derivatas.

℣. 25. VOCAVIT NOMEN EJUS SETH. Seth natus est anno 130, utì constat ex capite v, 3; unde conjectura, Abelem interiisse anno 129, vel 130 Mundi. Nomen Seth redditur: *posuit* seu *positus*. Hic pariter nomen filio a Matre inditum.

℣. 26. SED ET SETH NATUS EST FILIUS, QUEM VOCAVIT ENOS: ISTE COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI. Moyses in superioribus designavit rerum & artium inventores; modò rituum & Religionis primos authores docet. Non Enos quidem omnium primus religionem & Dei cultum invexit, neque enim id hominum solertiæ debetur, sed æquam refert cum hominibus vetustatem religio. Habet homo ex ipsâ naturâ impositum colendi Deum officium & necessitatem. Sed cultûs hujus præstandi ratio, cæremoniæ locis & temporibus aptæ, numerus atque natura oblationum & sacrificiorum, sicut & Religionis exteriora omnia, dirigenda hominibus permittuntur.

Vindicabant sibi Ægyptii honorem primùm invectæ Theologiæ (*ſ*), excitatorum Templorum, Altarium, & Simulacrorum; uno verbo, indidisse se nomina Diis jactitabant. Meliùs tamen accusarentur de corruptâ primitùs genuinâ Religione, invectâque in mundum superstitione, multiplicatis in immensum Diis.

Textus Hebraicus (*t*) reddi potest; *Tunc cœptum est invocari nomen Domini*, nempe formari exterior Dei cultus; cùm antea quisque mentis, pietatisque suæ ductum sequeretur: sed circa ætatem Sethi publici cultûs & Religionis Disciplina sancita est. Chronicon Alexandrinum tradit, quo maximè tempore genus Caini criminibus sese totum impendebat, familiam Sethi instituisse invocandum nomen Domini, ingeminatione *Hymni angelici*, id est: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*.

Reddunt alii: *Tunc cœptum est prophanari nomen Domini*, invectâ nempè Idololatriâ. Favet interpretationi Judæorum traditio (*u*), de cœptâ primùm Idololatriâ sub Enos. In hunc sensum locum exponunt ambo Chaldæi Paraphrastæ. Vide Sap. xiv, 12: *Initium fornicationis est exquisitio idolorum*: cùm scilicet plenus vitiis aditus dari cœpit, Idololatria erupit in mundum.

Potest etiam verti Textus: *Tunc vocari cœptum est de nomine Jehovah*. Qui pietatis, & Dei cultûs partes sequebantur, nomine filiorum Dei distingui ab impiis, filiis hominum appellatis, cœpere. Vide cap. vi, 2. Hæc interpretatio maximè probatur.

Septuaginta reddunt (*x*): *Hic speravit* (posuit spem suam) *in invocando nomen Domini*. S. Chrysostomus (*y*), S. Cyrillus, Eusebius Emissenus, & Theodoretus habent: *Enos & posteri dignitatem Divinam sibi compararunt*. Sicut enim inditum est Angelis Dei nomen, quòd administri sint & legatione fungantur a Deo, ejusque gerant personam; ita pariter Enos nomen Domini obtinuit, quòd famulatui & ministerio Domini sese addixisset. In eam pariter sententiam descendisse videtur Aquila (*z*): *Tunc cœptum est appellari de nomine Dei*. Suidas refert, inditum Seth nomen Dei a primis illis mortalibus, quòd scilicet primus esset author literarum Hebraicarum, astrisque nomina indidisset. Alii vindicant illi postremas duas alphabeti literas *Schin* & *Tau*, quibus nomen Seth componitur; Adam enim nomen illud expresserat ex junctis *Samech* & *Theth*, quæ duæ literæ idem nomen reddunt in Hebræo.

CA-

[p] *Vide Perer. n.* 91. (q) *Septuag.* ἑπτάκις ἐκδεδίκηται ἐκ Καϊν, ἐκ δὲ Λάμεχ ἑβδομηκοντάκις ἑπτά. (r) שבעתים יקם קין ולמך שבעים ושבעה (ſ) *Herodot. lib.* 2. *c.* 4. *Lucian. de Deâ Syr. initio.* (t) אז הוחל לקרא בשם יהוה [u] *Hieron. quæst. Heb. in Genes.* [x] Οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου. *Legunt* זה *pro* אז, *utì & S. Hieronymus.* (y) *Cyrill. l.* 11, *in Genes. Chrysost. in Ps.* XLIX, ℣. 1. *Vide & in hunc loc. homil.* XX. [z] Τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίου. *Legit hic in Hebræo, utì & nostrâ ætate legitur,* אז. *Vide nov. Edit. Hexapl.*

Digitized by Google

CAPUT V.

Genealogia Adam per Seth usque ad Noë.

℣. 1. HIC est liber generationis Adam. In die qua creavit
Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.
℣. 2. Masculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis: &
vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt.
℣. 3. Vixit autem Adam centum triginta annis: & genuit ad
imaginem & similitudinem suam, vocavitque nomen ejus Seth.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HIc est liber generationis Adam. Omissâ generis Caini genealogiâ, Moyses ad digerendos se confert posteros Adami e Seth, quòd ille fons sit & origo populi electi Avorum Messiæ, qui finis & scopus est totius Scripturæ. *Adam* hîc ponitur pro Adam & Evâ; habetur enim ℣. 2: *Et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt*; nempe Deus utrumque creavit sextâ die.

℣. 3. Vixit autem Adam centum triginta annis. Magnum est hîc in numero annorum Patriarchalium inter Hebræum & Septuaginta discrimen. Ab utrisque dissidet Josephus; ec nemini accedit Samaritanus. Abstinendum hîc censemus a discussione eorum, quæ in hoc argumento negocium faciunt; aliena sunt enim ab hoc Commentario. Summo tenemur obsequio in Hebræum, & in Vulgatam; minori in Samaritanum cæterasque Versiones, quamquam vetustate suâ & merito eorum, qui illis faverunt, venerabiles.

Animadvertendum hîc tantùm ducimus, Septuaginta addere centum annos cujuscumque Patriarchæ ætati ante natum ex eorum filiis illum, qui solus exprimitur in Scripturâ. Plerumque autem totidem alios demunt de eorumdem Patriarcharum ætate post natum eum filium, cujus Scriptura certum annum, quo natus est, determinat; ex quo fit, ut in summâ totius ætatis ad obitum Patriarchæ ductâ, Hebræum inter & Vulgatam conveniat. Ita e. g. Hebræus & Vulgata componunt annum natalem Cainani filii Enos ad annum 90 Enos (a). Tum legitur: *Post cujus ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est.* Septuaginta verò ita de anno exorti Cainani ferunt: *Et vixit Enos annos centum nonaginta, & genuit Cainan. Et vixit Enos, postquam ipse genuit Cainan, quindecim annos & septingentos... & facti sunt omnes dies Enos quinque anni & nongenti.*

Hinc accidit, ut Septuaginta superent in suâ supputatione Vulgatam 586 annis pro tempore ante diluvium; ac juxta eorum chronologiam diluvium referendum sit ad A. M. 2242, cùm juxta Hebræum & Vulgatam componendum sit eum anno 1656: juxta Josephum, 2256; juxta Eusebium, 2242; Julium Africanum, 2262; Samaritanum, 1307. Porrò Textus iste postremus S. Hieronymi ætate cum Hebræo conveniebat; hodie verò discrepat in adscribendâ ætate Jared, Mathuselæ, & Lamechi; priori enim assignat 115 annos minùs quàm Hebræus; de alterius ætate demit annos 249, ac tandem de tertii, 124.

Post diluvium, ab anno 601 Noë usque ad septuagesimum Thare, supputant Septuaginta 1172 annos; & Vulgata tantùm 292: discrimen scilicet annorum 880; cui si jungatur discrepantia 586 annorum ante diluvium, conficietur summa 1466 annorum, qua Septuaginta Vulgatam superant. Juxta P. Pezron annorum spatium a diluvio adusque ingressum Abrahami in terram Promissionis, est annorum 1257; ut post mundi exordium ad usque annum 75 ætatis Abrahami, annorum sit, juxta illum, 3513 intervallum. Usserius, juxta Hebræum & Vulgatam, computat tantùm 2083.

Quid fuerit in causâ, cur vitæ Patriarcharum annos prorogaverint Septuaginta, nihil suppetit, nisi fortè id illis succurrit, ut veritatem Librorum sacrorum ponerent in tuto adversùs eorum opinionem, qui censent, primigenios illos annos nostris multò breviores fuisse, ut nostro uni & singulari responderent ex illis decem. Quibus positis, si legeretur e. g. Adamum genuisse Seth, cùm ætatem ageret 130 annorum, eò supputatio redigitur, ut 13 longioribus annis natus liberos habuisse diceretur. Ut incommodo illi occurreretur, quod sanè, ad Adamum quod attinet, minimum est, quippe qui ab ipsâ sui creatione vir erat; sed maximum profectò, si Cain & Abel respiciatur, quos sanè grandiores natu reputari oportet ante exortum Seth; ut, inquam, incommodo huic occurratur, Septuaginta natalem Seth annum componunt cum anno 230 Adami, nempe, juxta eam annorum constitutionem, ad annum 23 Mundi, constitutis pro singulis Mundi annis decem mensibus, 36 dierum in singulos.

Asserit quidem S. Augustinus *de Civit. l.* 15, *c.* 9, 12, 13, suâ adhuc ætate non defuisse viros pervicaces, contendentes, Patriarcharum annos decem unico nostrorum respondisse. Veteres nonnulli observant, ideò sibi Chaldæos & Ægyptios remotam adeò antiquitatem vindicasse, quòd prisci illorum anni multò essent nostris breviores. Ad Lunæ singulos cursus annum priùs confecisse Ægyptios ferunt (b); deinde ad quatuor menses pro-

(a) *Genes.* v, 9, 10, 11. (b) *Plutarch. in Numâ*

Digitized by Google

℣. 4. Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni: genuitque filios & filias.

℣. 5. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est.

COMMENTARIUS.

rogasse; post hæc ad 360, tum ad 365 dies. Plinius *l. 7, c. 48.* agens de longa illa ætate, quam Scriptores quidam tribuunt vetustis nonnullis Regibus, observat, nonnisi temporum ignoratione factum esse, ut error ille induceretur. Veteres olim populos non defuisse, qui alterum annum ex æstate & alterum ex hyeme redderent; fuisse pariter, qui nostrum annum in quatuor annos distribuerent, ut Acarnanes, apud quos singuli trimestres pro annis computabantur. Cum Ægyptii Regum suorum nonnullorum ætati millenos & ulterius annos largiebantur, cum ab exordio Monarchiæ ad usque Ptolemæorum ætatem, 36525 annorum spatium constituêrunt, fucum illis fecit veterum annorum brevitas, cum nostris longioribus annis comparata.

Affirmari utique non potest, Septuaginta in eâ fuisse persuasione, ut crederent, Patriarcharum ætatem multò fuisse breviorem, quàm insinuat Scriptura; neque apud nos rei accusarentur de corruptâ consultò ejusdem Scripturæ Chronologiâ. Sed constat profectò, Patriarcharum annos saltem ad 360 dies prorogatos fuisse, uti alibi demonstratum est; & si Plinius nunquam potuit in mentem inducere, veteres illos Reges adeò longam, quantum fama refert, produxisse vitam; id tamen certò affirmandum est: & longior illa Veterum complurium ætas gravissimis Historicis, a Josepho (c) & ab ipso eodem Plinio (d) relatis, probata est & admissa. Licèt autem Poëtas rerum ejusmodi assertores minimè certos haberi oporteat; non est tamen illis deneganda laus servatæ non semel vetustissimæ traditionis sub figurarum & typorum ambagibus occultatæ, quarum per expansa velamina radius aliquis veritatis frequenter elucet. Hesiodus (e) tradit, homines argenteæ ætatis, quæ auream illam excepit, pueros egisse apud matres suas usque ad 100 ætatis annos; si verò, ait, reliqua vita infantiæ adeò prolixæ non respondebat, referendum id in mutuas, quibus se invicem conficiebant, injurias.

De causa tam diuturnæ Patriarcharum vitæ non una est plurium sententia. Repetunt nonnulli e temperatâ hominum illorum œconomiâ, e plantarum succo, quas terra in suâ veluti juventâ sufficiebat. Alii datum id arbitrabantur merito vitæ frugi & simplicis Antiquorum. Sed potissima ejus rei ratio ex Dei voluntate, ad necessitatem propagationis humani generis homines illins servante, repetenda est. Si enim breviati dies vitæ nostræ reputentur ob senium temporis, quasi scilicet pro ætatis mundi mensurâ minor esset naturæ vis corporibus conservandis; nihil profectò hominis remaneret, ex quo semel de vitæ diuturnitate decerpi cœptum est. Author Psalmi LXXXIX, 10, quem nos scripsisse credimus sub captivitate Babylonicâ, asserit, ætate sui homines vix attigisse 80 annorum senectutem: quare spectato rerum naturalium cursu, a captivitate usque ad nos, nempe spatio ultra 2300 annorum, tantùm de vitâ hominis decessisset, ut nihil restaret; eâ tantùm data proportione decrescendi, quæ a diluvio ad usque ætatem illam captivitatis spectata fuisset. Causa est ergo supra naturam constituenda, quæ hominum vitam post diluvium contraxit, atque ad eos redegit fines, intra quos constanti lege hodie usque, nempe post amplius 4000 annorum, detinetur nullo satis notabili discrimine inter Patrum nostrorum, ac nostram vivendi diuturnitatem.

Genuit ad imaginem et similitudinem suam. Ex hoc Textu cum altero collato, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, insinuatum videretur, homines eandem referre cum Deo, quam filius cum patre, similitudinem: repugnant hæc tamen non fidei tantùm, sed & conceptæ pariter de Numine ideæ. Agit hic Moyses de similitudine naturæ, ex corpore simul & animâ coalescentis; eadem est enim utriusque in patre & in filio natura. Censent nonnulli (f), designari hic a Scripturâ fatalem illam similitudinem naturæ inter patrem & filium, ex corruptione, quam Adam per crimen illud originale ad posteros transmissum illis omnibus communicavit. Genuit Adam filios ad imaginem suam, non secus nempe ac ipse, homines mortales, criminis reos.

℣. 4. Genuit filios et filias. Inæqualitas illa ætatis, qua Patriarcharum singuli filios in Scripturâ designatos genuerunt, eam induxit S. Augustino *de Civ. l. 15, c. 15* suspicionem, filios, de quibus in Genesi, non semper majores natu designari; satisque habuisse Sacrum illum Historicum, ut genealogiam daret Patriarcharum usque ad Noë ante diluvium, & post diluvium adusque Abraham, eo negotio minimè suscepto, ut natos omnes e Patriarchis illis filios designaret.

Exhibent nonnulli filiarum Adam nomina; sed incerta omnia. Recenset S. Epiphanius duodecim tantùm filios & duas filias Adam; duarum filiarum hæc nomina, *Save* & *Azura*. *Vide Epiph. de hæresi de Sethian. n. 39.*

℣. 5. Omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est. Adam 930 annis grandævus diem clausit extremum, post actam diuturnam & supra fidem durissimam de crimine suo pœnitentiam. Præterquàm enim quòd de contumaciâ suâ, ad cujus aspectum horrebat; præterquàm, inquam, quòd de contumaciâ suâ doluit, multum animi tædium auxerunt privatæ illæ in familiâ simultates ex concepto Caini in Abelem odio; quæ deinde simultates in apertum

ndum

(c) *Manethon, Berosus, Mochus, Hestiæus, Hieronym. Ægypt. Hesiod. Hecatæus, Acusilas, Hellanicus, Ephorus, Nicol. Damasc. apud Joseph. lib. 1 antiq. c. 3.* (d) *Hellanicus, Damastes, Ephorus, Alexander, Cornelius, Xenophon &c. apud Plin. lib. VII, c. 48.* Vide & *Valer. Maxim. l. VIII, cap. de Senectute.* (e) *Hesiod. opera & dies* ℣. 130.

Ἀλλ' ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ
Ἐτρέφετ' ἀτάλλων μέγα νήπιος ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

(f) *Vatab. Munster. Piscat. Ainsvort.*

℣. 6. Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos.
℣. 7. Vixitque Seth, postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios & filias.
℣. 8. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est.
℣. 9. Vixit verò Enos nonaginta annis, & genuit Caïnan.
℣. 10. Post cujus ortum vixit octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias.
℣. 11. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinqne anni, & mortuus est.
℣. 12. Vixit quoque Caïnan septuaginta annis, & genuit Malaleel.
℣. 13. Et vixit Caïnan postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios & filias.
℣. 14. Et facti sunt omnes dies Caïnan nongenti decem anni, & mortuus est.
℣. 15. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, & genuit Jared.

COMMENTARIUS.

odium erumpentes, justi Abelis necem genuerunt. Spectavit genus Caini præceps in vitia, ac oculatus testis ingemuit extremam illam morum corruptionem ex qua universale diluvium in mundum inductum est. Omnia hæc mala Adam ad se tanquam ad primam omnium originem referebat; mentem ejus & oculos occupabant assiduè funestæ illæ criminum imagines, ad quæ exemplo suo homines invitaverat; spectabat originalem illam corruptionem, quam ad posteros omnes transmittebat; tum & funestas illas ejus appendices, ad quas ingemiscebat modò, & quas postea futuras horrebat. Sed contuitus unà simul promissum Liberatorem, fide in illum & spe plenus, adoravit humili animo Creatoris sui consilia, qui potestatem suam, justitiam, & misericordiæ granditatem exhibiturus, creaturæ lapsum permiserat, ut gloriam exinde suam augeret.

Adamum in Electorum & Prædestinatorum censum refert Ecclesia, sententiâ suâ damnans contrarium asserentes Tatianum, & Encratitas. Favet ejus saluti Scriptura (*g*): certumque tenent Patres (*h*); non fucatâ pœnitudine eluisse illum crimen suum. Tradit S. Irenæus, Adam diem clausisse feriâ sextâ. Sepulturæ mandatum in Hebron deducunt Veterum plures ex illo Josue XIV, 15: *Adam maximus ibi . . . situs est*. Malunt alii conditum illum in Calvariæ monte (*i*). Sed populari hæc traditione asseruntur, quibus nullam adstruunt fidem Patres, quamquam referre non omiserunt. Meminit Gelasius Papa Libri cujusdam Apocryphi, inscripti: *Pœnitentia Adam*: quam pariter epigraphen constituunt Hebræi Psalmo XCI, quem Adamo tribuunt. Sermo est pariter apud S. Epiphanium, & Gelasium Papam de Apocalypsi Adami, opere sanè pravo, ad Gnosticorum usum.

Quousque vixerit Eva, incertum. Marianus Scotus temerè determinavit ejus obitum ad annum M. 940, decennio post obitum Adami; repetitum id fortè e traditionibus quibusdam Judaicis, quarum in rebus antiquis fides suspecta est maximè.

Genebrardus, meliorum defectu, genealogiam illam secutus est. Quamquam autem in Scripturâ altum est de pœnitudine, obitu, & sepulturâ Evæ silentium; communem tamen Fidelium persuasionem tenemus, fidissimam nempe comitem lugenti crimen suum Adamo sese addidisse, quemadmodum & crimen suum cum illo communicaverat; certumque constituimus, post exactam maximè diuturnam ingemitu & pœnitentiæ exercitio vitam, felici planè exitu diem clausisse, eodem cum Adam sepulchro conditam. Utriusque monumentum latet. Verùm recepta magis apud Veteres & Ecclesiæ authoritate magis probata opinio censet, locum ejus sepulturæ fuisse montem Calvariæ. Ita plerisque ex Patribus, post Originem, persuasum; excitatumque est in eo monte sacellum, nomini & cultui Adami dedicatum (*k*). Res divinas ibi operantur Græci; sed a thure in publicis supplicationibus abstinent, ut eo indicio designetur, Adam inter Sanctos primi ordinis non recenseri. Colitur apud Græcos festum seu memoria Adami & Evæ ad diem 19 Decembris (*l*), vel Dominicâ proximè præcedente Festum Nativitatis. Petrus de Natalibus (*m*) utrumque Protoparentem collocat ante SS. primæ Mundi ætatis in septimanâ, quam appellamus, Septuagesimæ, post diem 22 Januarii.

℣. 8. Seth mortuus est. Seth Justorum pater fuit, sicut & Cain corrupti generis princeps. Ab ineunte ætate, ait Josephus *Antiq. l. 1, c. 3*, pietatem excoluit, liberosque post se reliquit paternæ virtutis imitatores. Largis benedictionum donis a Deo cumulatus, eo imbuente didicit astro-

(g) *Custodivit & eduxit illum (Deus) a delicto suo. Sap.* x, 2. (h) *Vide Iren. l. 3. advers. hæres. c.* 33. *Tertull. l.* 11, *contra Marcion. c.* 25. *Origen. tract.* XXXV *in Matth. Epiphan. hæres.* 46. *Hieron. Epist. ad Marcell. Aug. Epist. ad Evod.* 164. *& alibi sæpe.* (i) Vide *Orig. tract.* XXXV *in Matth. Epiphan. hæres.* 46. *Ambros. l.* x, *in Lucam, Hieron. ad cap.* XXVII *Matth.* (k) Quaresinius *tom.* 2, *l.* 5, *p.* 481, 483. (l) Vide *Bolland. t.* 4, *Februar. p.* 449. (m) *Catal. l.* 3, *c.* 2. Vide Baillet SS. de l'ancien Testament.

℣. 16. Et vixit Malaleel, poſtquam genuit Jared, octingentis triginta annis, & genuit filios & filias.

℣. 17. Et facti ſunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus eſt.

℣. 18. Vixitque Jared centum ſexaginta duobus annis, & genuit Henoch.

℣. 19. Et vixit Jared poſtquam genuit Henoch, octingentis annis, & genuit filios & filias.

℣. 20. Et facti ſunt omnes dies Jared nongenti ſexaginta duo anni, & mortuus eſt.

℣. 21. Porrò Henoch vixit ſexaginta quinque annis, & genuit Mathuſalam.

℣. 22. Et ambulavit Henoch cum Deo, & vixit, poſtquam genuit Mathuſalam, trecentis annis, & genuit filios & filias.

℣. 23. Et facti ſunt omnes dies Henoch trecenti ſexaginta quinq; anni.

℣. 24. Ambulavitq; cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus.

COMMENTARIUS.

rum & motuum cæleſtium ſcientiam. Veterum nonnulli Meſſiam eſſe reputarunt; ac Sethianos Hæreticos legimus apud S. Epiphanium, *hæreſi* 39, virum hunc, tanquam Chriſtum, coluiſſe; contendiſſe pariter, translatum illum ex hoc mundo. Vetus quoddam Chronicon apud Raderum (*n*) tradit, Seth XL annis natum ſubito Angelorum miniſterio raptum in Cœlum, reſtitutumque mortalibus poſt XL dies, annunciaſſe futurum, ut filii ſui vitiis ſeſe addicentes, diluvii aquis mergerentur, ac tandem venturus eſſet Meſſias in eorum ſalutem. Sapiunt tamen hæc apocryphos Libros, apud Veteres obtinentes. Natalem Seth tanquam argumentum, vel ſaltem typum aut promiſſionem futuræ reſurrectionis, reputarunt Patres (*o*). Eva, amiſſo Abele, Seth tanquam Dei donum & reſurrectionis ſuæ pignus excepit a Deo.

℣. 24. AMBULAVIT (Henoch) CUM DEO, ET NON APPARUIT, QUIA TULIT EUM DEUS. Syrus: *Et placuit Henoch Deo, & eſſe deſiit, quia ſumpſit eum Deus.* LXX: *Et placuit Enoch Deo: & non inveniebatur, quia tranſtulit eum Deus* (*p*). Arabs: *Enoch defunctus eſt; aſſumpſitque* (Deus) *eum ad ſe.* Interpretum nonnulli cenſent, verbis illis Textûs inſinuari, Henoch reipsâ obiiſſe, ſed fato ſatis acerbo. Rabbinorum nonnulli in vivis agere adhuc contendunt; ſed Manaſſe-Ben-Iſrael (*q*) plurium Rabbinorum teſtimonio demonſtrat, verba illa, *& non apparuit*, mortem reipsâ exprimere, ut in illis (*r*): *Tolle animam meam*; & alibi: *Redimet animam meam de manu inferi, cùm acceperit me? Neſcio quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus*; verba illa, *tollere*, *accipere animam*, *accipere aliquem*, inſinuant morte aliquem tollere. Addunt, Moyſem adſcribere annos vitæ Henoch, uti cæterorum Patriarcharum; unde pro obitu ipſius cum cæteris argumentum. Pſeudo-Juſtinus in quæſtionibus ad Orthodoxos *quæſt.* 85, ſcribit, Henoch & Eliam revocatos fuiſſe ad vitam cum aliis pluribus poſt obitum Chriſti, unoque ſimul cœtu verſari in Paradiſo terreſtri, opperientes alterum Servatoris adventum. Obiiſſe ergo illos credunt cum cæteris juſtis.

Philo *l. de Abraham*, allegoricâ expoſitione hiſtoriam Henochi interpretatur. Vir ille juſtus placuit Deo & translatus fuit, in melius nempe, ait ille, mutatus. Quòd autem ita translatus dicatur in Scripturâ, ut nuſpiam apparuerit, ſatis id inſinuat, e perditiſſimæ vitæ ratione ita translatum illum in alteram meliorem, ut nullâ ex parte ulteriùs idem inveniretur; deleretque ex hominum mente veluti memoriam illius hominis, qui antea fuerat. E conſortio hominum ſecedens, nulli ſe permittebat, *& non inveniebatur*. Ex his ſatis inſinuat Philo, perſuaſum habuiſſe ſe, nequaquam virum illum a morte exemptum. Joſeph (*ſ*) ſcribit tantùm: *Ille .... diſceſſit ad Deum; quo factum eſt, ut obitum ejus in faſtos non retulerint.* Profectò ſi evitaſſe mortem Henochum putaſſet, an forte de illo jejunè adeò egiſſet, nullâ additâ animadverſione?

Vulgò tamen Patres & Interpretes aſſerunt, in vivis illum adhuc agere, translatumque ad Deum, ſicut deinde Eliam, extra mundum; utroſque autem viros illos ſtatuendos in mundo ante extremam judicii diem, ut Antichriſto opponantur, atque aberrantes homines revocent ad ſaniora; Elias quidem Judæos; Henoch verò Gentes. Opinioni ſuæ fidem adſtruunt ex illo Apocalypſis XI, 3, 4, ubi legimus, Deum geminos teſtes excitaturum, qui ſacco induti prophetabunt 1260 diebus. Ita profectò narrationem ſuam digerit Moyſes, ut ſatis inſinuet, diſtinguere ſe translationem Henochi ab obitu cæterorum. Eximiam vitæ ejus ſanctitatem commendat illis verbis: *Ambulavit cum Deo* (*t*); addit deinde, ceu virtutis præmium viro datum: *Quia tulit eum Deus*.

Si

(n) *Rader. not. ad chronic. Alex. n.* 5, *ex fragment. chronici ex Palatinâ Biblioth.* (o) *Aug. de Civit. l.* 15, *c.* 17, *&* 18. *& Chryſoſt. Homil.* 21 *in Geneſ.* (p) Εὐηρέστησεν Ἐνὼχ τῷ Θεῷ, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, διότι μετατέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός. (q) *Lib. de fragilit. humanâ Sect.* XXII, *art.* 7. (r) 3, *Reg.* XIX 4. *Pſal.* XLVIII, 16. *Job* XXXII, 22. (ſ) *Joſeph. antiq. l.* 1, *c.* 4. ἀνεχώρησε πρὸς τὸ θεῖον, ὅθεν οὐδὲ τελευτὴν αὐτοῦ ἀναγεγράφασι. (t) *Vide Geneſ.* VI, 9. *&* XVII, 1. *&* 3 *Reg.* IX, 4, *&c.*

℣. 25. Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech.

℣. 26. Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, & genuit filios & filias.

℣. 27. Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, & mortuus est.

℣. 28. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium.

℣. 29. Vocavitque nomen ejus Noë, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.

℣. 30. Vixitque Lamech, postquam genuit Noë, quingentis nonaginta quinque annis, & genuit filios & filias.

℣. 31. Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni, & mortuus est. Noë verò cùm quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham & Japhet.

COMMENTARIUS.

Si quis profectò conferat verba Textûs 4 Reg. II, 16, 17, ubi de translatione Eliæ, affinia prorsus in relatione Moysis de Enoch observabit.

Plura hic congerit vir doctus qua de translatione Henoch, qua de Libro Apocrypho ejus nomine inscripto, & de testimonio a S. Judæ in suâ Epistolâ ex eodem Opere, uti vulgò creditur, derivato; sed cùm secundis curis hoc argumentum pleniùs excusserit in duplici Dissertatione, a nobis exhibitâ, ideò molestam crambem hic recoquere molestum profectò ducimus.

℣. 27. Facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni. S. Hieronymus *in qq. Hebr.*, & S. Augustinus *de Civ. l. 15, c. 12, & 13*, arduum quiddam hic observant, quod olim crucem fixerat Interpretibus Scripturæ; nimirum, juxta Septuaginta quædam Exemplaria, Mathusalam vitam prorogasse oportuit usque ad 14 annos post diluvium; alia verò consignabant obitum ipsius sex annis ante diluvium; discrepabant verò omnia illa exemplaria ab Hebræo, obitum ipsius consignante eodem diluvii anno: *Mathusala*, habent Septuaginta, *vixit 167 annis, & genuit Lamech; & post hæc vixit* 802 *annis*, vel juxta alia Exemplaria, 782, *& numerus annorum ipsius est 969 annorum*: Hebræus autem habet, vixisse illum ante genitum Lamechum 187 annis; & post hæc, 782 annis; ut tota summa constet ex 969 vitæ annis. Si ergo Lamech anno 167 Mathusalæ natus, ætatis suæ anno 182 Noë filium genuit, quo tempore Mathusala agebat 355 annos: certè cùm diluvium anno 600 Noë consignetur in Scripturâ, idest anno 955 Mathusalæ, fiet inde, ut diluvium illud 14 annis obitum viri hujus præcesserit.

Huic nodo resolvendo, mendum agnosci oportet in supputatione Septuaginta, ut Hebraica Chronologia præferenda sit. Mathusala 187 annis natus genuit Lamechum; post hæc, vitam prorogavit ad alios 782 annos, ut ætatem ageret 969 annorum; quæ sanè cæterorum hominum diuturnissima est. Lamech ejus filius, natus annos 182 genuit Noë; cujus ad annum 600 diluvium consignatur. Si quis conflet in unam summam annos 600 Noë, 182 Lamechi, & 187 Mathusalæ, reddet annum 969, emortualem Mathusalæ, & diluvio destinatum.

℣. 29. Iste consolabitur nos. Nomen Noë pronâ satis etymologiâ derivandum esset potiùs ex נוח *Nuach*, quiescere, quàm ex נחם *Nacham*, consolari. Septuaginta e priori radice repetentes, habent: Οὗτος διαναπαύσει ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἔργων ἡμῶν: *Ipse quiescere nos faciet a laboribus nostris*. Sed præter quàm quòd Hebræus זה ינחמנו e secundo fonte deducit, consonant in eam rem cum cæteris Versionibus Exemplaria omnia Latina Vulgatæ. Occurrunt interdum etymologiæ propriorum nominum Hebræorum, vix cum analogiâ Syntaxis conciliandæ; cujus rei causa referenda in elisionem literarum quarumdam, uti spectatur in nomine Abraham, quod ducitur ex *Abrab hammon*. Porrò nonnisi prophetico Spiritu Lamech (a) nomen indidit Noë, futuro nempe Patri Messiæ, Regis pacis, & venturi mortalium consolatoris. Consolatus est Noë parentes suos, oblatâ spe æquioris rerum statûs, & minùs corruptæ generationis, cujus ipse pater & origo destinabatur. Oraculi illius fidem ad literam implesse Noë putant Rabbini, *apud Perer.* invecto in mundum usu vomeris & animalium ad terræ culturam, unde nomen illi: *Noë vir agricola cap.* IX, 20.

℣. 31. Facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni. Anni 753 dantur illi a Septuaginta; & cùm genuit Noë, quo loco constituitur annos natus 182, habent 188; ac vitam prorogasse deinde scribunt non ad 595 annos, sed ad 565.

Noe vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, et Japhet. Ad id ætatis pervenisse Noë, antequam liberos gigneret, arduum profectò est ut credatur: reputari tamen posset, eos, quos antea genuerat, diem clausisse, vel fortè initis cum filiabus hominum connubiis, deteriores illarum mores secutos fuisse, spretis optimi Patris & monitis & minis. Verùm Noë nunquam permisit, ut nati post revelatum divinitùs

(a) *Epiphan. lib. 1 advers. Hæres. hæres.* 30.

nitus diluvium filii sive ipsum se desererent, sive prava fratrum suorum exempla sequerentur. His tamen nequidquam obstantibus, persuadetur pluribus, Patriarchas nonnullos diù liberis caruisse. Vide S. Augustinum *de Civit. l.* 15, *c.*20. Japhet major est natu inter tres filios Noë, utì satis Scriptura, *Genes.* x, 25. Cham junior est omnibus, *Genes.* ix, 24. Sem biennio post diluvium nonnisi 100 ætatis annos agebat; quare natum oportet anno 502 Noë; cùm Japhet anno 500 in lucem prodiisset.

CAPUT VI.

Connubia filiorum Dei cum filiabus hominum. Hominum latè patens corruptio Deum adigit ad decernendum eorum exitium per diluvium. Noë gratiam invenit in ejus oculis, jubeturque a Deo Arcam construere, in quam se cum aliquibus e singulis animalium generibus recipiat.

℣. 1. CUmque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent,

℣. 2. Videntes filii Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant.

COMMENTARIUS.

℣. 2. VIDENTES FILII DEI FILIAS HOMINUM, QUOD ESSENT PULCHRÆ, ACCEPERUNT SIBI UXORES EX OMNIBUS, QUAS ELEGERANT. Epilogus est eorum, quæ diù ante contigerant. Chaldæus, Symmachus, ὑιοὶ τῶν δυναστευόντων, Arabs, Oleaster, Abenezra, Salomon Jarchi, Vatablus, Fagius, Chastalio, Ludovicus de Dieu vertunt: *Filii Principum videntes filias hominum.* Aquila (*a*); *Filii Deorum*: Theodotion & Vulgata: *Filii Dei.* Exemplaria quædam Septuaginta olim: *Angeli videntes filias hominum*, Hebræum *Elohim* reddi potest, utì jam observavimus, Dii, Angeli, Principes, Optimates. Sermonem hìc esse de Angelis, quibus libera daretur agendi probè, vel secùs, facultas, putavit Lactantius *l.* 2, *c.* 14; quæ olim sententia apud Veteres obtinuit. Soriò docuit Josephus, *Antiq. l.* 1, *c.* 4, Angelos connubia cum mulieribus efflagitasse. Filiorum Dei nomine animas hìc designari censet Philo *de Gigant.* quæ scilicet animæ per aëra volitantes nulli addictæ corpori, sedes habere in hominum corporibus optarunt. Gemina observes in Origene *l.* 1 *cont. Cels.*

S. Justinus Martyr in utràque Apologià asserit, e monstruoso hoc concubitu prodiisse Dæmones. Reputavit Athenagoras, lapsum illum pravorum Angelorum ad conceptum impurum in mulieres amorem referri oportere; inde verò natos Gigantes. Nec alia sedisse videtur sententia S. Clementi Alexandrino *Strom. l.* 3, & 5, & *Pædag. l.* 2. Angelis hisce fœminas depereuntibus vindicat Tertullianus (*b*) inventionem Astrologiæ, gemmarum, metallorum, pigmentorumque, e quibus fœminæ fucatam quamdam speciem mendicant. Præceptorem illum suum sequitur S. Cyprianus (*c*); nec dissentiunt S. Ambrosius (*d*), aliique plures (*e*); ejusdemque opinionis fons est & origo Liber Henoch, cujus prolixa adhuc fragmenta supersunt, in compendium a nobis collecta in Dissertatione de Libro Henoch. Nec monstri loco habendum est, si opinio illa invaluit, quo tempore Angeli pravi probique instructi corpore, ac passionibus carnalibus obnoxii censebantur.

Sed posteriorum sæculorum Patres, re maturiùs discussà, intellexerunt, Angelos ab omni secretos corpore, amore in fœminas nullo tangi potuisse: nomine Filiorum Dei designari posteros Seth, genus hominum selectum; filias verò hominum appellari natas ex posteris Cain, quæ patrum suorum prava exempla sequutæ, noxià contagione & elegantis aspectûs illecebris filios Seth inescerunt pellexeruntque, ut secum connubia jungerent. Videsis S. Chysostomum *homil.* 22 *in Genes.* Theodoretum *in Genes. quæst.* 48; S. Cyrillum Alexandrinum, *adversùs Julian. l.* 9; S. Augustinum *de Civit. l.* 15, *c.* 23; Cassianum *Collat.* 8, *c.* 21; S. Eucherium, Rupertum &c.

Plato in suo Dialogo, inscripto *Cratylus*, arbitratur, Heroas e Diis fœminas depereuntibus prognatos, vel saltem e Deabus virorum amore captis; ex quo Græcum Ἔρως, Eros, nempe amor, natis illis nomen indidit. Accersunt Veteres Æneam e Venere & Anchise; Remum & Romulum e Marte & Rheâ Sylviâ, mortalis genere fœminâ. Verùm

(a) *Aqu.* οἱ ὑιοὶ τῶν θεῶν. *Septuag.* οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ. *Ita mss. Alex. Philo de gigantib. p.* 284. *Joseph. l.* 1 *antiq. c.* 4, & *quædam exemplaria apud Cyrill. caten. mss.* Vide *nov. edit. Hexaplorum.* (b) *Tertull. lib. de Idololat. c.* 9. & *de Cultu fœmin. l.* 11, *c.* 10. & *alibi.* (c) *Cyprian. de Discipl. & habitu Virg. & de singular. Cleric.* (d) *Ambros. lib. de Noë & Arcâ, c.* 4. & *lib.* 1 *c.* 80 *de Virginib.* (e) *Vide Joseph lib.* 1 *antiquit. c.*4. *Euseb. Præp. l.* 5, *c.* 4. *Sulp. Sever. hist. Eccl. l.* 1, *Method. olympi. ep. serm. de resur. Lactant. l.* 2 *inst. c.* 15.

Digitized by Google

℣. 3. Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt: Eruntque dies illius centum viginti annorum.

COMMENTARIUS.

rùm Paganorum error iſte, antiquitate licèt ſuâ venerabilis, ad fulciendum alterum errorem nihil habet authoritatis; ac pœna, quam ſoli homines luërunt ejus criminis acerbiſſimaiq, ſatis argumenti eſt, ut omnis in eos culpa regeratur.

℣. 3. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Hebræus (*f*): *Spiritus meus non contendet in ſæculum*. Nullâ ampliùs utar indulgentiâ, ſat me cum hominibus commiſi; exitium illorum ſtatui. S. Hieronymus legebat olim, ſicuti nos hodie, *lo jadon*, non judicabit ampliùs; nec tamen in Verſione ſuâ recedendum cenſuit a lectione Veteris Vulgatæ, & Septuaginta aſſormatæ: *Non permanebit* (*g*). Onkelos לא - יתקים reddit pariter: *Spiritus meus non permanebit ampliùs*, veluti ſi legiſſet לא ילון *lo jalon*, non dormitabit ampliùs.

Vertit Pagninus: *Non erit in vaginâ Spiritus meus &c.* Quam verſionem probant Cajetanus, Oleaſter, Grotius; deducunt autem ex נדן, *Neden*, vagina; & pro *jadon* legunt *iddon*. Confirmant autem interpretationem ſuam, quòd in Chaldæo (*h*) corpos appellatur *Neden*, animæ vagina: Veluti ſi Deus verbis hiſce inſinuaret, educturum ſe e corpore hominum animam, tanquam e vaginâ gladium.

Spiritus meus; i. e. anima & vita, quam illi largitus ſum. *Quia caro eſt*;. exterminabo illos, quòd in carnem penitus & corruptionem tranſierint; vel quòd vitam ſic inſtruunt, veluti ſi nihil eſſent præter carnem, nihilque ſibi elaborandum eſſet, quàm ut ipſi ſervirent. Aliter exponit S. Hieronymus *qq. Hebraic. in Geneſ. Non judicabit Spiritus meus homines in æternum, quia caro ſunt. Hoc eſt, quia fragilis eſt in eis conditio, non eos ad æternos ſervabo cruciatus; ſed hìc illis reſtituam quod merentur.* Illud, *in æternum*, eſt S. Doctori tempus diuturnum.

Eruntque dies vitæ illius centum viginti annorum. Poteſt id optimè exponi de conſtitutâ hominibus poſt diluvium vivendi periodo, uti viſum eſt interpretari Philoni *de Gigant.* Joſepho *Antiquit. l. 1, c. 4*, Lactantio *Divin. Inſtit. l. 2, c. 15*, aliiſque multis. Judæi Textûs, huius authoritate ducti, ſecula metiuntur periodo 120 annorum; quòd datum humanæ vitæ ſpatium intra eos terminos conſtituatur. Trebellius Pollio, & Aper apud Tacitum (*i*), eoſdem fines aſſignant mortalibus. Non ita tamen reputandum eſt, quaſi ſcilicet homines vitam ad id uſque ætatis prorogent; ſed nunquam eos terminos excedunt, quin & rari attingunt.

Sed pronior Textûs interpretatio traditur a S. Chryſoſtomo *hom. 22 in Geneſ.* S. Hieronymo *qq. Hebraic.* S. Auguſtino *de Civit. l. 15, c. 24*; & poſt illos vulgò ab Interpretibus; minitatur ſcilicet Deus, non aliud relicturum ſe hominibus vivendi ſpatium, quàm 120 annis, quibus evolutis, diluvio exterminarentur. Reponi utique potuiſſet, Deum verba illa feciſſe ad Noë ante centum annos a cœpto diluvio, non ante 120: habet enim Scripture, Deum verba ad ſanctum virum habuiſſe anno 500. ætatis ipſius; diluvium autem componit cum anno 600. Verùm obſervat S. Auguſtinus, rotundum numerum 500 annorum adnotaſſe Scripturam pro 520. Subductos ex hominum ætate 20 annos cenſet S. Hieronymus, ut pro indulto ad pœnitendum 120 annorum ſpatio, 100 deinde tantùm concederet. Qua poſitâ ſententiâ, ſtatuendum utique videtur, nonniſi poſt 20 annos a prænunciatâ futuri diluvii clade, & poſt annum 500 vitæ ſuæ Noë tres illos liberos genuiſſe, Japhet, Sem, & Cham. Sunt qui credant, totum hoc annorum ſpatium inſumpſiſſe Noë in conſtruendâ Arcâ (*k*); alii tamen malunt totum opus abſolutum 52, vel 78 annis (*l*).

Quicumque Textum exponunt, veluti ſi Deus minitaretur hominibus anguſtiores illis vivendi fines ſeſe poſiturum, fateri utique cogentur, ipſum nonniſi per gradus executionem decreti hujus urſiſſe; ut ad literam non impleretur niſi in hominibus, qui circa Moyſis ætatem vixere. Obſervat Uſſerius, poſt diluvium uſque ad turris Babelicæ ætatem, homines vitam egiſſe adhuc 400 & 500 annis diuturnam. Poſt turrim conſtructam uſque ad Abraham, adhuc 200 vel 300 annos explebant; poſt Abraham uſque ad Moyſem, ad 130 vel 140 annos vitæ plerumque termini conſtituebantur.

Moyſis ætate vitam plerumque agebant homines ad 120 annos vel circiter, quam ſanè ætatem attigit ipſe Moyſes, Aaron, Caleb, & Joſue. Suſpicaremur utique non inviti, ſacrum hunc Hiſtoricum adnotare hìc voluiſſe hominum ſui temporis ætatem, cum priori illâ Patriarcharum collatam, quò magis magiſque terribilis Creatoris ultio ſentiretur. Qua in re ſynceritatem utique hiſtoriæ ſervavit, cum equidem conſtet, ejus ætatis homines vitæ terminos habuiſſe ad 120 annos; quod tamen non obſtitit, quin deinceps dimidio circiter breviarentur. Quicunque Moyſi authori vindicant Pſalmum 90, cenſent, conſuetos hominum ejus ætatis vivendi terminos fuiſſe 70 vel 80 annos. Verùm non abs re Pſalmus ille ſcriptus crederetur ſub captivitate Babylonicâ. Vide noſtrum Commentarium. Genuinus tamen Textûs hujus ſenſus ille eſt, quem paulò ſuperiùs expoſuimus poſt S. Chryſoſtomum, S. Hieronymum, S. Auguſtinum, & optimos Interpretes; periodum ſcilicet hìc definiri annorum 120 uſque ad diluvium.

℣. 4.

(*f*) לא ידון רוחי באדם לעלם *Confer hunc locum Iſaiæ* LVII. 16 לא לעולם אריב ולא לנצח אקצוף כי רוח מלפני יעטוף ונשמות אני עשיתי

(*g*) *Septuag.* οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμά μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις εἰς τὸν αἰῶνα. *Sym.* οὐ κρινεῖ, *non judicabit. Vide Hieronym. quæſt. in Geneſ.* [h] *Daniel.* VII, 15. (i) *Trebell. in Claudio; & Aper apud Tacit. dialog. de orator.* [k] *Origen. S. Aug. S. Greg. &c.* (l) *Tanchuma.*

Digitized by Google

℣. 4. Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquàm enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt: isti sunt potentes a sæculo viri famosi.

℣. 5. Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum esset in terrâ, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore:

℣. 6. Pœnituit eum quòd hominem fecisset in terrâ. Et tactus dolore cordis intrinsecùs,

COMMENTARIUS.

℣. 4. GIGANTES AUTEM ERANT SUPER TERRAM IN DIEBUS ILLIS. POSTQUAM ENIM INGRESSI SUNT FILII DEI AD FILIAS HOMINUM. Insinuare hìc videtur Author Vulgatæ, Gigantes illos, primorum sæculorum terrorem, fructus extitisse conoubii inter filios Dei cum filiabus hominum. Suspicantur alii, Moysem non alio consilio agere hìc de Gigaotibus, e nefariis hisce connubiis natis, nisi ut causas diluvii assignaret. Effrænis in vitium licentia conoubia illa induxit; nata inde crimen & impietas. Spectare tunc licuit homines robustos, impotentes, truces, ad facious quodcumque audendum paratissimos. Gigantes immanes staturâ, vitâ diuturnos, robore eximios, non satis neque homines, nec legem, nec religionem reverentes, qui sibi ad vitia nihil fecerant reliqui. Hisce diluvium provocatum est.

Hebræus habet (*m*). *Gigantes fuerunt terrâ diebus ipsis: & etiam postquam filii Dei ingressi sunt ad filias hominum*; quasi scilicet insinuaretur, jam inde a Mundi exordio fuisse Gigantes, sed eorum numerum multò auctum post connubia posterorum Caini cum posteris Seth. In haoc sententiam interpretati sunt Septuaginta (*n*), Chaldæus & Interpretes cæteri, qua Veteres qua Recentiores. Vide S. August. *l. 15 de Civit. c. 23.*

Hebræum נפלים, *Nephilim*, quod hìc redditur Gigantes, γίγαντες, vertitur ab Aquilâ homines *irruentes*, ἐπιπίπτοντες; quæ sanè versio totam exprimit vim Hebraicæ vocis, designantis hostes inopinatò irrumpentes, atque impetum in alios facientes. Symmachus babet, Βίαιοι, *violenti*, qoi nempe corporis viribus temeritatem & impotentiam promovent, utì de Titanibus filiis Terræ arma ferentibus in Jovem legitur in fabulis. Centauri apud Poëtas filii sunt nubium, υἱοὶ νεφελῶν, *yioi nephelôn*, quod satis babet affinitatis cum Hebræo *Nephilim*. Vide Apollodor. Biblioth.

Veterum & Recentiorum nonnulli (*o*) reputarunt, nuspiam in mundo spectatos adeò immanes staturâ homines, quales nobis fingimus Gigantes. Esse proinde Scripturæ Gigantes homioes staturâ quidem cæteris, sed modicè tantùm, majores. Reliquis tamen præstitisse qua criminum, qua impotentiâ, qua scelerum immanitate, utì de Gigantibus apud Poëtas traditum est. Rejiciunt Scriptores isti historiolas de ossibus Gigantum e terrâ effossis, defendentes ipsissima esse hominum è vulgo ossa in majus aucta e lapideâ quadam materiâ; vel saltem belluarum quarumdam lypsana, aut tandem ossa fossilia, terræ vi plasticâ efformata. Sed horum commenta satis refutavimus in peculiari hac de re Dissertatione, ubi Gigantum veritatem asseruimus.

℣. 5. VIDENS AUTEM DEUS QUOD MULTA MALITIA HOMINUM ESSET IN TERRA. Pressiùs Hebræus (*p*); *Videns Deus quòd multa malitia hominis in terrâ, & omnis imaginatio cogitationum cordis ejus malum omni die.* Post Adæ lapsum permissus sibi homo, corruptæ naturæ pondere in malum rapiebatur: ne rueret in præceps, retinendus erat Dei omnia valentis manu. Insitam banc in vitia propensionem augebat pessima in malum habitudo in impiis antediluvianis; roborabant prava hominum exempla, quibus tantum invaluit nequitia, ut malum in naturam transmutaretur, & remediis omnibus fieret contumax. Unicum erat in re desperatâ consilium, si impiorum omne genus exterminaretur.

℣. 6. POENITUIT EUM, QUOD HOMINEM FECISSET IN TERRA. Syriacus: *Displicuit Domino, quòd fecisset hominem*. LXX: Ἐνεθυμήθη ὁ Θεός, *Recogitavit Deus*, veluti dolens se creasse hominem. Hebræus: וינחם יהוה, *pœnituit Dominum*, Symmachus: Ἀπεστρέψεν, *avertit*, scilicet, a cœpto consilio aversus est, veluti qui propositum suum deserit. Aquila: Μετεμελήθη ὁ Θεός, *Pœnituit*, Onkelos in eandem sententiam textum reddit. Arabs: *Abominatus est Deus creationem filiorum Adæ.* Quæ omnia satis exponunt insinuatam verbis illis Vulgatæ sententiam: *Pœnituit eum.* Deus quidem pœnitudine non tangitur, cùm malum agere nunquam possit, nunquam a susceptâ semel sententiâ recedere, ut meliorem eligat. Ita tamen aliquando se gerit in effectibus suis, veluti si illum re ipsâ pœniteret, ac tædio, & dolore ab aliquâ re afficeretur. Sæpiùs in Scripturâ id experiri in se Deus dicitur, quod intimâ S. Spiritûs operatione Justorum in corde sentitur. Ita de resipiscentiâ hominum gaudere Deus dicitur, dolere verò de crimine: quòd Justi & Sancti, eos cordis motus Spiritu intus operante, sentiunt.

ET TACTUS DOLORE CORDIS INTRINSECUS. LXX: Διενοήθη, *recogitavit*; Chaldæus: *Dixit Deus in verbo suo* (seu in se ipso) *ut contereret fortitudinem eorum, juxta voluntatem suam*, Hebræus ad

(m) הנפילים היו בארץ בימים ההם וגם אחרי כן אשר יבאו בני האלהים

(n) *Sept. ibid.* Οἱ δὲ γίγαντες ἦσαν ἐπὶ τῆς γῆς ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις. καὶ μετ' ἐκεῖνο, ὡς ἂν εἰσ.

(o) *Philo Judæus lib. de Gigantib. Joseph. antiq. l. 1, c. 4. Origen. apud Gennad. Const. ep. in Catena Gr. Euseb. præp. l. 5. c. 4. Amb. de Noë & Arcâ, c. 4. Chrysost. in Caten. Genes. Cyrill. Alex.* [illegible] *contra Julian. sub init. Damascen. in Caten. Genes. Gorop. Becanus de Gigantomach. Temporarius.*

(p) וירא יהוה כי רבה רעת האדם בארץ וכל יצר מחשבת לבו רק רע כל היום

℣. 7. Delebo, inquit, hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres cœli: pœnitet enim me fecisse eos.
℣. 8. Noë verò invênit gratiam coram Domino.
℣. 9. Hæ sunt generationes Noë: Noë vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis: cum Deo ambulavit.
℣. 10. Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Japheth.
℣. 11. Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate.
℣. 12. Cùmque vidisset Deus terram esse corruptam, (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram)
℣. 13. Dixit ad Noë: Finis universæ carnis vênit coram me: Repleta est terra iniquitate a facie eorum, & ego dispergam eos cum terrâ.

COMMENTARIUS.

ad literam יתעצב exprimit cordis in angustiâ positi sensum, atque dolorem.

℣. 7. Præcavens in futurum. Leguntur hæc in nonnullis Latinis Exemplaribus; nusquam tamen in Hebræo, Septuaginta, optimisque Latinis Vulgatæ Editionibus. Expuncta sunt autem e Bibliis post Editionem Sixti V, ann. 1590, & Clementis VIII, ann. 1592.

℣. 8. Noë vero invenit gratiam coram Domino. In medio latè grassantis corruptionis Noë sibi Deus reservavit; cujus viri meritum eò pluris repuiandum est, quòd vitiorum torrenti sese aggerem opposuit, & nihil moveretur impiorum & verbis & persuasionibus. *Quanti viri est invenire in publicâ perfidiâ fidelem?* ait Seneca.

℣. 9. Vir justus in generationibus suis. Syriacus & Arabs: *Justus in suo sæculo.* S. Hieronymus *in qq. Hebraic. Noë justus erat cum sui sæculi hominibus collatus. Cum Deo ambulavit.* LXX: Τῷ Θεῷ εὐηρέστησε, *Placuit Deo*, coram illo gratiam habuit. Symmachus: Τῷ Θεῷ ἐπηκολούθησε, *Secutus est Deum* (q).

℣. 12. Omnis caro corruperat viam suam. Nullum pristinæ œconomiæ, & justitiæ remanebat vestigium, omnia tenebant licentia, vitium, & corruptio. Sunt qui credant (r), Moysem insinuare hic voluisse tam hominum, quàm brutorum corruptionem: quando enim bruta corruptionem per se nullam admisissent, ex quo tamen corruptioni impiorum serviebant, criminis contagionem aliquam contraxerant. Lyranus, Tostatus, Pererius, Grotius, Oleaster ita Textum interpretantur, quasi scilicet homines datis a naturâ voluptatibus abuterentur, ut illicitis contra naturam omnibus servirent. Hunc locum parallelum censuit Chaldæus alteri *cap.* xxxvii, 9: *Semen fundebat in terram.* Septuaginta reddunt in masculino: *Corruperat* τὴν ὁδὸν αὐτοῦ *viam ipsius*; quo veluti insinuaretur, corrupisse homines viam Domini (f), jussionibus ejus violatis; seu potiùs viam singulos suam corrupisse. Spectarunt potiùs Septuaginta hominem, qui nomine illo *caro* designatur, quàm nominis genus.

℣. 13. Finis universæ carnis venit coram me. Exitium hominum & animalium decretum est apud me; hominum in criminum ultionem, brutorum, quòd criminosis peccandi instrumenta exhibuerint.

Refert Josephus (t), veteri & constanti traditione receptum teneri, posteros Seth ante diluvium ex Adamo didicisse futurum, ut mundus aquarum priùs inundatione, ignis deinde incendio exterminaretur: cùm autem facilè reputarent homines, post diluvium & incendia adhuc tamen generis semina quædam remansura, utì re ipsâ post diluvium Noë superfueront; opportunum censuisse, ut in posteritatis memoriâ perennarent inventa sua astronomica, quæ proinde geminis columnis inscripta tradiderunt; alteri nempe lapideæ, ut aquarum injuriis resisteret; alteri verò fictili, ut vim ignis eluderet. Utramque verò columnam constituerunt in *Syriadâ*, i. e. utì observar Vossius, in regione, quam Scriptura appellat *Sebirat*, juxta Galgalim, in agro Hiericuntis. Notat Scriptura (u), eo loci spectata incisa quædam in lapide seu e lapide expressa monimenta (x). Suâ adhuc ætate spectari columnam lapideam, a posteris Seth olim positam, asserit Josephus.

Sed plura sunt ardua in hac Josephi relatione. 1, Nihil certi asseri potest de morâ filiorum Seth in Palæstinâ. 2, Nihil etiam constat de usu scribendi ante diluvium invecto. 3, Potuit facilè Josepho imponere scriptus aliquis hieroglyphicis characteribus lapis in Sehirah, juxta Galgalim spectandus; isque facilè credidit vetustissimam esse inscriptionem, quamquam alioquin nonnisi post invecta hieroglyphica apud Ægyptios positam. Quod etiam multò facilius reputamus ex Manethonis testimonio (y), asserentis Mercurium II Regem Ægypti, cognomento Trismegistum, vertisse

(q) את האלים התהלך נח *Aq.* σὺν τῷ Θεῷ περιεπάτει. [r] *Lyran. ex Hebrais.* (f) *Amb. de Noë & Arcâ, c. 5.* (t) *Lib. 1. Antiq. c. 2.* ὑπὲρ δὲ τοῦ μὴ διαφυγεῖν τοὺς ἀνθρώπους τὰ εὑρημένα, μηδὲ πρὶν εἰς γνῶσιν ἐλθεῖν φθαρῆναι, προειρηκότος ἀφανισμὸν Ἀδάμου τῶν ὅλων ἔσεσθαι... στήλας δύο ποιησάμενοι, τὴν μὲν ἐκ πλίνθου, τὴν δὲ ἑτέραν ἐκ λίθων, ἀμφοτέραις ἐνέγραψαν τὰ εὑρημένα .... μένει δὲ ἄχρι τοῦ δεῦρο κατὰ γῆν τὴν Συριάδα, *vel* Σιριάδα. [u] *Judic.* III. 19. 26. (x) פסילים *Septuag.* Γλυπτά: *Vulgata, Idola.* (y) *Maneth. apud Euseb. & Syncell.*

seu potiùs tradidisse vulgaribus literis ea, quæ olim Mercurius, sive Thauthus, hieroglyphicis literis expresserat in columnis erectis in Syriadâ, *ἐν Συριαδικῇ γῇ*. Facilè persuaderemur, Josephum hoc Manethonis testimonium præ oculis habuisse; quæ, si vera sint, utique error Scriptori obrepsit, reputanti inscriptiones illas deberi filiis Seth antediluvianis. Mercurius enim hieroglyphicorum inventor, utique posterior est diluvio, cùm patrem habuerit *Menem*, primum Regem Ægypti, quem Marshamus confundendum censet cum Cham filio Noë.

Valesius in suis animadversionibus ad Ammianum Marcellinum (z) suspicatur, pro *Syriadice* legendum in Manethone *Syringice*. Conjecturæ autem suæ fidem adstruit ex Ammiano, scribente, Veteres futurum diluvium prævidentes, metuentesque, ne cæremoniarum memoria ulla restaret, subterraneus quosdam recessus, quos *Syringas* appellabant, ingentis operis excavasse; ibi verò in petris & cavernis exculpsisse animalium figuras, quas hieroglyphicas literas appellarant. Observat Pausanias (a), *Syringas* Thebis in Ægypto fuisse trans Nilum, proximè ad statuam Memnonis, quæ harmoniam quandam in exortu solis reddebat. Facilè tamen aliæ alibi hujus generis Syringæ spectabantur, uti ex Ammiano intelligimus. Profectò, si vera Author iste narrat de insculptis hisce literis ab hominibus metu diluvii, reputandum est, diluvium hìc alterum a Noëmico insinuari, sunt enim hieroglyphicæ literæ diluvio illo posteriores.

℣. 14. Fac tibi arcam de lignis lævigatis. Arcæ nomine hìc designatur arca quædam, seu navis, quam Deus construendam Noë commisit, maximæ arcæ figuram referens. Græcum Κιβωτὸς, Kibôtos, sicut & *Λάρναξ*, larnax, apud Josephum & Septuaginta, satis indicat arculam sive capsam.

De lignis lævigatis. Expolitis nempe & affabrè junctis. Hebræus: עצי גפר *lignorum Gopher*. Porrò Gopher nullibi, nisi hìc semel, occurrit in Bibliis Hebraicis; ex quo vera significatio difficilè exprimitur. Ambo Paraphrastæ Chaldæi, Abenezra, & Rabbini plures, sicut Interpres alius Græcus, de lignis cedrinis interpretantur; Syriacus de lignis flexu facilibus, viminibus, quibus viminei canistri formantur. E viminibus profectò cymbæ aliquando constructæ sunt, corio recenti tectæ, uti ex Herodoto (b) intelligimus, asserente, Armenos, qui superiora Assyriæ incolunt, plexas viminibus naves habuisse, taurino corio exteriùs tectas. Committunt cymbas illas Tigridi, & secundo amne vehuntur Babylonem. Ampliora formant eodem opere navigia, apta ferendo 5000 talentorum ponderi. Non abs re arbitraremur, Syrum Interpretem navigia illa Armenorum habuisse præ oculis, quòd scilicet intelligeret, Arcam in eâ regione constructam fuisse, in qua nonnisi similis operis navigia obtinerent. Strabo l. 16 de naphtâ agens, asserit liniri bitumine illo navigia virgarum plexu contexta. Porrò hæc sicuti utique facere poterant Syro Interpreti: nunquam tamen in animum induceremus, tantæ molis ædificium e vimine contextum fuisse.

Arabs, & facilè etiam Theodotion (c), reddunt *e ligno*. Interpres alius Græcus censet Hebræam vocem exprimere ligna incorruptibilia. Septuaginta *ligna quadrata* (d). Vossius notat, apud Theophrastum, in historiâ Plantarum, occurrere ligna *τετραγώνια*, quadrata. Idem Vossius abietem sive pinum in eum usum adhibitam opinatur; quòd arbores illæ plerumque æquo spatio quatuor e trunco ramos demittant. Bochartus *cupressum* maluit. Vox enim illa, sicut & Græcum *cuparissos*, affinitatis aliquid habet cum Hebræo *Gopher-hez*, ligna Gopher; nec sanè magis aptæ trabes tantæ molis navi construendæ in Assyriâ sive in Armeniâ, ubi Arcam fabricatam censemus, suppetunt, quàm cupressinæ. Refert Arrianus *in Alex. l.* 7, Alexandrum Magnum integram classem instruxisse e lignis cupressinis, ex Assyriâ deductis, quòd nullum tantæ rei magis aptum lignum in Babyloniâ haberet. Eadem repetit Strabo l. 16, addens, apud Arbelam in Assyriâ spectari cedrorum sylvam. Berosus (e), Abydenus, & Polyhistor asserunt, ex Assyriâ in Armeniam navi vectum contendisse *Sisutrum*, ut diluvium evitaret. Porrò *Sisutrus* cum Noë confundendus videtur.

Interpretes quidam nihil de genere ligni determinantes, censent in eum usum adhibita resinosa quædam & pinguia, uti pinum, abietem, terebinthum &c. Hebræum *Gophrit*, quod omnium maximè affine est voci *Gopher*, sulphur exprimit; quod facilè intelligi potest de resinâ, pice, & resinosis lignis. S. Hieronymus *qq. Hebr.* Hebræum interpretatur: *Ligna bituminata:* quod si verum sit, cur infra Scriptura bitumine liniendam fuisse Arcam interiùs exteriùsque exprimit?

Mansiunculas in Arca facies. Hebræus, קנים, *nidos* (f), nempe segregata quædam & distincta conclavia, variis generis animantibus continendis. Sunt qui credant, totidem fuisse conclavia, quot varii generis animantia; alii pauciora numerant. Trecenta stabula constituit Drexellius. P. Fournier 333; Author quæstionum in Genesim, 400.

Bitumine linies intrinsecus et extrinsecus. Hebræus ad literam: *Linies linimento intrinsecus &c.* Creditum est, juxta fidem Septuaginta (g), in eum usum adhibuisse Noë asphaltum seu bitumen; in quam sententiam Textum exponunt Syriacus, Chaldæus, & Interpretum plerique. Sed Aquila legit tantùm *Ἀλοιφώσεις ἀλοιφῇ*, *Linies linimento*; Arabs, *Linies pice*. Facilè linitum est navigium pice, seu naphtâ, aliis admixtâ bituminibus; non enim in eam rem purum putumque bitumen, ob graveolentiam odoris sui, aptum videtur; sicut etiam facilè ignem concipit, ac friatur (h).

℣. 15.

(z) *Ammian. l. 23: Sunt Syringes subterranei quidam & flexuosi secessus, quos, ut fertur, periti rituum vetustorum, adventare diluvium præscii, metuentesque ne cæremoniarum oblitteraretur memoria, penitùs operosis digestos fodinis per loca diversa struxerunt, & excisis parietibus, volucrum ferarumque genera multa sculpserunt, & animalium species innumeras, quas Hieroglyphicas literas appellarunt.*

(a) *Pausan. lib. 1, p. 78. apud Thebas trans Nilum, non procul a sonante Memnonis statuâ, locum τὰς Σύριγγας appellant. Vide Huët. Demonstr. Evangelic.* (b) *Herodot. l. 1, p. 128, Edit. Gryph. Vide etiam Jul. Cæs. de Bello Gallico.* (c) *Quidam ἐκ ξύλων π.ξίνου, fortè Theodoc.*

(d) ἐκ ξύλων τετραγώνων. *Alius*, ἐκ ξύλων ἀσήπτων. *Alius*, ἐκ ξύλων κεδρίνων. *Vide novam edit. Hexapl.* (e) *Apud Euseb. Præp. l. ix. c. 4.* (f) *Septuag.* νοσσιὰς ποιήσεις τὴν κιβωτόν. *Sym.* Καλιὰς ποιήσεις (g) כפרת אתה מבית ומחוץ בכפר *Septuag.* Ἀσφαλτώσεις αὐτὴν... τῇ ἀσφάλτῳ.

(h) Le Pelletier, Dissertation de l' Arche de Noé, cap. 22.

℣. 14. Fac tibi Arcam de lignis lævigatis: mansiunculas in Arca facies, & bitumine linies intrinsecùs & extrinsecùs.

℣. 15. Et sic facies eam: Trecentorum cubitorum erit longitudo Arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius.

COMMENTARIUS.

℣. 15. Trecentorum cubitorum erit longitudo Arcæ. Judæorum cubiti æquabant tunc, asserente Josepho, 24 digitos vel 6 spithamas Orientalium. Observant Talmudistæ, Hebræorum cubitum quadrante majorem fuisse Romano. Sed Maimonides recentiorem alterum cubitum notat, 20 digitis non majorem.

Asserit Origenes (*i*) e veteri traditione, Noëmicum illum cubitum geometricum fuisse 6 vulgaribus æqualem. Origenis sententiam non probat tantùm S. Augustinus (*k*), sed & de ridiculo traducit illos, quibus monstri loco habebatur navigii illius enormitas, quæ amplissimas urbes superasset. Sed dimensiones illas vulgò omnes rejiciunt, nihil motati sive authoritatem sive meritum tantorum virorum, quibus probantur. Ad Origenem quod attinet, vix sibi persuadentur Viri doctissimi, hanc illi fuisse sententiam, quam viro appingit ejus Interpres in homiliâ 2 in Genesim. S. Augustinus putavit, singula e tribus Arcæ solariis porrecta fuisse in longum 300 cubitis, 50 in latum, & 30 in altum; ex quo tota hujus ædificii area complexa fuisset 1350000 cubitorum; & si pro singulis cubitis 6 vulgares assignentur, multò erit immanior moles.

Berosus Chaldæus, apud Eusebium Scaligeri laudatus, Arcæ assignat 50 stadia longitudinis, 2 latitudinis, sive, juxta Jacobum Capellium, 6 longitudinis, & unicum latitudinis; quare cùm stadium referat 400 cubitos, Arcæ longitudo porrigeretur cubitis 2400, & latitudo 400.

Ludovicus Capellius *Hist. Sacr. p.* 30, cubitorum tria genera distinguit apud Hebræos: amplissimus tres pedes reddebat; succedens alter pedem & semis; tertius tandem minimus 15 digitos; ut maximus cubitus duplo vulgarem excederet, utì siclus sacer duplum valebat. Duo hæc cubitorum genera e Sacrâ Scripturâ demonstranda assumit. *Num.* XXXV, 4, Moyses assignat Levitis spatium agri circa Urbem 1000 cubitorum (*sacrorum*); subsequenti deinde versiculo illis assignat ex agro illo 2000 cubitos (*communes*). Ita pariter 3 Reg. VII, 15 altitudo duarum potissimarum columnarum Templi Salomonis est 18 cubitorum (*sacrorum*); & 2 Par. III, 15 est 35 cubitorum (*communium*); quod duplum reddit prioris mensuræ, uno adjecto cubito pro basi columnæ. Sunt autem in Arcæ dimensione, juxta Capellium, assignati cubiti sacri, trium pedum longitudinis.

E nostris Interpretibus plures persuasum quidem habent cum Capellio, duo cubitorum genera familiaria semper fuisse Hebræis; sed mensurarum discrimen aliud invehunt. Cubito sacro & majori assignant, supra vulgarem, palmi incrementum; utì satis exprimitur in Ezechiele XL, 5, & XLIII, 13: *Ista mensura Altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum & palmum*. Vulgaris cubitus exprimitur, juxta illos, Deut. III, 11: *Ad mensuram cubiti virilis manûs*. Nunquam tamen persuademur, in universo veteri Testamento alium insinuati cubitum ante captivitatem, nisi unicum & communem; nec nisi post captivitatem invectum illud in mensuris & ponderibus apud Hebræos discrimen reputamus.

1 Moyses semper de cubito sine discrimine agit; & cùm verba faceret ad populum, mensuris, & supputationibus in Ægypto familiaribus assuetum, Ægyptium cubitum designari ab illo non inviti concedimus.

2 Ezechiel, qui scribebat in regione Babylonicæ ditionis, quique in spiritu raptus Jerosolymæ ad dimetiendum Templum versabatur, optimum factu censuit, si genus mensuræ, qua utebatur, distingueret; adhibebat enim cubitum, Babylonico palmi, seu 4 digitorum mensurâ majorem. Refert Herodotus *l.* 1, *c.* 78, obtinuisse apud Babylonios duo cubitorum genera; Regium verò vulgarem superasse tribus digitis; hunc autem Regium cubitum facilè adhibuit Ezechiel.

Refert pariter Herodotus *l.* 2, *c.* 128, Ægyptium cubitum æquasse alterum in Insulâ Samo familiarem, nempe Græcum, 24 digitorum. Joannes Graves, Astronomiæ in Universitate Oxoniensi Professor, cùm Ægyptum excurreret, ad Typum publicum Cairi justam dimensionem Derae Ægyptii (qui ipsissimus est cubitus veteris Mempheos) expressit. Porrò mensura ista ad nostras redacta, curâ D. Le Pelletier Rothomagensis in Dissertatione de Arcâ Noë *c.* 1, *p.* 5. Rothomagi 1701, habebat in longitudine 20 digitos & $\frac{44}{89}$ nempe 20 digitos & semis ad mensuram pedis Parisiensis; ut proinde, juxta ejus supputationem, Arca exteriùs porrigeretur ad 512 pedes & $\frac{32}{89}$ longitudinis, ac 85 pedes & $\frac{35}{89}$ latitudinis, tum 51 pedes cum $\frac{21}{89}$ altitudinis, mensuræ Parisiensis; area verò tota esset 357600 cubitorum cubicorum Hebraicorum.

Quò verò ad sensum reputemus vastissimæ hujus molis amplitudinem, comparare illam oportet cum vasto aliquo Templo, omnibus notissimo, utì S. Petri Romæ, cujus est longitudo 555 pedum mensuræ Parisiensis.

Ponit D. Le Pelletier Arcæ figuram retulisse parallelipedum rectangulum, cujus altitudo distribueretur in quatuor solaria: quorum primo assignat tres cubitos & semis; secundo septem; terno octo; postremo verò 6, & semis: quod superest mensuræ usque ad 30, nempè 5 cubitos altitudinis, occupandum relinquit ab imi fundi, tecti, & solariorum crassitudine.

Primum hujus ædificii solarium loco erat carinæ

(i) *Nos quæ a prudentibus viris, & Hebraicarum traditionum gnaris, atque veteribus Magistris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus .... apud Geometras in sex cubitos unus deputatur &c. Homil.* 2, *in Genes. vide & lib.* 4 *contra Celsum*. (k) *Aug. de Civit. Dei lib.* XV, *c.* 27. *& Quæst. in Genes. lib.* 1, *c.* 4.

℣. 16. Fenestram in Arcâ facies, & in cubito consummabis summitatem ejus. Ostium autem Arcæ pones ex latere: deorsùm cœnacula, & tristega facies in eâ.

COMMENTARIUS.

rinæ; secundum horreis, & annonæ destinatum; in tertio stabula distributa; quartum volatilibus traditum. Sed cùm carina nemini in sedem assignari posset, nec nisi fortè potabilium aquarum esset receptaculum, nonnisi tria solaria distinguit Scriptura; & quatuor assignant Interpretes, quòd in eum censum carinam pariter referant.

Porrò D. Le Pelletier nonnisi 36 stabula assignat terrestribus animalibus, & totidem caveas volucribus continendis; qua in re ab opinione Interpretum quorumdam recedit, totidem distincta loca assignantium, quot erant generum animantia.

Januam collocat non secundùm longitudinem, sed in extremâ alterutrâ Arcæ orâ, ratus nimirum, totam ædificii symmetriam, & æquilibrium id poscere, ne ad latera constitueretur.

Singula solaria habebant facilè 15 cubitos, & $\frac{4}{9}$ in longitudine, 17 in latitudine, & 8 in altitudine; ut proinde excederent 25 pedes & semis in longitudine, 29 in latitudine, 13 & semis mensuræ nostræ in altitudine. Caveæ 36 numero, ejusdem erant amplitudinis.

Quò autem æquo pondere contineretur Arca, hac Noë cautione uti potuit, ut positas priùs in medio caveas, & stabula repleret amplioribus animalibus & avibus.

Idem Author, exactissimâ supputatione demonstrat, aquarum in sentinâ contineri potuisse ultra 31174 dolia Parisiensia; quod satis superque est sufficiendis aquis integro anno turbæ hominum atque animantium quadruplo majori, quàm quæ in Arcâ contineretur. Ita pariter demonstrat, annonæ in horreis plus contineri, quàm quòd opus esset.

In tertio Arcæ solario Noë facilè distribuit 36 cellulas domesticis utensilibus, colonicis instrumentis, pannis, tritico, & seminibus continendis aptas. Commodus ibi pariter locus ad culinam, aulam, conclavia quatuor, & ad deambulacrum spatio 48 cubitorum longitudinis.

Sunt qui crediderint, nihil opus fuisse, ut aquæ potabiles compararentur; salsas enim maris aquas aliæ e cælo dilapsæ potabiles ita corrigebant, ut e fenestrâ Arcæ haustæ animalium saltem extinguendæ siti servirent. Sed frustra hæc reputaremus, cùm major sit maritimarum aquarum vis & affluentia ad inundandam terram, quàm ex imbre dilapso. Experientiâ autem compertum est, tertiam aquæ salsæ partem cum duplo majori potabili aquâ admixtam minùs semper corrigi, quàm ut ad potum sufficiat. Ad hæc, Arca innatare aquis cessavit jam inde a die 27 septimi mensis, hæsitque in sicco supra montes Armeniæ, spatio fermè septem mensium; tunc autem nullæ planè aquæ exteriùs comparari poterant.

Joannes Buteo Anglus, qui dimensiones Arcæ sedulò expendit, animadvertit, animalium, quibus in Arcam datus est aditus, numerum minorem esse, quàm qui vulgò creditur. Animalium quadrupedum genera tantùm 130 circiter nota sunt nobis; volucrum 130; reptilium, ut maximum, 30. Inter hæc verò nonnisi sex genera animantium mole equum superant; rara æquant; plurima superantur, quin & inferiora sunt ove. Quadrupedia proinde omnia animantia, positis etiam 3650 ovibus, quot satis erant animalibus carnivoris alendis, tantum fermè spatium occupabant, ac 120 boves, ac 3730 oves, & 80 lupi.

Ex avibus raræ superant cycnum, fermè omnes superantur.

Ad reptilia quod attinet, pleraque vitam tolerant diutiùs in aquis. Angues & reptilia venenosa constitui optimè poterant in carinâ Arcæ.

Ad annonam animantibus omnibus necessariam suus est facilè locus in Arcâ assignatus; sive herbis, fructibus, & oleribus, uti facilè credimus (*l*), sive carnibus, quæ carnivora erant, victitarent. His enim positis, oves animalibus carnivoris alendis devotæ, cùm numero in dies decrescerent, minorem exigebant annonæ portionem, ut proinde tantum illis fœni comparari satis haberetur, quantum sufficeret alendis toto anno in Arcâ 1820 ovibus.

Buteo, qui hæc omnia singillatim excurrit, constituit pariter, septem ovibus tantum sufficere herbarum ad annuum alimentum, quantum bos unus æquo temporis spatio voraret; quare oves illæ 1820 tantum absumerent annonæ, quantum 271 boves; qui juncti cum prioribus 120 bubus, qui pro cæteris quibuscumque animalibus fœno victitantibus intelliguntur, conficient summam circiter 391 boum; sed numeri rotundi gratiâ 400 concedamus.

Bovi, juxta Columellam, sufficit 30, vel 40 librarum fœni diurnum alimentum. Pes cubicus fœni compressi, ut in fœnilibus, 40 librarum est pondo. Quadringenti itaque boves 400 pedes cubicos fœni in diem absumunt; & proinde 146000 libras fœni, totidem quadratos pedes occupantes, in annos singulos poscunt. Erat autem medii Arcæ solarii area 150000 cubitorum, amplior profectò, quàm ut fœno illo continendo exigeretur; multumque relinquebat spatium pro commeatibus atque libero aëre animalibus illis relinquendo. Fusius singula deducta legas apud Authores laudatos de hoc argumento tractantes.

Universa Arcæ hujus area referebat 450000 cubitorum, 18 digitorum, vel 675000 pedum; in longum excurrebat 450 pedes; in latum 75, in altum 45.

℣. 16. Fenastram in Arca facias. In parte superiori atque in summo Arcæ solario statim sub tecto fenestram istam patuisse oportet. Cùm autem demittendo in Arcam aëri ea fenestra destinaretur, ideò tantum spatii in longum occupasse creditur, quanta erat Arcæ longitudo; vel fortè circum universam Arcam regnabat, unum habens in altitudine cubitum. Censent Buteo, crassiori quodam vitreo speculo, seu pluribus simul conjunctis, obductam fuisse; chrystallo alii maluerunt; sed vitrum, & chrystallus recentiora sunt inventa. Alii pellucidum lapidem in eum usum sufficiunt, ut lapidem specularem. Rabbinorum nonnulli

(l) *Vide Gen. 1, ℣. 4.*

Digitized by Google

℣. 17. Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum: & universa, quæ in terrâ sunt, consumentur.

℣. 18. Ponamque fœdus meum tecum: & ingrediêris Arcam tu, & filii tui, uxor tua, & uxores filiorum tuorum tecum.

COMMENTARIUS.

nulli seriò affirmant, positam in Arcâ fulgentissimam quamdam gemmam, quæ vicariam Solis operam præstaret. Symmachus reddit Hebræum (m): Διαφανὲς ποιήσεις: *Facies rem pellucidam. Aq.* Μεσημβρινὸν ποιήσεις τῇ κιβωτῷ: *Meridianum facies in Arcâ* (n).

In cubito consummabis summitatem ejus. Verba hæc quidam referunt ad fenestram; alii verò ad summum culmen Arcæ per totam sui longitudinem, ut non absimilem referret ab feretro imaginem (o); alii tectum Arcæ comparant cœlo, quod vocant, curtûs. Ita Salianus, in Annal. Epitome. Ad Pyramidis figuram Arcam illam refert Origenes (p), cujus basis mensura esset 300 cubitorum in longitudine, 50 in latitudine, & 30 in altitudine; ut proinde culmen in conum desinens, cubitum æquaret in quadro. Aliter exponit verba illa Menochius, *In cubito consummabis summitatem ejus*, i. e. in omnibus Arcæ dimensionibus eamdem semper mensuram servabis. Hebraicus Textus satis demonstrat, pronomen *ejus* ad Arcam, non ad fenestram referri, nec incongruè ita reddi posset: Fenestram in Arcâ facies, totamque claudes Arcam usque ad cubitum prope summitatem.

Ostium arcæ pones ex latere. Locus iste exponi potest de ostio sive ad unum e duobus longitudinis lateribus posito, sive ad alterutram ejusdem Arcæ oram. Ita verò constitui potest janua, ut primo, & secundo Arcæ solario respondeat. Magnoperè inclinamus in eam sententiam, quæ collocat fores ad unam Arcæ oram extremam, in medio latitudinis & altitudinis, quò scilicet commodius esset animalibus in destinata sibi conclavia secedere. Ponte autem imposito ad januam illam ascendebant, si nostra ista hypothesis admittatur.

Deorsum coenacula, et tristega facies in ea. Insinuare videtur Moyses, solaria hæc statim infra tectum, de quo supra, posita fuisse. Jungunt alii adverbium *deorsum* præcedentibus, ut sit sensus: *Ostium Arcæ pones ex latere deorsum,* [*seu in inferioribus*] *& construes secundum & tertium solarium supra.* Septuaginta reddunt: *Facies eam* κατάγαια, διώροφα καὶ τριώροφα, *inferiora, bicamerata, tricamerata.* Hebræus ad literam (q): *Facies ad inferiora, secunda, & tertia*; i. e. distribues tria solaria.

Hieronymus Symmachi (r) fidem hîc & alibi non raro secutus est. Facies ibi secundum & tertium solarium. In Vulgatâ, cœnacula posita sunt pro secundo solario. In medio latitudinis singulorum solariorum statuenda est ambulatio, ad utramque extremam ædificii oram porrecta, cum scalis ad ascendendum descendendumque ex uno in alterum solarium. Josephus *Antiq. l.* 1, *c.* 3, & Philo *de Vitâ Mosis l.* 2, quatuor solaria numerant; cum quibus etiam alii plures Interpretes conveniunt, loco solarii habentes imum fundum navis, in quo onera continendæ firmandæque eidem navi constituuntur: sed hæc in navigiis velis malisque instructis necessaria, continendæ Arcæ, his omnibus destitutæ, superflua utique haberentur. Aquæ receptaculum ibi constituit D. Le Pelletier.

℣. 17. Universa, quæ in terra sunt, consumentur. Homines & animalia omnia terrestria Deus exterminavit. Excepit pisces, plantas, & paucos homines ac animalia, quæ in Arcam recepta sunt.

℣. 18. Ponamque foedus meum tecum. In Veteri Testamento quatuor solemni ritu sancita inter Deum & homines fœdera leguntur. Primum initum est cum Adamo, genus omne hominum referente (s), in quo Deus fidem suam oppigneravit, daturum se illi cæterisque posteris æternam felicitatem, siquidem maneret in fide, atque a cujusdam fructûs cibo abstineret. Alterum hîc habemus; cujus executio dilata est post diluvium (t), quo Deus incolumem se conservaturum Noë ejusque familiam a diluvii aquis, nec terram diluvio in posterum inundaturum se pollicetur; fidei suæ pignus exhibens in Cœlo Iridem. Tertium fœdus initum est cum Abrahamo (u), impositâ illi circumcisione; spem illi faciente Deo florentissimæ posteritatis, quam se in populum sibi electum & peculiarem habiturum sanctè protestatur. Quartum tandem, Moyse intermedio (x), junxit Deus cum Israëlitis, dictâ illis in deserto Sinai Lege. Alia, quæ in Scripturâ occurrunt, fœdera in quibusdam rerum articulis, nonnisi solemnia hæc confirmabant, atque innovabant. Hæc autem omnia symbolum erant & typus insignis illius fœderis, a Filio Dei cum hominum naturâ ineundi, quo sibi Verbum illud Patris condignam pro injuriis hominum satisfactionem Patri exhibendam assumpsit.

Ingrederis Arcam tu, et filii tui, et uxor tua, et uxores filiorum tuorum. Sunt qui nomina singula uxorum & filiorum Noë deducant; quibus tamen nihil deferendum arbitramur. Uxorem Noë appellant *Noëmam*; Saida nuncupat *Haculam*, quam filiam statuit Namusæ filiæ Henoch. Uxor Sem est *Talitha*; Cham *Nachlata*; Japhet *Alisisa*, filiæ omnes Mathusalem. Ex Mahometanis nonnulli numerum hominum in Arcâ a communi interitu servatorum prorogant ad 78, & ultra adhuc usque ad 80. Sed Moysis & S. Petri (y) testimonio compertum est, octo tantùm homi-

(m) צהר תעשה לתבך [n] LXX ἐπισυνάγων ποιήσεις τὴν κιβωτόν. (o) *Torniel. Annal. & Buteo; Cubitus iste sit altitudo mediana culminis per totam longitudinem.* (p) *Origen. homil.* 2 *in Genes. & l.* IV *contra Cels. Vide nov. edit. Hexapl. p.* 24; *& Clem. Alex. l.* VI *Strom. c.* 4.
(q) תחתים שנים ושלשים תעשה. (r) Κατὰ [*fortè*, κατὼ, *infra*] δίστεγα καὶ τρίστεγα.
(s) *Genes.* II, 16, 17. (t) *Genes.* VII, 18. *& Genes.* VIII, 21, 22. *&* IX, 9. (u) *Genes.* XV.
(x) *Exod.* XIX. (y) I *Petr.* III, 20. *In qua pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.*

Digitized by Google

℣. 19. Et ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in Arcam, ut vivant tecum, masculini sexûs & fœminini.

℣. 20. De volucribus juxta genus suum, & de jumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundùm genus suum: bina de omnibus ingredientur tecum, ut possint vivere.

℣. 21. Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt, & comportabis apud te: & erunt tam tibi quàm illis in cibum.

℣. 22. Fecit igitur Noë omnia, quæ præceperat illi Deus.

COMMENTARIUS.

homines in Arcam receptos. Eodem Apostolo referente discimus (z), Noë diu & frustrà hominibus in crimine obfirmatis pœnitentiam annuntiasse. Persuasum habent ex Rabbinis nonnulli, Og Regem Basan a communi interitu evasisse, Arcæ tecto conscenso. De se pariter Sybilla testatur, se in Arcâ cum cæteris servatam fuisse. Fabulæ!

℣. 19. Bina induces in Arcam. Hic Deus generatim innuit, propositum habere se servandi e singulis animalium generibus marem & fœmellam, consilium suum exactiùs explicandum ad aliud tempus reservans. Vide cap. VII, 2.

℣. 20. Ingredientur tecum, ut possint vivere. Hebræus ad literam (a): *Ingredientur ad te, ad vivendum.* Ad te venient animalia, ut in Arcam admittantur; venisse autem censemus instinctu non absimili, quàm quo inspirante naturâ hirundines, coturnices, ciconiæ & alia multa ex animantibus latebras sibi quæritant in paludibus, seu benignam Cœli temperiem hyeme procurant, aliò transmigrantes. Plerique Angelorum ministerium vel prodigium aliquod statuunt, deducendis in Arcam animalibus. Unicuique integrum est rationem rei faciendæ, quam opportunam censet, constituere, dummodo factum teneat.

CAPUT VII.

Noë cum familiâ suâ in Arcâ. Introducit animalia, quæ conservare Deus statuit. Inundantes diluvii aquæ terram, homines & animalia extra Arcam inventa demergunt.

℣. 1. Dixitque Dominus ad eum: Ingredere tu, & omnis domus tua, in Arcam: te enim vidi justum coram me in generatione hac.

℣. 2. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena, & septena, masculum, & fœminam: de animantibus verò immundis duo & duo, masculum, & fœminam.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Ingredere in Arcam; i. e. Para te, ut in Arcam ingrediaris; non enim reipsâ ingressos est, nisi vertente hebdomadâ. Vide ℣. 4. Hæc locutus est Deus ad Noë die 10 mensis secundi, anno 600 Noë, Mundi 1656.

℣. 2. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, de immundis vero duo, et duo. Hebræus ad literam habet tantùm (b): *Ex omni jumento mundo capies tibi septena septena, virum & uxorem ejus, & ex jumento, quod non mundum est, bina, virum & uxorem ejus.* Samaritanus, Septuaginta (c), & Vulgata habent *duo & duo*, cùm in Hebræo semel sit *duo*. Qua in re varietas est non levis; e posterioribus enim Textibus insinuatum videtur, introducta in Arcam duo animalium immundorum paria, & septem item mundorum; cùm Hebræus insinuet tantùm introducta gemina animantia immunda, & septem munda; vel ex animantibus mundis admissa septena ex unoquoque genere; ex immundis verò bina, quod in

(z) *Ibid. Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam, &c.* (a) מכל יבאו אליך להחיות

(b) תקח לך שבעה שבעה איש ואשתו ומן הבהמה אשר לא טהורה הוא שנים איש ואשתו

(c) *Septuag.* εἰσάγαγε πρὸς σε ἑπτὰ ἑπτὰ ἄρσεν, καὶ θῆλυ. ἀπὸ δὲ τῶν κτηνῶν.... δύο δύο ἄρσεν καὶ θῆλυ.

℣. 3. Sed & de volatilibus cœli septena & septena, masculum & fœminam; ut salvetur semen super faciem universæ terræ.

COMMENTARIUS.

in idem recidit. Ita cùm Jesus Christus, *Marc.* vi, 39, præcipit Discipulis, ut accumbere jubeant turbas secundùm contubernia; & turbæ illæ *discubuerunt in partes per centenos & quinquagenos*; significatum est illis verbis, distributos illos seorsim per cœtus, & accubuisse variis ordinibus distributos, non turmatim, seu ordinibus simul pluribus confusis. Et in eodem Evangelistâ vi, 7, Jesus mittit suos *binos, & binos*, nempe non quatuor simul, sed binos tantùm.

Quæ septem animalia munda & duo immunda in Arcam introducit, sententia, assertorem habet Josephum (*d*), ex Patribus plerosque, & ex Interpretibus ferè omnes. Putarunt illi, numerum 14 mundorum animantium, & quatuor immundorum majorem esse quàm ut in Arcâ contineretur; sicut & minùs necessarium ad genus conservandum; quod unicum erat Dei in hac re consilium. Qui ex geometriæ regulis dimensi sunt aream Arcæ, ejusque amplitudinem, demonstrarunique commodam ibi sedem habere potuisse omnium generum animantia, cum annonâ ad vitam per annum tolerandam; illi plerumque nonnisi septem animalia munda & duo immunda constituerunt.

Opinio planè contraria probatur Origeni *l.* 4 *cont. Cels.* sed ille, uti supra animadvertimus, vastæ adeò molis Arcæ ædificium reputabat, ut non duplo tantùm animalium, at sex etiam vicibus auctiorem numerum, quàm a nobis constituitur, continere posset. In ejus sententiam concesserunt Author quæstionum ad Orthodoxos, quæst. 43, Dionysius Carthusianus, Oleaster, Abenezra, aliique fortè nonnulli.

Sed in varias committit sententias Interpretes illud Moysis de mundis inmundisque animantibus. Spectatum hîc a Moyse censent nonnulli discrimen sub Lege tandem introducendum (*e*); ejusque dictum ita explicari oportere, quasi scilicet Deus mandasset Noë, ut reciperet in Arcam septem ex animantibus illis, quæ deinde pura sub Lege reputata sunt. Insinuatur ex his, Deum jam inde ante diluvium ad Leges spectasse, suo dein tempore Israëlitis ponendas.

Persuasum habent tamen Interpretes plerique, jam inde ante diluvium certum fuisse discrimen animalium, quæ apta censerentur ad sacrificia, ab ineptis; nec abs re pariter reputaremus, post concessum a Deo carnium esum, puta habita fuisse non ea tantùm, quæ in sacrificium offerrentur, sed ea pariter, quorum erat in cibum usus permissus; quò scilicet illa distinguerentur ab aliis, nec sacrificio nec cibo aptis. Quod quidem discrimen invectum arbitramur non a Religione, sed ab horrore quodam naturali erga certi cujusdam generis animalia, majorique aliorum præ aliis æstimatione atque utilitate. Discretio illa appendix erat quædam legis naturalis, seu insitæ cujusdam hominibus propensionis, qua inclinamur in eos, qui nostris seu voluptatibus seu servitiis addicti sunt; retrahimur verò ab immundis quibusque & ingratis. Factum inde, uti observat Grotius, ut Tacitus *Hist.* 4 prophana appellet animalia quædam, gustui ingrata & lurida.

Censent alii, Deum primis hominum parentibus inspirasse, & fortè etiam vivâ voce illos docuisse, quæ sibi animalium genera in sacrificium offerenda essent. Hîc enim agit Deus cum Noë, quasi cum viro hujus discriminis probè instructo. Judæorum Legislator veluti certum ponit, Noë eadem ac Israëlitas eâ in re sensisse, cùm nullâ appositâ explicatione referat, introduxisse Noë in Arcam septem animalia munda; quod sanè dictum nullo alio sensu accepissent Israëlitæ, quàm de animalibus puris, juxta Legis sanctionem. Certum pariter tenetur, Librum Genesis scripsisse Moysem post rogatam jam Legem; non enim infrequentia hujus rei indicia apparent in eodem Libro. Non diffitemur quidem, obtinuisse pariter apud alias gentes, non secus ac apud Israëlitas, discrimen quoddam inter animalia, quorum erat in dapibus & sacrificiis usus permissus. Apud Ægyptios sua erant animalia saltem ad usum sacrificiorum destinata, etiam antequam quidquam eâ de re a Moyse decerneretur; uti constat ex Textu Exodi viii, 26. Nihil tamen erat, quoad hoc, affine Ægyptios aliasque gentes inter ac Israëlitas; alia enim erant animalium genera ad usum apud Gentes destinata; alia pariter erat destinandi illa abjiciendique cætera ratio. Sed in eo sententiarum discrimine una semper constat vetustæ ejus cæremoniæ traditio; vetustæ, inquam, & diluvii ætate non inferioris.

In Levitico quinque animalium genera ad Sacrificium destinantur; sed eorum in cibum permissus amplior erat numerus. Ad sacrificium apta censebantur Taurus, aries, hircus, columba, & omnium generum hirundines. An ex ipsâ ætate Noë certus animalium sacrificiis offerendorum numerus ad quinque illa determinatus esset, ignoramus. Tenent vulgò Interpretes, ex animantibus mundis in Arcam admissis septimum quodque ad holocaustum post diluvium destinari; quæ si vera sint, brevissimus erat planè numerus animalium mundorum in Arcam admissus, utpote ex solis animantibus sacrificio aptis. Vicissim autem maximus statueretur, si quidem omnia ad cibum apta animalia mundorum census complectatur.

℣. 3. De volatilibus Coeli septena, et septena. Septuaginta aliter legunt: *Induc a volatilibus Cœli mundis septem & septem, masculum & fœminam. Et ab omnibus volatilibus immundis, duo duo, masculum, & fœminam.* Introduxit Noë in Arcam e singulis volatilium mundorum generibus septem, ex immundorum verò bina, ut in quadrupedibus observaverat. Hanc lectionem pariter servant Samaritanus, & Syriacus: *De volatili Cœlorum mundo septem, septem.... Et de immundo, duo duo, masculum, & fœminam.*

℣. 4.

(d) *Joseph l.* 1 *Antiq. c.* 3. *Chrysost. homil.* xxiv *in Genes. Theodoret. quæst.* 50 *in Genes. Hieron. l.* 1 *contra Jovin. Aug. de Civit. l.* xv, *c.* 27. *Interpr. ferè omnes.* [e] *Salomon Jarchi.*

Digitized by Google

℣. 4. Adhuc enim, & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ.

℣. 5. Fecit ergo Noë omnia, quæ mandaverat ei Dominus.

℣. 6. Eratque sexcentorum annorum, quando diluvii aquæ inundaverunt super terram.

℣. 7. Et ingressus est Noë & filii ejus, uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eo, in Arcam propter aquas diluvii.

℣. 8. De animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni quod movetur super terram,

℣. 9. Duo & duo ingressa sunt ad Noë in Arcam, masculus & fœmina; sicut præceperat Dominus Noë.

℣. 10. Cùmque transissent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram.

℣. 11. Anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt.

COMMENTARIUS.

℣. 4. POST DIES SEPTEM EGO PLUAM SUPER TERRAM QUADRAGINTA DIEBUS &c. (10.) CUMQUE TRANSISSENT SEPTEM DIES, AQUÆ DILUVII INUNDAVERUNT SUPER TERRAM. A die 10 mensis secundi usque ad 17 ejusdem, Noë apparandis omnibus necessariis in Arcâ occupatus fuit; introduxit animalia, ac tandem septimâ die ipse mane ingressus est: *In articulo diei illius* ℣. 13, quem infra exponemus. Agebat tunc Noë annum ætatis 600. Legunt Exemplaria quædam Græca *anno sexcentesimo primo*; inhærendum tamen censemus Hebræo, Vulgatæ, & Exemplarium Græcorum plerisque.

PP. & Interpretes frequentes crediderunt, diluvium cœpisse tempore verno; eodemque pariter absolutum; reputarunt enim, secundum mensem, de quo Moyses, secundum esse anni Sancti, cujus erat exordium in mense Nisan circa Æquinoctium vernum. Visum est illis abs re prorsus iniri diluvium mense Decembri; eâ etenim constitutâ hypothesi, homines & animalia ex Arcâ egressi fuissent, quo tempore nullos suffecisset terra alendis animalibus fructus, nihilque ante hyemem colligendum speraretur. Ejus pariter opinionis argumentum inde ducitur, quòd columba virens, quin & recens, ut illi constituunt, olivæ germen ad Noë retulerit; frustra autem germina illa nisi verno tempore occurrissent: quomodo enim post inundantes toto anno aquas brumali tempore nova germina emitterentur?

His tamen nequiequam obstantibus, doctissimi Chronologi secundum illum mensem, de quo Moyses, de secundo anni civilis, circa æquinoctium autumnale ineuntis, interpretantur; qui nempe secundus mensis Novembri respondet. Cùm enim nondum egisset Moyses de mandato Dei, quo anni sancti exordium in vere constitutum est, vix ille satis mentem suam exposuisset, si, non præmonitis Lectoribus, quo maxime loco ne verbum quidem erat de Festis Hebræorum, secundum mensem anni Sancti præ oculis habuisset. Defectum illum alimentorum, quæ frustra brumali illo tempore quærerentur, reputari posset Noë e residuâ in Arcâ annonâ supplesse; potuit ille pariter ex animantibus in Arcâ servatis portionem quamdam in suum cibum convertere, donec scilicet fructus, & olera sufficerentur; quin & lac e gregibus præsto illi fuisset. Animadvertere tamen juvat in rem præsentem, montium juga jam inde a sex mensibus aquam deseruisse, (cap. VIII, 4) quo sanè temporis spatio fructus, legumina & herbæ alendis hominibus, & animalibus succreverant.

℣. 11. RUPTI SUNT OMNES FONTES ABYSSI MAGNÆ, ET CATARACTÆ COELI APERTÆ SUNT. Ut Moysis ideam omnem de diluvio atque de universâ ejus ratione evolvamus, revocari in mentem oportet systema hujus Legislatoris, statuendusque sub oculis mundus & elementa in eo statu, quo ab illo constituuntur. Neque enim ambigendi ullus fermè est locus, in eam nos persuasionem inducere voluisse, inundantibus diluvii aquis in eo rerum statu positum fuisse mundum, quo olim fuerat ante segregatas inferiores a superioribus aquis, & antequam aquæ ipsæ inferiores ad destinatum sibi in abyssis locum confluerent. Itaque diluvii causas assignaturus, iis utitur vocibus, quorum naturalis est affinitas cum aliis in exordio Genesis, defluxum aquarum designantibus.

Narraverat ille cap. I, 6, 7. Deum aquas supra firmamentum constituisse. Hic verò scribit, aquas illas proruisse super terram; quarum lapsum seu præcipitium confert cum aquis Nili, e cataractis ab Æthiopiâ in Ægyptum ruentibus. Addit, abyssum, quò inferiores aquæ confluxerant (*f*), velut aggere disrupto inundantibus aquis, quomodo ab ipso rerum exordio spectatum fuerat, terram universam absorbuisse. Revocandum hìc arbitror in mentem, receptam esse apud Hebræos opinionem, aquas nonnisi divino pro-

(*f*) *Genes.* 1, ℣. 9, 10.

Digitized by Google

prodigio contineri, ne terram universam demergant; cùm enim hæc habeat suum super aquas fundamentum, eademque undique aquis obvolvatur, nonnisi Dei manu continentur aquæ, ut maneant in officio. Hanc ideam insinuat Scriptura: *Circumdedi illum terminis meis*, ait Deus in Job, c. xxxviii, 10, 11. vii, 12. xxvi, 10, *& posui vectem & ostia. Et dixi: Usque huc venies & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Et in Jerem. v, 22: *Me ergo non timebitis, qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit? Commovebuntur* (fluctus) *& non poterunt; intumescent fluctus ejus, & non transibunt illud*. [g] Sapientia in Proverbiis viii, 27, 29: *Aderam, quando certâ lege & gyro vallabat abyssos: quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*. Et Amos v, 8, ix, 6: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ; Dominus nomen est ejus*.

Eadem Patribus stetit sententia, iisdem sermè ac in Scripturâ phrasibus expressa. *Nonne ipsi videmus*, ait S. Ambrosius l. 3 Hexaëm. c. 2, *mare frequenter undosum, ita ut in altum fluctus ejus tamquam aqua mons præruptus insurgat, ubi impetum suum ad litus illiserit, in spumas resolvi, repagulis quibusdam arenæ humilis repercussum?* Gemina habet S. Basilius hom. 4 in Hexaëmeronem, admiratione se teneri dicens spectatis fretorum quorumdam aquis, & Erythræi, quæ Ægypto imminere creduntur, quin in subjectam regionem provolvantur. Veteres quidam Philosophi contendebant, & ratum habent hodie quoque Persæ, terram aquis innatare, ut malum punicum, quod in vas aquâ plenum injicitur. Nec veteres Hebræi multùm ab hac opinione abhorrebant, ut in Dissertatione de Systemate Mundi demonstravimus. Juxta has hypotheses tantùm abest, ut universale diluvium tanquam impossibile habeatur, quin potiùs prodigio divino deputari oporteat, nisi singulis momentis aquæ supra terram devolvantur.

Satis utique haberemus explicasse hìc Textum Mosaicum, juxta ideam de structurâ Universi a Scripturâ insinuatam, systemati Hebræorum cohærentem; satis etiam demonstrasse, Patres universale diluvium neque supra fidem, neque factu impossibile reputasse. Quò verò audaciam retundamus ingeniorum quorumdam, quæ sibi de singularitate placent, utque confundamus temerariam incredulorum pervicaciam, exponendum hìc suscipimus; I, Quibus rationibus diluvium universale demonstretur; II, Quid reponatur argumentis in contrarium adductis; ac tandem hypotheses quasdam suggeremus, quò res tota Philosophicis quibusdam mentibus persuadeatur.

Prima & potissima ratio, universale diluvium probans, exhibetur ab ipso Scripturæ Textu, apertè adeò rem totam exponens, ut dubium omne removeatur. Ita ergo Moyses capite vii, 18, 19: *Aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo Cælo*. Quid luculentius ad universale diluvium exprimendum? quis alius verbis illis sensus pronior daretur, omnibus abjectis præjudiciis, atque a contentione remoto spiritu?

II. Mundus universus abierat in deterius; Deus ultionem de universo mundo exigendam decrevit (*h*): inundantibus ergo aquis universa terra fuerat submergenda. Si Deus illam tantùm orbis portionem, quam homines frequentabant, aquis obruere destinasset, ut quid Arcam construi, atque animalia omnis generis ex universis Mundi regionibus in eâ colligi jussisset? Nonne minori molimine homines & animalia in regiones aquis immunes recipi potuissent, quomodo Loth ejusque filiæ Sodomâ, ignis cælestis ultioni destinatâ, sese receperunt?

III. Quomodo Moyses asserere potuisset, mundi populos universos e filiis Noë prognatos (*i*), si, quæ asserit Author Præadamitarum, vera essent, diluvium scilicet Noëmicum exitio tantùm fuisse generi ex Adam deducto, non hominibus ante illum creatis, alias mundi regiones tenentibus?

IV. Tandem consensus Judæorum æquè ac Christianorum veterum recentiorumque, accedente pariter traditione prophanorum Authorum, argumentum conficit apertissimum, quo omnia Adversariorum sophismata diluuntur; non enim agitur nisi de re factâ, & factâ utique Divino prodigio, in quam ex operis difficultate nulla creari potest invidia. Miraculum enim esse fatemur, quod nonnisi fide divinâ credendum tenemus.

Reponunt, opinionem de universali diluvio minùs necessaria prodigia & quidem plurima inferre; ex universo enim orbe collectæ aquæ nonquam ad tantam supra terram altitudinem ascenderent, quantam Moyses assignat. Deus nunquam prodigia frustra operatur. Ut quid inundantibus aquis submergerentur terræ hominibus destitutæ? universum autem orbem hominibus tunc frequentatum fuisse, quis credat, nisi stultus? Isaacus Vossius, cujus ego personam hìc gero, eo fastu assertores universalis diluvii excipit, ut veluti nugatores traducere nequaquam vereatur: *Hoc est piè nugari*. Et in suâ responsione ad Andream Colvium, scribit, Colvium ipsum de amplitudine Dei minùs justam habere ideam, si credat, illum agere posse quidquid rationi & naturæ repugnat.

Utrique autem opponi sententiam de universali diluvio adstruit; deductis enim e Geometriâ demonstrationibus, sub ipsos velut oculos exhiberi posse dicit, nunquam fieri potuisse, ut altiùs supra terræ superficiem ascenderent aquæ, quàm pede & semis, etiamsi omnes aëris nubes in imbrem liquescerent. Insuper, subdit, etsi omnes amnium, & maris aquæ regererentur in terram, nunquam earum cumulus ad 4000 passuum altitudinem perveniret, quantâ scilicet opus est, ut celsissimorum montium cacumina submergantur; nisi fortè prodigiosâ raritate excrevisse asserantur, ac tamen rarescerent; quomodo Arcæ, etiam habitatoribus vacuæ, pondus sustinuissent? Qui tandem contendunt, Deum novas creasse aquas, seu varia cœlestia corpora in terram delapsa, rem adstruunt Theologo nunquam probandam: quamquam verò circumfusus orbi aër in aquam versus fuisset, aquarum tum vorago 30 pedum mensuram non excessisset; quod utique minùs est, quàm ut exigeretur ad universam terræ superficiem ita mergendam, ut eveherentur aquæ 15 cubitis supra altissima montium cacumina.

Porrò celsa illa montium culmina, quæ 600 passuum altitudinem superant, nullis imbribus tanguntur, ex altiori enim aëris regione nulla descendit pluvia; imò si fortè pluviales vapores eò usque ascenderent, statim ex ambientis algore concrescerent in glaciem. Unde ergo aquæ illæ

(g) *Vide & Psal.* ciii, 9. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram. Vide, si lubet, & orat. Manasse apocryph.* (h) *Omnis caro corruperat viam suam.... Finis universæ carnis venit coram me.* (i) *Genes.* viii, 9. & x, 5.

montium culmina, infimam aëris regionem excedentia, superantes? An fortè pluvia retrò in altum resiliit (k)? Ad hæc, quomodo plantæ sub inundantibus diluvii aquis intactæ tamdiu permansêre? Quomodo ex Arcâ deducta animalia longè latèque per universum orbem propagata? Fateor ego quidem, multa Deum præstare posse, quæ nobis impossibilia videntur. Sed nec facere, nec velle potest, quidquid rationi, quidquid æternis naturæ legibus repugnat. Adversatur autem rationi, si hæc præstanda majori molimine suscipiat, quæ nullo, seu minori nisu commodè obtinuisset. Naturæ legibus repugnat, ut graviora levioribus innatent; ampliora minoribus contineantur; ut tandem pluviæ ex altiori loco cadant, quàm quo formantur; plantæ insuper integro anno sub aquis serventur; quibus omnibus positis, naturæ œconomia universa absque necessitate subvertitur. Hæc majoris momenti opponuntur adversùs universalis diluvii sententiam. Diluenda sunt modò.

Ita verò possumus adversùs Vossium argumenta contraria regerere, ut ex ejus ipsius principiis in ipsum consecutiones deducamus. Particulare diluvium agnoscit idem Author, atque de illo dicta omnia a Moyse exponit. Hoc autem particulare diluvium objecta ab illo incommoda omnia, & majora etiam præfert: est ergo vel diluvium quodcumque pervicaciter denegandum, vel de universali diluvio Mosaicum Textum exponi necesse est: qui pronior est, & obvius verborum illius sensus. Porrò quæ diximus, particulare diluvium incommodis omnibus, a Vossio in universali diluvio observatis, esse obnoxium, demonstramus. Nunquam Deus agere potest contra rationem, ac contra præscriptas naturæ leges; repugnat autem rationi, si majori molimine id agat, quod æquè præstitisset nisu minori.

Porrò in hypothesi particularis diluvii Deus utique legibus rationis & naturæ repugnaret, ac irrito labore niteretur: quæ enim necessitas Arcam construendi, colligendi in illam animalia, & octo homines, ut diluvii exterminium vitarent; diluvii, inquam, cujus aquis nonnisi modica terræ portio teneretur? Nonne commodius fuisset, si in vacuas intactasque ab aquis regiones homines & animalia redegisset? Naturæ adversatur, ut aquæ in tantam altitudinem ascendant, ut montes singularis regionis 15 cubitis excedant, nec tamen in inferiores proximasque terras devolvantur. Est etiam naturæ legibus contrarium, ut navis longo temporis spatio super aggestarum aquarum struem consistat, quin proprio pondere in declive feratur. Is autem erat situs Arcæ super aquas diluvii particularis, Vossio non diffitente.

Tandem naturæ legibus opponitur, juxta nostros adversarios, si plantæ, saltem ejus loci, ubi diluvium regnabat, omnes ad unam non destruerentur. Ex ipsâ autem Scripturâ satis insinuatur, homines & animalia relictâ Arcâ in iis substitisse locis, quæ olim inundantes aquæ tenuerant. Post actam enim longi temporis moram in subjectâ monti Ararat regione, venerunt Babylonem, regionem utique diluvio non immunem, juxta hypothesim Vossii. Vitam autem ibi tolerare non poterant, nisi e terræ fructibus post diluvium provenientibus: fateamur ergo oportet, plantas intactas mansisse sub inundantibus diluvii universalis aquis; vel eadem pariter deneganda sunt, quæ in hypothesi de particulari diluvio necesse est admittantur.

Plura etiam congererentur incommoda diluvii particularis, rationi & naturæ non minùs repugnantia, ut hic Auther contendit, quàm quæ ipse adversùs universale diluvium congerit. Sed directis, ut ajunt, argumentis demonstrandum est, de universali diluvio sententiam nihil habere sive rationi, sive naturæ repugnans.

Rectæ rationi planè non opponitur, aquas in ipso rerum exordio supra terram diffusas universam mersisse. Rem disertè asserit Moyses Genes. I, 2, 9: nec sanè aquæ illæ alterius erant ab aquis cæteris naturæ; refert enim, aquas illas in mare coivisse, quod statim ad unicum Dei imperium præstitum esse dicit, nihil addens, sive de concretis aquis, quæ priùs rarescerent, sive de altâ quacumque ratione, quasi scilicet in alium statum aquæ illæ redigendæ fuissent, ut in mare colligerentur. Non ergo adversatur rationi, ut eadem Dei virtus, qua terræ datum est, ut ab inundantibus aquis olim emergeret, eadem nunc aquas illas reduceret super terram, & pristina rebus facies restitueretur. Sed unde tanta vis aquarum? Inde profectò, ubi Deus illas constituit in exordio mundi, postquam reduxit e terrâ, & e summis montium cacuminibus, uti satis designat Propheta *Psal.* CIII, 6, 7, &c. *Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus, super montes stabunt aquæ. Ab increpatione tuâ fugient, & a voce tonitrui tui formidabunt. Ascendunt montes & descendunt campi in locum, quem fundasti eis. Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.*

Reducendæ solùm fuerunt abyssi cataractæ, & ex immensis illis aquarum receptaculis erumpentes aquæ terram, ut olim ab initio, inundarunt; quod satis exprimit Moyses illis verbis: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ*. Novæ in eam rem aquæ a Creatore sufficiendæ erant, aït Vossius; neque enim si nubes omnes per universum aërem diffusæ in pluviam liquescerent, terræ superficiem altiùs tenerent aquæ, quàm pede & semis. Verùm si auxiliares aquas suppeditarent mare, & receptacula illa intra terram constituta, nonne ex his tantum aquæ afflueret, quantum Moyses insinuat? Latiùs porrigi mare, quàm terram, omnes conveniunt: voragines sunt pariter in mari, quarum imus fundus vix inveniretur. Si nonnisi prodigio aquæ illæ supra terram ascendissent; si prodigio pariter mensium aliquot spatio superiorem illum locum habuissent; prodigium utique fatemur, sed certè non majus, quàm quod adstrueretur in hypothesi diluvii particularis, cùm scilicet aquæ veluti in suspenso detinerentur, ut unicam tantùm regionem inundantes in vicinas alias non reciderent.

Explicandum esset physicâ aliquâ ratione, quomodo Oceani aquæ æquilibrii leges transgressæ defluere potuissent super terram; quod operosum est maximè. Verùm si quotidiano experimento intelligimus, in æstu maris aquas altiùs ascendere super terram, recedere deinde certâ temporis periodo, omnia ad physicæ & naturæ leges; ita pariter reputandum esset, quo tempore diluvii aquæ inundaverunt, mare validiori impetu abreptum terram invasisse, totamque ejus superficiem longiori temporis spatio tenuisse. Una eadem-

(k) *Hanc objectionem diluit S. Augustinus l. 15 de Civ. c. 27. Sententiam hanc de celsissimis montium quorumdam jugis diluvio immunibus, pro qua Vossius pugnat, Cajetanus etiam tuetur.*

Digitized by Google

eademque res est utrinque, major hìc, ibi minor. Si quis reputet, pondus quoddam, ventum sive impressionem validiorem super Oceani aquas factam, defluentes statim intelliget super terram aquas. Nihil hìc magis naturæ legibus repugnans, quàm quæ in æstu maris quotidie spectamus, nec tamen prodigium unquam suspicamur, quamquam certa ejus phænomeni causa nemini fortè innotescit. Ita porrò diluvium explicat Philo, *lib. de Abrahamo*: „ Oceanus elatus æstu, quanto nunquam „ antea, per fauces valido impetu irrupit in no- „ stra maria (Mediterraneum): aquæ mox insu- „ las ac continentem subitis inundarunt fluctibus. „ Accesserunt & fontium perennium & fontium „ indigenarum torrentiumque alii super alios af- „ fluxus, qui conjuncti & diffusi etiam in altum „ creverunt, ... ut non campi tantùm & de- „ pressa loca operirentur, sed & altissimorum „ montium cacumina.

Observat Strabo (*l*), certum stetisse Archimedi cæterisque Mathematicis, corpora quæcumque liquida facilè ad sphæricam & rotundam figuram accommodari, dummodò fixa sint & permanentia. Infert exinde, aquas maris non æquâ & planâ superficie, sed sphæricâ contineri; alioquin enim, ait, supra terram devolutæ portionem ejus submergerent. Non est ergo, cur impossibile naturâ ipsâ diluvium censeatur; statim enim ac causis quibusdam naturalibus factum reputemus, ut suspensio illa aquarum cesset, statim, inquam, defluent super terram; uti, 1, si globus terrestris, quem tenet, ad axem mundi situm immutet; 2, Si agitari quodam insolito motu aërem contingat, non dissimili planè ratione ab eâ, qua excitantur procellæ; 3, Si aër ita rarefiat, ut multò levior evadat; 4, Si latente aliquâ de causâ pondus aliquod Oceanum premat validiùs, quàm terram. Quæ sanè omnia factu utique possibilia censemus; ac proinde nihil est in diluvio naturæ legibus repugnans.

Nimiùm profectò exaggeratur montium proceritas; & cùm minimi simus, montes illos tamquam magnum aliquid reputamus, proportionem in illis aliquam agnoscentes cum amplitudine terræ & immensis illis aquarum tractibus, quibus terræ superficies media & ampliùs occupatur. Verumtamen ad sensum demonstratur, magis profectò occurrente fortuitò pulvere teretem aliquam & rotundam marmoream pilam mediæ magnitudinis asperari, quàm terræ globum protuberantibus hinc inde montibus. Nunc autem pro marmoreâ pilâ cereus vel in glaciem concretus aliquis globus statuatur, simulque mediâ sui portione concipiatur liquescere; nonne fluens illa vel cera vel aqua satis superque habebitur, ut concretam aliam globi portionem totam obtegat, illasque omnes in superficie protuberantes partes æquet, quin & supra etiam ascendat? Non est hìc spectanda montium absoluta proceritas, sed tantùm ejus habitudo ad aquas Oceani, quarum tanta est profunditas, ut montes ipsos excedat.

Asserit Plinius l. 2, c. 102, maris in nonnullis Ponti Euxini locis immensas esse voragines. Fabianus, apud eundem Plinium, affirmat, maximam Ponti altitudinem pertingere ad 15 stadia; fatenturque Itinerantes nostrates, se, cùm Oceani alta tenerent, imum fundum illius frustra tentavisse. Cùmque montes nonnisi hinc inde supra terram veluti disseminentur, abyssi contrà sub maris alveo longiùs excurrunt. Quæ de porrectis montium quorumdam cacuminibus adusque supra mediam aëris regionem, ubi tranquillus semper aër a ventis, vaporibus, & imbribus, quæ, inquam, eâ de re asseruntur, omnia novis Recentiorum experimentis falsa esse comperta sunt. Christophorus Clavius in suo Tractatu de crepusculis demonstravit, vapores tolli in altum usque ad 43 milliaria: quis autem celsi cujusque montis fastigium supra terram ad perpendiculum usque ad 43 milliaria erigi crediderit?

Ita, quæ Vossius exaggerat de aquis pluviis, minimè fieri posse, ut suprà celsissimorum montium juga eleventur, nisi in altum erumpere ac ferri dicantur; hæc vana sunt omnia. Ad ea verò quæ addit, aquam in algenti mediæ aëreæ regionis brumâ necesse esse in glaciem concrescere, reponeretur, algoris hujus causam referendam esse sive in quiescentes aëris particulas, sive in eorum motum rectilineum. Facilè autem duo hæc, & sine miraculo, submoventur, si vapores majori numero extollantur, vel calor major & continuus statuatur. Neque enim algor iste mediæ regionis veluti punctum quoddam metaphysicum in uno semper loco fixum, idemque semper reputandus est; altiùs enim ascendit & descendit inferiùs ad mensuram solaris æstûs; ac hyemali tempore multò propiùs ad terram accedit, quàm in æstatis fervore; sive, ut meliùs dicam, bruma intra mediam aëris regionem æstivo tempore sese continens, communicatur inferiori, hyeme crudescente.

At esto, mediam aëris regionem in fixo ac Metaphysico nostræ Athmosphæræ puncto stare: si tellus magnâ aquarum mole operiatur, ad sensum patebit, mediam aëris regionem telluri propiorem fieri; quantòque altiùs aquæ ascendent, tantò majori refracti caloris vi eam esse obnoxiam. Quare, si ponas, maria in terras latè effundi, nubesque, sub mediâ aëris regione natantes, in pluvias colliquescere; aquæ e mari & e pluviis super terram collectæ, mediæ aëris regioni quàm maximè accedunt, nives celsissimorum montium liquant, nubesque, quas in mediâ regione aëris in nives concrevisse ferunt, in pluvias solvunt.

Nec moror cum Vossio illorum sententiam, qui aquas ex aliis quoque Cœli vorticibus telluri suppeditari potuisse dicunt; quamquam enim fieri fortasse potuerit, ut e Planetarum vorticibus aliqua materiæ pars in terræ vorticem descendat, & in pluviam resolvatur; faciliùs tamen credimus, Moysem in iis, quæ de Cœli cataractis revulsis asserunt, nihil aliud designare voluisse, quàm aquas pluvias largo imbre terram inundasse. Multum etiam ab eorum sententiâ abhorremus, qui aquarum illam inundationem referunt ad amnes regurgitantes, ad continuos imbres, ad aquarum in mari tumorem. Persuasum utique tenemus, amnes nunquam regurgitare potuisse, nisi affluentibus pluviis, sive liquatarum nivium aquis; nunquam autem vel imbres vel nives suppeditarentur, nisi eâdem datâ proportione maris aquæ decrescerent; eadem enim semper vel similis aquarum portio manet in terrâ. Nec tandem extorquemus ab adversariis, ut credant, sive Deum novas aquas creasse, seu veteres in mari & amnibus rariores fecisse; certum est enim rarefactas illas aquas impares futuras fuisse Arcæ ponderi sustinendo.

Nec ignoramus, receptam esse vulgò sententiam, vapores, quibus aër maximè impletur, nunquam.

(*l*) *Lib.* I, *p.* 42, *& lib.* II, *p.* 79, *& lib.* XVII, *p.* 547.

quam superare pondus pedis & octo digitorum aquæ; ex quo illud inferendum esset, a vaporibus illis nunquam altiorem aquam suppeditari potuisse, quàm ad altitudinem pedis & octo digitorum, quamquam etiam aër vaporibus maximè impleretur. Addunt (m), aëris Sphæram universam, etsi contra terram vi superiori comprimeretur, premereturque, & ita premeretur, ut ad minimas, quas unquam occupare posset, angustias redigeretur, si pariter tota veluti in aquam colliquesceret, nunquam tamen altior aqua cresceret, quàm 31 pedibus tantùm; ut proinde, etiamsi vapores omnes & aër resolverentur in aquam, aquarum illi abyssi altitudinem 33 pedum aquæ nunquam attingerent. S. Augustinus *de Genes. ad lit. l. 3, c. 3*, in eà fuisse persuasione videtur, crassiorem aërem in aquam tempore diluvii degenerasse: in quam sententiam exponit illud 2 Petri III, 5, 6, ubi meminit Apostolus Cœlorum veterum, qui perierunt. *Hos etiam aërios Cœlos quondam periisse diluvio in quadam earum, quæ Canonicæ appellantur, Epistolâ legimus. Quod nescio quemadmodum possit intelligi, nisi in aquarum naturam pinguioris hujus aëris qualitate conversâ.*

Verùm ne in præsenti argumenta illa discutiamus, quibus pondus aëris vindicatum est, demonstratumque, ea omnia, quæ olim horrori inanis tribuebantur, deberi ponderi vel elaterio aëris; Lectorem rogamus, ut consulat cap. 36 Dissertationis D. Le Pelletier in Arcam Noë, experimenta ibi observaturum, iis optimè opponenda, quæ aëris pondus asseruerunt, atque in eam sententiam jam inde a pluribus annis doctissimos nostros Philosophos deduxerunt; ex iisque inferet, fortè aëris massam ejusque pondus & aquarum quantitatem, quæ ex illâ, si liquesceret in aquas, resultaret, rem esse nobis prorsus incognitam, & iniquum esse maximè præjudiciis quibusdam incertis, & nutantibus argumentis de re aliquâ decernere, cujus veritas constat, angustioresque Dei virtuti fines præscribere.

Celsissimorum montium perpendicularem altitudinem ad leucam dimetitur Isaacus Vossius; leuca verò æstimari potest ad 12000 pedes; ut proinde tantum aquæ affundendum esset, quò montium illa cacumina fluitarent, ut 12000 pedum altitudinem 15 cubitis excederet. Tanta aquarum vorago terret nos utique; si quis tamen totam aëris massam, quæ terram obvolvit, & spatium ad lunam usque occupat, in aquam redigat, juxta ponderis sui proportionem, ut aquæ volumen æquo pondere contra volumen aëris sustineatur, admissâ etiam hypothesi eorum, qui minimum pondus aëri assignant; hæc tamen aëris in aquam redactæ quantitas tanta erit, ut minor etiam ad inundandam terram, usque ad insinuatam a Moyse altitudinem, sufficeret. Hæc fusiùs deducta legas in capite supra laudato.

Quibus omnibus hæc addenda succurrunt. Si aëris pondus nihil est aliud quàm nisus, quo a centro sui motûs circularis circa terram recedere conatur; si pondus corporum in aëre suspensorum repetendum est ex aëris pressione, quæ motu illo suo circulari corpora illa urget ad terram, urget autem majori vel minori impetu, juxta ac corpora magis minusque habent crassitudinis, soliditatis, compactæque texturæ, ac tandem dispositionis ad motum illum aëris obsecundandum; si hæc, inquam, vera sint, vel quidem probabilissima censemus; fiet inde, ut nunquam certò determinari possit aëris illud pondus, multoque etiam minùs designari quousque comprimi aër ille possit, ac redigi in aquam: adeòque Philosophorum in eam rem argutationes omnes mera sunt commenta, e petitione principii deducta; petitur enim, quid sit insitum illud aëri pondus, quasi scilicet idem illud pondus insitum aliquid esset aëris, & longè aliud a motu, qui illi imprimitur, seu ipse corporibus cæteris imprimit.

Nunquam profectò asserendum suscipimus, genus hominum tantùm crevisse ante diluvium, ut per omnes mundi regiones diffunderetur; sed nec contrarium unquam affirmare auderemus. Longo 1656 annorum spatio potuit utique mundus universus incolis frequentari; quin & tractum illum temporis prorogat Vossius, supputationem usque ad diluvium statuens 2256 annorum. Contendit autem, Patriarchas serò maximè rarosque liberos genuisse: quæ autem opinionis suæ profert argumenta, minorem profectò habent vim, quàm ut in ejus sententiam nos inclinent; probatumque apud nos manet, plures illis filios assignari oportere, de quibus silet Scriptura. Nec facit nobis negocium, e remotissimis Americæ regionibus animalia ad Arcam accersiri debuisse; neque enim generis alicujus animantia desiderata credimus in Asiâ; & si quid fortè deesset, illud in Arcam reducere, Dei erant partes, uti Noëmo Deus ipse promiserat. Qua verò ratione animalia per totum latè mundum diffundi potuerint, indicare alienum est a nobis; sed factum utique credimus. Continuato terrarum tractu junguntur tres potissimæ Orbis partes, Europa, Asia, & Africa: an verò America cum Asiâ continenti jungatur, adhuc versamur in incerto: illud constat, non magno separari intervallo. Plura etiam animalia in Insulas hominum ministerio translata sunt, vel ipsa per se eò evaserunt, aut fame, aut insequentibus venatoribus, aut casû aliquo urgente.

Quæ ergo universale diluvium tuetur sententia, nec naturæ, nec rationi repugnat; prodigium tamen esse fatemur, cujus plures circumstantiæ rationem superant, veluti præstitutis naturæ legibus exceptiones. Nec in eam de universali diluvio opinionem consenserunt tantùm Patres cum Scriptoribus Judæis & Christianis omnibus; sed Pagani etiam Authores acceptam e veteri, ac vulgari receptâque in vulgus traditione veritatem illam noverunt. Universale diluvium asserit Philo ex ostreis maritimis, quæ in celsissimis etiam montium cacuminibus monstrantur. Josephus *lib. 1 contra Appionem*, laudat testimonium Berosi, qui ex vetustis monumentis eadem scribit, quæ Moyses de diluvio; nihil apud illum desideratur sive de Arcâ, sive de Noë, sive de montibus Armeniæ, in quibus Arca subsîdit.

Abydenus apud Eusebium *Præpar. l. 9, c. 12*, & S. Cyrillus Alexandrinus *advers. Julian. l. 1* referunt, virum quemdam, Sesistrum nomine, monitum a Saturno de aquis diluvii, quibus terra mergenda esset, conscensâ statim navi, aves aliquas dimisisse, exploraturum quis esset terræ status; aves autem illas tertiò rediisse. Gemina tradit Polyhistor, designans insuper, animalia quadrupedia, reptilia & volatilia in eandem navim recepta fuisse. Lucianus, in Libro de Deâ Syriâ, asserit, homines laxato in vitia fræno, inundantes terram universam aquas induxisse; unum autem

ex

(m) *Vide* Pascal de la pesanteur de l' air, chap. 10.

Digitized by Google

ex omnibus incolumem mansisse Deucalionem, conscensâ cum universâ familiâ, atque omnis generis animantibus, navi. Eadem referunt de diluvio Deucalionis Apollodorus *Biblioth. l. 1, c. 1*, Ovidius in Metamorphosibus, aliique ex Veteribus plures. Plerique autem Deucalionis istud Diluvium cum Noëmico confundunt, ut ex adjectis ab illis circumstantiis intelligimus. Hæc tandem de universali diluvio traditio ad remotam usque Americam & Sinas pervasit (*n*).

Fidem meam liberaturus, exponendi scilicet systemata quædam de diluvio formata, unum hoc singulare affetam, a Burneto, viro Anglo, expositum, in suo Libro inscripto, *Archæologia Philosophica*, Londini impresso an. 1572, ubi agitur de veteri doctrinâ, circa rerum originem. Scribit Author ille (*o*), terram recèns e chaos emergentem, rotundam habuisse superficiem, teretem, nullisque montibus ac vallibus asperatam, ac globo marmoreo tereti non dissimilem; in centro autem terræ hujus collocat ingentem aquarum abyssum. Factum autem censet, ut iteratis terræ concussionibus diluvium formaretur; cùm enim terra pluribus in locis hisceret, aggestâque in aliis strue protuberaret, factum inde, ut veluti disruptis aquarum repagulis, magno impetu prorumpentes illæ e centro, universam latè terram inundarent. Ponit autem, terram situm immutasse suum; olim enim axem habebat ad axem mundi parallelum, directo semper motu sub æquatore gyrans. Inde in primâ orbis constitutione perpetuum semper æquinoctium manebat; ac re ipsâ quidem, ait, Zona torrida nullis erat incolis frequentata, ut Veteres nonnulli docuerunt; dispendium autem illud repensabat verna semper temperies in aliis mundi partibus regnans. Addit, nulla fuisse tunc maria, nullos imbres, iridem in Cœlo nullam. Quam verò nos incolimus hodie terram, postquàm ab igne repurgata fuerit, recepturam demum asserit pristinam illam formam, tamdiu retinendam, quamdiu postremâ illâ & magnâ die in stellam fixam transmutetur.

Fidem hisce omnibus adstruere ex Scripturâ nititur. Quòd terra hodie alia planè sit a terrâ antediluvianâ, demonstrat ex 1, Petri III, 5, 6, 7: Ἐξ ὕδατος, καὶ δι᾽ ὕδατος συνεστῶσα, terram scilicet olim ex aquâ constitisse, & per aquam, ac sua habuisse super aquas locata fundamenta, utì dicitur in Psal. XXII, 2. *Per quæ*, nempe ex eo quòd in eo rerum statu esset, factum est, ut periret, easque pateretur vices, quas passam scimus, futurarum vicissitudinum indicium. Ita, ait ille, philosophatur S. Petrus adversùs negantes, terram unquam destruendam. Reputat idem pariter, S. Paulum easdem terræ vicissitudines, & expectationem pristini statùs recipiendi satis expressisse Rom. VIII, 19, 22, docentem, vanitati creaturam subjectam esse, & libertatem suam suspirare.

Terræ ante diluvium situm ad axem mundi, nihil juvat e Scripturâ; sed momentum opinionis suæ ducit Author ex iis, quæ prophani Scriptores referunt de aureo sæculo, aëris temperie, ac pingui telluris ubertate. Nec aliunde, quàm a felici illo terræ situ, repetit longævam illam priscorum hominum vitam. Insistit autem plurimùm in eo quod legimus apud Veteres de Zonâ torridâ, nullis hominibus frequentatâ, quòd Sol in æquatore ad perpendiculum semper consistens, æstum reddebat intolerabilem, ac genus quoddam ignei parietis formabat, terram in duos veluti mundos dividentis; sed immutato terræ situ, tolerabilior pariter Zonæ æstus redditus est. Veteres, qui nihil de mutato terræ situ norant, priorem utique traditionem, ait ille, retinuerunt, constituentes subjecta Zonæ loca nullos pati incolas, utì a Patribus suis acceperunt.

Ut opinionem illam suam de ratione diluvii fulciat, vulgares diluvii causas revocat in examen. Omnium primam repetit e regurgitantibus amnibus, cùm scilicet aggeribus disruptis, proxima arva invadunt aquæ; quamquam non ultra excurrere illis datur, quàm per agros aquis illis inferiores. Accedunt imbres; sed nulla ex illis ingens inundatio; quare ab imbribus vix est, ut universale diluvium repetatur. Quid Oceanus? Octuplo major aquarum vis in illo requireretur, ut ejus aquæ suprema montium cacumina demergerent; nec tantam profectò aquarum copiam locus ullus sive in Cœlo, sive in terrâ continet. Ac tandem, esto, tanta vis aquarum non defuisset; in quem deinde locum recedendo defluxissent? quomodo etiam recessissent? Infert inde Author, nunquam posthac terram universali diluvio exponendam, ut proinde jure meritoque ob certiores nos eâ de re faciendos Deus iridem in Cœlo constituerit. Postrema omnium diluvii causa hæc reputanda; cùm scilicet terræ aliquâ concussione voragines hinc inde aperiuntur, unde aquæ magno impetu & copiâ prorumpant; terræ verò superficies tam parùm inter se colligatur jungiturque, ut proprio suo pondere subsidens, superiora tenentibus aquis, in imum ruat. Ita in diluvio universali usuvenisse Author affirmat; quod e verbis Mosaicis colligit, aquas scilicet, disruptis abyssis, veluti reclusis foribus, prorupisse. Percurrit deinde diluvia omnia, quorum memoriam servant Historiæ prophanæ, demonstratque singula postremæ huic causæ deberi.

En systema Burneti de diluvio, in quo sanè audacis ingenii multa sunt monimenta. Sed & audacius aliquid asserendum suscipit; contendit enim omnia, quæ Moyses refert de creatione, de tentatione Evæ, diluvio, Paradiso terrestri, productione primæ mulieris, non veram esse historiam, sed allegoriam. Quàm profectò audax sit in asserendo, in eo intelligas, quòd ante diluvium nullos fuisse montes & maria, contra fidem Mosaici testimonii, affirmat; sicut etiam quòd, futilioribus innixus conjecturis, terræ situm alium fuisse olim, ac modò sit, asseveret; quòd pariter Zona torrida ea fuerit, quam Veteres describunt. Sed paradoxum illud quis ferat, nimirùm aquas Oceani, imò eas omnes, quæ ubique terrarum sunt, aquas nunquam pertingere potuisse, ut celsissimos montes, quamquam id affirmet Moyses, demergerent? Quomodo ergo diluvium? unde Burnetus aquas ad inundandam terram haurit? Cùm ad eam rem impares statuat aquas omnes maris, & amnium, quomodo deinde aquas in centro terræ collectas satis ad intentum fuisse determinat? nonne hæc ad sensum repugnant? Unde aquæ illæ, quarum fluctibus Arca Noë supra montes Armeniæ depulsa est? Si verò Moyses vel fabellam, vel allegoriam narrat, ut quid systema illud suum de diluvio tanto molimine fabricavit?

Animadvertimus supra, *Genes.* 1, 9, 10, Interpretes nonnullos in eâ fuisse persuasione, terræ superficiem olim æqualem undique fuisse; & cùm

Deus

(n) *Vid. Joseph Acosta, Antonium Herrera.* (o) Extrait de la Bibliotheque Universelle, Juin 1693. *Vide Telluris Theoriam sacram, ejusdem Authoris, confutatam a Cl. Kinson.*

℣. 12. Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

℣. 13. In articulo diei illius ingressus est Noë, & Sem, & Cham, & Japhet, filii ejus: uxor illius, & tres uxores filiorum ejus cum eis, in Arcam:

℣. 14. Ipsi & omne animal secundùm genus suum, universaque jumenta in genere suo, & omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundùm genus suum; universæ aves, omnesque volucres,

℣. 15. Ingressa sunt ad Noë in Arcam, bina & bina ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ.

℣. 16. Et quæ ingressa sunt, masculus & fœmina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: & inclusit eum Dominus deforis.

℣. 17. Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram: Et multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt Arcam in sublime a terrâ.

COMMENTARIUS.

Deus in unum locum defluere aquas jussit, terræ partes quasdam nonnullis in locis alios super alios aggestos tumulos quosdam formasse; aquas in excavata quædam, sive humiliora loca defluentes, maria constituisse; partim verò in cæcas quasdam sub terrâ cavernas sese dedisse; in diluvio autem receptacula illa sub montibus patuisse, prorumpentesque inde aquas, regurgitanti mari junctas, terram inundasse universam; ac tandem post diluvium in assignata sibi loca recessisse. In hac sententiâ plura sunt ardua; & quamquam Veteres, utì Aristoteles, Seneca, & alii, receptacula illa sub terrâ concedunt, non abs re tamen reputaremus, minorem esse eorum numerum, quàm pro opinione.

Quæ Author systematis comminiscitur de verna tranquillitate jugiter ante diluvium regnante, de sereno aëre, nullis unquam nubibus offuscato, de iride nunquam in cœlo spectatâ; hæc, inquam, singularia licèt, perniciosa utique non videntur, fidemque sibi aliquam conciliare possent e verbis Mosaicis. Illud cap. II, 5, 6, ita reddi posset ex Hebræo: *Quando creavit Deus Cœlum & terram, nondum omne virgultum agri erat in terrâ, nec dum omnis herba oriebatur: quia non pluebat Dominus super terram, & homo non erat ad colendam terram.* Quasi scilicet significaret Moyses, terram homini innocenti in sedem destinatam, nullâ difficili culturâ opus habuisse, ut fructus suos produceret, sed perpetuâ viriditate vestitam, fructibus nunquam caruisse. Addi possunt hæc, quæ in Textu continuantur: *sed vapor ascendebat e terrâ, & irrigabat universam faciem terræ.* Spectaverant hæc omnia Israëlitæ in Ægypto, ubi raræ pluviæ, & agriculturæ labor minimus. Homines ante diluvium agriculturam exercebant, utì Moyses testatur de Cain; non inde tamen jure inferretur, terram adeò fuisse culturæ impatientem difficilemque, ut hodie experimur.

Animadvertenda etiam censemus, quæ Deus cap. IX, 11, 12, 13 Noë egredienti ex Arcâ significavit, visurum nempe illum iridem in Cœlo, quam veluti pignus acciperet, nunquam deinceps futurum, ut aquis diluvii terra exhauriretur. Res autem poscebat, ut signum illud nunquam antea spectatum fuisset; ex quo conjectura non levis, nullas ante diluvium manasse pluvias. Tandem Moyses cap. VIII, 22, ita agit de anni temporibus post diluvium, quasi de re novâ, nunquam antea spectatâ: *Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent.* Accedunt his omnibus, quæ de aureâ ætate, læto semper cœlo tranquillâ, scribunt Poëtæ. Meminit equidem cap. VII, 4, 12, VIII, 2, Moyses imbrium, quibus aquarum accessio, erumpentibus ex abysso aquis, facta est. Meminit & pluviarum cessationis; quæ tamen omnia antea etiam pluisse utique non probant. Sed horum argumentorum, & conjecturarum futilitas facilè per se sentitur. Novum hoc systema ipsum per se cadit, si verum sit, terræ situm ante diluvium eumdem servasse ordinem ad partes reliquas universi, quem hodie tenet; servasse autem re ipsâ, insinuat apertè Moyses, vel saltem constat nunquam probari posse contrarium; si tandem non deerant ætate illâ maria, flumina, vapores, venti, utì ne ambigimus quidem, pluvias continuò, imbres, & procellas, & iridem &c. agnoscamus oportet.

℣. 13. IN ARTICULO DIEI ILLIUS. Hebræus (p): *In corpore*, sive *in substantiâ diei illius*, i. e. juxta plures Interpretes: *Eâdem ipsâ die*, 17 secundi mensis, seu *plenâ jam die*, ut spectaretur ab omnibus. In nonnullis Scripturæ locis voces Originalis constanter designant primum mane seu crepusculum, quam genuinam phrasis hujus interpretationem arbitror. Dierum suorum exordium ducebant Hebræi a vesperis; ita robur, substantia, corpus diei, meridies diei naturalis mane habebatur.

℣. 16. INCLUSIT EUM DOMINUS DEFORIS. Angeli ministerio Deus exteriùs postes Arcæ oblinivit; sive Noë ipse per se intra Arcam rem præstitit

(p) בעצם היום. *Genes.* XVII, 23, *Exod.* XII, 41.

℣. 18. Vehementer enim inundaverunt: & omnia repleverunt in ſuperficie terræ: porrò Arca ferebatur ſuper aquas.

℣. 19. Et aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram: Opertique ſunt montes excelſi.

℣. 20. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes, quos operuerat.

℣. 21. Conſumptaque eſt omnis caro, quæ movebatur ſuper terram, volucrum, animantium, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper terram: univerſi homines,

℣. 22. Et cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terrâ, mortua ſunt.

℣. 23. Et delevit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine uſque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cœli, & deleta ſunt de terrâ: Remanſit autem ſolus Noë, & qui cum eo erant in Arcâ.

℣. 24. Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

COMMENTARIUS.

ſtitit, metu ne aquæ per poſtium compages intus in Arcam penetrarent.

℣. 19. OPERTIQUE SUNT OMNES MONTES EXCELSI SUB UNIVERSO COELO. (20) QUINDECIM CUBITIS ALTIOR FUIT AQUA SUPER MONTES. Vniverſale diluvium Textus iſte inviciſſimè probat; atque utcumque diluvium contigerit, aquas certè inundantes totam latè terrarum faciem operuiſſe, omniaque extra Arcam animalia periiſſe, Moyſes apertè demonſtrat.

℣. 21. UNIVERSI HOMINES, ET CUNCTA, IN QUIBUS SPIRACULUM VITÆ EST IN TERRA, MORTUA SUNT. Monſtro ſimilis res eſt, e tantâ hominum terram occupantium multitudine, octo tantùm ex diluvii aquis illæſos evaſiſſe. Affirmandum aliqui audaciùs ſuſceperunt (q) hominum, qui in diluvio perierunt, portionem quandam ex Inferni pœnis liberatam fuiſſe; cùm ſcilicet Jeſus Chriſtus poſt obitum ſuum ad inferiora loca deſcendens, illis pœnitentiam prædicavit. Hanc opinionem invexit illud S. Petri Epiſtolâ primâ, *cap.* III, 19, 20: *Vivificatus autem Spiritu, in quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur Arca.* Una tamen Patrum & Theologorum ſententia docet, damnatis ſemel ad Inferos nullum patere aditum ſalutis; ut proinde homines illi, qui fidem verbis Noë denegarunt, & in ſuâ pervicaciâ interiere, nullum ab Inferis exitum per Jeſum Chriſtum habuerint. Deſcendit ille quidem ad Inferos, ſed ut animabus Sanctorum & Fidelium eſſet ſaluti. Ejus prædicatio, nempe adventûs ipſius facta palam denunciatio, ad augendum ſupplicium & deſperationem damnatorum & incredulorum valuit. Fusè hanc quæſtionem agitat Pererius ad *Geneſ.* VI, 13.

℣. 24. OBTINUERUNTQUE AQUÆ TERRAM CENTUM QUINQUAGINTA DIEBUS. Aquæ eundem tenuerunt ſtatum, neque auctæ, neque diminutæ, ſpatio 150 dierum, ducto initio a quadrageſimâ die, poſtquam Noë in Arcam ingreſſus eſt.

CA-

(q) *Hieron. in Tradition. Hebr. in Geneſ. & in Nahum* 1. *Rupert. in Geneſ. l.* 4, *c.* 16.

CAPUT VIII.

Diluvii aquæ decrescunt. Noë Corvum priùs, postea Columbam emittit. Ex Arcâ egreditur. Sacrificium Deo offert. Fœdus Deum inter & Noë.

Ann. Mundi 1657.

℣. 1. RECordatus autem Deus Noë, cunctorumque animantium, & omnium jumentorum, quæ erant cum eo in Arcâ, adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.
℣. 2. Et clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ Cœli: & prohibitæ sunt pluviæ de Cœlo.
℣. 3. Reversæque sunt aquæ de terrâ euntes, & redeuntes: & cæperunt minui post centum quinquaginta dies.
℣. 4. Requievitque Arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Armeniæ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. RECORDATUS DEUS NOE &c. Fidem suam liberatutus Deus, de servando scilicet Noë ab aquis diluvii (*a*) incolumi, rationem iniit terram ab aquis inondantibus relevandi. *Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Valido immisso vento impulit aquas in abyssos, unde Dei virtute in terram proruperant: elevavit insuper in aëra vapores, ad qoorum mensuram aquæ illæ minuebantur. Factum inde, ut die 17 septimi mensis, Majo respondeotis, subsedisse tandem Arcam Noë intelligeret; subsidit autem in jugo montis Ararat. Theodoretus & S. Ambrosius (*b*) verbis illis, *Adduxit spiritum*, designari Spiritum Sanctum censuerunt; Solem calore suo exsiccantem aquas, Rupertus Abbas *in Genes. l.* 4 *c.* 22: plerique tamen validum quemdam ventum malunt.

℣. 3. REVERSÆQUE SUNT AQUÆ DE TERRA EUNTES & REDEUNTES; nempe redeuotes in terræ intima penetralia; seu potiùs agitatæ a ventis undæ crispabantur in fluctus, qoorum alter in alterum incurrebat: *Euntes & redeuntes*; semper tamen magis recedentes a terrâ. Septuaginta reddunt: Ἐνεδίδου τὸ ὕδωρ πορευόμενον ἀπὸ τῆς γῆς: *Cedebat aqua vadens de terrâ.*

℣. 4. REQUIEVITQUE ARCA MENSE SEPTIMO, VIGESIMO SEPTIMO DIE MENSIS. Vulgata fidem Septuaginta expressit; Hebræus autem, cui Samaritanus, Chaldæus, & Syrus cohærent, pro 27 die legunt 17. Legisse videntur Septuaginta & Vulgata in Textu originali שבע ועשרים, *Schibah beserim*, viginti sepiem, pro שבע עשר יום *Schibah beser jom*, decimâ septimâ die, quod nos hodie legimus. Utra lectio melior, non facilè dijudicaretur. Qui Vulgatam defendunt, observant, vix fieri potuisse, ut Arca in monte Ararat subsiderit ipsâ eâdem die, qua decrescere aquæ cœperont; nempe 17 septimi mensis, qua claudebantur dies 150 regnantium aquarum diluvii super terram; multò autem verisimilius crederetur, post decimam taodem diem ita decrevisse aquas, ut Area hæreret in sicco. Alii originalem Textum præferunt, putantes, vastæ adeò molis navigium subsidere jam inde a primâ die potuisse in vertice montis Ararat; nec sanè inviti crederemus, onustum adeò navigium intima aquæ penetrasse ad altitudinem 14 vel 15 cubitorum.

SUPER MONTES ARMENIÆ. Hebræus: *Super montes Ararat*, אררט, LXX. Ἀραράτ: alii Ἀρμενίας. Eorumdem montium Ararat mentio occurrit 4 Reg. XIX, 37. & Isai. XXXVII, 38. Montem Ararat, ubi Area subsîdit, portionem esse montis Tauri, immioere agro Ararat, quem perluit Araxes, tradit S. Hieronymus *in Isai. c.* XXXVII. Hunc montem coostituit Nicolaus Damascenus (*c*) in Miniadâ, Armeniæ regione, appellatque *Barim. Lubar* nuncupat S. Epiphanius *de Hæres. l.* 1, *c.* 1; nempe, ut alibi observavimus, montem Lub seu Lubiorum, quas gentes in eâ regione statuit Plinius l. 6, c. 10. S. Ambrosio *de Noë & Arcâ*, *c.* 17, est mons quadratus, seu *mons quadrati*. Unde hanc etymologiam duxerit vir sanctus, non facilè divinaremus; nisi fortè nominis *Cardu* vel *Cadru* (mons est) affinitas fucum illi fecerit. Hoc nomen Paraphrastes Chaldæus monti illi tribuit. Alii denominant montes *Corduenos* sive *Cordyenos*. Arabs, *Carda*; montes sunt Gordiorum, apud Geographos, Armeniam inter & Mediam. Nomen Armeniæ nullibi in Textu Hebræo Veteris Testamenti occurrit; oriri tamen facilè potuit ex Aram, qui regionem illam frequentavit; sive ex Hebræo *Har*, mons, & *Minni*, gentis nomen apud Jeremiam LI, 27; unde Miniada Armeniæ provincia.

Ve-

(a) *Genes.* VIII, 18. (b) *Theodoret. in Caten. Ambros. l. de Noë & Arcâ cap.* 16.
(c) *Apud Joseph Antiq. lib.* 1, *c.* 3, *vel* 4.

℣. 5. At verò aquæ ibant, & decrescebant usque ad decimum
mensem: decimo enim mense primâ die mensis apparuerunt
cacumina montium.
℣. 6. Cùmque transissent quadraginta dies, aperiens Noë fene-
stram Arcæ, quam fecerat, dimisit Corvum:
℣. 7. Qui egrediebatur, & non revertebatur, donec siccaren-
tur aquæ super terram.
℣. 8. Emisit quoque Columbam post eum, ut videret, si jam ces-
sassent aquæ super faciem terræ.

COMMENTARIUS.

Veteris apod pópolos receptæ traditionis de Arcâ seu navigio Noë in Armeniâ subsidente, testimonium feruot prophani Scriptores apud Josephum & Eusebium (*d*). Tradit Berosus, suâ adhuc ætate colligi bitumen, quo Arca Noë, manens adhuc, oblinebatur; quo præsentissimo remedio a morbis bomines ineolumes servabantur. Omnium sæculorum Armeni (*e*) reliquias apud se navis illius se habere gloriati sunt; nec hodie usque cessant. Nulla est constantior, magisque continuata traditio. Ioterim siquis conferat inter se varias ejusdem Proviociæ relationes, certum locum, ubi Arca substiterit, nunquam designari posse intelliget. Plerique honorem tribuunt monti Ararat, ad orbem Erivan; quem montem Armeni appellant *Mesesonsar*, i. e. montem Arcæ.

Joannes Struys in suo Itinerario refert, montem Ararat tenere plurimas Monachorum Christianorum cellulas, ejosque verticem habere Heremicolam perpetuò inclusum. Refert, se, cùm in Asiâ captivus detineretur aono 1670, ab hero suo coactum ex urbe Erivan ascendisse ad verticem montis Ararat, ot herniosum Monachum curaret. Septem dies ascendendo insumpsit, singulis diebus quinque leueas conficiens; distributas autem cellulas iovenisse in singulas quinque leucas, ubi quiescebat, dueemque itineris ad superiora ascendendi mutabat. Ita ad regionem aëris pervenisse se dicit, ubi nubes concrescunt; tantoque se algore continuò toto correptum corpore dicit, ut penè enecaretur; dein verò dulcem aëris temperiem expertus. Monachus ille, qui supremum verticem montis tenebat, sanctè viro affirmavit, spatio 20 annorum, quo in loco illo egerat, nullas se ibi sensisse seu frigoris, seu caloris, seu ventorum, sive imbrium vices. Muneris loco viro dedit crucem e ligno Arcæ, uti quidem affirmabat, iotactæ adhuc in eo monte, confectam. Verùm D. Tournefortius, qui locum oculatus testis spectavit, totam illam Struys historiam falsitatis accusat, affirmans, montis Ararat verticem inaccessibilem esse omnibus, ac perpetuis nivibus teneri; præruptumque esse adeò, ut ascensum omnibus deneget. Assurgit in medio patentis agri solitarius.

Itinerator alius scribit, 12 leucis ab Erivan in plagâ Orientali spectari inclytum montem Ararat, appellatum *Macis*, ex nomine *Mar*, seu *Mesech*, filii Aram, patris Armenorum. Intactam manere adhuc Arcam in vertice Macis, recepta apud eas gentes traditio doeet, quamquam nemini ad eum usque locom pervenire datum sit; qood sanè non inviti eredimus, cùm a vertice usque ad medium montis jugum regnent perpetuæ nives, vetustâ adeò glacie densæ, ut per medias illas viam aperire arduum sit maximè & impossibile.

Tandem eelebris Benjamin io suo Itinerario refert, pervenisse se bidui itinere e Nisibi ad Insulam filii Omar in medio Tigridis, ad pedes montis Ararat, oonnisi leucæ quadraote ab eo loco remoti: narrat pariter, Omar filium Alcitab furtim subripi curasse ex eo monte Arcæ reliquias, ac in Insulam transferri, e subductis inde lignis Moschæâ excitatâ. Fabulæ!

℣. 5. Decimo mense, prima die mensis. i. e. juxta Usserium, die 19 Julii.

℣. 6. Aperiens Noe fenestram Arcæ. Septuaginta: *Aperuit* θύραν, *ostium Arcæ*; sed alius Interpres lectionem Hebræi retinet: *Aperuit fenestram*, θυρίδα. Faciliùs autem credimus, emissum corvum e magnâ Arcæ fenestrâ, cancellis fortè clausâ.

℣. 7. Qui egrediebatur, et non revertebatur. Septuaginta, Syriacus impressus, & Patres omnes Vulgatæ lectionem servant: *Non revertebatur*. Sed Hebræus negationem supprimit, nec servant pariter Chaldæus, Josephus, Syriacus apud Didymum: יצא יצוא ושוב: habeat enim, *Corvum* redisse. Expungunt pariter oegationem vetera quædam Latina Exemplaria (*f*). Utra melior lectio, in utramque partem disceptatur. Plerique lectionem Septuaginta & Vulgatæ præferunt, rati corvum in arbore aliquâ excavasse sibi nidum, & ex innatante fortè super aquas cadavere pastum, vel constitutâ sibi in montibus sede, oullam redeundi eausam habuisse. Præferendam alii malunt lectionem Originalis, unde sententia optima exprimitur: corvus scilicet, eundo & redeundo circa Aream advolitabat, quiescens in tecto, nunquam tamen subiens interiora. Reddunt alii Hebræum in sententiam buic affinem: *Ultrò citroque volitans*. Alii: *Egressus egrediendo & recedendo*. Vox *Schub* usurpatur interdum pro recedere (*g*); sed ejus syntaxis tunc alia planè est, quàm quæ hîc instruitur.

Donec siccarentur aquæ. Favere hæc possunt lectioni Hebræi: *Corvus egrediebatur & revertebatur ad Arcam*, sive io Arcam, *donec siccarentur aqua super terram*. Qui Vulgatam defendunt, observant partieulam *donec* non semper usurpari de re aliquâ post certum temporis spatium factâ, sed taotùm antea illam non contigisse (*h*); ut proinde nihil ex illâ rectè inferas de reditu cor-

(d) *Abyden. apud Euseb. Præpar. l.* IX, c. 4. *Beros. apud Joseph. lib.* 1 *Antiq. c.* 3. (e) *Basil. Seleuc. Orat.* VI *de Arcâ Noë*. (f) *Brug. & edit. ultima operum S. Hieronymi*. (g) *Vid. Genes.* VIII, 3. *Ruth* 5, 16. *Ezech.* XVIII, 26. (h) *Matth.* 1, *ult. Psal.* CIXI, *&c.*

℣. 9. Quæ, cùm non inveniſſet ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad eum in Arcam: aquæ enim erant ſuper univerſam terram; extenditque manum, & apprehenſam intulit in Arcam.

℣. 10. Expectatis autem ultra ſeptem diebus aliis, rurſum dimiſit Columbam ex Arcâ.

℣. 11. At illa vênit ad eum ad veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo. Intellexit ergo Noë, quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram.

℣. 12. Expectavitque nihilominus ſeptem alios dies: & emiſit Columbam, quæ non eſt reverſa ultra ad eum.

℣. 13. Igitur ſexcenteſimo primo anno, primo menſe, primâ die menſis, imminutæ ſunt aquæ ſuper terram: Et aperiens Noë tectum Arcæ, aſpexit, viditque quòd exſiccata eſſet ſuperficies terræ.

℣. 14. Menſe ſecundo, ſeptimo & vigeſimo die menſis, arefacta eſt terra.

℣. 15. Locutus eſt autem Deus ad Noë, dicens:

℣. 16. Egredere de Arcâ tu & uxor tua, filii tui & uxores filiorum tuorum tecum.

COMMENTARIUS.

vi ad Arcam, uti habet Hebræus. Avis igitur illa *egrediebatur & non revertebatur, donec ſiccarentur* (penitùs) *aquæ ſuper terram*. Non ſcilicet poſt ſiccatas aquas regreſſus eſt, ſed antea utique non rediit.

℣. 9. Quæ cum non invenisset, ubi requiescaret pes ejus. Montium cacumina lætam Cœli faciem jam ſpectabant; ſed cum ſolum terræ adhuc aquæ & lutum inficerent, ubi columba pedem figeret, non habebat.

℣. 11. Portans ramum olivæ virentibus foliis. Septuaginta: *Folium oleæ feſtucam*. In Hebræo nihil de viriditate hujus rami (*i*); & plures doctiſſimi Interpretes (*k*) vertunt tantum, *folium ſeu ramum olivæ decerptum*. Quamquam verò lectio Vulgatæ ſervaretur, *Ramum olivæ, virentibus foliis*, nequaquam tamen ad prodigium recurrendum eſſet, uti aliquibus ſuccurrit (*l*), quaſi ſcilicet ramus iſte olivæ virtute quadam ſupernaturali illæſus ſub aquis ſervatus eſſet: nec quærere illum oporteret ſive in Paradiſo terreſtri, ſive in Judæâ, quæ duo loca diluvii aquis intacta fuiſſe nonnulli arbitrantur.

Perpetuâ viriditate veſtitur olivæ arbor (*m*); nec rarò ſub mari vel ſub aquis vireſcere arbores illas aſſerunt Scriptores rerum naturalium (*n*); uti de mari Rubro & Oceano orientali affirmat Plinius: *Rubrum mare, & totus Orientis Oceanus repletus eſt ſylvis*. Et infra: *In mari Rubro ſylvas vivere, laurum maximè, & olivam baccas ferentem &c.* Gemina aſſerit Theophraſtus (*o*), aſſerens, mare ad Gedroſiam conſitum eſſe lauris & olivis. Ex quo illud inferendum, minori utique prodigio, quàm pro opinione, intactas ſervari potuiſſe arbores ſub aquis diluvii; petitaque inde incredulorum argumenta ſoliditatis habere minimum. Montium cacumina nonniſi 150 dierum ſpatio circiter ſub aquis latuerunt. Semina & radices plantarum plurimas ſervavit in Arcâ Noë, ut illarum exitium repararet. Itaque factum eſt, ut ſine miraculo plantæ & arbores in montibus conſitæ, ſicut & cæteræ ſub aquis vireſcentes ſervari potuerint. Nota ſunt ſemina, quæ annis plurimis ſub terrâ conſervantur.

℣. 13. Sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis, imminutæ sunt aquæ &c. Tectum Arcæ reduxit Noë A. M. 1657, ante Chriſtum 2347, primâ die ineuntis anni & menſis, quæ reſpondet diei 23 Octobris; pedem tamen ex Arcâ non retulit, niſi die 17 Secundi menſis, nempe 18 Decembris ejuſdem anni (verſ. 14). Dei mandata ad egrediendum expectabat.

Aperiens Noe tectum Arcæ. Non faſtigiatum erat tectum, ſed planum, pro more Orientalium. Aperuiſſe illum feneſtram malunt alii, quæ feneſtra tecto reſponderet, uti non diſſimiles ſpectantur.

℣. 17.

(i) עלה זית טרף *Septuag.* φύλλον ἐλαίας, κάρφος ἐν τῷ στόματι αὐτῆς. *folium olivæ, feſtucam. Sym.* θαλλόν, *ramum.* (k) *Bonfrer. Piſcat. Ainſvort. Malvend.* (l) *Ambroſ. l. de Noë & Arcâ, c. 20.* (m) *Chryſoſtom. hom.* XXVI *in Geneſ. & Plin. lib.* XVI, *c.* 20. (n) *Plin. lib.* XII, *c.* 25. (o) *Hiſt. Plantar. l.* IV, *c.* 8. *Vid. Boch. de animalibus ſacris p.* 11, *l.* 1, *c.* 6.

℣. 17. Cuncta animantia, quæ sunt apud te, ex omni carne, tam in volatilibus quàm in bestiis & universis reptilibus, quæ reptant super terram, educ tecum, & ingredimini super terram: Crescite, & multiplicamini super eam.

℣. 18. Egressus est ergo Noë, & filii ejus, uxor illius, & uxores filiorum ejus cum eo.

℣. 19. Sed & omnia animantia, jumenta, & reptilia quæ reptant super terram, secundùm genus suum, egressa sunt de Arcâ.

℣. 20. Ædificavit autem Noë Altare Domino: Et tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocausta super Altare.

℣ 21 Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ: non igitur ultrà percutiam omnem animam viventem, sicut feci.

COMMENTARIUS.

℣. 17. CRESCITE ET MULTIPLICAMINI. Hebræus & Chaldæus: *Crescant & multiplicentur*: quasi scilicet nonnisi ad animalia Deus loqueretur. Eadem edixisse Noë ejusque filiis, dicemus cap. IX, 1. Interpretum plures asserunt, nec homines nec animalia generationi operam dedisse in Arcâ, veluti si expectassent impositum hìc Dei mandatum, ut generi suo multiplicando operam navarent.

℣. 21. ODORATUSQUE EST DOMINUS ODOREM SUAVITATIS. De Deo quasi de homine agens Scriptura, nidore carnium delectari illum insinuat. Cordis tamen Noë æquitas una tantùm poterat erga se Deum allicere. Irridet Lucianus *in Prometheo* Paganorum illam persuasionem, Numinum majestate maximè indignam, quasi scilicet tangerentur nidore victimarum & fumo. Exhibet ille Numina instar muscarum, effusum e victimis cruorem lambentia. Si Deus sacrificia exigit a nobis, non quasi indigus exigit, sed ut eo præcepto intelligamus, præstandum nobis esse tanquam a Subditis in Dominum obsequium, simulque ut eo exhibito servitutis nostræ officio, mercedem ab illo beneficiorum obtineamus.

ET AIT: NEQUAQUAM ULTRA MALEDICAM TERRÆ PROPTER HOMINES: SENSUS ENIM ET COGITATIO HUMANI CORDIS IN MALUM PRONA SUNT AB ADOLESCENTIA SUA. Insinuari hìc videtur, pronam illam hominum in malum inclinationem in causâ fuisse, cur Deus maledicto tradere terram ulteriùs nollet; intelligimus interim ex cap. VI, 5, eandem illam hominum in malum indolem Deum pepulisse, ut immissis diluvii aquis genus hominum & animalium perderet. Constat equidem, ipsa eademque hominum crimina & justitiam Dei & misericordiam simul aliter & aliter spectata in se excitare. Ultio Dei a crimine prov[illegible] circa crimen itidem Deus clementiam suam exercet: *Et nisi peccassem, quid tu concedere posses?* Excitant in se Dei iram & ultionem peccata: sed miseratione Deum tangit insita hominibus concupiscentia, ad malum prona imbecillitas, & ad virtutem excolendam minùs valida cordis habitudo.

Textus iste (p): *Nequaquam ultra maledicam terræ, quòd homines in malum sunt proni ab adolescentiâ suâ*; exponi potest ita, juxta Grotium: Non ultra flagellum excutiam, nisi in homines maximè impios. Nunquam enim alioqui ponendum esset flagellum, & quotidianis diluviis exterminandus esset mundus, ait Bonfrerius, si in omnes eamdem pœnam meritos animadvertendum Deus susciperet. Vel, juxta Glassium: Valerem ego quidem homines impios novis, communibus, & universalibus suppliciis punire; sed remittendam manum censeo; vel, juxta alios: Nequaquam ultra maledicam terræ, quamquam cor & cogitatio hominis corrupta sint.

Cernere hìc licet peccatum originale, & quam referunt ab ortu homines concupiscentiam, criminum omnium fontem, & originem. Humanum etiam genus universum unâ corruptionis massâ obvolutum; fontes omnes ab origine dignos extremis suppliciis, bonis supernaturalibus sine gratiæ auxilio præstandis impares. Quo loco Vulgata habet, *Et ait*, Hebræus legit: *Ait ad cor suum* (q). Onkelos, & Jonatham vertunt: *Ait in suo verbo* (r); quod nonnulli interpretantur de Verbo Divino, seu Filio, ad quem Deus verba faceret. Credimus tamen cum doctissimis Interpretibus, nunquam urgendam vim ejus vocis, nisi cùm sensus & contextus sermonis, ac Patrum traditio ad Verbum Æternum determinat. Constat enim, hanc loquendi phrasim, *dicere in suo verbo*, usurpari apud Chaldæos pro dicere in semetipso.

Septuaginta (s): εἶπε διανοηθεὶς, *Dixit recogitans*. Symmachus: *Dixit ad semetipsum*. Arabs: Ad suum Prophetam, ad dilectum suum, quod sive de Messia sive de Noë exponitur. Qui de Noë interpretantur, reddunt Hebræum: *Deus dixit ad cor*, nempe consolatus est Noë, seu *dixit ad cor suum*, ad Noë scilicet, hominem juxta cor suum.

(p) לא אסף לקלל עוד את האדמה בעבור האדם כי יצר לב האדם רע מנעריו. (q) אמר אל לבו (r) במימריה (s) *Symm.* εἶπε πρὸς ἑαυτόν. *Aq. Th.* εἶπε πρὸς καρδίαν αὐτοῦ.

℣. 22. Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies non requiescent.

COMMENTARIUS.

℣. 22. CUNCTIS DIEBUS TERRÆ, SEMENTIS ET MESSIS, FRIGUS ET ÆSTUS, ÆSTAS ET HYEMS NON CESSABUNT. Non satis constat ex Scripturâ, an Hebræi annum in quatuor tempora pro nostro more distinguerent. Tria anni tempora agnoscebant Ægyptii, ver, æstatem, & hyemem, juxta Diodorum *l. 1, c. 1.* Tacitus de priscis Germanis scribit: *Annum quoque ipsum non in totidem digerunt species. Hyems & ver & æstas intellectum & vocabula habent; autumni perinde nomen & bona ignorantur.* Veteres Græci (*t*) tria pariter anni tempora nôrant, quæ eorum Theologi *Horas* appellabant, ac filias tribuebant Jovi & Themidi.

De hyeme & æstate satis apertè Moyses; sed voces illas synonymas æstui & frigori, pro universis anni tempestatibus usurpari arbitror. Messis hordeacea inibat ad exitum Martii in Judæâ, sementis autem inclinante Octobre: Moysem tamen semente autumnum, ac messe ver significasse nequaquam credimus. Designat Psalmista æstatem & hyemem veluti duo tantùm anni tempora Hebræis nota (*u*): *Æstatem & hyemem tu plasmasti ea.* Occurrit interdum autumni nomen in Vulgatâ, ut Isaiæ XVIII, 4; sed in Hebræo est vox *Kaitz*, quæ significat æstatem, seu tempus messis, Aprili & Majo respondens. Vox exprimens vernum tempus, nulla est apud Hebræos.

Targum Jonathan in hunc locum tradit, sementis tempus in Palæstinâ componi cum Æquinoctio Septembris, & messis cum Æquinoctio Martii, hyemem incidere in Solstitium Decembris, æstatem in Solstitium Junii. Cophtæ sive Ægyptii autumnum ineunt a die 15 Septembris, ducuntque ad 15 Decembris: hyemem repetunt a 15 Decembris usque ad 15 Martii; excipit ver usque ad 15 Junii; succedit æstas usque ad 15 Septembris; tres menses pleni in singula anni tempora.

CAPUT IX.

Fœdus Dei cum Noë. Iris in Cœlo, fœderis illius pignus. Noë vineam plantat. Inebriatur. Nudus spectatur a Cham. Maledictio Noë in Chanaan.

℣. 1. BEnedixitque Deus Noë & filiis ejus. Et dixit ad eos: Crescite, & multiplicamini, & replete terram.

℣. 2. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres Cœli, cum universis quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt.

℣. 3. Et omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.

COMMENTARIUS.

℣. 1. BENEDIXITQUE DEUS NOE; idest blandis benignisque verbis compellans, habere se illos in clientelam suam significavit, fœcunditatem largitur, quæ benedictio est familiaris in Scripturâ, sicut sterilitas est maledictio.

℣. 2. TERROR VESTER ET TREMOR SIT SUPER CUNCTA ANIMALIA &c. Concessum Adamo jus in animalia Deus asseruit Noë, cujus juris consequutiones sunt ferocissimarum etiam belluarum insitus erga hominem timor, ac terror. Cùm belluæ homines vincant & corporis immanitate, & robore, facilè genus omne nostrum delerent, nisi validâ Dei manu continerentur, infrænarenturque. Asserit Plinius *l. VIII, c. 4,* Elephantes ad vestigia etiam hominum pavescere; ac Tigrides vix prospecto venatore catulos suos aliò transferre. Subinfert deinde, eas feras hoc didicisse ex ipsâ naturâ: *Nimirum hæc est natura rerum, hæc potentia ejus, sævissimas feras maximasque nunquam vidisse quod debeant timere, & statim intelligere cur sit timendum.* S. Basilius observat, pisces ad umbram usque hominum fugere (*x*).

℣. 3. OMNE QUOD MOVETUR ET VIVIT, ERIT VOBIS IN CIBUM. Hebræus: כל רמיש, *Omnia reptilium viventium genera erunt vobis in cibum*; ex quo inferunt S. Justinus (*y*) aliique, concessam tunc primò facultatem carnibus in cibum utendi, qua indiscriminatim usi sunt homines usque ad rogatam Legem, cùm scilicet discrimen inter animalia invectum est. Theologorum etiam nonnulli (*z*) censent, jam inde ante diluvium liberum fuisse carnium esum indiscriminatim omnium; quam opi-

---

(*t*) *Vide Diodor. Sicul. & Euseb. Præpar. l.* III, *c.* 11.
(*u*) *Psal.* LXXIII, 17. קיץ וחרף
(*x*) *Basil. hom.* X, *in Gen. Perer. in Gen.* I, 25.
(*y*) *In Dialog. cum Tryphone. Theodoret. q.* 55. *Bonfrer. &c.*
(*z*) *A Soto de Justitiâ lib.* V, *quæst.* I, *art.* I. *Cajetan. Francisc. Victoria.*

Digitized by Google

℣. 4. Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis.

COMMENTARIUS.

opinionem validiùs propugnat Dominicus Soto in suis Libris de Justitià, illud potissimùm argumentum inculcans, nullis scilicet legibus, neque positivà neque naturali, injunctam esse a carnibus quibuscumque abstinentiam.

Alii tamen arbitrantur, verba illa Moysis, *Omne quod movetur & vivit*, de animalibus tantùm mundis usurpari oportere, quæ est Arabis versio: *Omne animal reptans, & quod mundum est.* S. Hieronymus in suo Libro adversùs Jovinianum 2, *c.* 10, observat, Deum, insitam in hominibus ad malum propensionem intuitum, consilio præoccupandi malam de omnibus indiscriminatim carnibus utendi cupiditatem & prævaricationum materiem omnem subducturum, ita carnium usum permisisse, ut ad animalia tantùm pura restringeret, quò simul & imbecillitati indulgeret, & amorem suum erga abstinentiam & jejunium illustri hoc documento monstraret. Longam refert in eodem Libro exemplorum seriem vir ille sanctus, demonstraturus, apud Paganos etiam, quin & integras Orbis Nationes obtinuisse a carnibus quibusdam abstinentiam, vel superstitione, vel politicis nonnullis rationibus inductam. Ita, ait ille *cap. 6*, in Ægypto & Palæstinâ a vaccâ abstinent omnes, quòd infrequens sit animal, cùm vicissim familiaris sit usus taurorum, boum, & vitulorom. In nostrâ Provinciâ, addit, vitulinas carnes in cibum adhibere nefas; quas pariter non diu antea Valens Imperator latis legibus per totum Orientem interdixit, usibus agriculturæ eà cautione servire intendens.

Constat apud omnes, quantâ tenerentur superstitione in cibos quosdam Ægyptii, ac variarum gentium Sacerdotes, & Philosophi; quod quidem argumento esse videtur, (*a*) discrimen in carnibus ad cibum destinatis omni ætate viguisse; atque inter Hebræos, vel ante Legem, mores aliquos pro Lege servatos obtinuisse, mores, inquam, ad animalium discretionem spectantes; ac denique omnes in eà fuisse persuasione, Deum scilicet usum carnium non permisisse Noë, nisi ex animalibus mundis. Arbitramur, discrimen illud mundorum, & immundorum animalium nonnisi in usum sacrificii obtinuisse ante Legem; si enim discrimen illud longè latèque gentes tenebant, ut quid tam sedulò in Levitico singula mundorum, & immondorum genera distinguuntur?

℣. 4. EXCEPTO QUOD CARNEM CUM SANGUINE NON COMEDETIS. Non satis aperta est in Hebræo sententia (*b*): *Carnem in animâ ejus, Sanguine ipsius, non comedetis*: seu, *Non comedetis carnem cum animâ ejus*, i. e. *cum sanguine ejus*. Hebræi & communiter Veteres censebant, sanguinem aut animam esse, aut animæ sedem: *Sanguis aut anima est, aut anima sedes*, ait Servius (*c*). Et Moyses luculenter (*d*): *Anima carnis in sanguine est*. Virgilius in eamdem sententiam: *Purpuream vomit ille animam*. Aristophanes de insectis lambentibus sanguinem, bibere illa animam canit (*e*). Eamdem interpretationem vindicant Mosaicis verbis Syrus, & Samaritanus. Nec abhorrent Philosophi nostræ ætatis, docentes, animalium spirituum examen e sanguine ebullire, spirituum, inquam, per omnes corporis partes diffusorum, quibus motus & vita animalis fovetur.

In examen modò revocandum est, an scilicet Deus suffocatarum tantùm carnium usum interdixerit; seu animalis, cujus sanguis non prorsus defluxerit; an pariter abstinendum præceperit a sanguine cocto, coagulato, seu liquenti; an tandem interdixerit carnem crudam, sive, ut aliqui maluot, membra corporis e viventi animali avulsa, vel rescissa. Duæ occurrunt in Scripturâ leges, quæ cùm nostram hanc referre videantur, lucem affundere rebus præsentibus possunt. Prima legitur Levitici xvii; secunda Actuum xv, 20.

Usum sanguinis in cibum vetat Moyses (*f*), reservasse sibi Deum animalis sanguinem observans, offerendum in altari, & expiandis criminibus populi destinatum. Mandat, ut si fortè venatu præda aliqua, sive e quadrupedibus, sive ex avibus capiatur, jugulatæ statim sanguis humo tegatur, tum, si e mundorum censu sit animal, adhibeatur in cibum. Exequutionem ejus legis habemus in historiâ Saulis, 1 *Reg.* xiv, 32. Ingenti partâ de Philistæis prædâ, Judæi mactarunt statim frequentissima animalia, non satis observantes, an sanguis universus in terram defluxerit. Monitus eà de re Saul, grandem quemdam lapidem poni jussit, super quem jugularentur animalia. Inde lux affunditur Legi Moysis, & mandato Dei ad Noë. Arbitramur enim duas illas leges plurimùm habere inter se affinitatis; neque aliò spectare decretum illud Apostolorum de abstinentiâ *a sanguine & suffocatis* (*g*), nempe a suffocatorum animalium, quorum non totus sanguis defluxerit, carnibus, & a sanguine sive liquato sive concreto. Apostolici hujus Decreti typum fuisse Noëmicum illud mandatum, censet S. Augustinus, ut proinde una fuerit utrobique lex.

An hodie usque præceptum de non gustando sanguine urgeat, sciscitantur nonnulli. Legem illam Christianis adhuc indici censent viri quidam docti (*h*); nec sanè diffitemur, pluribus in locis usque ad duodecimum, vel undecimum sæculum perseverasse. Laudantur in eam rem Canones Conciliorum, septem, vel octo sæculorum; favetque sententiæ traditio, a primis sæculis usque ad undecimum deducta. Tertullianus (*i*), Athenagoras, Minutius Felix, S. Justinus, S. Byblida Martyr, quæ supplicium toleravit An. 179; ut justitiam Christianorum defenderent ab invidià degustati humani sanguinis, & jugulatorum infantium, qua a Paganis onerabantur, reponebant tantùm abesse Christianos ab hoc crimine, ut ne in sanguinem quidem bruti jus sibi esse crederent. Concilium Gangrense, can. II, An. 324; Constitutio LVIII Leonis Imperatoris *Novell.* Concilium Trullense can. LXIX, An. 692; Arelatense II can. XX, Ann. 533; Concilium Vormiense can. LXIV, An. 868; Zacharias Papa

(a) *Chrysostom. homil.* XXIV *in Genes.* (b) אך בשר בנפשו דמי לא תאכלו (c) *Vide Grotium*.
(d) *Levit.* XVII, 14. *Deuter.* XII, 23. (e) Την ψυχὴν εκπίνουσι. (f) *Levit.* VII, 26, & XVII, 11, & 14.
(g) *Act.* XV, 29. (h) Grotius, Salmasius, de Courcelles, Gerardus Vossius, Blondellus, &c.
(i) *Tertull. Apolog. c.* 9. *Athenagoras*, *Minut. in Octav. Justin. Apolog.* 1.

℣. 5. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: & de manu hominis, de manu viri, & fratris ejus, requiram animam hominis.

COMMENTARIUS.

Papa Ep. XIII, An. 751, ad S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum scribens, vetitum dicit, unà cum Conciliis illis omnibus, usum suffocati & sanguinis. Sub Leone IX Pontifice, Humbertus Cardinalis, (*k*) Legatus Constantinopolim, in suis ad Græcos responsis demonstrat, viguisse in Ecclesiâ Latinâ legem abstinendi a suffocato hominum incuriâ, sive a morticino sive ab animali in undis demerso; atque in transgressores ejus legis, nisi fortè adacti necessitate id fecerint, impositâ pœnitentiâ animadverti testatur.

Sed aucupio captas aves & venatu apprehensam venatoriis canibus prædam degustare, integrum esse omnibus, eodem in loco observat Humbertus; qua in re, ait, præcepto Apostolico I *Cor.* X, 27, obedimus, injungenti, ut omnibus venum expositis utamur, *nihil interrogantes propter conscientiam.* Notat S. Hieronymus *in Ezech.* XLIV, ætate suâ per universas Orientales Ecclesias, sicut & Romanam, sanctè observari morem abstinendi a sanguine & suffocato. Sed ejusdem ætatis S. Augustinus *cont. Fauʃt. l.* 32, *c.* 53, moris ejusdem æquam exhibet ideam, asserens, tamdiù viguisse illum, quamdiù paries intermedius Judæos a Gentibus divideret; cùm scilicet Ecclesia nondum ex utrâque gente plenè coaluisset. Postquam verò, ait, nulli sunt ampliùs in Ecclesiâ Israëlitæ secundùm carnem, nemo sibi ducit religioni, si carnibus utatur animalis, cujus sanguis non defluxerit in terram; si quis autem imbecilliorem habeat eâ de re conscientiam, de ridiculo ab aliis traducitur. Videsis Patrem Alexandrum, Dissertatione in hunc locum.

Verba Dei ad Noë in hunc sensum interpretantur nonnulli, quasi membrum superstitis animalis vorari interdiceret. Ita exponunt Judæi, iati, consilium Dei in eâ symbolicâ lege ferendâ illud fuisse, ut homines ab exercendâ in suos feritate removerentur. Inter præcepta filiis Noë, ut illi quidem sentiunt, imposita, hoc datum censent, ne quis *superstitis animalis membro in cibum utatur*; quod referri credunt ad præceptum hoc Noëmicum. Neque hanc interpretationem respuere Textum fatemur; sicut & agnoscimus ultrò, morem hunc, sævissimum licèt & detestabilem, invaluisse apud Antiquos, ut proinde non difficilè concederemus, Deum, eo imposito præcepto, velut aggerem opposuisse, ne crimen in populum irrumperet, vel jam gliscens perimere voluisse. Arnobius *contra Gentes l.* V, spectatos narrat homines, qui *caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipabant.*

In Festis Bacchi Mænolis, seu furentis (*l*), capite anguibus redimito, & impotenti, vel si mavis, sacro furore abrepti viri, sacris illis initiati, crudas carnes e vivis animalibus divulsas vorabant. Porphyrius narrat (*m*), in Insulâ Chio, eos, qui sacra Baccho, cognomento *Omadio* seu crudarum carnium voratori, operabantur, hominem sacrificare consuevisse, quem in frusta discerpebant. Eadem disciplina in Insulâ Tenedo obtinebat. Lucianos προλαλια de Bacchantibus asserit, spirantem ovem discerpsisse. Si quis, ait Sextus Empyricus (*n*), avulserit membrum vivi alicujus animalis, nequaquam illum projicere oportet, sed vel in terram defodiat, aut potiùs voret; quò scilicet in cibum hominis adhibitum, in eamdem cum illo transeat naturam. Eò usque superstitionis apud Paganos ventum est. Hæc crudelitatis scelera Deus Noachidis interdixit, si Judæos audias.

Plutarchus *de Defectu Oraculorum*, in censu sævissimarum superstitionum hanc collocat, unà cum more hominum Dæmoni immolandorum, apud vetustissimas Paganas gentes obtinente. Factum esse a Recentioribus Rabbinis, ad onerandos invidiâ Christianos, censet Grotius, factum, inquam, ut verba Dei in hanc sententiam interpretarentur. Neque enim id succurrisse dicit priscis Judæis; sicut & modò etiam viri apud Judæos docti pronam interpretationem de abstinentiâ a sanguine animalium præferunt. Ad se verò quod attinet, eâ se teneri persuasione insinuat, vetari illis, ne homines in cibum adhibeant *botulos cruore distentos*, juxta phrasim Tertulliani *Apol. sect.* 9, nempe intestina conferto sanguine tumentia, vel aliud simile. Lac cum sanguine mixtum bibebant Troglodytæ & Scythæ (*o*).

℣. 5. SANGUINEM ENIM ANIMARUM VESTRARUM REQUIRAM DE MANU CUNCTARUM BESTIARUM; DE MANU HOMINIS REQUIRAM ANIMAM HOMINIS. Injunxerat antea Deus abstinentiam a sanguine animalis. Edicit hìc ultionem exacturum se de belluâ, fusi humani sanguinis reâ; sicut & pœnam exacturum se de homine, qui hominem interfecerit. Quatuor parricidarum genera, quibus ultio decernitur, distinguunt hìc Rabbini (*p*); 1, qui sibi manus inferunt violentas: *Sanguinem animarum vestrarum requiram*; 2, qui manus inferunt in alium hominem: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*; 3, qui immissis sicariis, crudelem illam artem exercentibus, inimicos e vivis subducunt. *De manu hominis, de manu viri, & fratris ejus, requiram animam hominis*; 4, tandem qui hominem bestiis discerpendum exponunt, vel bestiam in hominem incitant: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.* Censet Jarchi sævum hunc morem regnasse ante diluvium, belluas in cædem hominum alendi.

Sunt qui legendum credant pro *Sanguinem enim requiram &c.*, illud: *Sanguinem igitur requiram*; vel *Profectò ego requiram &c.* Illud namque *enim* præposterè in eo loco positum videtur; & Textus Hebraicus אך commodè sensum illum admittit, *igitur, sed, tandem.* Commodè pariter primum membrum versiculi 5 redderetur: *Sanguinem requiram post interitum vestrum, loco vestri, vestrum*

(*k*) *Humbert. Dialog. contra calumnias Græc. tom.* XV *Bibliot. PP.* (*l*) *Clem. Alex. Protreptico p.* 9. Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι βάκχοι, ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, ϗ τελίσκουσι τὰς κρεωνομίας τῶν φόνων, ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, ἐπολολύζοντες Εὐάν. (*m*) *Porphyr. de abstin. lib.* III. ἔθυοντο δὲ ϗ Χίῳ τῷ ὠμαδίῳ Διονύσῳ ἄνθρωπον διασπῶντες, ϗ ἐν Τενέδῳ, &c. (*n*) *Pyrrh. Hypoth. lib.* III, *c.* 25. (*o*) *Strab. lib.* VII. (*p*) *Hebræi apud Fagium.*

Digitized by Google

℣. 6. Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: Ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.
℣. 7. Vos autem creſcite & multiplicamini, & ingredimini ſuper terram, & implete eam.
℣. 8. Hæc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios ejus cum eo:
℣. 9. Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos:
℣. 10. Et ad omnem animam viventem, quæ eſt vobiſcum, tam in volucribus, quàm in jumentis & pecudibus terræ cunctis, quæ egreſſa ſunt de Arcâ, & univerſis beſtiis terræ.

COMMENTARIUS.

ſtrum ſanguinem, qui effuſus fuerit; ſeu potiùs: *Ulciſcar necem in ſe ipſum ab homine illatam*; vel tandem: *Ultionem requiram de veſtro ſanguine*, qui veſtra eſt anima, qui vos animat, vitâ nempe animalis.

De manu cunctarum bestiarum. Samaritanus: *De manu omnis viventis* (*q*). Quicumque ſanguinem veſtrum fuderit, ſubjicietur ultioni, frater, cognatus, advena. Juſta hæc videtur interpretatio, ſed nihil obſtat, quominus Vulgatam ſequamur; ſicut & Hebræum (*r*) ac Septuaginta &c. qui locum reddunt de ultione Dei ex animalibus hominem interimentibus; conſtat enim, in Lege pœnas decerni in boves & tauros cornipetas (*ſ*). Suſpicatur Pererius, ſpectatas hìc a Deo Leges illas dein rogandas.

℣. 6. Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundatur sanguis illius. En Talionis legem apud primos homines conſtitutam (*t*); Deus ultionem permittit ſanguinis pro ſanguine, mortis pro morte. Jus illud e ſingulis privatiſque hominibus in Magiſtratus & Principes, apud quos popularis juris & Legum depoſitum manet, translatum eſt. In Novo Teſtamento Dei Filius leges illas expoſuit, & limitationibus nonnullis & temperamentis in certos fines redegit. Vide S. Matthæum v, 39. Textus Hebræus plures interpretationes admittit (*u*), e. g. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem hominis miniſterio fundetur ſanguis illius*: ſeu *Quicumque hominem palam occiderit &c.* ſeu *Quicumque effuderit ſanguinem, punietur ab homine ſanguinis ſui effuſione*.

Paraphraſtæ Chaldæi ita reddunt: *Quicumque effuderit ſanguinem hominis per teſtes, ex ſententiâ judicum ſanguis ejus fundetur*. Conſentiunt Rabbini: *Quicumque ſanguinem effuderit, injuſtâ corruptorum teſtium depoſitione in hominem ſententiam procurans, ultimo ſupplicio punietur*. Author Vulgatæ non expreſſit verba illa Originalis באדם *Baadam*, quæ reddi poſſunt, *in homine, cum homine, per hominem*. Quod in hac ſententiâ negocium facit, in hoc potiſſimùm verſatur; poteſt enim commodè ſive ad primum, ſive ad ſecundum membrum verſiculi referri, ut ſit ſenſus, ſive: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem coram aliis hominibus*, ſive *operâ hominis*; ſeu, *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, punietur morte per homines*; aut tandem, juxta Septuaginta (*x*), & veterem Vulgatam: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, morte punietur in ſanguinis illius, vel cadis expiationem*.

℣. 7. Ingredimini super terram, et implete eam. Septuaginta (*z*): *Ingredimini ſuper terram, & dominamini illius*; in eandem ſententiam commodè redditur. Hebræum ורבו בה reddi poſſet in eundem ſenſum.

℣. 9. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum: (10) Et ad omnem animam viventem. Loci hujus lectio ingerit admirationem; Deus ſcilicet palam edicit, initurum ſe fœdus cum homine, & cum brutis; quaſi verò bruta mente prædita eſſent & intellectu, ut fœderis conditiones implerent omnes. Ex lectione ℣. 5 ſatis animadverſum eſt, Deum æquam utcumque ſtatuere hominem inter & bruta conditionem cùm præcipiat homini a ſanguine animalium abſtinentiam, ac viciſſim ultioni addicat bruta, quæ humano ſanguine ſe paverint. Similes loquendi phraſes non infrequenter recurrunt in Scripturâ V. T. quibus noſcendi vis quædam tribui brutis videtur. Moyſes colubrum Evam tentantem (*a*) ita depingit, veluti ſi calliditate ſuâ cæteris præſtaret; exhibet quoque verba facientem ad Evam, audiendo pariter & reſpondendo, miſcentem cum illâ ſermonem: Loquitur Deus ad ſerpentem, pœnam illi decernit: Loquitur pariter Deus ad bruta (*b*); ſtatim poſt eorum productionem iis benedicit, atque creſcendi & genus multiplicandi facultatem largitur; jus tandem in illa & imperium confert Adamo.

In lege (*c*) tauri cornipetæ morte plectuntur, ſicut & infando crimini ſervientia bruta (*d*). Urbes apoſtaſiæ, ſeu deſertæ avitæ religionis crimine convictæ (*e*), igni unà cum incolis omnibus, & animalibus devoventur. Septimæ diei requiem indicit Deus in commodum mancipiorum, & jumentorum (*f*). Abſcindi animalium membra vetat (*g*); triturantis bovis os alligandum negat

(q) מיד כלחי *de manu omnis viventis*. (r) Hebræus כל ריה *Septuag.* πάντων τῶν θηρίων. *Sym.* τῶν ζώων. (ſ) *Exod.* xxi, 29. (t) *Grot. hic & lib.* 1, *de Jure Belli & Pacis*, c. 2 (u) דם האדם באדם *Vide Selden. de Synedr. l.* 1. c. 5. (x) Ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπου, ἀντὶ τοῦ αἵματος αὐτοῦ ἐκχυθήσεται. (z) Καὶ κυριεύσατε αὐτῆς. *MS. Alex.* καὶ πληθύνεσθε ἐπὶ τῆς γῆς. (a) *Genef.* iii, 1. (b) *Genef.* i, 22. (c) *Exod.* xxi, 29. (d) *Levit.* xx, 15. (e) *Deut.* xiii, 15. (f) *Exod.* xxiii, 12. (g) *Levit.*

gat (*h*); & Psalmista Dei miserationem laudat, quæ hominibus simul & brutis saluti est & incolumitati (*i*); providentiam ejus in utrumque animalium genus admiratur; iisdem verbis mortem animalium ac hominis designat: *Auferes spiritum eorum & deficient*. Et Sapiens nihil esse discriminis eâ in re homines inter & bruta declarat (*k*): *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum, & aqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur; similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius ,... Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Primores natu hominum æquè, & jumentorum Deus in Ægypto cecidit (*l*); edicens insuper, ut de utrisque apud Israëlitas servatis gratias acturus populus, primores natu utriusque generis sibi offerret.

Paria in scriptis Prophetarum observes. Ultionem se de Babylone exacturum Deus per Jeremiam L, & LI, denunciat, hominibus simul & animalibus exterminatis. Paria minitantur in Jerusalem Ezechiel XIV, & Sophonias I, 4. Post denunciatum Ninivitis imminens Urbis suæ excidium, cives jejunium indixerunt hominibus pariter & brutis (*m*); & quærenti Jonæ cum Deo de concessâ Ninivitis veniâ, reposuit ille, ut quid amplissimæ Urbi non parceret, in qua tot hominum millia versarentur, qui ne lævam quidem a dextrâ manu distinguerent, & immensus ille animalium numerus colligeretur? Quasi scilicet animalium multitudo satis causæ esset, cur Deus veniam facilis indulgeret. Inducit Psalmista *Psal.* LVII, 5 aspidem obturantem aures suas ad voces excantantis. Plura congererentur Scripturæ loca, ubi intelligendi quædam facultas animalibus tributa videtur; sed hæc satis sibi cohærentia satisque inter se consona abundè sufficere censemus ad demonstrandum, quod supra statuimus, Scripturam nempe intellectûs genus quoddam brutis tribuere.

Quid igitur? an bruta intelligendi atque ratiocinandi facultate donantur? Non utique; credimus potius, sive Moysem cæterosque Sacros Scriptores ad præjudicia populi accommodas phrases selegisse; sive præjudiciis istis popularibus utendum sibi censuisse, ad insinuandum Israëlitis justum erga virtutem, æquitatem, & misericordiam Dei obsequium, ad ingerendum humanitatis & miserationis in æquales sibi homines sensum, damnatâ etiam erga bruta sævitie & immanitate. Aliud S. Spiritûs eâ in re consilium exponit Apostolus I *Cor.* IX, 9, ut scilicet iis veluti symbolis & figuris ad moralem sensum accommodatis, homines optimis institutionibus formarentur. Cavet Deus in Lege, ne os bovis triturantis alligetur. Quid hoc? an fortè Deus curam sibi de bove sumit? ait Apostolus. Minimè, quidem; sed eâ re monendos homines assumit, viros in Ecclesiâ laborantes dignos esse, ut e laboribus suis fructus colligant.

Ægyptii, quibus præjudicia sua debebant Hebræi ex longâ cum illis consuetudine, Ægyptii, inquam, in Deorum censum referebant ferè omnia regionis suæ animalia, intelligendi insuper facultate instructa esse illa existimantes. Ipsi opinionem de metempsychosi apud gentes plurimas propagaverant. Omnes fermè Orientales brutis rationem tribuebant: Arabes, Indi; inter Philosophos, Empedocles, Pythagoras, Galenus, Cleantes, Eudoxus, Porphyrius, Ælianus, aliique plures. Nec defuère, qui credulis populis persuaderent, se avium sermonem probè intelligere. Memoriæ proditum est, Eudoxum Philosophum Pythagoricum scripsisse Dialogum Canum, vel saltem Græcis literis ex Ægyptiâ linguâ, quo primùm sermone scriptum erat Opus, tradidisse. Achillis equi apud Homerum sermocinandi facultate donantur (*n*); immortales sunt pariter, & a senectutis incommodis exempti.

Monstri ne igitur loco habebimus, si Judæi, gens utique rudis in medio gentis erga animalia ad superstitionem usque propensæ nutriti, eadem imbiberint præjudicia, quæ faciliùs in meliùs reformarentur, quam penitus eraderentur? Moyses igitur satis habuit bruta repræsentare veluti a Deo Hebræorum creata, de quibus ad nutum decernit, punit, conservat, subjicit, hominibus submittit, Sacrificiis apta, & inepta declarat. Hæc satis ad corrigenda præjudicia de immortalitate brutorum, de agendi dispoticâ facultate, de intelligendi etiam dote, apud eos saltem, qui super hæc posita principia philosophantur.

Docent Rabbini, Deum (*o*) præcepta quædam generalia statuisse Noë, ejusque filiis, ac per illos posteris eorum omnibus; quibus sanè præceptis, juxta illos, juris naturalis, quod gentibus omnibus quà Judæis, quà Gentilibus commune est, summa continetur; quorum sola observantia satis esset illis omnibus ad salutem.

Post datam a Moyse Legem, eorum præceptorum observatio tanquam ex iis conditionibus una ponebatur, sine quibus nemo in Proselytum domicilii admitti posset. Nemini jus erat constituendi in terra promissionis sedes, nisi illis legibus receptis; quin nec earum observatio satis erat ad constituendam Jerosolymæ sedem, quòd Urbs esset sancta. In bello nemini parcebatur, qui leges ignoraret. Hæc Noachidarum, seu filiorum Noë præcepta.

I. *De Judiciis*; nempe de obsequio, & submissione debitâ Judicibus, justitiæ administris, civilibus ac politicis legibus, Magistratibus.

II. *De maledictione Numinis*, seu *nominis sanctissimi*; Dei nempe. Hujus Legis sanctio vetat blasphemias, & quæ ad illas pertinent, crimina.

III. *De cultu extraneo*; nempe externorum Deorum. Vetitus novus cultus, patribus Judæorum incognitus, & ab eâ Gente extraneus; vetitum insuper superstitionis omne genus & sacrilegia.

IV. *De revelatione turpitudinum*. Incestuosa illa, & interdicta commercia cum matre, cum patris uxore, cum sorore germanâ, cum alterius conjuge; sodomia, seu scelus contra naturam, cum bestiis coitus.

V. *De sanguinis effusione*. Sanguis effusio omnis, Homicidium, effusio sanguinis ex animali etiam mundo, in terram enim sanguis ille defodiendus est.

VI. *De rapinâ & furto*. Vetitum eo simul præcepto, ne data fides deseratur; mendacia & perjuria interdicuntur.

VII. *De membro animalis viventis*; ne quis scilicet eo utatur in cibum. Vide quæ diximus supra ℣. 4.

Inter hæc præcepta, sex priora data a Deo Adamo, septimum Noë, censet Maimonides. Addit

(h) *Deut.* XXV, 4. (i) *Psal.* XXV, 7. (k) *Eccles.* III, 18, 19, 21. (l) *Exod.* XII, & XIII. (m) *Jonas* III. 4. (n) *Iliad. P.* ... ὑμῶν δ' ἴσον ἀγήρω τ' ἀθανάτω τε. (o) *In Gemarr. Babyl. tit. Sanhedrin. cap.* VII. *Vide Selden. de Jure Nat. & Gent. lib.* I, *cap. ultimo.*

℣. 11. Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquam ultra in-
terficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps di-
luvium diſſipans terram.
℣. 12. Dixitque Deus: Hoc eſt ſignum fœderis, quod do inter me &
vos, & ad omnem animam viventem, quæ eſt vobiſcum in
generationes ſempiternas.
℣. 13. Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis
inter me, & inter terram.
℣. 14. Cùmque obduxero nubibus cœlum, apparebit Arcus me-
us in nubibus:
℣. 15. Et recordabor fœderis mei vobiſcum, & cum omni animâ
vivente, quæ carnem vegetat: & non erunt ultra aquæ dilu-
vii ad delendum univerſam carnem.
℣. 16. Eritque arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor
fœderis ſempiterni, quod pactum eſt inter Deum, & omnem
animam viventem univerſæ carnis, quæ eſt ſuper terram.
℣. 17. Dixitque Deus ad Noë: Hoc erit ſignum fœderis, quod
conſtitui inter me & omnem carnem ſuper terram.
℣. 18. Erant ergo filii Noë, qui egreſſi ſunt de Arcâ, Sem, Cham,
& Japheth: Porrò Cham ipſe eſt Pater Chanaan.

COMMENTARIUS.

dit octavum de Circumciſione, Abrahamo impoſitum. Hæc ſumma præceptorum, hominibus ante Legem injunctorum, juxta hunc Rabbinum.

Cæteris hoc pariter addunt nonnulli. R. Chavinach: *De ſanguine viventis*; ne ſcilicet e vivente animali ſanguinem quis adhibeat in potum, pro more veterum Maſſagetarum.

R. Chidea: *De caſtratione*; abſcindi enim ſive brutum ſive hominem, interdictum. R. Simeon: *De Magiâ*. R. Eliezer: De junctione animalium varii generis inter ſe; de Inſitione arborum.

De ſeptem hiſce præceptis ſilet Miſnah; ſed Gemarra Babylonica, & Liber *Bereſchit Rabba*, Maimonides aliique Rabbini, ita de illis agunt, quaſi totius juris naturalis ſummam contineant. P. Alexander in ſuâ Diſſertatione de Præceptis illis, demonſtrat, nihil habere illa a jure naturali alienum; eorumque ſupereſſe veſtigia notat in Libro Job, qui ſanè vir nihil de Lege Moſaicâ nôrat. Id tamen nequaquam probat, data fuiſſe præcepta illa ſive Adamo, ſive Noë: nihil eâ de re in Scripturâ, in veteribus Judæorum & Chriſtianorum Authoribus, Joſepho, Philone. Suſpicionem etiam de illorum vetuſtate promovet Rabbinorum diſſenſio quoad numerum illorum; ſicut etiam in invidiam revocantur ex redactâ a Rabbinis illis in anguſtiores limites eorum ſignificatione, atquè impoſitâ lege Proſelytis domicilii, ut ea obſerveot. Multò veriſimilius ducimus, ab exordio Mundi adusque Legem Moſaicam, nullam aliam datam hominibus legem, niſi inditum omnibus rationis & lumen & dictamen. Gentes, quæ legem non habent, ait Apoſtolus ad Rom. II, 14, *naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſunt lex*. Judæorum alii docent, Deum conſtituiſſe Noë ejuſque poſteris ſeptem præcepta, expreſſa Geneſis capite IX. I, Connubium: *Creſcite & multiplicamini*. II, Jus coercendi animalia: *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ*. III, Facultas adhibendi in cibum carnes: *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum*. IV, Abſtinentia a ſanguine: *Carnem cum ſanguine non comedetis*. V, Homicidium interdictum: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu hominis*. VI, Jus plectendi homicidas: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius*. VII, Tandem ut inter ſe diſtribuant terras & Provincias: *Ingredimini ſuper terram & implete eam, ſeu dominamini in illâ*.

℣. 13. ARCUM MEUM PONAM IN NUBIBUS. Hebræus, & Septuaginta (p): *Arcum meum pono &c.* veluti ſcilicet non antea poſitus inſinuaretur; quod tamen vix poſſet intelligi, niſi ſtatuamus terræ alium fuiſſe ad Solem aſpectum, vel ſitum; ſi enim cadebat imber, Iridem apparere neceſſe erat. Nunc tamen divinâ inſtitutione ordinata eſt in ſignum fœderis Dei cum hominibus; & cùm antea nonniſi imbrem referret, modò pignus eſt divinæ erga homines clementiæ; eâ planè ratione, quâ inertes antea lapides in monumentum conſtituti ſunt fœderis inter Jacobum & Labanum initi.

Adeò autem certum eſt pignus illud Iridis in Cœlo, ut poſito terræ ad Solem, qui nunc eſt, aſpectu, prorſus apparere cogatur. Hujus autem fœderis inter Deum & Noë, cujus picta in Cœlo Iris pignus eſt, & monumentum, confuſam quandam habuiſſe notionem Poetæ viſi ſunt, dum legatione a Diis fungi Iridem comminiſcuntur. Homerus iridem

(p) את קשתי נתתי בענן *Septuag.* τὸ τόξον μου τίθημι ἐν τῇ νεφέλῃ.

Anno Mundi 1665.

℣. 19. Tres isti filii sunt Noë: & ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram.

℣. 20. Cœpitque Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam.

℣. 21. Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo.

℣. 22. Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras.

℣. 23. At verò Sem & Japheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsùm, operuerunt verenda patris sui: faciesque eorum aversæ erant, & patris virilia non viderunt.

℣. 24. Evigilans autem Noë ex vino, cùm didicisset quæ fecerat ei filius suus minor,

COMMENTARIUS.

(r) Iridem describit veluti signum Deus inter & homines. Plerumque tamen Pagani funestum ex illo omen ducebant, bellorum, & procellarum ingruentium; sicut superstitio, & inscitia omnium sæculorum rutilantes in Cœlo cometas tristes habuit funestorum effectuum nuncios. Duo iridum genera agnoscit idem Homerus, supernaturale nempe & naturale; prius illud semper infausta portendit (s).

ET ERIT SIGNUM FOEDERIS INTER ME, ET INTER TERRAM. Chaldæus: *Inter verbum meum* (Messiam scilicet) *& inter terram*. Hæc minora fœdera magnum illud spectant Dei cum hominum, quam assumpsit, naturâ. In Vulgatæ tamen sententiam optimè exponitur Chaldæus. Vide supra cap. VIII, 21.

℣. 19. AB HIS DISSEMINATUM EST OMNE GENUS HOMINUM SUPER UNIVERSAM TERRAM. Nihil apertius ad demonstrandum, diluvii aquis genus omne hominum exterminatum fuisse; nihil etiam ad evertendos Præadamitas, ante Adamum creatos; ac tandem ad firmandam diluvii universalis sententiam.

℣. 20. COEPITQUE NOE VIR AGRICOLA EXERCERE TERRAM, ET PLANTAVIT VINEAM. Hæc omnia nonnullis post diluvium annis gesta suspicamur (t): & quidem Chanaan, diris a Noë devotus, facile pueriles annos excegerat; ut quid enim alioqui puerum ante usum rationis maledictis Noë damnasset? Decennem puerum statuunt Hebræi, & Theodoretus. Non inviti etiam credimus, Noë, cùm ignoraret meri vim, incautum ebrietatem sibi induxisse. Ante diluvium non deerant vites & uvæ (u); sed facilè fructibus homines contenti, nihil de exprimendo vino cogitabant. Solus Noë post diluvium, collectis (x) surculis viteis inter cæteras arbores mixtis, vitem coluit, ac vinum expressit. Reddunt nonnulli Hebræum (y): *Noë, qui erat vir agricola, plantavit, & prophanavit Vineam*. Phrasis illa *prophanare vineam*, usurpatur Deut. xx, 6 pro colligendo primitùs e novâ vineâ fructu. *Prophanare arborem* est reddere ejus fructus communes, decerpere. Tribus prioribus annis a fructibus novæ arboris colligendis, veluti impuris (z), abstinendum erat; quarto demum anno collecti Domino offerebantur; quinto tandem jus erat possessori in illos. Noë, juxta Authores laudatos, vineam continuò post diluvium plantavit; nonnullis post annis e collectis primùm uvis expresso vino sese ingurgitavit.

Buxtorfius & Ludovicus de Dieu reddi posse arbitrantur: *Permansit Noë vir agricola*, in pristinâ nempe vitæ professione agrorum exercendorum. Putant nonnulli, vini usum impios illos homines ante diluvium non latuisse; quam in rem laudant illud Matthæi xxiv, 38: *Sicut in diebus ante diluvium erant comedentes & bibentes; nubentes & nuptui tradentes &c.* Aliena sunt tamen hæc a Patrum sententiâ, uti statim demonstrabimus. Consitam Noë vineam in regione suâ, in loco, cui nomen *Saidanin*, Virginis unigitu a S. Lucâ pictæ dedicato, credunt Syri, sed nutanti planè traditione.

℣. 21. BIBENSQUE VINUM INEBRIATUS EST. Noë ebrietatem a crimine excusant Patres (a), quòd imprudenti & vim meri ignoranti irrepserit. Nunquam enim ille vinum potaverat, nunquam potatores viderat. Si vinum novissent homines antediluviani, nunquam profectò ab eo offerendo in Sacrificium se continuisset Abel. In ebrietate & nuditate viri Sancti mysterium suspiciunt Patres (b) D. N. Jesu Christi vestibus exuti, de ridiculo habiti, ac tandem interfecti a Judæis.

NUDATUS EST. Hebræus יתגל, *discooperuit se*; imprudens nempe inter dormiendum, ait Theodoretus *quæst.* 56.

℣. 24. FILIUS SUUS MINOR; quod de Chanaan dictum censent Theodoretus quæst. 57, & Procopius; sed cùm Scriptura nonnisi obliquè tantùm

(r) *Homer. Iliad.* Λ. τρῶς ἑκάτερθ' ἴρισσιν ἐοικότες ἅς τε Κρονίων
Ἐν νέφεϊ στήριξε τέρας μερόπων ἀνθρώπων.

(s) *Idem Iliad.* Ρ. Ἠΰτε πορφυρέην ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ
Ζεὺς ἐξ οὐρανόθεν, τέρας ἔμμεναι ἢ πολέμοιο,
Ἢ καὶ χειμῶνος δυσθαλπέος.

(t) Torniellus, & Caietanus sex annis post diluvium. (u) *Hieron. lib.* 1 *contra Jovin.* (x) *Chrysost. hom.* xxix *in Genesim, & Theodoret. quæst.* 56 *in Genes.* (y) ויחל נוח איש האדמה ויטע כרם
(z) *Levit.* xix, 24, 25. (a) *Chrysost. homil.* xxix *in Genes. Theodoret. quæst.* 56 *in Genes. Ambros. de Noë & Arcâ, cap.* 29; *Basil. de Jejunio, homil.* 1. (b) *Hieron. contra Luciferia. Aug. lib.* xvi *de Civit. Dei c.* 2, *& lib.* xii *contra Faustum cap.* 23, 24. *& Cyprian. Epist.* lxi, 1.

℣. 25. Ait: Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis.

℣. 26. Dixitque: Benedictus Dominus Deus Sem: sit Chanaan servus ejus.

℣. 27. Dilatet Deus Japheth & habitet in tabernaculis Sem: sitque Chanaan servus ejus.

℣. 28 Vixit autem Noë post diluvium trecentis quinguaginta annis.

COMMENTARIUS.

tùm Chanaani meminisset, simulque narrasset, Cham de patris nuditate fratres suos fecisse certiores, meliùs utique credimus, sermonem hìc esse de Cham, inter fratres suos minimo.

℣. 25. MALEDICTUS CHANAAN; SERVUS SERVORUM ERIT FRATRIBUS SUIS. Ut quid diris Chanaan devotus, cui nihil hue usque in Scripturâ imputatur? Ideò, inquiunt Patres, ut in filio pater Cham puniatur (*c*). Abstinendum censuit Noë a maledictione infligendâ in Cham, cui egredienti ex Arcâ Deus benedixerat; sed imprecanda censuit infausta in Chanaan, jam inde impium; ratus alioqui Cham graviùs laturum filii pœnam, quàm si ipse in se subiret.

Receptum traditione Hæbræi (*d*) tenent, Chanaan nuditatem Avi sui a se deprehensam indicasse Cham patri suo, qui oculos eo spectaculo pavit, derisitque senem, ac rem totam detulit ad Sem & Japheth; illi verò resoluti in somnum parentis nuda texerunt, ut hìc narratur. Experrectus Noë, & quod gestum erat intelligens, diris devovit Chanaan, totius mali causam & originem. Abstinuit a maledictione in Cham, quamquam criminis planè reum, metu ne funestæ ejus maledictionis consequutiones ex patre in filios ejus cæteros, magis facilè Chanaano modestos probosque, transfunderentur. Alii supplendum censent, *pater*, ut sit: *Maledictus pater Chanaan*. Ita locum reddit Arabs. Septuaginta in nonnullis Exemplaribus pro Chanaan legunt Cham, quasi scilicet lectio ferens Chanaam corruptionis notaretur. Consonant cum Septuagiota Latinorum nonnulli: *Maledictus puer Chanaan*.

SERVUS SERVORUM ERIT; i. e. abjectissimus servorum. Hebraismus. Septuaginta (*e*): *Puer nutus in servitute*, perpetuæ servituti ita addictus, ut libertatis recipiendæ nullâ teneatur spe: seu potiùs interpunctione mutatâ: *Maledictue sit puer Chanaan; servus erit fratrum suorum*; seu juxta Ms. Alexandrinum: *Maledictus sit Chanaan ejus filius*, i. e. filius Cham, &c. Porrò imprecatio ista in posteros potiùs, quàm in Chanaan cadit; totamque ejus vim senserunt ex Chanaan nati filii, quando armis Israëliticis cedere coacti, ad ultimum exterminium plures, alii ad durissimam captivitatem redacti sunt. Ex nostris Interpretibus plerique censent unà cum Patribus (*f*), maledictum illud suum pronunciasse Noë non ultionis & furoris, sed vaticinandi spiritu; atque ex eventu discimus, nonnisi Divinâ providentiâ suggerente Patriarcham illum inductum fuisse, ut diris devoveret Chanaan, cujus posteri omnium, quotquot erant, hominum nequitiam vicerunt. Notari hìc voluit Moyses originem simultatis illius, quæ Hebræos, Semi posteros, inter & Chananæos e Chanaano natos, intercedebat.

℣. 26. BENEDICTUS DOMINUS DEUS SEM; SIT CHANAAN SERVUS EJUS. Noë grandi conceptâ de beneficiis a Deo Sem conferendis ideâ, pro eo quòd benedictiones suas in Sem precetur, totus est in laudibus Deo bonorum omnium largitori rependendis. Censet Oleaster, reddi posse locum: *Benedictus a Domino Deo sit Sem*. Inter has benedictiones solam hanc exprimit vir sanctus, futurum nempe ut Chanaan Semo fratri suo serviret, quod nonnisi diu post sub Israëlitis implendum erat. Maximum tamen Semi decus in eo spectabatur, quòd in ejus familiâ per Abrahamum, & ejus posteros peculiarem sibi cultum & religionem constituisset Deus; nec aliunde Messiam in mundum proventurum decrevisset. Quod præ oculis habentes nonnulli, Textum redduot: *Benedictus sit Dominus, Deus Sem*, i. e. Messias, e genere Sem nasciturus.

℣. 27. DILATET DEUS JAPHETH, ET HABITET IN TABERNACULIS SEM; SITQUE CHANAAN SERVUS EJUS. Conferat Deus Japhetho & portionem opimam, & florentem posteritatem. Lusus est elegans verborum in Hebræo inter vocem Japheth, cæterasque vaticinium ferentes; habent enim יפת אלהים ליפת: *Japhet Elohim Lejapheth*. Verùm prærogativa Sem fuit major; Deum enim habebat sub tentoriis suis inhabitantem, qui sibi subjiciet Chanaan. In hanc sententiam Chaldæus: *Gloria Domini habitet in tabernaculis Sem*; cujus oraculi fides mansit in genuino cultu Dei apud Israëlitas. Alii aliter interpretantur: *Dilatet Dominus Japheth, & ipse Japheth habitet in tabernaculis Sem*. Quod impletum constat, cùm Græci & Romani, e posteris Japheth, in Asiam usque armis atque victoriis penetrarint, totamque sibi regionem subegerint, a posteris Sem frequentatam.

Juxta Patres (*g*) oraculum illud refertur ad Paganorum conversionem ad fidem; nati enim illi e patre Japheth in tabernacula Sem introducti sunt; nempè in selectam Judæorum hæreditatem successerunt, aucti jure colendi verum Deum, & Religionis illius exercendæ. Seu potiùs Pagani in tabernacula Sem tunc introducti sunt, cùm in Ecclesiam Jesu Christi, nati e Sem secundùm carnem, venerunt (*h*).

℣. 28. VIXIT NOE POST DILUVIUM TRECENTIS QUINQUAGINTA ANNIS. Ætatem egit Noë 950 annorum; obiit autem A. M. 2006. Turris Babelicæ ædificationem spectavit; & cùm vitâ cessit, corruptio longè latèque grassabatur. In Italiâ fatis functum inducit Pseudo-Berosus. Non ultimas utique par-

(c) *Chrysost. homil.* XXIX *in Genes. Ambros. de Noë & Arcâ c.* 32. *Aug. l.* XVI *de Civit. c.* 1. *Theodoret. quæst.* 58. (d) *Bereschit Rabba sect.* 37. *& Theodoret. quæst.* 57 *in Genes.* (e) ἐπικατάρατος Χαναὰν παῖς. οἰκέτης ἔσται τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ *MS. Alex.* Χαναὰν παῖς αὐτοῦ. *Alii* Χαναὰν παῖς οἰκέτης *&c.* (f) *Theodoret. quæst.* 58; *Aug. quæst.* 17 *in Genes. &c.* (g) *Hieronym. quæst. hebr. Aug. l.* 16, *c.* 2 *de Civit. Rupert. l.* 4 *in Genes. alii.* (h) *Justin. Dialog. cum Tryphone. Aug. lib.* XVI *de Civit. c.* 2, *&c.*

℣. 29. Et impleti sunt omnes dies ejus nongentorum quinquaginta annorum, & mortuus est.

COMMENTARIUS.

tes habuit in regionum divisione, cùm de populorum dispersione ageretur, de qua capite sequenti, si tamen hanc ordine aliquo, nec prorsus temerè contigisse constituamus.

Sub unum veluti conspectum exhibenda hic ducimus ea, quibus Noë vividiùs Prototypum illum exprimit, cujus erat imago. Conceptam ille quidem parentum de se expectationem, de solatio scilicet fessis a labore illis afferendo, sollicitavit, non explevit. Solatus est enim potissimùm (i) in confirmandâ spe summi illius Consolatoris, cujus typum referebat; ac in revocatâ justitiâ post eversum in diluvio peccati Regnum (k). In medio latè inundantis corruptionis Noë nihil admisit, quod justitiam offenderet. Jesus Christus humanam carnem assumpsit, crimen non assumpsit; crimen, inquam, sive quod per primos parentes in posteros derivatum est, sive cui naturæ nostræ imbecillitas non rarò succumbere cogitur. Frustra Noë veritatem annunciavit incredulis, & corde in malitiâ obfirmatis, qui monitis illius spretis omnibus, ultimum exterminium in se tandem provocarunt. Ipse Dei Filius adventûs sui dies comparat diebus Noë (l). Judæi monita ipsius omnia neglexerunt; ex quo factum, ut inopinatos mors, & exitium opprimeret; sicut & ante postremam judicii diem idem factum manebit impios.

Arca Noë, tanto molimine fabricata, emblema est absolutissimum Ecclesiæ Jesu Christi. Vagantes extra Arcam omnes exitium inevitabile oppressit; quicumque extra Ecclesiam sunt, nullam habent spem salutis reliquam. Baptismus ab Apostolo S. Petro diluvio comparatur (m): seu potiùs Arcæ similis est Baptismus; introductos enim per Sacramentum illud in Ecclesiam homines, ex inundantibus mundum universum peccati aquis Deus servat intactos. Noë, ceu Adam alter, pater, & humani generis reparator, melioris utique posteritatis pater effectus est, generis sanctioris & novi populi. Ita Jesus Christus novam sibi & maxime sanctam familiam in Ecclesiâ suâ format, e populis Deo penitùs addictis, damnisque prioris Adami reparatis, quos ille ad mortem urgebat, ipse ad vitam restituit. Tandem Noë largiùs epoto vino ebrius, de ridiculo habitus a Cham, quòd corpore esset nudo, ac opertus a Sem & Japheth, exprimit Jesum Christum, qui amore suo velut ebrius, exuendum se, probro habendum, & injuriâ afficiendum permittit Judæis; cujus tamen injurias omnes, & probrum submovent Gentes ad fidem conversæ, quæ in Japhetho, & Fideles ex Judæis, qui in Semo designantur; quippe qui humilem intuiti hominem, Deum summum agnoscunt.

Ex interpretibus nostris plerique censent, Noë liberis post diluvium caruisse; quod non obscurè insinuat Scriptura, asserens Gentes per mundum omnes patres habuisse Japheth, Sem, & Cham. Non desunt tamen, qui prolem illi post diluvium asserant, uti Cajetanus, & Tornielius; quin & 30 liberos, quos Titanes appellat, e matre Titeâ natos (n), illi affingit Pseudo Berosus Annii Viterbiensis. Ferunt, Teutones sive Alemannos, patrem habuisse Tuisconem filium Noë. Jonitus, sive Jonicus, astronomiæ inventor, filius illi tribuitur, uti apud Tostatum leges. Hujus viri historiam exactissimam habemus in Libro Revelationum, quas inscribunt, Methodii (o). Sed fabellis hisce, quibus nulla fides sive e Scripturâ, sivè ex assertis probatisque Authoribus, quis credat?

Scitè admodum Philo *l. de Præm. & Pœn.* animadvertit, Veteres quamplurimos diluvium Deucalionis cum Noëmico confudisse. Narrat Plutarchus (p) Deucalionem in navi suâ servasse columbas, quarum una dimissa semel, redierit iterum; dein verò secunda alia libera abire permissa, nunquam regressa est; quo indicio agnitum est cessasse diluvium. De Deucalione ea fermè refert Lucianus de Deâ Syriâ, quæ Moyses de Noë. Congruit ut ovum ovo hujus Patriarchæ historia cum fabulâ Saturni, patris, uti ferunt Poetæ, generationum & hominum universorum. Rhea ejus conjux, mater est hominum & Deorum. Sub Saturno (q) aurea ætas, pax, æquitas, bona omnia in medio posita, & una omnibus sermonis concordia. Quid hìc a Noë alienum?

Agrorum & vineæ colendæ primus author Saturnus habetur; conjugem illi terram vindicant. Noë in Scripturâ appellatur *Vir terræ*, sive Agricola, *Gen.* IX, 20. Largiùs ingurgitato vino, voratisque cibis Festa agebantur Saturni; accumbebant mensis servi, ministrabant Domini. His quidem ritibus festa illa colebant Romæ, in Græciâ, & Babyloniâ. Latis legibus Saturnus vetuit, ne Dii nudi spectarentur. Quibus omnibus designatur Noë, a vino incautus oppressus, qui Chanaan servire jussit Semo ejusque fratribus. Symbolum Saturni erat navis; vulgatumque ferebatur, Saturnum, & Rheam ex Oceano & Tethide natos prodiisse. Falcem præferebat in manibus; accusabaturque filios suos omnes vorasse, exceptis Jove, Neptuno, & Plutone. Ita pariter Noë tres filios suos e diluvii aquis in Arcâ servavit; unde exitium cæterorum omnium spectavit. Solemne est Scripturæ, ut aliquis fecisse dicatur, quod vel fieri non vetuit, vel interdum faciendum prædixit; unde fabellæ locus, Saturnum filios suos omnes interfecisse. Ferunt, Jovem patri suo virilia amputasse; quòd Cham nuda patris sui & spectaverit ipse, & spectanda fratribus indicaverit.

Ejusdem historiæ vestigia non levia deprehendas in fabulâ Myrrhæ, conjugis, vel juxta alios, nutricis Hammonis, & matris Adonidis. Illa habens in comitatu Adonidem, resolutum in-

fin-

(i) *Rupert. in Genes. lib.* IV, *c.* 17. (k) *Chrysost. homil.* XXI *in Genes.* (l) *Matth.* XXIV, 37. (m) 2 *Petri* III, 20, 21. (n) *S. Epiph. hæres.* 36, *uxorem Noë appellat* Bath Enos, *sive filiam* Enos. (o) *Vide Hist. Scholast. l.* 1, *c.* 37. [p] *Plutarch. in lib. Terrestria an aquatica plus habeant solertiæ.* (q) *Tanta justitia fuisse fertur, ut neque servierit sub illo quisquam, neque quidquam privatæ rei habuerit, sed omnia communia & indivisa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium esset. Justin. lib.* XLIII.

somnum Cyniram sub tentorio, nudumque, & inverecunda corporis habitudine offendens, rem totam tulit ad Hammonem, qui una cum moniis a se fratribus statuit tegumento aliquo viri nudata protegere, ne evigilans e somno de probro suo erubesceret. Factus omnium certior Cyniras, diris Adonidem devovit, & in Arabiam usque insecutus est Myrrham, quæ post longum novem mensium errorem in arborem cognominem transformata est. Porrò Hammon est Cham, in Ægypto sub nomine Jovis Hammonis cultus. Ejus filius Chanaan, sive Adonis, consecratus fuit ab Iside uxore suâ.

Saturnus orbis universi Regnum in tres Filios divisit, assignans Jovi Cœlum, Neptuno Mare, Infernum Plutoni; Noë pariter Africam dedit Chamo, qui ipsissimus est Jupiter. Persuasum autem habebant Veteres, regionem illam promi-nentiorem esse præ ceteris totius orbis, Soli maximè vicinam, ejusque calori præ omnibus expositam. Japheth est Neptunus; sicut autem Japhetho Insulas vindicat Scriptura; ita pariter maris, Insularum & maritimarum regionum dominium Neptuno assignant Veteres (r). Hunc eundem veluti patrem gentis suæ suspiciunt Græci, Javan, ex quo Jones, & Thiras, ex quo Thraces, patrem habebant Japhethum, teste Moyse. Neptuni nomen derivatur ex Hebræo *Nephath*, extendi; quòd fanè congruit cum benedictione Noë ad Japheth. *Dilatet Dominus Japheth*. Sem omnium sanctissimus, & maximè Deo charus inter filios Noë, Asiam sibi habuit, jucundissimam totius mundi regionem, quod ingratum accidit cæteris fratribus illius. Comminiscebantur Prophani, Sem inferna loca habuisse subjecta; appellarunt illum Ἅδην, *Haden*, seu Plutonem, vel Orcum, & Deum divitiarum: quòd ejus posteri auri argentique fodinas invenerint, ditissimamque metallis illis regionem tenerent. Ophir, Hevila, Saba. populi e Semo, auri sui divitiis celebrantur in Scripturâ. Typhon, Numen invisum, maximè in Ægypto, a Paganis cognomentum obtinebat *Smy*, quod multum habet affinitatis cum Sem, viro utique minus grato Cham, patri Ægyptiorum, quòd a Noë fratri suo Semo Chanaan subditus fuerit.

Chanaan, ut insinuavimus, ipsissimus est *Adonis* Ægyptiorum; maximè autem refert Græcorum Mercurium. Hic enim legatione a Diis fungebatur, serviebatque Numinibus cæteris, uti Chanaan fratribus suis. Mercurium tutelare Numen habebant Negociatores, Itinerantes, Fures, viri literis exculti, & eloquentiæ studentes. Chanaan habebant patrem Phœnices, negociationi præ ceteris mundi nationibus addictissimi, penès quos diù maris imperium fuit, quique longis ac frequentibus itineribus suis inclytum sibi nomen pepererunt; plures etiam felicissimas expeditiones confecerunt; & quo tempore prædandi ars minori erat, quàm nunc, probro, pyraticam secundùm maris litora exercebant; inventarum tandem literarum & scribendi artis habentur Authores, juxta Lucanum.

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

In Ægyptiorum Theologiâ quædam supersunt de Noë & tribus ejus liberis in Arcâ servatis. Jupiter Rex Cœli & terræ filios habuit Osiridem, Typhonem, Apollinem. Osiris Thebas condidit, Altaria & Templa excitavit, vineas excoluit, primus nec alter ante illum *vino usus est*; docuitque tandem homines agriculturam (*f*). Quæ Moyses de Noë refert, hæc Ægyptii de Osiride.

CAPUT X.

Genealogia posterorum Sem, Cham, & Japheth. Quas singuli regiones possederint.

IN ipso exponendi hujus capitis limine quædam generatim de illius argumento animadvertenda sunt.

I. Cùm de plerisque regionibus, posteris Noë, de quibus hic sermo, assignatis, agitur, non documenta, sed conjecturæ expectandæ sunt; satisque habendum, si præter propter locorum situs demonstretur, & si probabilia tantùm nec falsitatis arguenda afferantur.

II. Non semper Moyses nomen expressit prioris illius hominis, qui regionem, cujus meminit, frequentarit; sed potiùs adnotandum sibi duxit nomen genti cuidam, sive regioni a viro illo impositum. Ita Ægyptus appellata fuit *Mizraim* plurali nomine, quod nonnisi convenit genti regionis illius, quæ primum authorem habuit ex filiis Cham aliquem; porrò illi nomen facilè erat *Mezor*, vel *Mezer*. Paria observes in Rodanim, Chittim, Ludim, Chasluim, Nephtuim, alisque pluribus, quæ cùm pluralia sint nomina, ab unius singularis viri appellatione utique abhorrent. Occurrit hic, ℣. 26, *Hazarmoth*, veluti peculiare nomen unius ex filiis Jectan, quamquam facile est nomen regionis, cognomentum *Atrium mortis*, juxta vim Hebraicam vocis *Hazermoth*. Non absimilia Urbium, & locorum nomina singularibus hominibus assignata legas in aliis Scripturæ libris: ita in Paralipomenis II, 51. IV, 54. est *Pater Bethlehem*, *Pater vallis Artificum*, pro *Pater Civium Bethlehem*, Pater *incolarum vallis artificum &c.*

III. E vetustis hisce nominibus plura corrupta sunt maximè, atque degenerantia interdum adeò, ut veteris nominis vel in vetustis Authoribus vix levia supersint vestigia. Vide Strabon. *l.* 16. Quare monstri loco habendum non est, si conjecturæ interdum proponantur, primò aspectu audaciores, & si res longiùs aliquando petantur. Quicumque studii illius genus coluerunt, vim argumentorum sentiunt, quæ ne leviter quidem tangit studiis hisce minùs initiatos: maximas hic partes habent analogiæ, etymologiæ, & criticus quidam genius.

IV. Quamquam vulgò Sem Asiæ dominus affi-

(r) *Jupiter imperium Neptuno dat Maris, ut Insulis omnibus, & quæ secundùm Mare loca sunt, omnibus regnaret. Lactant. de Fals. Relig. lib.* 1, *cap.* 2.

(f) *Manethon apud Eufeb. lib.* 15 *cap.* 11.

Digitized by Google

℣. 1. HÆ sunt generationes filiorum Noë, Sem, Cham, & Japheth: natique sunt eis filii post diluvium.

℣. 2. Filii Japheth: Gomer, & Magog, & Madaï, & Javan, & Thubal, & Mosoch, & Thiras.

COMMENTARIUS.

assignetur, Japheth Europæ, & Cham Africæ, non ita tamen res accipienda est, quasi e tribus hisce fratribus posteri nonnisi intra tres illas assignatas Patribus suis portiones loca habuisse censeantur. Constat enim, plures e filiis Japhethi, & Chami regiones in Asiâ frequentasse: & facilè credimus, primas illas familias e Semo, Chamo, & Japheto derivatas, cùm in ijs regionibus sedes haberent constitutas ante turrim Babelicam, nequaquam amplam illam regionem deseruisse. Post illud tempus tantummodo dividi cœptæ sunt, missis per Africam, & Europam coloniis, prout familiæ quælibet augebantur; factumque proinde, ut Gentium post confusionem Babelicam dispersio sensim, & intra longum temporis spatium tota conficeretur.

V. Hanc nobis methodum constituimus, ut scilicet in vetustis Geographis quæreremus nomina illis affinia, quæ Moyses hìc designat, Veterum traditiones consuleremus, expenderemus nomina Provinciarum, Urbium, montium, fluminum, certæ alicujus regionis, ut propositi ad investigandum nominis vestigia scrutaremur; & cùm nomen aliquod certæ alicujus Familiæ in loco aliquo deprehendimus, hanc deinde regulam plerumque constituimus, quærendis aliis ejus Familiæ in vicinis regionibus; vix enim persuademur, Colonias primum longiùs deduci potuisse.

VI. Cùm Moysis consilium hìc fuerit referendi quidquid pertinet ad regionum distributionem in posteros Noë; temporum ordinem servare non potuit: quare anticipatione quadam plurima referre coactus est, res quasdam gestas, & colonias deductas narrare, ad tempora diù post confusionem Babelicam pertinentes; & cùm tandem Judæis potissimum scriberet, genealogiam Sem per Heber longiùs deduxit, quàm reliquorum Patriarcharum. Fusior est etiam in digerendâ genealogiâ Chus filii Cham, quòd Nemrod ejus filius Assyrium Regnum constituerat, ætate Moysis florentissimum. Sunt alii vicissim, de quorum genealogiâ silet, uti de Phus, quòd facilè sine liberis decesserit, vel ejus familia in unum cum aliâ quapiam coaluerit.

℣. 1. HÆ SUNT GENERATIONES NOE; SAM, CHAM, ET JAPHETH. Legimus apud Cedrenum, & Eusebium (a), Noë jussum a Deo supremis tabulis divisum in tres portiones orbem filiis suis reliquisse. Oriens Semo assignatus; Africa universa Chamo; Europa cum Insulis ac Septentrionalibus Asiæ regionibus, Japhetho cessit. Ita hæreditate distributâ, voluntatem illam suam scriptis traditam filiis, obsignatamque scripturam ad obitum usque penès se retinuit. Cùm ad exitum venisset, instrumentum remisit in manus Semi, quem inter filios pietati magis addictum nôrat. Unde hæc resciverint Scriptores illi, ignoramus; sed e Philastrio *de hæres. cap.* 70, intelligimus hæreticos audivisse, quicumque de illis dubitarent. Et quidem Textus Mosaicus non absimilem hæreditatis distributionem innuere videtur. Asia, initio ducto ab Euphrate, secundùm Orientem adusque Oceanum Indicum in partem cessit Semo; præter hæc, ejus posteri occuparunt partem Syriæ & Arabiæ ad Occidentem Euphratis.

Cham assignatam sibi habuit Africam universam, Syriæ & Arabiæ portionem, & aliquid etiam regionis inter Tigrim & Euphratem, ubi Nemrod regnavit.

Japheth, vel ejus posteri, Europam universam frequentarunt, habentes pariter sub dominio Insulas omnes Mediterranei, tam Europæas, quàm Asiaticas. Cessit illis pariter Asia minor universa. Obtinet apud Orientales vetus traditio, Patriarchæ illius posteros possedisse ac frequentasse regiones Septentrionales a Tigride; quod cum nostro systemate satis congruere, ex sequentibus constabit. Scythas & Septentrionales gentes vetustissimam referre antiquitatem, creditum semper est. Vetustate cum Ægyptiis certare illos, observat Justinus *l.* 2, qui pariter argumenta nonnulla affert, illis faventia. Persuasum habemus, regiones Septentrionales omnium primas incolis frequentatas fuisse. Scytharum in Asiam iteratæ irruptiones tum antiquitatem generis illius probant, cùm potentiam, quo tempore Græci vix de nomine noscebantur.

℣. 2. FILII JAPHETH, GOMER גמר. In assignandâ regione Gomer difficilium est maximum; plures enim Gentes authorem illum suum asserunt. Galatiam illi tribuit Josephus; vetustis enim ejus regionis incolis nomen inditum Gomarensium, antequam a Galatis regio submitteretur. Interpres Arabs favet Turcis; cui fidem adstruit Ezechiel XXXVIII, 6, jungens populos Gomer gentibus Togormæ, quas ambas ad regionem septentrionalem constituit. Gomer apud Chaldæum est in Africâ; cujus tamen sententia nobis improbatur. Bocharto est in Phrygiâ; eadem est enim fermè nominis Græci *Phrygia* significatio, ac Hebraici & Syriaci Gomer; sonat enim in utrâque carbonem. De validitate hujus argumenti viris doctis judicium relinquo; nullâ tamen aliâ conjecturâ ductus vir ille eruditus, Phrygiam veluti certum regionis punctum constituit, ut deinde in circumjacentibus Provinciis cæteros posteros Japhethi investiget.

Non defuerunt, qui Gallos a Gomer accirent (b); quorum opinio optimè defendi posset, his semel animadversis, Gallos nempè originem referre e Cimbris, & Germanis, quas gentes proximè repeti e Gomer credimus. E Gomer enim facilè deducitur Germanus, sive Cimmer, vel Cimber. Insinuare videtur Strabo *l.* 7, Cimmerios veteres Chersonesi Tauricæ incolas descendisse e Cimbris; sed æquo pariter judicio statui posset contrarium; nec inviti credimus, omnes eas gentes unam com-

mune

(a) *Euseb. Græc. in Thesauro temporum, pag.* 10. (b) Pezron, Antiquité des Gaulois.

Digitized by Google

munemque habere originem & originis autborem Gomer.

Magog מגוג. Josephus, Theodoretus, Eustathius, S. Hieronymus & Recentiorum plures hunc virum Scytharum Patrem statuunt; Tartarorum Pater est Interpreti Arabi; sed cùm utroque hoc nomine plures censeantur populi, optandum esset utique, ut Scriptores illi certam quandam regionem sive in Tartariâ, sive in Scythiâ gentibus Magog assignarent. Scytharum nomen apud Græcos (c) inditum est populis omnibus ad septemtrionem Ponti Euxini; cæterisque non majorem tantùm & minorem Tartariam, sed vastas etiam illas Provincias secundùm Danubium, & Thyram tenentibus. Quare Scythas audiebant Getæ, Gothi, Sarmatæ Hyperborei, Arimaspi, Sacæ, Massagetæ, & alii plures, quorum legas nomina apud Plinium, & veteres Geographos. Fateamur tamen oportet, Scythas illos, qui sibi peculiarius nomen adsciscunt, originem non retulisse ex iis locis, quæ Scythiæ nomine designamus; atque non levibus, utì quidem nobis blandimur, argumentis demonstrasse confidimus, posteros esse Chus filii Cham, primasque sedes constituisse ad Araxem. Vide Gen. II, 13.

Ad posteros Gog & Magog quod attinet, repetenda est gentium illarum origo e magnâ Tartariâ, quod vulgò Interpretibus probatur. Restant adhuc in eâdem regione vestigia plura Gog & Magog in nominibus Provinciarum, Urbium, & hominum; certumque traditione obtinet apud incolas, originem suam debere illos Gog, & Magog. Marcus Paulus Venetus (d), qui eas regiones multiplici itinere excurrit, observavit Provincias Gog & Magog, appellatas *Lug & Mungug*; notavit etiam Provincias *Cangigu*, *Gingui*, Urbes *Gingui*, *Cungui*, *Corgangui*, *Caigui*. Tartaris etiam vetus erat nomen *Mogli*. Et apud eumdem Scriptorem legitur *Gogaca*, vir favore magni Chami inclytus, sicut & Gohagaday, tertius filius Chami Hoccota.

Bochartus longissimè planè a nostrâ opinione recedit, regionem Gog constituens in circumjacenti ad Caucasum regione. Montis illius nomen deducit e גוג חסן, *Gog Casan*, arx Gog. Probat autem, Prometheum, virum illum in fabulis notum, in Caucaso a Jove alligatum, ipsissimum esse Gog. In Iberiâ regione ad meridiem Caucasi erat Gogarena (e); & hodie pariter regio Gogueti, nomine planè e Gog deducto. Tradit Ezechiel XXXVIII, 2, Gog Regem subjectas habuisse olim Dubal, & Mesech, vel, juxta aliam versionem, Principem fuisse Ros, Tubal, & Mesech; nempè ditioni suæ subjectum habuisse Caucasum montem ad septemtrionem, & in finibus Moschorum, Tibarenorum, ac populorum ad Araxem, nomine Ros, si Bocharto fides, designatorum.

Facilè quidem Posteri Gog habebant sub ditione suâ positos, ætate Ezechielis, populos illos a Bocharto designatos? Quæ a Prophetâ illo assignantur Gog dotes, conveniunt Tartaris, viris omnium maximè in equis tractandis, atque in ejaculatione exercitatissimis. Si e veteri historiâ sub fabularum involucro latente addere jam dictis aliquid permittimur; observari in rem posset, apud Veteres nomina dari (f) *Gygem*, *Cottaion* & *Briareum*, tribus illis Gigantibus, qui Jovis, bellum inferentis in Titanes, sub nomine *Dodanim* facilè designatos, partes secuti sunt. Expressum est enim nomen Gog in Gyge, & Cusch vel Cuth in Cottaio. Briareus ab hominibus appellatus est *Ægeon*, & a Diis Briareus, ait Homerus, *Iliad. A*, v. 403. Facilè nomen Ægeon peculiare est alicujus e posteris Gog & Magog; vel fortè designat virum, qui originem referat e superioribus amni Gehon locis, quem cum Araxe confundimus. Gyges apud Veteres est filius Ponti, seu Maris & Terræ; adduntque nonnulli, evocatum e mari jussu Thetidis ad custodiam Jovis; ex quo facilè inferas, alienigenam fuisse in Græciâ, deductumque ibi e regionibus ad Pontum Euxinum.

Suidas & Cedrenus asserunt, Persas appellari Magog ab incolis ejusdem regionis; nota sunt etiam in eâ Provinciâ nomina Magusæorum; utì & Philosophi, ac gens quædam in Mediâ Magi appellantur (g). Deducerentur hæc omnia non incongruè e Magog, cujus gentis coloniæ nomen cum incolis in varia loca traduxerint.

Apud nonnullos Gog est pater Getarum, Massagetarum, & Gothorum. Porrò Gothos cum Getis Veterum plures confundunt (h); certumque constituitur, utramque gentem olim regionem habuisse septentrionalem Ponto Euxino: sed Getæ excurrebant potissimùm in Germaniam ad Provincias Moldaviæ, & Valachiæ portionem; Gothi verò habebant loca ad Boristhenem, & ad ostia Danubii. Ibi verò in duas gentes dispescebantur, in Ostrogothos, nempe Gothos Orientales, & Visigothos, nempe Gothos Occidentales, alios planè illos utrosque a Gothis Sueviæ. In Textu illo supra laudato Ezechielis, Gog est Princeps Ros, Tubal, & Mesech; quod facilè in hunc sensum reddi potest: Principem locum obtinebat inter populos Russiæ, Moscoviæ, cæterosque sedem habentes secundùm amnem Tobal, cujus ripam ornabat Urbs Tobolsk in Moscoviâ.

Putavit S. Ambrosius (i), Gothorum in Romanos expeditiones designari ab Ezechiele sub emblemate armorum Gog in Israëlem; omen autem ducit faustissimum pro victoriâ Romanorum in Gothos, ex quo Deus Israëlitis pollicetur futurum, ut eorum manibus permittat Gog & gentis illius spolia. Ita de hac opinione S. Ambrosii agit S. Hieronymus in Præfatione ad Librum XI in Ezechielem, ut in sententiam viri Sancti nequaquam concedere videatur. Commodiùs fortè in eam rem laudaretur illud S. Joannis *Apoc.* XX, 7, ubi de Gog & Magog, gente, quæ arenam maris multitudine vincit, in prælium cogendâ, diffundendâ pariter longè latèque per orbem, agmen Sanctorum & Urbem dilectam obsessurâ, sed dilapsu cœlitus igne tandem exterminandâ. Gothi cæterique Septemtrionales populi Romanum Imperium inundantes, bellum intulerunt & desolationem; Urbem Sanctam, nempè Romam, impugnarunt, afflixerunt Sanctos, nempè Fideles: evanuerunt tandem hæc omnia; gens illa vel sensim extincta est, vel victas fidei manus dedit, eorumque in populos fideles vis & conatus nonnisi Justis in fide confirmandis valuit.

Madai, מדי, Eo nomine Medorum pater ab Interpretibus designatur. In Libris Esther & Danielis, Persæ & Medi exprimuntur sub nomine *Paras & Madai*. Attamen Salianus & Josephus Medus nonnulla promunt argumenta, quibus in dubium revocatur, num Madai filius Japhethi proximus

(c) *Strabo lib.* XI, *p.* 487. Κοινῶς οἱ παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων συγγραφεῖς Σκύθας, καὶ Κελτοσκύθας ἐκάλουν ἅπαντας τοὺς προσβόῤῥους. (d) *Marc. Paul. Venet. lib.* 2, *c.* 64. *&* *lib.* 11, *c.* 46, 49, 66, *&* 52. (e) *Strabo, Ptolem.* (f) *Vide Hesiodi Theogoniam*, v. 713. (g) *Herodot. lib.* 1. (h) *Cluver. lib.* 155 *German. antiq.* (i) *Lib.* II *de Fide ad Gratian. cap* 41 *ad finem.*

ximus sit Medorum author. I, Thyras frater Madai Thraciam certissimè frequentavit; non abs re igitur Madai circa eas regiones constitueretur. II, Non est utique Media inter *Insulas gentium*, filiis Japhethi, juxta Scripturam, assignatas. III, Quid causæ fuit, ut *Madai* sedem quæreret in sinu ditionis filiorum Sem, inter Armeniam, Assyriam, Hircaniam, Parthiam, Susianam, & mare Caspium? IV, Macedonia olim appellabatur *Aemathia*, formato nomine ex אי *Ei* Insula, & מדי *Madai*, Insula Madai, i. e. regio marittima populorum *Madai*, vel fortè nominis illius etymo e Græco derivato, Αἶα Μαδαι, *Aia Madai*, i. e. terra *Madai*. Non longè a Macedoniâ sunt populi *Medi* vel *Madi* (k); & in Æmathiâ Rex Medus nomine innotescit.

Tandem prophani Scriptores affirmant, Medeam Jasonis conjugem e Græciâ in Colchos unà cum filio suo Medo restitutam, in Mediâ regnasse; hunc verò eumdem Medum, post matrem sceptro petitum, regioni illi nomen dedisse suum. Hanc historiam debemus Straboni (l) gravissimo in primis Authori; qui & asserit, spectari adhuc ætate suâ in regione ad Armeniam & Mediam, monumenta quædam Jasonis, apud regionis illius populos in obsequio habita. Iter Jasonis in Colchos superius est ætate bello Trojano, adeoque & superat Esther & Danielem. Quare nihil est quod miremur, si in eorum Libris occurrat nomen Mediæ; cui regioni facilè aliud erat sub Moyse nomen.

Legitur etiam *Madai* in quarto Regum, & in Isaiâ, positum ad designandam regionem circa Assyriam; sed hæc omnia recentiora sunt expeditione Argonautarum & Regno Medi. Meminit Herodotus *l.* 5, populorum quorumdam, quos *Syginas* appellat, regionem ultra, nempè Septemtrionalem Danubii tenentium; quorum sedes porrigebantur usque ad Adriam & ad regionem Henetorum. Porrò gentes illæ, ait Herodotus, Medorum more vestiuntur, ab illis originem suam se referre asserentes. Hæc profectò aliena erant a Medis Asiæ, qui e Medeâ nomen retulisse suum se asserebant (m). Fateamur ergo oportet, derivari illos e Medis Thraciæ, de quibus Strabo (n) & T. Livius, Macedoniæ proximis, qui cùm provinciam istam penetrassent, appellati sunt Μαιδοβιθυνοι *Medobythyni*, juxta Stephanum Geographum.

JAVAN יון. De *Javan* satis convenit inter Scriptores, unò assensu Jonios illi assignantes. Sed negocium facit, quousque nomen illud porrigeretur. Herodoti ætate (o) solos fermè Jones Asiæ minoris indicabat. Athenienses ipsi, nedum Græcorum cæteri, nomen Jonum probro ducebant. Sed antea illud ipsum ad solos Athenienses eorumque Colonias restringebatur (p); nec tamen diffiteri possumus, olim sub una hac appellatione censitos Achæos, Bœotios, & ipsos pariter Macedonas. Asserit Hesychius in ἰάονες, Achæos & Bœotios olim inter Jonios habitos; agrum Jonicum in Bœotiâ collocat Strabo; & incolas Deli Ἰάονες appellat Homerus in Hymno Apollinis.

Chaldæi Interpretes pro Javan habent hìc Macedoniam; & in Daniele VIII, 21, Alexander appellatur Rex *Javan*. Vix tamen factu possibile censemus, unos Athenienses sufficere potuisse Colonias per totam Joniam diffusas, regionem nempe, in qua 12 Urbes amplissimæ ferè omnes, in qua pariter Insulæ Samos & Chios. Insuper Strabo asserit, incolas Mileti, Colophonis & Prienes originem suam retulisse e Pylis vel Thebis, & non Athenis. Tandem Jones in Asiâ familiares habebant, juxta Herodotum, quatuor Dialectos; quod nunquam usuvenisset, si omnes uni eidemque Urbi originem suam debuissent. Scholiastes Aristophanis *in Archanan.* observat, Jonum nomine, apud Barbaros, Græcos omnes censeri. Hæc ferè summa argumentorum Bocharti. Observat insuper, Græcos nominis *Jonum* aliud etymon, sibi tamen maximè suspectum, ducere; censent enim, Jones nomen suum expressisse ex Jone filio Apollinis & Creusæ, quem Xuthus filius Hellen adoptaverat; quique nominis sibi famam peperit apud Græcos qua virtute, qua bellis in Thraces gestis.

TUBAL ET MOSOCH. Hebræus: תובל ומשך *Tubal & Mesech*. Plures in hoc argumento sententiæ, quas singulas propositas aliam post aliam discutiemus. Cum autem in re versemur incertissimâ, satis habebant Lectores, si maximè probabilia adducantur; nihilque illis rejiciendum est, nisi quòd ad sensum falsitatem suam demonstrat.

Jungit plerumque Scriptura (q) Tubal cum Mosoch; quod argumento est, utrosque populos regiones incoluisse finitimas, & rerum habuisse inter se communionem. Chaldæi Interpretes nomine *Tubal & Mosoch* designatas credunt Italiam & Asiam, vel Ausoniam, juxta Bochartum. Josephus exponit de Iberis, ad meridiem Caucasi, & Cappadocibus. S. Hieronymo Tubal sunt Hispani, olim Iberi. Hæc autem opinionis illius momenta. Incolæ Bæticæ appellantur *Turdetani*, sive *Turduli*; habebanturque olim omnium in Hispaniâ vetustissimi: Sapientium & literatorum nomine sibi maximè plaudebant; ostentabantque vetustissimæ antiquitatis monumenta, ac carmina, & scriptas carmine leges, 6000 annorum antiquitatem, uti quidem jactitabant, superantes (r). Sed hæc ad conciliandam fidem S. Hieronymo minùs valent. Eusebius & S. Epiphanius deducunt e Tubal Thessalos, & e Mosoch Illyricos.

Moschos & Tibarenos exprimi nomine Mosoch & Tubal, censet Bochartus; Veteres enim Græci (s) Scriptores utramque gentem conjungunt, sicut Hebræi Mesech & Tubal; arma eadem & armorum Imperatores eosdem assignant. Sentitur profectò hìc nominum affinitas; ex *Tubal* enim reddi potuit *Tibar*, L in R transmutatâ, quod familiare est in Græco, in quo *Beliar* pro *Belial*, *Phicor* pro *Phicol*. Strabo & Eusebius Tibarenos appellant *Tibares*, quod magis accedit ad Tubal.

Moschi olim sedes habebant suas in montibus Moschicis, Iberiam inter & Armeniam, utramque regionem a Colchide pariter disterminantibus. A finibus Iberiæ usque ad Cappadociam versùs, montes illos ducunt Ptolemæus & Strabo. Moschi apud Xenophontem, Diodorum Siculum, & Plinium, regionem tenent inter Urbes Cerasum, Cotyoram, vel Cyteoram, ad litora Ponti.

Tibarenorum sedes in loco maximè a Moschis remoto constitutæ erant, ad Occidentem Calybum & Mosynæcorum; ut inter Moschos & Tibarenos medii essent sex vel septem populi, inculti ma-

(k) Μῆδοι, *vel* Μάδοι. Μαιδικη *Aristot. lib. de Mirabilib. Auscultat.* Ptolem. *cap.* XI, *tab.* 9 *Europ.* (l) *Strabon. l.* XI, *& l.* 1, *pag.* 36. (m) *Herodot. lib.* VII, *c.* 62. (n) *Strabo lib.* VII, *pag.* 218. *l.* 1, 18. (o) *Herodot. l.* 5, *pag.* 97, *Edit. Gryph. an.* 1558. (p) *Herodot. Aristot. Heraclid. Strabo, Plutarc. &c.* (q) *Ezech.* XXVII, 13, XXXII, 26, XXXVIII 2, 3, XXXIX, 1. (r) *Strabo lib.* III, *pag.* 98. *De opibus ejus regionis agit idem l.* 55, *p.* 502. (s) *Herodot. lib.* III, *c.* 9, *& lib.* VII, *cap.* 78. *&c.*

Digitized by Google

maximè & inter se disereti ; ac proinde nullum deinceps potuisset facilè commercium, quod inter utrosque populos statuunt Authores Sacri & probani ; quam rerum conjunctionem, veluti peculiarem ad distinguendos populos illos characterem, inculcare operæ pretium visum est.

Hæc incommoda subducere conatur Bochartus, reponens, 1 Iberos facilè e Tubal sive Tobel, uti Josephus putat, derivari ; quibus semel positis, Moschi & filii Tubal vicinas inter se regiones tenuere. 2 Demonstrat ex Strabone (*t*), Tibarenos quosdam regionem occupasse supra Trapezuntem, porrectam ad usque montes Moschorum, & Colchidem. Tandem sub oculis ponit, omnia ab Ezechiele attributa Mesech & Tubal quadrare Moschis & Tibarenis. Mancipiorum & æris negociationem exercuisse illos Tyri, habet Ezechiel XXVII, 13 : Pontum & Cappadociam, Tibarenis proximas, mancipiis abundasse (*u*) constat.

Mancipiis dives, eget æris, Cappadocum Rex.

Quo tempore Lucullus arma in eam regionem intulit, mancipium stabat quatuor drachmis ; ac servituti assueverant adeò Cappadoces, ut ne oblatam quidem a Romanis libertatem accipere sustinerent, præferentes amatam illam veteremque servitutem. Hæc Strabo, loci illius gentilis.

Ad negociationem æris quod spectat, demonstrat Bochartus, sive Iberos, sive Tibarenos Ponti, regionem incoluisse ære ditissimam. Id tamen imbecillioribus argumentis probat vir ille doctus, nihilque habet ad afferendam negociationem æris & mancipiorum pro Mesech sive Mosoch ; ideò facilè, quòd utramque illam gentem maximam habuisse rerum communionem censuerit ; ut proinde quæ unius peculiaria sunt, ad alteram optimè referenda arbitraretur.

Observavimus supra, Josephum *Antiq. l.* 1, *c.* 7, nomine Tubal designatos credere Iberos, sicut Cappadoces per Mesech ; quæ opinio, nobis præ ceteris probata, ad Tubal quod attinet, en rationum momenta, quibus fulcitur. Iberi alio nomine olim appellabantur Tobeli. In Iberiâ ad amnem Cyrrum urbs est Thabilaca, apud Ptolemæum, Asiæ Tab. III ; sicut & *Thisbis* ad eumdem amnem, & inferiùs alia, nomine *Teleba*, ad litus maris Caspii, occurrunt pariter apud eumdem Ptolemæum. De Mosoch verò, in Albaniâ, Iberiæ proximâ, ad radices Caucasi jacet *Mosega* (*x*), cui facilè nomen est ex Mosec.

Sed de Mosec alia sedet Josepho sententia, qui Cappadoces olim *Meschinos* appellatos fuisse narrat ; sicut & alio nomine dicti sunt *Moschi*, *Mossini*, *Mossyneci*. Constat saltem, postremos hosce populos regionem tenuisse prope Cappadociam. Metropolis ejus *Mazaca* tamdiu vetus nomen retinuit, donec a Tiberio in Cæsaream transmutatum est. Porrò nec mancipia difficilè quæras in Cappadociâ, nec metalla apud Chalybes & Iberos.

Montano, Genebrardo, & Mercero Mosoch pater est Moschovitarum. Moschovitas e Cappadocum coloniâ accersit Medus. Altum est apud Veteres de Moschovitis silentium. Sed quis jure miretur, nihil egisse illos de populis, quibuscum nihil habebant commercii, nec nisi sub Scytharum vel Getarum nomine censebantur ? Multò equidem verosimiliùs credimus, Moschos Armeniæ & Cappadociæ proximos e Moschovitis repetendos esse, quàm Moschovitas ex illis : cujus rei non spernenda sunt argumenta amnis Moschus, Urbs Moscou, nomen Moschovitarum, & regionis amplitudo. Russi, apud Ezechielem per *Rosch* designati, populi sunt cum Moschovitis vel mixti, vel in unam cum illis gentem coalescentes. In eorum regione & Urbs & amnis præferunt nomen Tubal vel Thobal ; nec longè absunt Triballi & Thraces, quas gentes e Tubal & Thiras vulgò repetunt.

Non desunt, qui eâ semel persuasione inductâ, regiones Asiæ minoris suos incolas habuisse, antequam Septemtrionaliores plagæ frequentarentur, id sibi pariter statuant, ut gentes, de quibus hìc Moyses, in iis regionibus investigent. Qua in re facilè illi falluntur ; narrant enim historiæ, Cimmerios, & Scythas e Septemtrione Ponti Euxini migrasse in plagam Orientalem litoris Ponti & maris Caspii ; adduntque, Thraces, aliasque plures Europæ & Asiæ minoris gentes eò venisse e regionibus magis ad Septemtrionem ultra Pontum Euxinum. Porrò plerasque ex hisce transmigrationibus ætatem Ezechielis superasse, facilè credimus. Certum ponit Bochartus, Gomer Phrygiam frequentasse ; eoque veluti puncto constituto, in circumjacentibus regionibus, & maximè illi Provinciæ proximis, quærendas sibi fratrum Gomer sedes assumit. Sed argumentorum illius futilitatem supra animadvertimus : quare nihil erit cur admirentur Lectores, si contrario constituto principio, semel fixis sedibus Gomer & Gog ad Septemtrionem Ponti, ibi pariter fratrum ipsius regiones investigemus.

Thiras, תירס. De Thiras satis convenit. Josephus, Interpretes Chaldæi, Eusebius, Eustathius Antiochenus, S. Hieronymus, S. Isidorus, Recentiores omnes hunc patrem Thracum assignant. Græcum *Thrax* ad Hebræum *Thiras* accedit. Apud Thraces colitur Odrysius, ipsissimus ac Thiras. Mars, Numen Thracibus acceptissimum cognomento Θούρης, Thoures, vel Θοῦρος, Thouros, impetuosus, apud Poëtas designatur. Occurrit in Thraciâ amnis Athuras, & ejusdem nominis Sinus in Propontide, Bizantium versùs. Thrasus regio est in Thraciâ, & Thrausi, populi ad montem Hæmum. Vetus Thraciæ nomen Odryse est apud Suidam. Constat tandem, regnasse in Thraciâ Tereum filium Martis ; & Theropem ; notus pariter est ibi Theres pater Sitacis, qui Odrysiorum Imperium prorogavit, ut reliquam Thraciæ ditionem solum Odrysium amplitudine superaret.

Quæ nunc regio Thraciæ nomine censetur, definita est a mari Ægæo, Propontide, Archipelago, & Moesiâ. Sunt etiam Thraces in Asiâ minori. Asserit Herodotus, Thraces illos in Asiâ Bithynos appellatos fuisse, cùm antea obtinerent nomen Strymoniorum, quòd e superioribus Strymonii Lacûs venissent. Sunt etiam Thraces in Cariâ ; & Thraces Sarapetas supra Armeniam collocat Strabo. Asserit Stephanus Geographus, Thraciam veteri nomine appellatam fuisse *Peream* & *Ariam* ; quod deinde in Thraciam ex Nymphâ quadam filiâ Titanis transmutatum est. Est apud Erythræum regio dicta Siton ; quare de mari Thracio Ovidius : *Sitonis unda*. Observat Strabo *l.* 12, Thraces primùm audisse *Sitinos*, tum *Sintios*, tandem *Sajos*.

Cùm itaque Thraciæ nomen seriùs & diu post Moysem regioni impositum sit, altiùs profectò Thracum origo repetenda est. Non inviti credimus,

(*t*) *Strabo lib.* VII, *&* *lib.* XI, & XII. (*u*) *Horat. Ep.* VI, *lib.* 1. (*x*) *Ptolem. Tabul.* II *Asiæ*.

℣. 3. Porrò filii Gomer: Aschenez, & Riphath & Thogorma.

COMMENTARIUS.

mus, sedes illos habuisse suas olim ad septemtrionem regionis, quæ hodie Thraciæ nomine censetur. Perluit illam amnis Thiras (y), influens in Pontum Euxinum, supra & ad Septemtrionem Danubii: nec longè ab eo flumine erant Agathyrsi; quas gentes nullum fermè e Thraciis moribus habuisse alienum, asserit Herodotus *l.* 4. Collocat ibi pariter Ptolemæus, *Tab.* 8. *Europæ*, Tyrangitas, & Urbem Thyras. Amplior erat profectò Thraciæ regio olim, quàm nunc; excurrebat enim a Septemtrione ultra Danubium, & ad fines Scytharum, amplitudine suâ gentes incognitas continens: nec equidem ex eâ parte noti erant satis exactè, nisi Getæ & Teutistæ (z) vel Thaurisci, Trausi, & Crestonii.

Qua vergebat ad Occidentem, Thracia complectebatur Mysiam sive Moesiam, attingebatque regiones Illyricorum & Scordiscos, hodie Rascianos. Sunt qui a meridie illam prorogent usque ad montem Olympum, quin & ad Achajam & Bœotiam, uti ex Thucydide intelligimus. Thracibus Veteres accensent alios magno numero populos, uti Thynos, Strymonios, Bardos, Doloncos, Bessos, Denseletas, Medos, Odrysios, Triballos, Getas, alios nonnullos, apud Orthelium in Thesauro legendos. Ne ambigens quidem affirmat Strabo (a), maximam gentium, quæ Asiam minorem tenebant, portionem ex Europâ venisse; ex iisdem prognatam populis, qui sub Thracum nomine censebantur, inter quos refert Mysios, Phrygas, Trojanos, Mygdonios, Bebrices, Bithynos, Medobithynos, Thynos, & facilè etiam Mariandinos &c. quos ex Europâ in Asiam venisse affirmat. Tempus earum transmigrationum assignat Strabo l. 12, circa belli Trojani ætatem. Suo enim exemplo Græci in cæteris gentibus ardorem illum excitarunt itinerum suscipiendorum, mittendarumque per alienas regiones Coloniarum.

Cùm itaque Thraces Thiræ posteri asseruntur, nomen illud latè accipiendum est, non intrà eos tantùm redactum fines, qui Thraciæ provinciam definiunt, quæ sanè regio Moysis ætate nondum facilè nomen illud obtinebat; sed ad eos omnes, quos numeravimus, proroganda est.

Fortè etiam *Thiras* apud Moysem, & *Rhos* apud Ezechielem, unum eumdemque populum haberi oportet, quod his maximè suadetur. Amnis Thiras e mari Rubro deducitur, & hodie pariter nomen ibi obtinet *Sry*; ejusdemque nominis non longè a fontibus ejusdem Urbs spectatur. Sunt etiam in eâdem regione amnes Rusowa; sicut & nomina alia, quæ satis accedunt ad Rhos & Thiras: quodque in eam sententiam me ducit, ut regionem Thiras totum illum habuisse tractum putem inter Russiam, amnem Thiram, & montem Hæmum, illud est, quòd adhuc inter eos montes & Danubium sunt Urbes *Tiraska*, *Tzerka*, *Teriservisa*, *Riza*, *Russi*, *Rissovv &c.*

Præter septem illos filios Japheth, in suas singulos regiones a nobis distributos, octavum alium, Elizam nomine, illi assignat S. Augustinus *l.* 16 *de Civit. c.* 3. Observat autem vir Sanctus, ex octo illis filiis duorum tantùm posteros a Scripturâ recenseri, scilicet Gomer & Javan: e priore illo tres liberi, ex altero quatuor nati sunt. Ita, juxta hunc Patrem, Scriptura quindecim posteros Japheth exprimit. Verùm Textus Hebraicus, Paraphrastæ Chaldæi, Samaritanus, Josephus, Syriacus, & Vulgata quatuordecim tantùm assignant. E Septuaginta utique *Elizam* accivit Augustinus. Est etiam *Eliza* apud Eusebium & Chronicon Alexandrinum.

Alterum etiam Japhetho filium tribuunt Arabus, nempe *Cozar*, de quo nihil in Scripturâ. Recepisse se illum asserunt ad Volgam, ubi cognominem sibi urbem condidit. Est etiam gens ad Septemtrionem maris Caspii, cui nomen *Cozar*: asseruntque nonnulli, Israëlitas decem Tribuum in captivitatem adductos a Salmanasare, in regionem Cozar venisse; tum penetrasse usque ad fines Tartariæ, inde ad Sinarum regiones. Verùm Hebræi defendunt, Cozar non filium esse natu minorem Japhethi, sed ejus nepotem ex filio Togormâ. Itaque Josephus refert Cozar illum in censum decem filiorum Togorma (b). Versio Arabica habet *Chorazan* pro *Mosoch*.

℣. 3. Porro filii Gomer, Aschenez, et Riphat, et Thogorma. Aschenez אשכנז inter tres filios Gomer primus in Hebræo, Asiam frequentavit, juxta Chaldæos Interpretes, vertentes *Aschenez* pro *Adiabene* in Jeremiâ, LI, 27. *Rheginos* inter Posteros Aschenez assignat Josephus: Arabs Illyricos; Chronicon Alexandrinum *Mazicen*. Plerique authorem volunt incolarum Bithyniæ, ubi lacus, amnis, & sinus est Ascanius. Maluit Bochartus regionem illi assignare Ascaniam in Phrygiâ minori, ubi urbs & Insulæ Ascaniæ.

Arbitratur vir ille doctus, Phrygas (quos posteros Gomer constituit) omnes regiones habuisse, tum quæ ad Propontidem, tum quæ subinde cesserunt *Mysis* & *Thynis*. Additque, ab Aschenez filio Gomer deductas Colonias secundùm litora meridionalia Ponti Euxini ad usque provinciam Ponti, unde nomen *Pontus Axenus*, sive Pontus Aschenez, deinde in Pontum Euxinum transformatus, vitandi mali ominis gratiâ; sonat enim Axenos Græcè, hospitum hostis. Asseruerunt nonnulli (c), nomen Axenos mari illi inditum, quòd Scythæ eos omnes trucidarent, quicumque ad litora illa casu appulissent, eorumque carnibus vescerentur. Sed objectam illam Scythis infamiam purgat Strabo. Demonstrare nititur Bochartus, sententiam suam de Aschenez congruere Jeremiæ LI, 27, ubi Propheta populos indicans, qui suppetias Cyro, ad redigendam sub jugum Babyloniam, laturi erant, meminit populorum *Ararat*, *Minni*, & *Aschenez*. Probat autem ex Xenophonte *Cyropæd. l.* 7, Cyrum subegisse Phrygiam ad Hellespontum, unde validissimas copias deduxit.

Optandum esset utique, ut Bochartus principium illud suum, cui totum ejus systema nititur, validioribus argumentis asseruisset, nimirum Phrygas regiones omnes tenuisse Propontidis & Ponti Euxini.

(y) *Ipse est, quem vulgò dicimus* Niester, *seu* Turla, *Podoliam & Moldaviam discriminans.*
(z) *Strab. lib.* VII, *p.* 203. (a) *Idem lib.* XII, *pag.* 75, *lib.* XIII. *lib.* VII, *pag.* 204. (b) Basnage hist. des Juifs, l. 5, art. 1, 2, 3, 4. (c) *Diodor. Sicul. l.* 4, *& Apollodorus apud Strab. l.* 7.

Euxini adusque provinciam Ponti, deductasque ab Aschenez per universa ea loca Colonias. Si enim hæc nihil habeant satis certi; si regio Aschenez tota definienda sit intra Ascaniam, Phrygiæ minoris provinciam, seu restringenda ad adjacentem flumini Ascanio in Bithyniâ regionem; vix utique persuadebimur, modicum illum amnem, qui in Propontidem influit, lacum & urbem a mari longè distitam, nomen suum indidisse vastissimo illi maris tractui, qui sub Ponti Euxini nomine censetur.

Priscas igitur & genuinas Aschenez sedes investigemus. Apollodorus apud Strabonem *l. 14*, Xanthi authoritate demonstrandum suscipit, Phrygas non priùs ex Ascaniâ & Berecynthiâ in Asiam venisse, quàm post Trojani belli ætatem. Defendit Apollodorus, sermonem fuisse apud Homerum de veteri regione Ascaniæ verbis illis, *Iliad. B. ad fin.*

Φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε, καὶ Α'σκάνιος θεοειδὴς
Τῆλ' ἐξ Α'σκανίης &c.

Phorcys deinceps Phrygios ducebat, & Ascanius Divinus,
Procul ex Ascaniâ &c.

Profectò si Homerus Phrygas Asiæ Minoris habuisset præ oculis, aliis sanè phrasibus usus fuisset; erat enim Ascania Troadi proxima regio.

Rejicit Strabo hanc Apollodori meditationem, Homeri authoritate demonstrans, belli Trojani ætate non defuisse Phrygas in Asiâ minori ad amnem Sangarum; non tamen negat, fuisse Provinciam quamdam Ascaniæ, ab Asiâ magis remotam, unde Phorcys & Ascanius auxiliares copias ad Trojanos deduxerint. In vetere istâ Ascaniæ regione constituimus Aschenez. Intelligimus ex Homero *l. 11*, auxiliares Trojanis copias venisse e Provinciis Asiæ remotissimis trans mare, ac e Thraciâ, ut proinde locus sit quærendi Ascaniam, de qua Poëta, in viciniis Thraciæ & Chalybum. Occurrit in Sarmatiâ, quo potissimùm loco Boristhenes in Pontum Euxinum influit, ad Occidentem ejusdem amnis, urbs *Azacovo*, quam Mercator ipsissimam credit Axiacem apud Plinium in Sarmatiâ Europæâ. Amnis *Axiaces*, non longè ab Urbe ejusdem nominis in Pontum Euxinum sese devolvens, apud Strabonem ac Ptolemæum nominatur; eidemque Straboni, *l. 11*, alter est amnis ejusdem nominis in Sarmatiâ Europæâ, cujus tamen aquæ cum palude Mæotide miscentur. Non suscipimus quidem affirmandum, hanc regionem veterem esse Ascaniam, neque Provinciam, quam perluit Boristheoes, ipsissimam esse Berecynthiam, de qua Xanthus Lydius, nec tandem Bastarnas esse veteres Berecynthios; sed in hac re eamdem speciem veri agnoscimus, quam in iis, quæ affirmat Bochartus de coloniis Aschenez per litora Ponti Euxini, & de origine nominis Axenus, mari illi inditi. In assignaodâ regione Aschenez ad Sarmatiam, consonat nobiscum S. Isidorus.

Locus Jeremiæ LI, 27, ubi eum *Aschenez* conjunguntur *Minni*, & *Ararat*, suspicionem movet, num *Sacagena*, eximia Armeniæ Provincia (eadem facilè ac *Sacasene*) nomen suum debeat Aschenez. *Minni* & *Ararat* loca sunt in Armeniâ; Sacagenam Scythæ occuparunt. Cyri, & facilè etiam Trojanæ expeditionis ætate, migrare potuit Aschenez e Samariâ in Armeniam, inde verò in Asiam minorem; nec inter se abhorreot nomina *Aschenez*, *Sangana*, vel *Sacagena*. Meminit Herodotus *l. 5*, *Sygmorum* Scythiæ popniorum, quorum

clara erat commerciis & regionis amplitudine fama; tenebant autem regionem non longè a tractu, in quo nos Aschenez constituimus. Sed certius aliquid habemus apud Plinium, *l. 11, c. 7*, Ascanticos in viciniis Tanais & Lacûs Mæotidis constituentem; quod cum Jeremia quadrat, jungente *Aschenez* cum *Minni* & *Ararat*. Agit etiam Ptolemæus de *Ascataneis*, & montibus ejusdem nominis in Scythiâ citra montem Imaum.

Riphat, רִיפַת, in I Par. I, 6. *Diphat*; quæ nominis varietas ex affinitate literarum elementarium in Hebræo, vel Chaldæo repetenda est. Arabs & Chaldæus, judicio Bocharti, nomen illud de Galliâ interpretati sunt; de Sauromatis Eusebius; de Garamantibus Chronicon Alexandrinum; de Paphlagonibus Josephus. Ad Josephum accedit Bochartus cum pluribus Recentioribus. Paphlagones olim appellatos *Riphataos*, vel *Riphaces*, asserit Pomponius Mela *l. 1*. Occurrit in Bithyniâ, Paphlagoniæ proximâ, amnis *Rhebas*, vel *Rhebaus*, unde populi Rebantes, & regio ejusdem nominis. Hæc pro Paphlagoniâ, seu potius Bithyniâ, minora sanè, quam ut fidem extorqueant.

Nos igitur in eorum sententiam inclinamur, qui stant pro montibus Riphæis, quamquam cos nullibi locorum fuisse defendit Bochartus. Sed eorum veritas agnoscitur ab omnibus vetustis Geographis, & Recentioribus plerisque, montes illos constituentibus in Moscoviâ, non longè ab amnibus Obdora, & Oby in Provinciâ Petzora, in finibus Asiæ & Tartariæ desertæ. Porriguntur a freto maris albi adusque flumen Oby, appellanturque montes Oby, seu montes Stolp. Ultra solitudines Sarmatiæ Riphæos montes collocat Plinius; & ad hosce usque montes asserit porrectos fuisse populos *Rimphaos*. Plinio consonant Geographi nostrates: remotiores a palude Mæotide ad septemtrionem collocat Ptolemæus, fontes Tanais consignans ad unum e lateribus montium Riphæorum, ducensque ab altero latere amnem Chersinium. Riphæi ad ima Septemtrionis sunt Virgilio Georgic. 3.

Talis hyperboreo septem subjecta trioni,
Gens effrana virûm Riphæo tunditur Euro.

Thogorma תּוֹגַרְמָה. Tertium hunc filium Gomer Phrygum authorem statuunt Josephus & S. Hieronymus. Thogorma de Armeniâ interpretantur Theodoretus, S. Isidorus Hispalensis, & Eusebius; de Germaniâ Chaldæus Interpres (*d*) & Talmudistæ (*e*). Pro Thogorma habet Barbariam Paraphrastes Jerosolymitanus; ac tandem de Phrygiâ exponit Bochartus. Demonstrat ille, pluribus congestis a Turnebo (*f*) testimoniis, nomen *Barbaricum* usurpari non rarò a Latinis Authoribus pro *Phrygium*. Sed accidit incommodum, rem hìc esse non de Latino quodam, sed de Chaldæo Scriptore. Paraphrasis Arabica præfert Georgiam, Iberiæ portionem; Chronicon Alexandrinum habet Borades Scythiæ populos, de quibus in Epistolâ Canonicâ S. Gregorii Thaumaturgi. Recentiores plurimi maluot Turcomaniam in Tartariâ & Scythiâ. Togormios quosdam ad septemtrionem Judææ designat Ezechiel XXVII, 14; addens, in emporio Tyri equorum & mulorum negociationem illos exercuisse. Quod maximum est argumentum Bocharti, ut demonstret, Thogormæ nomine Cappadociam, equis, & asinis eximiis celebrem Provinciam, designari. Conjecturam etiam deducit ex *Trocmis*, sive *Trogmis*, nomine indito Gallis

(*d*) *In Ezech.* XXXVIII. (*e*) *In tract. Joma.* (*f*) *Advers. l.* V, *c.* 15. *& lib.* IX, *c.* 18.

℣. 4. Filii autem Javan: Elisa & Tharsis, Cetthim & Dodanim.

COMMENTARIUS.

Gallis nonnullis, qui duce Trocino transmigrarunt in fines Ponti & Cappadociæ (*g*). Sed aliena sunt hæc maximè & a Thogormæ nomine, & a Moysis ætate; nulloque demonstraretur argumento, sive Cappadocum gentem universam, sive non minimam ejus portionem nomen obtinuisse satis affinem Thogormæ.

Hisce autem rationibus in eorum sententiam inclinamur, qui Thogormam interpretantur Turcomaniam, vel Sauromatas, vel *Turcas* Plinii (*h*), Sarmatiam Asiaticam incolentes. I, Inter duo nomina *Thogorma* & *Turcomania* affinitatis est plurimum. II, Rerum suarum originem ita exponunt Scythæ apud Herodotum *l.* 4, *c.* 5. Targitaus filius Jovis & filiæ Borysthenis, liberos genuit tres, Lipoxaim, Arpoxaim, & Colaxaim, ex quibus parentibus Scythæ. Fatebantur autem, a Targitao adusque ingressum Darii Hystaspis in Scythiam, vix 1000 annos excurrisse. Porrò Targitaus iste facilè confundendus cum *Thogorma*, de quo modò. Profectò ab exorto Thogorma, etiamsi natalis ejus annus componeretur cum anno 300 a diluvio, adusque Darium Hystaspis majus est planè, quàm 2000 annorum intervallum; sed accuratam adeò criticam Scythæ negligebant; quorum inscitiæ argumentum est apertissimum, quòd vetustatem sibi præ cæteris orbis gentibus asserentes, res tamen suas non altiùs quàm a 1000 annis repetebant (*i*).

III. Non longè a Chersoneso Tauricâ sunt *Torrecada* (*k*), & Urbes Tracana & Tamirica: hodie pariter innotescunt in Circassiâ *Temroc* & *Trimicia*; sunt etiam populi *Chorasmini* (*l*), Scythicam originem referentes. Turcomaniam sive *Turkestan*, constituunt Geographi plures inter magnam Tartariam ad Septentrionem, & Mogorii Imperium ad meridiem. Fatemur quidem, Authoribus plurimis persuaderi, nullam ibi esse Turcomaniam, sed quærendam potiùs in magnâ Armeniâ, inter Georgiam ad Septentrionem, Asiam minorem ad Occidentem, Persiam ad Orientem, & Diarbech ad meridiem. Attamen omnes fermè conveniunt, Turcas originem referre e Scythis; quod satis est ad nostrum propositum, Thogormam nempe vixisse in Scythiâ vel Sarmatiâ. IV, Sauromatum etiam nomen non abludit a Thogorma, si juxta Chaldæam dialectum pronuncietur *Tauromata*. Sunt autem Sauromatæ retrò post Caucasum, seu prope fontes Tanais, ait Plinius *l.* 6, *c.* 5, & 7. Ex Strabone l. 11, intelligimus, Sauromatum nomine olim designatos Hyperboreos, Arimaspos, ac Scythas aliquos loca tenentes supra Pontum Euxinum, Danubium & Adriam, quod satis congruit cum Plinio *l.* 4, asserente, Scytharum, Sarmatum, & Sauromatum nomina ad Germanos usque transiisse. Observavimus supra, Chaldæum & Talmudistas Thogormam seddere Germaniam.

℣. 4. Filii Javan, Elisa &c. Javan frequentavit Græciam, olim Joniam, cujus proinde posteri in Græciâ quærendi. Est in Peloponneso Elis. Chaldæus vertit hìc Hellas אלס. Josephus Æolios interpretatur. Villalpandus exponit de campis Elysiis in Insulis Fortunatis. Arabs præfert Almessisam, i. e. Mopsuestiam Urbem Ciliciæ. Bochartus Peloponnesum, ubi provincia Elis, cujus est portio *Alisium*, apud Homerum. Purpuræ ab Elisiis mercatoribus ad Tyri nundinas devectæ, meminit Ezechiel XXVII, 7. Purpurei pisces quam plurimi piscatu apprehendebantur ad ostia Eurotæ (*m*), a quibus purpureus color; nec rarò occurrit apud Antiquos purpura Laconica. Horatius:

...... Nec Laconicas mihi
Trahunt honestæ purpuras clientæ.

Piscosus etiam purpureis hisce piscibus erat sinus Corinthius in Phocide in vicinis Ancyræ (*n*).

Tharsis תרשיש. Josephus, Chaldæi, Arabs de Tharso urbe Ciliciæ exponunt. Septuaginta, S. Hieronymus, Theodoretus de Carthagine; quod etiam servat Vulgata in Ezechiele XXVII, 12, ubi pro *Tharsis* habet *Carthaginienses*. Geographus Arabs præfert Tunetum; & Eusebius Hispanos e Tharsis accersit. Bochartus, Eusebium secutus, censet, Tharsis nomine *Tartessum*, Insulam & Urbem in freto Gaditano, maxime negociosam, designari. Demonstrare autem nititur idem Bochartus, Tartessum frequentasse Phœnicios. Qua in re ipse contra hypothesim suam, & adversùs deducta a se argumenta pugnat; cùm enim statuerit Javan Græcorum patrem, cùmque Tharsis filius esset ejusdem Javan, sequitur inde, regionem & urbem Tharsis Græcam originem Græcosque incolas olim retulisse.

Clericus nomine Tharsis expressam censet Insulam Thassum in mari Ægæo, ad Thraciæ latera, & ad ostia Nessi, cujus fodinæ & marmora a Plinio celebrantur; celebrantur pariter & ab Herodoto divitiæ, auri fodinæ, maritimæ vires. Cùm verò notet, Urbem hanc condidisse Phœnicios, quæritantes Europam, ab omni veri specie abludit, conditores Urbis censendos esse filios Javan.

Autumat Grotius, Oceanum nomine Tharsis appellari, quòd maritima Hispaniæ latera ad Oceanum urbem habeant inclytam Tartessum. P. Sanctius censet, mare generatim nomine Tharsis designari; ut naves Tharsis in Scripturâ usurpentur de classibus ad maritima itinera instructis, ut opponuntur cymbis seu parvis navigiis amnium. Fidem adstruit huic opinioni, quòd Septuaginta, nomen Tharsis reddant, mare. Quod in varias adeò sententias distraxit Interpretes, illud est, Scripturam in Libris a Moyse scriptis navium Tharsis nomine designare non solas quæ Mediterraneum sulcant naves, verùm etiam illas, quæ ex Asiongaber solventes, in Oceanum per fretum Sinûs Arabici ferebantur. Reputarunt autem Scriptores, ad designanda varia adeò & repugnantia itinera, nunquam unam eamdemque vocem usurpaturos fuisse Sacros Scriptores, si unus tantùm & singularis locus Tharsis nomine exprimeretur. Gemina proinde Tharsis inducta est, altera in Mediterraneo, altera in Oceano Indico, atque ita *Naves Tharsis* redduntur Naves Indiarum, Oceani, maris generatim, Africæ &c.

Sed conciliari facilè posse credimus repugnantes

(g) *Strabo lib.* XII. (h) *Plin. lib.* VI, *c.* 7. *&* *Mela lib.* 1, *c.* 21, *p.* 176. (i) *Justin. lib.* XI, *c.* 1.
(k) *Apud Ptolem. Tabul.* 8 *Europæ.* (l) *Strab. lib.* XI, *pag.* 358. (m) *Plin. lib.* IV, *c.* 36. *Pausan. in Lacon.*
(n) *Pausan. in. in Phocicis*

tes Scripturæ Textus, quin gemina Tharsis nomine designata loca constituantur. Nullâ enim licèt Tharsis procul a Mediterraneo admissâ, demonstrandum suscipimus, 1, Tharsis ipsissimam esse Tharsum in Ciliciâ; 2, Naves Tharsis ampliora esse navigia, longis itineribus apta; classes, Phœniciis classibus, ad iter Tharsum in Ciliciâ instructis, similes, alias planè a lymbis & lintribus.

I. Statuenda est urbs a Tharsis filio Javan condita, Græcæ originis, ad mare, negociosa, & maximè Phœniciis mercatoribus frequentissima, potissimùm post Regnum Salomonis & Hiram, ac belli Trojani ætatem. Congruunt autem hæc omnia cum Tharso Ciliciæ Metropoli, urbe vetustissimâ, conditâ a Perseo filio Danaës, juxta Solinum (o) & Lucanum. Hæc Solinus: *Cilicia matrem Urbium habet Tharsum, quam Danaës proles nobilissima Perseus locavit.* Conditæ Urbis illius honorem vindicat Strabo *l.* 15, Argivis, qui, unà cum Triptolemo, Io quæsituri, per ea loca discurrebant. Asserunt alii (p), Sardanapalum Assyriæ Regem unius diei operâ (q) illam ædificasse. Sed propiùs ad rem putaremus, urbem Tharsum occupasse, auxisse, ornasse subinde illos omnes, quibus conditæ honor tribuitur. Ejus enim fundamenta primùm locavit Tharsis, vel ex ejus posteris quispiam; unde & Urbi ac universæ Provinciæ nomen. Sed variis temporum vicibus Phœnicii, & Assyrii, jure armorum subactâ Ciliciâ, urbem illam restituerunt, ac totidem veluti conditores habiti sunt. Frequentissimè occurrunt in Scripturâ urbium exempla, quarum conditarum honor tribuitur non primis tantùm Authoribus, sed & iis qui ornarunt, auxeruntque. Sunt inclytum ejus rei documentum Babylon & aliæ planè multæ.

Protendebatur olim Cilicia, Solino cap. 51 teste, adusque Pelusium, habens ditioni suæ subjectos Lydos, Medos, Armenos, Pamphyliam, Cappadociam; eadem tamen in provinciam Assyriorum transiens, ad angustiores planè redacta est fines. Nomen habet a *Cilice*, cujus memoria, æquè cum rebus omnibus vetustissimis, antiquitatis caligine tegitur. Filius statuitur Phœnicis (r), viri inter primos mundi incolas, & antiquitate Jovem superantis. Hæc Solinus de Ciliciâ; unde certum argumentum, primos ejus Provinciæ Authores cum vetustissimis quibusque æquam referre apud Paganos antiquitatem. Sunt tamen hæc recentissima, si conferantur cum Tharsis filio Javan, & Japhetho, quem Cilices generis suæ authorem asserunt. Urbs *Anchiale* (ſ), eidem litori ac Tharsus imminens, nomen suum referebat e filiâ Japhethi; & amnis Cydnus (t), Tharsum alluens, nomen idem suum debebat Cydno filio Anchiales. Porrò Cydno filium statuunt Parthenium, unde nomen Urbi, quæ temporis deinde successu Tharsus dicta est. Tradit Moyses, Japheth filium habuisse Javan, & ex Javan Tharsis. Ita magno sanè assensu historia sacra & prophana conveniunt, ut primos Ciliciæ Authores viros e posteris Japhethi constituant.

Quamquam autem Tharsus a litore maris sit remotior, satis tamen proxima est ad commodum navigationis, utque nomen maritimæ urbis obtineat. Amnis Cydnus, mediam urbem secans, sex inde milliaribus in mare devolvitur: quod opportunissimum est maximè ad naves Tharsum usque deducendas. Nihil aptius Urbis illius situ ad commercium cum Sidoniis, neque enim vetustissimis illis temporibus satis fidebant pelago mercatores: & Phœnices litora Syriæ radentes, Tharsum usque facilè adnavigabant; commercium ita detinentes cum Asiâ minori universâ, ac regionibus usque ad Euphratem; nondum enim, ut alibi demonstratum est, commercium illud per Pontum Euxinum patuerat.

Satis hucusque demonstratum arbitror, urbem Tharsi ipsissimam esse ac Tharsis Scripturæ. Nominis affinitas nunquam meliùs quàm in rem hanc adducitur; quæ major etiam sentitur in nomine *Tharsis*, adhuc a Turcis urbi dato. Author Libri Judith 11, 12, 13, sermonem habet de filiis Tharsis in Ciliciâ, iter Holofernis describens: *Cùm pertransisset fines Assyriorum, venit ad magnos montes Ange* (facilè *Auge*, nomine deducto ex Auge sponsâ Tautræ Regis Ciliciæ) *qui sunt a sinistro Ciliciæ . . . . . Effregit autem civitatem opinatissimam Meloti* (facilè Mileti seu Melitæ in Cappadociâ) *prædavitque omnes filios Tharsis.* Jonas Propheta ψ. 1, 3, &c. fugâ dilapsus, ne Ninivem ire cogeretur, navim solventem Tharsis versùs Joppe conscendit. Erat ergo urbs ad mediterraneum. Reges Tharsis & Insularum conjungens David, *Psal.* LXXI, 10, utrosque veluti situ oppositos insinuat Regibus Arabum & Saba: *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent; Reges Arabum & Saba dona adducent.* Ne unus quidem singularis Scripturæ Textus nomen illud præferens, non pronam habet in nostro hoc systemate interpretationem, nullum habet incommodum, quod non facilè submoveatur; sicut vicissim ardua sunt plura, & veluti repugnantia in hypothesibus aliorum.

Maxima contra nos suspicio deducitur e locis quibusdam Scripturæ, insinuantibus speciètenùs, classem Salomonis ex Asiongaber Tharsum adnavigasse: quod sanè nunquam reputari potest de Tharso Ciliciæ, quam urbem post terga relinquerent naves ex Asiongaber solventes ad fretum Sinûs Arabici & Oceanum versùs. Ne admittamus sententiam eorum, qui alteram Tharsis in Indiâ constituunt, id vetat, quòd ne minimâ quidem conjecturâ ea opinio fulciatur. Est ergo incommodum illud aliâ ratione subducendum. Textus rem illam ferentes habemus in Libris Regum & Paralipomenon: ita ergo 3 Reg. x, 22, ex Hebræo: *Classis Tharsis, quam Rex habebat in mare, cum classe Hiram; hæc classis Tharsis redibat per tres annos, deferens aurum & argentum.* Locus parallelus 2 Par. ix, 21, ita reddi potest: *Naves Regis, quæ ibant in Tharsis cum servis Hiram: hæ naves Tharsis semel in tribus annis redibant cum auro &c.* In eodem Libro Paralipomenon xx, 36, legimus, Josaphat, junctâ simul cum Ochozia Rege Israel operâ, classem in Asiongaber instruxisse, quæ Tharsis adnavigaret; sed ventorum procellâ dissipatis navigiis, consilium evanuisse. Hæc validiora contra nos argumenta ita diluimus.

E quatuor hisce Textibus duo postremi præ cæteris maximè nostræ hypothesi opponuntur; prono enim sensu accepta, exprimunt classem in Mari rubro instructam in Tharsis adnavigasse. Sed cùm nullus occurrat ejus nominis locus ex Asiongaber per Erythreum adeundus; cùm pariter optimè constet, locum, quò naves illæ petebant, Ophir appellari, uti ex collatione 3 Reg. ix, 20, cum 3 Reg. x, 23, apertè demonstratur;

cùm

(o) *Solin. Polyhist. c.* 51, *& Lucan. l.* III. *Deseritur Taurique nemus, Perseaque Tarsos.*

(p) *Strab. lib.* XIV. *Arian. Alex. lib.* II. *Athen. l.* XII. (q) *Sepulchro Sardanapali hæc inscripta legebantur:* Ἀγχιάλην καὶ Ταρσὸν ἔδειμεν, ἐν ἡμέρῃ μιῇ. (r) *Vid. Herod. lib.* VII, *c.* 91. (ſ) *Stephanus* Ἀγχιάλη. (t) *Eustath. ad Dionys. Perieget. &c.*

Digitized by Google

cùm tandem Tharsis urbs esset ad Mediterraneum, ab itinere Ninivem ducente maximè distans, uti constat ex historiâ Jonæ c. I, 3, IV, 2, locisque Prophetarum, qui inter onerarias naves ad nundinas Tyri ventitantes, navium etiam Tharsis meminerunt; (Vide Isai. XXIII, 1, 14, & LX, 9. Ezech. XXVII, 12, 25, & XXVIII, 13.) cùm, inquam, hæc omnia per se constent, ea Textuum illorum expositio quærenda est, quâ salva sint omnia.

Habemus ergo persuasum, *Naves Tharsis* exprimere naves mole amplas, & longorum itinerum patientes, cujus generis instruebantur ad navigationem in Tharsum Ciliciæ, quæ sanè exigebat validas robustasque naves, non facilè a fluctibus disjiciendas. In eum sensum, Prophetæ David & Isaias insinuant, virtutis esse divinæ dissolvere naves Tharsis (*u*): *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*. Et Isaias II, 6, Dei ultionem minitatur in viros superbos erectæ cervicis, in urbes munitionibus suis contumaces, in montes; ac tandem in naves Tharsis. Hujus generis naves Latini appellant *onerarias* vel *actuarias*, alias planè a piscatoriis lintribus, cymbis, phaselis &c. Occurrunt etiam non rarò in Scripturâ (*x*), *Naves maris*, in eum sensum ac naves Tharsis, validæ nempe naves, fluvialibus planè oppositæ, quæ breves erant maximè & angustæ, ut infra demonstrabimus.

Hac semel constitutâ hypothesi, prona est Textuum omnium significatio; quin & duo sunt nullam fermè aliam admittentes (*y*): *Navis Tharsis Regis in mari.... Semel tribus annis veniebat navis Tharsis*. Salomon instruenda curabat longiora navigia in Mari rubro, quæ navigationem suam intra triennium conficiebant. Congruit locus in Paralipomenis.

Ubi de classe Josaphat & Ochoziæ sermo est (*z*), naves ad iter Tharsis instructæ designare commodè possunt naves longarum navigationum patientes, cujus generis erant navigationes e Joppe seu Sidone Tharsum Ciliciæ. Et cùm Scriptura addit, classem illam procellâ ventorum disjectam adnavigare in Tharsis prohibitam fuisse, insinuare commodè potuit eâ phrasi, longius eam iter jam decretum conficere nequivisse, neque onerariis illis navibus sulcare Oceanum; eo planè modo, quo Mediterraneum excurrebat, comparandis Tharsi Ciliciæ mercibus.

Erant apud Phœnices duo navium genera, rotundum nempè, cujus generis appellabant *Gaulos* (*a*), & alterum amplius, remis instructum.

De rotundis Carthaginensium navibus, ut distinctis ab aliis, remige actis, agit Polyænus l. VI. Naves illæ remigiis instructæ referebant naves Tharsis Scripturæ; nec inviti credimus, eo nomine designari amplas robustasque naves, ut distinctas a vimineis cymbis, argillâ compactis, quibus Ægyptii utebantur per Nilum, & Mare Rubrum. Observat Plinius (*b*), Æthiopes mercatores Elephantinam venientes, quam vocat *navigationis Ægyptiaca finem*, nonnisi vimine contextis lintribus vectos, quos humeris asportarent, cùm sive chataractæ, sive rupes & scopuli navigationem impedirent. Describit etiam Herodotus l. I, navigia quædam parva e pruno sylvestri, quorum erat in Nilo usus. Tandem nihil frequentius occurrit quàm navigiolorum a navibus majoribus discrimen (*c*).

CETTHIM, vel *Kittim* כתים. Septuaginta vertunt Κιτίους, vel Κιτιεῖς, vel Κιτιαίους, *Citios Citiens* vel *Citiaos* (*d*); & Josephus interpretatur de Insulâ Cypri, ubi *Citium*, Urbs Antiquis celebrata; additque, Hebræos nomine Chetim distinguere Insulas ac loca omnia maritima. Josephum sequuntur S. Epiphanius, S. Hieronymus, Eustathius, Interpres Arabs, aliique plures.

Sunt qui *Cethim* de Insulâ Chio dictum volunt; alii de Indis; alii de Ciliciâ, ubi *Cetesi* in Strabone, & *Cetie* regio apud Ptolemæum ac S. Basilium Seleuciensem.

Interpretes Chaldæi, si Bocharto fides, de Achajâ exponunt; reddit enim Scriptor ille in eorum Textu *Achaja* pro *Asia*. Authori primi Macchabæorum I, 1, *Citthim* est Macedonia; Alexandrum enim in Cethim regnasse scribit. Et ibid. VIII, 5, de Perseo a Romanis victo agens, regnasse illum in Citthim præfert. Isaias XXIII, 1, dejectam esse Tyrum dicit, & neminem exinde venturum de terrâ *Cethim*, nempe de Macedoniâ. Agi a Prophetâ de Susianâ, censet Bochartus: sed cur non de Macedoniâ, cùm non rara suppetant documenta de expressâ in Scripturâ sub eo nomine Macedoniâ?

Porrò Macedonia olim appellabatur *Macettia*, sive *Macetia* (*e*), & Macedones *Macetæ*. Est in eâ regione mons Cittus (*f*); & ex dictis supra, cùm de Thyrâ ageremus, satis constat, Thraciam tenuisse olim *Sitinos* (*g*), qui deinde *Sinti*, postea *Saji* appellati sunt. Veteres illi Thraciæ incolæ facilè ex Cetthim derivati sunt, & intra Macedoniæ fines, a Thracibus regionem illam invadentibus coacti, sese continuerint. Nec fortè nisi ex irruptionibus istis Thracum factum est, ut Medi e Macedoniâ transmigrarent, de quibus alibi. Demonstrat optimè Strabo l. 7, Thraces aliasque barbaras gentes olim Græciam occupasse universam, & veluti in partes avulsisse, quod potissimùm de Macedoniâ probat.

Quamquam hæc Macedoniæ favent, censet tamen Bochartus, nomine Citthim exprimi Italiam: quod ita demonstrare nititur. I, Alexander est Rex Javan apud Danielem; si verò ipse pariter Rex Citthim appellaretur, unum idemque habendæ essent Citthim & Javan, quod testimonio Moysis illas inter se distinguentis repugnaret. Sed argumenti hujus imbecillitatem quis profectò non sentiat? *Citthim* est portio regionis Javan, ut proinde ipse unus Alexander & Regis Javan & Citthim appellationem in se conciliaret, uti uni eidemque Regi congruit nomen Regis Hispaniarum & Castellæ &c.

II, Bochartus ex eodem Daniele XI, 30, observat, navium *Cethim* nomine classem Romanam exprimi. Sed ideò profectò, quòd classis illa in Macedoniæ portibus detineretur, cùm in expeditione adversùs Antiochum sub *Cajo Poplio* ducenda

(u) *Psal.* XLVII, 8. (x) *Isai.* XX, 11, *&* IX, 9, *&* *Ezech.* XXVII, 9, 25. (y) 3 *Reg.* X, 22. *&* 2 *Par.* IX, 21. (z) 2 *Par.* XX, 36, 37. (a) Γαῦλος Φοινίκικος σκάφος, *ait Scholiastes Aristophanis. &* *Callimachus:*

Κύπρηθι Σιδόνιος με κατήγαγεν ἐνθάδε γαῦλος,

Ex Cypro Sydonius me duxit huc gaulus.

(b) *Plin. lib.* V, *c.* 9, *& lib.* VI, *c.* 11. (c) *Epigramm. lib.* 1.

Τὴν μικρὴν με λέγουσι, καὶ οὐχ ὅσα ποντοπορεῦσαι

Νηυσὶ δ' ἰθύνειν ἄτρομον ἰσπλοΐην.

(d) *Dan.* XI, 30. *Isai.* XXIII, 1, 14. *Num.* XXIV, 24. (e) *Vide Hesych.* Μακετία ἡ Μακεδονία. (f) *Xenoph. lib. de Venatione, pag.* 229. *Edit. Basil. an.* 1555. (g) *Strab. lib.* XII, *pag.* 380. *Vid. & lib.* VII, *pag.* 222.

Digitized by Google

da esset. Confereodus est Textus Danielis cum T. Livio l. 45, c. 10. III, Laudat Bochartus ex Num. xxiv, 24, oraculum illud de navibos Citthim, in Hebræos & Assyrios exitium illaturis. Sed Hebræorum nomine hìc designari censemus gentes transeuphratæas, quas unà cum Assyriis Alexander subegit. IV, Demonstrat, in Italià Urbem Cetiam, de qua Dionysius Halicarnassæus l. 8, & Plutarchus, *in Coriolano*; derivat etiam nomen *Latium* ex Arabico *Ketim*, quod est latens; quam etiam significationem præfert *Latium* ex *lateo*. Sed argumenta ista nihil per se valent. Producit tandem plures Interpretes, qui Danielis xi, 29, 30, Textum de Romanis interpretantur; sed illi sermonem ibi esse tantùm de classe Romanà notarunt, nihil determinantes, an nomine Cethim Italia sive Macedonia exprimeretur; an tandem classis illa e Macedonià sive Romà solveret.

Dodanim דודנים, sive ut 1 Par. 1, 7, & Textus Samaritanus in hunc locum רודנים *Rodanim*; quin & Septuaginta pariter legisse hìc *Rodanim* videntur, cùm vertant *Rhodios*. Illos sequuntur S. Hieronymus, & S. Isidorus. Sed Rhodiorum nomen multò recentius esse Moyse, demonstrat Bochartus. E Rhode puellà nomen Insulæ inditum tradit Diodorus Siculus l. 5. Malunt alii (*h*) derivari e rosis elegantissimis ejus Insulæ. Sunt qui referant (*i*), vetus loci nomen fuisse *Ophiusam*, ac si diceretur anguifera, quòd angues foveret. Plinius l. 5, c. 31, hæc illi nomina seu potiùs epitheta tribuit: *Ophiusa*, *Asteria*, *Æthraa*, *Trinacria*, *Corimbia*, *Poeessa*, *Atabyria*, *Macris*, *Oloessa*; asseritque, longà ætate geminas Insulas Rhodum & Delum sub aquis maris latentes emersisse tandem. Et Pindarus *Olymp.* 7, ex veteri populorum traditione refert, nondum extulisse illas ex aquis caput, cùm Dii terras inter se distribuerent. Primos Rhodi incolas nonnisi circa ætatem Cecropis constituunt; ac tandem minor erat Insula, quàm ut portionem unius ex filiis Javan definiret. Hæc Bocbartus ad evertendam interpretationem de Rhodiis.

Censet ergo, *Rodanim* locum esse in Gallià circa ostia *Rhodani*; quod sanè nomen ad Rodanim accedit maximè. Circa eumdem amnem in ditione Massiliensi regio est & Urbs *Rhodanusia* (*k*). Sunt & in Galliis *Rhedones* & *Rhutens*; & urbs *Rhodumna Segusiorum*, hodie Rothomagum. Hæc potissimùm argumenta pro asserendo systemate suo affert vir ille doctissimus.

Rejicit ille quæ affert Plinius l. 3, c. 4, & S. Hieronymus (*l*) de urbe *Rhoda*, hodie *Roses*, colonià Rhodiorum, ex qua amni *Rhodano* nomen inditum. Dicta bæc asserit nullà veri specie; cùm enim *Roses* Hispaniarum sit urbs, & ab amne Rhodano ampliùs LV leucas distans, nunquam ex illà nomen dari potuit amni illi celeberrimo, cui idem semper nomen, quantum intelligere possumus, mansit. Optaremus autem, ut Bochartus solidioribus argumentis demonstrasset, *Rhodanim* veteres esse incolas Massiliensis oræ, & ad ripas Rhodani; vellemus pariter dari nobis, ut novis argumentis sententiam illam fulciremus; sed nulla suppetunt, quibus in ejus opinionem inclinemor.

Præferendam alii censent (*m*) lectionem Hebræi, ut pro *Rhodanim*, habendum sit *Dodanim*; quærendamque ejus nominis regionem, sive in Græcià, sive multò Græciæ viciniorem. Occurrit statim inclytum illud oraculum, amnis, & urbs *Dodona*, in modicà ejus nominis provincià, Epiri portione. Porrò *Dodonai* inter vetustissimos Græciæ populos locum vindicant. *Jupiter Dodonaus & Pelasgicus, Dodona patronus* legitur apud Homerum (*n*), mentio etiam Oraculi quercûs Dodonææ; quod inter vetusta Græciæ Oracula vetustissimum asserit Herodotus l. II. Supererat illud vel ante invectam apud Græcos Numinum illam phalangem. Ejus responso usi sunt, cùm de adoptandis apud Græcos barbaris Deorum nominibus ageretur; ex quo tempore cœperunt Numina suis nominibus appellari, cùm sacrificiis colerentur. Pelasgi, sedes habentes in Dodonà, per totam inde Græciam sese ac religionis suæ ritus diffuderunt. Ex his Dodonæis Pelasgis referuntur Pelasgi, qui in Italiam migrarunt.

Euphoras apud Strabonem l. 5, & 7, & Dionysius Halicarnassæus l. 5, repetunt Dodonæos e Pelasgis, seu potius Pelasgos originem suam debuisse Dodonæis tradunt. Cùm autem, addunt, portionem quamdam Pelasgorum Deucalion secedere e Thessalià coëgisset, illi ad Dodonæos veteres fratres sese recepere, veluti ad asylum sacrum & inviolabile, quòd loci illius sanctitas incolas in tuto poneret. Narrat Dionysius, Pelasgos illos sex generationibus in Peloponneso mansisse, migrasse deinde in Thessaliam, unde per Deucalionem post sextam generationem depulsi sunt. Argumentum inde capias licet de vetustate Pelasgorum; si enim duodecim generationes ponantur pro periodo 600 annorum, a diluvio Deucalionis ascendemus ad Noëmicum, & ad Babilonicæ turris constructionem; ut proinde gentis illius origo fermè cum Babelicà dispersione componatur. Consignamus enim diluvium Deucalionis ad annum 655 circiter post dispersionem.

Cæterùm nomen *Pelasgus*, Phœnicio sermone est homo vagus, & errans, cui nulla est certa sedes; ut proinde nomen sit exprimens vitæ rationem, & indolem gentis potiùs, quàm originem; quare nullum præjudicium referendum est e discrepantià nominum Dodanim & Pelasgus.

Ferunt autem, oraculum Dodonæum ita responsa sua dedisse, ut scilicet subito quodam vento suspensa in aëre ahena inter se agitarentur, complóderenturque; atque editus ex iis sonus Deorum voluntatem reddebat. Refert Suidas, simulacrum quoddam Dodonæ quercui insidens, baculo, quem in manu habebat, ahenum pulsasse; ex quo oraculum. Hebræum *Dod*, unde *Dodonim* sive *Dodanim*, exprimit interdum ahenum. Hæc nominum etymologia, & edendorum Oraculorum ratio aliud suppeditant argumentum pro asserendà origine nominis Dodonæ, ejusque vetustate.

An Titanes, quos Cœlo & Terrà prognatos ajunt, e posteris Dodanim asserendi sint, ambigo. Hæc virorum illorum nomina (*o*), *Oceanus*, *Cœus*

(h) *Scholiast. Pindari*. (i) *Strab. lib.* xiv. (k) *Vide Marcian. Haracleotam, & Stephan.* (l) *Hieronym. Præfat. lib.* II, *in Ep. ad Galatas*. (m) *Medus*, Monsieur le Clerc, &c.

(n) Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε, Πελασγικὲ, τηλόθι ναίων
Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου.
Τὸν δ' ἐς Δωδώνην φάτο βήμεναι, ὄφρα Θεοῖο
Ἐκ δρυὸς ὑψικόμοιο Διὸς βουλὴν ἐπακούσῃ.
Vide Odyss. T, *& Iliad.* Π.

(o) *Apollodor. Bibliot. l.* 1, *c.* 1.

℣. 5. Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundùm linguam suam, & familias suas in nationibus suis.

℣. 6. Filii autem Cham: Chus, & Mesraim, & Phuth, & Chanaan.

COMMENTARIUS.

Cœus, *Hyperion*, *Orius*, *Japetus*; Titanides eorum sorores erant: *Thetis*, *Rhea*, *Themis*, *Mnemosyne*, *Phœbe*, *Dione*, *Dia*. Apollo, cùm Solem exprimit, *Titan* appellatur. *Typhon*, *Briareus*, *Ægeon*, *Elous*, *Enceladus* e numero Gigantum habentur. Porrò nomen *Titanim* ad Dodanim satis accedit: congruunt utrorumque vetustas & rerum circumstantiæ. Mater Saturni, *Titea*; frater Saturni natu major, *Titan*. *Titan*, vel *Dis* & ortum habuerat & Regnum in Dodonâ, e genere Titanum erat. Plures Græcorum gentes ex iisdem Titanibus originem suam asserunt. Regnabant illi in Phrygiâ, Thraciâ, Græciæ portione, in Insulâ Cretæ, aliisque in provinciis, quod eorum Imperium Jupiter longè latèque provexit.

℣. 5. AB HIS DIVISÆ SUNT INSULÆ GENTIUM &c. Nomine *Insularum gentium* designantur hìc Insulæ omnes & regiones a continenti Palæstinæ avulsæ, quò tantummodò mari Hebræis accessus erat: utì Hispaniæ, Galliæ, Italia, Græcia, Asia minor; quas omnes regiones adiisse Phœnicios crebrisque coloniis frequentasse, sermonis sui vestigiis relictis, demonstravit optimè Bochartus. Sed ægrè persuademur, tot eos colonias derivasse, tot frequentasse regiones, quot illis vindicant. Constat utique, Græcos sedes fixisse suas in Insulis Mediterranei, in Asiâ minori, in Italiâ, in iis Galliarum regionibus, quas Mediterraneum alluit; sed hæc omnia ab ipsâ Moysis ætate constituta fuisse, vix credimus: postulant enim hæc annorum longius intervallum; filii Japhet omnium primi regiones illas frequentarunt.

SECUNDUM LINGUAM SUAM ET FAMILIAS SUAS IN NATIONIBUS SUIS. Pertinent hæc ad tempora post Babelicam dispersionem, de qua Moyses nondum egit. Ante illam enim nec ejusdem familiæ gentes a se invicem divulsæ sunt, nec variæ per Orbem constitutæ nationes, nec sermonum in mundo discrimen.

℣. 6. FILII AUTEM CHAM, CHUS, ET MEZRAIM &c. Cham sortitus est Africam universam, Arabiæ & Syriæ portionem. Nemrod ex filio nepos, hæreditatem filiorum Sem invadens, optimas occupavit regiones in Babyloniâ, Susianâ, & Assyriâ. Cham sedes suas fixit in Ægypto, ubi nominis illius vestigia plura, & ubi pariter ejus memoriam post obitum consecratam non inviti credimus. Ægyptus nomine terræ Cham designatur sæpiùs in Psalmis (p); apud Plutarchum (q) est *Chemia*, Χημία: inter Nomos Ægypti *Chemmis*, *Psochemmis*, *Psittachemmis*: in quibus sanè nominibus vestigia observes nominis Cham. Jupiter Ammon, editis Oraculis clarus, ipsissimus erat facilè Cham. Erat in regione illâ Urbs Ammonia, & provincia Ammoniaca; quin & *Ammonia* Africa appellata est. Thebarum urbs inclyta in Hebræo est *No-Ammon*, sedes Ammonis. Porrò e nomine Cham, aspiratione sublatâ, factum est *Ammon*.

Posteri Chus filii Cham, eam Arabiæ portionem tenuerunt, quæ per litus orientale Erythræi, Nomum Arabicam, & Ægyptum inferiorem excurrit; quem terræ tractum plerumque designat Scriptura, cùm meminit terræ Chus, ut demonstravimus supra ad cap. II, 13. Ibi etiam probavimus, aliam regionem Chus sitam esse in Araxene: tandem agnoscimus, eo nomine interdum, sed rariùs tamen, Æthiopiam supra & ad meridiem Ægypti designari. Hunc situm terræ Chus agnoscunt veteres Græci & Latini Interpretes omnes: sed præstat tres regiones cognomines distinguere, ut Scriptura secum ipsa concilietur; id autem a nobis factum est.

MIZRAIM. Omnium consensu Mizraim sunt Ægyptii vel Ægyptiorum regio; cùm enim duale sit nomen, non potest de uno singulari homine usurpari. Non incongruè autem adhiberetur de duabus Ægyptis, superiore & inferiore, portione meridionali, Æthiopiam versùs excurrente, & Septemtrionali, ad Mediterraneum porrectâ; vel de duplici Ægypti parte, infra & ultra Nilum.

Veterum nonnullis venit olim in mentem (r), Ægyptum paulatim concrevisse ex humo, quam Nilus ex Æthiopiâ erasam deponebat, & veluti solum solo insternebat. Nec inficias quidem iverimus, annis hujus eluvionibus Ægypti solum altiùs latiùsque crevisse, qua parte Mediterraneo alluitur; sed constat pariter, statim post constructionem Babelicæ turris Ægyptum occupasse Cham; adeò ut inter primas orbis regiones Ægyptus incolis frequentaretur. Hebron urbs vetustissima, non nisi septennio Tanim, Ægypti inferioris urbem, patratis a Moyse prodigiis inclytam, ætate superat. Inter filios Cham ille, cui Ægyptus cessit, appellatus est facilè Mazor vel Mezor. Mensium omnium primus in veteri Kalendario Ægyptio *Mesori* adscribitur. Cairum, Metropolim inferioris Ægypti, *Mezer* hodie Arabes nuncupant.

Apud Michæam VII, 12, fines Chanaan protenduntur a Mezor usque ad amnem, i. e. ab Ægypto ad Euphratem. Kimchi & Bochartus de Ægypto exponunt ea loca Scripturæ (s), in quibus sermo de torrentibus Mazor; quæ tamen alibi in examen revocabimus. Credimus autem, Mezor & Mizraim peculiaria esse nomina inferioris Ægypti, quacum plus erat Israëlitis commercii, quàm cum reliquis ejusdem regionis; hinc sæpissimè de illâ Sacer Textus. Ex inferiori ad totam Ægyptum nomen derivatum est. Ea pariter regio interdum in Scripturâ est *Rahab* (t); quamquam id sibi nomen peculiariùs vindicaret Delta, olim ab Ægyptiis dictum Rib (u), i. e. pyrus, for-

mæ

(p) *Psal.* LXXVII, 51. & CIV, 23, & 27, & CV, 22. (q) *Plut. de Iside & Osiride.* (r) *Diodor. l.* 1. *Herodot. l.* II. *Arist. Meteor. l.* 1, *c.* 14. *Ephorus*, &c. (s) 4 *Reg.* XIX, 24. & *Isai.* XX, 6. (t) *Psal.* LXXXI, 14 & LXXXVIII, 11 & *Isai.* LI, 9. (u) *Horus Hieroglyph. lib.* 1, *c.* 7. *vid. Mag. Etymologic.*

Digitized by Google

℣. 7. Filii Chus: Saba, & Hevila, & Sabatha, & Regma, & Sabathaca. Filii Regma, Saba, & Dadan.

COMMENTARIUS.

mæ gratiâ. Manet adhuc nomen illud regioni apud Arabes. Fusiùs hæc omnia apud Bochartum legas.

Phut פוט. Ejus nominis vestigia per Africam audiuntur; ubi e. g. amnis *Phut* [x] Mauritaniæ; Urbs *Putea* vel Phut, juxta Adrumetum; portus *Pthia* in Marmaricâ. Ne verò longiùs a constitutâ methodo recedamus, quærendus est *Phut* in Ægypto. Est ibi Nomus vel Regio *Phtemphu* apud Plinium, & *Phtemphuti* vel *Phtemphuti* in Ptolemæo; ad Lybiam præ cæteris maximè accedebat. Nahum III, 9, posteros Phut inter eos recenset, qui suppetias laturi fuerant *No-ammon* vel Thebis. Jeremias XLVI, 9, & Ezechiel XXX, 5, eas gentes cum Ægypti populis recensent. Sedem habuisse credimus in Nomo *Phtenote*, cujus metropolis *Butus*; sive in Nomo *Phtemphut*, cujus Metropolis *Tara*. Parebant Nechao Regi Ægypti, Jeremiæ ætate.

Chanaan כנען, regionem frequentavit, in qua nomen viri mansit, donec Israëlitis, duce Josue, cedere coacta est. Exinde in duodecim Tribus distributa, regionis Israëliticæ nomen obtinuit. Post captivitatem Babylonicam sub Judææ nomine innotuit. Veterum nonnulli (y) autumarunt, Phœnices, quorum, inter posteros Chanaan, clarissimum nomen, in regionem venisse e litore maris Rubri; nomen autem Phœniciæ, Φοινίκης, regioni indidisse, quòd Φοῖνιξ *Phœnix*, Græcè sit ruber, ad veteres scilicet sedes Maris rubri spectantes. Reputat Usserius, Phœnices e mari Rubro ipsos esse Pastores sive *Tesos*, qui post obtentum diu in Ægypto Regnum, inde pulsi in Phœniciam venerunt.

Sed Bochartus nominis *Phœnicii* sive *Punici* etymon derivat ex *Bene-Anakim* בני ענק, bene-anak, filio Enacim. Porrò Chananæi patrium nomen Chanaan ideò facilè abjecerunt, quòd probro sibi ducerent nomen viri, diris a Noë devoti; quare apud advenas nomen sibi adsciverunt filiorum Enach, viri nempe inclyti, & patris Gigantum Chanaanitidis. Sed nunquam excidit apud Veteres memoria nominis Chanaan, genuini Phœnicum Authoris. Id exprimit disertè Eupolemus (z); & Pseudo-Sanchoniaton (a) appellat *Chna*, quòd compendiosa est nota nominis Chanaan. *Chanaan* & *Phœnix* apud Septuaginta confunduntur (b); & mulier Chananæa Phœnicia appellatur in Novo Testamento (c). Regionis Chanaanitidis portionem occuparunt Philisthæi, ut infra.

℣. 7. Filii Chus: Saba et Hevila at Sabatha. Veterum plerique hac semel persuasione inducti, nomine Chus Æthiopiam designari, viri illius posteros in Africâ constituerunt. Recentiores, quibus ea sedit opinio, Chus frequentasse Arabiam, demonstrare pariter nisi sunt, ejus posteros regionem illam tenuisse. Cùm aliter nos statuerimus, habemus pariter persuasum, filiorum Chus partem in Arabiâ, partem in ditione Nemrod, maximè in Assyriâ, Susianâ, Araxene, locisque proximis, substitisse.

Saba, סבא. Æthiopes designari eo nomine censet Josephus, quorum metropolis olim Saba, dein Meroë dicta. De Sabæis populis Arabiæ, thure suo notissimis, exponit S. Hieronymus. Sabam in Arabiâ pariter collocat Bochartus ad sinum Persicum, juxta Omanitas. Chaldæus pro Saba habet *Sirinaoe*. Tres distinctos Saba notat Moyses in hoc capite, & quarti mentio fit Genesis XXV, 3.

Havila חוילה, alter est ab Hevila, de quo infra ℣. 29. Sed utrius meminerit Moyses cap. II, 11, incertum. Ex his unum collocabimus in Arabiâ felici, juxta amnem ex confluente Euphratis & Tigridis coalescentem, & ad sinum Persicum; alterum verò in Colchide ad Phasim. Vide quæ contulimus in cap. II, 22. Sunt in Arabiâ apud Strabonem Cholotæi, & Chaulasii apud Festum Avienum; & Chablasii apud Dionysium: tandem Chavasii apud Priscianum; omnes posteri Hevila, judicio Bocharti, quem viri docti plures sequuntur.

Sabatha סבתה. Viæ e Sinu Gerrhæorum ad Arabiam desertam ducenti, imminet urbs *Saphta* apud Ptolemæum. In sinu Persico est *Sophta*, Insula vel Peninsula, Sabatæorum Arabiæ colonia, juxta Bochartum. Sed an non meliùs reputarentur ramus quidam Messabatum, quos Plinius in finibus Persarum constituit & Elamitarum? Strabo l. 16 illos collocat in Provinciâ Elam. Plinius l. 6, c. 27, cursum amnis Eulæi describens narrat, in Mediâ illum condi, lapsumque per Mesobatenem, arcem Susorum circuire. Constituit ille Mesobatenem supra Cossæos ad septemtrionem in monte Cambalido. Messabatæ autem non immeritò deducerentur ex Sabatha; finitimos habent Cossæos, & Cissæos, e posteris Chus. Messabatæ populi sunt Persidis Ptolemæo. Apud Plinium l. 6, c. 28, occurrit urbs *Sabatna* in Assyriâ, 30 stadiis a *Seleuciâ*.

Rhegma רעמה. Urbs *Rhegma* vel *Rhegama* constituitur a Ptolemæo l. 6, c. 7, in sinu Persico, paulò infra fretum in Sinu Icthyophagorum. Apud Ezechielem XXVII, 22, Saba & Rhegma ditissimæ sunt aromatibus, gemmis, auro, quibus planè opibus regio illa abundat. Hebræa vox רעמה variè pronunciatur, *Ramah*, vel *Rhegma*, vel *Rheema*, vel *Rema*. Exemplaria quædam Septuaginta habent *Rhamma*; sed Theodoretus legit *Rhegma*. Litera ע hajin pronunciatur interdum velut G, ut in *Gaza* &c.

Sabathaca סבתכא. Hunc virum, Arabem origine, e regione suâ in Caramaniam per fretum sinûs Persici transmigrasse, censet Bochartus. Fluit in eâ regione amnis *Samidochue*; est & urbs Samidace, quam loco *Sabathace* vel *Sabitace*, appellatam censet; non raro enim altera in alteram convertuntur literæ M & B, uti pluribus exemplis demonstrat: ita *Berodach* est pro *Merodach*; *Lebna* pro *Lemna* &c.

Filii Rhegma, Saba et Dadan. Non immeritò reputaremus, Saba שבא filium Rhegma re-

[x] *Ptolemaus, Plinius, Josephus, S. Hieronymus, Eusebius, Eustathius, Isidorus.* [y] *Herodot. l.* I, *c.* I. *Justin. l.* XVIII. *Diodor. l.* XVI. *Strab. l.* I. *&c.* [z] *Eupolem. apud Euseb. l.* IX. *Prap.*
(a) *apud Euseb. Prap. lib.* I.. (b) *Exod.* XVI, 35. *Josue* V, 12. *Prov. ult.* 24. *&c.* [c] *Matth.* XV, 22, *collatum cum Marc.* VII, 26.

℣. 8. Porrò Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terrâ.

℣. 9. Et erat robustus venator coram Domino. Ob hoc exivit proverbium: Quasi Nemrod robustus venator coram Domino.

COMMENTARIUS.

gionem trans Euphratem tenuisse circa Charan, Eden, Assur, & Chelmod; jungit enim Ezechiel xxvii, 23, Sabæos gentibus illis omnibus. Est in Carmaniâ urbs & amnis *Sabis* (d), & in Dionysio Periegetâ (e) *Saba* post Pasargadas collocantur. Sunt autem illi ad Persidem, juxta Strabonem.

Saba filius Rhegma sedes habet in Arabiâ, juxta Bochartum, qui post regionem Rhegma demonstrat regionem Saba in eodem constitutam loco, ubi Sabæi apud Veteres, & montes Sabo apud Arrianum *in Periplo*.

Urbs Dadan, hodie *Daden*, sicut regio vicina *Dadena*, erat ad Orientem Rhegma. Censet Bochartus, Dedan apud Ezechielem xxvii, 15, regionem esse maritimam, aliam proinde a Dedan urbe Idumææ apud Jeremiam xxv, 23, conditam a Dedan ex posteris Abraham (f). Erat enim urbs illa a mari & ab amnibus remota, cùm prior Dedan Sinui Persico adjaceret. Sed Bochartus non satis observavit, hanc urbis Dedan ad sinum Persicum propinquitatem non perinde reddere eamdem urbem ad Tyrum propiorem; quin & remotior est a Tyro Dedan maritima, quàm Dedan Idumææ. Non satis etiam probat, postremam hanc authorem habuisse suum Abrahami nepotem.

His autem nequaquam prohibemur, quin Dedan constituamus in Arabiâ, cujus portio Idumæa habebatur. Sunt qui constituant Dedan in Palmirenâ, ubi mons Aladan sive Alsadadan. Septuaginta pro *filiis Dedan*, reddunt *filii Rhodiorum*, *Ezech.* xxiv, 15, ut notat S. Hieronymus. Legerunt illi in Hebræo *Rodan* pro *Dedan*; sicut & Josephus ibidem legit *Judas*, ex quo Juda, ait ille, derivantur Judæi quidam, (quinam illi?) apud Æthiopes Occidentales sedes habentes suas.

℣. 8. Porro Chus genuit Nemrod; ipse coepit esse potens in terra. Septuaginta (g): *Cœpit esse Gigas in terrâ*. De immani viri hujus corpore dictum exponunt Syriacus, Arabs, & Onkelos. Pseudo-Methodius in Chronico æquasse illum dicit corporis proceritate decem perticas: quod veri speciem nullam habet. Cœpit esse potens in terrâ, quà nempe strenuitate, quà impotentiâ, quà tyrannico in cæteros homines imperio. Nemrod sonat *rebellis*, *apostata*. Primitùs appellatum ferunt *Ninvah*, quod nomen Urbi Ninive imposuit.

℣. 9. Erat robustus venator coram Domino. Septuaginta: Γίγας κυνήγος, *Gigas Venator*; vel juxta alium Interpretem: Βίαιος κυνήγος, *Violentus venator*. Quod prono & literali sensu reddi potest de homine, venationis exercitatione milites ad bellum formante, quibus deinde sibi viam instruat ad tyrannidem. Est enim venatio ab bellum exercitatio quædam, ait Xenophon (h). Allegorico autem sensu Nemrod robustus venator diceretur, nempe usurpator & Tyrannus. Ita præter Ezechiel xxxii, 30, *venatores* appellat Principes Septemtrionis, Judæis maximè infestos. Syriacus habet: *Gigas bellator coram Domino*. Arabs *Gigas terribilis*. Sunt qui venatum exercuisse in homines credant. Vide quæ dicemus in Thren. v, 13, Eccl. xxxi, 7, Job xix, 16, Prov. vi, 26, Jerem. xvi, 16, ubi Scriptura spectasse videtur veterem illum morem retibus vel laqueis capiendi homines, utì belluæ apud nos capiuntur.

Verba illa *coram Domino* exprimere possunt, Nembrod venatorem esse & maximè validum & roboris immodici. Ita Scriptura amplitudinem Ninive simili phrasi describit: *Civitas magna Deo*; & de S. Joanne Baptistâ notat, futurum magnum coram Domino; ac tandem de elegantiâ adolescentis Moysis: ἀστεῖος τῷ Θεῷ: *Venustus Deo* (i). Itaque Nemrod erat robustus coram Domino, i. e. juxta Vatablum, inter homines robustissimus.

Rabbinorum nonnulli, utì Abenezra, & Kimchi, quos sequitur Grotius, de virtute & religione Nemrod dictum illud exponunt, quasi scilicet venatu apprehensas prædas in victimas & oblationes Deo offerret. Sed vulgò hæc in deteriorem partem accipiuntur; receptumque persuasione tenetur, Nemrod virum fuisse violentum, qui politiæ formâ immutatâ, oppressit populos, novos invexit cultus &c. *coram Domino*, quod perinde est ac *contra Dominum* (k).

Peculiaria quædam Nemrodi Baccho tributa sunt a Prophanis. Nomen ipsum *Bacchus* derivatum videtur ex בר כוש, *Bar-Chus*, i. e. filius Chus, quòd Nemrod e Chus descenderet. Putarunt Græci, Bacchi nomen illud *Nebrodaus* vel *Nebrodos* (l) inditum fuisse viro ex hædinâ quadam pelle, Græcè *Nebride*, qua vestiebatur. Re ipsâ tamen e נמרוד, Nemrod, ex מרד, *rebellavit*, repetendum est; quo Hebraico nomine exprimitur defectio filii Chus in Noë cæterosque ætatis suæ Patriarchas. Est etiam apud Prophanos Bacchus venator, sicut Nemrod apud Moysem. Quæ de expeditionibus atque itineribus Bacchi in Indiam narrantur, repetita sunt e bellis Nemrod, quibus finitimos populos suo adjecit imperio. Coaluerunt facilè Nemrod & Noë, cùm Baccho inventi meri & vinearum honor tribuitur (m).

Ob

(d) *Ptolem. Plin.* (e) Πρῶτα Σάβαι, μετὰ τοὺς δὲ Πασάργαδαι. (f) *Genes.* xxv, 3. (g) ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς. *Heb.* הוא החל להיות גבור בארץ (h) *Xenoph. Cyropæd. l.* 1. ἀληθεστάτη δοκεῖ αὐτη ἡ μελέτη τῶν πρὸς τὸν πόλεμον εἶναι. *Idem ipse Scriptor, initio libri de Venatione narrat, Chironem sua justitia merito, tamquam præmium, peritiam venationis a Diis accepisse; eâque arte celeberrimos totâ antiquitate Heroas ac Milites formasse, Cephalum, Æsculapium, Melanionem, Nestorem, Theseum, Hippolytum, Palamedem, Ulyssem, Mnestheum, Diomedem, Castorem, Pollucem, Machaonem, Podalirium, Antiochum, Æneam, Achillem. Eâdem igitur arte & Nemrod vires ac imperium sibi comparavit.*
(i) *Exod.* ii, 2. (k) *Vide Aug. lib.* iv *de Civit. c.* 4. (l) *Antholog. l.* 1. *c.* 38. Νυκτέλιον, νομὸν, νεβρώδεα, νεβροδόπεπλον. (m) *Vide Bochart. Geogr. sacr. l.* 1, *c.* 2.

℣. 10. Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in terrâ Sennaar.

℣. 11. De terrâ illâ egressus est Assur, & ædificavit Niniven, & plateas civitatis, & Chale.

COMMENTARIUS.

Ob hoc exivit proverbium: Quasi Nemrod robustus coram Domino. Obtinebat facilè proverbium illud apud Hebræos Moysis ætate. Refert autem Scriptura, interdum vulgata apud Judæos proverbia, non ut fidem adstruat rebus a se relatis, sed ut incredulos vincat, persuadeatque, sacrum Authorem nihil in eâ re prodere, nisi rem omnibus notam, vel saltem ad ornamentum orationis.

℣. 10. Principium regni ejus Babylon, & Arach, et Achad, et Chalanne in terra Sennaar. Satis constat, hæc per anticipationem dici, regnumque illud nonnisi post Babelicam substructionem coaluisse. Mansit igitur Nemrod in loco, ubi ædificium illud succrevit, cùm alii omnes aliò atque aliò dispergerentur. Facilè Imperii illius crepundia fuerunt Babylon, tresque ibi notatæ Urbes. Sed quæ Babylon ista? Num urbs ejus nominis inclyta, a Belo condita, a Semiramide aucta, a Nabuchodonosore ornata, Scripturæ & Prophanorum encomiis nota? Abydenus apud Eusebium *Præpar. l.* 9, asserit, locum conditæ Babylonis magnæ, stagnantibus aquis, olim paludosum fuisse, ut ante exsiccatas aquas illas appellaretur mare. Isaias XXIII, 13, Assyriis authoribus conditam præfert. Marshamus maluit a Nabonassaro (*n*); censet autem, Babylonem hîc non Urbem ejus nominis designare, sed provinciam, in qua temporis tractu conditæ steterunt *Erech*, *Achad*, & *Calne*.

Nobis tamen cum Interpretibus plerisque ea sedet opinio, Nemrod fundamenta locasse Babylonis, Urbis inclytæ, eoque potissimùm authore inductos homines ad substructionem turris; cujus deinde opus, & obortâ inter artifices simultate & linguarum inter illos confusione intermissum est. Ad illum amplitudinis & magnificentiæ statum, in quo a Scripturâ & Historiâ prophanâ constituitur Urbs illa, nonnisi plurium sæculorum nisu pervênit.

In terra Sennaar. Agemus de hac terrâ in sequenti capite ℣. 2.

Arach. *Arach* vel *Erech* est Priscis Edessa vel Nisibis in Mesopotamiâ, Armeniam versùs, a Babylone remotissima. Sed Bochartus maluit *Araccam*, quam Ptolemæus collocat in Susianâ ad Tygridem, infra confluentem Euphratis. *Arecham* appellat Ammianus l. 25. Ex illâ nomen inditum agris Arectæis, de quibus Tibullus l. 4, Eleg. 1.

Ardet Arectæis, aut unda perhospita campis.

Scatebant agri illi naphtâ, quæ interdum flammas concipiebat, uti in eo carmine insinuat Tibullus. Ad Erech fortè spectat illud Herodoti, l. 1, & 6, de *Andericâ* vel *Ardericâ*, a Susis dissitâ 210 stadiis; & 40 stadiis a puteo, ex quo naphta hauritur. Nomen *Ard-Erica* sonare potest, *magna Erech*; Persarum enim sermone *Ard* est magnus.

Achad אכד. Septuaginta, Ἀρχάδ, *Archad*. Chaldæi plerumque R addunt in nominibus, quorum litera per Dagesch duplicatur; ita pro *Dammesech* legunt *Darmeschech*, & *Argel* pro *Aggel* &c. unde conjectura non levis, urbem *Argad* vel *Archad*, aut *Achad* adjacuisse amni *Argado* in Sitaceenâ, Persidis regione. Sermo est apud Ptolemæum de provinciâ Acabenâ ad Tigrim, quod satis accedit ad nomen Achad: provincia autem illa proxima erat Assyriæ. Meminit idem pariter Sacadæ in Adiabenâ ad orientem Tigridis, & infra Ninivem.

Chalanne כַלְנֵה. Ipsissima reputatur cum *Calno* Isaiæ X, 9, & *Canne* Ezechielis XXVII, 23. In Mesopotamiâ constitutam fuisse oportet, jungiturque cum Charan, Eden, Assyriâ, Chelmad, quorum locorum incolæ ad nundinas Tyri confluebant. Viri plures docti confuderunt Chalanne cum *Callinico*, Urbe Mesopotamiæ ad Euphratem. Sed Bochartus eamdem censet cum Ctesiphonte ad Tigridem, tribus milliaribus a Seleuciâ (*o*) Babyloniæ. Interpretes Chaldæi, S. Hieronymus & Eusebius eamdem sententiam prætulerunt. Ctesiphon Metropolis erat *Calonitidis* Assyriæ provinciæ (*p*). Patres quidam Græci (*q*) reputarunt, ad Calnem vel Ctesiphontem turrim Babelicam excitatam fuisse; cui sententiæ locum fecerunt Septuaginta; reddunt enim Isai. X, 9: Τὴν χώραν τὴν ἐπάνω Βαβυλῶνος καὶ Χαλάνης, οὗ ὁ πύργος ᾠκοδομήθη: *Regionem, quæ est supra Babylonem, & Chalanen, ubi turris ædificata est*. Eustathius ad Homerum *Iliad.* Γ, hanc Patrum sententiam notat. Plinius disertè asserit l. 6, c. 26, Ctesiphontem conditam fuisse in Chalonitide tribus milliaribus a Seleuciâ, quæ 40 mille passibus Babylone distabat. Sed a Strabone 300 stadiis tantùm removetur.

℣. 11. De terra illa egressus est Assur. Assur filius Sem, a Nemrod usurpatore pulsus, Babylonem & agrum Sennaar, assignatam sibi portionem, reliquit, secessitque ad fontes Tygridis in regionem, cui nomen indidit Assyriam vel Aturiam. Condidit ibi urbem Ninivem, metropolim Imperii Assyriorum constitutam. Is Textûs hujus sensus, si Assur tamquam singularis hominis nomen usurpetur.

Sed Bochartus cum doctissimis pluribus Interpretibus, nomine illo Provinciam designari ratus, perinde Textum reddendum esse censet, ac si præferret: *De terrâ illâ* (Nemrod) *egressus est in Assyriam &c.* Nemrod e terrâ Sennaar movens, Assyriam versùs se contulit, Urbem ibi condidit Ninivem. Nihil hîc non summè cohærens genio & stylo Scripturæ, nomen Assur plerumque pro Regno Assyriæ usurpantis. Michææ V, 6, Assur appellata est terra Nemrod: *Pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod in lanceis ejus.* Contextus sermonis apud Moysem postulabat, ut verbum *egressus est*, regeretur nominativo Nemrod. Narraverat enim, Imperii illius crepundia fuisse Babylonem, *Erech*, & *Achad*: res proinde postulabat, ut Imperii ejusdem veluti progressum notaret. Si quis tandem nomen *Assur* pro filio *Sem* interpre-

(n) *Marsham Canon. Ægypt. Sæcul.* XVII. (o) *Strab. lib.* XVI. (p) *Plin. lib.* VI, 26. [q] *Basil. Cyrill. Greg. Nazianz. Constantin. Manass.*

℣. 12. Resen quoque inter Niniven, & Chale: hæc est Civitas magna.

COMMENTARIUS.

terpretetur, nàrrationis ordinem turbat: hìc enim sermo est tantùm de posteris Cham; ut quid ergo filius Sem indicatur? ut quid agatur de Assur, antequam vel de illo, vel de ejus origine quidquam? Quòd autem Assur e terrâ Sennaar egressus sit, non est utique viri illius aliquid peculiare; homines enim universi inde digressi sunt, excepto Nemrod, & subjectis illi gentibus.

Verbo illo *Egressus est*, commodè intelligeremus expeditionem in Assyriam ab eo viro susceptam. In hac enim significatione frequenter usurpatur (r) verbum *egredi* inScripturâ;& אשור *Assur* positum est facilè pro אשורה *Assurah*, *in Assyriam*. Frequenter in singularium locorum nominibus omittitur ה *he*, vel particula notaos motum vel transitum ex uno loco in alterum. Vide 2 Reg. VI, 10, & I Par. XIII, 53. &c.

Et ædificavit Niniven. Tres Urbes hujus nominis innotuisse ferunt, in Syriâ, in Assyriâ, in Perside. Agitur hìc de Metropoli Assyriæ ad Tigrim, apud Veteres appellatâ *Nino*, *Ninevi*, *Nineve*. Mirari utique subit, inclytæ adeò urbis locum adhuc esse in obscuro. Alii ad Tigrim, alii ad Euphratem constituunt; hi ad ripam Orientalem, illi ad Occidentalem Tigridis. Recentiores itinerantes asserunt, Veterem Niniven Orientalem fuisse amni, ejusque hodie usque remanere rudera; ad oppositam verò ripam occurrere urbem *Mozul* vel *Mozil*, e ruderibus illis eversæ Urbis conditam. Plinius l. 6, c. 53, ad ripam Occidentalem amnis collocat; qood faciliùs credimus. Cum Plinio congruunt cæteri Geographi, ad sinistram amnis Urbem illam constituentes. Ad eamdem ripam fluminis pertinet Mozul vel Mozil.

Prophani Scriptores Ninives conditorem adstruunt *Ninum*, ex Assyriæ Regibus primum. Verùm nisi *Ninus* cum Nemrod unus idemque statuatur, reputari utique oporteret, plus aliquid *Nino* concessum, quàm res ferret; quam enim auxit fortè vel ornavit, Urbem condidisse creditus est. Simili exemplo legimus *Judith* 1, 1, *Arphaxad* (sive *Phraortem*) ædificasse Ecbatana; quamquam certo constat, Dejoce illam authore stetisse, Phraorte tantùm augente, & novis ædificiis ornante. Cùm Scriptura verbis compositis destituatur, verbum idem pro condendo & conditum restituendo usurpat. Omittimus hìc urbes Babylonis & Ninives describere: quæ etenim de illis leguntur apud Græcos Latinosque Authores, Moysis ætate multò sunt recentiora.

Plateas Civitatis. Hebræum רחובות עיר *Rehoboth hir*, designare potest sive latitudinem urbis, sive amplam spatiosamque urbem, vel urbis vias. Servant hìc cum Septuaginta Interpretibus plerique vocem *Rehoborh*; servavit & alibi Vulgata (f); & tamquam peculiare Urbis nomen usurpavit. Sunt qui credant, Moysem adjecisse voci *Roboboth* vocem illam *civitatis*, ad ambiguitatem tollendam ex *Rehoboth*, quæ compita sonat. Tuentur alii, Moysem latas planasque urbis Ninives vias designare hìc voluisse; patuisse enim Urbem ad tridui iter, testatur Jonas III, 3; qua tamen mensurâ facilè ambitum Urbis designavit. Diodoro Siculo l. 2, c. 3, patet Urbs 480 stadiis, nempe 55 leucis Germanicis circiter. Sed extra controversiam positum est, *Roboborh* urbem esse, aliam planè a Ninive. Vide *Genes.* XXXVI, 37.

Ejus tamen situs non facilè determinaretur. Sunt qui confundant cum *Oroba* ad Tigrim. Bochartus conjecturis nonnullis allatis dubitat, num ipsa sit *Birta*, seu *Virta* (t), quam Ptolemæus ad occidentem Tigridis circa Ostia Lyci collocat. Sed idem Bochartus inclinari videtur in Urbem Arabiæ, appellatam *Rahabath Melic*, i. e. Rahabath Regium, quòd scilicet natale solum fuerit Saulis cujusdam inter Idumææ Reges (u). Infra Cerchusium ad confluentem Chaboræ & Euphratis, collocat Geographus Nubiensis Clim.4. part. 5. Nihil autem prohibet, ne ipsissimam cum *Roboborh* Moysis credamus, quàm quòd a Ninive plus nimio distat.

Calach, כלח urbs est facilè Chalachenes Metropolis, circa Lyci fontes (x); eadem ac *Calacina* Ptolemæi l. 6, c. 1; eadem pariter ac regio Calassitarum vel Classitarum apud Plinium l. 6, c. 26, ab Adiabene non dissitâ. Censet Bochartus, Calach, de qua modò, ipsam esse *Halah* חלח, de qua 4 Reg. XVII, 6, & XVIII, 11. Jungitur Chaboræ amni regionis Gozan; unde conjectura, situm ejus fuisse circa fontes Chaboræ, juxta montem Masium. Isidoro Characeno Urbs Chala est Metropolis provinciæ Calonitidis, quam a Mediâ separat mons Zagrus.

℣. 12. Resen inter Niniven et Chale: Hæc est civitas magna. Non satis constat, an illud *Civitas magna* ad Niniven, an ad Chale referatur. Amplitudo urbis Ninives, quam florentissimam credimus jam inde a Moysis ætate, caussam illi adjudicat. Sunt apud Geographos nomina Urbium quarumdam Mesopotamiæ, Resen maximè affinia. Rhesina Urbs est Episcopalis sub Antiocheno Metropolitano (y). Meminit Ammianus *l.* 23, *c.* 14, urbis Resainæ, victoriâ a Gordiano de Persis relatâ celebris; servantur Græci quidam nummi in eâ urbe cusi cum inscriptione: *Septimia Colonia Rasainesium* (x). A Ptolemæo appellatur Raisena, vel, juxta Palatinum Exemplar, *Resaina*. Notatur in Stephano sub nomine Resinæ, & in Notitiâ, *Rasin*. Jacebat ad amnem Chaboram. Resen, de qua Moyses, jacebat inter Niniven & Chalah media. Jungitur in 4 Reg. XVII, 6, Chalah cum Chabor: unde conjectura, Chalah proximè ad amnem Chaboram accessisse; ut proinde Resen optimè constitueretur ad amnem Chaboram.

Persuasione receptum tenuisse videtur Bochartus, Resen ipsissimam esse Larissam Xenophontis (*), urbem amplissimam VIII mil. passuum circuitu. Syllaba *La* articuli facilè loco posita est; ut verum urbs nomen maneat *Rissa*, ait Bochartus. Occurrunt quidem in Scripturâ Urbium quarumdam nomina, adscriptam ferentes propositionem, sive articulum, veluti si nominis ipsius esset

[r] *Deut.* 1, 44. *Et* 15, 23, & 33. *Et* III, 2. *Et* 5 *Reg.* XI,7. VIII, 20. *Et* 2 *Reg.* 11, 12.
(f) *Genes.* XXXVI, 37. 1 *Par.* 5, 48. (t) *Ammian. lib.* XX (u) *Genes.* XXXVI, 37.
(x) *Strab. lib.* XI, & *lib.* XVI. (y) *Vide Holsten. Not. in Geograph. sacr. Caroli à sancto Paulo.*
(z) *Vide Cellar. Asiam*, *lib.* III, *c.* 25, *pag.* 733. (*) *Xenophon lib.* III *de Expedit. Cyri Junior.*

Digitized by Google

℣. 13. At verò Mesraim genuit Ludim, & Ananim, & Laabim, & Nephthuim.

COMMENTARIUS.

set portio. Ita I Par. v, 26, translati Israëlitæ leguntur in *Labelam*, i. e. in *Halam*.

℣. 13. MESRAIM GENUIT LUDIM. Paraphrastes Jerosolymitanus: *Mesraim fuit pater habitantium in Mareotide*, regione Ægypti; legendum *Meroitas* optimis argumentis evincit Bochartus. Erat autem Meroë Æthiopiæ Metropolis. Asseruit Josephus, Ludim, & ex posteris Mesraim alios penitus intercidisse, Æthiopiæ bellis deletos. Ejus fidem secutus est S. Hieronymus. Censuerunt nonnulli, Lydos, quibus Cræsus imperaverat, originem suam referre ex Ludim; sed opinio illa assertore caret. Jungitur Ludim cum *Phut* & *Cusch* (a). Jungit pariter Ezechiel xxvii, 10, & xxx, 5, cum *Phut* & *Paras*, nisi mendum sit in Textu, ut pro *Paras* corrigendum sit *Phatros*; gens est in Ægypto: jungit pariter alibi *Phut* & *Chus*; unde conjectura, eas gentes sive in Ægypto, sive proximas Ægypto, & Arabiæ sedes habuisse.

Paraphrastes Jonathan pro *Ludim* vertit *Neutaos*, i. e. Ægyptios Nomi *Neout*, de quibus Ptolemæus. Arabs vertit *Tennesaos*: incolæ sunt Tenesi ad Pelusium, de qua Cassianus *Collat.* xi, *c.* 2, quam sententiam rationi magis hærere arbitror. Quod arduam facit definitionem sitûs regionis Ludim; quod Josepho & S. Hieronymo de extinctis penitus gentibus persuasionem induxit, illud est nimirum, nullum occurrere satis constans sive in Ægypto, sive in adjacenti regione nominis illius vestigium.

Demonstrare nititur Bochartus, Ludim cum Æthiopibus confundendos. Certum statuit, Chus designare non Æthiopes, sed Arabiæ populos; quibus positis fundamentis, argumenta sua pro Ludim format. Primum deducit ex voce *Lud*, Arabicè sonante tortuosum esse, serpere, uti Luz in Hebræo. De torto in anguis modum Nili alveo agunt Geographi, quos amnis mæandros appellant *Ancones* vel caudas Nili in Æthiopiâ; quo in loco Herodotus Nilum comparat Mæandro, flumini Asiæ maximè flexuoso. Sed imbecillitas hujus argumenti quanta est! Nullius planè momenti reputandum est, nisi fortè statuamus Ludim Nili hisce flexibus nomen suum debuisse, quod vix probaretur. Ex illis enim, sicut & ex aliis omnibus gentibus, factum est, ut nomen traderetur regioni, non regio suum refunderet in gentem. Ad hæc, quantâ veri specie assereretur, gentem aliquam flexuosam appellari ex amnis flexibus regionem alluentis? II, Ludim celebrantur in Scripturâ (b) veluti in ejaculatione exercitatissimi: paria de Æthiopibus prædicant Scriptores prophani. Æthiopiæ Rex quidam Cambysis Regis Persidis missos ad se Legatos remisit ad suos cum ingenti arcu, jussos deferre illum Cambysi, ac renunciare, tunc Persis de movendis in Æthiopes armis consilium capiendum esse, cùm arcum illum tractare valuissent. Pharetris carebant, sagittas ferentes circa caput dispositas in radiorum similitudinem. Claudianus:

Gens circum positis crinem velata sagittis.

Pro ferro armabant spicula lapide quodam solido, & præacuto; venenatis herbarum succis spicula illa liniebant, juxta Theophrastum, vel inficiebant draconum sanguine, juxta alios. III, Isaias jungit simul *Phul* & *Lud*, ceu finitimas inter se gentes. Urbs Phila, nomen suum facilè derivans ex Phul, jacebat inter Ægyptum & Æthiopiam media (c). Suspicor tamen, pro *Phul* legi oportere in Isaiâ *Phut*, ut bis in Ezechiele c. xxxvii, 10. & xxx, 5. Græci legerunt in Isaiâ *Phud*, vel *Phut*. Erat autem, uti facilè credimus, Phut in inferiori Ægypto. Vide supra ℣. 6. IV, Ludim patrem habent Mesraim. Sunt pariter Æthiopes, ait Bochartus, Ægyptiorum colonia; plura sunt enim utrisque communia (d): obsequium in Reges, in mortuos pietas, & terræ illos mandandi ratio, hieroglyphicæ literæ, ornamenta Sacerdotum, ac tandem circumcisio (e). Hæc argumentorum viri doctissimi pars maxima: solidius tamen aliquid certiusque desideraretur.

ANAMIM עֲנָמִים. Eo nomine Mareotidis incolas designari credit Paraphrastes Jonathan; Pentapolitas Targum Jerusalem; incolas loci, ubi postea condita Alexandria, Arabs: accolas Templi Jovis Ammonis & Nasaamonitidem tenentes, Bochartus. Porrò gens illa originem referebat ex Ægyptiis Æthiopibus, juxta Herodotum l. 3, quorum vernaculus sermo utrique alter alteri accedebat. Ex Ægyptiacis superstitionibus non absimiles plures retinebant. Noti sunt etiam in Africâ Hammanientes, & Garamantes, facilè ex Anamim derivandi. Hos populos regionem ultra Ammonios tenuisse notant Geographi (f). Porrò revocandum est in mentem, erraticum vitæ genus illos egisse, nullas habentes fixas sedes; ut proinde longiùs excurrerent. Nomen Garamantum derivari potest ex Hebræo *Ger*, advena, iter habens, pertransiens, & *Anamim*, veluti si diceretur, *vagi Anamim*. Metropolim illorum Garamanam appellat Solinus cap. 41. Locum circa Africæ meditullium tenebant, latueruntque omnes fermè homines usque ad Vespasianum.

LAABIM להבים. Nomen illud plerique interpretantur de *Lybiis*, sive, ut appellat Stephanus, *Libistis*, inter vetustas Africæ gentes vetustissimis. Nomen Lybiæ, quod ad universam hanc orbis portionem prorogatum est, satis probat, quantâ olim famâ & Imperii amplitudine Lybies distinguerentur. Sedes habebant secundùm Mediterranei oras; & ex illis portio Maurorum sibi nomen adoptavit, juxta Sallustium, pro altero Medorum, quod sibi asciverunt in exercitu Herculis populi quidam, qui se Lybiis junxerunt. Nominis hujus *Mauri* etymon derivari potest ex Hebræo מור, Mur, motu cieri; quam appellationem facilè indidit genti erraticum & parùm constans vitæ genus.

Autumat Bochartus, Laabim proximiorem tenuisse Ægypto regionem, ipsosque esse Lybies Ægypti, de quibus veterum nonnulli sub nomine *Lybi-Ægyptiorum*. Ad occidentem Thebaidis lo-

(a) *Jerem.* XLVI, 9. (b) *Isai.* LXVI. 19, & *Jerem.* XLVI. 9. (c) *Strab. lib.* 1. & *alii plures*. (d) *Diodor. lib.* III. (e) *Herodot. lib.* II. (f) *Solin. c.* 41. *Plin. lib.* V, 5.

℣. 14. Et Phetrusim, & Casluim: de quibus egressi sunt Philistiim & Caphtorim.

COMMENTARIUS.

cum tenebant, arenosum, sole adustum. Vox *Lebabim* est inflammatus, adustus; *Lebabab* est flamma.

NEPHTUIM נפתוחים. Gens ista æquè cum ignotissimis latet. Jonathan exponit de Petaschænitis, de quibus Stephanus in Μχγδῶλος, & in Ταχόμψος: Arabs de Caramantis. Junius gentem esse Æthiopiæ arbitratur, cujus Metropolis *Nepata*, sive *Napataa*, inter Sienem & Meroën. Plinius l. 6, c. 29; Ptolemæus, Strabo l. 17, & Stephanus agunt de Insulâ Meroë, principe in Regno Reginæ Candacis. Bochartus collocat Nephtuim in Mauritaniâ, sive Troglodytide. Est in Marmaricâ, sive in Cyrenaicâ, gens *Adirmachidum* & *Aptuchi fanum*, unde nomen urbi Aptungæ, de qua S. Augustinus. Non incongruè reputaremus, *Neptunum* derivari ex *Nephtuim*. Africanæ hoc superstitionis Numen esse, tradit Herodotus l. II; ex quibus in Græcos derivatum. Nec apud Ægyptios a Deorum censu exclusum est; sed nullus illi apud eas gentes cultus peculiaris.

Asserit Plutarchus, nomen *Nepthus* vernaculo Ægyptiorum sermone designare oras maris & præruptos montes in aquas excurrentes. Inde conjectura Bocharti, *Nephtuim* de Troglodytis, oras occidentales Maris rubri tenentibus, exponentis. Sed ille pariter sententiam hanc extenuat multis congestis argumentis, ex eo potissimùm ductis, quòd in Scripturâ Troglodytæ appellantur *Suchim* & *Zsim*; quibus sanè vocibus nihil est cum Nephtuim commune; & ex eo pariter quòd Troglodytarum non Ægyptia sed Arabica asseratur a Scriptoribus nonnullis origo. Ex allatis ab illo omnibus nihil occurrit, quòd deserere cogat sententiam Junii, cæterorumque, constituentium *Nephtuim* in viciniis *Naphta*, non longè a *Ludim*. Nomen *Nephtuim* recurrit in *Nephty* filiâ Saturni, & uxore Typhonis, ex quo liberis caruit; sed vicissim ex furtivo commercio cum Osiride filium habuit Anubim. Videsis Plutarchum in Libro de Iside & Osiride.

℣. 14. PHETRUSIM, פתרוסים. Ægyptios Delta tenentes interpretatur Paraphrastes Jonathan; incolas Pelusii maluit Jerosolymitanus; Jemanitas in Arabiâ felici, Arabs. Sunt qui Phetrusim sedem assignent urbem Petram in Arabiâ: alii regionem Pharusiorum seu Phaurusiorum in Africâ, ad Oceanum Atlanticum. Improbat hæc omnia Bochartus, defenditque, Phetrusim frequentasse Thebaidem, in Scripturâ *Patron* appellatam; cujus sententiæ favet nominum *Patros* & *Petrusim* affinitas. Ad hæc, Patros provinciam Ægypti non minimam designat, uti ex Prophetis intelligimus (*g*). Agunt illi interdum de Patro veluti de regione alterâ prorsus ab Ægypto (*h*); interdum autem inter ejus provincias eam recensent. Ita & Thebais interdum Ægypti portio habita est, interdum ab Ægypto tamquam avellitur. Est in eâ regione Nomas vel regio *Pathuris* vel *Pathurites*, de qua Plinius l. v, cap. 9, & Ptolemæus, cui est παθυρις, vel παθυριν, aliquo inter eos discrimine.

Recensens Jeremias populos flagello a Deo cædendos, pronunciat futurum, ut malorum ab illo immittendorum excursio futura esset a Juda usque ad Ægyptum, & ab Ægypto usque ad Patron. In tres partes distinctam a veteribus Ægyptum observat Marshamus. Inferiori Ægypto præerat *Tanis* vel *Heliopolis*; Mediam tenebat regio Patros; Superior intra Thebaidem continebatur. Non obscurè constat ex Jeremiâ XLIV, 15, & Ezechiele XXIX, 14, Patron inter Ægypti provincias accenseri: *Reducam captivitatem Ægypti, & collocabo eos in terrâ Phatures, in terrâ nativitatis sua* &c. S. Hieronymus in hunc Ezechielis Textum meminit urbis Pathures, ejus provinciæ Metropolis; ad eumdem parallelum ac Coptos & Tentyram constituit Cellarius: sed quam Nili plagam ea teneret, ignotum.

CHASLUIM כסלוחים. Paraphrastes Jonatham vertit *Pentapolitanos* vel Cyrenaicos; Paraphrastes Jerosolymitanus, *Pentaschanitas* in inferiori Ægypto; Arabs, incolas Saidæ in Thebaide. Sunt qui de Saracenis maluerint, tenentibus loca in Isthmo inter mare Rubrum & Mediterraneum. Angusta hæc regio appellatur Cassiotis, ex Cassio monte, qui Ægyptum a Palæstinâ disterminat. Sed majori veri specie credimus, nomen Chasluim ex en deductum, quòd Palæstinam ab eâ plagâ terminaret: *Kez* enim in Hebræo est limes seu extremum.

Pluribus congestis argumentis demonstrare nititur Bochartus, Chasluim Colchidem tenuisse. I, Nomina Colchis & Chasluim affinitatis habent plurimum. II, Colchidis incolas ex Ægypto communiter repetunt Authores (*i*), quos longo catalogo recenset ille, quà Poëtas, quà Historicos, quà Geographes. Sed & Historicorum eorumdem testimonio pariter constat, Sesostrim Ægypti Regem copiarum suarum partem ibi reliquisse: quod sententiam Bocharti evertit, siquidem veritati cohæreat, Sesostrim eumdem esse ac *Sesac* (*k*), qui Templum Jerosolymitanum sub Roboamo filio Salomonis diripuit, adeòque multo recentior est Moyse. Sed Bochartus contendit, nullam in eâ regione Coloniam Sesostrim reliquisse; si enim Plinio l. 23, 3, & Valerio Flacco fides habeatur, prælio victus fuit a Colchis, ut proinde nullos incolas loco tradere potuerit. Addit, ante Sesostrim Argonautas in Colchidem venisse, ut proinde temerè asseratur, Sesostrim Ægyptiorum Colonias ibi constituisse.

Addit tandem, non ita reputari oportere dictum Herodoti l. II, omnium, quotquot in eam rem afferuntur, vetustissimi, ac si populares tantùm opiniones, quæ vulgi sermonibus jactabantur, referret. Suam enim de Colchorum origine sententiam fulcit non spernendis utique conjecturis, e. g. fusco Colchorum & Ægyptiorum colore, nigricantibus crispatisque utriusque Gentis comis, circumcisione, linteorum usu, eâdemque texendæ telæ ratione; sermone tandem inter utrosque, & vivendi genere communi. Sunt hæc utique magni in eam rem ponderis, & majoris etiam, siquidem Herodotus dicta sua melioribus demonstrasset, in eo

(g) *Jerem.* XLIV, 15. & XXX, 14; & *Ezechiel* XXIX, 14. (h) *Isai.* XI, 11. (i) *Apollon. Argon. lib.* IV. *Dionys. Perieg.* v. 639. *Priscian. Fest. Avien. Valer. Flacc. Herodot. lib.* II, c. 104. *Diodor. lib.* I. *Strab. lib.* I. *Ammian. lib.* XXII, *Agath. lib.* 52. (k) 3 *Reg.* XIV, 25.

Digitized by Google

eo maximè quod asserit de linguæ & vivendi generis inter utrasque gentes affinitate. Cùm enim hæc minùs ambigua sint & certiora argumenta, si exactius apertiusque demonstrarentur, fidem utique extorquerent.

Sed cùm propiùs singula hæc dispiciuntur, imbecillitatem statim suam produnt. Juxta Bochartum, statuendum esset, Chasluim proximè ex Ægypto originem suam retulisse, & post constitutas in Colchide sedes, misisse Colonias in loca quædam Palæstinæ, & Cappadociæ; ex eo tempore invectam apud illos circumcisionem; & ad Herodoti usque ætatem Ægyptios mores & sermones retinuisse; vel reputari oporteret, uti reipsâ visum est Bocharto, primos Chasluim, in Colchide sedem habentes, nullam adhuc nosse circumcisionem, cùm in Cappadociam & Philistæorum regiones miserunt Colonias; nec nisi post illas morem hunc sibi ad Ægyptiorum, patrum suorum, imitationem adscivisse. Qua potissimùm ratione factum sit, uti neque Philistæi, neque Cappadoces, utpote e Colchis ante invectam apud illos circumcisionem deductis, quidquam de eo ritu nossent.

Sed hæc non gratis tantùm, quin & contra veri speciem omnem asseruntur. Quid enim inducere potuisset Colchos, ut Ægyptiorum exemplum in admittendâ circumcisione sequerentur, cùm hunc morem eâ in re exprimere cæteræ omnes ex Mizraim gentes per Africam diffusæ, & in ipso Ægypti conspectu positæ, ne cogitarent quidem? Quomodo Colchi, 350 leucis ab Ægypto distantes, sollicitè conquisierunt mores, cæremonias & circumcisionem Ægyptiorum; Ægyptiorum, inquam, gentem illam adeò parum observantium, ut Sesostris bello affligeret molestissimo; quibus nihil curæ fuit, quòd Colchi ex ipsis originem duxerint (l)? Hæc omnia palam ostendunt, alieniores fuisse populi utriusque res, quàm ut persuadeant, Colchos sollicitos fuisse, ut ritus Ægyptiorum discerent sequerenturque, ne circumcisione quidem rejectâ. Scitu quidem dignissimum esset, quando scilicet Ægyptii circumcisionem admiserint, & quando pariter Colchi exemplum illorum secuti sint. Si Herodoto fides, circumcisio Ægyptiis coæva est, ex illis in alias gentes derivata. Sed opinio Herodoti, utpote nullis asserenda, improbatur Bocharto. Satis in nostrâ Dissertatione de Circumcisione probavimus, hunc ritum ex Israëlitis receptum seriùs adoptasse Ægyptios.

Nec satis est ad fidem extorquendam longa series Authorum a Bocharto laudatorum; omnium enim perinde ac unius testimonium censendum est; persuasit enim cunctis Herodotus, cujus authoritas hac in re minimi facienda est, utpote e conjecturis, ut ipse fatetur, rem deducens, & ex rei cognitione, quam ex indiciis supra expressis repetisse certam sibi persuasit; nihil enim eâ in re petitum ex traditione, & receptâ in populos persuasione (m), quibus in hac re maximè deferendum. Nibil certi asseri potest, an regio Colchorum nomen illud obtinuerit Moysis, & facilè Jasonis eò advenientis ætate. Hevilam tunc facilè appellatam notavimus ad Genesis II. In Dissertatione de origine circumcisionis evincere conati sumus, Colchos, quos Author ille Ægyptios originarios arbitratus est, ipsissimos esse Israëlitas e Regno Israëlis in Colchidem finitimasque regiones a Regibus Assyriæ translatos.

Quænam igitur regio Chasluim? quærenda est in vicinus Ægypti, ubi patris & fratrum ipsius portiones assignatæ. Animadvertimus supra, Paraphrastas Chaldæos, Arabem, aliosque nonnullos, gentem illam collocare in Ægypto inferiori. Est in sinu Adulitonis ad Mare Rubrum, Æthiopiam versùs, Insula Colocasitis, eadem facilè ac *Coloca* Melæ l. 3, c. 9, & *Habalae* nostræ ætatis, contra Arabiam; quæ sanè nomina affinia sunt Chasluim. Ita non incongruè reputaremus, veteres Chasluim oras illas eamque insulam frequentasse. Porrò earum gentium nulla est post Moysem mentio: facilè quòd confunderentur cum Æthiopibus, qui sedes elegerunt suas in superioribus & ad meridiem Ægypti.

CHASLUIM; DE QUIBUS EGRESSI SUNT PHILISTIIM ET CAPHTORIM. *Philistiim* & *Caphtorim* coloniæ sunt e Chasluim deductæ: is pronus loci sensus: sed cum negocium facessat deducto Coloniarum e Colchide in Palæstinam, si Colchi cum Chasluim confundantur; cùm pariter Textus quidam Scripturæ huic, quem expendimus, Textui repugnare videantur; ideò factum est, ut pronâ maximè interpretatione postpositâ, aliæ minus obviæ quærerentur.

Censet Bochartus, verba illa, *De quibus egressi sunt &c.* non ad solos *Chasluim*, qui omnium postremi memorantur, sed ad omnes filios Mizraim, in eodem versiculo expressos, referri oportere, ut sit sensus: *Ex quibus omnibus filiis Mizraim egressi sunt Philistiim & Caphtorim*, populi nempe ex universâ Ægypto collecti, qui cùm nullas offenderent commodas sedes, alii in Chanaanitidem diverterunt, eam regionem occupantes, quæ deinde regio Philistum appellata est: pars verò concessit in Provinciam Caphtorim, quæ deindo Cappadocia.

Masius referendos censet *Philistiim* non ad præcedentes Chasluim, sed ad subsequentes in Textu Caphtorim, ut si pronus & naturalis ordo Textui reddatur, ita lectio reformanda sit: *Mizraim genuit Ludim, & Chasluim & Caphtorim, de quibus egressi sunt Philistiim.* Detortæ hujus transpositionis exempla quædam suppetunt in Scriptu â (n). Quòd autem ad hanc expositionem confugiendum sit, in causâ sunt Scripturæ alii Textus, deducentes Philistiim ex Caphtorim. E. g. Jeremias XLVII, 4: *Vastavit Dominus Philistiim residuum Insulæ Caphtor*. Amos IX. 7: *Numquid ascendere feci Israël de terrâ Ægypti & Philistiim de Caphtor, & Aram* (Syros) *de Kir*? Legimus *Deut* II, 23. Caphtorim e Caphtor egressos irrupisse in Hevæos, victosque e regione suâ depulisse, eamque sibi elegisse in sedem. Hæc omnia non obscurè Philistiim repetunt ex Caphtorim.

Tota modò controversia reducitur ad *Caphtorim* כפתרים. Eo nomine Cappadoces designari, vulgò censent Interpretes, Paraphrastæ Chaldæi, Septuaginta, S. Hieronymus, Eusebius, Theodoretus, S. Cyrillus, Procopius, uno verbo, Veteres ac Recentiores omnes. Arabs constituit Caphtorim ad Pelusium. Benjamin itinerator, Author Libri Juchasim, aliique nonnulli paria sentiunt. Junio & Tremellio sunt in Nomo Setrone, Ægypti inferioris. Bochartus fulcire nititur sententiam de-

(l) *Herod. l. 2. c.* 104. Καὶ μᾶλλον οἱ Κόλχοι ἐμεμνέατο τῶν Αἰγυπτίων, ἢ οἱ Αἰγύπτιοι τῶν Κόλχων. (m) *Herodot. l.* 2, *c.* 104. Φαίνονται μὲν γὰρ ἐόντες οἱ Κόλχοι Αἰγύπτιοι. νοήσας δὲ πρότερον αὐτὸς ἢ ἀκούσας ἄλλων, λέγω. (n) *Vide Glass. tract. 2. lib.* XV, *Observ.* XXII, XXIII.

℣. 15. Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum,

℣. 16. Et Jebusæum, & Amorrhæum, & Gergesæum,

℣. 17. Et Hevæum, & Aracæum: Sinæum,

COMMENTARIUS.

de Cappadocibus. Observat I, Cappadoces in viciniis esse Colebidis, ubi Chaslum constituit. II, Hebræum *Caphtor* reddi potest malum punicum; est autem proxima Cappadociæ urbs *Sidene*, cujus nominis eadem est in Græco significatio, ac Caphtor in Hebræo.

In primâ hujus operis editione pluribus evincere conati sumus, nomine Capthor Insulam Cypri designari; sed successu temporis alia nobis sedit opinio, demonstrare conantibus, de Insulâ Cretæ meliùs dictum illud explicari. Posteriorem hanc sententiam præferentes, omnia expunximus, quæ Cyprum præferunt. Vide nostram Dissertationem de origine Numinum Phœnicum, I Regum præfixam.

℣. 15. Chanaan genuit Sidonem primogenitum suum. Filius natu major Chanaan Sidonem condidit, & Sidonios habuit filios. Sidon in Hebræo est *piscatio*, quo nomine minùs aptè unus singularis homo appellaretur; ut proinde ambigant nonnulli, num reipsâ *Sidon* peculiare sit nomen filii Chanaan natu majoris. Usurpatur non rarò in Scripturâ pro peculiari unius hominis, nomen Urbis vel loci, ubi homo ille moram traxit.

Sidoniorum nomine censebantur Phœnices omnes ante constructam Tyrum (o), conditam, juxta Josephum *Antiq. c.* 8, *l.* 2, a Coloniâ quadam Sidoniorum, 240 annis ante Templum Salomonicum. Certum Sidonis locum norunt omnes: Libanum habet ad Septemtrionem, a quo duabus leucis tantùm distat; & Tyrum ad meridiem, a qua septem vel octo leucis. Sidonem Magnam appellat Josue xix, 29; & frequentiùs de illâ Veteres Poëtæ (p), quàm de Tyro, quæ tamen successu temporis Sidonem nominis claritate prævertit. Post Regnum Saulis inter omnes Phœniciæ urbes sola fermè Tyrus in Scripturâ memoratur. De ejus historiâ quædam in Ezechiele referentur. Phœnicia, cujus Metropolis Sidon, Moysis ætate protendebatur ab amne Eleuthero, qui in Mediterraneum influit e regione Insulæ Arad, adusque montem Carmelum, Gazam, vel etiam Pelusium ad meridiem secundùm Mediterraneum; variarunt enim sæpè limites meridionales. Hujus tractûs meridionalem portionem tenebant Philisthiim.

Hethæum, חת. Hethæi constituuntur a nonnullis ad Euphratem, ad orientem Terræ Sanctæ. Vulgò tamen collocantur circa Hebron & Bersabee in montibus meridionalibus Chanaanitidis, deinde Tribui Juda & Simeon assignatis.

℣. 16. Jebusæum. Tenebant Jebusæi Jerusalem, & proxima loca; bellicosa gens maximè, quam penitus e Jerusalem, & ex arce Sion depellere nonnisi sub Regno Davidis (q) Hebræi valuerunt.

Amorrhæum. Frequentabant Amorrhæi montes ad occidentem maris mortui. Inde ultra Jordanem excurrentes (r), sedem sibi constituerunt circa montes Abarim ad orientem lacûs Asphaltidis, intra Torrentes Arnon & Jabok, in veteri regione Moabitarum, & Ammonitarum. De Giganteâ corporis staturâ, ac virtute bellicâ hujus gentis, agit Amos ii, 9, comparans proceritatem illorum cedris, & robur quercui. Amorrhæorum nomen frequenter in Scripturâ usurpatur generatim pro Chananæis, facilè quòd in Chanaanitide cæteris præstarent.

Gergesæum. Populi erant ad orientem maris Tyberiadis, quorum reliquias nonnullas ætate Jesu Christi in eâdem regione superfuisse creditum est (ſ) in urbibus Gerarâ & Gedarâ. Asserunt Judæi, gentes illas statim ut venit Josue, in Africam sese recepisse. Vide nostram Dissertationem de regione, quò Chananæi ab Israëlitis pulsi sese receperunt, præfixam Libro Josue.

℣. 17. Hevæum. חוים, Chivim. Paraphrastes Jerosolymitanus Hevæum vertit *Tripolitanor*, velut insinuans, Hevæos in Regnum Tripolitanum in Africâ sese recepisse; seu potiùs Tripolim Syriæ tenuisse. Jonathan appellat illos *Kadmonim*, i. e. Orientales, *Gen.* xv, 19. Censet Bochartus, Hevæos quosdam sedes habuisse circa montem Hermon, ultra Jordanem, ad orientem Chanaanitidis. Putat insuper, Cadmum, celeberrimum ex deductâ Thebas Metropolim Bœotiæ coloniâ, ejusque conjugem Hermionem Hevæos fuisse; nomen verò Cadmi derivari ex *Kedem*, Oriens; Hermionis verò e monte Hermon.

Quæ in fabulâ narrantur de metamorphosi illorum in angues, deductum est e nomine Hevæorum, quod Phœnicio sermone anguem sonat. Ideò verò gentibus illis Hevæorum nomen inditum censent Hebræi, quòd anguium more sub terrâ & in cavernis habitarent. Erant ex Hevæis quidam circa montes Hebal & Garizim. Ad illos pariter attinebant Gabaonitæ & Sichemitæ. Alii pariter sunt עוים *Hivim*, vel *Ghivim*, regionem illam tenentes, quam postea occuparunt Philistiim, ex Caphtorim deducti. Arbitrantur nonnulli, Hevæos istos, loco pulsos a Philistiim, Euphratem transgressos migrasse in regionem Assyriorum, e qua postea in Samariam translati. Nobis tamen persuadetur, Hevæos illos, de quibus 4 Reg. xvii, 31, alios esse planè a priscis Hevæis Palæstinæ; quos posteriores sive penitùs a Philistiim deletos, sive relictas ex ipsis reliquias in unam cum Chananæis gentem coaluisse reputamus.

Aracæum, הערקי, *Harchi*. Tenebat gens illa Urbem & adjacentem regionem *Arcen*, vel *Arcam*, ad radicem Libani. De Urbe Arcæ sermo apud Ptolemæum & Josephum *Antiq. l.* 1, *c.* 6. Conditum ibi celeberrimum Veneris Architidis Templum, censet Bochartus, quod peculiari cultu Numen colebant Phœnicii (t).

Sinæum. Pelusii, in Hebræo סין, Sin. Incolas Sinæorum hìc nomine designari censent nonnulli

(o) *Justin. lib.* xviii. (p) *Vide Strab. lib.* xvi. (q) 2 *Reg.* v. 9. (r) *Jos.* v, 1. *Num.* xiii, 30, & xxi, 29. (ſ) *Matth.* viii, 26. *Marc.* v, 1. *Luc.* viii, 26. (t) *Macrob. Saturn. lib.* 1, *c.* 11.

℣. 18. Et Aradium: Samaræum, & Amathæum: & post hæc, disseminati sunt populi Chananæorum.

℣. 19. Factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram, usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam & Gomorrham, & Adamam, & Seboim, usque Lesa.

℣. 20. Hi sunt filii Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terrisque, & gentibus suis.

COMMENTARIUS.

nulli. Verùm S. Hieronymus *qq. Hebr. in Genes.* arbitratur, Sinæos sedes olim habuisse suas juxta *Arcen*, metropolim Arcæorum; urbem verò *Sin* bellorum injuriâ penitùs eversam, solo tantùm nomine mansisse. Arcem Sinnam in Libano constituit Strabo *l. 16*; erant ergo in viciniis Libani Sinæorum sedes constitutæ. Arabs reddit hìc *Tripolitanos*, nempe Tripolis Phœniciæ incolas. Jonathano & Onkelo Sinæi sunt incolæ Amathuntis in Cypro. Malunt alii, gentem illam tenuisse montem *Sinam*.

℣. 18. Aradium vel *Arvadium*. De Incolis *Antaradi* dicta hæc explicat Paraphrastes Jerosolymitanus. De *Laodicenis* Jonathan. Urbs Aradus scopulo insidebat, e continenti 20 circiter stadiis, nempe 2000 passibus, avulso, & septem circiter stadiorum, sive 800 passuum circuitu, teste Strabone. Scopulus ille, vel, si mavis, insula incolis erat & ædibus, in solaria plura distributis, frequentissima. Aquis destituebatur locus, nisi quas cisternæ suffecissent, sive quæ de continenti deferrentur. Tradunt (*u*), cùm in tranquillo pacis res florerent, coriaceo tubo aquas dulces haustas fuisse ex imo maris fundo.

In continenti e regione Aradi urbs *Antaradus* spectabatur, de qua Jonathan & Septuaginta Textum hunc interpretati sunt, Arado vetustiorem constituentes. Porrò Aradus condita reputatur circa eamdem ac nova Tyrus ætatem, sævientibus nempe bellis Regum Assyriæ & Babylonis in Phœnices. Aradi conditores statuit Strabo exules quosdam Sidonis. Constare utique arbitramur, hanc Urbem Moyse recentiorem esse, atque Aradios, de quibus hìc, Antaradum & vicinas urbes tenuisse (*x*). Gentem illam ab Israëlitis subactam fuisse, nullibi legimus; sed regionem suam nemini subjectam tenuerunt usque ad Imperii Romani ætatem (*y*).

Samaræum. Autumavit S. Hieronymus, *Samareos* tenuisse Emam, inclytam Cœlesyriæ Urbem; quæ pariter sedit opinio Chaldæis Paraphrastis & Arabico. Occurrit ad Phœniciæ oras, juxta *Orthosiam*, urbs *Simyra* (*z*), quam Samaræorum coloniam censet Eusebius. Reputarunt nonnulli, veteres Samaritanos, sedem habentes ad Someron, ipsissimos esse Samaræos; non satis attendentes discrimen plane maximum in Hebræo, inter שומרונים *Someronim*, Samaritanos, & הצמריום, *Hazemarim*, Samaræos.

Amathæum. Tenebat hic Hemath & loca proxima; censent autem plerique, *Hemath* ipsissimam esse Antiochiam, non inclytam illam Syriæ Metropolim, cognomento magnam apud Amos VI, 2, sed alteram, amplitudine & famâ minorem Urbem, cognomento Epiphaniam; quo pariter nomine innotuisse ac mansisse pariter ætate suâ minorem Antiochiam testatur S. Hieronymus. Sed verisimiliùs credimus, Emath designare Emesam ad Orontem, Urbem apud Veteres celebratissimam, & in Scripturâ satis notam. Sita erat ad Septemtrionem Palæstinæ; nec rarò mentio occurrit de faucibus Emath inter Libanum & Antilibanum. Credimus autem non inviti, Emathæos posteros Chanaan regionem illam tenuisse, cujus Metropolis Hemath Soba, vel Hemath Damasci. Vide *Num.* XXXIV, 7.

En gentes, quæ originem suam ex undecim filiis Chanaan referunt. In censum populorum Chanaanitidis referuntur quandoque, omissi hìc, *Pherezai*, *Chananai*, *Cinai*, *Cenizai*, *Cadmonai*; uti & omittuntur alibi, hìc non prætermissi, *Aracai*, *Sinai*, *Samarai*, *Amathai*. Hujus discriminis causa ex eo facilè repetenda est, quòd e populis hisce nonnulli varia sibi adsciscerent nomina; e. g. *Cadmonai* ipsissimi sunt Hevæi montis Hermon. Pherezæi non gentem unam peculiarem designabant, sed homines agrestes, cum gregibus suis erraticam ducentes vitam, nullas habentes sedes constitutas. *Pherazim* in Hebræo est ruricola, *Pherazot*, rura. Nomen Chananæorum inditum peculiariter videtur illis, qui negotiationem exercebant in oris Phœniciæ, & Jordanis, sicut & lacûs Genesareth, quæ omnia loca Chananæis frequentata tradit Scriptura. *Cenizai* facilè in unam gentem coaluerunt cum aliis eo temporis, quod fluxit inter Abrahamum & Moysem, intervallo: altum est enim de illis silentium post Abrahamum. Tenuisse illos regionem inter Libanum & montem *Amanum*, tradit Eustathius Antiochenus. Cinæi Sedes habebant ad occidentem maris mortui, Idumææ conterminas, Moysis ætate. *Num.* XXIV, 22.

℣. 19. Facti sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram, usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam .... usque Lezam. Id servat in regione Chanaan Moyses, quod in aliis regionibus neglexerat. Quo tempore ille scriptioni operam dabat, plurimum conducebat Israëlitis, ut assignatæ sibi divinitus veluti jure hæreditario regionis fines exactissimè noscerent. Porrò fines illi assignantur in quatuor notissimis Urbibus, Sidone ad Septemtrionem, Gazâ ad Meridiem; quæ duæ urbes jacebant ad latera Mediterranei, ad Occidentem Chanaanitidis. Sodoma & *Leza*, vel *Laisa*, hæc ad Septemtrionem illa ad meridiem, ambæ ad Jordanem, regionem ad Orientem definiebant. Est equidem difficultas aliqua in *Lezâ*, quam nonnulli censent confunden-

(u) *Plin. lib.* II, *c.* 103. *&* *l.* VI, *c.* 31. (x) *Usserius Aradum conditam in cognomine Insulâ statuit anno Mundi* 3254; *Periodi Jul.* 3964. (y) *Dion. lib.* XLVIII. (z) *Plin. lib.* V, *c.* 20. *Mela lib.* I, *c.* 12. *Stephanus*, *&c.*

℣. 21. De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Japheth majore.

℣. 22. Filii Sem: Ælam, & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram.

COMMENTARIUS.

dam cum *Lais*, deinde Cæsareâ Philippi, ad Jordanis fontes. Cùm enim *Leza*, de qua hìc, Sodomæ opponatur, urbi ad meridiem e regione Gazæ; res equidem postulabat, ut e regione Sidonis Urbs altera a septemtrione constitueretur. Sed Paraphrastes Jonathan, & S. Hieronymus præferunt Urbem Callirœin, calidis thermis notissimam, quarum aquæ in mare mortuum ad ejus plagam septemtrionalem influebant. Situm Luzæ alii quærunt inter Mare mortuum & Erythræum, ubi Luzam Ptolemæus, & *Loussam* Josephus *Antiq.* l. 4, c. 2, constituit. Arabs pro *Luzâ* habet *Elusam*, urbem Idumææ apud Ptolemæum & Stephanum. Ita reddi potest Hebræus. *Facti sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram usque Gazam*, & (inde) *euntibus ad Sidonem*, *Gomorrham*, *Adamam*. *Seboim*, *usque Lezam*. Porrò descriptio ista minor est, quàm ut totam Promissionis Terram complectatur; sed iis tantùm regionibus congruit, quas potissimæ Chananæorum gentes tenebant.

℣. 21. De Sam quoque nati sunt, Patre omnium filiorum Heber, Fratre Japheth majore. Horum filiorum censum modò instituimus. Fuit autem Sem pater omnium gentium trans Euphratem. Moyses, qui Hebræis scribebat, animadvertendum hìc censuit, Sem gentis illius Patriarcham, florentissimæ familiæ patrem fuisse, cujus hìc seriem, longiùs præ aliis ductam, instituit. Porrò generis illius historiam resumit iterum in subsequenti capite ℣. 11, 12, &c. nec deinceps aliò divertit, familiæ Arphaxad usque ad Abrahamum continuam narrationis seriem prosequens. Eo consilio postremam hanc omnium narravit, ut ejus historiam commodiùs & minus interruptam daret.

Reddunt nonnulli: ולשם ילד גם הוא אבי כל בני עבר אחי יפת הגדול *Ipsi Sem natus est (is qui fuit) pater omnium Hebræorum*. Ex Sem natus est Heber, pater Hebræorum: sed hæc versio literæ præ cæteris congruere utique non videtur. Vix credimus, Abrahamum Hebræi nomen sibi adscivisse ex avo Heber; sed inde potiùs viro datum, quòd e regione transeuphratæâ in Chananæam venisset. Sed infra pleniùs quæstionem hanc tractabimus.

Fratre Japheth majore. Reddi posset Hebræum, יפת הגדול, *Fratre Japheth majoris*, quæ probatur interpretatio Septuaginta, & Symmacho (a); probatur & nobis cum doctissimis Interpretibus (b), quippe quòd alibi constat, Japheth majorem natu fuisse inter filios Noë.

† ℣. 22. Filii Sem, Ælam, et Assur, et Arphaxad, et Lud, et Aram. Addunt Septuaginta *Cainan*; sed additio ista minimè hìc habenda; mendum enim esse omnes conveniunt. Negotium facit Cainan, additus cap. xi, 12; quod pariter nomen recurrit in S. Luca. De hoc, suo loco. Deest nomen Cainan in Ms. Alexandrino.

Ælam. Ælamitas, Mediæ proximos, originem suam referre ex Ælam, ambigit nemo. Præerat regioni Elymais, Urbs inclyta ditissimo Templo Dianæ sive *Nauaea*, quod Antiochus diripere tentavit (c) Author I Macchabæorum Elymais Urbs est Persidis, quam Persepolim appellat Author II Macchab. (d); ideò fortè quòd Persepolis Persidis, olim Ælam, esset Metropolis. Cùm nomen *Ælam* minùs quàm *Persidis* innotesceret, opportunum sibi censuit Author iste, ad Græcos scribens, Persepolim appellare Urbem, quam populi, veteri nomine *Ælam* distincti, *Elymaidem* nuncupabant. Hanc conjecturæ loco propono, donec melius aliquid afferatur ad conciliandum inter duos hosce Macchabæorum Scriptores dissidium; quos inter vix aliter convenire posset, cùm Urbes Persepolis & Elymais nimis magno distent intervallo.

Assur. Sive Assyria ex Assur, seu vicissim Assur ex Assyriâ nomen deduxit. Hebræum אשור, *Assur*, sonans felicem, Assyriæ, felici sanè provinciæ, maximè in adjacenti ad Ninivem regione, congruit. An Nemrod e regione suâ Assur depulerit, vel Assur, Nemrodo succedens in Regno, nomen ditioni indiderit, incertum. Quæ Assur successorem adstruit Nemrodo conjectura, inde ducitur, quòd Suidas & Joannes Antiochenus (e) asserunt, Ninum Assyriorum Regem prædecessorem fuisse Thuræ, viri maximè strenui, qui arma movit, vicitque tyrannum Caucasum, ex posteris Japheth. Illum Assyrii aris & focis consecrarunt sub nomine Baal, quod vernaculo illorum sermone idem sonat ac Mars. Ejus pariter nomen indiderunt Planetæ, quem nos Martem dicimus. Scriptor alius, apud Salmasium, asserit, *Thuram*, *Zame* patre genitum fuisse. Facilè autem intelligimus, *Zamem* ipsissimum esse Sem, & *Thuram* Assur vel *Athur*, juxta Chaldaicam pronunciandi rationem. Ninus confunditur cum Nemrod conditore Ninive; tyrannus Caucasus cum Gog filio Japhethi, sedes habente circa montem Caucasum ad Septemtrionem Assyriæ.

Assyriam, alio nomine Atyriam vel Adiabenem, definit ad Septemtrionem portio Armeniæ & Mediæ; ad Orientem portio Mediæ; ad meridiem Babylonia; ad Occidentem Mesopotamia, Tigri intermedio. Sed Assyrium Imperium longiùs porrigebatur; complectebatur enim olìm Medos, Persas, Babylonios, Arabes, Armenos, Syros, Mesopotamiæ incolas &c.

Arphaxad ארפכשד. Josephus aliique nonnulli putarunt, Chaldæos olim nomen Arphaxad obtinuisse; ut proinde reputari oporteret, Cased filius Nachor recepisse sibi armis regionem Arphaxad, atque nomen Chasdim indidisse Chaldæis antea Arphaxadim appellatis; quod tamen nullo argumento persuadetur. Inde autem erroris sui ansam cœpit Josephus, quòd summam videret affinitatem

(a) Ἀδελφοῦ Ἰάφετ τοῦ μείζονος. *Sym.* τοῦ πρεσβυτέρου. (b) *Ita Chald. Chald. Hebræi, Lyr. Monte Vat. Jun. Tremel. Malv. Ainsw. Pisc. alii.* (c) 1 *Macch.* VI, 1. (d) *Macch.* IX, 1

(e) *Suidas in* Θοῦρας, & *Johan. Antioch. apud Salmas. in Solin. pag.* 1235.

nitatem inter *Archasad* & *Arphaxad*: *Ar* vel *Ur* Metropolis est Chasad vel Chased, appellaturque *Ur Chasdim* (*f*) ante ortum *Chased*. Censet Bochartus, Arphaxad nomen suum communicasse regioni Assyriæ, quæ Ptolemæo, *Asiæ Tab.* v, est *Arrapachitis*. Ipsa est facilè regio, cujus Metropolis *Artaxata* in magnâ Armeniâ, in finibus Mediæ. Porrò Artaxata hodie est urbs Teflis, juxta nonnullos; juxta alios verò, *Erivan* in Armeniâ, sub Persarum ditione. Id saltem constat, *Artaxatam* ad Erivan proximè accessisse. Urbis illius rudera tribus leucis ab Erivan spectari dicit Tavernier. Moysis ætate, neque Armeniæ, neque Mediæ nomina innotuerant; ut proinde locus detur suspicioni, Armeniæ saltem portionem nomine Arphaxad designatam fuisse. Meminit sæpè Strabo *Atropatia*, provinciæ Mediæ, quam ab Armeniâ interfluens Araxes distinguebat. Ptolemæo est *Antropatia*.

Lud, לוד. Josepho, S. Hieronymo, Eusebio, S. Isidoro, Eustathio, ac Recentiorum Veterumque plurimis, filii *Lud* sunt in Lydiâ, in Asiâ minori. Quam sententiam Bochartus fulcit ex nominum affinitate, vetustate Lydiorum, ac significatione nominis *Lud*; sonat enim tortuosum, quod maximè quadrat Mæandro ejus regionis amni. Sed adversùs sententiam constituentem Lud in Asiâ minori est, I, Provinciam illam minùs longè distare ab aliis filiis Sem, ut proinde constitui oporteret, Lud, trajecto Euphrate, longiùs intra Asiam minorem excurrisse, sedes constituturum ad Mæandrum: cùm interim Moyses insinuet, posteros omnes Sem mansisse trans Euphratem: *Fuit pater omnium filiorum Heber*, vel *Transeuphratensium*. II, Asserunt Historici (*g*), Lydios tamdiu retinuisse nomen *Mæonum*, quamdiu a Lydo, filio Athys, nomen reportarunt.

Sed ad primum illud quod attinet, reponimus, Sem patrem fuisse quidem gentium omnium trans Euphratem; fieri tamen potuisse censemus, ut ex filiis ejus aliquis cis amnem sedem constitueret. Scimus, Aram filium Sem, sive ejus posteros, Syriam frequentasse: ut quid igitur Lud, ejus exemplum secutus, in Asiâ Minori non fixerit sedes? Alterum quod opponunt, facilè eluimus, loca distinguentes & tempora. Tradunt Historici & Geographi, Provinciam Lydiæ, a Lydo filio Athys nomen referentem, Mæoniam antea appellatam; sed de Lydiâ tantùm superiori, Mæoniâ olim appellatâ, sermonem illos habere, apertè constat. Nihil habent de Lydiâ inferiori, nihil de Joniâ, Lydiæ pariter nomen obtinente (*h*): nihil afferunt, quo doceant, unde nomen illud vetus hæc Lydia acceperit, aut quo tempore. Patrem Athys constituit Herodotus l. I, c. 94, Menem Regem Lydiæ; Strabo l. 5, Herculem & Omphalem Reginam Lydiæ; quibus insinuatur, ante Lydum filium Athys, Lydiam aliam fuisse a Mæoniâ.

Ariæ Montano sunt Ludim ad confluentem Euphratis & Tigridis; Clerico sunt inter amnes Chaboram, Saocoram, vel Mascam: flexuosus est enim ibi Euphrates perinde ac Mæander.

Aram, pater est Aramæorum, vel Arimæorum, quorum est mentio apud Homerum, *Iliad.* B, Hesiodum in *Theogoniâ*, ac veteres alios. Testantur Strabo *l.* 5, & 16, & Josephus *Antiq.* *l.* I, *c.* 6, apud Græcos Syriorum nomine appellatas gentes, quæ apud suos Aramæi, sive Arimæi dicebantur: at quo tempore nomine illo distingui cœptæ sint a Græcis, ignotum; apud Homerum & Hesiodum sunt tantùm Arimæi.

Regio Aram, latissimos habens in Scripturâ fines, Mesopotamiam & Syriam complectitur universam. Appellatur Mesopotamia *Aram Naharaim* (*i*), Aram duorum amnium; media est enim inter Euphratem & Tigrim. Appellatur etiam *Padan Aram* (*k*) arva Aram; & in Osee XII, 12 eodem sensu *Sedeh Aram*. Credimus, nomine *arvorum Aram* distingui regionem illam Mesopotamiæ cultûs patientem, protensam maximè secundùm amnes, ac complectentem uberes agros regionis Sennaar, atque ad Babylonem; distingui, inquam, eam regionem ab aliâ ejusdem Provinciæ portione magis sterili, & incultâ.

Nomine pariter *Aram* censetur in Scripturâ Syria universa, in plures regiones vel Provincias distributa, quarum singulis Metropolitis Urbibus nomen Aram additum legitur; ita Aram Damasci, Aram (*l*) Macha, Aram Bethrehob, Aram Soba &c. Postrema hæc Urbs multò propiùs ad Euphratem & ad vicinias Palmyræ accedebat.

Arduum esset maximè primam regionem definire, ab *Aram* ejusque posteris frequentatam. Sedes ab exordio habuisse in regione *Kir*, unde Deus illas eduxerit, sicut Israëlitas ex Ægypto, & Philisthæos e Caphtor, insinuare videtur Amos IX, 7.

Regio *Kir* ipsa est facilè Iberia, in qua amnis *Cyrus*, hodie *Cur*, *Chiur*, in Mare Caspium influens. Alius est etiam ejusdem nominis amnis in Perside, nuncupatus etiam Pagradas; tertius tandem in Mediâ. In Mediâ quoque sunt *Cyrthii* & Urbs *Cyreschata*, vel *Cyropolis*. Est tandem in Syriâ Urbs *Cyrrhus* & regio *Cyrrhestica*. His omnibus in figendâ primâ sede Aram negocium augetur. Quod in hac re constat, illud est, nimirùm Moysis, & facilè etiam Abrahami & Jacobi ætate, Mesopotamiam nomine Aram jam inde innotuisse. Agnoscunt enim Israëlitæ (*m*), genus referre se ex Abrahamo, qui e regione Aramæorum pedem reduxerit; & Batuel & Laban in Mesopotamiâ nati, appellantur *Aramæi* (*n*), quamquam genus referrent ex *Arphaxad*, non ex *Aram*.

Præter Aramæos hosce vel Syros, ex Aram filio Sem, alios insinuare videtur Scriptura posteros Camuelis, filii Nachor ex Melchâ. Asserit Moyses (*o*) *Camuel patrem fuisse Aram*; quod Septuaginta & Vulgata reddunt, *Camuel patrem Syrorum*. Textus iste triplicem habet interpretationem, quantùm intelligimus. I, Camuel filium habuit nomine Aram. II, Camuel pater fuit Camelitarum in Cappadociâ, qui nomen sibi adsciverunt Aramæorum, vel Syrorum, ex Aram filio Camuelis. Herodoti testimonio notum est, Cappadoces olim Syrorum nomen obtinuisse. III, Tandem Aram filius Camuelis pater fuit Aramæorum quorumdam, qui in unam gentem cum posteris Aram filii Sem coaluerunt; vel fortè Camuel ipse Aramæi cognomen obtinuit, quòd cum posteris Aram conjungeretur. Vide Commentarium in Genes. XXII, 21.

Veterum & Recentiorum plures (*p*) autumarunt, Armenos originem referre ex Aram & Aramæis. Observat Strabo l. I, inter Syros & Ar-

(f) *Genes.* XI, 31. (g) *Dionys. Halicar. lib.* 1. *Herodot. lib.* I, *c.* 7. & *lib.* VII, *c.* 74. *Diodor. l.* III. (h) *Vide Cellar. Geograph. antiq. lib.* III, *c.* 4, *pag.* 124. (i) *Genes.* XXIV, 10. *Deut.* XXIII, 4. *Judic.* III, 8. (k) *Genes.* XXVIII, 7, & XXXI, 18. & XXXIII, 18, & XXXV, 9. (l) 2 *Reg.* X, 6, & 8. (m) *Deut.* XXVI. (n) *Genes.* XXV, 20. (o) *Genes.* XXII, 21. (p) *Bonfrerius*, *Arias*, &c.

℣. 23. Filii Aram: Us, & Hul, & Gether, & Mes.
℣. 24. At verò Arphaxad genuit Sale: de quo ortus est Heber.

COMMENTARIUS.

Armenos multum intercedere affinitatis, quà in sermone, quà in vitæ genere, quà in formâ corporis; a Syris appellari Aramæos & Armenos, quos Græci Syros nuncupant. Interpres *Arabs* pro *Aram* reddit *Armenum*. Censet tamen Bochartus, Armeniæ nomen deduci ex *Har*, i. e. mons, & *Minni*, quod nomen est gentis prope Ararat; veluti si diceretur, montes Minni. Chaldæus vertit *Minni Armeniam* in Jerem. LI, 27, & Mich. VII, 12. Unicus Scripturæ locus, ubi est *Armenia*, seu potiùs *Harmona*, occurrit Amos IV, 3, ubi Deus exilium minitatur Israëlitis ultra montes *Harmona*.

℣. 23. FILII ARAM: US, ET HUL, ET GETHER, AT MES. Posteros Aram quærendos suscipiemus in Armeniâ, in Mesopotamiâ, in Syriâ, cis Euphratem, & ultra Tigrim, in quas facilè regiones ex ipsâ Moysis ætate dispersi erant.

Us, juxta S. Hieronymum QQ. Hebr. & Josephum Antiq. l. 1, c. 7, frequentavit Trachonitidem, regionem transjordanicam, Arabiâ desertâ ab Oriente, Libano a Septemtrione, Jordane ab Occidente, Ituræâ a meridie definitam. Censent Veteres, filium natu majorem *Aram* condidisse Urbem Damasci. Nomen suum indidit agro Damasceno, a Judæis *Ur*, & ab Arabibus *Gaut* vel *Gauta* appellato. Litera ע haiin, pronunciatur interdum ut *G*, & צ tzade transit non rarò in *Theth*. Arabes hodie usque appellant *Algautam*; & Geographus Arabs Clymat. 3, ita describit. Vallis Damascena, Algauta appellata, protenditur in longum spatio duarum stationum, unicæ in latum. Vallis ista Algauta ipsissima est, juxta Bochartum, quæ montibus Libano & Antilibano interjacet, apud Strabonem l. 16 *Campus cavus*, Πέδιον κοίλον, cujus est latitudo 200 stadiorum, & longitudo a meridie ad septemtrionem 400 stadiorum; Polybius appellat Α᾽μύκης πέδιον, *Agrum Amyka. Amika* אמיקא, Syriacè est planities. Regio tandem illa innotescit apud Græcos nomine Cœle-Syriæ, Syriæ cavæ; sed eo nomine multò latior tractus interdum distinguitur.

Non minori saltem veri specie constitueretur *Ur* ad fontes Tigridis. Montes, unde amnis ille fluit, *Uxii* appellantur a Diodoro Siculo l. 17, c. 67; eodemque in loco sunt Straboni l. 16, regio *Uxia*, & populi *Uxii*, apud Plinium l. 6, c. 16, *Oxii*. Occurrit etiam apud eumdem Plinium ibidem c. 9, amnis *Musi*, vel Usi, in Araxem sese devolvens. Geotes illæ innotescunt pariter ex Arriano (q) & Q. Curtio l. 5, c. 3.

Duo pariter alii *Hus* occurrunt in Scripturâ; quorum alter filius est Nachor (r) fratris Abraham; alter (s) ad posteros Sehir Horræi pertinet. Est in Ausitide (t), regione Arabiæ Desertæ, Urbs modica *Ur*, bodie, si fides Thomæ Minadojo, *Omps*. Meminit Jeremias *Thren.* IV, 21, regionis *Hus*. Job degebat in regione Hus, illâ scilicet, quam filii Sehir Horræi frequentarunt. Vide Commentarium Job 1, 1.

HUL חול, *Otrum* appellat Josephus *Antiq. l.* 1, *c.* 6, & in Armeniâ constituit. Bochartus legendum censet *Otum*, unde *Otena* Provincia Armeniæ (u), inter Cyrum & Araxem. Nominis Hul plura sunt in Armeniâ vestigia; est enim ibi provincia *Cholobatena*, Urbes *Colsa*, *Colana*, *Cholimma*, *Olane*; & in Ptolemæo *Colthene*, & Urbs *Choluata*. Est in Syriâ Urbs *Cholle*, & in Ponto urbs *Choloë*.

GATHER גתר. Ejus viri posteros Bactrianam frequentasse censet Josephus. Acarnanii seu Carii, illi in Græciâ non longè ab Epiro, hi verò in Asiâ minori e regione Rhodi, deducuntur e Gether, authore S. Hieronymo. Sed cur non ex eo fonte deriventur Ituræi, populi in Transjordanis, habentes ad Orientem Arabiam desertam, & ab Occidente Jordanem? Seu potius Ituræi, de quibus Plinius l. 5, c. 23, in Syriâ Cyrrhesticâ, inter Seleuciam, Comagenam, & Euphratem? Primam illam Ituræam frequentasse Jetbur filium Ismaëlis (x) arbitramur; Gether verò non incongruè reputaremus Patrem Ituræorum, de quibus secundo loco.

MES מש, idem ac *Mesech* 1 Par. 1, 17; & *Mosac* apud Septuaginta. Non temerè arbitratur Bochartus, tenuisse illum montem Masium in Mesopotamiâ; ex quo pariter nomen & monti huic & amni Mazeca, qui ex eodem monte fluit. Vulgò amnis ille appellatur Saocoras; sed apud Xenophontem est *Masca*. Ejus regionis incolas nuncupat Stephanus *Mesienos*, vel Masianos; nec fortè aliunde derivarentur Arabes Masei, quos recenset Plinius l. 6, c. 26, inter cæteras Mesopotamiæ gentes. *Mes* apud S. Hieronymum est in Mæoniâ; & Josephus *Mes*, sive, ut ille scribit, *Masan*, pater est Mesaniorum ad ostia Tigridis: sed non satis advertit ille, Græcos nomine Mesana vel Mesene regiones illas omnes appellare, quas amnes circumluunt. Malunt Armeni, montes Moschos supra Erivan & ad fontes Euphratis, nomen repetere e *Mas*. Vide supra cap. 8, 4. Mons quidam Masius constituitur a Strabone *l.* 11 in Armeniâ ad meridiem Sophenes, qui sanè mons alius est ab altero cognomine apud Ptolemæum l. 5, c. 18, in Mesopotamiâ.

℣. 24. ARPHAXAD GENUIT SALE, DE QUO ORTUS EST HEBER. Eustathius Antiochenus derivat ex *Sela* populos Susianos; Cossæos ad Septemtrionem Susianæ maluit Eusebius. Occurrit apud Ammianum *l.* 23, in Susianâ Urbs *Sela*, Ptolemæo Σέλη, *Sele*, a tabulis Geographicis infra Susas, ad amnem Eulæum, exhibita.

Septuaginta textum hunc ita reddunt: *Arphaxad genuit Cainan; Cainan genuit Sale, & Sale genuit Heber.* Additamentum hoc *Cainan*, recurrens pariter cap. XI, 12, crucem figit Interpretibus, non ex authoritate tantùm Septuaginta, sed ex eo maximè, quòd illud servat Sanctus Lucas III, 36.

Ut nodum solvant, in varias committuntur sententias Interpretes. Tuentur alii, Textum Hebræum & Vulgatam majoris esse, quàm Septuaginta, authoritatis; & cùm neque in Hebræo, neque in Samaritano, Vulgatâ, Versionibus Orientalibus legatur, reputandum est, vel Septuaginta
vel

(q) *Arrian. Indic. c.* 40. *& Expedit. Alex. lib.* III, *c.* 27. (r) *Genes.* XXII, 21. (s) *Genes.* XXXVI. 28.
(t) *Ptolem. apud Bochart. Phaleg lib.* II, *c.* 8. (u) *Plin. lib.* VI, *c.* 13. (x) *Genes.* XXV, 15.

vel Amanuenses præposterè nomen illud Cainan induxisse in Textum Græcum.

Alii de corruptione Hebraici Textûs nonnullis in locis, Judæorum fraude, persuasi, corruptionem hìc pariter suspicantur; rati Judæos dolo malo expunxisse e Textu originali Cainan, ut invidiam crearent in Septuaginta & S. Lucam, nomen illud retinentes. Non defuerunt, qui datâ operâ a Moyse prætermissum Cainan putarent, ut rotundum decem generationum numerum ab Adam usque ad Noë, & a Noe usque ad Abraham conservaret; quo pariter exemplo, inquiunt illi, S. Matthæus in Genealogiâ Jesu Christi nonnullos omisit, consilio servandi XIV generationes ab Abraham usque ad David, & a David usque ad transmigrationem Juda, ac tandem ex illâ usque ad Jesum Christum. Septuaginta verò, addunt, nomen illud omissum supplerunt, sive revelatione S. Spiritûs, sive traditione Judæorum edocti; ut proinde S. Lucas duces illos sequi, alienum a se non reputaverit.

Malunt alii, Arphaxad patrem fuisse Cainan & Sale, illius generatione, hujus sive lege sive adoptione, aut vicissim. Sed opinio ista valido assertore caret; Septuaginta enim & S. Lucas non obscurè notant, Cainan genuisse Sale; & quamvis scriberent, Cainan diem clausisse, relicto Sale minoris adhuc ætatis puero curæ Arphaxad, reputari etiam oporteret, ut Chronologiæ ordo servaretur, Arphaxad nepotem suum ex filio Sale natum videre potuisse, quo tempore Arphaxad ipse nonnisi 35 ætatis annos ageret; ipsum verò genuisse Cainan cùm decem & octo annos tantùm ætatis numeraret; sicut & Cainan genuisse Sale decimoseptimo, & minùs etiam, ætatis suæ anno; quod a moribus illius temporis absonum est maximè.

Censent nonnulli, Cainan unum eumdemque esse ac *Sale*, ut Cainan fuerit ipsius Sale cognomen; Septuaginta verò, perspicuitatis gratiâ, cognomen adjecisse. Fidem adstruunt huic conjecturæ, quòd in Vulgatis Septuaginta, in quibus Amanuenses notarunt *Cainan* & *Sale*, veluti duos inter se distinctos homines, eadem sit annorum vitæ utriusque periodus, idem tempus gignendorum filiorum; unde conjectura, in Originalibus Septuaginta unius ejusdem hominis nomen fuisse utrumque, nec nisi præposterè Amanuenses ex uno duos distinxisse, assignatâ utrique eâdem vitæ ætate. Pristinæ integritatis exemplaria consuluisse videtur Eusebius; in Chronico enim non meminit nisi Sale, omisso Cainan; utrumlibet adnotare satis esse sibi ad intentum ratus, quòd scilicet duo nomina unum eumdemque hominem ferrent. Nec abhorret interpretatio ista a Textu S. Lucæ. Græcus enim Textus, Τοῦ Σάλα, τοῦ Καϊνάν, commodè reddi potest: *Pater Sale sive Cainan*, perinde ac, *Pater Sale, patris Cainan*. Græcus enim articulus non invitè expositionis loco usurpatur. Commodiùs tamen, & sensu magis obvio ita redderetur, ut omnibus locis ejus capitis usurpatur, ubi, nemine refragante, vim habet referendi aliquem veluti filium ad patrem.

Defendunt plures (*y*), sive in Autographis Septuaginta sive S. Lucæ defuisse nomen Cainan, quod incuriâ Amanuensium deinde in Textum utrumque irrepserit; Amanuensium, inquam, qui Cainano in Genealogiâ Seth ante diluvium lecto, ejus nomen imprudentes hìc adnotarunt; ex quo factum, ut in omnia Septuaginta Exemplaria mendum evaderet. Defendit Grotius, nullo argumento evinci posse nomen Cainan lectum fuisse in Septuaginta ante quartum sæculum: sed P. Pezron contra illum demonstrat, Patres Origene vetustiores agnovisse Cainan filium Arphaxad.

Quod in authoritatem Septuaginta in eo loco invidiam conflat, illud est, nimirùm menda in universâ eorum Chronologiâ ante & post diluvium occurrere apertissima, cujus generis sunt anachronismi, e. g. in adscribendâ ætate Arphaxad post natum Cainan; additamenta in eorum Textu; variantia, nec fanè levia, in variis eorum Exemplaribus; ex quibus omnibus suspicio saltem non levis inducitur, nomen illud Cainan, aliis omnibus Versionibus incognitum, nonnisi temerè, sive Interpretum, sive Amanuensium incuriâ, in Textum irrepsisse. Loca tredecim variata apud Septuaginta observant Talmudistæ; additis, inquiunt illi, *Elisa* (*z*) in genealogiâ *Japheti*; *Cainan* (*a*) inter filios Sem; & quinque viris inter posteros Josephi (*b*). Addiderunt Urbibus Phiton & Ramesses urbem On (*c*), quam jungunt Urbi Abel (*d*). Vulgata Septuaginta editio ætati Arphaxad post genitum Cainan adscribit 400 annos; editiones aliæ tribuunt 365, vel 335, vel 330, vel tandem 300 (*e*). Additamentis hisce & variantibus nonne religio tota removetur, si quæ esset, deferendi authoritatem Septuaginta, quamquam etiam certò constitueretur, nomen Cainan illis Authoribus deberi?

Quod verò persuaderet utcumque nomen Cainan alterius esse, quàm Septuaginta, incuriæ, illud est, nimirùm ignotum fuisse Cainan Josepho & Philoni, quorum in manibus exemplaria Septuaginta versabantur. Veteres Patres magno assensu docuerunt, a Noë usque ad Abraham decem generationes interfluxisse. Totidem recenset Origenes (*f*): Eusebius in suo Chronico, Hexapla Origenis secutus, nihil habet de Cainan: Julius Africanus, Eusebio vetustior, & Origeni suppar, nunquam planè lêgit Cainan in Septuaginta, quippe qui supputat tantùm 3000 annos ab Adam usque ad obitum Phaleg. Theophilus Antiochenus (*g*) in suâ annorum supputatione ad normam editionis Septuaginta, Cainan prorsùs non meminit. Veteres ferè omnes (*h*), qui in Chronologiis texendis Septuaginta prætulerunt, annos vitæ Cainan omiserunt. Adde his omnibus testimonium Paganorum Scriptorum, quibus a diluvio adusque Abraham sunt tantùm X generationes, uti disertissimè Eupolemus apud Eusebium, *Præpar. l.* 9, & Berosus apud Josephum *Antiq. l.* 1, *c.* 8.

Recenset S. Irenæus ab Adam usque ad Christum 72 solummodò generationes, alteram adjecturus, si Cainan supputasset. In Patriarcharum genealogiâ texendâ ad normam Septuaginta S. Epiphanius *Hæres.* 55, Cainan negligit; & in suo Libro de Ponderibus & mensuris, 22 tantùm homines numerat ab Adam usque ad Jacob, 23 numeraturus cum Cainan. Nihil discriminis in eo loco observat S. Hieronymus inter Textum Hebræum & Septuaginta, quæstiones Hebraicas in Genesim scri-

(*y*) *Grot. in Luc.* III, 36. *Bochart. Phaleg l.* 2, *c.* 13. (*z*) *Genes.* X, 2. (*a*) *Genes.* X, 22. (*b*) *Genes.* XLVI, 20. (*c*) *Exod.* I, 11. (*d*) 2 *Reg.* XX, 18. (*e*) *Vide Cap.* XI, 13. (*f*) *Tract.* XVI *in Matth. & tract.* XX *in Joban. & homil.* IV *in Numeros.* (*g*) *Theoph. lib.* III *ad Autolyc. Editionis Græcæ.* In Latino malè legitur Cainan. (*h*) *Quint. Jul. Hilarion lib. de Duratione Mundi, Oros. lib.* I, *c.* 1. *Idac. Prosper, Marcellin. Comes, Cassiodor. Isidorus, Greg. Turon. & Authores Martyrolog.*

scribens; observavit tamen in suâ versione Chronici Eusebiani. Deest nomen Cainan in editione Græcâ Septuaginta, Romæ ad vetustissimum exemplar expressâ; deest in duplici versione Arabicâ, in versione Russicâ 1 *Par.* 1, 17. Est ergo cur suspicemur, nonnisi post Eusebium mendum illud in exemplaria Septuaginta irrepsisse, adeò ut nihil tale legeretur Origenis ætate in optimis Græcis exemplaribus. Asserit Procopius (*i*), Origenem in suâ illâ editione, qua in unum codicem contulit versiones Theodotionis, Symmachi, Aquilæ, & Septuaginta, obelo notasse nomen Cainan in versione Theodotionis, additamenti indicium. Ut quid notandum illud suscepisset in uno Theodotione, si apud alios Interpretes legeretur nomen *Cainan*?

Ad S. Lucam quod attinet, sunt qui credant, eo consilio additum ab ipso nomen Cainan in Genealogiâ Patriarcharum, ut opportunâ quâdam indulgentiâ erga Hellenistas uteretur, quorum potissimum gratiâ scribebat. Habebant illi in manibus Versionem Septuaginta, nomen Cainan præferentem. Sed quorsum indulgentia ista in Scriptore S. Spiritûs ductum sequente, ut errorem admitteret in Evangelio de industriâ, ne scilicet animos Hellenistarum molestiâ afficeret? Quantum vicissim e cautione istâ scandali in Hebræos, quantum in Scriptorem invidiæ? Quid non proficerent increduli, obtrudentes, eò usque Evangelistarum indulgentiam devenisse, ut errores prudentes volentesque admitterent in Libris, quos veluti Spiritûs Sancti operâ scriptos obtrudebant? Malunt alii, S. Lucam ea in re non sententiam suam, sed vulgarem opinionem ac præjudicia populi expressisse. Si cui fortè ingratum accideret, Cainan in ejus Evangelio legere, illo querelam moveret in Septuaginta, non in S. Lucam.

S. Hieronymus veluti dogmate certum constituit (*k*): *Multa quippe dicuntur juxta opinionem illius temporis, quo gesta fuerunt, & non juxta quod rei veritas continebat.* Sed hæ certam adstruunt rem, quæ maxime incerta est, vel quæ saltem nullo argumento evinceretur, nimirùm illos, quorum gratiâ scribebat S. Lucas, persuasum habuisse natum Cainan ex Arphaxad; qua de re nihil constabat sive apud Hebræos, sive apud Hellenistas, sive apud Paganos. Hebræis quin etiam contraria omnia persuadebantur: Pagani nihil norant; Hellenistæ nihil tale facilè in suis Exemplaribus legebant. Dicendum ergo cum doctissimis Interpretibus (*l*), nihil unquam tale S. Lucam scripsisse. Profectò celebre Ms. a Theodoro Bezâ muneris loco datum Academiæ Cantabrigiensi, nihil habet de Cainan. Porrò Codex iste e Galatiâ delatus in Gallias, servatusque in Abbatiâ S. Irenæi, juxta Lugdunum, in bellorum civilium tumultu, anno 1562, inde extractus fuit. Sed ingenuè fatendum est, vetera Mss. Græca & Latina in nomine *Cainan* servando satis inter se congruere, ut in eo loco nulla occurrant variantia; & celebre illud Ms. Cantabrigiense corruptum esse maximè, ut observat D. Mille in variis lectionibus in N. T. non infrequenter.

Sale, de quo ortus est Heber. Dei largitoris munificentiam experta est maximè domus Heber; I, quòd depositum veræ Religionis ante Legem servare in familiâ Abraham, datum sit illi. II, Quòd selecta sit a Deo, ut Ecclesiam ipsius constitueret; Leges ipsius & Scripturas reciperet; ac tandem Messiam Orbi daret. III, Non desunt qui e familiâ Heber repetant nomen Hebræorum, posteris Abraham peculiare. IV, Tandem statuunt primigeniam hominum linguam ante diluvium & post illud pariter, adusque Babelicam confusionem obtinentem, in familiâ Heber perseverasse, ex quo sermonis Hebraici appellatio.

Verùm quod attinet ad nomen Hebræi datum Abrahamo, ejusque posteris, locus est ambigendi, an reipsâ e Patriarchâ Heber originem duxerit. Ut quid enim Abraham Hebræi sibi nomen adsciverit ipse potius, quàm ex eodem Heber posterorum cæteri? Ut quid nomen Hebræi tum primùm audiri cœpit, cùm ille trajecto Euphrate in Chanaanitidem primum venit? Cur tandem Abraham, sex generationibus Heber posterior, nomen illud sibi longè adeò repetierit, & quomodo Chananæis venire in mentem poterat, virum hunc originem suam repetere ex Heber, ut illi Hebræi nomen assererent?

Arbitramur ergo, cognomen Hebræi Abrahamo datum nihil aliud significare, nisi originem ejus e regione trans Euphratem. Gentes trans amnem illum appellantur filii *Heber*, seu filii *trans*. Sem appellatur (*m*) *pater omnium filiorum Heber*, i. e. gentium trans amnem; & Joseph Patriarcha Pharaoni professus est: *Furto sublatus sum de terrâ Heber* [*n*], seu *Hebræorum*, i. e. de populis trans Euphratem. Non enim eo nomine designare poterat regionem Chanaan, ubi tunc fratres ejus & pater morabantur, cùm tractus ille terrarum aliud planè nomen, quàm regionis Hebræorum, obtineret; ut proinde vix quicquam nosse potuissent Ægyptii, si nomine illo Chanaanitidem designasset. Sed cùm originem & natale solum habuisset trans Euphratem, & cùm veluti Transeuphratæum mancipium venditus fuisset in Ægypto, jure se de terrâ Hebræorum, i. e. de Mesopotamiâ sublatum dixit.

Porrò Mesopotamiæ incolas appellat Scriptura homines *qui sunt trans fluvium*, 2. *Reg.* x, 16. Septuaginta pro אברם העברי *Abram Hebræo*, *quod* legitur Gen. xiv, 13, in Textu Originali & Vulgatâ habent: Ἄβραμ τῷ περάτῃ, *Abram transitori*, quòd scilicet Euphratem transierit: nec aliunde facilè repetenda est genuina ratio inditi viro ejusque posteris nominis Hebræi. Non desunt similis generis appellationum exempla plurima; ita e. g. appellatur Transalpinus, Belga, Hispanus, qui ex Italiâ, Belgio, & Hispania venit. Rex quidam Galliæ, aliquo temporis spatio moratus in Angliâ, nomen adeptus est *Ludovici Transmarini*.

Reponi his posset, non omnes æquè filios Abraham nomen Hebræi obtinuisse, non Idumæos, non Ismaëlitas, non filios Ceturæ. Sed hæc utique negocium pariter faciunt tuentibus sententiam de indito Abrahamo nomine Hebræi e Patriarchâ Heber: reputari etiam posset, Esau, Ismaëlem, Madian, ejusque fratres, fœdere inito cum gentibus, quibuscum agebant, a moribus omnibus & sermone gentium trans Euphratem desuescentes, nullum pariter cum illis peculiare commercium servantes, vix fuisse, cur nomine, originariam illorum regionem designante, appellarentur.

Contraria omnia in Abrahamo, Isaaco, & Jacobo,

(*i*) *Procop. in Genes. c.* II, *& Hieron. ep.* CVII *ad Chromat.* (*k*) *Hieronym. in cap.* X, XVIII. *Jerem.* ℣ 10. *Vide eumdem Comment. in Matth.* IV, 9. *& lib.* II *advers. Helvid.* (*l*) *Ita Cornel. a Lapide in* XI *Genes. Petav. de Doctrinâ temp. lib.* IX, *c.* 17. *Petr. Possin. in Dialectice Geneal. Christi c.* 9. *Cordes. Natal. Alex. & D. Matth. Petit-Didier in Prolegomen. Sacr. Script.* (*m*) *Genes.* X, 22. (*n*) *Genes.* XL, 15.

Digitized by Google

℣. 25. Natique sunt Heber filii duo: nomen uni Phaleg, eò quòd in diebus ejus divisa sit terra: & nomen fratris ejus Jectan.

COMMENTARIUS.

cobo. Maxima illis semper consuetudo eum viris familiæ suæ trans Euphratem; inde conjugem sibi adscivit Isaac; conjugem pariter sibi quæsiturus, eò vênit Jacob; ibi egit pluribus annis, genuitque filios. Tandem minimè nos cogi credimus rationem reddere rei maximè arbitrariæ, ex hominum voluotate pendentis, nomioum scilicet imponendorum. A nomioe Hebræi sive mysterium omne, sive privilegium abest. Etsi enim Deus distingui illo selectum sibi populum voluit, nihil tamen exprimit peculiare, ad Deum quod attinet, nullum in populo virtutis meritum designat. Nostram hanc sententiam defendunt Africanus, Origenes, S. Hieronymus, S. Joaones Chrysostomus, Theodoretus, Paulus Burgensis, Estius, Ribera, Arias Montanus, P. Alexander, Josephus Scaliger, Sebastianus Munsterus, Joannes Seldenus, Ludovicus Capellius, Grotius, Gerardus Vossius, Waltonus, aliique plures Critici doctissimi.

Ad Hebraicum sermonem quod attinet, alii ipsissimum censent a Deo Adamo in creatione iosusum, quem servatum ferunt in familiâ Heber & Abrahami illibatum; qua in re mentem nostram expressimus in Dissertatione de Confusione linguarum.

℣. 25. Natique sunt Heber filii duo; nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus divisa sit terra, et nomen fratris ejus Jectan. Doctissimi plures Interpretes censent, Phaleg oomen illud suum ab incunabilis accepisse, eoque pariter tempore Babelicam dispersionem inductam; nec sanè alia suppetit ratio, cur Heber natum sibi filium *Phaleg* appellaverit, postquam a construendâ Babelicâ Turri cessatum est. Sed animadvertendum alii putant, Moysem referre natalem tredecim filiorum Jectan, eodemque in loco describere natalem Phaleg: quod nos in eam suspicionem inducit, natus jam fuisse tredecim illos liberos Jectan, cùm Phaleg ejus frater io lucem editus est. Porrò Phaleg natus est anno 34 Heber, quo tempore Jectan tredecim jam filiorum pater, ætatis annum 28, vel 30, ut minimum, attigisse par erat; quare in lucem editus fuisset quarto vel sexto anno Heber: quod inter absurda absurdum est maximè. Ut hunc nodum solvant. Authores oonnulli defendunt, nonnisi prophetico spiritu edoctum Heber nomen Phaleg indidisse filio suo, quippe qui hominum divisionem post multos anoos, & multò adhuc seriùs, quàm trigesimo quarto ipsius Heber anno, eventuram præoosceret. Ajunt alii (o), Phaleg ortum esse non eodem anno, quo opus Babelicum abjectum est, sed aliquot anois seriùs; dispersio enim XII vel XV annorum tractu impleta est, quo pariter tempore natus est Phaleg.

Maluerim ego, filios Jectan, de quibus hìc, non antea natos, quàm diu post ortum Phaleg; omnes tamen hìc referendos, cum aliis plurimis in eodem capite collectis, opportunum duxisse Moysem, quò series historica, minùs intercisa frequentibus genealogiis, prono, & naturali cursu flueret. Prolepsis est, cujus plura suppetunt in eodem capite exempla. Facilè etiam Jectan tredecim illos filios e multis uxoribus iotra exiguum annorum spatium retulit.

Non abs re arbitraremur, Phaleg nomen indidisse suum Urbi Phalga (p) ad Euphratem, proximè ad confluentem Chaboræ; nec oisi per errorem *Phargam*, quæ eadem Urbs est ac Phalga, constituisse videtur Ptolemæus ad confluentem Saocoræ & Euphratis. Occurrit urbs Phalagus in Arabiâ Felici; locusque, ubi olim stetisse creditur Babyloo, Phalga appellatur.

Jectan יָקְטָן, vel *Joctan*. Non obscurè Moyses regionem a tredecim filiis Jectam frequentatam determinat. Tenueruot, inquit ille, a Mesâ usque ad Sephar, montem ad Orientem. Id unicè laborandum est, ut assignetur duorum locorum Sephar & Mesa situs.

Revocandum hìc in mentem, constituisse nos Arphaxad, tritavum Jectan, in Assyriâ, vel in Armeniâ, & *Selam* io Susianâ. Animadvertendum pariter, Moysem appellare Orientem regiones ultra Tigrim & Euphratem constitutas, Assyriam, Mediam, Armeniam. Hisce autem inducimur, ut constituamus tredecim filios Jectan io Provinciis iotra montem Masium ad Occidentem, io Mesopotamiâ; mootes Saphirorum ad Orientem, in Armeniâ, sive montes Tapyrorum ulteriùs in Mediâ, utì supra notavimus (q). Nominum affinitas, avorum Jectan sedes proximæ, ac tandem vestigia filiorum Jectan io eâ regione spectanda, argumenta ejus rei nobis suppeditant.

Demonstrare oisus est Bochartus, Jectan ejusque filios maximam Arabiæ portionem frequentasse; sed nos ad Gen. xxv, 2, evincere conabimur, dicta esse de Jectan filio Abraham ex Cethurâ, quæ ipse de Jectam filio Heber interpretatur. Constituimus & nos pariter posteros Jectam, filii Abraham ex Cethurâ, in Arabiâ, juxta mentem Scripturæ, Genesis xxv, 6; sed constituemus quoque Jectan filium Heber ejusque posteros in regionibus Orientalibus inter Mesam, & Sephar, juxta vim Mosaici testimonii. Sententiam Bocharti de singulis posteris Jectan, in medium afferemus; sed dabimus pariter conjecturas nostras, juxta nostram hypothesim, aliam planè ab hypothesi viri doctissimi.

Jectan eum filiis constituit Josephus (r) ab amne Copheno adusque regionem Indorum illique finitimorum Serum. Hæc verò opinio non longè ab Indiâ Jectam & posteros constituens, maximè apud Veteres Recentioresque obtinuit, ut ibidem singulorum sedes iovestigent. Sed nobis in proposito est quærere, juxta constitutam hypothesim, vestigia oomoios Jectan inter Mesan & Sephar.

In ipso regioois, a nobis assignatæ *Arphaxad* & *Sale*, meditullio, oempe inter Assyriam & Susianam

(o) *Usser. Bonfrer.* (p) *Isidor. Characen. Stephan. Arrian.* (q) *Genes.* II, 12. (r) *Antiq. l.* 1, *c.* 6. Α᾽πὸ Κωφῆνος, ἕως τῆς Ινδικῆς, καὶ τῆς πρὸς αὐτῇ Σηρίας. *Eusebius & S. Hieronymus* in locis ad Evilat, *pro* Serias *legerunt* ierias. *Bochartus legendum judicat* arias; *itidemque legit Eduardus Bernardus in iis, qua ex Josepho edidit. Bonfrerius legit* Σηρίας, *regionem Serum. Veteres Josephi Editiones habent* Συρίας, *Syriam. Amnis* Cophenus Ariam *Provinciam alluit, & usque ad Serum regionem fluit.*

℣. 26. Qui Jectân genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth, Jare,
℣. 27. Et Aduram, & Uzal, & Decla,
℣. 28. Et Ebal, & Abimaël, Saba.

COMMENTARIUS.

ſianam, conſtituta eſt Sitacene. Præeſt regioni urbs Sytaca apud Xenophontem & Stephanum; & Sitacene apud Plinium & Ptolemæum: quod facilè nomen ex Jectan formatur. Eſt apud Samſonem urbs *Aſſacane* ad amnem Nymphium, in Tigridem ad Amidam influentem.

℣. 26. Jectan genuit Elmodad et Saleph. Elmodad patrem Allumeotum in medio Arabiæ felicis, apud Ptolemæum, conſtituit Bocharus. Nos aliam conjecturam alibi propoſuimus, rati Allumeotas ipſiſſimos eſſe Loomim Moyſis, *Geneſ.* xxv, 3. Credimus autem, Elmodad patrem non incongruè aſſeri potuiſſe Eldamariorum in Meſopotamiâ, quos Plinius l. 6, c. 26, jungit Salmanis, poſteris, quantum arbitramur, Saleph. Celebratur etiam Amida in finibus Aſſyriæ ad Tigrim; & in Meſopotamiâ Almodema urbs, cujus utriuſque nomen affine eſt Elmodad.

Notavit Bochartus in Arabiâ Salapenios, de quibus Ptolemæus, quique in Tabulis ſub nomine Alapeniorum occurrunt, loco tamen maximè a cæteris filiorum Jectan diſſito.

Asarmoth. Nomen eſt urbs in majore Armeniâ. Plinius, l. 6, c. 9: *In majore* (Armeniâ) *Arſamothe, Euphrati proximum.* Juxta Maſium montem eſt Urbs *Arſamoſate*, cujus nominis inſcriptio eſt in nummo Marci Aurelii. An cum urbe Plinii confundenda?

Jare ירח. Bochartus nullam in Arabiâ gentem, nomine *Jarbos*, vel *Jarochaos*, nactus, nomen ſaltem aliquod quæſivit, cujus ſignificatio cum Hebræo *Jarach*, i. e. Luna, congrueret. Apud Agatharcidem & Diodorum ſunt Ἀλιλαῖοι, *Alilæi*, ad Caſſandros: congruit vox *Alilat*, quæ Arabicè eſt Luna, uti evicit Seldenus in Libro de Diis Syris, cum Hebræâ *Jerachai*. Geographo Nubienſi, *Parte* 5. *Clim.* ii, filii Hilal ſunt circa Mecham. Porrò filii Hilal, Alilæi, & *Caſſandri* ipſiſſimi ſunt, juxta Bochartum, ac *Caſſantes*, de quibus Stephanus & Ptolemæus, & Jerachæi Scripturæ. Veſtigia nominis Jarach inveſtigaſſe ſe credit in Inſulâ Accipitrum, Ἱεράκων νῆσος, maris Rubri, e regione plagæ, in qua Caſſanitæ. Hæc argumenta Lectoribus expendenda permitto.

Occurrit in Aſiâ ampla quædam regio *Yrac*, vel *Iracha*, eadem, juxta Baudrandum, ac vetus Aſſyria; ſed olim fortè anguſtioribus finibus *Yrach* continebatur. Urbs *Yrach* ad Euphratem, olim inclyta, regioni huic præeſt; ſed nimis a monte Maſio abeſt. Nomen *Jare* pronuntiari poteſt in Hebræo velut *Irach* vel *Ircha*; ut ſuſpicio inducatur, num eo nomine deſignata ſit *Hircania*, Mediæ proxima.

℣. 27. Aduram הדורם. Septuaginta Ὀδοῤῥὰ, *Odorra.* Poſteros Aduram conſtituit Bochartus in Arabiâ, juxta fretum Ormus & ſinum Perſicum. Eo loci conſtituit Plinius l. 6, c. 28, Drimatos, facilè ex Aduram ortos. Poſtremum inter Arabiæ promontoria ad Perſidem, eſt *Coredamum*, cujus affinitas eſt quædam cum Adurim.

Ut aliquid ad noſtram hypotheſim propiùs afferamus, Aduram in Meſopotamiâ non inviti conſtitueremus. *Atra* urbs eſt ad Tigrim, a Trajano ſubacta, juxta Ammianum. Urbs Dura in Meſopotamiâ conſtituitur a Polybio l. 6, c. 48; & altera ejuſdem nominis ad Tigrim in Aſſyriâ ab Ammiano.

Uzal. Urbs Uzal Metropolis Regni Aljeman vel Saba, in Arabiâ felici, eſt apud Bochartum, ex Authore libri *Juchaſim*. Ex Uzal Latini (f) reddiderunt *Auzar Auzaritis*, & *Myrrha Auzaritis* appellatur ejus regionis myrrha.

Ad noſtram ſententiam quod attinet, eſt ad Euphratem Arabiæ deſertæ Urbs *Auzara*, Meſopotamiæ finitima; eſt locus celebris *Zela* (t) in magnâ Armeniâ ſive Cappadociâ, unde regio *Zeletica*. Urbem Zela condidit Semiramis: ubi in edito loco Templum Deæ Anaidis, Armenorum religione inſignis, viſebatur.

Decla, דקלה. Nullæ occurrunt Bocharto ejus nominis gentes in Arabiâ; ſed loca quædam palmetis amœniſſima, quæ nomine *Decla* Chaldaicè, & Syriacè ſignificantur. E palmetis hiſce unum ſingulare memoratur in aditu Arabiæ felicis ad mare Rubrum, quod Veteres exactiſſimè deſcribendum omnino cenſuerunt: hìc a viro doctiſſimo Decla ponitur.

Aſſerit Plinius l. 6, c. 27, Tigrim, cùm leni amne in agris ſuo fonti proximis in magnâ Armeniâ fluit, *Diglito* appellari; cùm rapidior fertur, Tigris eſt: unde ſuſpicio, regionem illam Armeniæ, amnis fontibus proximam, Diglito ſive *Declam*, nuncupatam. Occurrit in Albaniâ Urbs *Declana*, & in Aſſyriâ *Degla*. Si quis verò maluerit loca palmetis nemoroſa, facilè occurrent in Armeniâ & Meſopotamiâ.

℣. 28. Ebal, הובל. Hebræus, *Hobal*. Hobal ejuſque poſteri ſunt Bocharto ad Occidentem maris Rubri, in regione Trogloditarum; ubi regio *Abalites* vel *Avalites*, & ejuſdem nominis Emporium.

Abimael eſt Bocharto Pater Malitarum, quos Teophraſtus (u) unam eſſe dicit e quatuor celeberrimis aromatum ubertate gentibus, in Arabiâ felici. Ait ille, *Malos* ipſiſſimos eſſe Molitas Ptolemæi. In minori Armeniâ eſt amnis *Melas*, qui e monte Argæo ducens originem, per minorem Armeniam influit in Euphratem. Adjacet illis urbs Melitene vel Melita, metropolis regionis ejuſdem nominis. In Arachoſiâ eſt Ptolemæo Urbs Maliana. Nihil hìc ſpectatum nomen *Abi*, ſonans *pater meus*.

Saba שבא. In hoc capite, uti jam obſervavimus, plures recurrunt Saba. Noſtrum hunc conſtituit Bochartus ad Erythræum, Minæos inter & Catabanos. Ejus nomine cenſentur Sabæi, gens aromatibus ſuis celeberrima. Præeſt regioni Metropolis, quam Geographi appellant *Sabam*, vel *Saben*, aut *Sabas*, *Sabe*: nec alia eſt *Moriacha* ſeu *Marab* Geographi Nubienſis.

Juxta noſtram hypotheſim, Sabæorum certæ ſedes in aliquo ex hìc expreſſis a nobis locis conſtituendæ

(f) *Plin. lib.* xii, *c.* 6. (t) *Vid. Strab. lib.* vi, *pag.* 386. *Plin. lib.* vi, *c.* 3. (u) *Hiſt. Plant. lib.* ix, *c.* 4.

℣. 29. Et Ophir, & Hevila, & Jobab: omnes isti, filii Jectan.
℣. 30. Et facta est habitatio eorum de Messâ pergentibus usque Sephar montem orientalem.
℣. 31. Isti filii Sem, secundùm cognationes, & linguas, & regiones, in gentibus suis.
℣. 32. Hæ familiæ Noë juxtà populos & nationes suas. Ab his divisæ sunt gentes in terrâ post diluvium.

COMMENTARIUS.

tuendæ; e.g. in Perside, ubi Dionysius Africanus *Sabas*, Ptolemæus *Sabaos* collocant. In Assyriâ prope Seleuciam est Urbs *Sabatha*; in majori Armeniâ est *Sabagene*, juxta Ptolemæum: ibi pariter sunt provinciæ *Sappacene* & *Sybacene*, juxta Geographos. Seligant Lectores ex his certam regionem Sabæ. Nomen illud longè latèque diffunditur per Arabiam, regionesque omnes transeuphrateas.

℣. 29. Ophir, אופיר, locant plerique in Indiâ; nos autem demonstrare conati sumus peculiari Dissertatione, sedes babuisse ad Isthmum, Pontum Euxinum & mare Caspium interjacentem; neque id prohibere, quin classis Salomonis ad Ophir navigasse dicatur. Quamquam verò fateri cogeremur, classem illam navigasse ad Indias, nullo negotio eò deduceretur aurum ex Ophir, si ponas, Salomonis ætate navigationes per mare Caspium frequentatas fuisse. Notat enim Plinius l. 6, c. 17, iter quoddam, quà ætate suâ merces ab Indiâ ad Pontum usque Euxioum vehebantur. Nullo etiam negotio ferri potuissent e regionibus ad Pontum Euxinum ad Indiam; navigiis enim impositæ merces illæ, per amoem Icarum, influentem in Oxum, io mare Caspium, quò Oxus devolvitur, secundo amne vehebantur. E mari per amnem Cyrum, quousque bic navigia patiebatur, transmissæ, tandem e navigiis depositæ, onerariis terrestri quinque dierum itinere deferebantur: tum Phasidi commissæ, ex eo in Pontum Euxinum perveniebant. Quæ cùm ita sint, nonne æquo planè molimine merces Ophir per amnem Cyrum secundo flumine in mare Caspium, ex eo ad Oxum, ab Oxo ad Indum amnem, bujusque secundis aquis in Oceanum veberentur? Ità planè aurum Ophir apud Indos erit. Malumus tamen statutum alibì systema retinere; vix enim persuademur, maritima itinera in Indiam ionotuisse ætate Salomonis & Jobi (x), apud quem de auro Ophir mentio.

Hevilah חוילה. Nostram de situ Hevilah sententiam expressimus, agentes de Paradiso terrestri.

Jobab. Defendit Bochartus, Jobaritas, sive, ut ipse legendum in Ptolemæo censet, Jobabitas ipsissimos esse Jobab posteros. *Jobab* Arabicè est desertum; & Jobatitæ regionem tenent io Arabiâ supra sinum Sachelitem, inter deserta loca desertissimam. Occurrit in Albaniâ Urbs *Jobula*; in Armeniâ *Ibam*, sed neutram e Jobab derivandam assererem. Neque etiam satis audacter affirmarem, pleraque e constitutis superiùs nominibus, de quibus conjecturas nostras dedimus, ita cum re congruere, ut proposito satis feliciter respondeant. Rerum, de quibus inquirimus, vetustas, locorum dissitum adeò intervallum, Imperiorum vices, populorum transmigrationes, nominum barbaries ita veritati officiunt, ut nihil supra. Investigasse saltem laudi erit nobis.

℣. 30. De Messa pergentibus usque ad Sephar montem Orientalem. De horum locorum situ nostram mentem alibi aperuimus (y). *Messa* est Bocharto Emporium & portus *Muza* (z), in Arabiâ ad Erytbræum. Erat Muzæ ad Orientem Urbs Saphar, Sepbaritarum Metropolis: verùm & Muza & Sephar meridionales erant Moysi; nec unquam legimus, Arabiæ regiooes nomine Orientis, *Kedem*, Moysem designasse; semper enim nomen illud usurpat de gentibus & regionibus ad Orientem Euphratis & Tigridis.

CAPUT XI.

Turris Babel construitur. Linguæ confunduntur. Genealogia Sem per Arphaxad usque ad Abraham.

℣. 1. ERat enim terra labii unius, & sermonum eorumdem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ERAT AUTEM TERRA LABII UNIUS ET SERMONUM EORUMDEM. Unius sermonis societate bomines inter se colligabantur, Adamici nempe, sive ille unus idemque esset cum Hebraico, Anno Mundi 1771.
sive ad Hebraicum quàm maximè accederet. Cætera ad hunc Textum exponendum congessimus in

(x) *Job* XVII, 24. & XXVIII, 25.
(y) *Genes.* II, 11.
(z) *Ptolem. Arrian. Plinius.*

Digitized by Google

℣. 2. Cumque proficiſcerentur de oriente, invenerunt campum in terrâ Sennaar, & habitaverunt in eo.

℣. 3. Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro ſaxis, & bitumen pro cæmento.

COMMENTARIUS.

Diſſertatione de confuſione Linguarum.

℣. 2. Cumque proficiscerentur de Oriente. Intermiſſam narrationis ſeriem, relatâ genealogiâ trium filiorum Noë, & cenſu poſterorum eorumdem, regionumque, quas ipſi frequentarunt, reſumit hìc Hiſtoricus. Conſtat inter omnes, primos illos mortales poſt diluvium appuliſſe ad montes Ararat in Armeniâ. Inde in ſubjecta arva & loca ante diluvium frequentata ſeſe explicarunt; tandem ſecundùm Tigrim & Euphratem ad terram Sennaar pervenere; quod nonniſi plurium annorum tractu uſuveniſſe credimus, & nullo alio facilè conſilio, quàm ut commodiſſimas quaſque ſedes procurarent. Sed tandem convenientes omnes in eum locum, quem fertiliſſimum reputarunt totius Orientis (a); intelligenteſque ſe ægrè diuturniorem moram ſimul ducturos, quòd numerus hominum eſſet major, quàm ut locus unus omnes ferret, uno conſilio editam maximè turrim condere ſtatuerunt, quò & nomen ſuum commendarent poſteris, æternumque ſocietatis ſuæ monumentum ſtaret ſimul, & nunquam deleretur memoria loci, unde digreſſi per varia orbis loca duxerunt colonias.

Sed adversùs hanc interpretationem quædam opponuntur; nimirùm eas Provincias, unde poſteros Noë deducimus, ſeptemtrionales eſſe, non Orientales Sennaar; habet autem Textus, homines illos ex Oriente veniſſe. Huic nodo ſolvendo plures Textûs interpretationes excogitatæ ſunt. Reddunt aliqui Textum: *Et cùm iviſſent versùs Orientem*, מקדם, *invenerunt campum in terrâ Sannaar.* Interpretationi huic non ſyntaxis tantùm Hebraica, ſed Geographia etiam opponitur; conſtat enim Sennaar meridionalem eſſe Armeniæ & Aſſyriæ. Vertunt alii (b): *Profecti ſunt ab exordio &c*; veluti ſi Moyſes inſinuaſſet, homines poſt diluvium primum iter ſuſcepiſſe in Sennaar. Ad id uſque ſe continuerunt in Armeniâ luciſque ad montem Ararat.

Autumavit Capellius (c), *Kedem* hìc deſignare regionem frequentatam deinde a *Kedem*, inter filios Iſmaëlis minimum; poſteros verò Noë, cùm e montibus Ararat in eam regionem veniſſent, rectà inde ſe contuliſſe in campum Sennaar, ubi turris ædificationem aggreſſi ſunt. Aſſyriorum loquendi morem ſecutum hìc Moyſem cenſet idem Bochartus; ſonat enim *Kedem* ſive Oriens, Aſſyriis, Imperii ſui Provincias omnes ultra Tigrim; ſicut *Arab* ſive Occidens, regiones cis amnem. Perſuaſum habuit Fullerus, primos illos homines e montibus Ararat in Mediam & Aſſyriam deſcendentes, ultra Tigrim excurriſſe; rediiſſe deinde Suſianâ in Babyloniam. Erat Suſiana regio ad Orientem Sennaar. Sed fruſtra hæc omnia; conſtat enim, in Scripturâ Orientis nomine cenſeri Aſſyriam, Meſopotamiam, uno verbo, quidquid ad Euphratem, & ultra amnem illum jacet. Bilaam accitum ſe dicit a Balac Rege Moab *de montibus Orientis* (d); veniebat autem e Pethor ad Euphratem. Magi veniebant ex Oriente & ab eâdem regione (e). Abraham apud Iſaiam XLI, 2, vênit ex Oriente in Chanaanitidem: veniſſe autem e Meſopotamiâ & Caldæâ quis neget? Cyrus apud eumdem XLVI, 11, venturus dicitur ex Oriente in Babylonem. Idem pariter IX, 12, conſtituit Syriam ad Orientem Judææ. Defectione Provinciarum Orientis, nempe trans Euphratem, conturbatum Antiochum Epiphanem ſcribit Daniel XI, 44. Vide quæ congeſſimus ad Gen. II, 8.

Pronum eſt utique ut credamus, poſteros Noë e Provinciis, Orientis nomine deſignatis, veniſſe in campum Sennaar, ſive ager ille ſit ad occidentem, ſive ad meridiem Provinciarum ejuſmodi Orientis. Verba illa, *Cùm proficiſcerentur de Oriente*, non id utique poſcunt, ut in Occidentem potiùs, quàm in meridiem pergerent.

Invenerunt campum in terra Sennaar. Niſi de certo Babylonis ſitu conſtaret, arduum eſſet maximè, locum terræ Sennaar diſtinguere; ſed cùm Babylonem Euphrati adjacuiſſe notum ſit, ſicut & Turrim Babelicam ſurrexiſſe in agro Sennaar; pariter intelligimus, Sennaar Meridionaliorem Meſopotamiæ plagam tenuiſſe. Septuaginta (f), & Chaldæi Interpretes uſurpant interdum pro *Sennaar* Babylonem; & Daniel I, 2, tranſlata dicit a Nabuchodonoſore vaſa ſacra Jeroſolymæ in Templum Dei ſui in terrâ Sennaar, nempe, ut omnes conveniunt, Babylonem. Tandem Hyſtiæo apud Joſephum, Antiq. *l.* 1, *c.* 5, & Abydeno apud Euſebium, Præpar. *l.* 9, *c.* 15, Sennaar eſt in Babyloniâ. Animadvertimus jam, nihil certi conſtare, an Urbs Babylon eo loci condita eſſet, ubi olim turris Babelica: ſed in agro Sennaar utramque conſtituit Scriptorum omnium conſenſus.

Quàm latè protenderetur regio illa, certi definiri non poteſt. Mentio eſt apud Geographos montis, amnis, & Urbis Singaræ in Meſopotamiâ ad Tigrim, in loco maximè a Babylone remoto, Septemtrionem versùs. Nomen autem illud facilè cum Sennaar confundendum שנער; cùm ע *hajin* ſæpè pronuncietur *g*. Facilè etiam mons Zagra vel Zagras, de quo frequenter Strabo, e Sinnhar vel Singar derivatur. Definit mons ille Babyloniam ad Septemtrionem (g). Latiſſimum itaque tractum occupaſſet Sennaar a Babylone ſecundùm Tigrim, Aſſyriam uſque versùs. Vide S. Epiphanium, qui in exordio Libri primi de Hæreſibus Sennaar collocat in Aſſyriâ.

℣. 3. Habueruntque lateres pro saxis, et bitumen pro cæmento. Hebræum חמר, chemar, quod

(a) *Plin. lib.* VI. *Herodot. &c.* (b) *Aquila, Onkelos, Targum Hieroſolym.* (c) *Apud Bochart. Phaleg lib.* 1, *c.* 7. (d) *Num.* XXIII, 7. (e) *Matth.* II, 1. (f) *Septuag. Zach.* V, 11. *Iſai.* XI, 11. (g) *Strabo lib.* XVI, *circa initium.*

℣. 4. Et dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum: & celebremus nomen nostrum, antequam dividamur in universas terras.

COMMENTARIUS.

quod redditur hìc *bitumen*, sonat etiam cæmentum ex luto & argillâ subactâ; & חמר, chomar, quod redditur *cæmentum*, iisdem planè literis ac prior illa *Chemar* scribitur; eamdemque admittit pronunciationem, si punctorum ratio mutetur. *Cæmentum* hìc idem sonat ac Latinum *cæmentum* ex minutis quibusdam lapidibus ac friabilibus. Juxta Hebræum reddi potest Textus: *Habuerunt lateres pro saxis, & lutum pro cæmento.* Sed Vulgatæ ac Septuaginta interpretatio sensum refert aptissimum.

Quid fuerit in causâ, cur homines lateribus uterentur pro saxis, & bitumine pro cæmento, illud reputant, nimirùm rariora fuisse in eâ regione saxa, unde pariter cæmenti raritas. Defectum autem hunc supplebant lateres ex humidâ & pingui humo facilè conficiendi: suppetebat denique scatens in eâ regione bitumen. Porrò de Babylonis bitumine nunquam non meminerunt Veteres, & posterioribus sæculis nonnisi lateribus & bitumine fabricatæ steterunt moles illæ Babylonis, sub Semiramide & Nabuchodonosore. Id facilè habuerunt præ oculis Septuaginta, cùm in eam sententiam Textum reddiderunt.

℣. 4. FACIAMUS NOBIS CIVITATEM ET TURRIM, CUJUS CULMEN PERTINGAT AD COELUM; i. e. juxta nonnullos, Civitatem cum turribus & munitionibus, *Civitatem turritam*, eximiæ proceritatis: quod posterius hyperbolicâ illâ phrasi expressum est, *cujus culmen pertingat ad Cœlum*. Homerus arborem proceram ita describit, ut Cœlum attingere dicat; & Virgilius de scopulis quibusdam eminentibus: *Minantur Cœlo Scopulos*. Horatius: *Sublimi feriam sidera vertice*. Porrò moles illa Babelica cùm præstitutam ab Authoribus suis proceritatem non attigerit, nec ejus mensuram definierit Scriptura, nihil eâ de re certi affirmaretur. Cùm tamen mira exaggerandi insitum sit plurimorum ingenium, non defuerunt qui certam ejus altitudinem dimetiendi sumpserint negotium; qua in re adeò modum excesserunt, ut ne veri quidem speciem retineant.

S. Hieronymus (*b*) aliorum testimonio narrat, Babelicam Turrim IV m. passuum tenuisse; Ado in Chronico, CLXXIV supra V millia: Judæi in Libro Jalcut, XXVII m. Ejus molis fundamenta ad bis mille passuum longitudinem porrecta describit Benjamin. Febrieius, oculatus testis, & Gujon vix mille passus circuitu æquare dicunt. Prophani, ad quos hujus Turris notitia, hominumque in eâ condendâ consilium manavit, illud Gigantomachiæ fabulâ expressere, cùm scilicet Gigantes

..... Magnum manibus refcindere Cœlum
Aggressi, superisque Jovem detrudere Regnis &c.

Sybilla apud Josephum, *Antiq. l.* 1, & Eusebium, *Præpar. l.* 9, ait: *Cùm omnes homines unâ linguâ uterentur, altissimam turrim ædificare cœperunt, velut per eam in Cœlum scansuri. At Dii, ventis immissis, turrim hanc evertère, & suam unique linguam attribuêre.* Consonant Eupolemus & Abydenus apud Eusebium, eodem loco. Censent plerique, Babylonicam Beli turrim, de qua Herodotus (*i*), eamdem esse ac Babelicam. Ea octo turribus, aliis super alias erectis, constabat, minoribus semper usque ad supremam, cui Templum Beli insidebat. Prima omnium turris, quæ cæteras sustinebat, crassitudine simul & altitudine stadii erat. Reliquarum magnitudinem, imò totius molis, omnino silet Herodotus; quæ tamen moles octo stadia seu mille passus altitudine suâ æquasse creditur. Herodoti ætate, ipso teste, adhuc existebat. Si verò Strabonem l. 16 consulas, ea moles, quam Pyramidem ipse appellat, nonnisi stadium, seù CXXV passus, latitudine & altitudine in quadrum implebat. Eam sub Xerse destructam asserit, ejusque restituendæ consilium Alexandrum agitasse: quare, saltem integra, Herodoti ætate esse non potuit. Diodorus Siculus l. 3, c. 4, & Plinius l. 6, c. 26, Herodotum secuti, eam Turrim suâ ætate adhuc superesse scribunt. Demque Turris Beli maximè alia videtur a Babelicâ Noë nepotum: hæc enim neque perfecta, neque ad Templi usum erecta fuerat: Turris Beli opus erat perfectum, pro sepulchro primùm, deinde pro Templo Beli habita. Nihilominus fieri potuit, ut Nemrod ipse, vel alius Babylonis Rex Turrim Beli primis hisce fundamentis, quæ Noëmici nepotes ante dispersionem cœperant, superstruxerit.

CELEBREMUS NOMEN NOSTRUM, ANTEQUAM DIVIDAMUR IN UNIVERSAS TERRAS. Hebræus: *Faciamus nobis nomen, ne fortè dispergamur*: veluti si ædificatâ urbe ac Turri, dispergi non possent; atque si dicerent: Donec certâ sede carebimus, difficilè sociam vivendi rationem servabimus, & nullo negotio dispergemur; communem igitur urbem pro communi Sede ædificemus: *Faciamus nobis nomen*: Sciant posteri hoc monumento nos simul convenisse; urbem excitemus, nostro de nomine appellatam. Ajunt alii, eos homines editam adeò turrim erigere voluisse, ut in eâ diluvium alterum minimè timerent. Quod sanè ineptissimè illos reputasse intelliget si quis animadvertat, in humillimo loco & inundantibus aquis maximè infesto, ædificium illud constitisse An fortè exciderat obstricta a Deo fides de aquis diluvii nunquam deinceps immittendis? Suspicantur alii Nemrod, ejus facinoris authorem incentoremque, arcem, tyrannidis suæ præsidium, in eâ turri excitare molitum fuisse.

Turris hujus ædificium molientes homines ab omni crimine purgant Rabbinorum nonnulli, uti Abenezra, Levi-Ben Gerson, quos Tostatus aliique sequuntur; sive omnes eâ cautione divisionis malo occurrendum censuerint, sive nominis sui apud posteros commendandi libidine tenerentur. Sed cur in insontes Deus animadvertit? An fortè vel linguarum confusionem, vel dispersionem duplicem esse pœnam negabimus? Cùm in Scripturâ legimus, Deum molimen illud exploraturum descendisse, quid hac phrasi, nisi judicis

(*b*) *Hieron. in Isa. l.* 5. *c.* 14. (*i*) *Herodot. l.* 1, *c.* 181; Ϛαδίου καὶ τὸ μῆκος καὶ τὸ εὖρος.

Digitized by Google

℣. 5. Descendit autem Dominus, ut videret civitatem, & turrim, quam ædificabant filii Adam.

COMMENTARIUS.

ad puniendum crimen adventus, desetibitur? Non dissimili verborum apparatu Deus ad evertendam Sodomam venisse exprimitur. Porrò in hanc sententiam Textum reddunt Maimonides, Onkelos, & Rabbinorum nonnulli; ita tandem & Patres (k). Denique Author Sapientiæ x, 5, consilium illud iniquitatis accusat; *In consensu nequitiæ cùm se nationes contulissent*.

Author est Cedrenus, Babelicam Turrim vi venti disruptam, suis ruinis Nemrodum oppressisse. Alii terræ motu dirutam scribunt. Beniamin cœlesti flammâ voratam; Eupolemus (l) Divinâ vi prostratam agnoscit, dispersosque Gigantes illius conditores.

Scitu dignissimum est, utrùm tam vasti ac veteris ædificii reliquiæ supersint. Nonnulli, qui regionem lustrarunt, asserunt, spectari in loco tribus leucis a Bagdat, inter Euphratem & Tigrim, in vastâ quadam planitie, magnæ turris rudera, quam indigenæ Nemrodi Turrim vocant, vulgus Babelicæ turris ruinas putat. Id autem vero propius est, quod finitimi Arabes narrant; hanc scilicet turrim, quam *Agarcouf* nuncupant, ab Arabe Principe conditam fuisse, ut instar phari, facibus in culmine accensis, omnes ejus subditos belli tempore convocaret. Circuitum ccc passuum circiter habet, altitudinem, quod superest, xx ulnarum. Lateribus sole siccatis constat, Regio pede in quadrum latis, trium pollicum crassitie. His quidam veluti lectus e tritâ arundine & paleâ substernitur, ita ut sex laterum ordines uni lecto insideant. Difficilè forma ædificii reperitur, cùm ex omni parte dirutum sit: quadratum tamen potiùs videtur fuisse quam rotundum.

Interpres Arabs, Chalcondylas, Curopalata, aliique, veterem Babelem in loco, ubi nunc Bagdat, collocant, crasso quidem errore; Bagdat enim ad Tigrim est, Babylon erat ad Euphratem, uno omnium Historicorum consensu, & a Bagdat longæ diei itinere absens, teste Texeirâ oculato. Asserunt alii (m), esse ad Euphratem oppidum nobile, Baldach, cujus incolarum fide propè eam urbem est ingens lapidum ac ruinarum acervus, veteris alicujus ædificii reliquiæ: quò tamen accedere vetitum est itineris difficultate, & venenatarum belluarum copiâ. Hæc verò fabulam sapiunt. Eum fuisse Babelicæ Turris locum, ejusque ruinis suam urbem fecisse illi opinantur. Vide nostram Dissertationem de Turri Babelicâ, ubi de his fusiùs.

Ambigunt nonnulli, num quo tempore molimen illud susceptum est, satis hominum esset in terrâ, quot opus poscebat. Octo tantùm homines e diluvio evasisse scimus; deinceps liberis caruisse Noë ferunt; adduntque, de hominum vitâ medium fermè spatium erasum. Nec seriùs ædificii hujus epocha constituenda est, quàm 150 annis post diluvium. Intra breves illos temporis fines genus hominum minùs valuit propagari, quàm ut de imminenti divisione cogitantes, consilium capere potuerint de turri adeò difficilis arduique operis excitandâ; ad quam tanto ardore se se conferrent, ut cogeretur Deus, immissâ linguarum confusione, illam hominum conspirationem dissipare.

Hisce verò reponimus, I, Turris hujus molem majorem fortasse reputari quàm esset re ipsâ. Facilè enim monumentum futurum erat hominum, quod excitare ante divisionem suam statuerint, memoriam posteris communis suæ societatis, affinitatisque; sicut olim eodem consilio Tribus Israël, quibus assignata trans Jordanem portio (n), monumentum ad amnem erexerunt, suæ cum Israëlitis eis amnem concordiæ affinitatisque. Eadem ergo reputantes homines illi, majoris operis molem illam facilè aggressi sunt. Sed præter consilium illud, in quo nihil esset reprehendendum, audaciæ erat plurimum & præsumptionis in re aliâ suscipiendâ, quod linguarum confusionem in homines provocavit. II, Exactissimis supputationibus demonstratur, intra spatium CXLIV annorum, quod a diluvio adusque Turrim Babelicam fluxit, genus hominum prorogari potuisse usque ad CCCC millia virorum, totidemque fœminarum; quamquam ponas, homines nonnisi post XX annos ætatis genuisse, & fœminas nullos emisisse gemellos; quod tamen ipsum fieri potuit. Deus enim, qui de vitâ hominum medium fermè spatium detraxerat, qui benedictionem & fœcunditatem illis impertitus fuerat, multiplicare genus hominum jubens, potuit etiam optimè generandi tempus præcocius indulgere. Quibus ex se certis fidem adstruunt majorem quæcumque de incremento filiorum Israël in Ægypto leguntur. Eò profectos legimus in Scripturâ non ultra LXX homines e familiâ Jacobi, quorum pars effœta jam habebatur: brevi tamen CCXV annorum spatio parva illa hominum manus ita crevit, ut DC millia militum armis aptorum ferret. Ut quid ergo intra CXLIV annorum intervallum homines e diluvio reliqui, non dissimili datâ proportione, & plus etiam augerentur; cùm maximè diuturniorem agentes vitam, & nutriendi infantes plus aliquid haberent commodi, & majori eos generandi cupiditate tenerentur, quàm Israëlitæ, prolixæ adeò servitutis incommodis affecti (o)?

℣. 5. DESCENDIT DOMINUS UT VIDERET CIVITATEM. Vulgaris est loquendi phrasis, insinuans, quantâ cautione de aliorum gestis factisque judicium ferendum sit; ac simul etiam demonstrans, hominum in eâ re vel opus vel saltem consilium crimine non vacasse.

FILII ADAM. Idest homines generatim; seu filii Adam hîc opponuntur filiis Dei, justisque, ab impii facinoris communione secretis, quos proinde nulla linguarum confusio seu criminis pœna affecit. Defendit Cajetanus, non omnes prorsus homines in agrum Sennaar coivisse; eò enim non venisse, nisi quos libido excitandæ turris urgebat. Censet pariter Genebrardus (p), non omnes Syriæ & Chanaan populos adfuisse. Sed vulgò Interpretes reputant, omnes simul homines in ædi-

(k) *Chrysost. hom. 30. in Genes. Aug. de Civit. Dei, l. 16, c. 4. &c.* (l) *Apud Euseb. Præpar. l. 9, c. 17.* (m) *Cornman in Templo Nat. pag. 289.* (n) *Josue* XXII. [o] *Vide, si lubet, Petav. de Doctr. Temp. c. 14.* (p) *Genebrard. Chron. ann. 1758.*

Digitized by Google

℣. 6. Et dixit; Ecce unus eſt populus, & unum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent a cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.

℣. 7. Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui.

COMMENTARIUS.

ædificium, ſed non eodem conſilio, conſpiraſse; Deum verò in eos tantùm animadvertiſſe, qui impio & ſceleſto animo molirentur. Primigeniam hominum linguam manſiſſe integram in familiâ Heber, aliiſque nonnullis, quorum erat mens ſancta.

℣. 6. NEC DESISTENT. Reddi poteſt Hebræus per ironiam (q): *Et non prohibebitur ab eis omne quod cogitaverunt ad faciendum.*

℣. 7. VENITE, DESCENDAMUS ET CONFUNDAMUS IBI LINGUAM EORUM. Hiſce aliiſque nonnullis planè non diſſimilibus Textibus, SS. Trinitatis dogma probant Veteres Patres. Malunt alii (r) faciliè reputari poſſe, Deum verba hìc feciſſe ad Angelos, quibus in confuſione linguarum adminiſtris eſt uſus. Vulgarem loquendi phraſim agnoſcunt tantùm Commentatores nonnulli, qua plurale loco ſingularis uſurpatur. Septuaginta in Vulgatis editionibus cum Vulgatâ legunt: *Deſcendamus & confundamus*; ſed olim, ſi fides Chronico Judæorum ſecundi Templi apud Druſium, legebant: *Deſcendam & videbo.* Quod ab Interpretibus illis ſubſtitutum eſt, inquiunt, ne apud Gentiles Judæi de invectâ multiplicitate Deorum venirent in ſuſpicionem. Animadvertiſſe juvat, turbatum eſse ſermonis Moſaici contextum; legimus enim ℣. 5 Deum deſcendiſſe, & ℣. 8 Deum conſilium agitaſſe deſcendendi; unde ſuſpicandi locus nonnullis de ſecundo quodam deſcenſu ſermonem eſſe ℣. 8.

CONFUNDAMUS IBI LINGUAM EORUM. Inter maxima prodigia, quæ in Scripturâ narrantur, linguarum confuſionem referri par eſt. Memoriæ, imaginationis, animi plerorumque hominum inverſio; habitudinem longâ plurium annorum aſſuetudine nutritam delere, ut quæ certâ pronunciandi ratione efferre conſueverant, ea ictu oculi aliis vocibus ſignificarent; id ſanè difficillimum eſt quod intelligatur. Hoc nihilominùs docet Scriptura, cùm Babelicam confuſionem deſcribit. Sunt qui, minorem prodigiorum copiam Divinæ majeſtatis incremento ſervire arbitrantes, omnem hanc Scripturæ narrationem naturali ratione explicare conantur. Quidam (ſ) aſſerunt, nullâ in hominibus ſermonis mutatione, ſolâque mentis & imaginationis inverſione, alterum alterius ſermonem minimè intellexiſſe.

Alii (t) ajunt, linguarum diviſionem Babylone non contigiſſe; at pleraſque familias, quas humanum genus numerabat, animis diſſidentes, invicem diceſſiſſe, cùm ad ea uſque tempora nonniſi unicam Provinciam frequentaſſent. Ea ſola diſceſſio, inquiunt, in communem omnium linguam diſcrimen invexit; ut ſola diviſio varias dialectos in Græcas familias invexit. Alii (u), S. Gregorium Nyſſenum ſecuti, aſſerunt, linguarum confuſionem in Deum authorem eſſe minimè refundendam, ac ſi Deus ipſe novam aliquam linguam homines docuiſſet, vel hominibus in varias linguas diviſis, quâ quiſque linguâ uti deberet, conſtituiſſet. Id verò ita contigiſſe, ut Deus, linguarum diviſionem inter homines oriri volens, quemque ſuo loqui arbitrio ſineret, ad conſuetas naturæ leges; imò naturalem hominis ratiocinandi vim, a Deo inditam, varios in hominum genus induxiſſe loquendi ſonos ac modos. Idem S. Pater notat, homines, quamdiù ſimul vixere, nonniſi unico ſermone uſos; cepiſſe tum diſcrimen, cùm illos Deus dividi ac ſeparari juſſit. Ita prodigioſa hæc mutatio diverſimodè explicatur: nos tamen magis obvium Scripturæ ſenſum ſecuti, nihil opus eſſe credimus violentâ explicatione, ut prodigioſam adeò Divinæ Juſtitiæ ultionem intelligamus.

Quæritur hìc, quot linguarum diſcrimina e Babelicâ confuſione orta ſint. Plerique Veteres linguarum numerum pro numero Principum familiâs, a tribus Noë filiis editorum, augent: ſed varietas, quæ inter Hebræum & LXX cernitur, in duas partes turbam Interpretum diviſere. Judæi omnes, iique Chriſtiani, quibus unicè in pretio ſunt Hebræus & Vulgata, ſeptuagenos tantummodò Principes familiarum numerarunt: plerique tamen Patres, Græci & Latini, omneſque LXX Interpretum aſſeclæ, eorum ductu, LXXII Principes familiarum, totidemque adeò linguas recenſuerunt. Moyſes ipſe variis hiſce ſententiis locum fecit iis Geneſeos X, 5, verbis: *Ab his diviſæ ſunt inſulæ Gentium in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundùm linguam ſuam, & familias ſuas in nationibus ſuis.* Et Deuteronomii XXXII, 8: *Separavit Altiſſimus filios Adam, conſtituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Iſraël.* Porrò filii Iſraël ſeptuaginta erant animæ, cùm in Ægyptum profecti ſunt (x).

Cenſuit Origenes (y), varias linguas inventum eſſe Angelorum; Angelos enim ſingularum Provinciarum Præſides ſuis quiſque gentibus linguam ſuam tradidiſſe. Solum primitivum ſermonem, ipſi Adamo a Deo datum, apud Hebræos ſervatum eſse, qui Hebræi nullius Angeli tutelæ crediti, Dei ipſius portio habiti ſunt.

Levia tamen hæc omnia: plures enim ex Noë nepotibus, qui decimo Geneſeos capite referuntur, poſt diſperſionem orti ſunt, neque certum eſt, confuſionis linguarum pœnam omnibus fuiſse communem. Facillimè variis familiis, regione finitimis, unicus fuit ſermo: quod de filiis Chanaan e. g. minimè ambigendum videtur. Denique nec ne-

ceſſa-

(q) ועתה לא יבצר מהם כל אשר יזמו לעשות: (r) *Aug. de Civ. l. 16, c. 6; & Origen. hom. 10 in Num.* (ſ) *Caſaubonus Junior.* (t) *Sentimens de quelques Theologiens de Hollande, lettre 19, pag. 434.* (u) Hiſt. Crit. du V. T. l. 1, c. 14. *Et S. Greg. Nyſſ. Orat. 12 contr. Eunom.* (x) Gen. XLVI, 27. (y) *Origen. hom. 11 in Num. Ita & Targum Hieroſolym. Rab. Gedolias, & alii Rabb.*

℣. 8. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare civitatem.

℣. 9. Et idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ, & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum.

℣. 10. Hæ sunt generationes Sem: Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium.

℣. 11. Vixitque Sem, postquam genuit Arphaxad, quingentis annis, & genuit filios, & filias.

℣. 12. Porrò Arphaxad vixit triginta quinq; annis,& genuit Sale.

℣. 13. Vixitque Arphaxad, postquam genuit Sale, trecentis tribus annis, & genuit filios, & filias.

℣. 14. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber.

℣. 15. Vixitque Sale, postquam genuit Heber,quadraginta tribus annis, & genuit filios, & filias.

℣. 16. Vixit autem Heber triginta quatuor annis,& genuit Phaleg.

℣. 17. Et vixit Heber, postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis, & genuit filios, & filias.

℣. 18. Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu.

℣. 19. Vixitque Phaleg, postquam genuit Reu, ducentis novem annis, & genuit filios & filias.

COMMENTARIUS.

cessariò, nec utiliter unicus sermo in tam multos dividi debuit: quare minor divisionum numerus statuendus est. Diffident tamen Eruditi, cùm eas linguas e Babelicâ confusione ortas seligere conantur, quæ cæterarum matres queant jure appellari. Quinque aliquibus; aliis sunt septem: Communiter verò hæ statuuntur, Hebraica, Græca, Latina, Sclavonica, Teutonica, Tartara, Sinica. Chaldæus, Syriacus, Chananæus, Punicus, Arabicus, Armenus, Æthiopius, Persicus, Hebraici sermonis surculi creduntur. Linguæ Græcæ, præter suas Dialectos, recentior Ægyptiaca subditur. Latina Volscos, Samnites, Etruscos, Italos, Hispanos, Gallos seu Francos suo quosque idiomate donavit. Teutonicæ debentur vulgaris Germanica, Helvetica, Suabica, Vestphalica, Austriaca, Hollandica, Cimbrica, ex qua Danorum, Suecorum, Norvegiorum, Anglorumque idiomata surrexere. Sclavonica Dalmatis, Moschovitis, Croatis, Polonis, Bohemis, Lithuanis, Vandalis linguam suam cuique suppeditavit. Tartarorum sermo Turcicum, aliosque in Europâ, produxit. P. Alexander post Bochartum, dubitat, num Persica lingua inter originales habenda sit. Vide in hanc rem fusiùs Authores Prolegomenon in S. Scripturam; & Bochartum, Geographiæ sacræ libro I, cap. 15.

℣. 9. Vocatum est nomen ejus Babel. Vocem *Babel* ad primigeniam hominum linguam itapertinere censet Grotius, ut cum nullâ, post invectam linguarum confusionem, congruat. Fatemur quidem e nullo vernaculo hominum sermone proximum nominis Babel etymon deduci; sed reputari posset non incongruè, suam habuisse originem post confusionem e sermone vernaculo regioni, ubi Babel erat. Obtinebat autem ibi Hebraicus, vel Chaldaicus sermo, in quo voces sunt Babel maximè affines. Balal בלל Hebraicè,& Bilbal בלבל Chaldaicè sonant confundere. Cùm autem linguæ illæ suas vices passæ sint, non incongruè reputaremus, radicem primitivam Babel antiquatam fuisse,vel pronunciatum Babel pro *Balbel*.

℣. 10. Hæ sunt generationes Sem. Institutam jam cap. x, 21, 22, genealogiam Sem resumit hìc Moyses. Cùm autem consilium illi esset dandæ viri hujus genealogiæ per Arphaxad, reliquis omnibus filiis Sem prætermissis, narrationis suæ fines constituit in familiâ Arphaxad, cujus genus adusque Abraham prosequitur; eoque veluti apparatu constituto, producit in medium vitam hujus Patriarchæ, cæteris omnibus neglectis, nisi quantùm argumento servirent.

℣. 12. Arphaxad genuit Sale. Medius inter Arphaxad & Sale est Cainan apud Septuaginta, de quo nos fusiùs in capite præcedenti.

Vixit Arphaxad . . . . . trecentis tribus annis. In Hebræo, in Paraphrasibus Chaldæis, Syriaco, & Arabico legitur 400. Variant hìc maximè Editiones Septuaginta. Complutensis, & Ms. Alexandrinum legunt 430; Editio Romana 300; Basileensis 330.

℣. 14. Sale vixit triginta annis, et genuit Heber. Samaritanus textus & Septuaginta legunt 300 annis.

℣. 15. Vixit Sale..... quadraginta tribus annis. Septuaginta 303, subductis hìc annis in superiori versiculo Sale ætati superadditis, ut tota supputatio cum Hebræo congruat.

℣. 18. Vixit Phaleg triginta annis &c. Samaritanus 130, Septuaginta 134.

℣. 19. Vixit.... ducentis novem annis Samaritanus textus, 209.

℣. 20.

℣. 20. Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug.

℣. 21. Vixit quoque Reu, poſtquam genuit Sarug, ducentis ſeptem annis, & genuit filios, & filias.

℣. 22. Vixit quoque Sarug triginta annis, & genuit Nachor.

℣. 23. Vixitque Sarug, poſtquam genuit Nachor, ducentis annis, & genuit filios, & filias.

℣. 24. Vixit autem Nachor viginti novem annis, & genuit Thare.

℣. 25. Vixitque Nachor, poſtquam genuit Thare, centum decem & novem annis, & genuit filios, & filias.

℣. 26. Vixitque Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran.

℣. 27. Hæ ſunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porrò Aran genuit Lot.

COMMENTARIUS.

℣. 20. REU... GENUIT SARUG. Idololatriæ originem ſub Sarug conſtituit S. Epiphanius *lib. de Hæreſibus*, iis fortè Sapientiæ XIV, 12. 13, verbis fretus, quibus docemur Idololatriam ex patre quodam ortam eſſe, qui rapti præmaturâ morte filii memoriam conſervavit; affirmans pariter, pictis tantùm Numinibus primos illos homines contentos fuiſse; ſimulacra verò ex metallo, ligno, & lapidibus invexiſſe Thare patrem Abrahami. Porrò culta a Thare Idola, Scripturâ ipsâ docemur, quemadmodum ſtatim demonſtrabitur; ſed nullo ſatis certo argumento evinceretur, vel ipſum, vel Sarug primos fuiſſe pernicioſi hujus moris auctores. Vetuſtior Sarugo Nemrod Idololatriæ pater conſtituitur, Judæorum traditione, aſſerente ignem ab eo primùm omnium conſecratum.

Scitè admodum Euſebius diſſerit, *Præpar. l.* 1, *c.* 6, *&* 9, de origine Idololatriæ. Habet igitur perſuaſum, pernicioſam illam luem in Ægypto cœpiſſe, unde peſſimâ contagione in Phœnices, tum in Græcos ac Barbaras gentes omnes derivatus eſt. Porrò Ægyptii ordinem, numerum, & ſapientiſſimas aſtrorum leges admirati, Numinis aliquid ineſſe in Lunâ & Sole arbitrati ſunt, Solem Oſiridis nomine, Lunam Iſide ſignificantes. His Numinibus prima ſacrificia, ait ille ex fide Porphyrii, herbæ erant, foliis, radicibus, fructibuſque ſuis ornatæ: illis enim igni impoſitis, fumus tollebatur, grata iis Numinibus ſuffumigia. Perpetuus ignis in eorum Templis ardebat, emblema Divinitatis expreſſum.

Non ambigit Plato (z), prima omnium apud Græcos Numina fuiſſe Solem, Lunam, ſtellas, terram, Cœlum. Ne nomine quidem noti erant apud primos illos mortales Jupiter, Saturnus, ac reliqua Deorum cohors: nullæ tunc ſuperbæ molis Templa; nulla in aris ſimulacra, quo tempore pingendi, cælandi, atque ædium ad normam erigendarum ars adhuc nulla innotuerat. Factus deinde ad homines & res alias creatas conſecrandas gradus; nec id honoris conceſſum viris ſapientiâ & probitate ſuâ eximiis, ſed omnium corruptiſſimis; quod ſpectari dicit Euſebius in Hiſtoriâ Phœniciâ Sanchoniatonis. Ex hominibus, quos hominum amor & æſtimatio conſecravit, ventum eſt tandem ad bruta quæque viliſſima, quin & pernicioſa; alia enim metus, alia grati quædam animi affectio ad id honoris evexit. Nec is malorum finis: nomen tandem Dei proſtitutum eſt plantis, amnibus, rebuſque cæteris contemptu & probro digniſſimis. Vide noſtram Diſſertationem de origine Idololatriæ.

E' Familiâ Cham (a) propagatum in mundum Idololatriæ malum credimus, quem virum Ægyptum frequentaſſe jam alibi probatum eſt. Demonſtratum eſt, ipſum eumdem ſub Jovis Ammonis nomine cultum obtinuiſſe apud Ægyptios; nec ambigimus, Græcos Deorum ſuorum nomina, cæremonias, & ſimulacrorum ſuperſtitionem recepiſſe ex Ægyptiis; quod ex ſe certum, docent apertiſſimè Herodotus l. 2, c. 4, Lucianus de Deâ Syriâ, Ammianus Marcellinus l. 22, aliique ſexcenti. Chanaan pater eſt Phœnicum, quorum frequentiſſimis navigationibus, atque itineribus, tum & deductis alià atque alià coloniis factum eſt, ut longè latèque per orbem Phœniciæ ſuperſtitiones & idola propagarentur. Tandem Chus, pater Nemrod & filius Cham, Chaldæos, Babylonios, & Aſsyrios corrupit, traditâ illis, quam ipſe acceperat a Cham, ſuperſtitione.

Nemrod, qua erat potentiâ, & bellici roboris virtute, e filiis Sem plures ſibi ſubactos, vel ad religionem, vel potiùs ad impietatem ſuam coëgit. Ipſe pariter Thare ejuſque Patres malum illud Idololatriæ in ſe fuerant experti: quas domûs ſuæ ſuperſtitiones num Abraham ipſe prioribus vitæ ſuæ annis ſecutus fuerit, ambigitur. Rabbinorum plures, quos laudat Genebrardus in Chronico ad A. M. 1949, aſserunt, virum illum ad ætatem uſque 48 annorum non Idola tantùm coluiſse, ſed & formaſse pariter, & formata vendidiſse. Verùm Suidas, voce *Abraham*, tradit, Patriarcham illum XIV annis natum, infuſo ſibi divinitus lumine, errorem Patris ſui Thare, ſimulacra cælantis ad vendendum, & agnoviſse, & ut pater agnoſceret, authorem fuiſse. Scribit Philo, *de Nobilitate*, Thare aſtris cultum impendiſse; Abrahamum verò Dei beneficio noviſse ſuperſtitionum ejuſmodi vanitatem. Verùm in libro de præmiis & pœnis aſserit non obſcurè Abrahami Idololatriam. Teſtatur Joſephus, *Antiq. l.* 1, *c.* 7, Abrahamum omnium primum ſatis animi habuiſse, ut aſsereret, Deum eſse unicum, cui uni Authori Univerſa deberentur. Vide infra ℣. 31.

℣. 26. VIXITQUE THARE SEPTUAGINTA ANNIS, ET

(z) *Plato in Cratylo, Præpar l.* 1, *c.* 6, *&* 9.

(a) *Geneſ.* X, 6.

℣. 28. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terrâ nativitatis suæ in Ur Chaldæorum.

℣. 29. Duxerunt autem Abram, & Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sarai; & nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ, & patris Jeschæ.

℣. 30. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos.

℣. 31. Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan: veneruntque usque Haran, & habitaverunt ibi.

℣. 32. Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.

COMMENTARIUS.

ET GENUIT ABRAM, NACHOR, ET ARAN. Videtur hic Thare tres liberos eodem anno ætatis suæ septuagesimo genuisse; primumque inter illos genitum Abrahamum; sed alibi legimus, Abrahamum inter fratres suos natu minimum fuisse; nec inviti credimus, Moysem hunc annum septuagesimum ætatis Thare notasse, veluti primum tempus, quo liberos generare cœpit, non quo tres illos genuit. Primus autem Abraham statuitur, alio planè, quàm ætatis, privilegio; ita pariter Sem prior ordine recensetur inter filios Noë, quamquam Japheto, tertium semper locum tenente, posterior. Moyses plerumque Aaronem, natu licèt majorem, præcedit. Docet Scriptura (b), Thare diem clausisse in Charan, 205 annorum ætate grandævum; Abraham verò ejus filium anno patris sui emortuali, ex eâdem Urbe decedentem, egisse ætatis 75 annos: ex quo rectè inferes, Abraham nonnisi anno ætatis Thare 130 genitum; quare junior est geminis fratribus suis, qui e Thare geniti sunt post annum ætatis ejus 70.

Qui censent, Sarai patrem habuisse Aran, aliâ etiam inductione probant, Abraham inter fratres suos natu majorem nequaquam fuisse. Sarai uxor Abraham agebat 90 annorum ætatem, quo tempore Abraham centesimum attingebat (c). Si *Aran*, pater, uti creditur, Sarai, ætate minor fuisset Abrahamo, genuisset Sarai octo vel novem annorum ætate, cùm Abraham nonnisi decennio Sarai præcederet. Sed multò verosimilius credimus, hæc quæ de Aran patre Sarai feruntur, nihil minùs habere quàm veritatem, uti infra ad ℣. 29, & ad Genes. XII, 13, & XX, 12, demonstrabimus. Cæterum persuasum habemus, Aran ætate majorem fuisse Nachor, cùm Nachor ipse Melcham ejus filiam duxerit. Ex his ergo omnibus intelligimus, Aran primum tenuisse ætatis ordinem inter filios Thare, Nachor secundum, Abraham postremum.

℣. 28. MORTUUS EST ARAN ANTE THARE PATREM SUUM. Obitûs Aran historiam exactissimè texunt Rabbini (d). Asserunt ex illis alii, virum illum a Thare delatum, quòd cultum igni dare recusaret, damnatumque Judicis sententiâ in succensam fornacem coram Patre suo injectum fuisse; quod verbis illis Scripturæ insinuatum credunt: *Mortuus est Aran ante*, seu *coram Thare patre suo*. Affirmant pariter, Abraham, injecto igne, Lararium patris sui succendisse; cùm autem Aran ex incendio servare Idola tentasset, voracibus flammis absumptum fuisse. Narrant tandem alii, Aran ad prodigium liberati fratris sui Abrahami ex incendio, quo a Nemrod damnatus fuerat ob denegatum Idolis cultum, in spem venisse futurum, ut ipse pariter idem beneficium promereretur a Deo, siquidem eâdem cum fratre suo Abraham ad Deum ipsum confessione, Numen sibi obstringeret. Palàm igitur coram Nemrod edixit, eumdem se colere Deum, quem Abraham; injectumque in fornacem statim arsisse. Si quis fabellas ejusmodi falsitatis evincere conetur, ille certè bonis horis abutatur. Censet S. Epiphanius (e), nunquam antea spectatum in mundo, ut filius ante patrem suum decederet; sed novo hoc ultionis genere animadvertendum fuisse in Thare, novorum Deorum molitorem. Vide etiam ℣. 31.

IN UR CHALDÆORUM. Septuaginta: Ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Χαλδαίων, *In regione Chaldæorum*. Isaacius Vossius (f) defendit, ita reddendum Græcum Septuaginta: *Obiit in terrâ nativitatis suæ, in Chora Chaldæorum*. Græcum *Chora* neque hìc appellativum esse, neque regionem exprimere, sed Urbem *Ur* vel *Hur*, literâ χ ch, aspirationis loco positâ. Defendunt tamen alii, Septuaginta de industriâ regionem Chaldæorum expressisse, ut scilicet eorum opinionem subverterent, qui nomen Ur in literali significatione de igne usurpant; ac fabellas e vocis ambiguitate fabricatas omnes eluderent. Vide articulum præcedentem, & infra ℣. 31.

℣. 29. ARAN PATRIS MELCHÆ, ET PATRIS JESCHÆ. Vulgò creditur *Jescha* ipsissima esse *Sarai* uxor Abrahami, quæ ex Aran fratre ipsius nata, viri sui neptis esset ex fratre. Ita narrant Josephus *Antiq. l. 1, c. 6*, S. Hieronymus, S. Augustinus *contra Faust. l. 22, c. 35*, Genebrardus, Tostatus, & Interpretum plurimi. Sed in hac opinione ardua sunt quædam: I, Nullo Scripturæ Textu demonstratur, Sarai alterum nomen Jeschæ habuisse. II, Abraham conjugem suam rogat, ut non conjugem se, sed sororem suam diceret; qua in re nihil nisi verissimum affirmaturam illam dixit: *Aliàs & verè soror mea est, & filia patris mei, & non filia matris meæ*. Hujus posterioris opinionis argumenta deducta habes ad Genes. XII, 13, & XX, 12.

℣. 31. EDUXIT EOS DE UR CHALDÆORUM. Plu-

(b) *Genes. XI, ℣ 31, & XIII, 5.* (c) *Genes. XXI, 5; & XVIII, 1; & XXV, 20.* (d) *Apud Lyr. vide etiam Hieronym. in quæst. Hebraic. in Genes.* (e) *Epiphan. de hæresibus lib. 1, tom. 1.* (f) *De Transl. Septuag. Interpret.*

Plores e nostris Interpretibus ex illo S. Stephani, Actorum vii, 2, 3, ducti, persuadentur, divinâ jussione factum esse, ut Thare ejusque familia ex Urbe Ur in Chaldæâ fecederent; venisse autem in Urbem Charan Mesopotamiæ. Referendum verò huc esse censeot præceptum, quod legitur cap. xii, 1, ubi de re totâ differemus. Vide etiam cap. xv, 7.

Nomen אור, *Ur*, quo Hebraicè ignis exprimitur, in eam persuasionem induxit Scriptores plures, id tantùm a Moyse insinuari, Abrahamum divino prodigio ex incendio a Chaldæis sibi parato eductum fuisse; eductumque recepisse se, unà cum Thare patre suo & fratribus, in Urbem Charan. Asserunt Judæi (*g*), virum hunc sanctum prodigio liberatum e succensâ fornace, cujus supplicio damnatus fuerat, quòd Chaldæorum Numina colere recusasset. Factum id jussu Nemrodi, asserit Paraphrastes Chaldæus ad Ecclef. iv, 13. S. Hieronymus in suis quæstionibus Hebraicis ad fabellas hæc omnia rejiciens, reddit tamen illud 2 Esdræ ix, 7, *Eduxisti Abraham de igne Chaldæorum*, pro *Ur Chaldæorum*.

Asserit Maimonides, Abrahamum carceri traditum, quòd Soli cultum impendere recusasset. Achior in Libro Judith, v, 6, &c. affirmat tantùm, Judæorum progenitores origine Chaldæos, quòd regionis & Patrum suorum superstitionem admittere renuissent, jussos a Deo Cœli, cujus religionem tenebant, e patrio solo discedere, post productam aliquo tempore moram in Charan, validæ famis vi in Ægyptum secessisse. Quæ ejus dicta suspicionem movent nonnullis, num & Abraham & Thare, ejusque familiæ cæteri, deferendæ Chaldææ causam habuerint, Idololatriæ horrorem. Non desunt etiam qui affirment, cultum veri Dei eò usque illibatum permansisse in familiâ Heber & Thare, vel saltem Abraham nunquam se Idolorum cultu fœdasse.

Hanc sententiam defendere videtur S. Augustinus *de Civit. l.* 16, *c.* 12, sed ibidem *l.* 10, *c. ultimo*, contrarium planè tuetur, asserens, Abrahamum, Dei vocantis beneficio, e superstitionibus Chaldaicis liberatum, ad cultum veri & unici Dei se contulisse: quæ quidem opinio & meliùs Scripturæ verbis cohæret, & Patribus atque Interpretibus sanè multis fulcitur. Josue xxiv, 2, verba ad Judæos faciens, habet: *Trans fluvium habitaverunt Patres vestri, Thare pater Abraham & Nachor, servieruntque Diis alienis*. Eadem repetit infra, ✠. 14. In hanc sententiam laudantur (*h*) S. Cyrillus, Author Recognitionum, S. Ephrem, Philo, Rabbinorum plures, Genebrardus, Masius, Scrarius, &c.

E subsequentibus etiam intelligimus, posteros Nachor, qui unà cum suâ familiâ sedes habuit in Charan Mesopotamiæ, regionis superstitiones (*i*) tenuisse omnes; quamquam veri Dei semina quædam cognitionis adhuc foverent. Censet Josephus *Antiq. l.* 1, *c.* 6, vertendi soli causam habuisse Thare mœrorem pro obitu filii sui Aran. Amori, quo erga Abraham filium suum tenebatur, id deputat S. Chrysostomus, *hom.* 31 *in Genesim*; sed patriam licèt deferens, ait, patriam tamen superstitionem retinuit.

Ur verò ad *Ur Chaldæorum* regrediamur, nomine illo certam Chaldææ urbem designari, cum Interpretibus plerisque ne ambigimus quidem. Sed de ejus situ non satis convenit inter plures. Urbs est in Mesopotamiâ nomine *Ura*, sex dierum itinere distans a Corduenâ (*k*), Nisibim versùs, & ab eâdem bidui itinere remota: porrò hanc urbem ipsissimam esse Ur Chaldæorum, censet Bochartus, & Grotius. Observat insuper idem Bochartus, nequaquam fieri posse, ut *Ur* in regione, quæ peculiari nomine Chaldæa appellatur, cis Euphratem constituatur, quin simul bis amnem trajecisse Abraham sine necessitate ponatur; I, ut ex Ur in Haran veniret; II, ut inde transiret in Chanaan. Quò autem ex Ur Chaldæorum in Haran deducatur, longo itineris circuitu opus est; cùm interim positâ Ur ad Nisibim, Haran rectâ euntibus ex *Ur* in terram promissionis occurrat.

Sed quo modo hæc omnia Scripturæ cohæreant, constituenti Ur non in Mesopotamiâ, sed in Caldæâ? Reponi his posset, Chaldææ nomen latiùs aliquando usurpari, ut Mesopotamiam omnem secundùm Tigrim complectatur. S. Stephanus de Abraham asseruit (*l*), venisse illum e Mesopotamiâ in Haran, cùm paulò infra egressum de terrâ Chaldæorum, ut veniret in Haran, commemorasset: quo satis ostenditur, Chaldæam & Mesopotamiam unam esse illi eamdemque regionem. Est Xenophonti Chaldæa regio Armeniam definiens; confundebat ergo, quantum intelligimus, Chaldæam cum Mesopotamiâ. Eadem species in Josepho (*m*), asserente, Abraham pulsum fuisse e Charan odio Chaldæorum, aliarumque Mesopotamiæ gentium. Non incongruè etiam arbitraremur, Moysis ætate sub generico Chaldææ nomine & Mesopotamiam interdum censeri.

Nec abs re etiam suspicaremur, inter varias gentes, quæ sibi in Mesopotamiâ sedes constituerunt, e posteris *Chased* patris Chaldæorum aliquos, eò pariter migrantes, Urbem *Ur* condidisse, cui proinde nomen *Ur Chaldæorum*. Qua tamen ætate Abraham egressus est, aliud fuisse loco nomen oportet; nondum enim inter homines natus erat Chased, pater Chasdim vel Chaldæorum: nihilominus quo tempore Moyses scribebat, ita locus appellabatur.

Est aliis *Ur* in Babyloniâ, sive in regione cis Euphratem, quæ maximè proprio nomine Chaldæa nuncupatur, in provinciâ *Auranitide*. Eodem in loco, quem occupat Caramina in Babyloniâ, Urbs est *Ura* vel *Uria* apud Eupolemum (*n*). Plures opinantur, *Ur* Chaldæorum ipsissimam esse Urbem *Orchenen* apud Strabonem, & *Orchoën* apud Ptolemæum in Chaldæâ, vel *Suram* (*o*) aut *Uram* ad Euphratem in Syriâ. Bocharti & Grotii sententia nihil habet sive Scripturæ repugnans sive incommodi.

VENERUNT USQUE HARAN. Receptum est communi persuasione, Urbem *Charras* ad Chaboram, fuso exercitu Crassi notissimam, cum Haran Scripturæ confundi. Hanc hodie pariter Urbem morâ Abrahami religiosam habent Saraceni. Nihil hîc habet Scriptura de Nachor, quasi cum Thare & reliquâ familiâ suâ in Charan se contulisset: rem

(g) *Vide Bereschit Rabab. & Hier. q. Heb.* (h) *Apud Bonfrer. Cyrill. contra Jul. lib.* iii, *in fine. Clem. Recognit. lib.* 1. *Ephrem Serm.* 2 *de Pœnit. Philo de Abraham. Rabbini passim. Mas. & Serar. in Josue.*
(i) *Genes.* xxxi, 19. (k) *Ammian. Marc. lib.* xxv, *c.* 26. (l) Act. vii, 2. *Deus apparuit . . . Abrahæ dum esset in Mesopotamiâ, priusquam moraretur in Charan.*
✠. 4. *Tunc exiit de terrâ Chaldæorum, & habitavit in Charan.*
(m) *Lib.* 1, *c.* 8. Χαλδαίων τε καὶ τῶν ἄλλων Μεσοποταμιτῶν. (n) *Eupolem. apud Euseb. Præpar. lib.* ix, *c.* 17. (o) *Ptolem. & Plin. lib.* v, *cap.* 24, *&* 26.

tamen, ne ambigens quidem, affirmat S. Augustinus *l. 16 de Civit. c.* 13; ejus enim viri posteros in eâdem Urbe sedem habuisse constat ex cap. xxiv, 4, ubi Laban in Charan sedem habens exhibetur. Asserit Josephus, *Antiq. l. 1, c. 6*, Thare migrasse in Charan cum universâ familiâ; inter quos S. Chrysostomus *hom. 31 in Gen.* recenset Nachor & Abrahamum.

Achior in Libro Judith v, 9, asserit, Thare & Abraham multos dies egisse in Haran, ut habet Textus Græcus, ἡμέρας πόλλας. Protogant Judæi moram illam ad xix annos; Lyranus ad xxv. Sed Chronologia, quam sequimur, ne integro quidem anno illos subsistere ibidem permittit, veluti constituens, Thare in itinere morbo correptum, ibi decessisse; quo satis functo, Abrahamum ex eâ Urbe recedere novo Dei mandato coactum fuisse: secundam enim Abrahami vocationem admittendam esse, infra demonstrabimus. Censuit P. Harduinus, Urbem Haran ipsissimam esse Palmyram, vel e Syriæ urbibus aliam; Mesopotamiam verò, de qua Scriptura, non regionem esse inter Euphratem & Tigrim, sed inter Euphratem & Jordanem. Fidem opinioni suæ adstruit e duplici Scripturæ Textu, nempe e 2 Reg. x, 16, & Judith II, 14. Sed novæ hujus sententiæ refutationem legas apud Cellarium, *Asia l. 3, c. 15*. Spanhemius in suâ historiâ Jobi distinguit Urbem Haran a Charris; utramque tamen ad Chaboram constituit, interjecto ultra xl. m. passuum intervallo.

CAPUT XII.

Abraham secundò vocatur ex urbe Charan. Divinæ ad illum promissiones. In Chanaanitidem veniens, divertit in Ægyptum. Pharao Saram viro rapit; postea restituit.

℣. 1. DIxit autem Dominus ad Abram: Egredere de terrâ tuâ, & de cognatione tuâ, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.

℣. 2. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus.

COMMENTARIUS.

Anno Mundi 2083.

℣. 1. DIXIT AUTEM DOMINUS AD ABRAM. Secundam hanc vocationem Dei ad Abraham Interpretum nostrorum doctissimi recognoscunt; quæ enim mandata Deus viro in Ur (a) dederat, hæc iterum in Charan repetit. Hic epocha constituitur 430 annorum peregrinationis, quos annos supputat S. Paulus *Galat.* III, 17, & habetur Exodi XII, 40, 41; clauduntur autem in egressu populi ab Ægypto. Duas hasce vocationes apertè distinguit S. Stephanus Act. VII, 5, 6.

Adversùs hanc sententiam opponunt, nunquam fieri tunc potuisse, ut Deus juberet Abrahamum secedere a domo patris sui, jam enim Thare ejus pater diem clauserat. Sed numquid non Abraham in medio versabatur familiæ suæ & in avitâ patris sui domo? Habemus autem persuasum, secundam hanc vocationem statim post obitum Thare contigisse: quamquam viri quidam docti censent, Deum verba fecisse cum Abrahamo ante obitum patris ipsius. Facile etiam verbis illis, *Exi de domo patris tui*, illud tantùm insinuatur, Deum illi præcepisse, ut domum sibi jam formaret, sibique commodum vitæ statum procuraret; cui sententiæ favent promissiones a Deo illi factæ, de quibus statim. An Deus vivâ voce cum Abrahamo locutus sit, an per quietem voluntatem illi suam significarit, incertum. Docet Munsterus, Deum illi voluntatem suam per Sem significasse.

VENI IN TERRAM, QUAM MONSTRABO TIBI. Abraham jure meritoque velut absolutissimum habetur exemplar fidei certioris, & obedientiæ omnibus numeris completæ. Jubet illum Deus secedere a familiâ suâ, e patriâ, spes omnes relinquere, & ad terram proficisci, quam nullo indicio distinguit; itineri se committere; quænam verò, minimè significat. *Abraham*, ait Apostolus *Hebr.* XI, 8, *obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, nesciens quò iret.* Hoc viri sapientis est potissimum, primus iste in itinere virtutis gressus, ut scilicet Deum sequamur (b).

℣. 2. BENEDICAM TIBI. Ita Abraham Deo paruit, ita fidem illi suam addixit, ut plura haberet tum credendi tum parendi incitamenta: nihil tamen in eâ re datum sensibus, sed eximiæ viri summi virtuti respondebant omnia. Magnificis utique promissionibus illum allicit Deus, luculentissimis, sed futuris & remotissimis; quin & talibus, ut carnales homines nequaquam tangerent. Benedictiones pollicetur: *Benedicam tibi*; omnem temporalium & spiritualium bonorum copiam, quæ vis est illorum verborum: *Benedicam tibi*; Prænunciat futurum, ut florentissimæ posteritatis esset pater: *Faciam te in gentem magnam*; ut ejus nomen inclytum esset & gloriosum: *Magnificabo nomen tuum*; bona tandem illi nullis certis finibus & mensurâ definita se collaturum pollicetur: *Erisque benedictus*; Hebræus: *Erisque benedictio*. Hæ congestæ in te benedictiones proverbio locum facient: Cumulet te Deus iis benedictionibus, quibus Abrahamum. Vide cap. XLVIII, 15, 16.

℣. 3.

(a) *Act.* VII, *c.* 3. (b) *Vide Ambros. lib.* 1 *de Abrah. c.* 2.

℣. 3. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ.
℣. 4. Egressus est itaque Abram, sicut præceperat ei Dominus, & ivit cum eo Lot: septuaginta quinque annorum erat Abram, cùm egrederetur de Haran.
℣. 5. Tulitque Saraï uxorem suam, & Lot filium fratris sui, universamque substantiam, quam possederant, & animas, quas fecerant in Haran: & egressi sunt ut irent in terram Chanaan. Cùmque venissent in eam,
℣. 6. Pertransivit Abram terram, usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem: Chananæus autem tunc erat in terrâ.

COMMENTARIUS.

℣. 3. In te benedicentur universæ cognationes terræ. Sive, juxta Chaldæum: *Propter te benedicentur*. Benedictionum, quibus gentes omnes inundabuntur, fons eris & origo. Ita verò largus in te benedictionum imber affundetur, ut in cæteras omnes gentes diffluat. Aliter: *In te*, i. e. *in semine tuo*, uti est cap. xxii, 18, in Filio tuo, in Messiâ, in Jesu Christo, vero gratiarum omnium & benedictionum fonte. Ita locum explicat Apostolus *Galat.* iii, 16. Si quis profectò per totam Abrahami vitam discurrat, nihil satis dignum e bonis temporalibus collatum viro huic deprehendet, quod promissionibus hisce respondeat. Res ergo erant alterius temporis, alterius vitæ, alterius generis bona; ex eo verò magis magisque excellentia fidei Abrahæ commendatur, quòd nunquam illa e gradu suo excidit, variis scilicet experimentis a Deo exposita: quamquam nihil habuit sensibile, quod sibi fidem divinarum promissionum adstrueret, stabilis semper in credendo permansit.

℣. 4. Septuaginta quinque annorum erat Abraham, cum egrederetur de Haran. Qui putant, Abrahamum in lucem prodiisse anno lxx Thare, nodum habent hìc, S. Hieronymi (*c*) & S. Augustini (*d*) opinione, inextricabilem. Et quidem si *Thare* defunctus est ccv annorum ætate senex; si Abraham ætatis ipsius anno lxx natus constituatur, rectâ inde consecutione deducitur, Thare diem clausisse anno Abrahami cxxxv, non lxxv, ut Scriptura testatur. Ut hoc incommodum tollant, reputant alii, annos lxxv Abrahami ducendos esse a subductione illius *ex igne Chaldæorum*, sive e primo ejus egressu *ex Urbe Ur*. Statuunt alii, bis ex Haran in Chanaanitidem iter Abrahamum suscepisse; semel anno ætatis lxxv, ante patris obitum, iterum verò anno cxxxv, cùm scilicet e Chanaan in Haran, supremis officiis Patri suo præstandis, rediit. Verùm si constituatur, quod a nobis factum est (*e*), annus Abrahami natalis ad cxxx Thare, statim omnia componuntur.

℣. 5. Tulit Abram - - - animas, quas fecerant in Haran; i. e. mancipia, vel quæ sibi comparaverant pretio, vel quæ e mancipiis sibi nata fuerant in Mesopotamiâ. Carebat liberis Abraham; sed Lot natas fortè credimus geminas filias; nam xxiv ab hinc annis, cùm Sodomâ digrederetur, nubiles jam erant puellæ. Asserit Josephus, sed gratis omninò, Abraham, antequam ex Haran diverteret, adoptasse sibi Loth. Paraphrastæ Chaldæi (*f*) voces illas, *animas, quas fecerant*, interpretantur de illis, quos Abraham ex avitis superstitionibus ad veram Religionem traduxerat. *In Haran*. Editio Romana Septuaginta: *Ex Charan*; sed Complutensis & S. Ambrosius (*g*): *In Haran*.

℣. 6. Usque ad locum Sichem, usque ad convallem illustrem. Sichem Urbs est in medio tractu longitudinis e septemtrione ad meridiem Chanaanitidis; & *Sichar* dicitur Joan. iv, 5. Non longè abest a Samariâ, & portioni Tribûs Ephraim adscribitur. Sichem appellat Moyses anticipatione quadam; nomen enim illud primò obtinuisse facilè credimus a Sichem filio Hemor, de quo *Genes.* xxxiv, 2.

Convallem illustrem. Hebr. אלון מורה *Elon more*: nomen est vallis circumjacentis Urbi Sichem. Vide Deut. xi, 30. Ferunt nonnulli (*h*), sed gratis omninò, eamdem esse ac vallem seu nemus *Mambre*, de quo cap. xiii, 18, situm infra Hebron. Septuaginta reddunt: *Ε'πὶ τὴν δρῦν τὴν ὑψηλήν*, *ad quercum altam*, sive *magnam*, *arborem altam*. Alii: *Ad quercetum visionis*, seu *horroris*; ad locum, ubi terribilis majestate Deus spectandum se præbuit Abrahamo. ℣. 7. Aliter: *Ad planitiem ostendentis*; Dei nempe subjicientis viri oculis universam, quam ipsi promiserat, regionem.

Nicolaus Damascenus apud Josephum, *Antiq. l.* 1, *c.* 8, & Eusebium, *Præp. l.* 9, *c.* 16, asserit, Abraham e Chaldæâ cum exercitu moventem, venisse Damascum, ubi aliquandiu regnavit, antequam in Chanaanitidem se conferret. Addit, viri nomen in universâ regione Damascenâ inclytum esse, situmque pariter ibi oppidum, cui nomen *Domus Abraham*. Trogus pariter (*i*) constituit Abrahamum inter Reges Damascenos, eamdemque regionem avitam fuisse censet Judæis. Nec sanè inviti assereremus, Abrahamum aliquo temporis spatio egisse in regione Damascenâ, dum ex Haran in terram promissionis contenderet, quæ via est regia e Mesopotamiâ in Palæstinam. Sed diuturnam ibi egisse moram, e Scripturæ testimonio ne-

(c) *In Quæst. Hebraic.* (d) *Vide August. quæst.* xxv *in Genesim, & de Civitate, lib.* xvi, 15. (e) *Vide sup. Genes.* xi, 27. (f) *Onkel. & Jonath.* (g) *Ambros. lib.* ii, *c.* 2, *de Abraham.* (h) *Syr. Arab. Vatab.* [i] *Justinus lib.* xxxvi, *c.* 2.

Digitized by Google

℣. 7 Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi Altare Domino, qui apparuerat ei.

℣. 8. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel, & ab Oriente Haï: ædificavit quoque ibi Altare Domino, & invocavit nomen ejus.

℣. 9. Perrexitq; Abram vadens, & ultrà progrediens ad meridiem.

℣. 10. Facta est autem fames in terrâ: descenditque Abram in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terrâ.

COMMENTARIUS.

gandum videtur: quin nec incongruè ex illâ inferretur, eodem anno venisse in Chanaanitidem, quò ex Haran secesserat; inferretur, inquam, ex capite xvi, 56, ubi natus Ismaël narratur anno Abrahami LXXXVI, & post ejus adventum in regionem decimo, ℣. 3. Suspicaremur etiam, historiam Abrahami, quatuor Reges, qui Loth captivum ducebant, insequentis usque Hobam vel Abilam Damasco proximam (k), & relatam de illis victoriam, occasionem præbuisse Historicis illis asserendi, quæ de Regno & exercitu Abrahami in Damasco scribunt.

Chananæus autem arat in terra. Ut quid hæc notat Moyses? Numquid alibi asseruerat, Chananæos non semper in eâ regione egisse; vel fortè cùm scriberet, alibi versabantur? Suspicantur plures, Glossam hanc e margine in textum irrepsisse, adscriptam facilè quo tempore Judæi regionem tenebant, & fortè additam ab Esdra, post captivitatem Babylonicam sacros Libros recensente. Malunt alii, Moysi authori adscribendam, ut magis magisque fidem, & obedientiam Abrahami commendaret, cultum veri Dei profitentis in medio Chananæorum, gentis, si qua alia unquam, corruptissimæ; spemque illius firmissimam, qua divinis promissionibus fretus eam se regionem obtenturum credidit, quæ a florentissimâ tunc temporis gente obtinebatur, quamquam nulla tunc illi spes effulgeret.

Censet Abenezra insinuatum a Moyse, Chananæos ex eo tempore terram occupasse, pulsis aliis ibi versantibus populis; vel potiùs additam eam sententiam Textui, post Moysis obitum. In eamdem fermè sententiam concedens R. Salomon, docet, Chananæos provexisse in dies ditionis suæ pomeria, ut tandem posteros Sem e sedibus suis, assignatâ sibi a Noë portione, expellerent. R. Moyses filius Nachman putat, Chananæos aliasque Palæstinæ gentes origine Nomades fuisse, tutmatim huc illuc errantes, nunc ad septemtrionem, nunc ad meridiem regionis.

Has omnes expositiones in tertiâ Epistolâ adversùs D. Froumont refutavimus; recensitisque ibi rationibus addendum succurrit, Moysem non obscurè designasse sedes Amorrhæorum, Hethæorum, Gergesæorum, aliarumque gentium (l): quod nunquam commisisset, si Nomadum more vitam agentes erraticam nullas habuissent certas sedes, ut proindè nihil ab illo definiri potuisset de regione illorum ad meridiem, ad Septemtrionem, & in montibus, &c.

℣. 7. Ædificavit ibi Altare Domino, qui apparuerat ei. Deus spectandum se facilè præbuit Abrahamo degenti in valle More, jussitque illum ibi subsistere. Facilè autem Abraham e Dei visione nomen indidit loco Vallem Visionis, atque in æternum rei monumentum ibi pariter Altare excitavit. Vertit Arabs, erectum ibi a viro sancto Altare Domino, qui spectandum sibi præbuerat Angelum suum. Arbitrantur Interpretes, omnes fermè veteris Testamenti Visiones, quæ Deo tribuuntur, ad Angelos esse referendas: qua de re nos alibi.

℣. 8. Inde transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel. Nomen Bethel anticipatione quadam exprimitur; non enim nisi longè posterioris ætatis est appellatio, uti satis constat ex Genesi xxviii, 19. Montes hic expressos ipsissimos esse Garizim & Hebal, censet Tostatus; sed utrumque remotum esse maximè ab Haï & Bethel, alibi (m) demonstrabimus.

Substitit Abraham in eodem Monte, ubi successu temporis condita Urbs Bethel; erexitque Altare ad Orientem ejus Urbis, quà vergit ad Haï. Observat Moyses, *Gen.* xiii, 3, Abraham ex Ægypto reducem contulisse se ad eum locum, quem Moyses sine addito *Bethel* appellat, ubi ille erexerat Altare. In eodem monte Deus apparuit Jacobo, & Jacob novum Altare excitavit (n).

Ab Occidente habens Bethel, et ab Oriente Hai. Procedens Abraham ad meridiem, tentoria fixit in monte Bethel, eam Urbem habens ad Occidentem, Haï ad Orientem: inter utramque spatium est leucæ circiter. In sortem Tribûs Benjamin ambæ venerunt. Pro *ab Occidente*, Hebræus habet *a mari*. Occidens plerumque nomine maris designatur, quòd scilicet reipsâ Mediterraneum occidentale sit Palæstinæ.

Ædificavit quoque ibi Altare Domino, et invocavit nomen ejus. Præter sensum Septuaginta (o) & Vulgatæ, duplicem alium admittit Hebræus: ויקרא בשם יהוה: Ædificavit ibi Altare, quod Domino consecravit; seu, quod appellavit Altare Domini Dei Abraham, ut scilicet eâ appellatione a prophanis aris Deorum Chanaanitidis distingueretur. Moræ suæ loca omnia Abraham exercitiu publicæ Religionis consecrabat, quod non segniter Moyses notat.

℣. 9. Progrediens ad meridiem. Hebræum נגב *Negeb* reddunt plerumque Septuaginta ἔρημον.

(k) *Cap.* xiv, 14. (l) *Genes.* 10, 15. *Vide supra in Cap.* x. (m) *Vide Comment. in Deut.* xi, 29.
(n) *Genes.* xxxv, 1. (o) Καὶ ἐπεκαλέσατο ἐπὶ τῷ ὀνόματι κυρίου.

℣. 11. Cùmque propè esset, ut ingrederetur Ægyptum, dixit Saraï uxori suæ: Novi quod pulchra sis mulier:

℣. 12. Et quòd cùm viderint te Ægyptii, dicturi sunt: Uxor ipsius est: & interficient me, & te reservabunt.

℣. 13. Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis, ut benè sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.

℣. 14. Cùm itaque ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptii mulierem quòd esset pulchra nimis.

℣. 15. Et nuntiaverunt principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis.

COMMENTARIUS.

μον, *solitudinem*. Sed Interpretes alii Græci & Latini præferunt Versionem Vulgatæ, Νότον, *meridiem*.

℣. 11. NOVI QUOD PULCHRA SIS MULIER. Nonnisi puerili illatione inferunt ex hoc Textu Rabbini (p), Abrabam ad id usque tempus a conjuge abstinuisse. Septuaginta (q) ita vertunt Textum capitis XVIII, 12, ut insinuare videantur, Abraham & Saram ab usu conjugii se continuisse. Sara LXV annorum ætate elegantis vultûs illecebris adhuc valebat adeò, ut proclivibus ad libidinem gentibus esset offendiculo. Longior erat tum temporis, quàm nostræ ætatis, vita, senectus remotior, & senectutis incommoda serius adveniebant: ipsa sterilitas illius venustati serviebat.

℣. 13. DIC ERGO, OBSECRO TE, QUOD SOROR MEA SIS. Non dolum & mendacium uxori suadet Abraham, uti suspicari visi sunt S. Chrysostomus Hom. 32 in Genes. & S. Ambrosius (r), rogat tantùm ut non conjugem se, sed sororem diceret; quod nonnisi verissimè assereret, si constituas, Saram eumdem habuisse cum Abrahamo Patrem, quamquam alteram matrem, uti Abraham ipse paulò infra exponit: *Verè soror mea est, filia patris mei, sed non filia matris meæ* [ſ]. Scripturæ pariter stylo, quæ maximè propinquos nomine fratrum & sororum donat, non mentiebatur, si statuamus Saram neptem fuisse Abrahami, nempe Aran, fratris illius, filiam, & proneptem Thare. Quemadmodum c. XIII, 8, Loth Abrahami ex fratre nepos, frater illius appellatur. Ex cap. XX, 12, 13. intelligimus, Abraham statim ac e regione suâ pedem retulerat, cum Sarâ convenisse, ut in similibus rerum eventibus non conjugem se, sed tantùm sororem diceret.

Origenes *Hom. 6 in Genes.* in eventu non dissimili, cùm scilicet Abimelech Rex Geraræ Saram rapuit, Abrahamum non de mendacio tantùm censuit arguendum, sed de proditâ etiam sponsæ suæ pudicitiâ. Agnoscit S. Chrysostomus (t) in hac Abrahami œconomiâ fictum aliquid & personatum, ad mortem evitandam. Fatetur, hunc Patriarcham exposuisse conjugem suam adulterio; illam autem committere se aleæ non renuisse, ut a vitæ discrimine virum suum servaret. Eò furoris devênit Faustus Manichæus (u), ut Abrahamum veluti infamem nundinatorem pudicitiæ uxoris suæ traduceret, quam scilicet geminis Regibus vendidisset, ob impotentem illam, qua in aurum ferebatur, cupiditatem.

Verùm ejus viri œconomiam omnem in re adeò difficili, apologiâ defendit S. Augustinus (x), mendacium prorsus ab illo amovens, quippe qui tantùm veritatem sive tacuerit, sive dissimulaverit. Cùm simul & semel in discrimen venisse intelligeret, & vitam suam, & conjugis pudicitiam ac liberratem; nec gemina ista sibi incongruentia mala evitare posset, quam optimam suggerebat mens, rationem inivit; neque enim tentandum sibi Deum judicans, utrique se committens discrimini, minus elegit, majus evitaturus. Divinæ providentiæ fidendum censuit, quæ, si vellet, Uxoris pudicitiam servatura fuisset; seque a discrimine mortis subducturus, quæ certa imminebat, si eam pro uxore prædicasset, Sororem voluit appellari. Exploratum habebat utique, sanctam illam fœminam, quamquam in corpore suo injuriâ affectam, nihil tamen iniquum admissuram voluntate in conjugem, ut proinde adulterium a Sarâ extortum, nihil in illam & in virum, quod ad ipsos pertinebat, criminis, sive infamiæ esset creaturum.

℣. 15. NUNTIAVERUNT PRINCIPES PHARAONI &c. Hebræus: *Principes Pharaonis viderunt illam, & laudaverunt*. S. Hieronymus legisse videtur יגידו, *Jaggidu*, nuntiaverunt, pro ויראו, *Jiru*, viderunt; quam lectionem retinent Septuaginta, Chaldæus, Syrus, & Arabs.

SUBLATA EST MULIER IN DOMUM PHARAONIS. [vers. 16.] ABRAM VERO BENE USI SUNT PROPTER ILLAM. Raptam a Pharaone fœminam illam, ut adscisceret sibi in uxorem, constat ex ℣. 19. Sed nunquam reputaremus, conjugium reipsâ celebratum, vel concessâ viris erga uxorem suam libertate cum illâ usum Regem, quamquam longioris temporis moram

(p) *Apud Grot. hic.* (q) *Genes.* XVIII, 12. Ἐγέλασε Σάῤῥα ἐν ἑαυτῇ, λέγουσα, οὔπω μέν μοι γέγονεν ἕως τοῦ νῦν. (r) *Ambros. lib. 1 de Abraham c. 2. Ut tueretur maritum, mentita est germanitatem, &c.* (ſ) *Genes.* XX, 12. (t) *Homil.* XXXII *in Genes. In adulterium uxoris consentit Justus, & quasi servit adulterio in mulieris contumeliam, ut mortem effugiat &c.* (u) *Apud Aug. lib.* XXII *contra Faust. c.* 33. *Quòd autem justum & fidelem virum matrimonii sui infamissimum nundinatorem appellans, avaritiæ ac ventris causâ duobus Regibus Abimelech & Pharaoni, diversis temporibus Saram conjugem suam, sororem mentitum..... in concubitum asserit vendidisse &c.*
(x) *Lib.* 1 *contra Mendac. c.* 10, *& lib. citato contra Faust. c.* 34, 35, 36; *& lib.* XVI *de Civit. c.* 19.

℣. 16. Abram verò benè usi sunt propter illam; fueruntque ei oves, & boves, & asini, & famulæ, & asinæ, & cameli.

℣. 17. Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus, propter Saraï uxorem Abram.

℣. 18. Vocavitque Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi? Quare non indicasti quòd uxor tua esset?

℣. 19. Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce conjux tua, accipe eam, & vade.

℣. 20. Præcepitque Pharao super Abram viris, & deduxerunt eum, & uxorem illius, & omnia quæ habebat.

COMMENTARIUS.

moram egisse Saram in domo ejus, inferiùs insinuatur. Id incommodi illatum a Deo Pharaoni censet Theodoretus *q. 62 in Genesim*, quo ad Saram accedere impediretur. Insinuatum id a Scripturâ credit: *Flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis*. Eumdem obtinuisse morem in aulâ Pharaonis, quem legimus in Libro Esther, censet S. Hieronymus in QQ. Hebraicis; unguentis enim & aromatibus perfundebantur parabanturque spatio plurium mensium. Regibus Persarum destinatæ uxores. Paria probantur S. Augustino (y). Hoc temporis intervallo, Ægyptii benè usi sunt Abrahamo, & Deus incommodo aliquo eum Regem affecit.

Tradunt nonnulli (z), Abraham docuisse Ægyptios Astrologiam & Arithmeticam; quas penitùs ante viri illius in suam regionem adventum ignorabant. A Chaldæis hæ artes in Ægyptum invectæ sunt; ex Ægyptiis in Græcos. Consuetudinis intercessisse plurimum Abrahamo cum Sacerdotibus Heliopoleos, quos & Astrologiam docuerit, asserit Eupolemus; quin & auditum a Rege Ægypti astrologiam docentem, asserit Artapanus. Addit, moram illum egisse ibi totis xx anois; quibus evolutis, digressum, e suis multos soli fertilitate illectos ibi reliquisse. Credimus tamen nos, Abraham ultra annum in Ægypto non substitisse. Cæterùm Astronomiam docuisse illum Ægyptios, quin & Phœnices etiam, ut asserunt, silente licèt Scripturâ, tamquam possibile admittimus. Chaldæos astrorum cognitione totâ antiquitate celebratos fuisse constat. Vide quæ disseruimus, agentes de Chronologiâ earumdem gentium.

℣. 16. Abram bene usi sunt. Summo nempe honore, muneribus cumulatus est, veluti cujus soror regiis nuptiis destinaretur. Asinæ et cameli. Septuaginta: *Muli & cameli*.

℣. 17. Flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis. Asserit Eupolemus (a), Deum sævissimo pestis flagello afflixisse non familiam tantùm Regis, sed & subjectum illi populum universum; consultosque ariolos respondisse, fœminam, quam sibi conjugem Rex destinaverat, nuptam esse Abrahamo; quare, malo averruncando, viro suo esse restituendam. Tradunt alii, defectione populi Regem illum punitum, additâ uxorum gregumque suorum sterilitate, ac subitis insoetisque morbis. Tradunt RR. Saram custodiæ Angeli fuisse commissam, qui conantem ad ipsam accedere Regem percutiebat. Censet S. Chrysostomus, Deum per se revelasse Pharaoni, Saram Abrahami conjugio fuisse copulatam (b).

Pharao notissimum est nomen, exprimens summam potestatem apud Ægyptios, ut observat Josephus (c), & infert S. Augustinus (d) ex illo Gen. XLVII, 26: *Ex illo tempore usque in præsentem diem Regibus* [Pharaonibus] *quinta pars solvitur*. Communis fuit Regum Ægypti appellatiò, saltem usque ad occupatum a Chaldæis Regnum. Ezechiel adhuc Pharaones appellat (e). Præter hanc communem Regibus omnibus appellationem, quemadmodum & gentium aliarum Principes *Reges* communi titulo nuncupabantur, *Sultani* apud Arabes, *Imperatores* apud Romanos, suo peculiari nomine singuli Ægypti Reges distincti sunt, uti Ramesses, Amenophis, Apries, &c. Demonstrat Bochartus, authoritate plurium Lexicorum Arabicorum & Cophtorum, nomen Pharaonis significare Crocodilum: an e Regibus in belluam, vel potiùs e belluâ in Reges transierit, incertum. Cûm autem Crocodilus inter animalia cultui destinata apud Ægyptios censeatur, communicare cum illis nomen probro sibi non ducebant Reges Ægypti. Ad nomen illud Crocodili Regi datum, spectare videtur Ezechiel in apostrophe ad Regem Ægypti: *Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum*. Derivari potest nomen ex Arabico פרע *Pharah*, qui elevatur, qui præest, teste D. Le Clerc in Genesim.

℣. 20. Præcepit Pharao super Abram viris, at deduxerunt eum, extra Ægyptum, metu ne quid injuriæ acciperet Sara ab Ægyptiis. Septuaginta & Samaritanus addunt, Loth in comitatu fuisse Abrami, cùm ab Ægypto discederet: quod cùm satis constet ex subsequentibus, longiùs illud perpendere supervacaneum videtur.

CA-

(y) *Quæst.* XXVI, *in Genes. & lib. de 8 quæst. Dulcit. quæst.* 7. (z) *Nicol. Damascen. apud Euseb. Præpar. Evang. lib.* IX, *c.* 16, 17, *&* 18, *vide & Joseph. lib.* 1, *c.* 8, 9. (a) *Apud Euseb. Præpar. lib.* IX, *cap.* 17. *Vide & Joseph. lib.* 1, *c.* 8. (b) *Homil.* XXXII *in Genes.* (c) *Joseph. Antiq. lib.* VIII, *c.* 2. (d) *Aug. lib.* 1 *quæst. in Genes. num.* 196. (e) *Ezech.* XXIX, 3, *&* XXXII, 2.

CAPUT XIII.

Abraham ex Ægypto in Chanaanitidem regreditur. Loth, facto ab illo divortio, Sodomam recipit sese. Abraham, de patrocinio Dei novis pollicitationibus certior, venit in vallem Mambre, juxta Hebron.

℣. 1. ASCendit ergo Abram de Ægypto, ipse & uxor ejus, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo, ad Australem plagam.

℣. 2. Erat autem dives valde in possessione auri & argenti.

℣. 3. Reversusque est per iter, quo venerat, a meridie in Bethel usque ad locum, ubi prius fixerat tabernaculum, inter Bethel & Haï;

℣. 4. In loco Altaris, quod fecerat prius, & invocavit ibi nomen Domini.

℣. 5. Sed & Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, & armenta, & tabernacula.

℣. 6. Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter.

℣. 7. Unde & facta est rixa inter Pastores gregum Abram & Lot; Eo autem tempore Chananæus & Pherezæus habitabant in terrâ illâ.

℣. 8. Dixit autem Abram ad Lot: Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter Pastores meos & Pastores tuos: fratres enim sumus.

℣. 9. Ecce universa terra coram te est: recede a me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ASCENDIT ABRAM EX ÆGYPTO .... AD AUSTRALEM PLAGAM, nempe terræ Promissionis, quæ septemtrionalis orientalisque est Ægypto. Septuaginta, uti supra animadvertimus c. XII, 9, habent solitudinem, quo loco nos *australem plagam*.

℣. 2. DIVES VALDE IN POSSESSIONE AURI ET ARGENTI. Hebræus: *Gravis valdè in pecore, in argento & in auro*. Vox Hebræa מקנה, *mikneh*, sonat fundos, supellectilem, pecuniam, pecus.

℣. 3. REVERSUS EST .... IN BETHEL. Veniens e Mesopotamiâ Abraham, ex Haran petiit Bethel; inde ad plagam meridionalem Chanaanitidis procedens (*a*), descendit in Ægyptum. Ex Ægypto redux, per australem Chanaanitidis plagam venit Bethel, nempe, ut aliqui arbitrantur, ad gratias ibi Deo agendas, quòd illæsus ex ingruentibus in Ægypto malis evasisset; restituisse se postea censent nonnulli in plagam australem Chanaanitidis. Et sanè haud longam traxisse in Bethel moram inde deducitur, quòd in subsequentibus Scripturæ capitibus, juxta Hebronem sedem habuisse exhibetur.

℣. 6. NEC POTERAT EOS CAPERE TERRA. Gregibus illorum simul & Chananæorum, veterum incolarum regionis, minora erant, quàm ut sufficerent, pascua. Separandi igitur fuerunt, quò jurgia Pastorum auferrentur.

℣. 9. ECCE UNIVERSA TERRA CORAM TE EST. Abraham ætate, divitiis, & potentiâ superans nepotem suum, integrum tamen illi permittit, ut in quamcumque mallet, regionem secederet. Mos est vetustissimus (*b*) vim habens legis, ut major ætate portiones distribuat, junior eligat.

SI AD SINISTRAM IERIS, EGO DEXTERAM TENEBO. Dexteræ nomine Chaldæi meridiem designant, lævæ septemtrionem. Ita verò spectandus est Abraham, quasi ex Ægypto veniens facie esset ad Orientem versâ. Hebræum תימן, *Theman*, quod meridiem sonat, derivatur ex ימין, *Jamin*, i. e. dextera. Apud Ægyptios, teste Plutarcho (*c*), dextera erat septemtrio, sinistra meridies; contraria

(a) *Genes.* XII, 9. (b) *Grotius. Vide August. de Civitate, l.* XVI, *c.* 20. (c) *Plutarc. de Iside & Osiride.*

℣. 10. Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Jordanis, quæ universa irrigabatur, antequam subverteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, sicut paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor.

℣. 11. Elegitque sibi Lot regionem circa Jordanem, & recessit ab Oriente: divisique sunt alterutrum a fratre suo.

℣. 12. Abram habitavit in terrâ Chanaan: Lot verò moratus est in oppidis, quæ erant circa Jordanem, & habitavit in Sodomis.

℣. 13. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis.

℣. 14. Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Lot: Leva oculos tuos, & vide a loco, in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem.

℣. 15. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo usque in sempiternum.

℣. 16. Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ. Si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit.

COMMENTARIUS.

traria omnia apud Hebræos. Apud veteres Græcos dextera erat Oriens, sinistra Occidens, utì ex Homero (*d*), Pythagorâ, Platone, & Aristotele. Astronomis, Aruspicibus Ethruriæ, & Poëtis, eodem cum Ægyptiis more, dextera usurpatur pro septemtrione, sinistra pro meridie (*e*).

℣. 10. Quæ universa irrigabatur - - - sicut Paradisus Domini, et sicut Ægyptus. Comparat Moyses regionem Sodomæ, ante ejus Urbis & proximarum eversionem, terrestri Paradiso & Ægypto. Totam autem ejus amœnitatem collocat in ubertate aquarum Jordanis, quæ nempe, antequam admixtione bituminis corrumperentur, regionem illam irrigantes, pingue reddebant solum, & pascua sufficiebant lætissima. Ejus amœnitate pellectus Loth, hanc unam sibi inter cæteras omnes sedem elegit.

℣. 11. Recessit ab Oriente. Ex serie sermonis vertendum potiùs videretur: *Recessit ad Orientem*; Orientalis est enim Pentapolis, i. e. regio Sodomæ, & quatuor proximarum Urbium, quò se recepit Loth, ad regionem, in qua Abrahamum reliquerat. Demonstrat Grotius, hanc vertendi rationem nihil habere Hebræo repugnans, congestis pluribus Scripturæ locis, ubi propositio *Min* (*f*) sonat *ad*, *versùs*. Eodem sensu Textum reddit Onkelos: *Elegit universum pratum Jordanis, & recessit Orientem versùs.*

℣. 12. Loth moratus est in Oppidis, quæ erant circa Jordanem, et habitavit in Sodomis. Hebræus reddi commodè posset: *Loth moratus est in regione, quæ est in planitie Jordanis.* Greges suos deduxit in subjecta Urbibus ejus regionis arva. Tandem *moratus est in Sodomis*, sive *tentorium fixit juxta Sodomam* (*g*). Porrò sedem illum habuisse in postremâ hac urbe, ex infra dicendis constabit; sed non statim moram ibi suam constituisse facilè credimus. Non incongruè etiam Textus verteretur (*h*): *Loth, cùm recessisset ab Abraham, divisit greges suos per agros subjectos urbibus in planitie Jordanis: sed ipse habitavit in Sodomis.* Septuaginta vertunt: *Habitavit in Urbe circa Jordanem, & tetendit tabernaculum in Sodomis.*

℣. 15. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, et semini tuo usque in sempiternum. Hujus oraculi fides ad literam neque in Abrahamo, neque in Isaaco, neque in Jacobo impleta est: nihil enim, vel minimum, possedit Abraham in Chanaanitide, ait S. Stephanus *Act.* VII, 5; nec post Abraham Patriarchæ, usque ad Davidem & Salomonem, designatam hìc regionem universam subjectam sibi habuerunt: nec pariter tam longo temporis spatio regionem hanc possederunt, quantum exprimitur verbis illis, *usque in sempiternum*, quamvis etiam illa usurparentur tantùm pro longissimo tempore, paris cum mundo durationis. Observat S. Augustinus *in Genes. quæst.* 31, promissionibus illis hanc tacitam fuisse conditionem;

(d) *Homer. Iliad.* N.
Εἴτ' ἐπὶ δεξί' ἴωσι, πρὸς ἠῶ τ' ἠέλιόν τε
Εἴτ' ἐπ' ἀριστερὰ τοίγε ποτὶ ζόφον ἠερόεντα.

(e) *Theon. Schol. in Phænom. Arati.* τὸ δεξίτερον σημαίνει τὸ βορειότερον ἡμῶν γὰρ ἱσταμένων πρὸς τὴν τοῦ παντὸς κίνησιν, τὰ δεξιὰ μέν ἐστι τὰ βόρεια, τὰ δὲ ἀριστερὰ τὰ νότια. *Et Cleomedes*: Δεξιὰ τοῦ κόσμου τὰ πρὸς ἄρκτον, εὐώνυμα δὲ τὰ πρὸς μεσημβρίαν. (f) מקדם. *Vide Genes.* XI, 8, & 1 *Reg.* XIV, 5. & 2 *Reg.* II, 2, *collatum cum* 1 *Paral.* XIII, 6. (g) ויאהל עד סדם *Septuag.* Καὶ ἐσκήνωσεν ἐν Σοδόμοις. *Tetendit tabernaculum in Sodomis.*

(h) ולוט ישב בערי הככר ויאהל עד סדם

℣. 17. Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine suâ: quia tibi daturus sum eam.

℣. 18. Movens igitur tabernaculum suum Abram, vênit, & habitavit juxta convallem Mambre, quæ est in Hebron: ædificavitque ibi Altare Domino.

COMMENTARIUS.

nem; si nimirum Hebræi mansissent in fide: neque enim, ut a regione illâ pellerentur, aliud poterat esse in causâ, quàm ipsa populi in Deum scelera. Præstat tamen, dicta illa usurpari de alterius terræ ac vitæ promissione, quarum rerum hæreditas assignaretur populo, fidei suæ ducem & exemplar in Abrahamo habituro (*i*).

℣. 17. SURGE, PERAMBULA TERRAM &c. Veluti si diceret Deus Abrahamo: Si Loth certam sibi regionis portionem elegit in sedem, committam ego, ut latior tibi assignetur hæreditas, totam enim tibi promitto regionem. Ito igitur, terram universam perambula: nullos tibi limites præscribo.

℣. 18. JUXTA CONVALLEM MAMBRE. Vertì posset: *In Querceto* (*k*), sive *in planitie Mambre*. Vallis hæc, ubi nemus erat, adjacet monti, cui Urbs Hebron insidet. Nomen Mambre obtinuit a Mambro Amorrhæo, ejus regionis Principe (*l*).

CAPUT XIV.

Bellum Codorlahomor, fœderatorumque adversùs Reges Pentapoleos. Loth captus abducitur. Abraham insequutus victores, Loth reducit. Melchisedech benedicit Abrahamo: & ille vicissim Melchisedecho donat prædæ decimas.

℣. 1. FActum est autem in illo tempore, ut Amraphel Rex Sennaar, & Arioch Rex Ponti, & Chodorlahomor Rex Elamitarum, & Thadal Rex Gentium

COMMENTARIUS.

℣. 1. FACTUM EST IN ILLO TEMPORE, UT AMRAPHEL REX SENNAAR &c. Hebræus (*a*) & Septuaginta notant, sub Amraphel Rege bellum illud gestum esse. Onkelos Amraphelem *Regem Babylonis* appellat; Jonathan & Paraphrastes Jerosolymitanus *Regem Ponti*. E Textu hujus loci insinuatum videtur, Amraphel Imperatorem fuisse & authorem hujus expeditionis; cæteros verò Reges habuisse sive fœderatos, vel etiam tributarios: sed ex subsequentibus constabit, Chodorlahomor principem habuisse inter illos locum, authoremque fuisse belli. Sunt qui credant, Amraphelem Assyriæ & Babyloni imperasse, tamquam e Nemrodi successoribus unum; quin & ipsissimum Nemrod censet Targum Jerosolymitanum, & R. Salomon. Asserit Josephus *Antiq. l. 1, c. 9*, exercitum illum ex Assyriis collectum fuisse, sub quatuor Imperatoribus. Constat inter omnes, Assyriorum Monarchiam omnium, quotquot noverimus, esse vetustissimam; & ex Manethone intelligimus (*b*), Ægyptios populi hujus potentiam semper metuisse, cum augendam maximè in dies prævi-derent. Eupolemus apud Eusebium, *Præpar. l. 9 c. 17*, Armenos fuisse quatuor illos Reges testatur. De regione Sennaar egimus ad Genesis x, 10.

ARIOCH REX PONTI. Hebr. מלך אלסר, *Rex Elasar*. LXX: Βασιλεὺς Ἐλλασὰρ, *Rex Ellasar*. Symmachus: Βασιλεὺς πόντου, *Rex Ponti*. Quid causæ fuerit, cur S. Hieronymus versionem Symmachi a Procopio *in Genes. xv*, relatam (*c*) sequi hîc mallet, atque pro *Ellasar* Pontum interpretaretur, incertum est. Septuaginta & Onkelos originalem vocem *Ellasar* servarunt, de cujus significatione varii varia. Sunt qui designari credant urbem *Elladem* in *Cœlesyriâ* apud Stephanum; alii malunt *Ellatium*, quam Urbem Josephus *Elar*, Scriptores alii *Elealam* appellant. *Elizariis*, Arabiæ populis apud Ptolemæum, præfuisse Arioch, Grotius suspicatur.

Jonathan vertit: *Arioch Rex Talassar*; Syrus: *Rex Dalasar*. Porrò Talassar regionem fuisse credimus sive intra, sive non longè ab Assyriâ & in Provinciâ *Eden*; cùm de filiis Eden, qui erant in Thalassar, sermo fit Isaiæ xxxvii, 12; & ex eodem Pro-

(i) *Aug. de Civit. l. 16, c. 22.* (k) באלוני (l) *Genes. xiv, 13.*
(a) מלך אמרפל. *Septuag.* Ἐν τῇ βασιλείᾳ τῇ Ἀμαρφάλ. (b) *Apud Joseph. l. 1 contra Appion. pag. 1039, Edit. Genev. 1635.* (c) *Vid. nov. Edit. Hexaplorum Origenis.*

℣. 2. Inirent bellum contra Bara Regem Sodomorum, & contra Bersa Regem Gomorrhæ, & contra Sennaab Regem Adamæ, & contra Semeber Regem Seboïm, contraque Regem Balæ, ipsa est Segor.

℣. 3. Omnes hi convenerunt in vallem Silvestrem, quæ nunc est mare salis.

℣. 4. Duodecim enim annis servierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno recesserunt ab eo.

COMMENTARIUS.

Prophetâ intelligamus, provinciam Thalassar, unà cum cæteris ad Tigrim, Regum Assyriæ armis cessisse. Porrò *Allasar* & *Thalassar* affines sunt voces, & in capite vocum, non semel adduntur literæ *T* vel *S*. Est in Armeniâ Provincia *Acilixene*, quæ nomen suum debet Zalissæ, urbi metropoli; erat autem provincia illa olim Sophenes portio, uti constat ex Strabone *l.* xi. Cum autem *Sophene* ad Mediam usque porrigeretur, suo complectebatur sinu regionem *Eden* & *Thalassar*. Quare tenendam non incongruè ducimus interpretationem Jonathan, ut Arioch Rex sit Thalassar, sive regionis ad fontes Tigridis, ac fœdere junctus fuerit cum Assyriis, regioni suæ finitimis populis. Hæc majori veri specie asseruntur, quam si constituatur Rex Ponti, regionis utique multùm remotæ a cæteris Regibus, quibuscum junxerat copias. Quæ superiùs observavimus ex Eupolemo, nimirùm copias illas ex Armenis collectas, confirmant ea quæ de regione Thalassar hìc disputavimus.

Chodorlahomor Rex Elamitarum. Jam alibi observavimus, Elam (*d*) sive Persicam designare, sive Persidi proximam regionem. Symmachus addit: *Rex Scytharum*; Arabs: *Rex Chorasan*, i. e. *Chorazan*, quæ regio est in Perside amplissima. Angustioribus continebatur finibus *Elam*. Non longè erat ab Assyriâ, & fortè fœderata. Regni hujus quantæ essent vires, ex eo intelligimus, quòd in hoc capite ℣. 4, 5, legamus, subjecisse sibi Pentapolim, dissitam a Regno suo Provinciam.

Thadal Rex gentium. Hebræus מלך גוים, *Rex Goim*. Symmachus: Βασιλεὺς Παμφυλίας, *Rex Pamphyliæ*. Syriacus, *Taral Rex Gelitarum*. *Gelæ* occurrunt apud Plinium, & *Gelæ* apud Ptolemæum, tenentes in Mediâ loca Parthis finitima. Hunc Regem ditionem suam habuisse in Provinciâ, sive in Urbe *Goim*, censet Vatablus; sed hujus nominis sive Provincia sive Urbs nulla apud Geographos seu veteres seu recentiores occurrit.

Masius aliique nonnulli censent, Regi *Goim* paruisse Galilææ portionem illam, quam Scriptura (*e*) *Galilææ Gentium* nomine distinguit; creditur tamen illud idem nomen minorem habere, quam Moyses, vetustatem, cùm neque in Josue occurrat, ubi cæteroqui non semel Galilæa. Persuasum habetur, non priùs illud auditum, quàm post locatas ab Israëlitis sedes in superiori Galilæâ; tunc enim inferiorem appellarunt *Galilæam Goim*, i. e. Galilæam Gentium, quòd Phœnicibus incolis frequentaretur.

Ajunt alii, Thadal appellari Regem Nationum, quòd ditioni suæ haberet subjectam gentem minus, quàm cæteras, notam, a cujus proinde nomine abstinendum censuit Moyses. Reputari etiam posset, Hebræum *Goim* designare populos e variis locis in unam urbem atque in ditionem Regis Thadal collectas. Notant loca quædam Geographi, a collectitiis hisce gentibus, incertæ & obscuræ originis, frequentata; cujus generis nonnulla circa Mediam collocat Strabo l. 11. Quin & Mesopotamia ferè universa, eodem teste, l. 2, plures habebat ejus generis incolas. De *Rege Goim juxta Galgalim* sermo est Josue xii, 23. Potuit ergo Thadal in censum referri Regum *Goim* ad Galgalim, Pentapoli proximum, qui vel fœdus adhuc cum Chodorlahomor, vel etiam fortasse obedientiam illi servabat, cæteris quinque Urbibus ab illo deficientibus.

Apud Septuaginta in eodem Libro Josue occurrit Rex quidam *Nationum in Galilæâ*. Profectò quæ potissimùm nomine illo distinguebatur regio, sita erat in Transjordanis, uti constat ex Isaiâ ix, 1, S. Matthæo iv, 15, Eusebio, & S. Hieronymo *in locis*. Septemtrionalis Palæstinæ plaga universa frequens erat Arabibus, Ægyptiis, Phœnicibus, si Straboni, l. 16, fides. Quinque Reges prælio victi eò confugerunt. His umbra quædam veritatis adstruitur opinioni, statuenti in eo regionis tractu Regnum Thadal.

℣. 2. Bara Regem Sodomorum. Vulgò in Tabulis Geographorum Sodoma constituitur proximè ad ostia Jordanis, in mare mortuum influentis, in loco maximè ad Septemtrionem ejusdem maris. Re tamen ipsâ collocandam ducimus prope extremam meridionalem oram ejus maris; cùm Segor, effugium Loth e Sodomâ sese recipientis, ad meridiem esset ejusdem maris in Arabiâ Petræâ.

℣. 3. Convenerunt in vallem sylvestrem. In versione hujus Textûs עמק השדים variant Interpretes, quorum alii vocem Originalis servant, Vallem *Hassiddim*; alii (*f*) reddunt: *Vallem campestrem*, quod deducunt ex *Sade*, ager. Alii: *Vallem vastatorum*, ex שדד, vastare. Alii: *Vallem calcis*, ex שיד, *calx*. Ita Abenezra. Targum Jerusalem; *Planitiem pomariorum*. Symmachus & Theodotion: Ε'ν κοιλάδι τῶν ἀλσῶν, *in valle nemorum*. Aquila: Ε'ν τῇ κοιλάδι τῶν περιπεδίνων, *in valle circum campestria*. LXX: Φάραγγα τὴν ἁλυκήν, *vallem salsam*, quod illis succurrit ex bitumine, quod in agro Sodomitico scatet; bitumen enim non raro sal appellatur. Syriacus: *Vallem Sodomitarum*; Arabs: *Pratum agrorum*.

Quæ nunc est mare salis. Sub generico salis nomine nitrum & bitumen censebantur apud Ægyptios; prægnans autem est hisce talibus mare mortuum, unde nomen mare salsum. Hebræus habet tantùm: *Convenerunt in vallem Hassiddim, quæ est mare salsum*.

℣. 4. Duodecim annis servierant Chodorla-

(d) *Genes.* x 22. (e) *Matth.* iv, 15. (f) *Aquil. Onkel. &c.*

℣. 5. Igitur quartodecimo anno vênit Chodorlahomor, & Reges
qui erant cum eo: percusseruntque Raphaïm in Astaroth Carnaïm, & Zuzim cum eis, & Emin in Save Cariathaïm,
℣. 6. Et Chorræos in montibus Seïr, usque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine.

COMMENTARIUS.

LAHOMOR. Putat Ligfootius, impletum hìc Oraculum Noë, ferens Chanaæum famuli jure servitutum Semo (g): *Benedictus Dominus Deus Sem, sit Chanaan servus ejus*. Elam, unde Chodorlahomor originem suam referebat, inter filios Sem natu erat major. Populi autem Pentapoleos e Chanaan nati, juxta vim Oraculi Noëmici, jugum ejus Principis subierunt. Sed hæc interpretatio plus nimio arctiores fines adscribit Oraculo. Vide quæ disputavimus ad Genesis IX, 26.

℣. 5. QUARTODECIMO ANNO VENIT CHODORLAHOMOR, ET REGES, QUI ERANT CUM EO, PERCUSSERUNTQUE RAPHAIM IN ASTAROTH-CARNAIM. Post quatuordecim annos a subactis primò quinque Urbibus Sodomâ, Gomorrhâ, Adamâ, Seboim, Balâ, juncto cum fœderatis sibi Regibus exercitu, vênit Chodorlahomor ad illas iterum recuperandas. Sed antequam bellum illud iniretur, fœderati Principes expeditionem susceperunt in vicinas quasdam gentes, sive eo consilio ut regionem eorum sibi acquirerent, seu fortè ut pœnas exigerent de prædictâ perduellibus Urbibus ope, sive latenti aliquâ de causâ, a Moyse non expressâ. Omnium primos petierunt Raphaim, quorum origo, uti creditur, ex Raphâ, de quo est sermo 1 Par. XX, 7; & quem pariter Authorem suum jactabant Gigantes, Philisthæorum robur, ætate Davidis. Pro רפאים, *Raphaim*, Septuaginta & cæteri Græcorum Interpretes τοὺς γίγαντας, *Gigantes*. Et quidem ex Moyse (h) & Josue (i) insinuatur, Raphaim homines fuisse staturâ immanes. Regionem Basan, & Urbes Astaroth & Edrai tenebant Gigantes illi, inter quos Og, staturâ adeò procerus, quantum designat Moyses. Sita erat Basan in Trasjordanis, ad Orientem maris Tiberiadis, dimidiæ Tribui Manasse assignata; cis Jordanem verò proximè ad Jerusalem erat vallis Raphaim (k), quòd facilè a Gigantibus ejusdem nominis aliquibus teneretur.

Urbs Astaroth Carnaim adjacebat Torrenti Jaboch; retulisse autem nomen dicitur ex Deâ Astaroth, cujus insignis erat religio in universâ Syriâ, Phœniciâ, & Palæstinâ; idem Numen ac Diana Græcorum. Vox *Carnaim* significat *Bicornem*, in typum bicornis Lunæ, quæ Astartes simulacrum ornat. Apud Hebræos appellabatur interdum *Aseroth*, i. e. nemora, quòd sub nomine Deæ nemorum coleretur. Astaroth significat etiam oves; & Punico sermone, teste S. Augustino, *quæst. 16 in Judices*, Astarte eadem erat Juno. Nec alia est a Lunâ, variis nominibus, sed uno tamen cultu apud Orientales inclytâ. Apud Hebræos colebatur sub nomine Reginæ Cœli; Isis erat Ægyptiis; Alitta Arabibus; Assyriis Mylitta; Persis Metra. Colebant Ascalonitæ sub elogio *Veneris* cœlestis; idemque creditur Dagon, sive Derceto Dea Philisthæorum, ac Astaroth Chananæorum. Ita verò interpretatur Syriacus, veluti si Astaroth & Carnaim duo essent loca diversa. Vide nostram Dissertationem de Numinibus Phœniciis.

ET ZUZIM CUM EIS. Voces Hebrææ ואת הזוים בהם, quas Vulgata reddit hìc *cum eis*, variè exprimitur ab Interpretibus. Legisse videntur Septuaginta Rahem, ἅμα αὐτοῖς, in eis, vel cum eis; quod & Syrus & Versio Samaritana servavit. Sed Chaldæus & Massoretæ legunt: *Becham*, in Cham; quam lectionem plerique e Recentioribus, Hebræo inhærentibus, præferunt. Docet S. Hieronymus, ætate suâ legi in Hebræo בחם, cum ח *Heth*; censet autem nomen esse loci, ubi Zuzim prælio victi fuerint; in suâ tamen versione fidem Septuaginta secutus est. Quis profectò situs esset Ham, sive Cham, incertum; nec unus aliquis ejus nominis locus occurrit in regione Ammonitarum, ubi *Zuzim* versabantur: nisi fortè velis hanc esse urbem illam קמון, Camon, *Judic.* X, 5, ubi sepultus est Jair, in veteri Ammonitarum regione. Sola scribendi ratio posset obstare, alia a הם, vel חכון; quæ quidem ratio & confirmare & infirmare posset hanc conjecturam.

Zuzim tamquam appellativum nomen usurpantes Septuaginta, reddunt, ἔθνη ἰσχυρὰ, *gentes fortes*, veluti si in Textu pro *Zuzim* legissent עזוים, *Huzim*. Chaldæus pariter vertit *Homines robustos*. Nobis tamen persuadetur, *Zuzim* ipsissimos esse *Zomzomim*, veteres regionis Ammoniticæ incolas. Ita verò de illis Moyses Deut. II, 20, 21: *Terra Gigantum reputata est, & in ipsâ olim habitaverant Gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, populus magnus & multus, longitudinis sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie Ammonitarum*. Arabs vertit: *Occiderunt Dabacaos, qui erant in Ham*.

ET EMIM IN SAVE CARIATHAIM. Nomen האימים, *Emim*, ita usurparunt Septuaginta, quasi populorum esset appellatio, quos ipsi Ὀμμαίους, *Ommæos*, vel Ἐμμαίους nuncupant. Alio sensu intellexisse illud videtur Chaldæus, reddit enim אימתני, *Horrendos*; quæ significatio est literalis vocis Emim. Syriacus, *accolas, qui erant in planitie Curiathim*, quod usurpari potest de incolis *Save Kariathaim*, urbis in agro Moabitico, in regno Esebon (l). Vox שוה, *Save* redditur *Vallis* seu *planities*; ut reddendus esset Textus: *Percusserunt Emim in planitie Kariathaim*. Hanc de Emim victoriam præ oculis habuisse videtur Moyses *Deut.* II, 10: *Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus & validus, & tam excelsus, ut de Enacim stirpe quasi Gigantes crederentur - - - Moabitæ appellant eos Emim*.

℣. 6. ET CHORRÆOS IN MONTIBUS SEHIR. Hebræus reddi posset: ואת החרי בהררם שעיר, *Horræos, quorum in montibus habituvit Sehir*. Ex

(g) *Genes.* IX, 26. (h) *Deut.* III, 13. & XVII, 15. (i) *Josue* XII, 4. & XIII, 12. &c. (k) *Josue* XV, 8. (l) *Josue* XIII, 19.

℣. 2. Inirent bellum contra Bara Regem Sodomorum, & contra Bersa Regem Gomorrhæ, & contra Sennaab Regem Adamæ, & contra Semeber Regem Seboïm, contraque Regem Balæ, ipsa est Segor.

℣. 3. Omnes hi convenerunt in vallem Silvestrem, quæ nunc est mare salis.

℣. 4. Duodecim enim annis servierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno recesserunt ab eo.

COMMENTARIUS.

Prophetâ intelligamus, provinciam Thalassar, unâ cum cæteris ad Tigrim, Regum Assyriæ armis cessisse. Porrò *Allasar* & *Thalassar* affines sunt voces, & in capite vocum, non semel adducitur litteræ *T* vel *S*. Est in Armeniâ Provincia *Acilizene*, quæ nomen suum debet Zalissæ, urbi metropoli; erat autem provincia illa olim Sophenes portio, uti constat ex Strabone *l.* xi. Cum autem *Sophene* ad Mediam usque porrigeretur, suo complectebatur sinu regionem *Eden* & *Thalassar*. Quare tenendam non incongruè ducimus interpretationem Jonathan, ut Arioch Rex sit Thalassar, sive regionis ad fontes Tigridis, ac fœdere junctus fuerit cum Assyriis, regioni suæ finitimis populis. Hæc majori veri specie asseruntur, quam si constituatur Rex Ponti, regionis utique multùm remotæ a cæteris Regibus, quibuscum junxerat copias. Quæ superiùs observavimus ex Eupolemo, nimirùm copias illas ex Armenis collectas, confirmant ea quæ de regione Thalassar hîc disputavimus.

Chodorlahomor Rex Elamitarum. Jam alibi observavimus, Elam (*d*) sive Persicam designare, sive Persidi proximam regionem. Symmachus addit: *Rex Scytharum*; Arabs: *Rex Chorastan*, i. e. *Chorazan*, quæ regio est in Perside amplissima. Angustioribus continebatur finibus *Elam*. Non longè erat ab Assyriâ, & fortè fœderata. Regni hujus quantæ essent vires, ex eo intelligimus, quòd in hoc capite ℣. 4, 5, legamus, subjecisse sibi Pentapolim, dissitam a Regno suo Provinciam.

Thadal Rex gentium. Hebræus מלך גוים, *Rex Goim*. Symmachus: Βασιλεὺς Παμφυλίας, *Rex Pamphyliæ*. Syriacus, *Taral Rex Gelitarum*. *Gelæ* occurrunt apud Plinium, & *Gelæ* apud Ptolemæum, tenentes in Mediâ loca Parthis finitima. Hunc Regem ditionem suam habuisse in Provinciâ, sive in Urbe *Goim*, censet Vatablus; sed hujus nominis sive Provincia sive Urbs nulla apud Geographos seu veteres seu recentiores occurrit.

Masius aliique nonnulli censent, Regi *Goim* paruisse Galilææ portionem illam, quam Scriptura (*e*) *Galilææ Gentium* nomine distinguit; creditur tamen illud idem nomen minorem habere, quam Moyses, vetustatem, cùm neque in Josue occurrat, ubi cæteroqui non semel Galilæa. Persuasum habetur, non priùs illud auditum, quàm post locatas ab Israëlitis sedes in superiori Galilæâ; tunc enim inferiorem appellarunt *Galilæam Goim*, i. e. Galilæam Gentium, quòd Phœnicibus incolis frequentaretur.

Ajunt alii, Thadal appellari Regem Nationum, quòd ditioni suæ haberet subjectam gentem minùs, quàm cæteras, notam, a cujus proinde nomine abstinendum censuit Moyses. Reputari etiam posset, Hebræum *Goim* designare populos e variis locis in unam urbem atque in ditionem Regis Thadal collectas. Notant loca quædam Geographi, a collectitiis hisce gentibus, incertæ & obscuræ originis, frequentata: cujus generis nonnulla circa Mediam collocat Strabo l. 11. Ponto & Mesopotamia ferè universa, eodem teste, l. 5, plures habebat ejus generis incolas. De *Rege Goim juxta Galgalim* sermo est Josue xii, 23. Potuit ergo Thadal in censum referri Regum *Goim* ad Galgalim, Pentapoli proximum, qui vel fœdus adhuc cum Chodorlahomor, vel etiam fortasse obedientiam illi servabat, cæteris quinque Urbibus ab illo deficientibus.

Apud Septuaginta in eodem Libro Josue occurrit Rex quidam *Nationum in Galilæâ*. Profectò quæ potissimum nomine illo distinguebatur regio, sita erat in Transjordanis, uti constat ex Isaiâ ix, 1, S. Matthæo iv, 15, Eusebio, & S. Hieronymo *in locis*. Septemtrionalis Palæstinæ plaga universa frequens erat Arabibus, Ægyptiis, Phœnicibus, si Straboni, l. 16, fides. Quinque Reges prælio victi eò confugerunt. His umbra quædam veritatis adstruitur opinioni, statuenti in eo regionis tractu Regnum Thadal.

℣. 2. Bara Regem Sodomorum. Vulgò in Tabulis Geographorum Sodoma constituitur proximè ad ostia Jordanis, in mare mortuum influentis, in loco maximè ad Septemtrionem ejusdem maris. Re tamen ipsâ collocandam ducimus prope extremam meridionalem oram ejus maris; cùm Segor, effugium Loth e Sodomâ sese recipientis, ad meridiem esset ejusdem maris in Arabiâ Petræâ.

℣. 3. Convenerunt in vallem sylvestrem. In versione hujus Textûs עֵמֶק הַשִּׂדִּים variant Interpretes, quorum alii vocem Originalis servant, Vallem *Hassiddim*; alii (*f*) reddunt: *Vallem campestrem*, quod deducunt ex *Sade*, ager. Alii: *Vallem vastatorum*, ex שדד, vastare. Alii: *Vallem calcis*, ex שיד, *calx*. Ita Abenezra. Targum Jerusalem; *Planitiem pomariorum*. Symmachus & Theodotion: Ἐν κοιλάδι τῶν ἀλσῶν, *in valle nemorum*. Aquila: Ἐν τῇ κοιλάδι τῶν περιπεδινῶν, *in valle circum campestria*. LXX: Φάραγγα τὴν ἁλυκήν, *vallem salsam*, quod illis succurrit ex bitumine, quod in agro Sodomitico scatet; bitumen enim non rarò sal appellatur. Syriacus: *Vallem Sodomitarum*; Arabs: *Pratum agrorum*.

Quæ nunc est mare salis. Sub generico salis nomine nitrum & bitumen censebantur apud Ægyptios; prægnans autem est hisce talibus mare mortuum, unde nomen mare salsum. Hebræus habet tantùm: *Convenerunt in vallem Hassiddim, quæ est mare salsum*.

℣. 4. Duodecim annis servierant Chodorla-

(d) *Genes.* x 22. [e] *Matth.* iv, 15. (f) *Aquil. Onkel. &c.*

Digitized by Google

℣. 5. Igitur quartodecimo anno vênit Chodorlahomor, & Reges qui erant cum eo: percusseruntque Raphaïm in Astaroth Carnaïm, & Zuzim cum eis, & Emin in Save Cariathaïm,

℣. 6. Et Chorræos in montibus Seïr, usque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine.

COMMENTARIUS.

LAHOMOR. Putat Ligfootus, impletum hìc Oraculum Noë, ferens Chananum famuli jure servitutum Semo (g): *Benedictus Dominus Deus Sem, fit Chanaan servus ejus.* Elam, unde Chodorlahomor originem suam referebat, inter filios Sem natu erat major. Populi autem Pentapoleos e Chanaan nati, juxta vim Oraculi Noëmiei, jugum ejus Principis subierunt. Sed hæc interpretatio plus nimio arctiores fines adscribit Oraculo. Vide quæ disputavimus ad Genesis IX, 26.

℣. 5. QUARTODECIMO ANNO VENIT CHODORLAHOMOR, ET REGES, QUI ERANT CUM EO, PERCUSSERUNTQUE RAPHAIM IN ASTAROTH-CARNAIM. Post quatuordecim annos a subactis primò quinque Urbibus Sodomâ, Gomorrhâ, Adamâ, Seboim, Balâ, juncto cum fœderatis sibi Regibus exercitu, vênit Chodorlahomor ad illas iterum recuperandas. Sed antequam bellum illud iniretur, fœderati Principes expeditionem susceperunt in vicinas quasdam gentes, sive eo consilio ut regionem eorum sibi acquirerent, seu fortè ut pœnas exigerent de præstitâ perduellibus Urbibus ope, sive latenti aliquâ de causâ, a Moyse non expressâ. Omnium primos petierunt Raphaim, quorum origo, uti creditur, ex Raphâ, de quo est sermo 1 Par. XX, 7; & quem pariter Authorem suum jactabant Gigantes, Philisthæorum robur, ætate Davidis. Pro רפאים, *Raphaim*, Septuaginta & cæteri Græcorum Interpretes τὺς γίγαντας, *Gigantes*. Et quidem ex Moyse (h) & Josue (i) insinuatur, Raphaim homines fuisse staturâ immanes. Regionem Basan, & Urbes Astaroth & Edrai tenebant Gigantes illi, inter quos Og, staturâ adeò procerus, quantum designat Moyses. Sita erat Basan in Trasjordanis, ad Orientem maris Tiberiadis, dimidiæ Tribui Manasse assignata; cis Jordanem verò proximè ad Jerusalem erat vallis Raphaim (k), quòd facilè a Gigantibus ejusdem nominis aliquibus teneretur.

Urbs Astaroth Carnaim adjacebat Torrenti Jaboch; retulisse autem nomen dicitur ex Deâ Astaroth, cujus insignis erat religio in universâ Syriâ, Phœniciâ, & Palæstinâ; idem Numen ac Diana Græcorum. Vox *Carnaim* significat *Bicornem*, in typum bicornis Lunæ, quæ Astartes simulacrum ornat. Apud Hebræos appellabatur interdum *Aseroth*, i. e. nemora, quòd sub nomine Deæ nemorum coleretur. Astaroth significat etiam oves; & Punico sermone, teste S. Augustino, *quæst. 16 in Judices*, Astarte eadem erat Juno. Nec alia est a Lunâ, variis nominibus, sed uno tamen cultu apud Orientales inclytâ. Apud Hebræos colebatur sub nomine Reginæ Cœli; Isis erat Ægyptiis; Alitta Arabibus; Assyriis Mylitta; Persis Metra. Colebant Ascalonitæ sub elogio *Veneris* cœlestis; idemque creditur Dagon, sive Derceto Dea Philisthæorum, ac Astaroth Chananæorum. Ita verò interpretatur Syriacus, veluti si Astaroth & Carnaim duo essent loca diversa. Vide nostram Dissertationem de Numinibus Phœniciis.

ET ZUZIM CUM EIS. Voces Hebrææ ואת הזוים בהם, quas Vulgata reddit hìc *cum eis*, varie exprimitur ab Interpretibus. Legisse videntur Septuaginta Rahem, ἅμα αὐτοῖς, in eis, vel eum eis; quod & Syrus & Versio Samaritana servavit. Sed Chaldæus & Massoretæ legunt: *Becham*, in Cham; quam lectionem plerique e Recentioribus, Hebræo inhærentibus, præferunt. Docet S. Hieronymus, ætate suâ legi in Hebræo בהם, cum ה *Heth*; censet autem nomen esse loci, ubi Zuzim prælio victi fuerint; in suâ tamen versione fidem Septuaginta secutus est. Quis profectò situs esset Ham, sive Cham, incertum; nec unus aliquis ejus nominis locus occurrit in regione Ammonitarum, ubi *Zuzim* versabantur: nisi fortè velis hanc esse urbem illam קמון, Camon, *Judic.* X, 5, ubi sepultus est Jair, in veteri Ammonitarum regione. Sola scribendi ratio posset obstare, alia a הם, vel חמן; quæ quidem ratio & confirmare & infirmare posset hanc conjecturam.

Zuzim tamquam appellativum nomen usurpantes Septuaginta, reddunt, ἔθνη ἰσχυρὰ, *gentes fortes*, veluti si in Textu pro *Zuzim* legissent עזוים, *Huzim*. Chaldæus pariter vertit *Homines robustos*. Nobis tamen persuadetur, *Zuzim* ipsissimos esse *Zomzommim*, veteres regionis Ammoniticæ incolas. Ita verò de illis Moyses Deut. II, 20, 21: *Terra Gigantum reputata est, & in ipsâ olim habitaverant Gigantes, quos Ammonitæ vocant Zomzommim, populus magnus & multus, longitudinis sicut Enacim, quos delevit Dominus a facie Ammonitarum.* Arabs vertit: *Occiderunt Dabacaos, qui erant in Ham.*

ET EMIM IN SAVE CARIATHAIM. Nomen האימים, *Emim*, ita usurparunt Septuaginta, quasi populorum esset appellatio, quos ipsi Ὀμμαίους, *Ommæos*, vel Ἐμμαίους nuncupant. Alio sensu intellexisse illud videtur Chaldæus, reddit enim אימתני, *Horrendos*; quæ significatio est literalis vocis Emim. Syriacus, *accolas, qui erant in planitie Curiathim*, quod usurpari potest de incolis *Save Kariathaim*, urbis in agro Moabitico, in reguo Esebon (l). Vox שוה, *Save* redditur *Vallis* seu *planities*; ut reddendus esset Textus: *Percusserunt Emim in planitie Kariathaim.* Hanc de Emim victoriam præ oculis habuisse videtur Moyses *Deut.* II, 10: *Emim primi fuerunt habitatores ejus, populus magnus & validus, & tam excelsus, ut de Enacim stirpe quasi Gigantes crederentur - - - Moabitæ appellant eos Emim.*

℣. 6. ET CHORRÆOS IN MONTIBUS SEHIR. Hebræus reddi posset: ואת החרי בהררם שעיר, *Horræos, quorum in montibus habitavit Sehir.* Ex Genesi

(g) *Genes.* IX, 26. (h) *Deut.* III, 53. [i] *Josue* XII, 4. & XIII, 12. &c. (k) *Josue* XV, 8, & XVII, 15. (l) *Josue* XIII, 19.

℣. 7. Reversique sunt, & venerunt ad fontem Misphat, ipsa est Cades: & percusserunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæum, qui habitabat in Asasonthamar.

℣. 8. Et egressi sunt Rex Sodomorum, & Rex Gomorrhæ, Rexque Adamæ, & Rex Seboïm, necnon & Rex Balæ, quæ est Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle Silvestri.

℣. 9. Scilicet adversùs Chodorlahomor Regem Elamitarum, & Thadal Regem gentium, & Amraphel Regem Sennaar, & Arioch Regem Ponti: quatuor Reges adversùs quinque.

COMMENTARIUS.

Genesi xxxvi, 20, intelligimus, Horræos originem retulisse ex Sehir, cujus viri inditum nomen montibus trans mare mortuum, ad Orientem Chanaanitidis. Angustos nimiùm fines assignant nostrates Geographi montibus Sehir & Idumææ, cùm eorum tractum non prorogent nisi a mari mortuo usque ad Isthmum, qui Erythræum a Mediterraneo dividit, octo vel decem leucarum interstitio; constat enim ex Scripturâ, montes Sehir longiùs excurrisse in Arabiâ Petræâ ut pertingerent usque ad montem Horeb & Hasiongaber, meridiem versùs, sicut & ad Orientem ascendisse usque ad montem Galaad.

In Genesi xxxii, 3, legimus, Esau sedes habuisse in regione Sehir, cùm tamen egisse tunc constat ad Orientem Jordanis, ut ex Historiæ contextu. Moyses *Deut.* ii, 1, tradit, Israëlitas iter habentes per desertum *circuivisse montem Sehir longo tempore*; & ibidem, xxxiii, 2, habet: *Dominus de Sinai venit, & de Sehir ortus est nobis*; describitur Judicum v, 4, Dominus de Sehir egrediens. In omnibus hisce exhibentur Sinai & Sehir veluti duo montes invicem proximi, in Arabiâ Petræâ. In 3 Reg. ix, 26, legimus, Salomonem classem *fecisse in Asiongaber, in litore maris Rubri, in terrâ Idumaa*. Hisce omnibus adde, ex Veterum & Recentiorum consensu, maris Rubri nomen inditum ex Rege quodam Edom; quod vix affirmaretur, nisi prorogato Idumææ tractu longiùs, quàm qui assignetur a Geographis nostratibus.

Cùm posteri Esau sedes in montibus Sehir constituissent, nomen illis conservarunt, priùs inditum a Sehir vetustissimo regionis incolâ, cujus viri Genealogiam habes Genesis xxxvi. Malunt nonnulli, Esau nomen sibi aliud adscivisse Sehir, quod pilosum sonat in Hebræo; sed nulla ejus rei satis firma est conjectura. Latuit nomen Sehir Prophanos; de Idumæis apud illos sæpè (*m*).

Ad Horræos quod attinet, nonnisi verisimillimè credimus, tenuisse illos potissimùm montes Hor, ubi vitâ cessit Aaron, juxta Petram in Arabiâ Petræâ; & facilè tractu temporis factum est, ut nomen prorogaretur ad montanos omnes ejus regionis habitatores. Legitur in sensu appellativo 3 Reg. xxi, 51, quod Interpretes reddunt *Optimates* vel *Heroes*. Non incongruè pariter Heros derivaretur ex Horræis; sicut etiam nomen *Anax* (*n*), Rex, ex *Enak*, Gigante ejus regionis inclyto.

Usque ad Campastria Pharan. Confirmant versionem Vulgatæ gemini Paraphrastæ Chaldæi, Arabs, & cum Rabbinorum nonnullis Recentiores plures. Originalis voces עַד איל פארן servandas contendit R. Salomon, ut reddatur: *Usque ad El Pharan*. Alii putantes, Hebræum איל, El, idem significare ac אלון, Elon, quercus, vertunt: *Usque ad arbores*, vel *usque ad nemus Pharan*. Septuaginta: Ἕως τῆς τερεβίνθου, *Usque ad Terebinthum*: quod vetus Scholiastes (*o*) explicat de patriâ Jobi.

Pharan montes sunt ad Sinai; nomen est etiam latissimi agri montibus illis adjacentis; ac tandem Urbis in Arabiâ Petræâ (*p*).

℣. 7. Cades, urbs est ejusdem regionis in finibus Idumææ, juxta quam erat silex, eductis a Moyse aquis notissimus, quæ deinde *Aqua contradictionis* dictæ sunt: fonti pariter illi inditum nomen, quod hìc anticipatione quadam a Moyse exprimitur, *Fons judicii*. Chaldæus, R. Salomon, & post illos Grotius, deducunt nomen illud ex collectis ibi finitimis populis, ut jura darent reciperentque. Pro *Cades* Syriacus & Arabs habent Racem, quod nomen est *Petra*, Metropoleos Arabiæ Petrææ.

Omnem regionem Amalecitarum, quam scilicet tenebant Amalecitæ, ætate Moysis (*q*); sub Abrahamo enim nondum natus erat Amalech. Hebræus: כל שדה העמלקי, *omnem agrum Amalecita*. Septuaginta & Syriacus: *Omnes Principes Amalec*; legentes שרי, *Sare, principes*, pro שדה, *Sade, agros*. Regio Amalecitarum in Arabiâ Petræâ continebatur, inter Cades & Erythræum: quamquam sinceros ejus gentis limites difficilè definias, quippe qui certam sedem non haberent.

Ex Amorrhæis quidam tenebant Occidentalem plagam Pentapoleos, sive maris mortui, Idumæam habentes Meridionalem; ut ex eo intelligimus quòd *Asasonthamar*, quæ ipsissima creditur Engaddi, proximè spectaret ad maris mortui litus occidentale. Fœderati itaque Reges prælio vicerunt gentes circa Pentapolim, initio victoriæ ducto a Rephaim & Emim, gentibus Transjordanis, septemtrionem versùs; quibus subactis, versa sunt arma in Horræos, ad Orientem & meridiem habitantes: processum est tandem usque Pharan, Cades, & Amalec in Arabiâ Petræâ; reductisque armis, ventum in Amorrhæos, quinque Urbibus proximos, & facilè etiam fœderatos. Erant alii pariter Amorrhæi in Transjordanis.

℣. 10.

(m) *Strabo l. 16.* (n) *Grotius & Drusius ex Hesychio.* (o) *Combefis. in nov. edit. Hexapl.* ἡ πόλις αὐτὴ τοῦ Ἰὼβ, ἐπὶ τῆς βαλανίας. οὕτως καλούμεναι δύο κῶμαι ἀπέχουσι δὲ ἀλλήλων σημείοις Θ. μεταξὺ Ἀδάρων καὶ Ἀμμάνης Πόλεως. (p) *Deut.* 1, 1. (q) *Vide quæ de Amalecitis dicemus Num.* xxiv, 20.

℣. 10. Vallis autem Silvestris habebat puteos multos bituminis. Itaque Rex Sodomorum & Gomorrhæ terga verterunt, cecideruntque ibi, & qui remanserant, fugerunt ad montem.

℣. 11. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum & Gomorrhæ, & universa quæ ad cibum pertinent, & abierunt:

℣. 12. Necnon & Lot & substantiam ejus, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis.

℣. 13. Et ecce unus qui evaserat, nuntiavit Abram Hebræo, qui habitabat in convalle Mambre Amorrhæi, fratris Escol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram.

℣. 14. Quod cùm audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numeravit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est usque Dan.

COMMENTARIUS.

℣. 10. VALLIS AUTEM SYLVESTRIS HABEBAT PUTEOS MULTOS BITUMINIS. Non otiosè hæc adnotasse Moysem ex subsequentibus constabit; multùm enim bitumen illud contulit ad incendium & vastationem Urbium Sodomæ & Gomorrhæ.

CECIDERUNTQUE IBI: ET QUI REMANSERANT, FUGERUNT AD MONTEM. Ex ℣. 17 intelligimus, Regem Sodomæ superstitem se e prælio subduxisse; quare illud *ceciderunt* referendum est ad exercitum quinque Regum Pentapoleos, prælio cæsum in agro Sodomico. Ita explicant nonnulli [r] verba *ceciderunt ibi*, veluti si in fugam versi, præcipites fuerint in puteos, de quibus in superiori capite; quod tamen vix probatur.

℣. 11. TULERUNT OMNEM SUBSTANTIAM SODOMORUM. Septuaginta: Πᾶσαν τὴν ἵππον, *Omnem equitatum* (ſ). Hebræum רכש, Reehus, unde vox exprimens divitias, minus latè patet, quàm Latinum substantia, quod de omni bonorum genere usurpatur.

℣. 13. NUNTIAVIT ABRAM HEBRÆO. Septuaginta (t): *Abram transitori*, i. e. qui originem e Transeuphratæis deduxerat. Quam sententiam, probatam Origeni, Gennadio & Theodoreto, propugnavimus ad caput x, 21, 24. Artapanus apud Eusebium, & Charax apud Stephanum Geographum, Acacius in Catenâ Mſ. laudatus in novâ Editione Hexaplorum, epithetum Hebræi Abramo additum deducunt ex *Abram*, veluti si diminutivum esset *Abrahai*. Gemina docuit S. Augustinus (u); sed postea sententiam illam retractavit (x). Appellatum censet Diodorus (y) *virum trans*, quòd sedem haberet in Transjordanis positam, si spectentur Reges in Sodomam moventes.

℣. 14 NUMERAVIT EXPEDITOS VERNACULOS SUOS. Reddi posset ad literam (z): *Expedivit servos suos natos in domo suâ*; vel, *in prælium disposuit tyrones suos* [novos milites] *qui nati erant in domo suâ*; vel tandem; *procedere jussit suos in aciem, instructos, a se formatos, institutosque*, in religione nempe & bellicis exercitationibus. Neque id mirum est, Abraham Princeps erat florentissimæ familiæ, advena erat simul & sui juris, in medio populi corrupti & violenti. Licèt autem fidem suam omnem & spem posuisset in Deo, non inde tamen segnior erat in cautionibus omnibus, quas prudentia adversùs Chananæos suggerebat. Constat ex Josepho Philone, aliisque vetustissimis Historicis, (a) fuisse spectatum Abraham a populis Damascenis veluti Regem. Filii Heth de illo: *Princeps Dei apud nos* (b). Et quidem regia omnia erant viro pro ætate illâ & gente, opes, robur. Suppetias tulerunt in eâ expeditione Abrahamo tres viri *Eschol, Aner, & Mambre*. Vide ℣. 24.

PERSECUTUS EST EOS USQUE DAN. Ex Interpretibus quidam arbitrantur, eos, qui recensenda Mosaica scripta susceperant, substituisse hîc nomen Dan, alio, quod ante legebatur, expuncto; non enim nisi post Moysem condita fuit Dan; seu potius, Urbs ætate Moysis Lais appellata, diù post in Dan nomen suum refurmavit. Malunt alii, nomen Dan non urbis esse hic, sed torrentis, unde Jordanis exordia. Hujus torrentis fons appellatur ab incolis *Medan* (c).

Vulgò fertur Jordanis nomen suum debere duplici rivulo, e montibus Libani defluenti, quorum alter *Jor*, alter *Dan*. Sed repugnant hæc Josepho, *de Bello l. 3, c. 35*, referenti Jordanis originem e fonte, qui de lacu Phialâ exsilit, sito cxx stadiis supra Paneadem, quamquam nonnisi infra eam Urbem aperto supra terram alveo fluit. Urbs Dan sita est ad caput rivuli qui facilè haberi potest tanquam unus ex fontibus Jordanis. *Jor-Dan* Hebraicè est *rivus Dan*. Compertum est autem, nomen Jordanis, quod ex *Jor* & *Dan* conflatum videtur, vetustius esse Moyse; ut proinde fateamur oporteat, ante Moysem in viciniis Jordanis notum fuisse vel locum vel rivum Dan, quousque Abraham quatuor fœderatos Reges insequutus est.

℣. 15.

[r] *Menoch. Est. Cornel. Oleast.* [ſ] *Vide nov. edit. Hexapl. p. 30.* (t) עברו *Septuag.* Τῷ περάτῃ. *Aquil.* περαίτην. (u) *Aug. lib. xvi de Civit. c. 3. & lib. 1 de consensu Evangelist. c. 14.* (x) *Retractat. lib. ii, c. 16.* (y) *Diodor. in Catenâ MS.* τὰ ἀπέκεινα τοῦ Ἰορδάνου διηγησάμενος ὁ Μωσῆς, τελέσι τὸν πόλεμον ὃν ἐπολέμησεν Πέρσαις πρὸς τοὺς βασιλεῖς τῶν Σοδομιτῶν, καὶ Γομόρρων, τόθι περάτην καλεῖ τὸν Ἀβραὰμ, ὥσανεὶ πέραν οἰκοῦντα τοῦ Ἰορδάνου. (z) וירק את חניכיו ילידי ביתו
(a) *Joseph. Antiq. l. 1, c. 6. ex Nicolao Damasceno Lib. 4 hist. Philo de nobilit. p. 908, c. 63.*
(b) *Genes.* xxiii, 6. (c) *Brocard. Descript. Terræ sanctæ c. 3.*

℣. 15. Et divisis sociis, irruit super eos nocte: percussitque eos, & persecutus est eos usque Hoba, quæ est ad lævam Damasci.

℣. 16. Reduxitque omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantiâ illius, mulieres quoque & populum.

℣. 17. Egressus est autem Rex Sodomorum in occursum ejus, postquam reversus est a cæde Chodorlahomor, & Regum, qui cum eo erant in valle Save, quæ est vallis Regis.

℣. 18. At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei Altissimi,

℣. 19. Benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit Cœlum, & Terram.

℣. 20. Et benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus.

COMMENTARIUS.

℣. 15. PERSEQUUTUS EST EOS USQUE HOBA, QUÆ EST AD LÆVAM DAMASCI. Onkelos: *Ad Septemtrionem Damasci*. In Scripturâ (*d*), sinistra usurpatur pro meridie, læva pro Septemtrione. *Hoba* jacebat ad Septemtrionem Damasci, seu potiùs ad sinistram viæ, Damascum deducentis; si enim Septemtrionalis Damasco statueretur, excurrisse reputandus esset Abraham, fugientes Reges insequutus, etiam ultra Damascum: quod vix cum Scripturâ cohæret. Septuaginta pro *Hoba* ponunt *Chobal*, i. e. *Abilam* in Cœlesyriâ.

℣. 17. IN VALLE SAVE, QUÆ EST VALLIS REGIS. Observavimus supra, locum in Transjordanis appellatum *Save-Cariathaim*. Sed alius est ille a *Save*, de quo hìc, & 2 Reg. XVIII, 18: est enim Urbs sita in valle Regis e regione Jerusalem, juxta Eusebium; vel, juxta alios, merus est ager. Notant Septuaginta, vallem hanc, quò Reges Sodomæ cæterarumque Urbium Pentapoleos venerunt obviam Abrahamo, ditionis fuisse Melchisedechi. Locum ludi seu certaminis Regum appellat Arabs: idque contigisse ad radices montis Thabor, traditione receptum teneri asserit Bochartus.

℣. 18. MELCHISEDECH REX SALEM, PROFERENS PANEM AT VINUM: ERAT ENIM SACERDOS DEI ALTISSIMI, BENEDIXIT EI, &c. Melchisedechum cum Semo confundunt Jonathan, Paraphrastes Jerosolymitanus, veteres Samaritani, & Rabbini, uti testantur S. Hieronymus (*e*), & S. Epiphanius. Melchisedechiani, secundi seculi Hæretici, suspiciebant Melchisedechum tamquam Virtutem Jesu Christo superiorem (*f*). *Hierax* (*g*) Ægyptius, Hieracitarum author, comminiscebatur, Melchisedechum ipsissimum esse S. Spiritum; Angelum, qui per visum Abrahamo apparuit, reputarunt Origenes (*h*), & Dydimus. Author quæstionum in Vetus & Novum Testamentum *quæst.* 109, qui sub ementitâ S. Augustini personâ diu latuit, autumavit, Melchisedechum ipsissimum esse S. Spiritum; absurdiùs alii (*i*) ex silentio Scripturæ, ad Genealogiam Melchisedech quod attinet, spurios habuisse natales suspicati sunt. Cùm Dissertationem instituerimus de Melchisedecho, occasione eorum, quæ de illo dicta sunt in Epistolâ ad Hebræos, quæ in primâ Editione hic congessimus, expungimus in præsenti.

Panem & vinum obtulisse Melchisedechum narrat Moyses; quod plerique exponunt de sacrificio oblato Deo Altissimo, cujus Sacerdotio fungebatur: sed alii tantùm malunt panem & vinum collatum Abrahamo ejusque militibus ad refocillandas vires, longissimi itineris viâ fessas. In moribus erat ejus regionis, ut amici quique in occursum iter agentium venirent, cibos ferentes & refectionem. Exprobrat Deus Ammonitis & Moabitis, quòd nullis ejusmodi officiis excepissent Hebræos iter agentes per Desertum (*k*); in cujus ultionem excludit illos adusque decimam generationem, ne in cœtum populi sui admittantur. Amici Davidem fugientem oblatâ annonâ exceperunt (*l*), cùm scilicet Absalomum fugeret. Luculenter asserit Josephus (*m*), Melchisedechum convivium instruxisse Abrahamo, & militum ejus copiis, nihil addens de sacrificio.

REX SALEM. In eâ persuasione fuisse videtur S. Hieronymus (*n*), urbem Salem ipsissimam esse, quæ in novo Testamento Salim ad Scythopolim (*o*); ubi adhuc ostendi asserit rudera ædium Melchisedechi. Censet Usserius, ipsissimam esse Silo, servato Arcæ deposito sub Judicibus, donec in potestatem Philistæorum veniret, inclytam. Tradit S. Epiphanius, *Hæres.* 55, constitui Salem a nonnullis in regione Sichemitarum, e regione Neapolis. In hanc sententiam descendisse videtur Eusebius (*p*): sicut etiam confudisse apparet Sichem eum Salem. Verùm Josephi (*q*), & omnium Patrum & Interpretum sententia (*r*) tenet, Melchisedechum in Jerusalem, alio nomine *Salem*, uti in Ps. LXXV, 3, imperitasse.

℣. 21.

(d) *Psalm.* LXXXVIII, 13. & *Genes.* XIII, 9. [e] *In quæst. Hebraic. & ep.* 126 *ad Evag.* (f) *Epiphan. hæres.* 55. *Theodoret. lib.* 15 *Hæretic. Fab. c.* 6. *Aug. lib. de Hæres.* (g) *Epiphan. hæres.* 67. (h) *Hieron. Ep. ad Evangelium.* (i) *Apud Epiphan. ibidem.* (k) *Deut.* XXIII, 4. [l] 2. *Reg.* XVII, 27. (m) *Joseph. antiq. l.* 1, *c.* 11. ἐχορήγησε δὲ τῷ Ἀβράμῳ στρατῷ ξένια, καὶ πολλὴν ἀφθονίαν τῶν ἐπιτηδείων παρέσχε· καὶ παρὰ τὴν εὐωχίαν, αὐτόν τε ἐπαινεῖν ἤρξατο, καὶ τὸν Θεὸν εὐλογεῖν· (n) *Hieron. ep. ad Evangel.* (o) *Apud Euseb. Præpar. l.* 9, *c.* 17. (p) *Vide Bonfrer.* (q) *Joseph. Antiq. lib.* 1. *c.* 10. (r) *Epiph. hæres.* 55.

Digitized by Google

℣. 21. Dixit autem Rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cætera tolle tibi.

℣. 22. Qui respondit ei: Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem Cœli & Terræ,

℣. 23. Quòd a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditavi Abram.

℣. 24. Exceptis his, quæ comederunt juvenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Escol, & Mambre: isti accipient partes suas.

COMMENTARIUS.

℣. 20. DEDIT EI DECIMAS EX OMNIBUS. Quisnam? ex Scripturà, incertum. An scilicet Abraham a Melchisedecho recepit, uti Hebræorum nonnullis visum est (f); an Melchisedech ex Abrahamo? Sed in hanc posteriorem sententiam inducit nos Apostolus ad Hebræos VII, 9. De vetustate decimarum actum est alibi. Vide Levit. XXVIII, 30. Nihil contulit Abraham Melchisedecho ex spoliis hostilibus, nihil scilicet eorum, quæ hostes rapuerant Regibus & incolis Pentapoleos; vicissim tamen decimam solvit manubiarum, quas milites sui e victorià reportaverant.

℣. 22. LEVO MANUM MEAM AD DOMINUM. Vetus jurisjurandi ritus, atque Dei invocandi, adhibendique in testem formula; ad quem modum nos induxit natura æquè, ac insita idea Numinis in Cœlo agentis, atque intimas cogitationes nostras agnoscentis.

℣. 23. A FILO SUBTEGMINIS USQUE AD CORRIGIAM CALIGÆ. Hebræus habet tantùm: *A filo usque ad corrigiam calceamenti*. Fili nomine intelligi potest vel filum subtegminis vestis alicujus, telæ, panni, &c. vel filum quodcumque seu ansula. Nonnulli ita reddunt: A vittà crinali usque ad corrigiam caligæ, i. e. ne minimum quidem; vel tantum: A filo, quo vestis suitur, usque ad corrigiam caligæ.

℣. 24. EXCEPTIS HIS, QUÆ COMEDERUNT JUVENES, ET PARTIBUS VIRORUM, QUI VENERUNT MECUM. Specimen hìc præbet Abraham animi a lucri cupiditate alieni; bona enim sua omnia restituit Regi Sodomæ fœderatisque, exceptis iis, quæ milites sui in itinere absumpserant. Præter hæc, reliquorum omnium decimas pendit Melchisedecho. Non ita planè Aner, Escol & Mambre, qui cum Abrahamo arma junxerant; suam enim sibi servarunt portionem prædæ, quam Reges illi quatuor Sodomitis sociisque rapuerant, sive ut belli sumptus & labores rependerent, sive id sibi juris ex communibus belli legibus esse noscentes. Exemplo suo leges illis imponere Abraham non potuit.

Porrò receptum habemus e gentium jure, ea omnia, quæ de victis hostibus nobis proveniunt, non semper in nostrum transire jus, nisi illa fortè ad hostes reipsà pertineant. Quæ tamen ipsi hostes antea justo bello abstulerant, suum fecerunt; nec jus est prioribus Dominis res illas tanquam sibi debitas repetendi. Hominis tamen ingenui & æqui est, ea, quæ injusto bello rapta noveris, veteribus Dominis restituere (t). Reputari autem posset, in eà, quam modò tractamus occasione Sodomitas, quamquam jure repetere potuissent res suas ex Abrahamo, ac fœderatis illi gentibus, nunquam tamen ut id facerent commissuros fuisse; indulgendum enim id videbatur præstito ab illis officio; satisque habituros, ut receptis iis, quos hostes in captivitatem abduxerant, hominibus, cætera victoribus remitterent.

CAPUT XV.

Deus per visum apparet Abrahamo, filium illi promittens; Abrahami sacrificium. Servitutem posterorum ipsius per 400 annos idem Deus illi prædicit. Fœdus Dei cum Abrahamo.

℣. 1. HIs itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem, dicens: Noli timere, Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. FACTUS EST SERMO DOMINI AD ABRAM. Reddunt nonnulli: *Deus locutus est illi in Prophetià*. Revelatio *in prophetià*, juxta Doctores Hebræos apud Fagium, rerum sensilium, & exteriorum objectu fit, uti cùm Deus spectandum se præbet vigilantibus; spectandum autem sub sensilis

filis

(f) *Ita & Ambros. l. 5 de Abrah. c. 3.* (t) *Vide Grotium de jure Belli & Pacis, l. 3, c. 6, § 3, 4, 5, 6.*

℣. 2. Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque liberis: & filius procuratoris domûs meæ, iste Damascus Eliezer.

℣. 3. Addiditque Abram: Mihi autem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit.

℣. 4. Statimque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de utero tuo, ipsum habebis hæredem.

℣. 5. Eduxitque eum foras, & ait illi: Suspice Cœlum, & numera stellas, si potes, & dixit ei: Sic erit semen tuum.

℣. 6. Credidit Abram Deo, & reputatum est illi ad justitiam.

COMMENTARIUS.

silis alicujus rei formâ: sive cùm sensibus objicit rem naturâ suâ sensibus nequaquam subjectam. Cujus posterioris generis revelatio facta est Abrahamo; intelligimus enim ex ℣. 5, virum illum tum vigilasse; nam jussus est a Deo egredi, stellarum multitudinem contemplaturus. Aliud revelationis genus *per Sanctum Spiritum*, juxta Hebræos, nullas habet externas & sensiles figuras; interna enim agitur inspiratione, quemadmodum factum constat cum Davide, Job, aliisque sacris Scriptoribus. R. Levi Ben-Gerson censet, cùm Deus se Patriarchis videndum præbuit, eas meras fuisse visiones.

Noli timere, ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Censent Interpretes nonnulli, Deum confirmasse Abrahamum ex metu, quo fortè tenebatur, ne fœderatorum Regum in se arma provocasset. Alienum a cupiditate animum a Deo laudatum credunt illis verbis: *Ego merces tua sum magna nimis*. Nunquam profectò Abraham tantâ rerum omnium felicitate donatus est, quanta promissionum ejusmodi magnificentiam ad literam impleret. Quin etiam si fortè verba illa de bonorum temporalium copiâ in posteritatem ejus viri interpretaremur, nec tum pariter satis æqua offenderemus, quæ responderent illis: *Ero merces tua magna nimis*. Nullum est profectò luculentius argumentum, demonstrans animæ immortalitatem, veritatem religionis, & alterius vitæ æternitatem, quàm cùm justi minoribus pro merito præmiis donati, ipsisque aliquando impiis minus felices exhibentur.

℣. 2. Ego vadam absque liberis; i. e. quantum intelligo, liberis ero carens. In quem ergo, Domine, recident magnificæ istæ promissiones? Aliter: Cùm tu meritorum præmium te ipsum offers, nihil mihi in hac vitâ ulterius expectandum: liberis moriar liberis carens; & siquidem tibi placuerit, hæredem meum ex asse instituam Eliezer Damasci mancipium meum, qui pondus promissionum tuarum sustineat. Reddi potest ad literam Hebræum: Ego vado עריךי, *solus*, *orbatus*, *nudatus*, *sine harede*, *sine successore*, *desolatus*, *fulcro & defensore carens*. Aquila: ἄγονος, *impotens gignere*. Symmachus: ἄτεκνος, *liberis carens*.

Et filius procuratoris domus meæ, iste Damascus Eliezer. Phrasis est intercisa, cui addi potest e subsequenti versiculo: Hæres meus erit; ut Textus versuum II, & III ita reddatur: Ego vadam absque liberis; & vernaculus meus, filius Procuratoris domûs meæ, iste Damascus Eliezer, hæres meus erit. Ex Hebræo Textu non satis apparet, an hoc nomine Eliezer explicetur vernaculus Abrahami, quem in hæredem suum assumere Abraham meditaretur, an vernaculi hujus pater. Idem est ambigendi locus de *Damasco*: an scilicet patris sit vel Filii nomen, an loci originis, an natalis. Septuaginta vertunt: Ὑιὸς Μασὲκ τῆς οἰκογενοῦς μου, οὗτος Δαμασκὸς Ἐλιέζερ: *Filius Masech vernaculæ meæ iste Eliezer Damascus*; ut Masech nomen sit vernaculæ domûs Abrahami, matris Eliezer: in quam sententiam concesserunt ex Græcis nonnulli.

Censent plerique, Eliezer œconomum egisse in domo Abrahami, ejusque filium fuisse Damascum, quem Abrahamus adoptare sibi statuerat. Conditam a Damasco isto urbem ejus nominis, tradit S. Hieronymus in QQ. *Hebr. in Genesim*, cujus sententia obtinuit. Sed verisimiliùs credimus, Damascum patriam esse Eliezer, vel locum originis; ut Eliezer cognomen Damasci obtineret, quòd patrem seu matrem haberet Damascenam: ipse enim in domo Abrahami natus erat. Filius Eliezer commune fortè habebat cum patre nomen, quod in causâ fuit cur sileatur a Moyse.

Quo loco legimus, *Filius procuratoris domûs meæ*, Hebræus ad literam habet: ובן משק ביתי: *Filius Mescheb domûs meæ*, sive *ejus qui currit in domo meâ*. Filius œconomi mei, procuratoris domûs meæ. Aquila: Ὑιὸς τοῦ ποτίζοντος οἰκίαν μου: *Filius potum dantis domui meæ*. S. Hieronymus in cap. XL, 1 Geneseos reddidit *Pincernam* vocem משקה, *Mascheb*, ex eâdem radice ac Meschek. Theodotion: Ὁ υἱὸς τοῦ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου: *Filius ejus, qui est super domum meam*. Symmachus: Ὁ συγγενὴς τοῦ οἴκου μου: *Consanguineus domûs meæ*. Posset etiam Hebræus verti: *Filius procurationis*; quod usurpatur de procuratore ipso; uti filius captivitatis de captivo; & filius perditionis de viro perdito. & filius dilectionis de dilecto, &c.

℣. 6. Credidit Abram Deo, et reputatum est illi ad justitiam. Fides Abrahami, justitiæ ipsius principium, donum est gratis a Deo collatum, quod nullo præcedente merito sibi vir ille sanctus promeruerat. Sed fides illa & justitia, quibus meritum ipsum viri constat, peculiares sunt illi adeò, & altera tamquam alterius præmium ita rependitur, ut neutra illi tantùm imputata, veluti extranea & adscititia, nec ad illum pertinens, possit reputari. Hanc sententiam laudat Apostolus (*a*), ut demonstret Judæis ac Gentilibus, nemini datum esse, ut justificationis gratiam operum suo-

(a) *Rom.* IV, 3. *Galat.* III. 6. *Vide & Jacobi* II, 23.

℣. 7. Dixitque ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam.
℣. 8. At ille ait: Domine Deus, unde ſcire poſſum, quòd poſſeſſurus ſim eam?
℣. 9. Et reſpondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam.
℣. 10. Qui tollens univerſa hæc, diviſit ea per medium, & utraſque partes contra ſe altrinſecùs poſuit: aves autem non diviſit.
℣. 11. Deſcenderuntque volucres ſuper cadavera, & abigebat eas Abram.

COMMENTARIUS.

ſuorum merito obtineat; ut pariter evincat, litteralem præceptorum cæremonialium, & judicialium Legis Moſaicæ obſervantiam nunquam valere, ut ſola juſtos reddat; & unicum eſſe privilegium Fidei Jeſu Chriſti, ut juſtificationis gratiam promereatur. Ut verò fides illa nobis præmium cœleſte obtineat, merito ſui, jungenda eſt cum charitate, nec operibus deſtituenda, ſine quibus fides mortua eſt. Fides Abrahami in hoc potiſſimùm rerum eventu emicuit; quod Moyſes operæ pretium duxit animadvertere.

℣. 7. Eduxi te de Ur. Dei per viſum apparentis monitu Abraham egreſſus eſt. Act. vii, 2, 3. Vide ſupra Gen. xi, 3.

℣. 8. Unde scire possum, quod possessurus sim eam? Illuſtre exhibet hìc Scriptura teſtimonium de fide Abrahami, qui Dei oraculis omnibus credidit, nihil contra reponens, quamquam contra omnem veri ſpeciem viderentur, quæ Deus promittebat. Nunc verò ſacer Hiſtoricus ita loquentem virum induceit, quaſi ſtructas antea laudationes omnes ſubverteret. Reponimus autem, Abrahamum nihil quidem ambigere; rogare tantùm Deum, ut fidem ſuam, & ſpem confirmet augeatque, ſicut olim ille ad Chriſtum (b): *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Rogat, inquiunt nonnulli, ut pignora pro fide promiſſionum certa obtineat, non ſibi quidem ſed poſteris ſuis, uti deinde Moyſes precibus exorabat Deum in rubo ſibi apparentem, ut argumenta certa præberet, quibus miſſionem ſuam apud Hebræos in Ægypto verſantes probaret. Tandem Abraham a Deo poſcit, ut ſibi rationem promiſſionum illarum implendarum aperiat (c), ſicut olim Beata Virgo Angelum rogavit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Luc. i, 34.

℣. 9. Vaccam triennem, et capram trimam. Flos eſt ætatis in pecudibus illis (d). Chaldæus reddit, *Tres Vaccas*, quod Interpretes nonnulli probarunt (e), reddentes Hebræum: עגלה משלשה, *Triplicem vaccam*.

Turturem et Columbam: ותר וגוזל reddi poſſet: *Et turturem, & pipionem* (f).

℣. 10. Divisit ea per medium, et utrasque partes contra se altrinsecus posuit; aves autem non divisit. A capite adusque crura diviſit Abraham vaccam, capram & ovem; abſciſſas verò portiones alteram contra alteram, ad latera ſibi, poſuit ſuper Altaria e regione poſita. Hunc morem diſcerpendi in fruſta hoſtias, & diſponendi partes ſeorſum ſuper Altare, inſinuat Homerus Iliad. A. v. 460.

> Μηρὺς τ' ἐξέταμον, κατά τε κνίσῃ ἐκάλυψαν,
> Δίπτυχα ποιήσαντες, ἐπ' αὐτῶν δ' ὠμοθέτησαν.
> *Coxaſque ſecuerunt, arvinaque cooperuerunt,*
> *Dupliciter facientes, ſuper ipſis autem cruda poſuerunt.*

Servatum id etiam in fœderibus & exercitûs luſtrationibus (g).

Apud Macedones (h) ita milites luſtrabantur: exta canis fœminæ exenteratæ in duas partes diviſa, in duas extremas caſtrorum oras projiciebantur; cùm interim in medio illo ſpatio copiæ inſtruerentur in aciem. Aſſerit S. Cyrillus l. 10. contra Julianum, morem hunc tranſeundi per medias victimas, in duas partes diviſas, e Chaldæis derivari, obtinuiſſe autem apud Barbaros: in quam rem affert locum Sophoclis, apud quem traducuntur homines per duos ignes, ferrum habentes in manu. Non inviti credimus, Abrahamum per diviſas illas hoſtias medium tranſiſſe, fœdus initurum cum Deo; ſicut infra ℣. 17, objectum ſibi validum ignem inſpexit, exhibentem Deum ipſum inter medias illas victimas tranſeuntem, veluti ex parte ſuâ fœdus illud confirmaturum.

Mos iſte dividendi hoſtias fœderis, atque per medias illas diviſas tranſeundi, deſignabat, eos, qui fœdus inibant, fidem ſuam obſtringere, ſervaturos ſe pacta conventa, vel, ſi minùs, imprecari in ſe earum victimarum fatum. Apud Romanos (i) Fecialis vel Sacerdos in ſolemni ritu celebratis fœderibus porcam immolabat, verba ſimul illa pronuncians: *Si prior defecerit publico conſilio dolo malo, tu ille, Dieſpiter, populum Romanum ſic ferito, ut ego hanc porcam hodie feriam; tantoque magis ferito, quanto magis potes polleſque.* Tunc ſaxo ſilice ingenti porcam percutiebat. Dionyſius Halicarnaſſæus, l. 4, narrat, Servium Tullium Regem, poſt cenſum univerſi populi Romani actum, circum exercitum in campo Martio coactum duxiſſe taurum, ovem & hircum, quos deinde Marti in luſtrationem populi immolavit. Tandem nunquam ſolemni ritu fœdus ſanciebatur abſque ſacrificiis: ex quo facilè obtinuere phraſes illæ, *Percutere fœdus, ſcindere fœdus*, quod apud Prophanos non ſemel, nec rarò in Scripturâ occurrit, כרת ברית, & ὅρκια τέμνειν.

℣. 11. Descenderuntque volucres super ca-

(b) *Marc.* ix, 23. (c) *Vide Theodoret. quæſt.* 65. *& Aug. de Civit. lib.* xvi, *c.* 24. (d) *Menoch. Cornel.* (e) *Rab. Salom. Munſt. Grot. & alii in Bochart.* (f) *Onkel. Arab. Theodot.* (g) *Jerem.* xxxiv, 18. *Th. qu.* 66 *in Geneſ.* (h) *Q. Curt. l.* 10. *& Livius l.* xl. (i) *Livius l.* i, *Decad.* i.

℣. 12. Cùmque Sol occumberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus invasit eum.

℣. 13. Dictumque est ad eum: Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terrâ non suâ, & subjicient eos servituti, & affligent quadringentis annis.

℣. 14. Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo: & post hæc egredientur cum magnâ substantiâ.

℣. 15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bonâ.

℣. 16. Generatione autem quartâ revertentur hùc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum usq; ad præsens tempus.

℣. 17. Cùm ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter divisiones illas.

COMMENTARIUS.

CADAVERA; ET ABIGEBAT EAS ABRAM. Punctorum Massoreticâ ratione mutatâ, reddi posset Hebræus (k): Abraham immolatas aves integras misit super cadavera aliarum victimarum divisarum, & inter eas medius cubuit. Parem fermè interpretationem adoptarunt Septuaginta (l). Porrò animadvertendum est, Abraham inter medias illas victimas tum versari; quare vix fieri poterat, ut aves ad vorandas illas descenderent, adeoque & pellere illas opus esset Abrahamo.

℣. 12. CUMQUE SOL OCCUMBERET, SOPOR IRRUIT SUPER ABRAM. Hebræum תרדמה, *tardemah*, redditur a Septuaginta ἔκστασις, *extasis*; ab Aquilâ καταφορὰ, sopor a Deo missus; a Symmacho Κάρος, *sopor cum gravedine*.

HORROR MAGNUS ET TENEBROSUS. Non male verteretur horror & tenebræ; oppressit horror Abrahamum in medio tenebrarum. Vel aliter: *Horror tenebrarum*, Horror nempe, qualis inter medias tenebras incutitur ab objecto inusitato aliquo phantasmate. Hebræus ad literam (m): *Terror obscuritatis magna cadens super eum.*

℣. 13. SUBJICIENT EOS SERVITUTI, ET AFFLIGENT QUADRINGENTIS ANNIS. Hujus oraculi fidem impletam legimus in Exodo XII, 40, 41. Notat Scriptura, Israëlitas manumissos post CCCCXXX annorum servitutem: hanc etiam periodum servat Apostolus ad Galatas III, 17. Septuaginta & Samaritanus in locum illum Exodi, addunt, CCCCXXX annos servitutis referri non ad moram tantùm Hebræorum in Ægypto, sed etiam in terrâ Chanaan: in quam sententiam a plerisque concessum est. Juxta Chronologiam, quam sequimur, Usserii, annorum CCCCXXX initium componendum est cum exitu Abrahami de Ur Chaldæorum A. M. 2082; finis verò cum egressu ab Ægypto, anno 2513.

℣. 15. TU AUTEM IBIS AD PATRES TUOS. Unum habebis cum illis vitæ exitum, cum illis in sepulchrum inducêris, post exactum diuturnæ & felicis vitæ cursum. E vitâ migrabis, non exitu præmaturo nec violento, sed tranquillo. Discedes, ut in alteram vitam te conferas cum Patribus tuis, in pietate & justitiâ defunctis, cum illis omnibus oppertens libertatem a Servatore per tot retro sæcula promisso afferendam. *Ad patres tuos*; hæc verba non ita accipienda sunt, quasi Avi omnes Abrahami ita ex hac vitâ decessissent, ut simul cum illo alterius salutem obtinerent; constat enim ex illis plerosque in Idololatriâ mortuos, æternâ felicitate privari. *Sepultus in senectute bonâ*, felici nempe senectute. Editiones quædam Septuaginta olim habebant, τραφεὶς, *nutritus in senectâ felici*; quam lectionem tenent S. Ambrosius, *de Abrahamo cap. 9*, & S. Augustinus *de Civit. l. 16, c. 24*. Sed absolutissimæ editiones habent ταφεὶς, *sepultus*, ut in Hebræo, הקבר.

℣. 16. GENERATIONE AUTEM QUARTA REVERTENTUR HUC. Mos supputandi per generationes obtinuit olim, sicut apud alios plures, ita etiam apud Ægyptios. Generationem definiebant nonnulli intra XX vel XXV annos; alii intra XXX vel XXXIII; alii intra C, & interdum CVIII, vel CX. Quò remotior est antiquitas, eò diuturnior est generationibus constituta periodus. Non inviti credimus, quatuor generationes hìc tempus idem designare, ac ℣. 13, post CCCC annos.

Exponunt nonnulli quatuor istas generationes de quatuor ætatibus hominum, alterius post alterum succedentium. E. g. in Tribu Juda Ezron, natus in Ægypto, filium habuit Aran patrem Aminadab, & avum Naasson. Postremus iste genuit Salmon, qui in terram promissionis vênit. Ezron, Aran, Aminadab, Naasson quatuor generationes constituunt. Sed eâ expositione admissâ, redigendi essent CCCC anni ad tempus captivitatis Ægyptiæ: quod cum chronologiâ nostrâ non cohæret. Fortè etiam generationes istæ non ad Israëlitas pertinent, sed ad Amorrhæos, quorum crimina severâ animadversione punitūrum se Deus minitatur, postquam culmen malorum in quartâ generatione attigerint. Favent huic interpretationi quæ sequuntur: *Nec dum enim completa sunt iniquitates Amorrhæorum usque ad præsens tempus.* Nomen Amorrhæorum usurpatum pro omnibus posteris Chanaan, in decursu non rarò observabimus.

℣. 17. CUM ERGO OCCUBUISSET SOL. Gesta omnia per duas noctes & diem in hoc capite narrantur. Priori nocte Abraham per visum spectavit

(k) וירד העיט על הפגרים וישב אתם אברם

(l) Κατέβη δὲ ὄρνεα ἐπὶ τὰ σώματα, ἐπὶ τὰ διχοτομήματα αὐτῶν, καὶ συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἀ'βραμ.

(m) הנה אימה חשכה גדלה נפלת עליו

℣. 18. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem;
℣. 19. Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos,
℣. 20. Et Hethæos, & Pherezæos, Raphaïm quoque,
℣. 21. Et Amorrhæos, & Chananæos, & Gergesæos, & Jebusæos.

COMMENTARIUS.

vit quæ initio capitis legimus: succedentem diem parandis offerendisque sacrificiis, de quibus cap. 9, insumpsit. Post occasum Solis, Abrahamo altè dormienti hæc per visum obiecta sunt.

Apparuit clibanus fumans, et lampas ignis transiens inter divisiones illas. Fumus iste & clibanus succensus expresso facilè emblemate exhibebant mala omnia, quæ Hebræos in Ægypto manebant; & ignis inter medias divisas victimas transiens, Deum ipsum referebat, obstringentem fidem suam Abramo, quo cum inibat fœdus. Absumpsit ignis ille paratum ante plures horas sacrificium. Hujus ignei turbinis fulgor & boatus Abrahamum, altè licèt ab occasu Solis dormientem (℣. 12), excitavit.

℣. 18. Semini tuo dabo terram hanc, a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem. Hæc pacta conventa Dei fœdus firm gentis cum Abrahamo, cui totum regionis tractum inter Nilum & Euphratem Deus permittit. Si Israëlitarum imperium diù intra angustiores fines coactum mansit, de suâ illis pervicaciâ querendum est. Deus enim fidem in hac re illis suam obstringit, siquidem illi fœderis conditiones sanctè servent. David & Salomon promissionum ejusmodi fidem totam impletam in suo regno intellexerunt.

Fluvii Ægypti nomine quidam designatum voluerunt torrentem Bezor; sed de Nilo dictum arbitramur, de ramo scilicet magis orientali ejus amnis (*n*). Moysis ætate, nullo peculiari nomine distinctum fluvium illum censemus, sed tantùm appellatum *fluvium Ægypti*; unus est enim & singularis in totâ Ægypto amnis, ut proinde nulla esset ambiguitatis in eo nomine occasio. Variis deinde nominibus appellatus est, quæ afferemus ad Josue XIII, 3.

℣. 19. Cinæos. Paraphrastes Chaldæus appellat *Salmæos*, quo nomine significantur populi quidam Arabiæ apud Plinium l. VI, c. 26, & Ptolemæum, prope *Salmonam*. *Num.* XXXIII, 41. Jethro socer Moysis Cinæus erat, uti ex Scripturâ (*o*) constat. Posteri Jethro regionis tractum in Chanaanitide tenebant, qui deinde Tribui Juda accessit (*p*). Cinæi, Saulis ætate, juncti erant Amalecitis: quare Rex ille ad Amalecitas exterminandos a Deo missus, in ultionem pessimè exceptorum Israëlitarum ex Ægypto egredientium, monuit Cinæos ut ab Amalec secederent (*q*); Deum enim eximere illos a reliquorum fato decrevisse, quòd humanissimè egissent cum Israëlitis, iter per desertum habentibus. Manserunt Cinæi in fide Israëlitarum a Moysis ætate, nec idem cum Chananæis fatum experti sunt.

Cenezæos. Quinam populi sub eo nomine censerentur, ignotum. Caleb filius Jephone, cognomento *Cenezæus* (*r*), suspicandi ansam præbet, hanc gentem tenuisse montium Juda portionem illam, quæ Calebo obtigit in finibus Idumææ. Inter principes Edom recensetur Princeps quidam Cenez (*s*), facilè Cenezæorum, tenentium ab origine montes Tribui Juda Meridionales.

Cedmonæos. Populi sunt ad Orientem Chanaanitidis, ut ex nomine ipso indicatur; *Cadmonim* enim est *Orientales*. Hevæi erant genere, sedesque habebant constitutas circa montem Hermon; & ex illis, uti creditur, genus referebant Cadmus conditor Thebarum in Bœotiâ, & Hermione ejus uxor: sunt etiam illi fortè ex eorum numero, qui Josue Chanaanitidem invadente, cum suis solum verterunt. Quæ in fabulis narrantur de anguis dentibus a Cadmo seminatis, e quibus germinarunt homines armati, deducta sunt ex etymologiâ nominis *Hevai*, quod est serpens, ut jam animadvertimus. Cadmus seminavit anguis dentes Thebis, i. e. Hebræos ibi constituit, gentem bellicosam & laboribus duratam.

(n) *Ita Rabb. Salom. & Kimchi.* (o) *Judic.* I. 16. (p) *Num.* XXIV, 21. (q) 1 *Reg.* XV, 6. (r) *Num.* XXXII, 12. *Josue* XIV, 6. (s) *Genes.* XXXVI, 15.

CAPUT XVI.

Agar in conjugem Abrahami assumitur. Fugit e domo viri, tum regreditur. Oritur Ismaël.

℣. 1. IGitur Saraï, uxor Abram, non genuerat liberos: sed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar,

℣. 2. Dixit marito suo: Ecce conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si fortè saltem ex illâ suscipiam filios. Cùmque ille acquiesceret deprecanti,

℣. 3. Tulit Agar Ægyptiam ancillam suam post annos decem quàm habitare cœperant in terrâ Chanaan, & dedit eam viro suo uxorem.

℣. 4. Qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam.

℣. 5. Dixitque Saraï ad Abram: Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quòd conceperit, despectui me habet. Judicet Dominus inter me & te.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HABENS ANCILLAM ÆGYPTIAM, NOMINE AGAR. Autumat S. Chrysostomus (t), hanc fœminam inter cæteras muneris loco traditam Abrahamo a Pharaone, ut illi mancipii jure serviret, traditam scilicet quo tempore vir ille sanctus in Ægypto versabatur. Filiam fuisse Pharaonis, asserunt Rabbini: sed quanta fides in rebus Historicis assertoribus hisce debetur? Ex Agar inditum est nomen Urbi Agar vel Petræ, metropoli Arabiæ Petreæ, & populis illis, olim *Agarenis* (u), vel *Agarais*, hodie *Saracenis*, nomine non ex Sarâ, uti malunt nonnulli, sed ex furtis & prædationibus derivato. סרק, *Sarak* enim Arabicè est furari, prædari.

℣. 2. SI FORTE EX EA SUSCIPIAM LIBEROS. Hebræus ad literam: *Fortè per illam ego ædificabo domum meam*; quæ loquendi phrasis Scripturæ familiaris exprimit, liberos suscipere. Hebræum בן *Ben*, filius, derivatur ex verbo בנה *Banah*, ædificare. Vide Exodi I, 21; Deut. XXV, 9; Ruth IV, 11, &c.

CUMQUE ACQUIESCERET DEPRECANTI. Nonnisi instante Sarâ uxore suâ, acquievit Abraham nuptiis Agar: qua in re Dei spiritu motam fuisse Saram, ut virum suum ad aliam fœminam induceret, censet Josephus, *Antiq. l. 1, c. 11.* Nec Abraham rogantis fœminæ preces admisit, sive contemptu ipsius Saræ, seu voluptatis pellectu: Movit illum potissimùm (x), suscipiendi liberos amor, qui promissionum Dei fidem tutam facerent; nihilque in eâ re factum ab illo, quin priùs Deum consuluerit. Tandem ejus ætatis mores polygamiam admittebant; tolerabat illam Deus: Deo enim non tolerante, nullâ satis justâ ratione excusaretur (y), juxta constitutam agendi illam regulam, res naturâ suâ malas nunquam a crimine excusari, quamquam in optimo consilio gerantur.

Cùm de Lamech ageremus, polygamiam juri naturæ nequaquam opponi, quamquam repugnet primo connubii instituendi consilio, demonstravimus. Hunc autem præstitutum connubio finem suspendendum censuit Deus aliquo temporis spatio, translato, ait Grotius, ad plures fœminas jure, quod ab exordio nonnisi uni fœminæ in virum unum erat. Eâ libertate ducendi plures simul fœminas privantur modò Judæi, sive in Oriente sive in Occidente, quòd ipsis pariter, latis a Theodosio, Arcadio & Honorio legibus, interdicta est. Mahometani licere id sibi arbitrantur, vetant Judæis in ditione suâ degentibus. Unicam conjugem ducunt Samaritani; qui etiam crimini vertunt Judæis Orientalibus polygamiam clandestinam.

℣. 3. POST ANNOS DECEM, QUAM HABITARE COEPERANT IN TERRA CHANAAN, ET DEDIT EAM VIRO SUO UXOREM. Asserunt Rabbini, apud Munsterum & Clarium, vetustissimâ lege apud suos obtinere, ut si fortè uxor intra decennium ab inito conjugio liberis caruerit, fas viro sit alteram in thorum adsciscere. An Abrahami exemplum legem illam induxerit, cujus tamen legis mihi suspiciosa est maximè antiquitas, ignoro. Agebat tunc Abraham ætatis LXXXV annos, & Sara LXXV.

℣. 5. INIQUE AGIS CONTRA ME. Hebræus: חמסי עליך: *Reus es injuria mihi irrogata*, sive: *Irrogata mihi injuria super te recidit*. Agaris in me contemptus, super te fratrem meum & sponsum regeritur. Seu potiùs, juxta Septuaginta: Ἀδικοῦμαι ἐκ σοῦ: *Injuriam accipio ex te*. Censet S. Chrysostomus, homil. 38 in Genesim, Sa-

(t) *Chrys. Homil. 38 in Genes.* (u) הגריאים *Par.* V, 10. *Ps.* LXXXII, 8. (x) *Aug. l.* XVI *de Civit. c.* 25, *& l.* 2 *contra advers. legis & Proph. c.* 9 *l.* XXII *contra Faust. c.* 30, 31, 32.
(y) *Aug. l.* 3 *Confess. c.* 8, *& l.* 3 *de Doctrinâ Christianâ c.* 14, 18, 19, 20, 21.

ỳ. 6. Cui respondens Abram: Ecce, ait, ancilla tua in manu
tuâ est, utere eâ ut libet. Affligente igitur eam Saraï, fugam
iniit.
ỳ. 7. Cùmque invenisset eam Angelus Domini juxta fontem aquæ
in solitudine, quæ est in viâ Sur in deserto,
ỳ. 8. Dixit ad illam: Agar ancilla Saraï, unde venis? & quò vadis?
Quæ respondit: A facie Saraï dominæ meæ ego fugio.
ỳ. 9. Dixitque ei Angelus Domini: Revertere ad dominam tu-
am, & humiliare sub manu illius.
ỳ. 10. Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum,
& non numerabitur præ multitudine.
ỳ. 11. Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti, & paries filium: vo-
cabisque nomen ejus Ismaël; eò quod audierit Dominus affli-
ctionem tuam.
ỳ. 12. Hic erit ferus homo: manus ejus contra omnes, & ma-
nus omnium contra eum, & e regione universorum fratrum
suorum figet tabernacula.

COMMENTARIUS.

ram muliebri quadam ægritudine querelas expressisse illas de nimiâ Abrahami in Agar indulgentiâ, veluti si contemptu viri erga conjugem factum esset, ut vir ipse ancillam petulantem erga dominam suam non reprimeret. In hanc sententiam interpretatur Chaldæus: *Judicium habeo contra te; querelas habeo in te*, &c.

JUDICET DOMINUS INTER ME ET TE. Verba sunt indignantis & querentis Saræ, & minarum quoddam genus insinuant. Reddi posset Hebræus: *Judicabit Dominus &c.*

ỳ. 6. ECCE ANCILLA TUA IN MANU TUA EST: UTERE EA UT LIBET. Ex his & sequentibus intelligimus, famulas, quas Domini in thori consortium tamquam uxores secundarias adsciscebant, non ideò tamen manumissas censeri, sed manere semper tum heri, tum uxori ipsius, primariæ matrisfamiliâr, subjectas. Abraham jus integrum servavit Saræ in vitam & in mortem ancillæ (z), quod jus ipsi Abrahamo primùm inerat tanquam hero, & conjugi. Vetus hoc jus apud gentes ferè omnes obtinebat. Abraham ut ægritudini uxoris suæ mederetur, simulque demonstraret, se abesse prorsus a petulantis Agaris crimine, uxori permittit Ancillam, quæ ab ipsâ & judicaretur & puniretur. Vide Chrysost. hom. 37.

AFFLIGENTE EAM SARAI, FUGAM INIIT. Quòd Sarai ancillam duriùs habuerit, excusat S. Augustinus Epist. 48; mitius enim agendum non esse censuit cum ancillâ petulante: ut corrigeretur, exactam de illâ pœnam, non spiritu crudelitatis & furoris, sed studio correctionis. Omnem ab illâ suspicionem removet laur, qua Saræ factum illud probavit Deus. Vide ỳ. 9. Verùm S. Ambrosius, l. 1 *de Abraham*, c. 14, fœminam reprehendit, tanquam justæ indignationis modum excedentem.

ỳ. 7. JUXTA FONTEM AQUÆ IN SOLITUDINE, QUÆ EST IN VIA SUR IN DESERTO. Deest vox, *In deserto*, tum in Hebræo, tum in versione S. Hieronymi (a): repetitio est autem vocis, *In solitudine*, quæ paulò superius legitur. Fons vel puteus, ubi Angelus spectandum se præbuit Agari, adjacet viæ deducenti ex Hebron in Ægyptum per desertum Sur, quod est ad extremam oram maris rubri.

ỳ. 11. ISMAEL (b) significat, *Audivit Deus*.

ỳ. 12. *Erit ferus homo*. Hebræus ad literam (c): *Erit onager*. Paraphrastes Chaldæus: *Erit onager in hominibus*; silvestris, indole scilicet ac genio, & morum sævitiâ referet onagrum.

MANUS EJUS CONTRA OMNES, ET MANUS OMNIUM CONTRA EUM. Omnes ille in se provocabit adversarios, & ipse invicem omnium inimicus. Nunquam cessabit a bello, sive inferens sive propulsans injurias; paratus semper ad discrimina, ut obvios quoscumque expoliet. Horoscopum patris impleverunt filii, nempe Arabes, qui semper, & hodie usque, furtis ac prædationibus addictissimi, novandis rebus præsto sunt semper, erraticam agunt vitam, pauperes, feri, inconstantes. In servandis promissionibus fidem jactant: hospitalitati student: furtum rem esse crimine vacuam arbitrantur, eo ducti principio, fratres esse homines inter se, nullas inter homines divisisse rerum portiones naturam; sed omnia primò accipientibus permisisse (d).

Chaldæus ita Textum reddit: *Ipse indigebit omnibus, & omnes filii hominum indigebunt eo*: veluti si diceret, protensâ manu omnium opem expostulabit, sicut & omnes protensâ manu opem quærent ab illo; seu: Omnibus innitetur, & omnes illi innitentur. Hebræus ad literam (e): *Manus ejus in omnes, & manus omnium in eum*. Quibus loquendi phrasibus plerumque insinuatur, manum conferre cum aliquo, cædere, occidere. Vi-

de

(z) *Grotius*. (a) *Hieron. tom. 1 nova edit.* (b) שמע *Audivit*, אל *Deus*. (c) פרא *Aq. ἄγροικος Sym. Κεχωρισμένος Th. ἔρημος*. (d) *Vide Abraham. Ecchell. Arab. c. 5*. (e) ידו בכל ויד כל בו

℣. 13. Vocavit autem nomen Domini, qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidiſti me. Dixit enim: Profectò hìc vidi poſteriora videntis me.

℣. 14. Proptereà appellavit puteum illum, Puteum viventis & videntis me. Ipſe eſt inter Cades & Barad.

℣. 15. Peperitque Agar Abræ filium, qui vocavit nomen ejus Iſmaël.

℣. 16. Octoginta & ſex annorum erat Abram, quando peperit ei Agar Iſmaëlem.

COMMENTARIUS.

de Geneſ. XXXVII, 27. Deut. XXIII, 9; & XVII, 7.

E REGIONE UNIVERSORUM FRATRUM SUORUM FIGET TENTORIA. Proximam fratribus ſuis regionem occupabit, ſedes habebit in finibus fratrum ſuorum conſtitutas, quas evellere illi non audebunt. Cùm Iſmaëlitæ ſeſe diffudiſſent per Arabiam, fratrum ſuorum portionem, veluti per circuitum, complexi ſunt. Judæa, Idumæa, regio Moabitica, & Ammonitica in medio ſunt populorum Arabiæ, poſterorum Iſmaëlis. Sexnitæ vel Agræi orientalem plagam tenebant; Iſmaëlitæ cæteri occupabant Arabiam Petræam & Felicem. Aliter: Ferus licèt moribus, mitis erit cum fratribus ſuis & pacificus; vel tandem: Cum omnibus committetur, & omnes cum illo; bello affliget fratres ſuos, tentoria locabit, & caſtra e regione illorum, coram illis.

℣. 13. TU DEUS QUI VIDISTI ME. Hebræus (*f*): *Deus me videns*. Chaldæus: *Deus videns omnia*. Reddi poſſet: Tu es Deus per viſum apparens, qui ſpectandum te præbes, qui cum hominibus habes conſuetudinem. Vatablus: Deus viſionis, Deus, cujus providentia ſuper humana omnia extenditur: Deus oculatus, & nihil eorum, quæ aguntur in mundo, non conſiderans.

PROFECTO HIC VIDI POSTERIORA VIDENTIS ME. Loqui ſe cum homine credebat primò Agar; ſed eùm poſtea ſpectaſſet illum, cum quo ſermocinabatur, terga vertentem evanuiſſe, Deum vel Angelum eſſe rata (*g*), clamavit: Felix ſui, ut humeros viderem Angeli, qui mihi per viſum apparuit; vel: Ego vidi humeros Domini, qui mihi apparuit, ſeu qui oculos habet providentiæ ſuæ in me intentos. Perſuaſum habebant Veteres, nunquam Deos revelatâ vel convertâ facie ſpectandos ſe præbere hominibus; quod ſatis intelligimus ex epigrammate Callimachi in ſtatuam Jovis terga vertentis.

Chaldæus vertit: *Cœpi videre, poſtquam mihi apparuit*; vel: Ego in memetipſam me collegi (vel meipſam agnovi) ex quo ad me locutus eſt. Hebræus (*h*): *Etiam ne video poſt videntem me?* Adhuc ne videndi (vivendi) facultate utor, poſt viſum Deum, vel Angelum? *Videre* poſitum eſt hìc pro *vivere*, nempe vitæ munus pro vitâ ipſâ. Ita in Exodo XXIV, 11, legimus, Iſraëlitas bibiſſe & comediſſe poſt viſum Dominum, i. e. ex aſpectu tremendæ majeſtatis nullum vitæ ſubiiſſe diſcrimen. Altè inſidebat Hebræis illa perſuaſio, eos, quibus per viſum aliquid apparuiſſet inſolitum, in vitæ diſcrimen venire. Probatur id non unico Scripturæ exemplo. Jacob (*i*) poſt prorogatam totâ nocte luctam cum Angelo, quòd nihil inde ſiniſtri retuliſſet, nomen indidit loco *Phanuel*, ut perennis maneret memoria, nihil ſe retuliſſe incommodi. Moyſem rogarunt Iſraëlitæ, ut ipſe loqueretur, non Deus (*k*), ne fortè mortis periculum ſubirent. Deus Moyſem admonuit, ut a deſiderio videndi faciem Domini abſiſteret [*l*], quòd mortalium nemini datum eſſet videre faciem Dei, & vivere. Gedeon (*m*), cùm Angelum per viſum habuiſſet obvium, exclamavit: *Hei mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem*. Dixitque ei Dominus: *Pax tecum, ne timeas, non morieris*. In 1 Reg. VI, 19 Deus morte mulctavit Bethſamitas ſeptuaginta ſupra L millia, quòd Arcam Dei vidiſſent.

Eadem ſedebat Paganis de Numinibus per viſum ſpectatis idea; nunquam enim eorum aſpectum permiſſum hominibus cenſebant, quin continuò ſiniſtri alicujus miſeris ſpectatoribus malum omen afferrent (*n*); quod experientiâ probatum inſinuare videntur Hiſtoriæ & Fabulæ, id referentes (*o*). Tireſias ſpectatæ Minervæ, lavantis in fonte montis Heliconis, reus, cæcitate mulctatus eſt. Actæonem dilacerarunt canes, quòd in Dianam lavantem incidiſſet. Polyzelus Imperator Athenienſium in Marathoniâ pugnâ viſo ſpectro, luminibus orbatus eſt. Refert Plutarchus in Arato, Dianam a Pallenis cultam, Numinis ſui majeſtatem non tantùm terribilem reddidiſſe hominibus, ſed etiam arboribus, iis enim ſterilitatem inducebat, & ad abortum cogebat animantia, quocumque ſimulacrum transferretur. Aſſerit Lucianus in Dialogis, Gorgones inviſibiles eſſe Deas, quas ſi ſemel quiſpiam viderit, ſtatim videndi facultate privatur. Vide etiam Porphyrium apud Euſebium, *Præpar. l. 5, c. 6*, qui ſubitum interitum novem hominum refert ob Pana viſum. Horatius his precibus compellat Faunum.

Per meos fines & aprica rura
Lenis incedas, abeaſque parvis
Æquus alumnis.

℣. 14. PUTEUM VIVENTIS, ET VIDENTIS ME. Puteus, ſeu fons Dei viventis, qui mihi apparuit; ſeu fons, ubi ſuperſtes vidi Dominum. Chaldæus: *Puteus, ad quem Angelus vitæ mihi apparuit*.

IPSE EST INTER CADES ET BARAD. Cades vel Cadesbarne, jacebat ad meridiem ditionis Juda, in Ara-

(f) אל ראי (g) *Kimchi. Clar. Vat.* (h) הגם הלם ראיתי אחרי ראי
(i) *Geneſ.* XXXII, 30. (k) *Exod.* XX, 19. [l] *Exod.* XXXIII, 20. (m) *Judic.* VI, 22. (n) Χαλεποὶ δὲ θεοὶ φαίνονται ἐνάργεις. (o) *Vide Clericum in Geneſ. hic.*

Arabiâ Petræâ, octo leucis circiter ab Hebron. Certus situs *Barad* ignoratur. Onkelos reddit: *Inter Recam & Agara*. Syriacus: *Inter Racem, & Gedar*. Arabs: *Inter Racim & Jared*. Demonstrat Bochartus, Racem, Recem, Arce, ipsissimam esse Petram, Arabiæ Petrææ Metropolim. Agara idem significat; quare non satis constat, cur Onkelos fontem videntis constituat inter Recam & Agara, quasi inter duo distincta loca. Usurpavit facilè *Agara* pro *Adar* vel *Adara*, de quibus Num. XXXIV, 4. Nec aliò facilè spectarunt Syriacus & Arabs, reddentes *Gedar*, & *Jared*. Est Adar Eusebio & S. Hieronymo in Deserto Cades, XX m. passibus, sive octo leucis circiter ab Hebron in Tribu Juda. Jonathan reddit; *Rekem & Aluxa* quæ postrema Urbs inter Idumæos celebratur.

C A P U T XVII.

Deus per visum apparet Abramo, cui nomen transmutat in Abrahamum, sicut & Sarai in Saram. Oriturum Isaacum pollicetur.

℣. 1. POstquam verò nonaginta & novem annorum esse cœperar, apparuit ei Dominus: dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus.

℣. 2. Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis.

℣. 3. Cecidit Abram pronus in faciem.

℣. 4. Dixitque ei Deus: Ego sum, & pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium.

℣. 5. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te.

℣. 6. Faciamque te crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur.

COMMENTARIUS.

℣. 1. EGo DEUS OMNIPOTENS. Hebræum אל שרי, *el Sadai*, i. e. juxta plerosque Interpretes, Deus ita sibi sufficiens, ut nihil illi desit. *Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*, ait Propheta. Aquila in eam sententiam: Ἱκανὸς, *sibi ipse sufficiens*; & alibi: Α᾿λκιμος, Deus fortis. Nomen *Sadai* deducunt quidam ex *Sade*, quod est ager, quasi diceretur, Deus agrorum: alii ex *Schad*, papilla, quasi: Deus omnium altor. Apud Paganos Diana, Ceres, Isis appellantur Πολυμάστοι, mammosæ, & toto corpore papillis tectæ exhibebantur. Alii tandem derivant Sadai ex Hebræo שדד, *Schadad*, destruere, evertere: Deus terribilis, fulminator, qui vastat, exterminat adversarios.

AMBULA CORAM ME, ET ESTO PERFECTUS. Septuaginta: *Et esto inculpabilis*. Syriacus: *Sine labe*. Ita te geras, ut semper in conspectu tuo me ponas; in fide & obsequio permane, vitam gere sanctam & nullo crimine reprehendendam.

℣. 2. PONAMQUE FOEDUS MEUM INTER ME ET TE. Initum antea cum Abrahamo fœdus innovat Deus, etiam atque etiam opem illi suam pollicitus; & in suorum numerum velle se Abrahamum totamque ejus domum recipere ostendens. I, Nomen illi & uxori mutat, quod authoritatis est in quempiam argumentum (*p*), tamquam Domini in famulum. II, Maribus omnibus ejus generis sigillum circumcisionis imponit, uti cùm heri servilibus notis vernas suos compingunt, quibus a cæteris distinguantur. III, Deus fidem suam obstringit, daturum se Abrahamo filium, & floridam ex illo posteritatem.

℣. 5. NEC ULTRA VOCABITUR NOMEN TUUM ABRAM, SED APPELLABERIS ABRAHAM. *Ab-ram* significat *pater excelsus*, & Abraham, sive potiùs אב רם המון, *Ab ram-hammon*, est *Pater excelsus multitudinis*.

℣. 6. PONAM TE IN GENTIBUS: REGESQUE EX TE EGREDIENTUR. Verti etiam posset: *Ponam te in gentes*. Multarum gentium eris pater, & Regum. Porrò hujus oraculi fidem stetisse, nullo negocio demonstramus. Israëlitæ, Idumæi, Arabes, & ipsi per se noti sunt, & Reges habent celeberrimos. Docet tamen Apostolus (*q*), promissionum ejusmodi oracula respicere potissimùm filios Abrahami spirituales, fidei & obedientiæ eximii ejus virtutis imitatores. Reges ex Abrahamo originem ducturi, sunt Messias, Rex Regum, & Dominus dominantium, atque ejus Discipuli, quorum gloria & virtus principes omnes hujus mundi superat. Illud, *Ponam te in gentibus*, exprimit vocationem gentium (*r*), quarum nomina recensenda sunt aliquando inter filios fœderis, & hæredes promissionum, ad quas Deus seipsum obstrinxit cum Abrahamo, jam ante receptam circumcisionem, fideli.

℣. 10.

(p) *Psal.* CXLVI, 4. (q) *Rom.* IV, 11, 12; & IX, 7, 8. *Vide & Gal.* III, 14, *& seq.* (r) *Justin. Dialog. cum Tryphone, &c.*

℣. 7. Et statuam pactum meum inter te, & me, & inter semen tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te.

℣. 8. Daboque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum.

℣. 9. Dixit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis.

℣. 10. Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me, & vos, & semen tuum post te: Circumcidetur ex vobis omne masculinum.

℣. 11. Et circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me, & vos.

COMMENTARIUS.

℣. 10. HOC EST PACTUM MEUM. CIRCUMCIDETUR EX VOBIS OMNE MASCULINUM. In fœderibus solemni ritu celebratis, nunquam deest perpetuum quoddam monumentum, ad æternam rei memoriam consecratum. Cùm Deus fœdus iniret cum Noë, pignus & rei monumentum posuit Iridem. Cùm, intermedio Moyse, fœdus compositum est Deum inter & Israëlitas, ad rem firmandam adhibentur volumen legis, tabulæ lapideæ, in quibus scriptæ fœderis conditiones, & pacta conventa inter fœderatos servanda. Servatum est volumen illud, nempe Liber Legis seu Fœderis, in Arcâ unà cum tabulis digito Dei scriptis; cui proinde Arcæ inditum nomen Arcæ fœderis. In privatis fœderibus eadem monumenta ad perennandam memoriam non defuerunt. Jacob & Laban struem lapidum erexerunt. Israëlitarum Transjordanorum operâ excitatum est in ripâ ejus amnis monumentum, quo docerentur posteri, Israëlitas ultrà citraque fratres esse inter se. In Novo Testamento, Jesus Christus ante mortem suam initi a se cum hominibus in morte & effusione sui sanguinis, fœderis, perennem memoriam extare voluit in Sacramento, quo Corpus & Sanguinem a se traditum pro nobis sub specierum panis & vini involucris tradidit. Ita pariter Deus in fœdere cum Abrahamo signum indelebile impressit circumcisionis, quam viro illi ac posteris ejus omnibus injunxit. Porrò carnalis hæc circumcisio filiorum Abrahami, veritatem exprimebat indelebilis characteris, qui Baptismo imprimitur, perficitur confirmatione.

Effectus omnes circumcisionis in eo tantùm constituere videtur Apostolus, quòd eo veluti sigillo obsignetur fœdus, Deum inter & familiam Abrahami; eodemque pariter signo genus selectum a populis in avitâ corruptione relictis, distingueretur (s): *Signum accepit* (Abraham) *circumcisionis, signaculum justitiæ fidei, quæ est in præputio.* Signum igitur illud non justitiam conferebat, sed acceptæ, merito fidei, ante circumcisionem justitiæ signum erat ac monumentum. Docent veteres Patres, Deum circumcisionem non ideò Abrahamo injunxisse, ut promerendæ justitiæ in illâ iniret rationem; sed ut ipsam eamdem haberet veluti nudum & merum signum (t). S. Ireneus *l.* 4, *c.* 30, in eam rem apertissimè: *Circumcisionem non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo dedit Deus, ut cognoscibile perseveraret genus Abrahæ.* Tertullianus adversùs Judæos: *Ante Deo placuit* (Abraham) *quàm circumcideretur; accepit autem circumcisionem, sed quæ esset signum temporis illius, non in salutis prærogativam.* Vide pariter S. Chrysostomum (u), S. Epiphanium (x), S. Hieronymum (y), Theodoretum (z), & S. Ambrosium (a).

S. Augustinus (b) & illum sequuti Patres nonnulli (c) docuerunt, circumcisione peccatum originis remitti; ut quicumque illâ non initiatus decederet, æternâ morte periret. Hujus opinionis argumentum afferemus ad ℣. 14. Concesserunt autem in illam S. Prosper, S. Fulgentius, S. Gregorius Magnus, S. Bernardus, aliique nonnulli, cum Scholasticis & Interpretibus sanè multis.

Cùm autem privilegium illud circumcisioni asseritur, semper tamen spectatur efficacitas gratiæ & meritorum Jesu Christi, nec excluditur in adultis conditio, jungendi nempe circumcisioni corporeæ cordis circumcisionem, adeò a Sacrâ Scripturâ commendatam (d), veluti necessariam, ut sine illâ carnis circumcisio nihil valeat.

Pueri decedentes ante diem octavam, & puellæ, qui sanè omnes non initiabantur circumcisione.

(s) *Rom.* IV, 2. (t) Τὴν δὲ περιτομὴν εἰς σημεῖον, ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοσύνην ἔλαβεν. *Justin. Martyr in Dialogo cum Tryphone.* (u) *Hom.* 37. & 39 *in Genes.* (x) *Hæresi* XXX *c.* 28. (y) *In caput* 3 *Ep. ad Galatas. Gregem Israëliticum quodam circumcisionis cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, Babylonios atque Chaldæos, hoc signaculo distinguerentur.* (z) *Quæst.* LXVIII *in Genes.*
(a) *Ambros. l.* 1 *de Abrah. c.* 4. (b) *Aug. l.* XVI *de civit. c.* 27; *lib.* 2 *contra Pelag. & Celest. c.* 30; *lib.* 2 *de nuptiis & concupis. c.* 11; *lib.* 2 *de peccato Origin. c.* 30. (c) *Prosper Ep. ad Demetriad. Fulgent. l. de Incarn. c.* 15. *Bernard. ser. in cœnâ Domini. Beda in cap.* 2 *Luc. D. Thom.* 3 *parte q.* 62, *art.* 6. *Est. in hunc locum.* (d) *Vide Deut.* X, 16. & XXX, 6. *Jerem.* IV, 4. & VI, 10. & IX, 26. *Act.* VII, 51, & *Rom.* II, 28.

℣. 12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestrâ.
℣. 13. Eritque pactum meum in carne vestrâ in fœdus æternum.
℣. 14. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.

COMMENTARIUS.

ne, plures e Theologis (e) docuerunt, salute potitos merito fidei & precum vel parentum suorum vel Ecclesiæ Judaicæ, vel alio quopiam, qui tunc obtineret ante datam circumcisionem, ritu; ac tandem sacrificiis, oblationibus & expiationibus in lege præscriptis.

Putavit Strabo (f), Judæos ex legis præscripto adigi ad puellarum circumcisionem, pro more apud gentes nonnullas recepto: qua in re falli illum constat; nullâ enim sive lege sive consuetudine id imperatum Judæis. Vide nostram Dissertationem de Circumcisione.

℣. 12. INFANS OCTO DIERUM CIRCUMCIDETUR IN VOBIS. Cur octavâ die circumcisio statueretur, in causâ erat quòd impares erant ante id temporis infantes dolori vulneris ferendo. Ante id tempus nequaquam perfectionem suam attigisse animalia censebantur; cavitque Deus, ne offerrentur in Sacrificium, nisi saltem post octo dies nata (g). Neque in hominum societate, neque puri ante eos dies babebantur infantes (h). Nihil certi judicari posse de vitâ infantis ante septimam diem, docet Aristoteles (i); ac proinde, ait, nonnisi octavâ die impositis nominibus, velut explorata eorum vitâ, inter homines adlegebantur. Verùm ex Aristophane (k) & Suida, apparet, nonnisi decimâ vel decimâ octavâ die imponi consuevisse infantibus nomina in cœtu consanguineorum: tunc & sacrificiis litabatur Numinibus, lætaque convivia necessariis & amicis instruebantur. Imponendis nominibus præscripta apud Romanos dies, maribus quidem octava, fœminis verò nona. Servius in Phormionem Terentii: *Solebant Antiqui diem octavum pueri natalem constituere, & eo die singulis annis lætum convivium parare, sicut Judæi in die octavâ circumcidunt.*

Apud Hebræos ipsa octava dies, circumcisioni infantum præscripta, quantum fieri potest, servatur, etiamsi dies illa octava quolibet festo celebris sit. Nunquam præveniunt, differunt aliquando, cùm scilicet valetudo pueri dilationem postulat.

Plenâ die circumcisio agebatur, operâ Sacerdotis seu Levitæ, vel Medici, vel alterius cujuscumque, etiam fœminæ, dummodo fidelis. Nihil certi præscriptum in Sacris Libris sive de loco sive de ritu vel instrumento aut ministro. Sephora (l) & Josue (m) usi sunt in eam rem, ut creditur, lapideis cultris: plerimque tamen præacutum gladium adhibent Judæi.

TAM VERNACULUS, QUAM EMPTITIUS CIRCUMCIDETUR; ET QUICUMQUE NON FUERIT DE STIRPE VESTRA. Hebræus: *Circumcidetur natus domûs tuæ, & acquisitio argenti tui, ab omni filio alienigenâ, qui non sit de semine tuo.* Defendebant nonnulli (n), mancipium alienæ ab Hebræis originis, invitum etiam ad circumcisionem adigi potuisse. In jus enim transibat Heri, ut ad libitum de illo decerneret. Censuit Maimonides (o), mancipium alienigenam, si circumcisione initiari nollet, cogi quidem non potuisse, alteri tamen hero fuisse vendendum.

Certum verò plerisque est, nemini jus esse invitos cogendi ad circumcisionem; gravius enim alioqui servitute ipsâ jugum illis imponeretur, & repugnaret id maximè consiliis Dei, qui illud veluti signum fœderis sui imprimeret gentibus, quibus in fœdus illud nulla erat consensio sive ex origine sive ex voluntate (p). Si ergo hic Textus ita exponatur, quasi scilicet Deus circumcisionem injuogat vernaculis omnibus domûs Abraham, reputandum est semel tantùm id voluisse Deum; vel ejus sanctiones hac cautione interpretemur oportet: Circumcides vernaculos omnes tuos, qui ultrò religionem tuam admittere & in partem fœderis venire voluerint.

Quod Deus cum Abraham componebat fœdus, non ita reputandum est, quasi unicè virum illum spectaret: ligabat enim simul Isaacum & posteros illius omnes; minimè tamen filios Abrahami cæteros ex Agar & Cethurâ. Cùm autem nullæ essent illorum partes sive in fœdus, sive in promissiones, pariter ad illos non spectabant sive circumcisio sive aliæ quæcumque fœderis conditiones: quare circumcisionem illi si fortè admiserint, factum id vel consuetudine, vel privatâ religione (q), non receptâ divinitus lege.

℣. 14. MASCULUS, CUJUS PRÆPUTII CARO CIRCUMCISA NON FUERIT, DELEBITUR ANIMA ILLA DE POPULO SUO. Eâ loquendi phrasi, *Delebitur*, exprimitur plerumque (r) mortis supplicium; quo semel posito, reputandum esset, Deum mortis supplicium decernere in eos omnes e posteris Abrahami, qui circumcisione non initiarentur; quæ generalis lex ad pueros etiam extendenda esset, quamquam necessitate, non crimine, circumcisione caruissent. Ætate S. Augustini (s) legebant Exemplaria quædam Latina, uti nunc pariter Samaritanus & Septuaginta: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit die octavo, delebitur anima illa &c.* Hæc additio, *die octavo*, eò nos adducit, ut reputemus, extremo supplicio animadver-

(e) *Vide Cornel. in hunc locum. Hug. a sancto Victore lib. 1 de Sacramentis p. 12, c. 2. Biel. in IV sent. dist. 1, q. 4. & alios.* (f) *Strab. lib.* XVII, *pag.* 555; *& lib.* XVI, *pag.* 522. (g) *Exod.* XXII, 30. (h) *Macrob. Saturn. lib. 1, c.* 16. (i) *Arist. de animal. lib.* VII, *cap.* 12. [k] *Aristophan. in Avibus pag.* 585, *edit. Genev. an.* 1607. *Et Scholia Bisetr.* (l) *Exod.* IV, 24. (m) *Josue* V, 2. [n] *Abulens. Cajetan.* (o) *Maimonides l. 1, c. 6, de Circumcis.* (p) *Rupert. Bonavent. Sotus, Alens. Perer.* (q) *Bonfrer. Cornel. Jansen.* (r) *Vide Exod.* XXX, 33, 38; *&* XXXI, 14. *Levit.* XVII, 4, 9; *&* XX, 28. *Num.* 12, 13, *&* XV, 30, 31. (s) *Aug. l.* XVI *de Civit. c.* 27. *Ambros. Ep.* 72, *Nov. Edit.*

℣. 15. Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.

℣. 16. Et benedicam ei, & ex illâ dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, & Reges populorum orientur ex eo.

℣. 17. Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?

COMMENTARIUS.

vertendum fuisse in pueros circumcisione non initiatos, nullâ etiam eorum culpâ: quod cum minùs æquum reputaret S. Augustinus, ideo facilè ad exponendum Textum deductus est de interitu animæ, qui pueros illos maneret, cùm scilicet vitâ decederent ante circumcisionem: puniebantur enim, quòd originalis criminis ab ortu essent rei; exponit autem Augustinus, quæ sequuntur, *Quia pactum meum irritum fecit*, de hominibus reis violati in Adamo primi illius fœderis, Deum inter & naturam humanam sanciti. In hanc sententiam concesserunt plures ex Doctoribus, remitti circumcisione crimen illud originis arbitrantes, utì nos supra innuimus ad ℣. 10.

Docent Rabbini, hominem, qui fortè ab infantiâ circumcisione initiatus non fuisset, negligeretque subinde illam, post ætatem XIII annorum ejus Legis rigorem fuisse subiturum. Ad pœnas istas quod attinet, non eadem est omnium Interpretum sententia (t). Quidam, utì jam innuimus, de morte violentâ interpretantur; alii de damnatione vel interitu animæ, seu etiam de animâ in nihilum redactâ (u): eas pœnas exprimere mortem naturalem sed immaturam quidam volunt; alii mortem civilem, veluti si quis nullos post se relinquat successores, vel e cœtu Israëlitarum excommunicatione ejiciatur. Immatura mors reputatur, juxta nonnullos (x), mors ad annum LX, juxta alios ad L, vel LII. Tandem non incongruè admitteretur interpretatio Vatabli: Abscindetur e corpore Israëlitarum, prærogativis omnibus & promissionibus, quæ appendices sunt fœderis Dei cum Abrahamo, privatus.

Censuerunt nonnulli (y), pœnis illis non quidem in pueros a circumcisione exclusos, sed in parentes sive altores animadverti, quippe qui muneri suo defuissent. Favet illis Syriacus, habens: *Quicumque non circumcidet ..... delebitur*. Docent Judæi (z), si prior natus infans, tum secundus & tertius dolore vulneris circumcisionis obiissent, nequaquam, eos qui deinde nascebantur, filios circumcidi: præcepta enim cæremonialia servare certæ mortis periculo nequaquam cogimur.

℣. 15. Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Nomen *Sarai* exprimit Dominam, seu Dominam meam; & *Sara* Dominam. Posterius illud absolutum aliquid exprimit, & amplioris authoritatis nomen est. Non ampliùs habebitur Sarai tanquam singularis familiæ domina, sed gentium plurium Regina. Hæc nominum mutatio, innovatio ista fœderis cum Abrahamo, figuræ sunt novi testamenti, novique fœderis, Christum inter & naturam humanam.

℣. 16. Et benedicam ei, et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, et Reges populorum orientur ex eo. Quæ hic Vulgata de Isaaco, eadem Hebræus habet de Sarâ: *Et benedicam ei; & etiam dabo ex eâ tibi filium; & benedicam ei, & erit in gentes; Reges populorum ex eâ erunt*. Eamdem lectionem servat Chaldæus. Congruit Vulgatæ Syrus: *Reges ex eo erunt*. Porrò verbis istis major, quàm quæ unquam collata sit fœminis, in Veteri Testamento, benedictionum largitas exprimitur; ex quo conjecturam capias de merito Saræ, tantis muneribus cumulatæ.

Porrò Sara typus erat insignis Virginis Mariæ. Fœminæ hujus fides, quòd mater fuerit Isaaci, filii promissionis & fœderis, quòd sterilitatem toleraverit, quòd plura ab Agare famulâ suâ irrogata mala pertulerit, quòd filius ancillæ puerum Isaacum haberet pessimè; his omnibus veluti depingitur omnibus numeris absoluta fides & gratia B. Mariæ, cui Matris unà & Virginis privilegium assertum fuit, quæ Jesum Christum genuit, Filium promissionum, & novi fœderis, Jesum Christum, quem filii Synagogæ ad mortem usque insectati sunt. Sed tandem filii illi unà cum parente suâ ex avitâ domo ejecti, & prærogativis omnibus exspoliati sunt. Agnoscimus hìc personam Isaaci malè exceptam ab Ismaële; agnoscimus in Agar Synagogam, unà cum filiis suis servire coactam, utì observat Apostolus (a). Sara est Ecclesia, mater filiorum beatâ libertate fruentium.

℣. 17. Cecidit Abraham in faciem suam, et risit. Risus iste suspicionis alicujus indicium videtur; quod pariter ex sequentibus intelligimus: homini enim veluti confirmando, quò de veritate promissionum non dubitaret, Deus promissiones illas innovat. Durioribus verbis S. Chrysostomus factum illud Abrahami prosequutus est (b); asseruitque, ejus rei merito inductam in familiam ipsius prolixam illam in Ægypto servitutem. Viri suspensum animum minùs probat S. Hieronymus (c). Paraphrastæ Chaldæi de industriâ leniisse videntur vim vocis *Risit*. Onkelos vertit: *Gavisus est*; & duo alii Paraphrastæ: *Admiratus est*. Et quidem fateamur oportet, Textûs originalis vim totam Paraphrastas expressisse, si spectantur encomia, quibus Abrahami fidem prosequitur Seri-

(t) *Vide Selden. de Syned. l. 5, c. 6.* (u) *Maimonides.* [x] *Vide Constantin. L'Emper. in not. ad Bertram. Rep. Jud c. 2.* (y) *Diodor. Tars. & Procop.* (z) *Vide Hierosol. Pesachim fol. 36. Arub. & Cholim, & Glossa in Zebachim & Arub. Vide Ligfoot. hor. hebr. in Cor. VII.* (a) *Galat. IV, 23.* (b) *Homil. XL in Genes.* (c) *Hieronym. l. 3 contra Pelag.*

℣. 18. Dixitque ad eum: Utinam Ismaël vivat coram te.
℣. 19. Et ait Deus ad Abraham: Sara uxor tua pariet tibi filium,
vocabisque nomen ejus Isaac, & constituam pactum meum il-
li in fœdus sempiternum, & semini ejus post eum.
℣. 20. Super Ismaël quoque exaudivi te; ecce, benedicam ei,
& augebo, & multiplicabo eum valdè: duodecim duces ge-
nerabit, & faciam illum in gentem magnam.
℣. 21. Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sa-
ra tempore isto in anno altero.
℣. 22. Cùmque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit De-
us ab Abraham.
℣. 23. Tulit autem Abraham Ismaël filium suum & omnes verna-
culos domûs suæ; universosque quos emerat, cunctos mares
ex omnibus viris domûs suæ: & circumcìdit carnem præputii
eorum, statim in ipsâ die, sicut præceperat ei Deus.
℣. 24. Abraham nonaginta, & novem erat annorum, quando cir-
cumcìdit carnem præputii sui.

COMMENTARIUS.

Scriptura, tam Veteris quàm Novi Testamenti. *Et non infirmatus est fide* (d), *nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo &c.*

Ex Patribus plerique risum hunc gestientis admirantisque animi indicium reputant (e): *Exultatio gratulantis, non irrisio diffidentis*, ait S. Augustinus. Sciscitatus est, inquiunt, quòd vehementer optaret certior adhuc fieri, num alium habiturus esset hæredem, præter Ismaëlem, & quâ id futurum esset ratione, percontabatur: an scilicet ejus filii pater ipse futurus esset, vel ab alio natum accepturus a Deo. Præ oculis habuisse viri illud gaudium creditur Jesus, cùm de Abrahamo verba faciens, dixit (f): *Exultavit, ut videret diem meum: vidit & gavisus est.*

℣. 18. Utinam Ismael vivat coram te. Textus iste non uno sensu exponitur: Satis habeo, Domine mi, quòd Ismaëlem mihi fueris largitus: vivat ille, & nihil ultra quæro. Metuisse enim videtur Abraham ex factis sibi a Deo suscipiendi filii promissis, fortè insinuari interitum Ismaëlis, vel saltem exclusionem illius a promissionibus, quibus se pro eo obstrinxerat Deus; rogat proinde Pater Deum, ut superstitem illum servet. Rabbini ita Textum interpretantur, veluti si Abraham pro salute æternâ Ismaëlis oraret, Idolorum cultui, ut asserunt, addicti; in eam etenim sententiam exponunt quod infra *Cap.* xxi, 9, legitur de Ismaële *ludente cum Isaaco*; i. e. inquiunt, unà cum illo Idola formante. Pronis auribus excepisse Deum vota Abrahami, resipuisse Ismaëlem, ac damnationem evasisse. Quæ tamen quis probat?

℣. 20. Duodecim duces generabit. Filiorum Israël censum referemus inferiùs cap. xxv, 13, 14, 15. Septuaginta: *Duodecim gentes.* Sed Hebræum נשיאם, *Nessim*, significat Principes. Meminit Strabo duodecim principum Tribuum apud Arabes; & de Φυλάρχοις, *Phylarchis*, Saracenorum ducibus, sermo est apud Melonem, relatum ab Eusebio *Præp.* l. 9, c. 19, & apud Menandrum protectorem. Dispescebantur olim Arabes, pro Judæorum more, in duodecim Tribus: quod hodie usque servatum asserit Thevenotius p. 1, l. 3, c. 32: hoc tamen discrimine; quos enim aliquando Phylarchos, modò appellant *Scheich-Elchebir*, Seniores magnos.

℣. 22. Ascendit Deus ab Abraham. Chaldæus: *Ascendit gloria Domini super Abraham.* Arabs: *Sublatus est Angelus Domini.* Interpretes sanè multi censent, quæ in Scripturâ visiones Deo tribuuntur, ad Angelum plerumque, Dei personam gerentem, referri; quod discutietur ad Exodi III, 2. *Sublatus est Angelus*, dissipato scilicet corpore, quod sibi aptaverat, vel cessante impressione, seu motione in organis Abrahami coram Angelo, quam Deus effecerat.

℣. 23. Statim ipsa die. Hebr. בעצם היום הזה, *In corpore ipsius diei*; quæ loquendi phrasis, ut jam notavimus ad Genesis VII, 13, usurpatur pro mane, meridie scilicet diei naturalis apud Judæos a vesperâ in vesperam ducti. Septuaginta: Ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, *In tempore illius diei.* Qua die Abraham Deum vidit, se ac domesticos initiavit circumcisione. Nos tamen distulisse malumus usque mane alterius diei: spatio scilicet aliquo temporis opus erat disponendis ad eam rem filio suo & vernaculis; hæc neque unâ horâ, neque eâdem ipsâ die, qua Abraham Deum allocutus est, parari poterant.

(d) *Genes.* xv, 6. & *Rom.* iv, 19. (e) *Vide Aug. l.* xvi *de Civit. c.* 26. *Ambros. l.* i *de Abrah. c.* 4. *&c.* (f) *Johan.* viii, 56.

℣. 25. Et Iſmaël filius tredecim annos impleverat tempore circumciſionis ſuæ.

℣. 26. Eâdem die circumciſus eſt Abraham & Iſmaël filius ejus.

℣. 27. Et omnes viri domûs illius, tam vernaculi, quàm emptitii & alienigenæ pariter circumciſi ſunt.

COMMENTARIUS.

℣. 25. ISMAEL FILIUS TREDECIM ANNOS IMPLEVERAT. Arabes, genus referentes ex Iſmaële, anno ætatis decimo tertio filios circumcidunt, teſte Joſepho *Antiq. l.* 1, *c.* 11; quod plerumque & a Turcis ſervatur; quamquam nihil certi conſtitutum eſſe apud illos eâ in re, affirmant nonnulli (*g*). Nec ipſi pariter ullam habent a Deo præſcriptam circumciſionem, uti ſuperiùs obſervavimus. Ex Strabone conſtat (*b*), Arabes nonnullos admittere circumciſionem, ſed alio planè ac Judæi, & Ægyptii, ritu. Apud Troglodytas viri pariter & fœminæ abſcinduntur. Alii Ægyptium in circumciſione ritum exprimebant.

CAPUT XVIII.

Tres Angeli per viſum apparent Abrahamo. De futuro ortu Iſaaci promiſſo. Deus conſilium ſuum Abrahamo exponit deſtruendi Sodomam & Gomorrham: quod fatum avertere Abraham precibus ſuis conatur.

℣. 1. APparuit autem ei Dominus in convalle Mambre, ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo fervore diei.

℣. 2. Cumque elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum: quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adoravit in terram.

COMMENTARIUS.

℣. 1. APPARUIT EI DOMINUS IN CONVALLE MAMBRE. Deus Abrahamo apparuit in valle, vel ſub quercu, vel in nemore, vel ſub querceto Mambre; his enim omnibus reddi poteſt Hebræum אלוני, *Elon*. Vide & caput XIII, 18. Viſebatur adhuc, teſte Sozomeno l. 2, c. 3, quarto Eccleſiæ ſæculo quercus, quam ipſiſſimam Mambre reputabant; & ſub illâ convivio exceptos fuiſſe Angelos ab Abrahamo, fama erat. Sed portentoſa arboris hujus diuturnitas ſuſpecta eſt; quercetum faciliùs ad eam uſque ætatem, & multò etiam diutiùs perſeveraſſet.

℣. 2. APPARUERUNT EI TRES VIRI. Exhiberi viris iſtis tres Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis, credidit S. Ambroſius (*a*). Alii Patres (*b*) docuerunt, inter duos Angelos tertium veniſſe Filium Dei, ſecundam nempe Trinitatis Perſonam; quam ſententiam prætuliſſe videtur Eccleſia, cùm in ſuo Officio verba illa recitat, non quidem in Scripturâ, ſed in Patribus (*c*) legenda: *Tres vidit & unum adoravit*. Concilium Sirmienſe anathemate ferit eos, qui *Filium non dicant Abrahæ viſum, ſed Deum innaſcibilem, vel partem ejus dicant*. S. Auguſtinus validè tuetur (*d*), tres illos homines totidem fuiſſe Angelos, hominum figuram referentes; quibus ſub exuviis Abraham Deum adoraverit.

Duo illi homines a Loth hoſpitio recepti, Angeli appellantur cap. XIX, 1; nec alio nomine deſignat Apoſtolus ad Hebræos XIII, 2, ubi totam hiſtoriam exceptorum hoſpitio Angelorum ab Abrahamo præ oculis habet. In ſententiam S. Auguſtini conceſſerunt noſtrâ ætate Theologi.

CUCURRIT IN OCCURSUM EORUM .... ET ADORAVIT IN TERRAM. Quanto ſtudio hoſpitalitatis teneretur, & quanto eſſet erga hoſpites ſuos obſequio, hoc exemplo demonſtrat Abraham (*e*). Precurrit alacer ad invitandos; factuſque propiùs in terram provolvitur. Verbum *adorare* exprimit interdum in Scripturâ externam quamdam obſequii ſignificationem, variâ corporis inclinatione, pro merito eorum, quibus impenditur, exhibitam. Nec actus exterior adorationis, qui Deo redditur, alius eſt, quàm quo homines proſequimur: utriuſ-

que

(g) *Eſt. in hunc loc.* (h) *Strab. lib.* XVI. οὐ κολοβοὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ περιτετμημένοι τινές, καθάπερ Αἰγύπτιοι. (a) *Ambroſ. l.* 1 *de Abrah. c.* 5. (b) *Irena. l.* 3, *c.* 6. & *l.* 4, *c.* 23. *Tert. l.* 2 *contra Marcion. c.* 27. *Juſtin. Dialog. cum Tryphone. Hilar. l.* 4 *de Trinit. Gregor. Nazianz. Theodoret. &c.* (c) *Aug. l.* 2 *contra Maxim. c.* 26, *art.* 7. (d) *Aug. l.* 2, & 3 *de Trinit.* & *l.* 16 *de Civit. Dei, c.* 29. (e) *Vide Ambroſ. l.* 1 *de Abraham, c.* 5; & *Aug. ſerm.* 179 *de verbis Apoſt. Jacobi.*

℣. 3. Et dixit: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.

℣. 4. Sed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros, & requiescite sub arbore.

℣. 5. Ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum, posteà transibitis: idcircò enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt: Fac ut locutus es.

℣. 6. Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes.

COMMENTARIUS.

que diserimen efficit intima cordis habitudo. Latioum *Adorare*, & Græcum Προσκυνεῖν, *Proscunein*, juxta vim nominis, exprimit tantùm *Manum exosculari*; quæ olim erat adoratio Idolis impensa. Constat id Job xxxi, 27: *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo.* Et 3 Reg. xix, 18: *Omne os quod non adoravit Baal, osculans manus.* Solemnis iste Paganis erat ritus. *Cæcilius, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labiis pressit*, ait Minutius Felix in Octavio. Interdum flexis genibus cultus reddebatur. Vide 2 Par. vi, 13; & 3 Reg. xix, 18. Dan. vi, 10; Isaiæ xlv, 23.

℣. 3. DOMINE, SI INVENI GRATIAM. Samaritanus: *Domini mei, si inveni gratiam in oculis vestris*; quasi scilicet sermo esset ad plures. Hebræus, juxta punctorum in Bibliis nostris syntaxim: *Domini mei, si inveni gratiam in oculis tuis.* Septuaginta & S. Hieronymus legerunt *Adoni*, Domine mi, pro *Adonai*, Domini mei. Hæc personarum in sermone Abrahami mutatio satis probat, verba ab illo facta modò ad tres, modò ad illum, qui inter cæteros dignitate & amplitudine præstare videbatur, in quo pariter Abraham Deum adorabat.

℣. 4. AFFERAM PAUXILLUM AQUÆ, ET LAVATE PEDES VESTROS. Hebræus: *Tollatur nunc parum aquæ, & laventur pedes vestri.* S. Augustinus (*f*), & S. Hieronymus (*g*) legebant: *Lavem pedes vestros.* Inter potissima hospitio recipientis officia semper reputatum est, ut hospitibus laventur pedes. Loth pedes lavit geminis Angelis, cùm Sodomam pervenissent (*h*). Idem præstitum cum Eliezere in domo Labani (*i*). Queritur Jesus Christus, *Lucæ* vii, 44, de Pharisæis, a quibus convivio exceptus, ne pedum quidem lotione ab iis honorificè habitus fuerit. Paria obtinebant apud Prophanos: nec in ferventibus regionibus, ubi mos erat sive nudis pedibus vel sandaliis tantùm protectis incedendi, meri erat officii ritus ille; sed necessitatis.

℣. 5. PONAMQUE BUCCELLAM PANIS, ET CONFORTATE COR VESTRUM. Hebræum פת, *Phat* redditur plerumque *buccella.* Septuaginta habent tantùm ἄρτον, *panem*, vel aliquid panis. Et quidem Grammaticorum nonnulli censent, Originalis vocem exprimere posse integrum panem. Reddit illam interdum Vulgata (*l*) *cibum, panem, mensam.* Juxta Hebraicam etymologiam, *Phat* significat fractionem, scissionem; quo interdum nomine exprimebatur panis, quippe qui frangebatur, non secabatur. Vide Genes. xlix, 2. Porrò modesto illo *buccellæ panis* titulo Abraham expressit quidquid volebat cibi præstare hospitibus: modica promittit, magna collaturus.

IDCIRCO ENIM DECLINASTIS AD SERVUM VESTRUM. Ideò, quantum intelligo, hac horâ prandendi venistis ad me, cùm maximè dies fervet (*m*); ideò, inquam, ut me tanto honore, excipiendi nempe vos hospitio & convivio, dignaremini. Reddi posset Hebræum כי על כן *Quandoquidem* (*n*) non aliâ ratione ad teotorium meum divertistis, quàm ut vos reficeretis.

℣. 6. ACCELERA, TRIA SATA SIMILÆ COMMISCE. Satum, Hebraicè *Seah*, nos Gallicè reddimus *mesure*; est autem tertia pars Epha, ut tria sata reddant unum Epha, contioens 29 pintas cum dimidiâ, semisextario & octavâ pintæ parte, & amplius aliquanto. Quare lautissimum instruxisse convivium hospitibus Abraham reputandus est, non quidem ciborum varietate, sed copiâ, ut observat D. Abbas Fleury (*o*); ex quo infert, Veteres multò quàm nos largiore cibo uti consuevisse. Constat equidem, apud veteres in hospitibus excipiendis obtinuisse, ut in dapibus copia maximè, varietas minimè observaretur. Amplior portio illi apponebatur, quem inter cæteros distinguebant. Mittit Joseph (*p*) ad fratrem suum Benjamin portionem quintuplo majorem, quàm quæ aliis fratribus apposita est. Ex integro vitulo quartam partem tradidit Samuel Sauli, quem in Ramatham deduxerat (*q*). Paria observes in veterum Græcorum moribus. Cùm publico convivio excipiebatur Princeps Lacedæmonum, leges edicebant, duplo majoribus cibis mensa instrueretur, ut ex illâ dapes, quibus liberet, dono daret (*r*). Ipse paterfamiliâs cum filiis suis cibos parabat, uti constat in Abrahamo, qui ipse vitulum elegit, atque conficere panem jussit Saram.

FAC SUBCINERICIOS PANES. Hebræum עגות *Huggoth*, quod Septuaginta ἐγκρυφίας, & Vulgata subcinericios panes, vertitur a Chaldæo & Interpretum plerisque placenta compressa & subtilis, vel sub cinere cocta, vel in frixorio, vel intra candentes laminas, sive in paratis ad eam rem lapidibus, quibus igne jam candentibus superponitur

(*f*) *Aug. in Genes. quæst.* 34. (*g*) *Hieron. Ep. ad Pammach.* (*h*) *Genes* xix, 2. (*i*) *Genes.* xxiv, 32. (*l*) *Vide Prov.* xxiii, 8. Dan. 1, 5, & 13. 2 Reg. xii, 3. (*m*) *Vide* ℣. 1. (*n*) *Vide Gen.* xix, 8; xxxiii, 10; xxxviii, 26. *Num.* xiv, 43. (*o*) Mœurs des Israëlites. (*p*) *Genes.* xliii, 34. (*q*) 1 *Reg.* ix, 24. (*r*) *Xenophon de Repub. Lacedam.*

℣. 7. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero: qui festinavit, & coxit illum.

℣. 8. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat juxta eos sub arbore.

℣. 9. Cùmque comedissent, dixerunt ad eum: Ubi est Sara uxor tua? ille respondit: Ecce in tabernaculo est.

℣. 10. Cui dixit: Revertèns veniam ad te tempore isto, vitâ comite, & habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi.

COMMENTARIUS.

tur subacta aquâ farina; vel in fornace sub terrâ excavatâ, cujus parietibus applicantur panes, qui cùm leves sint, uno tantùm digito crassi, facilè tenentur suspensi. Obtinent adhuc hæ coquendi panem rationes in Oriente (*f*). Arabes, Persæ, Saraceni & Ægyptii nostrâ etiam ætate parant quotidie panes, placentis nostris similes. Fornaces apud Turcas (*t*) referunt ampliores quosdam clibanos testaceos, conversam superficiem exhibentes; igne enim intus accenso candescunt: superponitur illis subacta aquâ farina in placentæ formam; coctos deinde panes subducunt, aliis deinde & aliis substitutis.

℣. 8. TULIT QUOQUE BUTYRUM ET LAC. Butyri nomen hìc & alibi frequentius in Scripturâ usurpatur de cremore quodam lacteo; Hebræum enim חמאת, *Chemat* significat liquidum aliquid, & potabile. In ferventibus Orientis regionibus butyrum liquidum & fluens servatur in vasis scyphorum similibus, vel in utribus; exhibet autem liquorem similem coagulato oleo, cujus pariter refert colorem. Odore est plerumque gratissimum (*u*). Legimus (*x*) Jaëlem dedisse lac Sisaræ & in phialâ principium (*y*) obtulisse butyrum. Sophar inter amicos Jobi, dixit de impio: *Non videat rivulos fluminis, torrentis mellis & butyri* (*z*). Tandem ipse Job xxix, 6, florentes res suas describens, *Quando lavabam*, ait, *pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei*. Hisce omnibus liquidum aliquid exhibetur. Adde illud Proverbiorum xxx, 33: *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum*.

IPSE VERO STABAT JUXTA EOS SUB ARBORE. Phrasis ista, Stare juxta aliquem, exhibentis est famulatum; in quam sententiam Textum reddunt Chaldæus aliique plures.

℣. 9. CUMQUE COMEDISSENT. Reverâ ne comederunt? Comedisse tantùm in speciem, tuentur Paraphrastes Jonathan, Rabbinorum nonnulli in Talmud, Theodoretus quæst. 69, S. Thomas (*a*) & Interpretum nonnulli. Angelus Raphael, qui juniorem Tobiam deduxit, se non comedisse professus est (*b*): nec aliter profectò reputandum videretur de corporibus quæ ex aëreâ quadam substantiâ coalescunt, ac nonnisi externam humani corporis superficiem exhibent; quæ phantastica corpora spectanda exhibuisse Angelos, cùm apparerent Abrahamo & Loth, intelligimus.

Defendit Vatablus, tres illos Angelos, quippe qui organica corpora assumpserant, cibos reipsâ degustasse, eosque non in propriam corporis substantiam convertisse (*c*), sed dissipasse per transpirationem; & quæ in adscititiis istis corporibus gesta sunt, evanuisse statim omnia, Angelis abeuntibus. Aptos ad cibum Angelos non negat S. Justinus in Dialogo cum Tryphone; sed rationem affert minùs utique justam: reputat enim Angelos in Cœlo pariter nutriri, juxta illud: *Panem Angelorum manducavit homo*. Sed Dei Filius, addit ille, qui inter tres Angelos Abrahamo visos principem locum tenebat, a cibo abstinuit: vel si degustasse cibum reputemus, verbum illud *comedere* sensu figurato usurpandum est, quemadmodum simili verborum phrasi ignem vorare dicimus, quòd scilicet lignum comburat.

Admittit Tertullianus (*d*), Angelos veritatem carnis assumpsisse, nec cibos degustasse in speciem tantùm; admittit pariter & S. Augustinus (*e*), Angelos capere cibos potuisse: unicum est illi inter comedentes homines & Angelos discrimen, quòd ad cibum homines necessitate adigantur, voluntate Angeli, sicut voluntate, non necessitate, cibum caperent corpora post resurrectionem, ut a Jesu Christo factum constat. Et *de Civit. Dei l.* 13, *c.* 22, docet, non ita reputandum esse, quasi Angeli speciem tantùm degustandi cibi prætulerint, comedisse enim re ipsâ; & cùm Angelus ad Tobiam professus est; *Videbar vobiscum manducare & bibere; sed ego cibo invisibili & potu utor;* non negavit se cibo re ipsâ usum; sed qui comedentem illum spectabant, credebant necessitate fieri, quod voluntate tantùm præstabatur. Veteres, qui corpore instructos esse Angelos autumabant, ultrò pariter admittebant, Angelos reipsà cibos degustasse; nobis tamen, quibus spiritales esse Angelos persuadetur, ea opinio magis est ardua, quam ut sequamur.

DIXERUNT AD EUM: UBI EST SARA? Septuaginta: *Dixit ad illum: Ubi est Sara?* Ex sequenti versu intelligimus, ex Angelis unum verba fecisse. In universà hac historia Moyses indiscriminatim singulares & plures personas loquentes inducit; quod ab ipso factum sive latentis alicujus misterii causâ, sive quòd Angeli uno consilio agerent, ut proinde quod a tribus fiebat, ab uno veluti præstitum reputaretur, seu vicissim. Hìc autem Angeli revelare se incipiunt Abrahamo, manifestantes nomen uxoris ipsius & filium pollicentes.

℣. 10. REVERTENS VENIAM AD TE TEMPORE

ISTO

(*f*) *Vide Chardin pluribus in locis ejus Itinerarii, & Thevenot p.* 2, *c.* 35, *p.* 330; *& c.* 73, *p.* 495. (*t*) *Bellon. l.* 2 *observ. c. ult.* (*u*) Chardin voyage de Perse t. 3, p. 105, & t. 2, p. 63. (*x*) *Judic.* v, 25. (*y*) *Heb* ספל *Sympulum.* (*z*) *Job* xx, 17. (*a*) *Thom.* 1 *part qu.* 51, *art.* 2, *&* 3, *ad* 5. (*b*) *Tob.* xii, 19. (*c*) *Cornel. a Lap. Menoch. &c.* (*d*) *L.* 4 *contra Marcion. c.* 9. (*e*) *Aug. Serm.* 362 *de resurr. c.* 11, *p.* 1422. *&* 1423. *nov. edit.*

Digitized by Google

℣. 11. Erant ambo autem senes, provectæque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria.

℣. 12. Quæ risit occultè, dicens: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?

℣. 13. Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus?

℣. 14. Numquid Deo quidquam est difficile? juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore, vitâ comite, & habebit Sara filium.

COMMENTARIUS.

ISTO, VITA COMITE. Humano more loquitur Angelus, cujus totidem verba usurpat Elisæus, filium hospitæ suæ promittens (f); confer *Genes.* XVII, 21. Commodè etiam Textus redderetur in hunc sensum: Intra annum, si Deus illam sospitaverit, Sara filium gignet. Vel (g): Revertar hoc eodem tempore, vos incolumes inveniam, & Sara filium pariet. Vel: Hoc eodem tempore revertar, & natus e Sarâ filius sospes erit incolumisque, Septuaginta suppresserunt vocem *vitâ* quæ legitur in originali: *Revertens veniam ad te tempore isto*, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας. Hebræus ad literam *Revertendo revertar ad te secundùm tempus vitæ*, כעת חיה. Veluti si diceret, nisi inopinato aliquo eventu, veluti morte, &c. prohibear, veniam ad te. Specimen hîc habes Religionis veterum in servandâ promissorum fide. Rediisse Angelos vertente anno ad Abrahamum, nunquam legimus in historiâ; sed redierunt reipsâ, impletâ nempe in ortu Isaaci promissione.

SARA RISIT POST OSTIUM TABERNACULI. Hebræus exactiùs: *Sara audiens* (erat ab) *ostio* (tabernaculi); *& ipsum* (ostium) *post eum* (Angelum loquentem erat). Nihil in Textu de risu Saræ, nihil pariter in Chaldæo & Septuaginta; quorum versio habet, Saram retro fuisse post Angelum; sed Chaldæi ac Hebræi syntaxis demonstrat, ostium post Angelum fuisse.

℣. 11. ERANT AUTEM AMBO SENES, PROVECTÆQUE ÆTATIS, ET DESIERANT SARÆ FIERI MULIEBRIA. Cur riserit Sara, causam pandit Moyses. Nasciturus ex illâ filius promittebatur, e fœminâ naturâ suâ sterili (h), cujus pariter ac viri ætas effœta: ad hæc, norat illa non obscuris indiciis, juxta naturalem ordinem, fœtu concipiendo imparem se esse (i); qua triplici ratione de promissionum fide desperandum sibi esse videbatur. Sed nihil ex his fidem Abrahami concussit. Ex quo viri meritum extollit Apostolus Rom. IV, 19, quippe qui ne hæsitans quidem crediderit futurum, ut Sara e viro centenario & *corpore emortuo* filium gigneret. *Mulier*, ait Plinius l. 7, c. 14, 15, *post quinquagesimum annum non gignit, majorque pars quadragesimo profluvium genitale sistit*; agebat autem Sara XC annorum ætatem. Ad mares quod attinet, *In annum octogesimum viri generant*, ait Solinus, addens: *Post annum quinquagesimum omnium mulierum fœcunditas quiescit*; & quidem post natum Isaacum liberos alios genuit Abraham ex Cethura. Quare arbitratur S. Augustinus (k), ea quæ habet Apostolus de *corpore emortuo*, ad Saram referri oportere, e qua effœtâ jam muliere & sterili liberos ut susciperet Abraham, præter omnem spem erat.

℣. 12. QUÆ RISIT OCCULTE. Censuit S. Ambrosius (l), mysticum esse sanctæ fœminæ risum, omen scilicet futuri gaudii ex ortu Isaaci. Verùm S. Augustinus ne ambigens quidem asserit (m), hunc risum hæsitantis esse & diffidentis; ex quo, ait, discrimen licet intelligere inter risum Saræ & Abrahami: risit enim vir sanctus lætitiâ & admiratione rei. Porrò Saram hac in re minùs cautè sese gessisse, demonstrat Angeli in illam objurgatio, quod factum illa mendacio excusat. Profectò si in hospitibus illis nil nisi homines agnoverat, ridendæ utique fuerant nullâ veri specie factæ promissiones. Cur tamen risus mendacio excusaretur, nihil erat: si verò meritum promittentis filium ex Dei voluntate agnoscebat, risus utique non vacat a culpâ, crimenque auxit, cùm mendacio excusare illud studebat.

POSTQUAM CONSENUI ET DOMINUS MEUS VETULUS EST, VOLUPTATI OPERAM DABO? Commendat S. Petrus (n) Saræ in virum suum obsequium & submissionem, quòd scilicet Dominum suum illum appellet (o). Onkelos ita Textum reddit: *Postquam consenui, erit mihi juventus.* Aquila: Μετὰ τὸ κατατριβῆναί με, ἐγένετο μοι τρυφέρια: *Postquam attrita sum, facta est mihi voluptas.* LXX: Οὔπω μέν μοι γέγονεν ἕως τοῦ νῦν. ὁ δὲ κύριός μου πρεσβύτερος: *Hoc dum mihi factum est usque nunc* (ut filios parerem) *dominus autem meus senex est.* Philo *l.* 2 *Allegor. Legis*: Οὔπω μοι γέγονε τὸ εὐδαιμονεῖν, ἕως τοῦ νῦν. ὁ καὶ κύριός μου πρεσβύτερός ἐστιν: *Nunquam hactenus contigit mihi tanta felicitas. Sed Dominus meus senior est.* Sive ex aliorum sententiâ: *Nunquam connubio usa sum, & dominus meus senex est*: quî ergo non temerè filios sperem? Symmachus: Μετὰ τὸ παλαιωθῆναί με, ἐγένετό μοι ἀκμή. *Postquam vetustate senui, facta est mihi adolescentia.* Hebræus: אחרי בלתי היתה לי עדנה: *Postquam senui, erit voluptas mihi?*

℣. 14. NUMQUID DEO QUIDQUAM EST DIFFICILE? Hebræus reddi etiam posset: היפלא מיהוה דבר. *Num-*

(f) 4 *Reg.* IV, 16. (g) *Onkel. Grot. &c.* (h) *Genes.* XI, 30. (i) *Plin. lib.* 7, *c.* 15. *Quibusdam non fluit menstruum, & illa non gignunt; quando hac est generandi hominis materia. Arist. l.* 7 *hist. anim.* 2. Φύσει μὲν οὖν ἡ σύλληψις γίνεται μετὰ τῶν τούτων ἀπαλλαγὴν ταῖς γυναιξὶ, καὶ ὅσαις μὴ γίνεται ταῦτα, ὡς ἐπιτοπολὺ ἄτεκνοι διατελοῦσιν. (k) *Aug. l.* 16 *de Civit. c.* 8, *& quæst.* 35 *in Genes.*
(l) *Ambros. l.* 1 *de Abrah. c.* 5. (m) *Aug. l.* 16 *de Civit. c.* 31; *& quæst.* 36 *in Genes.*
(n) 1 *Petri* III, 6. (o) Veteres Græci maritos dominorum nomine appellabant: Ita Arpatis & dominus ejus, est Arpatis & ejus vir. *Scholiast. Aristoph. in Equitib. act.* 2, *scen.* 4.

℣. 15. Negavit Sara, dicens: Non risi: timore perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita: sed risisti.
℣. 16. Cùm ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam; & Abraham simul gradiebatur, deducens eos.
℣. 17. Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum;
℣. 18. Cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam: & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?
℣. 19. Scio enim quòd præcepturus sit filiis suis, & domûs suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam: ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum.
℣. 20. Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.
℣. 21. Descendam, & videbo, utrùm clamorem, qui vênit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.

COMMENTARIUS.

Numquid quidquam est admirabile, vel *stupendum Deo*, quod scilicet ipse præstare non possit. Onkelos: *Numquid occultabitur a Domino verbum?* Numquid risisse te illum latet? seu potiùs futuros rei eventus ignorat ille? numquid inducere te potest in deceptionem, incerta vel impossibilia promittens? Reddunt nonnulli; Numquid Dei voluntatem quidquam prohibere potest?

℣. 18. Et benedicendæ sint. Vide *Genes.* xii, 3.

℣. 19. ...... Et faciant judicium et justitiam. Phrasis ista usurpari potest de omnibus justitiæ officiis erga Deum & proximum implendis (p). Interdum *justitia* est justitiæ severitas; & *judicium* est indulgentia, atque clementia (q). Cùm tandem de Judice justitiam & judicium faciente asseritur, expressam habemus eâ phrasi ipsius in reddendâ justitiâ æquitatem (r).

℣. 20. Clamor Sodomorum, et Gomorrhæ multiplicatus est. Duarum tantùm Urbium nomina exprimuntur, quippe quæ inter cæteras excidio destinatas principem locum tenerent.

Reddi posset Textus; *Fama*, *nomen* (criminum) *Sodoma &c*; sed clamor meliùs exprimit effrænem infamissimarum Urbium libidinem, & impudentiam, qua crimina perpetrabant. Vide Isaiæ v. 7 (s). Porrò, ait S. Augustinus (t), eo clamoris nomine exprimit Scriptura ioiqui hominis audaciam, quam nec timor, nec pudor frænat. De impudentiâ & injustitiâ clamante cecinit pariter Homerus, Odyss. O.

Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει.

Quorum iniuriaque visque ad ferreum cælum vadit.

℣. 21. Descendam et videbo. Ego ipse me conferam in Urbem, quid rei sit, exploraturus; nulla enim sufficiens cautio adhibetur in judiciis & sententiâ adversùs aliquem ferendâ.

Utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. Reddi pariter Hebræum posset (u): Utrùm juxta clamorem ejus Urbis fecerint, & an crimina sua consummaverint. Aliter: An ea crimina perpetraverint, in quæ extremo supplicio, & desolatione animadvertendum sit. Alii reddunt: Utrùm fecerint *omnia* aut *omnino* כל, quem postremam interpretationem prætulisse videntur Septuaginta & Vulgata: Descendam exploraturus num ea omnia præstiterint, quæ fama refert.

Chaldæus alium sensum præfert: *Num cessare fecerint*, pœnitudine scilicet, vel criminibus relictis. Postremum hoc probat Grotius, qui verbum *Calah* sæpe usurpari pro cessare, absistere, demonstrat. Ludovicus de Dieu ita: Intelligam, utrùm sit consummatum consilium, ut scilicet in incepto perseverent. Vide 1 Reg. xx, 23: & Isaiæ x, 22. Tandem reddi posset: Videbo, num eorum gesta clamorosa sint pro famâ; & si verum sit, *Consummationem faciam*, destruam sine indulgentiâ.

℣. 22

(p) *Ezech.* xxxiii, 16, 19. (q) *Jerem.* x, 24; & xxx, 11. (r) 2 *Reg.* viii, 59; & 2 *Reg.* x, 9.
(s) *Iisdem phrasibus utitur Ovidius Metamorph.* 1, *Fab.* 9, *v.* 211.
Contigerat nostras infamia temporis aures,
Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo;
Et Deus humanâ lustro sub imagine terras.
Longa mora est, quantum noxa sit ubique repertum,
Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero.
(t) *Locution. de Genes. l.* 1. *art.* 50.
(u) הכצעקתה הבאה אלי עשו כלה *Sym:* ἐπετέλεσαν τὸν ἔργον. *Septuag.* συντελοῦνται.

Digitized by Google

℣. 22. Converteruntque se inde, & abierunt Sodomam: Abra-
ham verò adhuc stabat coram Domino.
℣. 23. Et appropinquans, ait: Numquid perdes justum cum impio?
℣. 24. Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul?
& non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint
in eo?
℣. 25. Absit a te, ut rem hanc facias, & occidas justum cum im-
pio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum: qui judi-
cas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc.
℣. 26. Dixitque Dominus ad eum: Si invenero Sodomis quin-
quaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco pro-
pter eos.
℣. 27. Respondensque Abraham, ait: Quia semel cœpi, loquar
ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis.
℣. 28. Quid si minùs quinquaginta justis, quinque fuerint? dele-
bis propter quadraginta quinque, universam urbem? Et ait:
Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque.

COMMENTARIUS.

℣. 22. CONVERTERUNTQUE SE INDE, ET ABIERUNT SODOMAM. Duo (?) nequaquam comitatus est Abraham; sed e tribus Angelis ille, quocum eò usque sermonem habuerat Abraham, mansit cum illo. *Abraham verò adhuc stabat coram Domino.* Critici quidam Hebræi, apud Drusium, lectum olim fuisse asserunt: *Sed Dominus adhuc stabat coram Abraham*; paulò enim infra dicitur Abraham accessisse propiùs ad Dominum. ℣. 23. *Et appropinquans, ait.* Sed correctio ista non nisi Judæis probatur; & nos optimè reputamus, Abraham honoris quadam significatione mansisse cum tertio Angelo, eùm duo alii Sodomam proficiscerentur: & cum ab Angelo isto consilium destruendi Sodomam vir sanctus audisset, accessit propius ad illum, precibus suis ad misericordiam flexurus. Chaldæus & ex Rabbinis quidam (x), quos sequitur Grotius, ita explicant Textum: *Abraham stabat coram Domino*; velut si diceretur: Abraham rogabat Dominum; identidem enim in Scripturis *stare* usurpatur pro *rogare*: sed alium esse sensum hujus Textûs arbitror.

℣. 25. QUI JUDICAS OMNEM TERRAM, NEQUAQUAM FACIES JUDICIUM HOC. Hebræus tanquam ad tertium aliquem loquitur: *Judex omnis terræ, non faciet judicium hoc?* sive, *Non faciet judicium?* Justum puniet una simul cum injusto?

℣. 27. QUIA SEMEL COEPI, LOQUAR &c. Hebræus reddi etiam posset: *Quia semel loqui volui cum Deo meo*, &c. sive quia ausus sum loqui. Malvenda: Quia incautè adeò & stultè egi, ut verba ad te facerem. Septuaginta: *Quoniam habeo loqui*, quandoquidem Ἐπειδὴ ἔχω λαλῆσαι: ausus sum tecum habere sermonem. Editio Complutensis lectionem Vulgatæ retinet: Νῦν ἠρξάμην: *Nunc cœpi.*

℣. 28. QUID SI MINUS QUINQUAGINTA JUSTIS QUINQUE FUERINT? DELEBIS PROPTER [illegible] INTA QUINQUE? Sensus idem in He[illegible] syntaxis: *Si forsitan defuerint quinquaginta Justis quinque, numquid disperdes in quinque* (i. e. ob hos quinque, qui deficiant) *totam Civitatem?* Universâ hac gradatione eò tendit Abraham potissimùm, ut Loth nepotem suum servet: a nomine quidem exprimendo, modestâ cautione retinetur; habet tamen persuasum, Loth virum justum e discrimine subducendum, vel si unicus esset inter omnes. Atque si qui etiam alii viri justi unà cum illo invenirentur, eorum merito imminens quinque urbibus pœna remitteretur.

Id autem reputabat Abraham, concussum esse & stabile, Deum justos impiorum causâ nequaquam punire; quamquam experientiâ constet, publicis & temporalibus malis justos æquè obvolvi, majoribus interdum, quàm impios; docet enim veritas, commodiùs agi cum justis & electis, si laboribus & infortuniis in hac vitâ exerceantur, quàm si florentibus rebus mollescant. Sed hæc in lege naturæ & scriptâ minùs erant explorata; mala enim temporalia tanquam re ipsâ mala perinde habebantur; offendiculo etiam fuisset imbecillioribus, si eodem fato obvolvi virum justum cum impio spectassent. Abraham juxta receptas illas vulgò persuasiones loquebatur, quamquam clariore fidei ac mentis lumine illustratus, mala illa, quibus Deus interdum justos subdit, ita respiceret, tanquam exercitationes virtutis, & merito augendo aptissima.

Viri sancti, & quicumque rerum cognitione cæteris præstant, precibus rogant Deum, ut ab publicis & particularibus calamitatibus præsentibus & futuris eximantur, quamquam has veritates a nobis expositas probè norint teneantque; & Jesus Christus in formulâ illâ, quam docet, precandi, præscribit ut oremus, *Ne nos inducat in tentationem*, i. e. ut nos eximat a discrimine labendi; facilè enim raperemur in crimen; & cùm urgent tentationes, nos ab illis eximat.

Hæc de tribus Angelis hospitio exceptis & de ortu

(x) *Mai mon. Manab.*

℣. 7. Et ſtatuam pactum meum inter te, & me, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te.

℣. 8. Daboque tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam, eroque Deus eorum.

℣. 9. Dixit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis.

℣. 10. Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te: Circumcidetur ex vobis omne maſculinum.

℣. 11. Et circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos.

COMMENTARIUS.

℣. 10. Hoc est pactum meum. circumcidetur ex vobis omne masculinum. In fœderibus ſolemni ritu celebratis, nunquam deeſt perpetuum quoddam monumentum, ad æternam rei memoriam conſecratum. Cùm Deus fœdus iniret cum Noë, pignus & rei monumentum poſuit Iridem. Cùm, intermedio Moyſe, fœdus compoſitum eſt Deum inter & Iſraëlitas, ad rem firmandam adhibentur volumen legis, tabulæ lapideæ, in quibus ſcriptæ fœderis conditiones, & pacta conventa inter fœderatos ſervanda. Servatum eſt volumen illud, nempe Liber Legis ſeu Fœderis, in Arcâ unà cum tabulis digito Dei ſcriptis; cui proinde Arcæ inditum nomen Arcæ fœderis. In privatis fœderibus eadem monumenta ad perennandam memoriam non defuerunt. Jacob & Laban ſtruem lapidum erexerunt. Iſraëlitarum Transjordanorum operâ excitatum eſt in ripâ ejus amnis monumentum, quo docerentur poſteri, Iſraëlitas ultrà citraque fratres eſse inter ſe. In Novo Teſtamento, Jeſus Chriſtus ante mortem ſuam initi a ſe cum hominibus in morte & effuſione ſui ſanguinis, fœderis, perennem memoriam extare voluit in Sacramento, quo Corpus & Sanguinem a ſe traditum pro nobis ſub ſpecierum panis & vini involucris tradidit. Ita pariter Deus in fœdere cum Abrahamo ſignum indelebile impreſſit circumciſionis, quam viro illi ac poſteris ejus omnibus injunxit. Porrò carnalis hæc circumciſio filiorum Abrahami, veritatem exprimebat indelebilis characteris, qui Baptiſmo imprimitur, perficitur confirmatione.

Effectus omnes circumciſionis in eo tantùm conſtituere videtur Apoſtolus, quòd eo veluti ſigillo obſignetur fœdus, Deum inter & familiam Abrahami; eodemque pariter ſigno genus ſelectum a populis in avitâ corruptione relictis, diſtingueretur (*f*): *Signum accepit* (Abraham) *circumciſionis, ſignaculum juſtitia fidei, qua eſt in præputio.* Signum igitur illud non juſtitiam conferebat, ſed acceptæ, merito fidei, ante circumciſionem juſtitiæ ſignum erat ac monumentum. Docent veteres Patres, Deum circumciſionem non ideò Abrahamo injunxiſse, ut promerendæ juſtitiæ in illâ iniret rationem; ſed ut ipſam eamdem haberet veluti nudum & merum ſignum (*t*). S. Ireneus *l.* 4, *c.* 30, in eam rem apertiſſimè: *Circumciſionem non quaſi conſummatricem juſtitia, ſed in ſigno dedit Deus, ut cognoſcibile perſeveraret genus Abraha.* Tertullianus adversùs Judæos: *Ante Deo placuit* (Abraham) *quàm circumcideretur; accepit autem circumciſionem, ſed qua eſſet ſignum temporis illius, non in ſalutis prærogativam.* Vide pariter S. Chryſoſtomum (*u*), S. Epiphanium (*x*), S. Hieronymum (*y*), Theodoretum (*z*), & S. Ambroſium (*a*).

S. Auguſtinus (*b*) & illum ſequuti Patres nonnulli (*c*) docuerunt, circumciſione peccatum originis remitti; ut quicumque illâ non initiatus decederet, æternâ morte periret. Hujus opinionis argumentum afferemus ad ℣. 14. Conceſſerunt autem in illam S. Proſper, S. Fulgentius, S. Gregorius Magnus, S. Bernardus, aliique nonnulli, cum Scholaſticis & Interpretibus ſanè multis.

Cùm autem privilegium illud circumciſioni aſſeritur, ſemper tamen ſpectatur efficacitas gratiæ & meritorum Jeſu Chriſti, nec excluditur in adultis conditio, jungendi nempe circumciſioni corporeæ cordis circumciſionem, adeò a Sacrâ Scripturâ commendatam (*d*), veluti neceſsariam, ut ſine illâ carnis circumciſio nihil valeat.

Pueri decedentes ante diem octavam, & puellæ, qui ſanè omnes non initiabantur circumciſione,

---

(*f*) *Rom.* IV, 2. (*t*) Τὴν δὲ περιτομὴν εἰς σημεῖον, ἀλλ' οὐχ ὡς δικαιοσύνην ἔλαβεν. *Juſtin. Martyr in Dialogo cum Tryphone.* (*u*) *Hom.* 37. & 39 *in Geneſ.* (*x*) *Hæreſi* XXX *c.* 28. (*y*) *In caput* 3 *Ep. ad Galatas. Gregem Iſraëliticum quodam circumciſionis cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, Babylonios atque Chaldæos, hoc ſignaculo diſtinguerentur.* (*z*) *Quæſt.* LXVIII *in Geneſ.*

(*a*) *Ambroſ. l.* 1 *de Abrab. c.* 4. (*b*) *Aug. l.* XVI *de civit. c.* 27; *lib.* 2 *contra Pelag. & Celeſt. c.* 30; *lib.* 2 *de nuptiis & concupiſ. c.* 11; *lib.* 2 *de peccato Origin. c.* 30. (*c*) *Proſper Ep. ad Demetriad. Fulgent. l. de Incarn. c.* 15. *Bernard. ſer. in cœnâ Domini. Beda in cap.* 2 *Luc. D. Thom.* 3 *parte q.* 62, *art.* 6. *Eſt. in hunc locum.* (*d*) *Vide Deut.* X, 16. & XXX, 6. *Jerem.* IV, 4. & VI, 10. & IX, 26. *Act.* VII, 51. & *Rom.* II, 28.

℣. 12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestrâ.

℣. 13. Eritque pactum meum in carne vestrâ in fœdus æternum.

℣. 14. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.

COMMENTARIUS.

ne, plures e Theologis (*e*) docuerunt, salute potitos merito fidei & precum vel parentum suorum vel Ecclesiæ Judaicæ, vel alio quopiam, qui tunc obtineret ante datam circumcisionem, ritu; ac tandem sacrificiis, oblationibus & expiationibus in lege præscriptis.

Putavit Strabo (*f*), Judæos ex legis præscripto adigi ad puellarum circumcisionem, pso more apud gentes nonnullas recepto: qua in re falli illum constat; nullâ enim sive lege sive consuetudine id imperatum Judæis. Vide nostram Dissertationem de Circumcisione.

℣. 12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Cur octavâ die circumcisio statueretur, in causâ erat quòd impares erant ante id temporis infantes dolori vulneris serendo. Ante id tempus nequaquam perfectionem suam attigisse animalia censebantur; cavitque Deus, ne offerrentur in Sacrificium, nisi saltem post octo dies nata (*g*). Neque in hominum societate, neque puri ante eos dies habebantur infantes (*h*). Nihil certi judicari posse de vitâ infantis ante septimam diem, docet Aristoteles (*i*); ac proinde, ait, nonnisi octavâ die impositis nominibus, veluti exploratâ eorum vitâ, inter homines adlegebantur. Verùm ex Aristophane (*k*) & Suida apparet, nonnisi decimâ vel decimâ octavâ die imponi consuevisse infantibus nomina in cœtu consanguineorum: tunc & sacrificiis litabatur Numinibus, lætaque convivia necessariis & amicis instruebantur. Imponendis nominibus præscripta apud Romanos dies, maribus quidem octava, fœminis verò nona. Servius in Phormionem Terentii: *Solebant Antiqui diem octavum pueri natalem constituere, & eo die singulis annis latum convivium parare, sicut Judæi in die octavâ circumcidunt.*

Apud Hebræos ipsa octava dies, circumcisioni infantum præscripta, quantum fieri potest, servatur, etiamsi dies illa octava quolibet festo celebris sit. Nunquam præveniunt, differunt aliquando, cùm scilicet valetudo pueri dilationem postulat.

Plenâ die circumcisio agebatur, operâ Sacerdotis seu Levitæ, vel Medici, vel alterius cujuscumque, etiam fœminæ, dummodo fidelis. Nihil certi præscriptum in Sacris Libris sive de loco sive de ritu vel instrumento aut ministro. Sephora (*l*) & Josue (*m*) usi sunt in eam rem, uti creditur, lapideis cultris: plerimque tamen præacutum gladium adhibent Judæi.

Tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur; et quicumque non fuerit de stirpe vestra. Hebræus: *Circumcidetur natus domûs tuæ, & acquisitio argenti tui, ab omni filio alienigenâ, qui non sit de semine tuo.* Defendebant nonnulli (*n*), mancipium alienæ ab Hebræis originis, invitum etiam ad circumcisionem adigi potuisse. In jus enim transibat Heri, ut ad libitum de illo decerneret. Censuit Maimonides (*o*), mancipium alienigenam, si circumcisione initiari nollet, cogi quidem non potuisse, alteri tamen hero fuisse vendendum.

Certum verò plerisque est, nemini jus esse invitos cogendi ad circumcisionem; gravius enim alioqui servitute ipsâ jugum illis imponeretur, & repugnaret id maximè consiliis Dei, qui illud veluti signum fœderis sui imprimeret gentibus, quibus in fœdus illud nulla erat consensio sive ex origine sive ex voluntate (*p*). Si ergo hic Textus ita exponatur, quasi scilicet Deus circumcisionem injungat vernaculis omnibus domûs Abraham, reputandum est semel tantùm id voluisse Deum; vel ejus sanctiones hac cautione interpretemus oportet: Circumcides vernaculos omnes tuos, qui ultrò religionem tuam admittere & in partem fœderis venire voluerint.

Quod Deus cum Abraham componebat fœdus, non ita reputandum est, quasi unicè virum illum spectaret: ligabat enim simul Isaacum & posteros illius omnes; minimè tamen filios Abrahami cæteros ex Agar & Cethurâ. Cùm autem nullæ essent illorum partes sive in fœdus, sive in promissiones, pariter ad illos non spectabant sive circumcisio sive aliæ quæcumque fœderis conditiones: quare circumcisionem illi si fortè admiserint, factum id vel consuetudine, vel privatâ religione (*q*), non sceptâ divinitus lege.

℣. 14. Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo. Eâ loquendi phrasi, *Delebitur*, exprimitur plerumque (*r*) mortis supplicium; quo semel posito, reputandum esset, Deum mortis supplicium decernere in eos omnes e posteris Abrahami, qui circumcisione non initiarentur; quæ generalis lex ad pueros etiam extendenda esset, quamquam necessitate, non crimine, circumcisione caruissent. Ætate S. Augustini (*f*) legebant Exemplaria quædam Latina, uti nunc pariter Samaritanus & Septuaginta: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit die octavo, delebitur anima illa &c.* Hæc additio, *die octavo*, eò nos adducit, ut reputemus, extremo supplicio animad-

(e) *Vide Cornel. in hunc locum. Hug. a sancto Victore lib. 1 de Sacramentis p. 12, c. 2. Biel. in IV sent. dist. 1, q. 4. & alios.* (f) *Strab. lib. XVII, pag. 555; & lib. XVI, pag. 512.* (g) *Exod.* XXII, 30. (h) *Macrob. Saturn. lib. 1, c. 16.* (i) *Arist. de animal. lib. VII, cap. 12.* [k] *Aristophan. in Avibus pag. 585, edit. Genev. an. 1607. Et Scholia Bisets.* (l) *Exod.* IV, 24. (m) *Josue* V, 2. [n] *Abulens. Cajetan.* (o) *Maimonides l. 1, c. 6, de Circumcis.* (p) *Rupert. Bonavent. Sotus, Alens. Perer.* (q) *Bonfrer. Cornel. Jansen.* (r) *Vide Exod.* XXX, 33, 38; & XXXI, 14. *Levit.* XVII, 4, 9; & XX, 58. *Num.* IX, 13, & XV, 30, 35. (f) *Aug. l.* XVI *de Civit. c.* 27. *Ambrof. Ep.* 72, *Nov. Edit.*

℣. 15. Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram.

℣. 16. Et benedicam ei, & ex illâ dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes; & Reges populorum orientur ex eo.

℣. 17. Cecidit Abraham in faciem suam, & risit, dicens in corde suo: Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?

COMMENTARIUS.

vertendum fuisse in pueros circumcisione non initiatos, nullâ etiam eorum culpâ: quod enim minùs æquum reputaret S. Augustinus, ideo facilè ad exponendum Textum deductus est de interitu animæ, qui pueros illos maneret, cùm scilicet vitâ decederent ante circumcisionem: puniebantur enim, quòd originalis criminis ab ortu essent rei; exponit autem Augustinus, quæ sequuntur, *Quia pactum meum irritum fecit*, de hominibus reis violati in Adamo primi illius fœderis, Deum inter & naturam humanam sanciti. In hanc sententiam concesserunt plures ex Doctoribus, remitti circumcisione crimen illud originis arbitrantes, uti nos supra innuimus ad ℣. 10.

Docent Rabbini, hominem, qui fortè ab infantiâ circumcisione initiatus non fuisset, negligeretque subinde illam, post ætatem XIII annorum ejus Legis rigorem fuisse subiturum. Ad pœnas istas quod attinet, non eadem est omnium Interpretum sententia (t). Quidam, uti jam innuimus, de morte violentâ interpretantur; alii de damnatione vel interitu animæ, seu etiam de animâ in nihilum redactâ (u): eas pœnas exprimere mortem naturalem sed immaturam quidam volunt; alii mortem civilem, veluti si quis nullos post se relinquat successores, vel e cœtu Israëlitarum excommunicatione ejiciatur. Immatura mors reputatur, juxta nonnullos (x), mors ad annum LX, juxta alios ad L, vel LII. Tandem non incongruè admitteretur interpretatio Vatabli: Abscindetur e corpore Israëlitarum, prærogativis omnibus & promissionibus, quæ appendices sunt fœderis Dei cum Abrahamo, privatus.

Censuerunt nonnulli (y), pœnis illis non quidem in pueros a circumcisione exclusos, sed in parentes sive altores animadverti, quippe qui muneri suo defuissent. Favet illis Syriacus, habens: *Quicumque non circumcidet ..... delebitur*. Docent Judæi (z), si prior natus infans, tum secundus & tertius dolore vulneris circumcisionis obiissent, nequaquam, eos qui deinde nascebantur, filios circumcidi: præcepta enim cæremonialia servare certæ mortis periculo nequaquam cogimur.

℣. 15. SARAI UXOREM TUAM NON VOCABIS SARAI, SED SARAM. Nomen *Sarai* exprimit Dominam, seu Dominam meam; & *Sara* Dominam. Posterius illud absolutum aliquid exprimit, & amplioris autoritatis nomen est. Non ampliùs habebitur Sarai tanquam singularis familiæ domina, sed gentium plurium Regina. Hæc nominum mutatio, innovatio ista fœderis cum Abrahamo, figuræ sunt novi testamenti, novique fœderis, Christum inter & naturam humanam.

℣. 16. ET BENEDICAM EI, ET EX ILLA DABO TIBI FILIUM, CUI BENEDICTURUS SUM, ERITQUE IN NATIONES, ET REGES POPULORUM ORIENTUR EX EO. Quæ hic Vulgata de Isaaco, eadem Hebræus habet de Sarâ: *Et benedicam ei; & etiam dabo ex eâ tibi filium; & benedicam ei, & erit in gentes; Reges populorum ex eâ erunt*. Eamdem lectionem servat Chaldæus. Congruit Vulgatæ Syrus: *Reges ex eo erunt*. Porrò verbis istis major, quàm quæ unquam collata sit fœminis, in Veteri Testamento, benedictionum largitas exprimitur; ex quo conjecturam capias de merito Saræ, tantis muneribus cumulatæ.

Porrò Sara typus erat insignis Virginis Mariæ. Fœminæ hujus fides, quòd mater fuerit Isaaci, filii promissionis & fœderis, quòd sterilitatem toleraverit, quòd plura ab Agare famulâ suâ irrogata mala pertulerit, quòd filius ancillæ puerum Isaacum haberet pessimè; his omnibus veluti depingitur omnibus numeris absoluta fides & gratia B. Mariæ, cui Matris unà & Virginis privilegium assertum fuit, quæ Jesum Christum genuit, Filium promissionum, & novi fœderis, Jesum Christum, quem filii Synagogæ ad mortem usque insectati sunt. Sed tandem filii illi unà cum parente suâ ex avitâ domo ejecti, & prærogativis omnibus exspoliati sunt. Agnoscimus hic personam Isaaci malè exceptam ab Ismaële; agnoscimus in Agar Synagogam, unà cum filiis suis servire coactam, uti observat Apostolus (a). Sara est Ecclesia, mater filiorum beatâ libertate fruentium.

℣. 17. CECIDIT ABRAHAM IN FACIEM SUAM, ET RISIT. Risus iste suspicionis alicujus indicium videtur; quod pariter ea sequentibus intelligimus: homini enim veluti confirmando, quò de veritate promissionum non dubitaret, Deus promissiones illas innovat. Durioribus verbis S. Chrysostomus factum illud Abrahami prosequutus est (b); asseruitque, ejus rei merito inductam in familiam ipsius prolixam illam in Ægypto servitutem. Viri suspensum animum minùs probat S. Hieronymus (c). Paraphrastæ Chaldæi de industriâ leniisse videntur vim vocis *Risit*. Onkelos vertit: *Gavisus est*; & duo alii Paraphrastæ: *Admiratus est*. Et quidem fateamur oportet, Textûs originalis vim totam Paraphrastas expressisse, si spectantur encomia, quibus Abrahami fidem prosequitur Scri-

(t) *Vide Selden. de Syned. l. 1, c. 6.* (u) *Maimonides.* [x] *Vide Constantin. L'Emper. in not. ad Bertram. Rep. Jud c. 2.* (y) *Diodor. Tarf. & Procop.* (z) *Vide Hierosol. Pesachim fol. 36. Arub. & Cholim, & Glossa in Zebachim & Arub. Vide Ligfoot. hor. hebr. in Cor. VII.* (a) *Galat. IV, 23.* (b) *Homil. XL. in Genes.* (c) *Hieronym. l. 3 contra Pelag.*

℣. 18. Dixitque ad eum: Utinam Ismaël vivat coram te.
℣. 19. Et ait Deus ad Abraham: Sara uxor tua pariet tibi filium,
vocabisque nomen ejus Isaac, & constituam pactum meum il-
li in fœdus sempiternum, & semini ejus post eum.
℣. 20. Super Ismaël quoque exaudivi te; ecce, benedicam ei,
& augebo, & multiplicabo eum valdè: duodecim duces ge-
nerabit, & faciam illum in gentem magnam.
℣. 21. Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sa-
ra tempore isto in anno altero.
℣. 22. Cùmque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit De-
us ab Abraham.
℣. 23. Tulit autem Abraham Ismaël filium suum & omnes verna-
culos domûs suæ; universosque quos emerat, cunctos mares
ex omnibus viris domûs suæ: & circumcîdit carnem præputii
eorum, statim in ipsâ die, sicut præceperat ei Deus.
℣. 24. Abraham nonaginta, & novem erat annorum, quando cir-
cumcîdit carnem præpûtii sui.

COMMENTARIUS.

Scriptura, tam Veteris quàm Novi Testamenti. *Et non infirmatus est fide* (d), *nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo &c.*

Ex Patribus plerique risum hunc gestientis admirantisque animi indicium reputant (e): *Exultatio gratulantis, non irrisio diffidentis*, ait S. Augustinus. Sciscitatus est, inquiunt, quòd vehementer optaret certior adhue fieri, num alium habiturus esset hæredem, præter Ismaëlem, & quâ id futurum esset ratione, percontabatur: an scilicet ejus filii pater ipse futurus esset, vel ab alio natum accepturus a Deo. Præ oculis habuisse viri illud gaudium creditur Jesus, cùm de Abrahamo verba faciens, dixit (f): *Exultavit, ut videret diem meum: vidit & gavisus est.*

℣. 18. UTINAM ISMAEL VIVAT CORAM TE. Textus iste non uno sensu exponitur. Satis habeo, Domine mi, quòd Ismaëlem mihi fueris largitus: vivat ille, & nihil ultra quæro. Metuisse enim videtur Abraham ex factis sibi a Deo suscipiendi filii promissis, fortè insinuari interitum Ismaëlis, vel saltem exclusionem illius a promissionibus, quibus se pro eo obstrinxerat Deus; rogat proinde Pater Deum, ut superstitem illum servet. Rabbini ita Textum interpretantur, veluti si Abraham pro salute æternâ Ismaëlis oraret, Idolorum cultui, ut asserunt, addicti; in eam etenim sententiam exponunt quod infra *Cap.* XXI, 9, legitur de Ismaële *ludente cum Isaaco*; i. e. inquiunt, unà cum illo Idola formante. Pronis auribus excepisse Deum vota Abrahami, resipuisse Ismaëlem, ac damnationem evasisse. Quæ tamen quis probat?

℣. 20. DUODECIM DUCES GENERABIT. Filiorum Israël censum referemus inferiùs cap. XXV, 13, 14, 15. Septuaginta: *Duodecim gentes*. Sed Hebræum נשיאם, *Nessim*, significat Principes. Meminit Strabo duodecim principum Tribuum apud Arabes; & de Φυλάρχοις, *Phylarchis*, Saracenorum ducibus, sermo est apud Melonem, relatum ab Eusebio *Præp.* l. 9, c. 19, & apud Menandrum protectorem. Dispescebantur olim Arabes, pro Judæorum more, in duodecim Tribus: quod hodie usque servatum asserit Thevenotius p. 1, l. 5, c. 55: hoc tamen discrimine; quos enim aliquando Phylarchos, modò appellant *Scheich - Elchebir*, Seniores magnos.

℣. 22. ASCENDIT DEUS AB ABRAHAM. Chaldæus: *Ascendit gloria Domini super Abraham*. Arabs: *Sublatus est Angelus Domini*. Interpretes sanè multi censent, quæ in Scripturâ visiones Deo tribuuntur, ad Angelum plerumque, Dei personam gerentem, referri; quod discutietur ad Exodi III, 2. *Sublatus est Angelus*, dissipato scilicet corpore, quod sibi aptaverat, vel cessante impressione, seu motione in organis Abrahami coram Angelo, quam Deus effecerat.

℣. 23. STATIM IPSA DIE. Hebr. בעצם היום הזה, *In corpore ipsius diei*; quæ loquendi phrasis, ut jam notavimus ad Genesis VII, 13, usurpatur pro mane, meridie scilicet diei naturalis apud Judæos a vesperâ in vesperam ducti. Septuaginta: Ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, *In tempore illius diei*. Quâ die Abraham Deum vidit, se ac domesticos initiavit circumcisione. Nos tamen distulisse malumus usque mane alterius diei: spatio scilicet aliquo temporis opus erat disponendis ad eam rem filio suo & vernaculis; hæc neque unâ horâ, neque eâdem ipsâ die, qua Abraham Deum allocutus est, parari poterant.

(d) *Genes.* XV, 6. *& Rom.* IV, 19. (e) *Vide Aug. l.* XVI *de Civit. c.* 26. *Ambrof. l.* I *de Abrah. c.* 4. *&c.* (f) *Johan.* VIII, 56.

℣. 15. Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai uxorem tuam non
vocabis Sarai, ſed Saram.
℣. 16. Et benedicam ei, & ex illâ dabo tibi filium, cui benedictu-
rus ſum, eritque in nationes, & Reges populorum orientur
ex eo.
℣. 17. Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit, dicens in cor-
de ſuo: Putaſne centenario naſcetur filius? & Sara nonage-
naria pariet?

COMMENTARIUS.

vertendum fuiſſe in pueros circumciſione non initiatos, nullâ etiam eorum culpâ: quod cum minùs æquum reputaret S. Auguſtinus, ideo facilè ad exponendum Textum deductus eſt de interitu animæ, qui pueros illos maneret, cùm ſcilicet vitâ decederent ante circumciſionem: puniebantur enim, quòd originalis criminis ab ortu eſſent rei; exponit autem Auguſtinus, quæ ſequuntur, *Quia pactum meum irritum fecit*, de hominibus reis violati in Adamo primi illius fœderis, Deum inter & naturam humanam ſanciti. In hanc ſententiam conceſſerunt plures ex Doctoribus, remitti circumciſione crimen illud originis arbitrantes, utì nos ſupra innuimus ad ℣. 10.

Docent Rabbini, hominem, qui fortè ab infantiâ circumciſione initiatus non fuiſſet, negligeretque ſubinde illam, poſt ætatem XIII annorum ejus Legis rigorem fuiſſe ſubiturum. Ad pœnas iſtas quod attinet, non eadem eſt omnium Interpretum ſententia (t). Quidam, utì jam innuimus, de morte violentâ interpretantur; alii de damnatione vel interitu animæ, ſeu etiam de animâ in nihilum redactâ (u): eas pœnas exprimere mortem naturalem ſed immaturam quidam volunt; alii mortem civilem, veluti ſi quis nullos poſt ſe relinquat ſucceſſores, vel e cœtu Iſraëlitarum excommunicatione ejiciatur. Immatura mors reputatur, juxta nonnullos (x), mors ad annum LX, juxta alios ad L, vel LII. Tandem non incongruè admitteretur interpretatio Vatabli: Abſcindetur e corpore Iſraëlitarum, prærogativis omnibus & promiſſionibus, quæ appendices ſunt fœderis Dei cum Abrahamo, privatus.

Cenſuerunt nonnulli (y), pœnis illis non quidem in pueros a circumciſione excluſos, ſed in parentes ſive altores animadverti, quippe qui muneri ſuo defuiſſent. Favet illis Syriacus, habens: *Quicumque non circumcidet ..... delebitur*. Docent Judæi (z), ſi prior natus infans, tum ſecundus & tertius dolore vulneris circumciſionis obiiſſent, nequaquam, eos qui deinde naſcebantur, filios circumcidi: præcepta enim cæremonialia ſervare certæ mortis periculo nequaquam cogimur.

℣. 15. Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Nomen *Sarai* exprimit Dominam, ſeu Dominam meam; & *Sara* Dominam. Poſterius illud abſolutum aliquid exprimit, & amplioris auctoritatis nomen eſt. Non ampliùs habebitur Sarai tanquam ſingularis familiæ domina, ſed gentium plurium Regina. Hæc nominum mutatio, innovatio iſta fœderis cum Abrahamo, figuræ ſunt novi teſtamenti, novique fœderis, Chriſtum inter & naturam humanam.

℣. 16. Et benedicam ei, et ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, et Reges populorum orientur ex eo. Quæ hic Vulgata de Iſaaco, eadem Hebræus habet de Sarâ: *Et benedicam ei; & etiam dabo ex eâ tibi filium; & benedicam ei, & erit in gentes; Reges populorum ex eâ erunt*. Eamdem lectionem ſervat Chaldæus. Congruit Vulgatæ Syrus: *Reges ex eo erunt*. Porrò verbis iſtis major, quàm quæ unquam collata ſit fœminis, in Veteri Teſtamentô, benedictionum largitas exprimitur; ex quo conjecturam capias de merito Saræ, tantis muneribus cumulatæ.

Porrò Sara typus erat inſignis Virginis Mariæ. Fœminæ hujus fides, quòd mater fuerit Iſaaci, filii promiſſionis & fœderis, quòd ſterilitatem toleraverit, quòd plura ab Agare famulâ ſuâ irrogata mala pertulerit, quòd filius ancillæ puerum Iſaacum haberet peſſimè; his omnibus veluti depingitur omnibus numeris abſoluta fides & gratia B. Mariæ, cui Matris unà & Virginis privilegium aſſertum fuit, quæ Jeſum Chriſtum genuit, Filium promiſſionum, & novi fœderis, Jeſum Chriſtum, quem filii Synagogæ ad mortem uſque inſectari ſunt. Sed tandem filii illi unà cum parente ſuâ ex avitâ domo ejecti, & prærogativis omnibus exſpoliati ſunt. Agnoſcimus hic perſonam Iſaaci malè exceptam ab Iſmaële; agnoſcimus in Agar Synagogam, unà cum filiis ſuis ſervire coactam, utì obſervat Apoſtolus (a). Sara eſt Eccleſia, mater filiorum beatâ libertate fruentium.

℣. 17. Cecidit Abraham in faciem suam, et risit. Riſus iſte ſuſpicionis alicujus indicium videtur; quod pariter ex ſequentibus intelligimus: homini enim veluti confirmando, quò de veritate promiſſionum non dubitaret, Deus promiſſiones illas innovat. Durioribus verbis S. Chryſoſtomus factum illud Abrahami proſequutus eſt (b); aſſeruitque, ejus rei merito inductam in familiam ipſius prolixam illam in Ægypto ſervitutem. Viri ſuſpenſum animum minùs probat S. Hieronymus (c). Paraphraſtæ Chaldæi de induſtriâ leniiſſe videntur vim vocis *Riſit*. Onkelos vertit: *Gaviſus eſt*; & duo alii Paraphraſtæ: *Admiratus eſt*. Et quidem fateamur oportet, Textûs originalis vim totam Paraphraſtas expreſſiſſe, ſi ſpectantur encomia, quibus Abrahami fidem proſequitur Scri-

(t) *Vide Selden. de Syned. l. 1, c. 6.* (u) *Maimonides.* (x) *Vide Conſtantin. L'Emper. in not. ad Bertram. Rep. Jud c. 2.* (y) *Diodor. Tarſ. & Procop.* (z) *Vide Hieroſol. Peſachim fol. 36. Arub. & Cholim, & Gloſſa in Zebachim & Arub. Vide Ligfoot. hor. hebr. in Cor. VII.* (a) *Galat. IV, 23.* (b) *Homil. XL in Geneſ.* (c) *Hieronym. l. 3 contra Pelag.*

Digitized by Google

℣. 18. Dixitque ad eum: Utinam Ismaël vivat coram te.
℣. 19. Et ait Deus ad Abraham: Sara uxor tua pariet tibi filium,
vocabisque nomen ejus Isaac, & constituam pactum meum il-
li in fœdus sempiternum, & semini ejus post eum.
℣. 20. Super Ismaël quoque exaudivi te; ecce, benedicam ei,
& augebo, & multiplicabo eum valdè: duodecim duces ge-
nerabit, & faciam illum in gentem magnam.
℣. 21. Pactum verò meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sa-
ra tempore isto in anno altero.
℣. 22. Cùmque finitus esset sermo loquentis cum eo, ascendit De-
us ab Abraham.
℣. 23. Tulit autem Abraham Ismaël filium suum & omnes verna-
culos domûs suæ; universosque quos emerat, cunctos mares
ex omnibus viris domûs suæ: & circumcîdit carnem præputii
eorum, statim in ipsâ die, sicut præceperat ei Deus.
℣. 24. Abraham nonaginta, & novem erat annorum, quando cir-
cumcidit carnem præputii sui.

COMMENTARIUS.

Scriptura, tam Veteris quàm Novi Testamenti. *Et non infirmatus est fide* (d), *nec consideravit corpus suum emortuum, cùm jam ferè centum esset annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitavit diffidentiâ, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo &c.*

Ex Patribus plerique risum hunc gestientis admirantisque animi indicium reputant (e): *Exultatio gratulantis, non irrisio diffidentis*, ait S. Augustinus. Sciscitatus est, inquiunt, quòd vehementer optaret certior adbuc fieri, nom alium habiturus esset hæredem, præter Ismaëlem, & qua id futurum esset ratione, percontabatur: an scilicet ejus filii pater ipse futurus esset, vel ab alio natum accepturus a Deo. Præ oculis habuisse viri illud gaudium creditur Jesus, cùm de Abrahamo verba faciens, dixit (f): *Exultavit, ut videret diem meum: vidit & gavisus est.*

℣. 18. Utinam Ismael vivat coram te. Textus iste non uno sensu exponitur: Satis habeo, Domine mi, quòd Ismaëlem mihi fueris largitus: vivat ille, & nihil ultra quæro. Metuisse enim videtur Abraham ex factis sibi a Deo suscipiendi filii promissis, fortè insinuari interitum Ismaëlis, vel saltem exclusionem illius a promissionibus, quibus se pro eo obstrinxerat Deus; rogat proinde Pater Deum, ut superstitem illum servet. Rabbini ita Textum interpretantur, veluti si Abraham pro salute æternâ Ismaëlis oraret, Idolorum cultui, ut asserunt, addicti; in eam etenim sententiam exponunt quod infra Cap. xxi, 9, legitur de Ismaële *ludente cum Isaaco*; i. e. inquiunt, unà cum illo Idola formante. Pronis auribus excepisse Deum vota Abrahami, resipuisse Ismaëlem, ac damnationem evasisse. Quæ tamen quis probat?

℣. 20. Duodecim ducas generabit. Filiorum Israël censum referemus inferiùs cap. xxv, 13, 14, 15. Septuaginta: *Duodecim gentes*. Sed Hebræum נשיאם, *Nessim*, significat Principes. Meminit Strabo duodecim principum Tribuum apud Arabes; & de Φυλάρχοις, *Phylarchis*, Saracenorum ducibus, sermo est apud Melonem, relatum ab Eusebio *Præp.* l. 9, c. 19, & apud Menandrum protectorem. Dispescebantur olim Arabes, pro Judæorum more, in duodecim Tribus: quod hodie usque servatum asserit Thevenotius p. 2, l. 3, c. 32: hoc tamen discrimine; quos enim aliquando Phylarchos, modò appellant *Scheich-Elchebir*, Seniores magnos.

℣. 22. Ascendit Deus ab Abraham. Chaldæus: *Ascendit gloria Domini super Abraham*. Arabs: *Sublatus est Angelus Domini*. Interpretes sanè multi censent, quæ in Scripturâ visiones Deo tribuuntur, ad Angelum plerumque, Dei personam gerentem, referri; quod discutietur ad Exodi III, 2. *Sublatus est Angelus*, dissipato scilicet corpore, quod sibi aptaverat, vel cessante impressione, seu motione in organis Abrahami coram Angelo, quam Deus effecerat.

℣. 23. Statim ipsa die. Hebr. בעצם היום היה, *In corpore ipsius diei*; quæ loquendi phrasis, ut jam notavimus ad Genesis VII, 13, usurpatur pro mane, meridie scilicet diei naturalis apud Judæos a vesperâ in vesperam ducti. Septuaginta: Ἐν τῷ καιρῷ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, *In tempore illius diei*. Quâ die Abraham Deum vidit, se ac domesticos initiavit circumcisione. Nos tamen distulisse malumus usque mane alterius diei: spatio scilicet aliquo temporis opus erat disponendis ad eam rem filio suo & vernaculis; hæc neque unâ horâ, neque eâdem ipsâ die, qua Abraham Deum allocutus est, parari poterant.

(d) *Genes.* xv, 6. & *Rom.* IV, 19. (e) *Vide Aug. l.* XVI *de Civit. c.* 26. *Ambros. l.* 2 *de Abrah. c.* 4 &c. (f) *Johan.* VIII, 56.

℣. 25. Et Iſmaël filius tredecim annos impleverat tempore circumciſionis ſuæ.
℣. 26. Eâdem die circumciſus eſt Abraham & Iſmaël filius ejus.
℣. 27. Et omnes viri domûs illius, tam vernaculi, quàm emptitii & alienigenæ pariter circumciſi ſunt.

COMMENTARIUS.

℣. 25. ISMAEL FILIUS TREDECIM ANNOS IMPLEVERAT. Arabes, genus referentes ex Iſmaële, anno ætatis decimo tertio filios circumcidunt, teſte Joſepho *Antiq. l.* 1, *c.* 11; quod plerumque & a Turcis ſervatur; quamquam nihil certi conſtitutum eſſe apud illos eâ in re, affirmant nonnulli (*g*). Nec ipſi pariter ullam habent a Deo præſcriptam circumciſionem, uti ſuperiùs obſervavimus. Ex Strabone conſtat (*h*), Arabes nonnullos admittere circumciſionem, ſed alio planè ac Judæi, & Ægyptii, ritu. Apud Troglodytas viri pariter & fœminæ abſcinduntur. Alii Ægyptium in circumciſione ritum exprimebant.

CAPUT XVIII.

Tres Angeli per viſum apparent Abrahamo. De futuro ortu Iſaaci promiſſo. Deus conſilium ſuum Abrahamo exponit deſtruendi Sodomam & Gomorrham: quod fatum avertere Abraham precibus ſuis conatur.

℣. 1. APparuit autem ei Dominus in convalle Mambre, ſedenti in oſtio tabernaculi ſui, in ipſo fervore diei.
℣. 2. Cumque elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum: quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi, & adoravit in terram.

COMMENTARIUS.

℣. 1. APPARUIT EI DOMINUS IN CONVALLE MAMBRE. Deus Abrahamo apparuit in valle, vel ſub quercu, vel in nemore, vel ſub querceto Mambre; his enim omnibus reddi poteſt Hebræum אלוני, *Elon*. Vide & caput XIII, 18. Viſebatur adhuc, teſte Sozomeno l. 2, c. 3, quarto Eccleſiæ ſæculo quercus, quam ipſiſſimam Mambre reputabant; & ſub illâ convivio exceptos fuiſſe Angelos ab Abrahamo, fama erat. Sed portentoſa arboris hujus diuturnitas ſuſpecta eſt; quercetum faciliùs ad eam uſque ætatem, & multò etiam diutiùs perſeveraſſet.

℣. 2. APPARUERUNT EI TRES VIRI. Exhiberi viris iſtis tres Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis, credidit S. Ambroſius (*a*). Alii Patres (*b*) docuerunt, inter duos Angelos tertium veniſſe Filium Dei, ſecundam nempe Trinitatis Perſonam; quam ſententiam prætuliſſe videtur Eccleſia, cùm in ſuo Officio verba illa recitat, non quidem in Scripturâ, ſed in Patribus (*c*) legenda: *Tres vidit, & unum adoravit*. Concilium Sirmienſe anathematiſerit eos, qui *Filium non dicant Abrahæ viſum, ſed Deum innaſcibilem, vel partem ejus dicant*. S. Auguſtinus validè tuetur (*d*), tres illos homines totidem fuiſſe Angelos, hominum figuram referentes; quibus ſub exuviis Abraham Deum adoraverit.

Duo illi homines a Loth hoſpitio recepti, Angeli appellantur cap. XIX, 1; nec alio nomine deſignat Apoſtolus ad Hebræos XIII, 2, ubi totam hiſtoriam exceptorum hoſpitio Angelorum ab Abrahamo præ oculis habet. In ſententiam S. Auguſtini conceſſerunt noſtrâ ætate Theologi.

CUCURRIT IN OCCURSUM EORUM .... ET ADORAVIT IN TERRAM. Quanto ſtudio hoſpitalitatis teneretur, & quanto eſſet erga hoſpites ſuos obſequio, hoc exemplo demonſtrat Abraham (*e*). Procurrit alacer ad invitandos; factuſque propiùs in terram provolvitur. Verbum *adorare* exprimit interdum in Scripturâ externam quamdam obſequii ſignificationem, variâ corporis inclinatione, pro merito eorum, quibus impenditur, exhibitam. Nec actus exterior adorationis, qui Deo redditur, alius eſt, quàm quo homines proſequimur: utriuſque

(g) *Eſt. in hunc loc.* (h) *Strab. lib.* XVI. οὐ κολοβοὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ περιτετμημένοι τινὲς, καθάπερ Αἰγύπτιοι. (a) *Ambroſ. l.* 1 *de Abrah. c.* 5. (b) *Irena. l.* 3, *c.* 6. & *l.* 4, *c.* 23. *Tert. l.* 2 *contra Marcion. c.* 27. *Juſtin. Dialog. cum Tryphone. Hilar. l.* 4 *de Trinit. Gregor. Nazianz. Theodoret. &c.* (c) *Aug. l.* 2 *contra Maxim. c.* 26, *art.* 7. (d) *Aug. l.* 2, & 3 *de Trinit.* & *l.* 16 *de Civit. Dei, c.* 29. (e) *Vide Ambroſ. l.* 1 *de Abraham, c.* 5; & *Aug. ſerm.* 179 *de verbis Apoſt. Jacobi.*

℣. 3. Et dixit: Domine, si invêni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum.

℣. 4. Sed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros, & requiescite sub arbore.

℣. 5. Ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum, posteà transibitis: idcircò enim declinastis ad servum vestrum. Qui dixerunt: Fac ut locutus es.

℣. 6. Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes.

COMMENTARIUS.

que discrimen efficit intima cordis habitudo. Latinum *Adorare*, & Græcum Προσκυνεῖν, *Proscunein*, juxta vim nominis, exprimit tantùm *Manum exosculari*; quæ olim erat adoratio Idolis impensa. Constat id Job XXXI, 27: *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo*. Et 3 Reg. XIX, 18: *Omne os quod non adoravit Baal, osculans manus*. Solemnis iste Paganis erat ritus. *Cæcilius, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens, osculum labiis pressit*, ait Minutius Felix in Octavio. Interdum flexis genibus cultus reddebatur. Vide 2 Par. VI, 13; & 3 Reg. XIX, 18. Dan. VI, 10; Isaiæ XLV, 23.

℣. 3. DOMINE, SI INVENI GRATIAM. Samaritanus: *Domini mei, si inveni gratiam in oculis vestris*; quasi scilicet sermo esset ad plures. Hebræus, juxta punctorum in Bibliis nostris syntaxim: *Domini mei, si inveni gratiam in oculis tuis*. Septuaginta & S. Hieronymus legerunt *Adoni*, Domine mi, pro *Adonai*, Domini mei. Hæc personarum in sermone Abrahami mutatio satis probat, verba ab illo facta modò ad tres, modò ad illum, qui inter cæteros dignitate & amplitudine præstare videbatur, in quo pariter Abraham Deum adorabat.

℣. 4. AFFERAM PAUXILLUM AQUÆ, ET LAVATE PEDES VESTROS. Hebræus: *Tollatur nunc parum aquæ, & laventur pedes vestri*. S. Augustinus (*f*), & S. Hieronymus (*g*) legebant: *Lavem pedes vestros*. Inter potissima hospitio recipientis officia semper reputatum est, ut hospitibus laventur pedes. Loth pedes lavit geminis Angelis, cùm Sodomam pervenissent (*h*). Idem præstitum cum Eliezere in domo Labani (*i*). Queritur Jesus Christus, *Lucæ* VII, 44, de Pharisæis, a quibus convivio exceptus, ne pedum quidem lotione ab iis honorificè habitus fuerit. Paria obtinebant apud Prophanos: nec in ferventibus regionibus, ubi mos erat sive nudis pedibus vel sandaliis tantùm protectis incedendi, meri erat officii ritus ille, sed necessitatis.

℣. 5. PONAMQUE BUCCELLAM PANIS, ET CONFORTATE COR VESTRUM. Hebræum פת, *Phat* redditur plerumque *buccella*. Septuaginta habent tantùm ἄρτον, *panem*, vel aliquid panis. Et quidem Grammaticorum nonnulli censent, Originalis vocem exprimere posse integrum panem. Reddit illam interdum Vulgata (*l*) *cibum*, *panem*, *mensam*. Juxta Hebraicam etymologiam, *Phat* significat fractionem, scissionem; quo interdum nomine exprimebatur panis, quippe qui frangebatur, non secabatur. Vide Genes. XLII, 1. Porrò modesto illo *buccellæ panis* titulo Abraham expressit quidquid volebat cibi præstare hospitibus: modica promittit, magna collaturos.

IDCIRCO ENIM DECLINASTIS AD SERVUM VESTRUM. Ideò, quantum intelligo, hac horâ prandendi venistis ad me, cùm maximè dies fervet (*m*); ideò, inquam, ut me tanto honore, excipiendi nempe vos hospitio & convivio, dignaremini. Reddi posset Hebræum כי על כן *Quandoquidem* (*n*) non aliâ ratione ad teotorium meum divertistis, quàm ut vos reficeretis.

℣. 6. ACCELERA, TRIA SATA SIMILÆ COMMISCE. Satum, Hebraicè *Seah*, nos Gallicè reddimus *mesure*; est autem tertia pars Epha, ut tria sata reddant unum Epha, continens 29 pintas cum dimidiâ, semisextario & octavâ pintæ parte, & amplius aliquanto. Quare lautissimum instruxisse convivium hospitibus Abraham reputandus est, non quidem ciborum varietate, sed copiâ, ut observat D. Abbas Fleury (*o*); ex quo infert, Veteres multò quàm nos largiore cibo uti consuevisse. Constat equidem, apud veteres in hospitibus excipiendis obtinuisse, ut in dapibus copia maximè, varietas minimè observaretur. Amplior portio illi apponebatur, quem inter cæteros distinguebant. Mittit Joseph (*p*) ad fratrem suum Benjamin portionem quintuplo majorem, quàm quæ aliis fratribus apposita est. Ex integro vitulo quartam partem tradidit Samuel Sauli, quem in Ramatham deduxerat (*q*). Paria observes in veterum Græcorum moribus. Cùm publico convivio excipiebatur Princeps Lacedæmonium, leges edicebant, duplo majoribus cibis mensa instrueretur, ut ex illâ dapes, quibus liberet, dono daret (*r*). Ipse paterfamiliâs cum filiis suis cibos parabat, uti constat in Abrahamo, qui ipse vitulum elegit, atque conficere panem jussit Saram.

FAC SUBCINERICIOS PANES. Hebræum עגות, *Hugoth*, quod Septuaginta ἐγκρυφίας, & Vulgata subcinericios panes, vertitur a Chaldæo & Interpretum plerisque placenta compressa & subtilis, vel sub cinere cocta, vel in frixorio, vel intra candentes laminas, sive in paratis ad eam rem lapidibus, quibus igne jam candentibus super ponitur

(*f*) *Aug. in Genes. quæst.* 34. (*g*) *Hieron. Ep. ad Pammach.* (*h*) *Genes.* XIX, 2. (*i*) *Genes.* XXIV, 32. (*l*) *Vide Prov.* XXIII, 8. *Dan.* I, 5, & 13. 2 *Reg.* XII, 3. (*m*) *Vide* ℣. 1. (*n*) *Vide Gen.* XX, 8; XXXIII, 10; XXXVIII, 26. *Num.* XIV, 43. (*o*) Mœurs des Israëlites. (*p*) *Genes.* XLIII, 34. (*q*) 1 *Reg.* IX, 24. (*r*) *Xenophon de Repub. Lacedæm.*

℣. 7. Ipse verò ad armentum cucurrit,& tulit inde vitulum tenerrimum & optimum,deditque puero:qui festinavit, & coxit illum.
℣. 8. Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis: ipse vero stabat juxta eos sub arbore.
℣. 9. Cùmque comedissent, dixerunt ad eum: Ubi est Sara uxor tua? ille respondit: Ecce in tabernaculo est.
℣. 10. Cui dixit: Revertens veniam ad te tempore isto, vitâ comite, & habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi.

COMMENTARIUS.

tur subacta aquâ farina; vel in fornace sub terrâ excavatâ, cujus parietibus applicantur panes, qui cùm leves sint, uno tantùm digito crassi, facilè tenentur suspensi. Obtinent adhuc hæ coquendi panem rationes in Oriente (*f*). Arabes, Persæ, Saraceni & Ægyptii nostrâ etiam ætate parant quotidie panes, placentis nostris similes. Fornaces apud Turcas (*t*) referunt ampliores quosdam clibanos testaceos, conversam superficiem exhibentes; igne enim intus accenso candescunt: superponitur illis subacta aquâ farina in placentæ formam; coctos deinde panes subducunt, aliis deinde & aliis substitutis.

℣. 8. TULIT QUOQUE BUTYRUM ET LAC. Butyri nomen hìc & alibi frequentius in Scripturâ usurpatur de cremore quodam lacteo; Hebræum enim חמאה, *Chemat* significat liquidum aliquid, & potabile. In ferventibus Orientis regionibus butyrum liquidum & fluens servatur in vasis scyphorum similibus, vel in utribus; exhibet autem liquorem similem coagulato oleo, cujus pariter refert colorem. Odore est plerumque gratissimum (*u*). Legimus (*x*) Jaëlem dedisse lac Sisaræ & in phialâ principium (*y*) obtulisse butyrum. Sophar inter amicos Jobi, dixit de impio: *Non videat rivulos fluminis, torrentis mellis & butyri* (*z*). Tandem ipse Job XXIV, 6, florentes res suas describens, *Quando lavabam*, ait, *pedes meos butyro, & petra fundebat mihi rivos olei*. Hisce omnibus liquidum aliquid exhibetur. Adde illud Proverbiorum XXX, 33: *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum*.

IPSE VERO STABAT JUXTA EOS SUB ARBORE. Phrasis ista, Stare juxta aliquem, exhibentis est famulatum; in quam sententiam Textum reddunt Chaldæus aliique plures.

℣. 9. CUMQUE COMEDISSENT. Reverà ne comederunt? Comedisse tantùm in speciem, tuentur Paraphrastes Jonathan, Rabbinorum nonnulli in Talmud, Theodoretus quæst. 69, S. Thomas (*a*) & Interpretum nonnulli. Angelus Raphaël, qui juniorem Tobiam deduxit, se non comedisse professus est (*b*): nec aliter profectò reputandum videretur de corporibus quæ ex aëreâ quadam substantiâ coalescunt, ac nonnisi externam humani corporis superficiem exhibent; quæ phantastica corpora spectanda exhibuisse Angelos, cùm apparerent Abrahamo & Loth, intelligimus.

Defendit Vatablus, tres illos Angelos, quippe qui organica corpora assumpserant, cibos re ipsâ degustasse, eosque non in propriam corporis substantiam convertisse (*c*), sed dissipasse per transpirationem; & quæ in adscititiis istis corporibus gesta sunt, evanuisse statim omnia, Angelis abeuntibus. Aptos ad cibum Angelos non negat S. Justinus in Dialogo cum Tryphone; sed rationem affert minùs utique justam: reputat enim Angelos in Cœlo pariter nutriri, juxta illud: *Panem Angelorum manducavit homo*. Sed Dei Filius, addit ille, qui inter tres Angelos Abrahamo visos principem locum tenebat, a cibo abstinuit: vel si degustasse cibum reputemus, verbum illud *comedere* sensu figurato usurpandum est, quemadmodum simili verborum phrasi ignem vorare dicimus, quòd scilicet lignum comburat.

Admittit Tertullianus (*d*), Angelos veritatem carnis assumpsisse, nec cibos degustasse in speciem tantùm; admittit pariter & S. Augustinus (*e*), Angelos capere cibos potuisse: unicum est illi inter comedentes homines & Angelos discrimen, quòd ad cibum homines necessitate adigantur, voluntate Angeli, sicut voluntate, non necessitate, cibum caperent corpora post resurrectionem, ut a Jesu Christo factum constat. Et *de Civit. Dei l. 13, c. 22*, docet, non ita reputandum esse, quasi Angeli speciem tantùm degustandi cibi prætulerint, comedisse enim re ipsâ; & cùm Angelus ad Tobiam professus est; *Videbar vobiscum manducare & bibere; sed ego cibo invisibili & potu utor*; non negavit se cibo re ipsâ usum; sed qui comedentem illum spectabant, credebant necessitate fieri, quod voluntate tantùm præstabatur. Veteres, qui corpore instructos esse Angelos autumabant, ultrò pariter admittebant, Angelos reipsâ cibos degustasse; nobis tamen, quibus spiritales esse Angelos persuadetur, ea opinio magis est ardua, quam ut sequamur.

DIXERUNT AD EUM: UBI EST SARA? Septuaginta: *Dixit ad illum; Ubi est Sara?* Ex sequenti versu intelligimus, ex Angelis unum verba fecisse. In universâ hac historia Moyses indiscriminatim singulares & plures personas loquentes inducit; quod ab ipso factum sive latentis alicujus misterii causâ, sive quòd Angeli uno consilio agerent, ut proinde quod a tribus fiebat, ab uno veluti præstitum reputaretur, seu vicissim. Hìc autem Angeli revelare se incipiunt Abrahamo, manifestantes nomen uxoris ipsius & filium pollicentes.

℣. 10. REVERTENS VENIAM AD TE TEMPORE ISTO

(*f*) *Vide Chardin pluribus in locis ejus Itinerarii, & Thevenot p. 2, c. 32, p. 330; & c. 73, p. 495.* (*t*) *Bellon. l. 2 observ. c. ult.* (u) Chardin voyage de Perse t. 3, p. 105, & t. 2, p. 63. (x) *Judic. v, 25.* (y) *Heb* ספל *Sympulum.* (z) *Job XX, 17.* (a) *Thom. 1 part qu. 51, art. 2. & 3, ad 5.* (b) *Tob. XII, 19.* (c) *Cornel. a Lap. Menoch. &c.* (d) *L. de carne Christi c. 3. (?) contra Marcion. c. 9.* (e) *Aug. Serm. 362 de resurr. c. 11, p. 1422. & 1423. nov. edit.*

℣. 11. Erant ambo autem senes, provectæque ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria.

℣. 12. Quæ risit occultè, dicens: Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?

℣. 13. Dixit autem Dominus ad Abraham: Quare risit Sara, dicens: Num verè paritura sum anus?

℣. 14. Numquid Deo quidquam est difficile? juxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore, vitâ comite, & habebit Sara filium.

C O M M E N T A R I U S.

ISTO, VITA COMITE. Humano more loquitur Angelus, cujus totidem verba usurpat Elisæus, filium hospitæ suæ promittens (*f*); confer *Genes.* XVII, 21. Commodè etiam Textus redderetur in hunc sensum: Intra annum, si Deus illam sospitaverit, Sara filium gignet. Vel (*g*): Revertar hoc eodem tempore, vos incolumes inveniam, & Sara filium pariet. Vel: Hoc eodem tempore revertar, & natus e Sarâ filius sospes erit incolumisque, Septuaginta suppresserunt vocem *vitâ* quæ legitur in originali: *Revertens veniam ad te tempore isto*, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον εἰς ὥρας. Hebræus ad literam *Revertendo revertar ad te secundùm tempus vitæ*, כעת חיה. Veluti si diceret, nisi inopinato aliquo eventu, veluti morte, &c. prohibear, veniam ad te. Specimen hîc habes Religionis veterum in servandâ promissorum fide. Rediisse Angelos vertente anno ad Abrahamum, nunquam legimus in historiâ; sed redierunt reipsâ, impletâ nempe in ortu Isaaci promissione.

SARA RISIT POST OSTIUM TABERNACULI. Hebræus exactiùs: *Sara audiens* (erat ab) *ostio* (tabernaculi); *& ipsum* (ostium) *post eum* (Angelum loquentem erat). Nihil in Textu de risu Saræ, nihil pariter in Chaldæo & Septuaginta; quorum versio habet, Saram retro fuisse post Angelum; sed Chaldæi ac Hebræi syntaxis demonstrat, ostium post Angelum fuisse.

℣. 11. ERANT AUTEM AMBO SENES, PROVECTÆQUE ÆTATIS. ET DESIERANT SARÆ FIERI MULIEBRIA. Cur riserit Sara, causam pandit Moyses. Nasciturus ex illâ filius promittebatur, e fœminâ naturâ suâ sterili (*h*), cujus pariter ac viri ætas effœta: ad hæc, norat illa non obscuris indiciis, juxta naturalem ordinem, fœtu concipiendo imparem se esse (*i*); qua triplici ratione de promissionum fide desperandum sibi esse videbatur. Sed nihil ex his fidem Abrahami concussit. Ex quo viri meritum extollit Apostolus Rom. IV, 19, quippe qui ne hæsitans quidem crediderit futurum, ut Sara e viro centenario & *corpore emortuo* filium gigneret. *Mulier*, ait Plinius l. 7, c. 14, 15, *post quinquagesimum annum non gignit, majorque pars quadragesimo profluvium genitale sistit*; agebat autem Sara xc annorum ætatem. Ad mares quod attinet, *In annum octogesimum viri generant*, ait Solinus, addens: *Post annum quinquagesimum omnium mulierum fœcunditas quiescit*; & quidem post natum Isaacum liberos alios genuit Abraham ex Cethura. Quare arbitratur S. Augustinus (*k*), ea quæ habet Apostolus de *corpore emortuo*, ad Saram referri oportere, e qua effœtâ jam muliere & sterili liberos ut susciperet Abraham, præter omnem spem erat.

℣. 12. QUÆ RISIT OCCULTE. Censuit S. Ambrosius (*l*), mysticum esse sanctæ fœminæ risum, omen scilicet futuri gaudii ex ortu Isaaci. Verùm S. Augustinus ne ambigens quidem asserit (*m*), hunc risum hæsitantis esse & diffidentis; ex quo, ait, discrimen licet intelligere inter risum Saræ & Abrahami: risit enim vir sanctus lætitiâ & admiratione rei. Porrò Saram hac in re minùs cautè sese gessisse, demonstrat Angeli illam objurgatio, quod factum illa mendacio excusat. Profectò si in hospitibus illis nil nisi homines agnoverat, ridendæ utique fuerant nullâ veri specie factæ promissiones. Cur tamen risus mendacio excusaretur, nihil erat: si verò meritum promittentis filium ex Dei voluntate agnoscebat, risus utique non vacat a culpâ, crimenque auxit, cùm mendacio excusare illud studebat.

POSTQUAM CONSENUI ET DOMINUS MEUS VETULUS EST, VOLUPTATI OPERAM DABO? Commendat S. Petrus (*n*) Saræ in virum suum obsequium & submissionem, quòd scilicet Dominum suum illum appellet [*o*]. Onkelos ita Textum reddit: *Postquam consenui, erit mihi juventus.* Aquila: Μετὰ τὸ κατατριβῆναί με, ἐγένετό μοι τρυφέρια: *Postquam attrita sum, facta est mihi voluptas.* LXX: Οὔπω μέν μοι γέγονεν ἕως τοῦ νῦν. ὁ δὲ κύριός μου πρεσβύτερος: *Hoc dum mihi factum est usque nunc* (ut filios parerem) *dominus autem meus senex est*. Philo l. 2 *Allegor. Leges*: Οὔπω μοι γέγονε τὸ εὐδαιμόνειν, ἕως τοῦ νῦν. ὁ καὶ κύριός μου πρεσβύτερος ἐστίν: *Nunquam hactenus contigit mihi tanta felicitas. Sed Dominus meus senior est.* Sive ex aliorum sententiâ: *Nunquam connubio usa sum, & dominus meus senex est*: quî ergo non temerè filios sperem? Symmachus: Μετὰ τὸ παλαιωθῆναί με, ἐγένετό μοι ἀκμή. *Postquam vetustate senui, facta est mihi adolescentia*. Hebræus: אחרי בלתי היתה לי עדנה: *Postquam senui, erit voluptas mihi*?

℣. 14. NUMQUID DEO QUIDQUAM EST DIFFICILE? Hebræus reddi etiam posset: היפלא מיהוה דבר. *Num-*

(f) 4 *Reg.* IV, 16. (g) *Onkel. Grot. &c.* (h) *Genes.* 21, 30. (i) *Plin. lib.* 7, *c.* 15. *Quibusdam non fluit menstruum, & illa non gignunt; quando hæc est generandi hominis materia. Arist. l.* 7 *hist. anim.* 2. Φύσει μὲν οὖν ἡ σύλληψις γίνεται μετὰ τῶν τούτων ἀπαλλαγὴν ταῖς γυναιξὶ, καὶ ὅσαις μὴ γίνεται ταῦτα, ὡς ἐπιτοπολὺ ἄτεκνοι διατελοῦσιν. [k] *Aug. l.* 16 *de civit. c.* 8, *& quæst.* 35 *in Genes.* (l) *Ambros. l.* 1 *de Abrah. c.* 5. (m) *Aug. l.* 16 *de Civit. c.* 31; *& quæst.* 36 *in Genes.* (n) 1 *Petri* III, 6. (o) Veteres Græci maritos dominorum nomine appellabant: Ita Arpatis & dominus ejus, est Arpatis & ejus vir. *Scholiast. Aristoph. in Equitib. actu* 5, *scen.* 4.

Digitized by Google

ỹ. 15. Negavit Sara, dicens: Non risi: timore perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita: sed risisti.

ỹ. 16. Cùm ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam; & Abraham simul gradiebatur, deducens eos.

ỹ. 17. Dixitque Dominus: Num celare potero Abraham quæ gesturus sum;

ỹ. 18. Cùm futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam: & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ?

ỹ. 19. Scio enim quòd præcepturus sit filiis suis, & domûs suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam: ut adducat Dominus propter Abraham omnia, quæ locutus est ad eum.

ỹ. 20. Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.

ỹ. 21. Descendam, & videbo, utrùm clamorem, qui vênit ad me, opere compleverint: an non est ita, ut sciam.

COMMENTARIUS.

Numquid quidquam est admirabile, vel *stupendum Deo*, quod scilicet ipse præstare non possit. Onkelos: *Numquid occultabitur a Domino verbum?* Numquid risisse te illum latet? seu potiùs futuros rei eventus ignorat ille? numquid inducere te potest in deceptionem, incerta vel impossibilia promittens? Reddunt nonnulli; Numquid Dei voluntatem quidquam prohibere potest?

ỹ. 18. Et benedicendæ sint. Vide *Genes.* xii, 3.

ỹ. 19. ...... Et faciant judicium et justitiam. Phrasis ista usurpari potest de omnibus justitiæ officiis erga Deum & proximum implendis (p). Interdum *justitia* est justitiæ severitas; & *judicium* est indulgentia, atque clementia (q). Cùm tandem de Judice justitiam & judicium facere asseritur, expressam habemus eâ phrasi ipsius in reddendâ justitiâ æquitatem (r).

ỹ. 20. Clamor Sodomorum, et Gomorrhæ multiplicatus est. Duarum tantùm Urbium nomina exprimuntur, quippe quæ inter cæteras excidio destinatas principem locum tenerent.

Reddi posset Textus; *Fama*, *nomen* (criminum) *Sodoma &c*; sed clamor meliùs exprimit effrænem infamissimarum Urbium libidinem, & impudentiam, qua crimina perpetrabant. Vide Isaiæ v, 7 (s). Porrò, ait S. Augustinus (t), eo clamoris nomine exprimit Scriptura iniqui hominis audaciam, quam nec timor, nec pudor frænat. De impudentiâ & injustitiâ clamante cecinit pariter Homerus. Odyss. O.

Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει.

Quorum iniuriaque visque ad ferreum cœlum vadit.

ỹ. 21. Descendam et videbo. Ego ipse me conferam in Urbem, quid rei sit, exploraturus; nulla enim sufficiens cautio adhibetur in judiciis & sententiâ adversùs aliquem ferendâ.

Utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. Reddi pariter Hebræum posset (u): Utrùm juxta clamorem ejus Urbis fecerint, & an crimina sua consummaverint. Aliter: An ea crimina perpetraverint, in quæ extremo supplicio, & desolatione animadvertendum sit. Alii reddunt: Utrùm fecerint *omnia* aut *omnino* כל, quem postremam interpretationem prætulisse videntur Septuaginta & Vulgata: Descendam exploraturus num ea omnia præstiterint, quæ fama refert.

Chaldæus alium sensum præfert: *Num cessare fecerint*, pœnitudine scilicet, vel criminibus relictis. Postremum hoc probat Grotius, qui verbum *Calah* sæpe usurpari pro cessare, absistere, demonstrat. Ludovicus de Dieu ita: Intelligam, utrùm sit consummatum consilium, ut scilicet in incepto perseverent. Vide 1 Reg. xx, 33: & Isaiæ x, 22. Tandem reddi posset: Videbo, num eorum gesta clamorosa sint pro famâ; & si verum sit, *Consummationem faciam*, destruam sine indulgentiâ.

ỹ. 22

(p) *Ezech.* xxxiii, 16, 19. (q) *Jerem.* x, 24; & xxx, 11. (r) 2 *Reg.* viii, 59; & 2 *Reg.* x, 9.

(s) *Iisdem phrasibus utitur Ovidius Metamorph.* 1, *Fab.* 9, *v.* 215.

Contigerat nostras infamia temporis aures,
Quam cupiens falsam, summo delabor Olympo;
Et Deus humanâ lustro sub imagine terras.
Longa mora est, quantum noxa sit ubique repertum,
Enumerare: minor fuit ipsa infamia vero.

(t) *Locution. de Genes. l.* 1, *art.* 50.

(u) הכצעקתה הבאה אלי עשו כלה *Sym:* ἐπετέλεσαν τὸν ἔργον. *Septuag.* συντελοῦνται.

℣. 22. Converteruntque se inde, & abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc stabat coram Domino.

℣. 23. Et appropinquans, ait: Numquid perdes justum cum impio?

℣. 24. Si fuerint quinquaginta justi in civitate, peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta justos, si fuerint in eo?

℣. 25. Absit a te, ut rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque justus sicut impius, non est hoc tuum: qui judicas omnem terram, nequaquam facies judicium hoc.

℣. 26. Dixitque Dominus ad eum: Si invenero Sodomis quinquaginta justos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.

℣. 27. Respondensque Abraham, ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis.

℣. 28. Quid si minùs quinquaginta justis, quinque fuerint? delebis propter quadraginta quinque, universam urbem? Et ait: Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque.

COMMENTARIUS.

℣. 22. CONVERTERUNTQUE SE INDE, ET ABIERUNT SODOMAM. Euntes nequaquam comitatus est Abraham; sed e tribus Angelis ille, quocum eò usque sermonem habuerat Abraham, mansit cum illo. *Abraham verò adhuc stabat coram Domino.* Critici quidam Hebræi, apud Drusium, lectum olim fuisse asserunt: *Sed Dominus adhuc stabat coram Abraham*; paulò enim infra dicitur Abraham accessisse propiùs ad Dominum. ℣. 23. *Et appropinquans, ait.* Sed correctio ista non nisi Judæis probatur; & nos optimè repudiamus, Abraham honoris quadam significatione mansisse cum tertio Angelo, cùm duo alii Sodomam proficiscerentur: & cum ab Angelo isto consilium destruendi Sodomam vir sanctus audisset, accessit propius ad illum, precibus suis ad misericordiam flexurus. Chaldæus & ex Rabbinis quidam (x), quos sequitur Grotius, ita explicant Textum: *Abraham stabat coram Domino*; veluti si diceretur: Abraham rogabat Dominum; interdum enim in Scripturis *stare* usurpatur pro *rogare*: sed alium esse sensum hujus Textûs arbitror.

℣. 25. QUI JUDICAS OMNEM TERRAM, NEQUAQUAM FACIES JUDICIUM HOC. Hebræus tanquam ad tertium aliquem loquitur: *Judex omnis terræ, non faciet judicium hoc?* sive, *Non faciet judicium?* Justum puniet una simul cum injusto?

℣. 27. QUIA SEMEL COEPI, LOQUAR &c. Hebræus reddi etiam posset: *Quia semel loqui volui cum Deo meo*, &c. sive quia ausus sum loqui. Malvenda: Quia incautè adeò & stultè egi, ut verba ad te facerem. Septuaginta: *Quoniam habeo loqui*, quandoquidem Ἐπειδὴ ἔχω λαλῆσαι: ausus sum tecum habere sermonem. Editio Complutensis lectionem Vulgatæ retinet: Νῦν ἠρξάμην: *Nunc cœpi.*

℣. 28. QUID SI MINUS QUINQUAGINTA JUSTIS QUINQUE FUERINT? DELEBIS PROPTER QUADRAGINTA QUINQUE? Sensus idem in Hebræo, sed alia syntaxis: *Si forsitan defuerint quinquaginta Justis quinque, numquid disperdes in quinque* (i. e. ob hos quinque, qui deficiant) *totam Civitatem?* Universâ hac gradatione eò tendit Abraham potissimùm, ut Loth nepotem suum servet: a nomine quidem exprimendo, modestâ cautione retinetur; habet tamen persuasum, Loth virum justum e discrimine subducendum, vel si unicus esset inter omnes. Atque si qui etiam alii viri justi unà cum illo invenirentur, eorum merito imminens quinque urbibus pœna remitteretur.

Id autem reputabat Abraham, concussum esse & stabile, Deum justos impiorum causâ nequaquam punire; quamquam experientiâ constet, publicis & temporalibus malis justos æquè obvolvi, majoribus interdum, quàm impios; docet enim veritas, commodiùs agi cum justis & electis, si laboribus & infortuniis in hac vitâ exerceantur, quàm si florentibus rebus mollescant. Sed hæc in lege naturæ & scriptâ minùs erant explorata; mala enim temporalia tanquam re ipsâ mala perinde habebantur; offendiculò etiam fuisset imbecillioribus, si eodem fato obvolvi virum justum cum impio spectassent. Abraham juxta receptas illas vulgò persuasiones loquebatur, quamquam clariore fidei ac mentis lumine illustratus, mala illa, quibus Deus interdum justos subdit, ita respiceret, tanquam exercitationes virtutis, & merito augendo aptissima.

Viri sancti, & quicumque rerum cognitione cæteris præstant, precibus rogant Deum, ut ab publicis & particularibus calamitatibus præsentibus & futuris eximantur, quamquam has veritates a nobis expositas probè norint teneantque; & Jesus Christus in formulâ illâ, quam docet, precandi, præscribit ut oremus, *Ne nos inducat in tentationem*, i. e. ut nos eximat a discrimine labendi; facilè enim raperemur in crimen; & cùm urgent tentationes, nos ab illis eximat.

Hæc de tribus Angelis hospitio exceptis & de ortu

(x) *Mai mon. Manab.* (y) הנה נא הואלתי

℣. 29. Rursumque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta
ibi inventi fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta.
℣. 30. Ne quæso, inquit, indigneris, Domine, si loquar: Quid si ibi
inventi fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si invenero
ibi triginta.
℣. 31. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum: Quid
si ibi inventi fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter
viginti.
℣. 32. Obsecro, inquit, ne irascaris, Domine, si loquar adhuc
semel. Quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem.
33. Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham:
& ille reversus est in locum suum.

COMMENTARIUS.

ortu Isaaci historia, sub fabularum involucris traditur ab Ovidio in iis, quæ de Jove, Mercurio & Neptuno comminiscitur (z). Cùm tres illi Dii peregrinarentur inter homines, gesta ab illis omnia exploraturi, sub vesperam proximæ cuidam exiguæ casæ accesserant, præ cujus foribus versabatur senex optimus Hyrieus. Ille advenas intuitus, hospitio & paupere quidem sed læto convivio excepit. Interrogarunt Dii, quid posceret mercedis: quæsivit ille filium, sed recusare dicebat conjugium, quòd viduatus esset uxore, eique morienti fidem obstrinxisset, nullam se deinceps aliam ducturum. Annuerunt hospites; irrigatoque suâ ipsorum urinâ corio tauri ab Hyrieo immolati, mandarunt Hyrieo, ut pellem illam defoderet in terram, nec nisi post novem menses erueret. Inde natus Orion.

Quis profectò non intelligat sub ementito Hyriei nomine Abrahamum ex Urbe Ur? Tres Angeli hospitio excepti tria sunt Numina, quæ apud Hyrieum diverterunt. Hebræus Textus, exprimens promissiones Angelorum de filio, nullâ mutatione ita reddi posset: לשר דאצהך: *Filium gignet in tauro holocausti tui*. Scribit Palephatus, Deos illos *projecisse semen in taurum*; stylo autem Scripturæ *dare semen* est dare posteritatem.

Hospitalitatem summo studio colebant veteres, rati, Deos (a) mortalium exuviis interdum indutos veluti advenas & peregrinos mundum discurrere, gesta hominum & crimina exploraturos. Timebant igitur, ne fortè hospite aliquo rejecto, Deos ipsos imprudentes rejicerent (b). Veluti sacrum aliquid habebatur hospitalitas: quæ pariter sanctitas in mensam hospitibus destinatam refundebatur. Jus hospitalitatis inviolabile censebatur. Apud veteres Romanos, principem inter eos, quorum patrocinium suscipiendum erat, locum tenebant orphani, & ætate adhuc immaturâ homines (c); succedebant illis clientes, qui se in alicujus clientelam dederant: proximè sequebantur hospites; & ultimum inter omnes locum tenebant propinqui & fœderati. Hospites tamen eodem gradu cum clientibus habitos fuisse apud veteres, asserit Masurius Sabinus. Ex Angelis frequentissimè a Patriarchis per visum spectatis facilè causa data est Poëtis (d) asserendi, Deos frequentissimos haberi in terrâ latentesque exploratores, qui humana omnia observent referantque.

℣. 32. Si inventi fuerint ibi decem? Preces suas longiùs urgere ex debitâ in Deum reverentiâ non audet Abraham; reputans fieri vix posse, ut decem saltem in totâ urbe non occurrant justi. Sed meliùs de illis quàm res esset, judicabat; neque enim justus alius inventus est præter Loth ejusque familiam. Cùm Dominus Jerosolymæ exitium decrevisset, denunciandum jussit a Jeremiâ (e): *Quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & propitius ero ei.*

CA-

(z) *Ovid. Fast. l. 5. Vide & Palephat. cap. 5, & Eratosth. c. 33*, & le Clerc, Bibliotheque universelle.
(a) *Homer. Odyss. P.* Καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι
Παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόληας,
Ἀνθρώπων ὕβριν τε, καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.
(b) *Homer. Odyss. Z.*.....Πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες
Ξεῖνοί τε πτωχοί τε......
Vide & Platon. in Sophistâ.
(c) *Gell. lib. v, c. 13.* (d) *Hesiod. lib. 1, oper. & dies.*
Οἵ ῥα φυλάσσουσίν τε δίκας, καὶ σχέτλια ἔργα. (e) *Jerem. v. 1.*

Digitized by Google

CAPUT XIX.

Angeli Sodomam venientes, hospitio a Loth recipiuntur. Sodomitæ vim faciunt in illos. Loth recipit se in urbem Segor, cujus uxor transmutatur in statuam salis. Sodoma, Gomorrha, & duæ aliæ urbes criminosæ destruuntur. Incestus Loth cum duabus filiabus.

℣. 1. VEneruntque duo Angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus civitatis. Qui cùm vidisset eos, surrexit & ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram.
℣. 2. Et dixit: Obsecro domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi: lavate pedes vestros, & manè proficiscemini in viam vestram. Qui dixerunt: Minimè, sed in plateâ manebimus.
℣. 3. Compulit illos oppidò, ut diverterent ad eum: Ingressisque domum illius fecit convivium, coxit azyma, & comederunt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VENEUNTQUE DUO ANGELI. Cùm tertius Angelus aliquandiu substitisset cum Abrahamo, eo dimisso evanuit, nec enim exinde nisi duo Angeli apparent.

SEDENTE LOT IN FORIBUS. Inferunt ex his Judæi, Loth habuisse locum inter Magistratus & Judices Sodomæ, qui pro regionis more in foribus Urbis jura dantes sedebant. Sed hanc persuasionem evertunt ea, quæ dicunt Sodomitæ ad Loth, ℣. 9: *Ingressus es ut advena: numquid ut judices?* Præ foribus ergo Urbis sedebat Loth, sive casu, sive excipiendorum hospitum gratiâ, si qui fortè venirent: non enim tunc erant in urbibus diversoria, neque in viâ, quemadmodum nec hodie usque apud Orientales (a) nisi fortè occurrant domus quædam publicæ, *Carvanseratia* appellant, protegendis ab aëris injuriâ itinerantibus gratis destinatæ.

℣. 2. MINIME, SED IN PLATEA MANEBIMUS. Sub ipsas plerumque urbium portas, ut ex pluribus Scripturæ locis intelligimus (b), erat platea, seu eogendi populi locus. Ibi traosigere se noctem velle Angeli dixerunt. Simulabant id Angeli, non ad mendacium, sed ad officium; erat enim ea veluti causatio, qua nolle se gravare Loth significarunt. Porrò Dei consilio factum est, ut divini illi hospites aliquandiu in loco manerent, dum mutua officia inter illos & Loth agebantur, ut scilicet spectari possent a Sodomitis, atque inde de injuriâ hospitibus inferendâ impii illi meditarentur, præbereturque ex hoc specimen effrænis illorum licentiæ.

℣. 3. FECIT CONVIVIUM, ET COXIT AZYMA. Septuaginta: Ἐποίησεν αὐτοῖς πότον, καὶ ἀζύμους ἔπεψεν: *Fecit eis potum, & azymos coxit.* Hebræus ad literam: יעש להם משתה ומצות אפה; *Fecit potum & coxit mazoth.* Sed vox illa, quæ redditur *potio*, usurpatur plerumque de convivio, quemadmodum & Latinum *compotatio*, & Græcum *symposion*. Hebræum *mazoth*, quod redditur *azyma*, significat etiam tumultuarios panes, sive placentas sine fermento. Apud Græcos est *Maza* genus quoddam farinæ, aquâ subactæ, cujus familiaris olim erat usus (c); farina hæc plerumque hordeacea, interdum e frumento, subigebatur aquâ vel lacte vel oleo, unâ cum melle, vino dulci vel cocto; adhibebatur autem in cibum confectus iste e plurium mixtione panis adhuc crudus. Panis loco obtinebat apud pauperculos; rarior erat ejus usus apud locupletes, qui ut delicatiorem gustui redderent, farinæ ex frumento mel, seu gratos alios liquores admiscebant.

Constat utique, genus illud cibi familiare apud Hebræos fuisse (d). Farinam oleo subactam (e) inspersam pariter vino & sale offerebant vulgo in sacrificiis actionum gratiarum, sicuti & plenas ejus rei lances obtulisse Principes Israëlis, legimus in Numeris VII, 53 &c. Eodem nomine appellat Hebræus (f) panem, septem diebus Paschalibos præscriptum: ita & placentas seu panes in canistro appositos juxta aram holocaustorum in tabernaculo. Genus illud farinæ coquebant interdum Hebræi: crudum plerumque præferebant Græci. Ut autem ad Loth regrediamur, parasse illum Angelis potionem & recentes panes seu azyma, legimus apud Moysem; quod perinde est, ac si diceretur, lautè pro regionis more illos excepisse.

(a) *Bellon. Observat.* lib. 1, c. 59; *alii passim.* (b) 2 *Par.* XXIX, 43, & XXXII, 6; & 2 *Esd.* VIII, 16. (e) *Vide Athenæum, Aristophanem, & Thesaurum Henrici Stephani verbo* Maza. (d) *Vide Levit.* XXIII, 14. *Ruth* II, 14. *Josue* V, 11, & 1 *Reg.* XVII, 17, &c. (e) *Levit.* I, 1, & II, & VI, 15, & *alibi.* (f) *Exod.* VII, 8, 15, & *passim.*

℣. 4. Priùs autem quàm irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum a puero usque ad senem, omnis populus simul.

℣. 5. Vocaveruntque Lot, & dixerunt ei: Ubi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? Educ illos hùc, ut cognoscamus eos.

℣. 6. Egressus ad eos Lot, post tergum occludens ostium, ait:

℣. 7. Nolite, quæso, fratres mei, nolite malum hoc facere.

℣. 8. Habeo duas filias, quæ necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub umbrâ culminis mei.

℣. 9. At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursùs, Ingressus es, inquiunt, ut advena; numquid ut judices? Te ergo ipsum magis quàm hos affligemus. Vimque faciebant Lot vehementissimè: jamque propè erat, ut effringerent fores.

COMMENTARIUS.

℣. 4. OMNIS POPULUS SIMUL. Hebræus (g) *Omnis populus ab extremo*; ab extremis scilicet urbis angulis, omnes coacti sunt, seu potiùs ex omni genere & conditione hominum ab honoratissimo ad infimum usque: ex quo luculenter sanè demonstrat Moyses, quàm latè paterent in corruptissimâ Urbe scelera.

℣. 5. UT COGNOSCAMUS EOS. Modestâ hac verborum honestate infame consilium significant. Quidam putant, ait Vatablus, simulasse illos tantùm scire se velle, quos advenas homines Loth in Urbem introduceret.

℣. 8. HABEO DUAS FILIAS, QUÆ NECDUM COGNOVERUNT VIRUM: EDUCAM EAS AD VOS; ABUTIMINI EIS. Mira & ardua propositio! Si Loth vir erat justus, ut ambigendi nullus est locus, quomodo prostituendi illas consilium capit, præsertim si jam viris desponsæ erant vel nuptæ? Fac autem, nulli peculiari viro addictæ fuerint; numquid probro erant exponendæ? Integrum ne est malum facere, ut malum aliud evitetur?

Factum istud Loth celebrant ex Patribus nonnulli (h); multo majori laude dignum virum censet ex eâ re S. Chrysostomus, quàm ex Angelis hospitio receptis (i). Conantur etiam excusare virum ex nostris Theologis quidam (k), absurdum illud principium constituentes, optimè minus malum persuaderi viro ad majus parato: ita e. g. potest quis furi persuadere, ut exspoliet hominem, quem statuerat occidere. Quamvis verò hæc admitterentur, nihil in rem nostram valerent. Anne igitur potest quis alterum inducere, ut minus malum inferat Petro, ne majori Paulum afficiat (l)? Non arbitror: valent hæc cùm de uno eodemque homine, cui malum inferendum est, agitur; cùm verò res est de jure diversorum, ut hìc de Angelorum & filiarum Loth, rejiciendam doctrinam illam constat. Ordinem charitatis utique pervertit Loth, cùm filiarum suarum pudori prætulit hospitum defensionem. Satis illi fuisset, viros impios a crimine absterrere; sed utique non erat aliud proponendum, quod illis non succurrerat,

Aliam rationem init Cajetanus, ut virum excuset; censet enim virum illum probum aliò sanè spectasse, quàm ad filias licentiæ Sodomitarum permittendas: sed ut demonstraret, quantas animi angustias experiretur ex tentatâ in hospites suos injuriâ, hoc illis proposuit, quod tamen rejiciendum certissimè norat; ut scilicet hæc intelligentes, colligere sese, cœptumque consilium abigerent. Eâdem mente David ad Jonatham (m): *Si est iniquitas aliqua in me, tu me interfice*; & Judas ad Jacob: *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi* (n).

Observat Estius, si de permissione tantùm minoris mali hìc ageretur, quo evitaretur majus, faciliùs excusari potuisse Loth. Ex lege enim intelligimus, Deum mala interdum aliqua tolerasse, e. g. divortia, ut scilicet absterreret viros ab enecandis uxoribus; cùm verò Loth non malum tantùm permissurum se testatur, sed conscium se quodammodo criminis offert, *Educam eas ad vos & abutimini eis*; asserendum est utique, pessimè illum eâ occasione egisse, quamquam minuendo crimini multum valeret, ut observat S. Augustinus (o), & rerum magna turbatio, & optima hominis voluntas, qua ferebatur ad extrema, ut tueretur sacra jura hospitalitatis, & hospitum honorem. Hìc & alibi exhibet Loth specimina cunctationis suæ, & imbecillitatis plurima. Inconstantem & ambiguum virum appellat Philo (p). Contraria omnia Abrahami studia; vir enim erat strennus, constans, intrepidus, qui optimè cœptum consilium nunquam deserebat. Probitatis multum erat in Loth, ait Grotius, fidei parum: Abraham vicissim vir erat probus, liberalis, largus, fide plenissimus.

QUIA INGRESSI SUNT SUB UMBRA CULMINIS MEI. *Quia* seu *quandoquidem* (q) hospitalitatis leges ad eorum defensionem suscipiendam me cogunt; seu apud me non alio consilio diverterunt, quàm ut essent in tuto.

℣. 9. RECEDE ILLUC. Hebræus (r): *Accede ultra*, Longiùs hinc abito; nitebantur enim Loth amovere a foribus, ut illis confractis, vim domui inferrent.

℣. 11.

(g) כל העם מקצה (h) *Amb. l. 1 de Abrah. c. 6, & 16.*
(i) *Chrysost. Homil. 43 in Genes. Quanta Justi virtus! omnem hospitalitatis virtutem superavit.*
(k) *Soto lib. 4, de Just. q. 7, a. 3.* (l) *Vide Less. lib. 2 de Justitiâ c. 13 dubit. 3, n. 19.*
(m) *1 Reg. xx, 8.* (n) *Genes. XLII, 37.* (o) *Quæst. 42, & 44 in Genes. & lib. contra Mendac. c. 9.*
(p) *Philo apud Grot.* A'Cεbαῖος & ὑπαμφίβολος. *Vide Philon. de migrat. Abrah. p. 410, 411.*
(q) כי על כן *Quia propterea, vel Quandoquidem.* (r) גש הלאה

Digitized by Google

℣. 10. Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium.

℣. 11. Et eos, qui foris erant, percusserunt cæcitate a minimo usque ad maximum, ita ut ostium invenire non possent.

℣. 12. Dixerunt autem ad Lot: Habes hìc quempiam tuorum? generum, aut filios, aut filias? omnes qui tui sunt, educ de urbe hac.

℣. 13. Delebimus enim locum istum, eò quòd increverit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, ut perdamus illos.

℣. 14. Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias ejus, & dixit: Surgite, egredimini de loco isto, quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui.

℣. 15. Cùmque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere civitatis.

℣. 16. Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus, & manum uxoris, ac duarum filiarum ejus, eò quòd parceret Dominus illi.

COMMENTARIUS.

℣. 11. PERCUSSERUNT CÆCITATE. Hebræus (s): *Percusserunt cæcitatibus*, vel *obscuritatibus*. Septuaginta apud S. Augustinum vertuntur, *avidentiâ*, impotentiâ videndi; neque enim cæcitate ita percussi sunt, ut nihil tunc viderent, sive perperuò carerent luminibus, utì cum S. Augustino (t) ex Interpretibus plerique observant. Prohibuit ad tempus Deus, ne fores domûs Loth viderent. *Si cæcitas fuisset*, ait S. Augustinus (u), *quâ fit, ut nihil possit videri, non ostium, quo ingrederentur, sed ducem itineris, a quo inde abducerentur, inquirerent.*

Censent nonnulli (x), verba illa, *ita ut ostium invenire non possent*, innuere, viros illos non tantùm prohibitos fuisse, ne viderent ostium domûs Loth, sed ne suarum quidem: id autem insinuatum dicunt Sapientiæ xix, 16: *Percussi sunt cæcitate, sicut illi in foribus Justi, cùm subitaneis cooperti tenebris unusquisque transitum ostii sui quærebat.* Sed hæc postrema verba spectant ad Ægyptios, qui glomerantibus circa tenebris prohibiti sunt, ne domorum suarum ostium invenirent. Hebræus legit (y): *Laborabant quærere ostium.* Septuaginta: *Defecerunt*; quam phrasim urgens S. Chrysostomus asserit, resolutis nervis, dissipatisque spiritibus, absque viribus & motu veluti paralysi laborantes mansisse.

℣. 14. EGRESSUS ITAQUE LOT LOCUTUS EST AD GENEROS SUOS, QUI ACCEPTURI ERANT FILIAS EJUS. Hebræus tantùm (z): *Locutus est ad generos suos, accipientes filias ejus*: quæ verba accommodantur optimè ad sensum Vulgatæ, sive ad Septuaginta (a): *Ad generos suos, qui acceperant filias ejus*, nempe vel duxerant, vel desponderant filias illas: quod posterius probatur a doctis Interpretibus sanè multis. Spatium non breve inter oppignerationes & connubia constituebatur olim apud Hebræos, Philisthæos, Chananæos, & Mesopotamios. Desponsæ puellæ diù adhuc manebant apud parentes suos & in familiâ, illis subditæ, antequam ad viri domum transirent. Constant hæc de Philisthæis, exemplo uxoris Samsonis, & de Mesopotamiis, exemplo uxorum Jacob.

Hodie pariter apud Judæos inter oppignerationes & connubia, sex mensium vel anni est intervallum (b). Desponsæ puellæ, si fortè crimen aliquod contra fidem sponsi admisissent, reæ habebantur adulterii (c). Æquè igitur commodè redderetur: *Qui accepturi erant eas*, vel, *qui acceperunt eas*. Tradit S. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis, persuasum habuisse nonnullos, Loth plures fuisse filias, quarum duæ tantùm essent innuptæ, cæteræ conjugio locatæ. Posteriores istæ in urbe manentes, communi excidio unà cum viris suis ceciderunt; aliæ e discrimine cum patre sese proripuerunt. Hæc docent etiam Rabbinorum nonnulli, sed nullo Scripturæ fundamento.

℣. 16. DISSIMULANTE EO. Hebræus: יתמהמה *Tardabat*. Disponebat se Loth ad deserendam Urbem, sed cunctabundus & lentè. Aquila: Ἐμέλλησε, *Cunctabatur*, seu præparabat discessum; alius Græcus Interpres: Ἐστρατεύσατο, *Repugnabat*. Septuaginta: Ἐταράχθησαν, *Turbati sunt*. Ad parandum discessum satis commodi datum non est Loth: vespere Angeli consilium suum aperuerunt viro, & summo mane discedendum erat.

℣. 17.

(s) בסנורים *Septuag.* Ἀορασίᾳ. (t) *Aug. q. 43 in Genes.* (u) *Aug. l. 22, c. 19 de Civit.*
(x) *Menoch. Tirin. &c.* (y) וילאו למצא הפתח *Septuag.* Παρελύθησαν, *Dissoluti sunt.*
(z) לקחים (a) Εἰληφότας. (b) *Leo Modena, 4 par. c. 3.* (c) *Vide Matth. 1, 19.*

℣. 17. Eduxeruntque eum, & posuerunt extra civitatem: ibique
locuti sunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam: noli re-
spicere post tergum, nec stes in omni circa regione; sed in
monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.
℣. 18. Dixitque Loth ad eos: Quæso Domine mi,
℣. 19. Quia invênit servus tuus gratiam coram te, & magnifica-
sti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares ani-
mam meam, nec possum in monte salvari, ne fortè appre-
hendat me malum, & moriar:
℣. 20. Est civitas hæc juxtà, ad quam possum fugere, parva, &
salvabor in eâ: numquid non modica est, & vivet anima mea?
℣. 21. Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas,
ut non subvertam urbem, pro qua locutus es.
℣. 22. Festina, & salvare ibi: quia non potero facere quidquam, do-
nec ingrediaris illuc. Idcircò vocatum est nomen urbis illius
Segor.
℣. 23. Sol egressus est super terram, & Loth ingressus est Segor.
℣. 24. Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham, sul-
phur & ignem a Domino de Cœlo:

COMMENTARIUS.

℣. 17. NOLI RESPICERE POST TERGUM. Vide infra ℣. 26.

IN MONTE SALVUM TE FAC. Nostrorum Interpretum plerique montes illos, Loth effugium, collocant supra Engaddi; & oppidum Segor ad litus occidentale maris mortui, v leucis circiter a Jericho ad meridiem. Sed constat utique, Urbem Segor sitam fuisse inter montes Moabiticos & mare mortuum, ad litus orientale ejusdem. Nusquam in Scripturâ Segor recensetur inter Urbes Juda; at inter Moabiticas legitur apud Isaiam XV, 5, & Jeremiam XLVIII, 34. Longiùs excurrisse ad Orientem, quàm quinque urbes Pentapoleos, intelligimus ex Genesi XIII, 10. Asserit Josephus *de Bello, lib. 4, c. 27*, lacum Asphaltitem protendi adusque Segor, urbem Arabiæ; pertinebat ergo ea Urbs ad orientem meridionalem ejusdem lacûs; quin & ultra mare collocant pariter Eusebius & S. Hieronymus, *De locis Hebraicis*; nec dissentiunt Recentiores nonnulli (*d*). Tandem Stephano Geographo est *Zoara* (eadem ac Segor) in Arabiâ, adeoque in litore meridionali maris mortui. Quæ omnia ex eo confirmantur, quòd Loth ejusque posteri versati sunt in terrâ Moab, sitâ utique ad orientem & meridiem lacûs (*e*).

Narrat S. Hieronymus in *qq. Hebr.* urbem Segor, terræ motibus quassatam sæpissimè, nomen retulisse *Bala*, i. e. absorptæ, tum *Salissa*. Asserit Theodoretus *q. 70 in Gen.* urbem illam precibus Loth servatam, quamdiu eum virum habuit incolam; terrâ deinde hiscente absorptam, statim ac vir sanctus discessit. Gemina tradit Procopius; idemque apertè legitur in Fragmento, quod inscribitur Diodori, in catenis Græcis. Et quidem, uti Authores isti notant, filiæ Loth nunquam reputassent deesse homines in mundo, nisi scivissent Segor cum incolis omnibus absorptam fuisse. Hæc tamen de exitio Segor nullum habent in Sacra Scripturâ fundamentum; nec majoris est in eam rem argumenti nomen *Bala*, i. e. absorptæ, Urbi inditum.

℣. 18. QUÆSO, DOMINE MI. Chaldæus & Syriacus: *Domini mei*. Arabs: *Duo Apostoli Dei*. Hebræa vox אדני legi potest *Adoni* in singulari, & *Adonai* in plurali, quæ posterior lectio retinetur in nostris libris Hebraicis, punctis adscriptis. Agi hìc de secundâ Sanctissimæ Trinitatis Persona, quæ, relicto Abrahamo, Sodomam venerit post adventum duorum Angelorum, censet S. Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone.

℣. 20. EST CIVITAS HÆC JUXTA, AD QUAM POSSUM FUGERE: NUMQUID NON MODICA EST, ET VIVET ANIMA MEA? Deest interrogatio in Hebræo & in pluribus exemplaribus Septuaginta: *Ora, ecce hæc civitas prope est, quæ est parva*. Hebræum מצער *Mizhar* seu *Mizgar*, modica, lusum habet verborum ad *Zoar* vel *Segor*, quo nomine post illum eventum Urbs *Bala* appellata est.

℣. 21. ECCE ETIAM IN HOC SUSCEPI PRECES TUAS. Hebræus: נשאתי פניך, *Ego suscepi*, seu *elevavi faciem tuam*: frequens loquendi phrasis, designans in Scripturâ, gratiam alicui præstare, cui opponitur *confundere*, seu *dejicere faciem*; nempe gratiam negare. Ita & Aquila: Ἦρα τὸ πρόσωπόν σου: *Extuli faciem tuam*. LXX: Ἐθαύμασά σου τὸ πρόσωπον: *Admiratus sum faciem tuam*. Symmachus: Ὁρῶσα ἐδυσωπήθην τὸ πρόσωπόν σου: *Videns reveritus sum faciem tuam*. S. Augustinus legebat: *Miseratus sum faciem tuam, De Civit. l. 16, c. 29.*

℣. 24. IGITUR DOMINUS PLUIT SUPER SODOMAM ET GOMORRHAM SULPHUR ET IGNEM A DOMINO DE COELO. E verbis illis, *Pluit Dominus ... à Do-*

(d) *P. Anselmus, & P. Guyon, &c.* (e) *Vide Joann. Cleric. Comment. in Genesim; & Tabulam Geographicam tom. 2 Editionis novæ S. Hieron. & Cellarii Tabul. Terræ Sanctæ.*

Digitized by Google

a Domino, suffeitur veteribus Patribus (*f*) argumentum, probans discrimen inter duas Personas Divinas Patris & Filii; sicut etiam communem filii cum Patre divinitatem ac dignitatem. Positum autem reputarunt illud, *Pluit Dominus a Domino*, veluti si diceretur: Pater a Filio, Pater scilicet per Filium pluit, seu Pater & Filius ambo simul pluviam dimiserunt. Concilium Sirmiense, adversùs Photinum coactum, anathema pronunciat in eos, qui verba illa, *Pluit Dominus a Domino*, *non de Patre & Filio*, *sed Patrem a se ipso pluisse* interpretantur.

Judæi, ut nobis argumentum eripiant pro Fidei dogmate asserendo, defendunt verba illa Hebraismum referre; perinde autem valere ac si diceretur: Pluit Dominus per seipsum. Hanc opinionem tuentur pariter Vatablus, aliique nonnulli (*g*). Grotius ita: *Dominus*, Angelus Dominum referens, *pluviam immisit* per Dominum, i. e. receptâ a Domino potestate; *de Cælo* i. e. ex aëre. Porrò phrases, quibus Textus sacer exprimitur in Originali, Divinum aliquid & extraordinarium præferunt, ut exprimant pluviam illam non prodigio tantùm datam fuisse, & copiâ præstitisse cæteris, sed & causâ pariter & origine nihil habuisse cum aliis commune.

Pluit super Sodomam at Gomorrham. Ex aliis Scripturæ textibus (*h*) intelligimus, non Sodomam tantùm, & Gomorrham, sed & Adamam, ac Seboim igne cœlitùs delapso absumptas fuisse; & ex ℣. 21 constat pariter, Segor commune cum cæteris fatum subituram fuisse, nisi precibus Luth imminens malum evitasset. Asserit Strabo lib. 16, XIII Urbes exitio illo vastatas fuisse; restare adhuc suâ ætate vestigia ejus incendii, in ambustis igne lapidibus, quorum aliqui pice fluebant, uti & in solo cinereo & ambusto ejusdem regionis; ubi pariter sunt aquæ tetro odore corruptæ, & eversarum ædium rudera. Addit, monstrari pariter amoitum metropoleos ejus Regionis, circuitu LX stadiorum. Meminit Ezechiel Sodomæ & filiarum; ex quo facilis conjectura, subjectos fuisse urbi vicos quosdam, & agros, communi cum illâ fato obnoxios. Stephanus Geographus, voce *Zoar*, numerat a Urbes, quibus præerat Sodoma, intra mare mortuum absorptas. Sed quinque tantùm urbes numerant Moyses hìc, & Liber Sapientiæ, x, 6: *Descendente igne in Pentapolim*.

Notavimus jam, certum urbium Pentapoleos situm multùm ab eo distare, quem tenent in nostris Tabulis Geographicis. D. Sanson (*i*) Dissertationem pollicitus est, qua probaret, quatuor urbes, vulgo intra alveum maris mortui constitutas, ad litus jacuisse, neque ab aquâ fuisse absorptas, uti vulgo putant Scriptores Ecclesiastici. Et quidem fateamur oportet, ita interdum agi in Scripturâ de urbibus Sodomâ, Gomorrhâ, Seboim, & Adamâ, veluti si post ætatem Moysis adhuc subsisterent: vel scilicet novæ aliæ cognomines excitatæ fuerint ad litus ejusdem maris, vel ipsæ eædem, olim absumptæ, super reliqua eversarum rudera fuerint restitutæ. Vide nostram Dissertationem de Geographiâ Sacrâ.

Describens Moyses *Genes.* XIII, 10, 11, situm Urbium Pentapoleos, constitutas illas notat in fertilissimo agro, amnis aquis irriguo, ad Jordanem. Narrat sequenti capite XIV, 3, 8, 10, quinque fœderatos Reges aciem instruxisse in valle nemorum, *quæ nunc est mare salis*, & quatuor Reges Sodomæ, Gomorrhæ, Seboim & Adamæ, se contulisse in eamdem vallem, ut signis collatis cum quinque illis Regibus decertarent. Ex quo inferre licet, quatuor urbes sitas fuisse non in alveo maris mortui, sed circa ipsum. Moyses, *Genes.* 2, 19, definiens limites Chanaanitidis, protendi illos ait a Sodomâ adusque Gazam, tum a Gazâ usque Lezam, ductâ lineâ per Sodomam, Gomorrham, Seboim & Adamam. Credimus autem non inviti, designasse illos ejus regionis limites per loca ætate suâ adhuc permanentia. Meminit tandem Moyses *Deut.* XXXII, 32, vinearum Sodomæ & Gomorrhæ, i. e. vinearum agri urbibus illis adjacentis, qui ingratissimos fructus producebat, uti ex consensu Veterum ac Recentiorum constat.

Prophetæ Isaias, Jeremias & Sophonias agunt de Sodomâ & Gomorrhâ, tanquam de urbibus nunquam restituendis. *Erit Babylon illa gloriosa in Regnis*, ait Isaias XIII, 19, 20, *inclyta*, *superba Chaldaeorum*, *sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorrham*: *non habitabitur usque in finem*, *& fundabitur usque ad generationem & generationem*. Jeremias XLIX, 18, de eversione Idumææ agens: *Sicut & subversa est Sodoma & Gomorrha & vicina ejus*; *non habitabit ibi vir*, *& omnis qui transibit per eam*, *stupebit*, *& sibilabit super omnes plagas ejus*. Paribus fermè verbis Sophonias II, 8, 9, Moabitarum & Ammonitarum eversionem futuram describit.

Verùm Ezechiel XVI, 46, 47, 53, 55, restitutionem Samariæ & Sodomæ ac filiarum prædicit: insinuat pariter, Sodomam & filias eversas fuisse, translatis incolis ejus in captivitatem circa id tempus, quo Samaria eversa est; & facilè per Salmanassarem, juxta vaticinium Isaiæ XIV, 13. Jerusalem crimina sua auxisse præ duabus sororibus Samariâ & Sodomâ, deplorat idem Propheta, similiter proinde cum illis fato perdendam. Addit demum: *Et convertam restituens eas conversiones Sodomorum cum filiabus suis*, *& conversiones Samariæ & filiarum ejus*: *& convertam conversionem tuam in medio earum*..... *& soror tua Sodoma & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam*; *& Samaria & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem*, *& tu & filiæ tuæ revertemini ad antiquitatem vestram*.

Impleti hujus oraculi tempus ignoratur. Jacebat suis sepulta ruinis Sodoma ætate Strabonis, eodem teste *lib.* 16; & Stephanus Geographus (*k*) tradit, Sodomam ac proximas urbes absorbuisse mare mortuum; atque ita de hac urbe alibi agit, veluti prope Engaddam adhuc subsistente. Tandem Eusebio & S. Hieronymo *in locis*, Sodoma & Gomorrha urbes sunt ad litus maris mortui: an verò ætate illâ frequentarentur, silent. In vetustis Notitiis Diœcesum Orientalium, (*l*) Episcopi Sodomæ & Segor leguntur, subditi Metropolitano Petræ, Metropoleos Arabiæ Petrææ. Asserunt Itineraria, cùm aquæ maris mortui decrescunt, spectari intra alveum eversarum urbium rudera. Ex quibus omnibus inferas, quatuor urbes cœlesti igne conflagrasse, absortasque in mare mortuum; deinde verò restitutas fuisse alias cognomine urbes, e regione veterum, in littore ejusdem maris. Ita oppositi Textus conciliantur.

PRE-

(f) *Ignat. Ep. ad Antioc. Iren. lib.* III, *c.* 16; *Justin. Dialog. Tertull. Cyprian. S. Athan. S. Ambr. & S. Aug.* (g) *Tostat. Cajet. Oleaster.* (h) *Deut.* XXIX, 23. *Osee* XI, 8. *Sap.* X, 6. (i) *In cartâ Geograph. nova edit. S. Hieron. tom.* 2. (k) Ἐγγάδα Κώμη μεγάλη πλησίον Σοδόμων Ἀραβίας.
[l] *Apud Labbaum t.* 1 *Concil.*

℣. 25. Et subvertit civitates has, & omnem circà regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia.

℣. 26. Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis.

COMMENTARIUS.

Pluit sulphur et ignem; i. e. sulphureas flammeasque exhalationes. Solinus *capite* 37, & Tacitus, *historiarum libro* v, tradunt, urbes illas cœlesti igne conflagrasse: fulminibus vel instrumentis justitiæ atqoe ultionis suæ dejecisse illas Deum, asserit Josephus l. 1, c. 11. Sulphure & ardore salis, i. e. nitro & bitumine flammescentibus, a Deo absumptæ fuisse Urbes illæ dicuntur *Deut.* xxix, 23. Traditione inter incolas ejus loci recepià asserit Strabo *lib.* 16, frequentibus terræ concussionibus, & igne prorumpente e visceribus terræ, bitumine atque flammeis eahalationibus refertissimis, uti constat ex aquarum & ambustarum rupium indicio, Urbes illas vastatas fuisse.

Nec diffitemur, omnia hæc simul juvisse urbium eversionem: pluvia ignis & sulphuris ex aëre dilapsa, fulmina & ignes immissi e Cœlo, concussiones terræ & solum bituminosum, concipiendo igni aptissimum, in vastationem conspirarunt. Relatæ e Floridâ Insulâ literæ ferunt, juxta arcem a Laudonnerio, quem Dux Colinæus miserat, conditam, fulmen adeò validum cecidisse, ut amplius D jugera agri aquis irrigui in eâ regione incenderit, conceptumque ignem triduo perseverasse. Occurrunt in Italiâ & alibi loca, ubi tellus materiam comburi facilem supra se positam incendit. Describit Strabo lib. 15, Naphtam Babylonis, bitumini, quod featet in agro Sodomitico, non absimilem: est autem bituminosa quædam mixtura igni concipiendo aptissima, statim ac propiùs ad ignem admoveatur; ignis autem ille aquæ communi resistit. Narrat, Alexandrum, ut eam rem experiretur, lini jussisse eo bitumine puerum; tum admoto pueri in balneo lavantis carnibus igne, statim conceptâ flammâ puerum penè conflagrasse, nisi affusis magnâ copià aquis ignis tandem extinctus fuisset. Narrat Plinius, Medeam absumpsisse igne fœminam, quam zelotypiæ livore babebat invisam, coronam illi naphtâ illitam imponens; statim enim corona illa in flammas resoluta est, cùm fœmina sacrificatura ad aras accessit.

Ex his omnibus intelligimus, qua ratione Deus Sodomam & Gomorrham combussit: fulminibus enim & cœlestibus flammis incenso bituminoso solo, flammæ erupêre, quibus impunè grassantibus, vastata sunt omnia; quin & solum ipsum combustibilibus materiis refertissimum, consumptum est: quare summo mane Abraham (m) e valle Mambre prospiciens, totam eam regionem nigro quodam fumo & flammis instar fornacis ardentem horrentemque spectavit. Porrò ager ille olim amœnitate suâ & fertilitate inclytus, semel igne vastatus, subsidentibus soli partibus, binc inde humilior nonnullis in locis factus est; ac proinde aquæ Jordanis proprio pondere eò se devolventes, stagnarunt, ibi tetrasque illas qualitates contraxerunt, quæ in mari mortuo notantur, appellato a Græcis lacu *Asphaltite*, seu bituminoso, ab Hebræis *mare salis*.

Sermo est apud Theodoretum & Strabonem (n) de concussionibus istis terræ, atque subsidentibus soli portionibus quibusdam, de quibus nihil in Scripturâ: quamquam satis intelligimus, hæc omnia funestas esse incendii illius appendices. Quæ hucusque disputata sunt, ex his quæ referunt de lacu Asphaltite, confirmantur. Crassæ sunt aquæ & graves adeò, ut corpora viventia, magno licèt pondere, vix demergantur, & imus fundus alvei ipsos fugiat urinatores: colore sunt tetro: odor piscibus exitialis, intereunt enim, statim ac lacum attingunt: sterile est litus maximè, quòd nitrosum sit solum; crassus aër & fumosis sulphoreisque exhalationibus gravidus. Aquarum sapor amarissimus est; noxia fructuum ibi nascentium qualitas, de quibus mira in historiis (o). Hæc omnia satis probant, aquas illas bitumine quodam saturo gravidas esse maximè; quo eodem bitumine imus fundus oneratur: ac proinde tot annorum successione nihil de pessimâ illâ qualitate decessit, quòd causas habeat semper paratas.

℣. 26. Respiciens uxor ejus post se, versa est in statuam salis. Hebræus habet: מאחריו, *Post eum*, retro nempe post Angelum deducentem, sive post virum suum. Gradiebatur Loth ante unà cum filiabus: sequebatur uxor retro: hæc substitit, faciemque convertit ad Sodomam. Suspicatur Tremellius, Loth retro post reliquos ambulasse, ac uxorem faciem ad ipsum convertisse, ut videret urbem, statimque in statuam salis versam fuisse. Superius ℣. 17 vetitum legimus a Deo, ne retro post se respicerent.

Sunt qui credant, Deum vetantem Loth atque uxori, ne retrò aspicerent, id tantùm significare voluisse, ut se promptâ fugâ sine morâ proriperent. In eam sententiam Jesus Christus Lucæ ix, 62: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei*: i. e. quicumque Discipulum se Jesu Christo addit, omnes abjiciat curas, nec semel susceptam vitæ professionem levitate quadam judicii deserat: uno verbo, ita se addicat Deo, ut ad pristina studia non regrediatur. Itacùm Angelus injunxit, *Noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione*, significavit tantùm, ut omni sepositâ morâ reciperent se in tutum.

Sæpiùs conversâ facie respexisse retrò fœminam illam, narrant Josephus & Cajetanus: observant autem Patres, illam, utpotè quæ Sodomæ amore tenebatur, præposterâ miseratione oculos convertisse ad casum miserè spectandum. Vide minùs justam in eâ fœminâ curiositatem, ac fidei defectum; quibus suadentibus oculos convertit, spectatura, num ultio urbium illarum ea esset, quam Angeli prædixerant. Author Libri Sapientiæ, x, 7, *Incredulam animam* appellat; & Jesus Christus apud SS. Lucam xvii, 32, & Matthæum xxiv, 17, postquam egisset de postremo adventu suo, inopinatò hominibus superventuro, *In illâ horâ*, ait, *qui fuerit in tecto, & vasa ejus in domo*,

(m) *Infrà vers.* 27, 28. (n) *Theodoret. q. 69 in Genes. Strab. l. 16.* ὑπὸ δὲ σεισμῶν ϗ ἀναφυσημάτων πυρὸς ϗ θερμῶν ὑδάτων ἀσφαλτωδῶν τε ϗ θειωδῶν ἡ λίμνη προπέσοι ϗ πέτραι πυρίληπτοι γένοιντο.
(o) *Vide Joseph. lib. 5 de bello Jud. c. 5. Tacit. lib. 5 Hist. Hegesipp. lib. 4. Solin. c. 48.*

Digitized by Google

non descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retro. Memores estote uxoris Loth: veluti si diceret: Ne cunctationem ejus in fugiendo imitemini, ne retro respiciatis, veluti deseruisse sedes pertæsi. Ad ultionem de fœminâ illâ exactam respexisse videtur, cùm dixit, neminem, qui manum ponit ad aratrum, & respicit retro, aptum esse Regno Cœlorum.

Duo ergo in præcepto illo *Noli respicere post tergum* intelligenda esse credimus: . I, Ne cuncteris: II, Ne oculos retro convertas. Pœna e fœminâ illâ statim sumpta, cùm oculos vertit retrò, satis demonstrat, præceptum illum ad literam datum fuisse: &, si dicta Jesu Christi in Evangelio allegorica sunt, hunc profectò Moysis Textum ad literam usurpare necesse est; allegoria enim & figura rem ipsam, allegoriæ fundamentum, præsupponit.

Orphei & Euridices fabula imitatio est historiæ Loth & uxoris. Orpheus facultatem impetrat a Plutone reducendi uxorem ab Inferis, eâ conditione, ut retro ne aspiciat. Inter eundum Orpheus, stimulante curiositate, & amore victus, convertit oculos ad uxorem, statimque illa ad Inferna redire cogitur. Nomen ipsum hujus fœminæ non latuit Rabbinos (p). *Arith* vel *Erith* dicitur a R. Jacob-Baal-Turim; *Aroth*, vel *Iroth* a Zenorennâ; *Adith* a Pirke Eliezere; *Litea* ab aliis: omnia incertissima.

Versa est in statuam salis. Hebræus: ותהי נצב מלח: *Fuit statua salis*: ita de Ismaele legimus Genesis xvi, 12: *Erit asinus silvestris*; truces nempe ejus belluæ mores imitabitur; & 1 Reg. xxv, 37. *Nabal factus est quasi lapis*, sensu nempe destitutus, & veluti lapis riguit: & Ovidius de Ariadne, *Heroid. Ep.* Ariadnes ad Theseum.

Quàmque lapis sedes, tam lapis ipsa fui.

Et lib. 13 Metamorphoseω Hecuba

.... *Duroque simillima saxo*

Torpet.

Facilè mulier illa cunctationem in gradiendo affectans, nec sequuta ponè Angelos & conjugem, unà cum illis Segor non pervenerat; inter eundum verò perstrepentia tonitrua, atque igneæ pluviæ sonitum exaudiens, oculos convertit; statimque in statuam salis conversa est, salis, inquam, metallici, & solidi, cujus generis occurrit in montibus Poloniæ, Hungariæ, Catalauniæ & Moscoviæ. Veteres quidam (q) asserunt, pristinam ab illâ servatam formam; nihil e statuâ ipsâ decedere, quamvis assiduo itinerantium studio decerpantur quotidie frustula. Hæc omnia tamquam persuasione communi credita, asserunt S. Irenæus (r) & Pseudo-Tertullianus, in carmine de Sodomâ, qui etiam posterior Author plus aliquid audet.

Durat adhuc etenim, nudâ statione sub Æthrâ,
Nec pluviis dilapsa situ, nec diruta ventis.
Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex sese superestu vulnera complet.
Dicitur & vivens alio sub corpore Sexûs,
Munificos solito dispungere sanguine menses.

Affirmat Josephus (s), vidisse se statuam illam, quæ suâ adhuc ætate permanebat; & Author Sapientiæ x, 7: *Incredibilis animæ memoria stans figmentum salis*. Ad æternitatem usque mansuram asserunt Targum Jerosolymitanum & Jonathan; neque adhuc periisse testantur Adrichomius & Itinerantium nonnulli (t). Locum statuæ definiit ad duas parasangas a Sodomâ Benjamin. Parasanga interdum xxx, sæpè xl vel lx stadia æquat. Perseverare adhuc in parte asserunt alii (u); locum tantùm, ubi olim spectabatur, monstrari quidam asserunt (x).

His tamen nequaquam obstantibus, sunt qui revocent in dubium, num fœmina illa, humanam retinens figuram, in statuam salis transierit; & num pariter sub eâ formâ nunc perseveret. Hebræum נציב, *Nezib*, Septuaginta reddunt στήλην, *columnam*, persuasi, uti credimus, hanc induisse figuram fœminam illam post metamorphosim. Quæ de menstruo fœminarum incommodo simulacro illi adscribunt S. Irenæus & Author Carminis de Sodomâ, hæc utique habenda censemus cen adscititia poësis ornamenta, vel popularis rumoris frivolas historiolas, nonnisi prævio examine admittendas. Opus est utique in re istâ Scripturæ & traditioni adhærere; &, si quid laborandum est, præstare debemus id utique, ut rationem aliquam ineamus explicandi rationem hujus metamorphoseos, dummodò certa fides de prodigio maneat & asserta.

Hebræum מלח, *Melach* non exprimit tantùmmodo marinum vel extractum e fodinis salem, condiendis epulis aptissimum, sed alia ejus generis omnia, sicut & combustibilem & acrem quamcumque materiam, ut bitumen & sulphur, quibus scatere Pentapolitanum solum supra xiv, 10, demonstravimus. Hinc mare mortuum ab Hebræis nomen obtinet maris salis, quod inditum illi est eodem sensu, ac apud Græcos iisdem aquis datum nomen lacûs Asphaltidis, seu bituminis. Et quidem aquarum salsugo sive amaricans sapor, unde nomen maris salis aquis illis, non ex sale provênit, qui e fodinis intra aquas fusis sufficiatur, uti ferunt de salsugine aquarum Oceani & pelagi cujuscumque; sed tota ejus rei causa petitur ex nitro seu bitumine, quod aquis Jordanis in solo Pentapolitano stagnantibus admiscetur. Nomen salis de sulphure & bitumine usurpatur in Deuteronomio xxix, 23: quo pariter in loco Deus minitatur Israëlitis, eamdem exacturum se de illis ultionem, quam de Sodomitis; *Sulphure & salis ardore comburens, ita ut ultra non seratur, nec vireat quidpiam germinet, in exemplum subversionis Sodomæ & Gomorrha &c.* Illud *ardore salis* vel *sale igneo* vel *urente*, ut habet Hebræus, non ad communem salem utique referendum est, concipiendo igni ineptum; verùm ad nitrum, bitumen, concipiendis flammis aptissima, quæ inter sales numerantur; junguntur enim cum acrimoniâ salis aptas ad ignem atque ad adstringendum dispositiones.

Assuetus Ægyptiis moribus Moyses, ac recèns ex Ægypto eductis Israëlitis, qui ideas omnes & loquendi phrases ebiberant in Ægypto, verba faciebat Moyses. Spectaverat ille in eâ regione cadavera condita, in ædibus, ordine disposita, & in loculis scitè fabricatis, defuncti figuram referentibus, composita. Porrò cadaveribus illis condiendis maximè in usu erat nitrum, uti notavi-

(p) *Vide Heur. Bauman. Dissert. in hunc loc.* (q) *Sedulius, & Claudius Victor lib. 3 in Genes. c. 2. Alii passim.* (r) *Iren. lib. 4, c. 51: Uxor remansit in Sodomis, jam non caro corruptibilis, sed statua salis semper manens, & per naturalia ea, quæ sunt consuetudinis hominis, ostendens.* (s) *Joseph. lib. 1. Antiq. c. 12.* Ἱστόρηκα δὲ αὐτήν, ἔτι γὰρ καὶ νῦν διαμένει. (t) *Quarême.* Eclarcissement de la Terre Sainte. (u) *Henry Maundrel Anglois*, Voyage de Jerusalem, *&c.* [x] *Le Pere Jacques Goujon.* Voyage de la Terre Sainte, *a Lyon*, 1671.

mus ad Genesis 1. Erat liquori illi insita virtus adstringendi: exsiccabat humiditatem; durescebant ex illo, & rigebant tanquam statuæ cadavera. Statuæ illæ sale vel nitro intimè penetratæ, rectissimè appellarentur statuæ salitæ vel statuæ salis, juxta familiarem Hebræis loquendi rationem; cùm enim adjectivis fermè careant, abstractas voces pro concretis rerum qualitatibus designandis facilè usurpant.

Authores Græci (y) agentes de cadaveribus Ægyptiorum conditis, appellant illa sæpe *corpora salita*; quod ab Herodoto & Diodoro Siculo factum legas non semel. Commodum itaque fuit Moysi cadaver uxoris Loth salitum seu conditum dicere: illa enim pluviâ ignis, nitri & sulphuris incensi suffocata, ad eum statum redacta est, ut cadavera Ægyptiorum condita referret: riguit, inaruit, nigrum induit colorem, & sale undique adstringente atque penetrante, induit incorruptionem. Hæc facilè intelligebant Judæi, cùm de statuâ salitâ vel salis audirent. Sulphureo quodam igne correptam fœminam illam censet Philo Carpathius (z), quo ossa intimè vorante, factum est tandem, ut in statuam salis transiret: probatum id pariter creditur Abenezræ. Hac igitur ideâ positâ, reputare commodè possemus, mulierem illam sive fumo glomerante, sive flammis suffocatam, corruisse in terram, atque nitro intimè penetrante (a) in lapideam materiam transiisse, cujus rei frequentissima suppetunt ejus regionis exempla. In nonnullis musæis corpora quædam spectantur, ex arenosis nitrosisque Arabiæ desertis eruta, in lapides conversa, nullo licèt aromate condita.

Abbas Rousseau (b), qui Arabiam peragravit, asserit miram quamdam esse in illis regionibus vim mutandi in lapides; offendit enim versos in lapidem cucumeres, angues, fungos, ligna, & lignorum etiam grandia frusta, ex eo solùm quòd aliquo temporis spatio supra terram manserint: hæc omnia oculatum testem spectasse se affirmat idem Author. Multum in eam rem conferre credit nitrosum spiritum solum illud pervadentem. Adjacet Arabiæ regio Sodomitica, nec sale illo planè destituitur. Nec inficias iverim, adfuisse sive in transmutatione istâ fœminæ sive in ratione transmutandi prodigium; sermo est enim apud Moysem de subitâ & extraordinariâ metamorphosi, non sensim & a naturâ inductâ, sed statim a Deo, qui causas naturales & dispositiones rerum servire jubet suis consiliis.

Interpretum nonnulli (c), explicando Textui invehunt figuratam quamdam expressionem, cui paria in Scripturâ recurrunt exempla. Sal, inquiunt illi, Symbolum est incorruptionis, & rei in ævum duraturæ; fœdus æternum exprimitur in Scripturâ *pactum Salis* (d). Ita Mosaicum illud *statua salis* est monumentum æternum temporum diuturnitate nunquam delendum. Eò spectasse creditur Author Sapientiæ x, 7: *Incredibilis animæ memoria stans figmentum salis*. Habes hìc statuam salis, incredulæ animæ monumentum. Sed Textus iste æquè favet communi opinioni, ac sententiæ horum Authorum; cum interim eorum interpretatio nihil in rem præsentem sit. Sal hìc exprimitur, non ut symbolum tantùm rei perseveraturæ, sed ut perseverantiæ ipsius causa, & veluti materia statuæ.

Author *de Mirabilibus Sacræ Scripturæ* inter Opera S. Augustini, *lib.* 1, *c.* 21, statuit, in hominum corpore salis quasdam particulas esse, diffusas per sanguinem & viscera: *Potens autem rerum gubernator*, ait, *dum totum in partem vertere cupit, quod in modicâ parte latebat, per totum infundit*. Hanc opinionem adoptasse videtur Bartholinus (e), laudans pro se Mercurialem (f), agnoscentem in corpore humano salis illa corpuscula, de quibus Author supra laudatus. Hæc satis superque ad explicandam rationem prodigiosæ hujus metamorphoseos.

Quod attinet ad eos, qui vidisse se affirmant statuam illam, de qua mira spargunt, illud animadvertimus, neminem asserere humanam formam ab illâ referri, neminem staturam ejus definire, & sexcenta alia, quæ facilè animadvertissent, si statuam humanâ figurâ præditam vidissent. An fortè tanto nisu hodie de illâ quæreretur, an ex Itinerantibus vel unus non aliquod frustulum ex illâ studuisset referre, siquidem vera affirmarent Veteres, tantum in statua istâ reparari, quantum demitur? An postremum hoc siluisset Josephus? An tantum monumentum latuisset hodie, cùm hominum studia eò devenerint, ut antiquitatis latebras omnes, nec sumptibus nec itineribus parcentes, scrutentur? Facilè Josephus, & cæteri, qui vidisse se statuam affirmant, lapidem aliquem spectarunt, quem fama ipsissimam esse statuam mulieris referret: sed quis vera narrari affirmaret?

Si autem modò adhuc subsisteret, cur inter eos, qui de illâ agunt, non convenit? Alii ad meridiem, alii ad occidentem, alii propiùs, alii longiùs ad mare mortuum collocant. Anselmus Monachus intra mare eam ponit: affirmat autem aquis tegi interdum, interdum emergere usque ad pectus & ad genua. Monstrari asserit Maundrellus, sed longè positam, supra humile promontorium ad occidentem maris mortui, ubi, ait, pars adhuc ejus superesse creditur. Nicolaus Lovaniensis, Monachus S. Michaëlis, in suo itinere anni 1531, narrat monstratum sibi e longinquo scopulum, ipsissimam, uti dicebatur, uxoris Loth statuam. Cajetanus & Pererius putant pervenisse jam Loth ad urbem Segor, cùm uxor in lapidem mutata est; in eâdem Urbe factum id censent alii; in viâ e Sodomâ ad Segor, nonnulli. Integrum adhuc perseverare simulacrum contra sæculorum injurias, defendunt quidam; periisse unà cum Urbe Segor, ex qua Loth egressus est, credit Lutherus. Alii portionem ejus statuæ tantùm manere volunt; alii locum, nihilque ulterius; alii nihil certo sciri. Cui fides habenda est?

Habemus utique persuasum, abuti populos ejus regionis itinerantium credulitate, innumeras illis fabulas venditantes, quibus facilè aures præbere cavebunt viri quique docti. Primis adhuc Christianæ rei sæculis monstrabatur adhuc, e. g. quercus Abrahami; terebinthus, ad cujus radices Jacob defodit Teraphim Labani; turris viduæ Sareptanæ; domus Centurionis in Cæsareâ, Cleophæ in Emmaus, Marthæ & Mariæ in Bethaniâ, lapis angularis, de quo Psal. cxvii, 22; cœnaculum

Apo-

(y) *Strab. lib.* xvi, *p.* 526 Χρῶνται δὲ Αἰγύπτιοι τῇ ἀσφάλτῳ πρὸς τὰς ταριχείας τῶν νεκρῶν. *Vide & Herodot. l.* 2, *c.* 86. *Diodor. l.* 2, *c.* 5. (z) *Apud Delrio Adagial. sacr.* (a) *Vide Mercer. in hunc loc. Rivet. & Henr. Bauman. Dissert. in hunc locum, in Thesauro Theologico Philologico, p.* 594, 595. (b) Secrets de l'Abbè Rousseau. (c) *Vide Johan. Clerici Comment. in Gen. Bodin. l.* 5 *de Repub. Vat. seu Tigurini.* (d) *Num.* xviii, 19. (e) *Bartholin. de morb. Biblicis art.* 3. (f) *Mercurial. l.* 6, *Var. Lect. c.* 26.

Google

℣. 27. Abraham autem consurgens manè, ubi steterat priùs cum Domino,

℣. 28. Intuitus est Sodomam & Gomorrham, & universam terram regionis illius: viditque ascendentem favillam de terrâ quasi fornacis fumum.

℣. 29. Cùm enim subverteret Deus civitates regionis illius, recordatus Abrahæ, liberavit Lot de subversione urbium, in quibus habitaverat.

℣. 30. Ascenditque Lot de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ ejus cum eo: (timuerat enim manere in Segor,) & mansit in speluncâ ipse, & duæ filiæ ejus cum eo.

℣. 31. Dixitque major ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terrâ, qui possit ingredi ad nos, juxta morem universæ terræ.

COMMENTARIUS.

Apostolorum Jerosolymæ, & sexcenta alia, quibus Itinerantium pascebatur curiositas. S. Hieronymus, qui ætate suâ pleraque ejus generis monstrari testatur, nihil habet de statuâ salis, quamquam S. Paula, cujus iter describit, & Segor & vicina illi loca peragraverit.

Brocardus (g) clari nominis itinerator, cui nihil in Terrâ sanctâ non exploratum est, fatetur, conatum se plurimùm, ut aliquid de statuâ illâ rescisceret; nihil tamen obtinuisse, fatentibus ejus regionis incolis, locum, ubi spectabatur, difficilem adeò esse & naturâ suâ & anguium, venenatarumque belluarum copiâ, ut inaccessibilis efficeretur. Sed errat Author ille, ut in hac re, ita etiam in situ urbis Segor, quam collocat inter Engaddi & mare mortuum, cùm re ipsâ adversum maris litus, orientem seu meridiem versùs, obtineret, ut certis argumentis demonstravimus. Doubdan, qui Parisiis scribebat anno 1666, asserit monstrari ingentem salis lapidem, veluti ipsissimam uxoris Loth statuam; sed eam perseverasse tam longâ ætate, vix sibi persuaderi significat. Nicolaus Christophorus Radzvil, Princeps Polonus, qui summâ curâ loca illa omnia excurrit, narrat, quæsivisse se ab Arabe itineris duce, aliisque viris regionis peritissimis, an superesset statua uxoris Loth; reponentesque illos audisse, nihil tale occurrere. Christophorus Furer Eques Germanus, qui iter suum Palæstinæ vulgavit anno 1621, & lacum Asphaltitem testis oculatus spectavit, de statuâ illâ silet.

Silent pariter Thevenot, Bellonius, & optimi quique Itinerantes; vel aliorum tantùm relatione audita referunt: ex quo persuademur, statuam illam seu columnam vel prorsus evanuisse, vel ejus locum ignorari. Addendum hisce succurrit, eos omnes, qui uxorem Loth in Tabulis Geographicis notarunt ad litus Occidentale maris mortui, juxta Engaddim, ibidemque Segor constituerunt, deceptos fuisse maximè. Demonstravimus enim abfuisse ab eo loco Segor ampliùs xv leucas; ut proinde nulla sit fides habenda iis, qui vidisse se ibi mulieris statuam affirmant. Si adhuc illa subsistit, quæri utique debet inter Sodomam & Segor, ad orientem vel meridiem lacûs, non ad occidentem, neque juxta Engaddim.

℣. 27. Abraham consurgens mane, ubi steterat prius cum Domino. Cùm nepotis sui, urbiumque Pentapoleos gravi curâ teneretur Abraham, eò se contulit summo manè, ubi præcedenti die cum Angelo fuerat collocutus, unde prospectus in agrum, qui eversarum Urbium sedes fuerat.

℣. 29. Recordatus Abrahæ. *Quòd Loth evadit ex Sodomis, magis ad honorem Abrahæ, quàm ad meritum pertinet Loth*, ait Origenes, *hom. 5 in Genes.* & quamvis Abraham, Deum rogans, ut justos respiceret in exigendâ de Sodomis pœnâ, nepotem illum suum nomine non expressisset, mentem tamen habebat ad illum intentam; & Deus viri mentem potiùs quàm verba spectavit.

℣. 30. Ascendit Lot de Segor. Ita se gessit Loth, ut imbecillitatis, hæsitationis, inæqualis animi specimen exhiberet. Sodomâ egressus, rogat dari sibi effugium in Segor. Eò cùm venisset, de Angeli promissione diffidens, fugit in montes, ubi largiori epoto vino emotæ mentis factus, incestu se polluit.

Mansit in spelunca. Montes omnes circa mare mortuum ad orientem, occidentem, & meridiem, frequentibus speluncis in petrâ excavatis commodum pluribus simul in singulis effugium præbent: argumenta ejus rei in decursu historiæ recurrent. Meminit Strabo lib. 16, specuum montis Libani, & circa Damascum. Amplissimi sunt quidem, usque ad IV m. simul hominum capientes, adversùs hostium excursiones asylum. Speluncæ Idumææ, regionis Moab & Juda nihilo minores erant numero nec amplitudine (h).

℣. 31. Nullus virorum remansit in terra. Nonne fuisse homines norant in Segor, unde paulò ante discesserant? An illæ sibi religioni ducebant connubia jungere cum advenis, quæ oppigneratæ essent incolis Sodomæ?

(g) *Brocard. Descript. Terræ Sanctæ p. 1, c. 8 § 34.*

(h) *Vide Josue* x, 16, 17, *& seq. &* 1 *Reg.* xxiii, 5, *&* xxiv, 4, *&c.*

℣. 32. Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen.

℣. 33. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illâ: Et ingressa est major, dormivitque cum patre: at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.

℣. 34. Alterâ quoque die dixit major ad minorem: Ecce dormivi heri cum patre meo: demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro.

℣. 35. Dederunt etiam & illâ nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia dormivit cum eo: & ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexit.

℣. 36. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo.

COMMENTARIUS.

℣. 32. INEBRIEMUS EUM VINO. Commeatibus ad iter necessariis sibi consuluerant, cùm Sodomis discessêre, pro communi eorum temporum more. Patres, qui incestum illum Loth cum filiabus in examen revocarunt, quidquid est criminosum in eâ re discutientes, in varias abeunt sententias. Excusandi aliis Loth & filiæ videntur; neminem excusandum alii maluerunt. Simpliciores puellas & ignorantem rerum Loth, eo nomine excusat S. Irenæus lib. 4, c. 51; cùm maximè, ait, vir ille non ductus libidine scelus perpetraverit. Rem totam ita statuisse Deum observat, ut permitteret filias Loth commisceri cum patre, ut eâ veluti figurâ exprimeretur fœcunditas a J. C. Synagogæ & Ecclesiæ collata. Apologiam pariter Loth & filiarum instruit S. Chrysostomus *hom. 44 in Genesim*, singulari divinæ Sapientiæ dispositione factum arbitratus, ut vir ille justus epoto largiùs vino ita mentis impos fieret, ut quid eveniret non intelligens, a crimine esset immunis; nihil enim criminosum est, quod cognitione vacat & voluntate. Excusat autem a crimine ebrietatis, quòd tædio & mœrore potiùs, quàm malâ ingurgitandi vini voluptate ad bibendum invitaretur. Observat tandem, Scripturam ipsam purgare quodammodo filiarum Loth a crimine voluntatem, cùm illarum rectum consilium aperiat. Cùm enim igne absumptum humanum omne genus arbitrarentur, metu ne homines funditus perirent, patrem largiùs ingesto vino a mente abalienarunt, ne horrore actionis, quam necessariam credebant, retineretur. Nemo igitur in tantam veniat audaciam, ut justum & filias damnet; dementis enim esset, sententiam dicere in eum, quem Scriptura non tantùm non accusat, sed purgat studiosè. Audiamus ergo Apostolum docentem: Cùm *Deus justificat, quis est qui condemnet?*

Chrysostomum præceptorem pro suo more secutus Theodoretus, *quæst. 70 in Genes.* excusari Loth ignoratione rerum arbitratur; notat enim Scriptura, virum illum sive ante, sive post nihil novisse. Ejus quidem ebrietas a crimine penitus non absolveretur; sed si fortè filiabus suis vinum affundentibus indulsit, factum id potiùs quòd crederet, illas tædium patris levaturas liquorem illum propinare. Tandem fœminæ illæ nunquam criminis damnarentur; non enim voluptatis pellectum quærebant, sed ob exitium hominum reparandum rem totam præstiterunt. Norant, ait, non Sodomam tantùm & Gomorrham igne conflagrasse, sed & Segor hiscente terrâ absorptam; qua de re vide supra cap. XIV, 2.

Eâdem fermè ratione factum Loth & filiarum excusat S. Ambrosius *l. 1 de Abraham*. Origenes *hom. 5. in Genes.* mediam viam tenens, Loth nec damnat omnino, nec prorsus absolvit. Ejus ebrietatem criminis habere aliquid fatetur; & nisi ille vinum intemperanter ingurgitasset adeò, ut a mente abalienari se sineret, scisset profectò quid agitarent filiæ, nec ab illis decipi se passus fuisset. Sed de incestu virum illum accusari nequaquam æquum esse defendit; neque enim quidquam vel de illo norat, vel voluntate in illum ferebatur. Filias illas, quamquam non prorsus eximendas a crimine arbitretur, hæc tamen pro illo leniendo affert.

Ad adolescentulas illas aliquid pervenerat de supremâ Orbis vastatione per ignem; sed cùm rumorem tantùm, nec totam ejus rei veritatem fuissent assecutæ, reputarunt, incendio illo Pentapoleos hominum genus omne absumptum, eòque mundum redactum, quò olim post diluvium; curandum proinde ut repararentur homines. Quamquam autem insito quodam horrore absterrerentur ab incestu, & a deceptione patris in re tantâ; plus tamen mali reputarunt, si suâ ipsarum causâ hominum genus in suo exitio relinqueretur. Bonum, quod exinde sperabant, criminis gravitatem longe superare arbitrabantur. Accesserunt ergo ad patrem, sed semel tantùm. Tandem Apologiam claudit his memorabilibus verbis: *Ubi hîc libidinis culpa, ubi incesti crimen arguitur? Quomodo dabitur in vitio, quod non iteratur in facto? Vereor proloqui quod sentio, vereor, inquam, ne castior fuerit harum incestus, quàm pudicitia multarum.*

Idem Author *l. 4 contra Celsum*, Loth ejusque filias defendit eo Philosophorum axiomate recepto, in eo versari bonum & malum, ut maximè pendeat a voluntate; actiones enim omnes præter voluntatem, in medio sunt. Cùm igitur Loth imprudens & nolens fecerit, gestum ab illo nihil minùs est quàm crimen. Filias superioribus rationibus purgat.

Veteres Patres summo studio amoliri crimen a Patriarchis V. T. conati sunt, ut blasphemiis Manichæorum causam subducerent; quippe qui in Patriarchas illos impotentiùs ferebantur, totumque Vetus Testamentum perinde habebant, ac mali principii malum opus. S. Augustinus *in Opere contra Faustum lib. 22 c. 42, &c.* omnia colligit quæ superiùs attulimus in defensionem Loth; sed

pro

Digitized by Google

℣. 37. Peperitque major filium, & vocavit nomen ejus Moab: ipse est pater Moabitarum usque in præsentem diem.
℣. 38. Minor quoque peperit filium, & vocavit nomen ejus Ammon, id est filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum usque hodie.

COMMENTARIUS.

pro ingurgitato intemperantiùs vino excusandum illum minimè arbitratur, ne illâ quidem ratione, quòd scilicet levaturus suum & filiarum de obitu matris tædium, indulgendum aliquid voluptati potandi censeret; nisi fortè reputemus, puellas illas vino aliquid admiscuisse, quo imprudenti induceretur ebrietas. Sed hoc fortè non siluisset Scriptura, si a puellis præstitum fuisset. Eorum pariter rejicit apologiam, qui incestum hunc excusant, quòd scilicet Loth typum exprimat veteris legis, puellæ verò Judæorum. *Illud factum*, ait, *cùm in Sacrâ Scripturâ narratur, Prophetia est: cùm verò in illorum vitâ, qui hoc commiserunt, consideratur, flagitium est.*

Concludit demum, non id se conari, ut hominum crimina excuset, sed ut defendat Scripturas. Et nos pariter id utique negotii non suscipimus, ut factum illud immune pronunciemus a crimine, quasi scilicet Deus sive damnaverit sive probaverit; & viri illi, qui Justorum elogio in Sacris Libris donantur, eò sanctitatis pervenerint, ut ne peccare quidem possent. Cùm igitur Deus, factum illud viri narrans, Justum eâ occasione nequaquam appellet, nonne impudentissimè sacri Libri accusarentur, tanquam hic in eo viro probarent, quod alibi sæpiùs damnant? Refert ista, non laudat Scriptura; refert, non causat; proponit non imitanda, sed evitanda.

Observat Grotius, Filias Loth inter Sodomitas & in terrâ Chanaan versatas, Chaldaicam originem referentes, aliter facilè ac nos de incestu judicasse. Communi usu hæc obtinebant in Oriente. Magi jungebant connubia cum matribus suis [*i*]; idemque crimen permissum erat apud Arabes. Quare liberiùs illæ exemplo harum gentium ductæ, patrem suum ad crimen inducere valuerunt.

℣. 37. Moab est, genitus a patre (*k*); ad literam: *Aqua patris*. Aquarum nomen usurpatur interdum pro generatione. *Ammon* est, filius populi mei; quæ duo nomina ad sinceram Hebraici sermonis analogiam non formantur.

Servantur in Fabulis vestigia quædam historiæ hujus capitis: Legas apud Ovidium *Metamorph. lib.* 8, de Philemone & Bauci, qui Jovem & Mercurium sub exuviis mortalibus latentes exceperunt hospitio, rejectos ab aliis, a quibus hospitium peregrinantes Dii flagitarunt. Tandem a Philemone & Bauci non excepti tantùm, sed & agniti sunt indicio scyphi, optimo vino nullo affundente repleti; monuerunt autem Dii vicum de immunente in urbem universam ultione, jusseruntque actutum recipere se in montem; quò cùm venissent, statim prospexerunt urbem absorptam, unâ exceptâ domo suâ, omnemque eam regionem novo lacu occupatam ac mersam.

- - - - - Flexere oculos, & mersa palude
Cætera prospiciunt, tantùm sua tecta manere.

Non inviti etiam credimus, Niobem in lapidem conversam referri pariter oportere ad fatum uxoris Loth. Refert Ovidius (*l*) illam Thebis translatam fuisse in patriam suam, ubi in cacumine montis Sypili in lapidem versa, fundensque lacrymas spectatur.

In patriam rapta est, ubi fixa cacumine montis
Liquitur, & lacrymis etiam nunc marmora manant.

Refert Pausanias in Atticis, contulisse se datâ operâ ad montem, ut Niobem videret; sed propiùs factum, nullam inspexisse fœminæ vel lacrymarum figuram, quanquam prospectus a longe lapis fœminæ plorantis certam referat imaginem. Censet Palæfatus, fabellam illam Niobes versæ in lapidem inde peti, quòd ad tumulum filii sui lugens simulacrum suum apponi mater jusserit, quod Niobes simulacrum ille spectasse se dicit. Urbs Sypilus metropolis erat Mæoniæ (*m*); absorptamque ferunt validâ terræ concussione, locumque urbis stagnantes aquas salsas tenuisse. Quid hic alienum ab historiâ uxoris Loth?

CAPUT XX.

Abraham recipit se Geraram versùs. Abimelech Saram rapit. Punitus a Deo, illam reddit Abrahamo, ejus uxorem esse intelligens.

℣. 1. PRofectus inde Abraham in terram australem habitavit inter Cades, & Sur: & peregrinatus est in Geraris.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HABITAVIT INTER CADES ET SUR, ET PEREGRINATUS EST IN GERARIS. Chaldæus: *Habitavit inter Recham & Agara, & peregrinatus est in Gerar*, &c. Syriacus: *Inter Recem*

(i) *Catul. Epig. Nam Magus ex matre & gnato nascatur oportet.* (k) *Hieron. in Isai. xv, 2. ita & Drus.* (l) *Metamorph. lib. vi. Vide etiam Homer. Iliad. Ω; quem imitatur hic Ovid.* (m) *Plin. lib. 5, c. 29.*

℣. 2. Dixitque de Sarâ uxore suâ : Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.

℣. 3. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem, quam tulisti : habet enim virum.

℣. 4. Abimelech verò non tetigerat eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem & justam interficies?

℣. 5. Nonne ipse dixit mihi: Soror mea est? & ipsa ait: Frater meus est? in simplicitate cordis mei, & munditiâ manuum mearum, feci hoc.

℣. 6. Dixitque ad eum Deus: Et ego scio, quòd simplici corde feceris: & ideò custodivi te, ne peccares in me, & non dimisi ut tangeres eam.

℣. 7. Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia propheta est: & orabit pro te, & vives: si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt.

℣. 8. Statimque de nocte consurgens Abimelech, vocavit omnes servos suos, & locutus est universa verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valdè.

COMMENTARIUS.

& *Gedar.* Arabs : *Inter Racim & Algiofar :* quæ pariter variantia recurrunt capite XIV, 14. Urbs Geraræ sita erat inter desertum Sur ad Occidentem, & Cades ad Orientem; pertinebat proinde ad Arabiam Petræam, & uni ex Regibus Philistæorum parebat. In Libris Scripturæ, Moyse posterioribus, inter quinque Satrapias Philistæorum nequaquam recensetur. Regnante Asâ Rege Juda, in Arabum ditionem transisse jam videtur, cùm Princeps ille (*a*), victo Zarâ Rege Arabum vel Æthiopum, vastarit Geraram & adjacentem regionem.

Facilè Gerara ipsa est *Gerra*, urbs apud Strabonem lib. 16, ad montem Casium CC stadiis, i. e. XXV m. passuum circiter ab Erythræn. Celebre fuisse emporium, asserit ille; commercia autem exercuisse terrestria cum Arabibus; maritima cum Babyloniis & Tapiacenis, ad quas gentes contrario amne per Euphratem ascendebat. Gerara est Eusebio & S. Hieronymo XXV m. passuum ab Eleutheropoli, ultra Daromam; quæ sententia nostræ congruit, urbemque multò propiùs consignat ad Erythræum, quàm in Tabulis Geographicis vulgò adscribatur. Quærunt, quid fuerit in causâ, cur Abraham transmigraverit? Sunt qui defectum frugum & pascuorum, sunt qui aëris ex incendio Sodomæ corrupti gravitatem assignent. Silet Scriptura.

℣. 2. DIXITQUE DE SARA UXORE SUA : SOROR MEA EST. Glossam hìc addunt Septuaginta: *Ne fortè occiderent eum viri Civitatis propter eam.*

MISIT ABIMELECH, ET TULIT EAM. Reputemus utique oportet, Saræ venustatem minimè vulgarem fuisse, quippe quæ mulierem XC annis natam, & Isaaco fœtam adeò non deseruerat, ut oculos capere posset Regis Geraræ, quo jubente rapta est (*b*). Prodigiosam hanc pulchritudinem & supra naturam censent ex Rabbinis nonnulli. Observant alii [*c*] vitam tunc vulgo produci consuevisse adusque CXXX annos, ut proinde ac annorum ætas eam speciem tunc referret, quam hodie XLV vel L annorum ætas; ejus autem ætatis fœminas venustas adhuc spectamus.

ABIMELECH commune nomen erat omnibus Regibus Geraræ, sicut Pharao Regibus Ægypti, cui peculiare alterum singuli adjungebant. Abimelech sonat, meus pater est Rex. Intelligimus ex hoc capite, Regulum illum nec cognitione Dei nec timore destiturum (*d*); æquitati studuisse, crimen horruisse. Eâ profectò ætate iniquitas & Dei ignoratio latiùs adhuc universam Chanaanitidem non corruperant.

℣. 4. DOMINE, NUM GENTEM IGNORANTEM ET JUSTAM INTERFICIES? Expressit Author Vulgatæ sensum Septuaginta; Hebræus enim: *Domine, numquid gentem etiam justam interficies?*

℣. 6. IDEO CUSTODIVI TE, NE PECCARES IN ME. Incommodo aliquo Deus percusserat Abimelechum, quo accedere ad fœminam prohiberetur; illiusque Regis uxorem morbo aliquo afflixerat, quo conceptus sive partus impediretur (*e*). Hebræum enim ילד, *Ialad* utrumque significat. Porrò ingruentes illi morbi, naturales primò crediti sunt, donec Abimelech, quæ per quietem noctis a Deo audierat, non exposuit. Plures menses mansisse Saram apud Abimelechum, nihil est quod suadeat.

℣. 7. REDDE VIRO SUO UXOREM, QUIA PROPHETA EST, Vir scilicet mihi penitùs addictus, vir quocum arcana mea communico, meo favore dignissimus. Latissimè enim patet apud Hebræos nominis Prophetæ significatio. Potuit utique nomen נביא, *Nabi*, quo hìc utitur Moyses, non ob-

(a) 2 *Paral.* XIV, 14. (b) *Vide Aug. q.* 48. *in Genes.* (c) *Perer. hic.* (d) *Vide Ambros. de Abrah. lib.* 1, *c.* 7. (e) *Vide* ℣. 17, 18.

℣. 9. Vocavit autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid fecisti nobis? quid peccavimus in te, quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis.

℣. 10. Rursùmque expostulans, ait: Quid vidisti, ut hoc faceres?

℣. 11. Respondit Abraham: Cogitavi mecum, dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto: & interficient me propter uxorem meam:

℣. 12. Aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ, & duxi eam in uxorem.

COMMENTARIUS.

obtinuisse apud Hebræos pro designando Prophetâ, nisi post ætatem Samuelis (f): Moysem verò eo nomine usum, quòd significationem haberet apud Philistæos & Ægyptios satis notam (g), quippe qui eo appellarent Sacerdotes suos, cæterosque viros favore Numinum amplissimos. Favent huic sententiæ quæ sequuntur: *Et orabit pro te, & vives*. Orabit nempe, & valetudinem recipies; ejus ergo preces apud Deum impetrato; vir etenim est, qui precando multum valet, Deique voluntatem nunciabit.

℣. 9. INDUXISTI SUPER ME, ET SUPER REGNUM MEUM PECCATUM GRANDE. Enormis scilicet criminis committendi me in discrimen misisti, cujus ultio in Regnum meum universum recideret. Nihil adhuc Abimelech mali præstiterat, cujus proinde innocentiæ testimonium reddit Deus ℣. 6. *Ego scio quòd simplici corde feceris*. Profectò adulterium immane semper crimen, etiam in lege naturæ, reputandum est, uti adductis argumentis demonstrabimus ad caput XXVIII. *Peccatum grande*, quod usurpatur pro ingenti ultione (est enim non semel in Scripturâ *peccatum* pro pœnâ peccati positum) ita reddi posset: Inducere super me & super Regnum meum tentasti malum ingens, & ultionem a Deo.

℣. 12. ALIAS AUTEM VERE SOROR MEA EST, ET FILIA PATRIS MEI, NON FILIA MATRIS MEÆ. Attigimus hunc Textum in caput XII, 13. Interpretes Christiani credunt, Saram ipsissimam esse *Jescham*, filiam Aran fratris Abraham, neptem proinde Abrahami, & neptem pariter Thare. Connubia illa inter patruum & neptem ante Legem Mosaicam permissa; post rogatam illam primò vetita sunt (h). Appellavit autem Abraham sororem suam Saram, quòd ambo nati essent ex eodem patre, sed aliâ planè matre; erat enim Sara, inquiunt, filia Aran fratris Abraham, qui duo viri communem habuerunt fratrem Thare, sed matrem diversam; ita Sara soror erat Abrahami ex aliâ matre, quippe quæ nata esset e fratre Abrahami, nato ex eodem patre, sed ex aliâ matre.

Hanc expositionem, violentam licèt, secuti sunt Patres (i) & Interpretum plures. Licet autem observare, Homerum (k) alicubi appellare, *Aretam* uxorem Regis Alcinoi, sororem ejus germanam, quamvis neptem fuisse tantùm constet. Saidas Batricides, Patriarcha Alexandrinus, qui occ abhinc annis ampliùs florebat, scriptisque Arabicè Annalibus veteres plures Orientalium traditiones servavit, asserit, Thare primò duxisse *Jonam*, ex qua natus Abraham; postea *Thevitam*, ex quâ Sara. Ita Abraham & Sara frater erant & soror, alterius tamen matris.

Quod hìc Abraham expressit de Sarâ, quam sororem suam dixit, argumentum fuit Interpretibus nonnullis (m) asserendi, connubia inter fratres & sorores ea ætate interdicta; nisi enim vetarentur, quid causæ erat, ut Abraham, amovendæ cuilibet de connubio suo cum Sara suspicioni sororem illam suam appellaret? Contrarium intulit S. Clemens Alexandrinus (n), ratus connubia inter fratres & sorores, dummodo alterâ matre natos, sub naturæ lege permissa.

Hebræorum plerique vulgò docent, quam nos etiam sententiam cæteris prætulimus, Saram eumdem cum Abrahamo patrem habuisse Thare; quod obvius Literæ sensus insinuat. Testatus est Abraham: *Verè soror mea est*; veluti innuat ille, omni remotâ ambage, sororem illam suam re ipsâ fuisse; qua in re potius Abrahamo credimus, cui dicta sua erant explorata, ut observat S. Augustinus; potius, inquam, Abrahamo credendum est, quàm vel suspicio ingeratur de mendacio, vel longius petitæ aliæ solutiones quærantur. Nullo satis idoneo argumento evinceretur, Saram cum Jeschâ confundi; nec est, cur ambigamus, permissa apud Veteres connubia inter fratres & sorores: ita apud Ægyptios, Phœnices, Persas, Athenienses. Consecrabant connubia illa exemplo suo Numina (o).

----- Dei nempe suas habuere sorores,
Ut Saturnus Opim junctam sibi sanguine duxit,
Oceanus Thetin, Junonem Rector Olympi.

Observat Philo (p), Solonem Atheniensium Legislatorem maritales istas junctiones permisisse inter fratres & sorores; quorum pater communis, mater diversa. Cimon, vir clari nominis apud Athenienses, adsciverat sibi in conjugem sororem suam Elpinicem, *non magis amore*, scribit Author vitæ ipsius, *quàm patrio more ductus; nam Athe-*

(f) *Vide 1 Reg. IX, 9.* (g) *Clem. Alex. lib. 1 Strom.* (h) *Ita Hieron. in quæst. Heb.* (i) *Hieron. advers. Helvid. Aug. lib. contra Mendac. art. 23. & lib. 22 contra Faust. c. 35, & Paraphras. Uzielis.*
(k) *Homer. Odyss.* H. 54. *apud Joh. le Clerc. in Comment. in hunc locum.*
..... Ἐκ δὲ τοκήων.
Τῶν αὐτῶν οἵπερ τέκον Ἀλκίνοον βασιλῆα.
(m) *Jansen. Bonfrer. & alii.* (n) *Clemens Alex. Stromat. lib. 2. Cajet. &c.* (o) *Ovid. Metam. 12, vers. 498.* (p) *Philo de special. legib.*

℣. 13. Postquam autem eduxit me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: Hanc misericordiam facies mecum: In omni loco, ad quem ingrediemur, dices quòd frater tuus sim.
℣. 14. Tulit igitur Abimelech oves & boves, & servos & ancillas, & dedit Abraham: reddiditque illi Saram uxorem suam,
℣. 15. Et ait: Terra coram vobis est, ubicumq; tibi placuerit, habita.
℣. 16. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris: mementoque te deprehensam.
℣. 17. Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech & uxorem, ancillasque ejus, & pepererunt:
℣. 18. Concluserat enim Dominus omnem vulvam domûs Abimelech, propter Saram uxorem Abrahæ.

COMMENTARIUS.

Atheniensibus licet eodem patre natas uxores ducere. Repressa hæc licentia deinde legibus. Lycurgus Legislator Lacedæmonum (q) e contra connubia inter fratres uterinos permiserat, vetuerat inter natos ex eodem parente. Nonnisi sub Cambyse primò Persæ cum sororibus miscuere connubia, si fides Herodoto l. 3, c. 31. Iisdem ac Athenienses moribus eâ in re vixisse Phœnicios, tradit Achilles Tatius. Dido apud Justinum l. 18, neptis erat itemque uxor Sichæi, a Pygmalione interfecti; Olympias soror erat & uxor Alexandri Regis Epiri (r), & Laodice item Mitridatis Magni (ſ), sicut Artemisia Mausoli Regis Cariæ.

℣. 13. Postquam eduxit me Deus de domo patris mei. Hebræus: התעו אתי אלהים. *Quando errare fecerunt me Dii velut extraneum e domo patris mei*. Sunt qui eâ voce *Dii* significatos credant Principes Chaldæos Idololatras, quorum operâ Abraham solum vertere coactus est; *Angelos* malunt alii, qui assiduos se illi duces in suis itineribus post relictam domum paternam præbuerunt. *Elohim* designat Principes, Magistratus, Angelos, & Deum; quod postremum hîc probatur Vulgatæ & Septuaginta. Chaldæus: *Cùm aberrassent populi post opera manuum suarum, me applicavit Dominus ad timorem suum*, i. e. ad se ipsum.

℣. 14. Tulit Abimelech oves et boves et servos, et ancillas, et dedit Abrahæ. Addunt Septuaginta, collatas pariter mille drachmas vel siclos, quam pecuniæ summam dono datam Abrahæ re ipsâ legimus ℣. 16: sed hîc nihil de illâ, sive in Textu, sive in Versionibus illum sequentibus.

℣. 16. Mille argenteos. Siclos hîc denotari credunt; reddunt autem mille sicli MDC libras XVI solidos, VIII denarios pecuniæ nostratis Gallicæ, XXXII solidis, & V denariis in siclum computatis.

Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt; et quocumque perrexeris: memento te deprehensam. Concisè magis Hebræus (t), multiplici sensu reddendus. E. g. Hæc pecunia sit tibi in operimentum coram omnibus, qui sunt ante te, cæterisque; & cautiorem te geras. Septuag. [u]: *Hæc tibi erunt in pretium faciei tuæ, & omnibus quæ tecum sunt: & omnia verè dicito*; quò velum preciosum seu honorificum habeas, ut decet honestissimas fœminas. Onkelos paraphrasticè ita vertit: *Ecce illud tibi est velum honoris, pro eo quòd miserim tollere te, & viderim te, & omnia quæ tecum sunt: & super omnia, quæ dixit, es reprehensa*, ne ulteriùs in id crimen labere.

Commodè etiam Hebræus redderetur: *Solvi ego mille siclos fratri tuo, quibus tibi emat velamen, sicut & famulis & ancillis tuis*; ne deinceps tanquam puella innupta habearis, de cætero verò vel cautiorem vel synceriorem te gere: ne hujusmodi discrimini te deinceps committito, sororem te appellans illius, cui maritali connubio jungeris. Constat utique, receptum fuisse in eâ regione, ut nuptæ mulieres velatæ procederent, quo velamine subjectionis suæ erga viros documentum præbebant, juxta Apostolum (x); qui monet mulieres, ne velum in nuptiis semel receptum unquam dimittant.

Sunt qui ita Textum reddant: Quam fratri tuo obtuli pecuniam, ea tibi sit ceu nuptiale velum, i. e. veluti si velamen tibi darem, ineundo iterum cum Abrahamo connubio: do tibi hoc velum, tanquam nuptiarum paranymphus. Gentiles tui & advenæ omnes intelligent, ad Virum te non germanitatis tantùm, sed & connubii jure pertinere. *Ita Saram corripuit Abimelech*. Aliter (y): Hoc tibi erit ad emendum velamen ante oculos tuos, coram omnibus, qui tecum sunt, & coram aliis, & ab omni crimine absolvêris. Nullus erit ultra ambigendi de te locus; nuptam te viro huic omnes intelligent.

℣. 17. Et pepererunt. Vertunt nonnulli Hebræum וילדו, *Cœperunt parere*; sed præstat interpretari, *Pepererunt*; faciliùs enim impeditæ fuisse a pariendo, quàm a concipiendo, intelligerentur. Nunquam brevi temporis spatio deprehendi potuisset, impeditas illas esse ne conciperent; brevi enim tempore mansit Sara apud Abimelech. Onkelos: אתרוחו, *Refrigerati sunt*, convàluerunt, solatio recreati sunt.

CA-

(q) Τὸν ἐπὶ τῆς ὁμογαςρίας γάμον ἐπιτρέψαι, τὸν πρὸς τὰς ὁμοπατρίας ἀπεῖπεν. (r) *Justin. l. 38.* (ſ) *Idem lib. 37.* (t) הנה הוא לך כסות עינים לכל אשר אתך ואת כל ונכחת. (u) Εἰς τιμὴν τοῦ προσώπου σε, καὶ πάσαις ταῖς μετὰ σοῦ. Καὶ πάντα ἀλήθευσον. [x] *1 Cor. xi, 5, 6, 10.* [y] *Flacius Clar. par. 1, pag. 1238. Pfeiffer. Dub. vexat. Centur. 1.* Cene, projet d'une nouvelle version. *Volunt hi, Hebraum* נכח *nunquam redde posse, corripere, arguere, sed elucidare. Vide Isa. 1, 18. Job. xxiii, 57. 4 Reg. xv, 3. Prov. xxiv, 27.*

CAPUT XXI.

Oritur Isaac. Agar & Ismaël fugiunt. Fœdus Abimelech cum Abrahamo.

℣. 1. VIsitavit autem Dominus Saram, ſicut promiſerat: &
implevit, quæ locutus eſt.
℣. 2. Concepitque & peperit filium in ſenectute ſuâ, tempore
quo prædixerat ei Deus.
℣. 3. Vocavitque Abraham nomen filii ſui, quem genuit ei Sa-
ra, Iſaac.
℣. 4. Et circumcîdit eum octavo die, ſicut præceperat ei Deus,
℣. 5. Cùm centum eſſet annorum: hac quippe ætate patris, na-
tus eſt Iſaac.
℣. 6. Dixitque Sara: Riſum fecit mihi Deus: Quicumque audie-
rit, corridebit mihi.
℣. 7. Rurſumque ait: Quis auditurum crederet Abraham, quòd
Sara lactaret filium, quem peperit ei jam ſeni?
℣. 8. Crevit igitur puer, & ablactatus eſt: fecitque Abraham gran-
de convivium in die ablactationis ejus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VISITAVIT AUTEM DOMINUS SARAM, SICUT PROMISERAT. Elapſo anno, Deum Angelum ſuum miſiſſe, eumdem ſcilicet, qui ante annum nunciaturus ortum Iſaaci venerat, cenſet Cornelius a Lapide. Malunt alii, verbis illis, *Viſitavit & concepit*, inſinuari tantùm Dei largitione fœtam Saram concepiſſe Iſaacum. Chaldæus, *Recordatus eſt Dominus Sara*. Illud, *Viſitavit*, deſignare poteſt ſive realem præſentiam, ſive promiſſionum effectum & recordationem.

℣. 2. PEPERIT FILIUM IN SENECTUTE SUA. Illud, *In ſenectute* לזקניו, Textus Hebræus refert ad Abrahamum. Sara filium Abrahamo peperit, ejus ſenectutis ſolatium. Eamdem loquendi phraſim, in ℣. 7 recurrentem, S. Hieronymus refert ad Abrahamum: *Peperit ei jam ſeni*. Septuaginta ita reddunt ut nihil definiant: *Peperit in ſenectute*, εἰς τὸ γῆρας; & in ℣. 7 referunt ad Saram: *Peperi filium in ſenectute meâ*.

℣. 6. RISUM FACIT MIHI DOMINUS: Dedit mihi filium, qui a riſu nomen obtinebit. Melo apud Euſebium *Præpar. l. 9*, Iſaacum appellat Γέλωτα, *riſum*: *Corridebit mihi*, lætitiam ex meo gaudio concipiet; vel juxta Vatablum: *Corridebit de me* יצחק לי; meâ occaſione ridebit. Vox *Iſaac* in futuro uſurpata videtur, ſicut & vox *Jacob*, *Iſraël*, *Juda*. Futurum autem ſæpiſſimè in Hebræo & in Arabico pro participio ponitur, ut obſervat Jacobus Cappellus.

℣. 7. QUIS AUDITURUM CREDERET ABRAHAM, QUOD SARA LACTARET FILIUM? Hebræus: *Quis locutus fuiſſet ad Abraham: Sara filios fecit lactare?* Quis Abrahamo perſuaſiſſet, habiturum ſe e Sarâ liberos? Plurale eſt loco ſingulari. Verba illa, *lactaret filios*, fabulam miniſtrant Rabbinis; ferunt enim Sara in ſolemni cæremoniâ ablactationis Iſaaci ſugenda ubera præbuiſſe pluribus vicinarum mulierum infantibus, quæ ſcilicet mulieres in animum inducere non poterant, genitum ex illâ puerum, quem habebant præ oculis, ſuppoſititium vel adoptatum ratæ. Alio ſenſu reddi poteſt Hebræus: Quis dixit Abrahamo: Sara lactabit filios? i. e. a Deo tantùm hæc promittenda expectarentur. Chaldæus: *Fidelis eſt, qui dixit Abraha: Et implevit quòd lactaret filios Sara*.

℣. 8. CREVIT IGITUR PUER, ET ABLACTATUS EST. S. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis in Geneſim tradit, duas eſſe de ætate ablactandi pueros ſententias: factum id autem cenſent alii anno v ætatis, alii duodecimo: priorem præfert S. Hieronymus. Vita eâ ætate quàm modò longè erat diuturnior, cui par reſpondebat infantia. Sub Macchabæis triennio lactabantur infantes: *Lac triennio dedi* (*a*), ait mater ad filium. In 2 Par. xxxi, 16, nihil aſſignatur pro alendis infantibus Sacerdotibus & Levitis, ad tertium uſque ætatis annum; unde conjectura duceretur, ad eam uſque ætatem lactari conſueviſſe. Anna mater Samuëlis tamdiù diſtulit venire ad Templum, quamdiu filius ablactaretur (*b*): tunc ſecum puerum duxit; & notat Scriptura, puerum eam jam attigiſſe ætatem, ut miniſtrando in Templo par eſſet; nempe ad minus trium vel quatuor annorum: *Puer autem erat miniſter in conſpectu Domini ante faciem Heli*.

Jubent Rabbini matres biennio ſaltem filios lactare; biennium pariter præſcribit Alcoranus (*c*)

(a) 2 *Macc.* VII, 27. [b] 1 *Reg.* I, 22. & II, 11. (c) *Alcor.* 2. *apud Selden. uxor. hebr. lib.* 3, *c.* 10.

Digitized by Google

℣. 9. Cùmque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham:
℣. 10. Ejice ancillam hanc, & filium ejus: Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac.
℣. 11. Durè hoc accepit Abraham pro filio suo.
℣. 12. Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, & super ancillâ tuâ: omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus: quia in Isaac vocabitur tibi semen.
℣. 13. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.
℣. 14. Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem, & utrem aquæ, imposuit scapulæ ejus, tradiditque puerum, & dimisit eam. Quæ cum abiisset, errabat in solitudine Bersabee.

COMMENTARIUS.

parentibus per se ipsas lactantibus filios; asserit tamen Bellonius (*d*), nonnisi unico anno, seu x mensibus lac filiis illas præbere; quo temporis spatio nullum nisi maternum lac degustari ab infantibus; post hæc, cibi nihil interdictum, quamvis mandente prius nutrice. Iisdem moribus utebantur Veteres Græci (*e*).

℣. 9. CUM VIDISSET SARA FILIUM AGAR ÆGYPTIÆ LUDENTEM CUM ISAAC FILIO SUO. Hebræus habet tantùm, filium Ægyptiæ lusisse sive illusisse, quemnam, non designat: sed ex consequentibus satis constat, pertinere hæc ad Isaacum. Observat S. Hieronymus, additamentum illud, *cum Isaac filio suo*, occurrere in Vulgatis ætate suâ Bibliis, quamvis deesset in Hebræo. Vox מצחק *Mezacheh*, quam Vulgata reddit *ludentem*, usurpari potest sive de lusu, oblectationis causâ, sive de irrisoriâ illusione, sive de injuriâ. In 2 Reg. II, 14, *ludere* est certamen committere, veluti per ludum. *Surgant pueri & ludant*, ait Abner ad Joab; & Apostolus ad Gal. IV, 29, luculenter asserit, Ismaëlem male habuisse Isaacum.

Censent Hebræi, Ismaëlem Religionis exercitia Isaaci illusisse, quippe qui negaret idola, quæ Ismaël per ludum composuerat, adorare; nec desunt qui vocem *ludere* de idololatriâ interpretentur in illo Exodi XXXII, 6: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*. Putat Grotius, commodè hìc verti: *Irrisionis exponentem*. Vatablus habet, *deridentem Isaac*: Septuaginta: Παίζοντα, *ludentem*. S. Hieronymus arbitratur, Ismaëlem sibi facilè per ludum usurpasse jura primoris nato. Plus multo utique opus erat cogendæ Saræ, ut instaret pro pellendis e domo Agare & Ismaële. Tradit Clarius, in solemni illâ amicorum invitatione, cùm ablactaretur Isaac, gratulantibus omnibus cum Abrahamo, unum Ismaëlem omnia de ridiculo habuisse; quod observans Sara, questa est cum viro.

Concepta Ismaëlis in Isaacum invidia, quod fovebat odium, metusque excidendi e juribus primoris natu, quæ sibi sperabat, tamdiu contineri non potuerunt, ut in apertum non prodirent, accedente maximè pueri indole, impotenti, audaci, uti de Ismaële notat Scriptura. Sunt qui ex verbis Textûs exprimant, Ismaëlem consilium agitasse fratrem occidendi; & sinistri aliquid metuisse Saram filio ex Ismaële, censet S. Augustinus; quare nonnisi coactam id consilium, primâ fronte gravius, suscepisse.

℣. 11. DURE ACCEPIT HOC ABRAHAM. Hebræus ad literam. ירע, *Malum fuit verbum*; afflixit ea res patrem; & quidem, si judicium ferendum erat ex ipso rei aspectu, duriora exigere Sara videbatur. Deus tamen ejus consilia probavit; quod argumento est, rectè illam gessisse.

℣. 12. IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN. Genuinos successores tuos repetes ex Isaaco, hærede & promissorum & fœderis, quo meam tibi fidem obstrinxi. Ismaël, & reliqui e Cethurâ liberi, originem suam ex Abrahamo retulisse se glorientur; minimè verò genuinæ Abrahami posteritatis dotes communes iis babebuntur. Saram typum expressisse Ecclesiæ, Agar Synagogæ; Judæos ab Ismaële, fideles ab Isaaco exhibitos, Apostolus monet Rom. IX, 7, 8. Gal. IV, 23.

℣. 14. TOLLENS PANEM, ET UTREM AQUÆ, IMPOSUIT SCAPULÆ EJUS, TRADIDITQUE PUERUM, ET DIMISIT EAM. Suspicantur nonnulli, Abrahamum, Deo jubente, divortio remisisse Agarem, in typum magni Sacramenti in Jesu Christo & Synagogâ implendi (*f*). Insinuare videtur Hebræum, impositum humeris Agaris puerum unà cum commeatu: quem sensum ne præferamus, unicè vetat major Ismaëlis ætas. Quæ tamen haud prohibuit, quin Septuaginta, saltem in Editione Romanâ & Parisiensi, luculenter exprimerent, impositum Ismaëlem humeris Agar. De hac lectione Septuaginta sermo est apud Theodoretum q. 71, S. Hieronymum in qq. Hebr. & S. Augustinum q. 53 in Genes. sed aliæ ejus Versionis Græcæ editiones lectionem nostræ Vulgatæ præferunt. Agebat ille XVIII annorum ætatem circiter.

Insolentissimè utique se gessisse Agarem & filium oportet, cùm Abraham, tenero illos amore licèt prosecutus, durè adeò illos habuerit. Solos dimisit, datis tantùm commeatibus, quibus ferendis par esset Agar; dimisit autem per regionem ferè desertam, præsentissimo discrimine, ut præ lassitudine & fame enecarentur, errarentque saltem palantes. Sed reputari etiam posset, fidem Abrahami tunc magis emicuisse, quàm severitatem. Nihil enim, nisi Dei vocem, hæc omnia præstando

sequitur

(d) *Observat. lib. 3, c. 52.* (e) *Aristophan. Equit. act. 2, scen. 2.* (f) *S.Thom. in 4, Dist. 35.*

℣. 15. Cùmque consumpta esset aqua in utre, abjecit puerum subter unam arborum, quæ ibi erant.

℣. 16. Et abiit, seditque e regione procul, quantùm potest arcus jacere, dixit enim: Non videbo morientem puerum: & sedens contrà, levavit vocem suam, & flevit.

℣. 17. Exaudivit autem Deus vocem pueri: vocavitque Angelus Dei Agar de Cœlo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri de loco, in quo est.

℣. 18. Surge, tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum.

℣. 19. Aperuitque oculos ejus Deus: quæ videns puteum aquæ, abiit, & implevit utrem, deditque puero bibere.

℣. 20. Et fuit cum eo: qui crevit & moratus est in solitudine, factusque est juvenis sagittarius.

℣. 21. Habitavitque in deserto Pharan, & accepit illi mater sua uxorem de terrâ Ægypti.

COMMENTARIUS.

sequitur; Deo jubente, pronas aures præbet Saræ instanti, ut ancilla cum filio pellatur. Abditum in hac re latebat aliquid & mysticum, quod tandem rei eventus manifestavit in reprobatione Judæorum, & Gentium electione. Censet Cajetanus, nomine panis & aquæ cibi genus omne hìc comprehendi; nihilque Abraham ancillæ denegasse eorum, quæ per eam ætatem iis tradebantur, qui sese itineri committebant: quod veritati maximè congruere arbitramur.

QUÆ CUM ABIISSET, ERRABAT IN SOLITUDINE BERSABEE. Post hanc mulieris fugam, inditum est Solitudini nomen Bersabee; solemne est autem Moysi, ut locorum nomina, qualia suâ ætate obtinebant, designet. Facilè etiam nomen Bersabee suppletum est hìc ab Amanuensibus; vel tandem historia hìc ℣. 31 relata, extra suum locum jacet. Facilè credimus, Agar regressum meditatam fuisse in Ægyptum; sed errore factum est, ut viam initura, propiùs ad Arabiam accederet, aberraretque.

℣. 15. ABJECIT PUERUM SUBTER UNAM ARBORUM. Hebræus תחת אחד השיחם: *Subter unam Hasebichim*, quod Septuaginta & Josephus de abiete interpretantur; sed Interpretes vulgò malunt de arboribus generatim, seu de arbusculis, nemoroso loco. Illud, *abjecit*, insinuare videtur, illam filium humeris gestasse. Vide ℣. 14.

℣. 16. ET ABIIT, SEDITQUE E REGIONE PROCUL, QUANTUM POTEST ARCUS JACERE. Grotius aliique vertunt Hebræum מנגד, *Elongando se, sicut jactus arcûs*, seu quantum distat scopus a jaculatoribus positus (*g*).

ET SEDENS CONTRA, LEVAVIT VOCEM SUAM, ET FLEVIT. Ita etiam redderetur Hebræus: *Et sedens procul hinc*, מנגד, *elevavit*. Septuaginta: *Agar sedit* contra eum, *ἀπέναντι ἀυτοῦ*; *exclamans autem puer, ploravit*: cui interpretationi favet proximè succedens versiculus: *Exaudivit Deus vocem pueri*.

℣. 18. TOLLE PUERUM, ET TENE MANUM ILLIUS. Hebræus החזיקי את ידך בו: *Tolle puerum, & fortifica manum tuam in eo*, i. e. Tolle puerum, nec animis e præsenti casu despondeas. Josephus ita (*h*): *Nutri puerum; ex ejus enim salute tua pendet felicitas*.

℣. 19. APERUIT OCULOS EJUS DEUS; QUÆ VIDENS PUTEUM AQUÆ, ABIIT. Quem antea non observaverat, puteum Deo indicante vidit. Refert Diodorus *Bibliot. l.* 19, Arabes, quos effoderint in deserto puteos, sabulo tegere; indicia verò, illis deinde agnoscendis, sibi tantùm cognita, ponere. Eâdem celandi puteos curâ tenebantur Garamantes in desertis Africæ (*i*), & Mesopotamios (*k*): quis ergo miretur, Agar non vidisse puteum latentem?

℣. 20. ET FUIT CUM EO, ope nempe & favore. Ita Chaldæus, Septuaginta & Interpretes.

FACTUSQUE EST JUVENIS SAGITTARIUS. Deest *juvenis* in Hebræo. Textum explicant Judæi, quasi ingeos prædo designaretur; is erat profectò viri horoscopus (*l*), ut rapto viveret & prædationibus.

℣. 21. HABITAVITQUE IN DESERTO PHARAN; ET ACCEPIT ILLI MATER SUA UXOREM DE TERRA ÆGYPTI. Pharan desertum est Arabiæ Petrææ, ubi Urbs cognominis Ptolemæo est. Apud eumdem mons Pharan & populi Pharanitæ leguntur, ad Erythræum, & in finibus Ægypti. Septuaginta: *Habitavit, in deserto, & accepit ei mater uxorem de Pharan Ægypti*. Nulla Urbs Pharan in Ægypto, sed tantum urbs *Pharamia* (*m*) ad Mediterraneum, proximè ad ramum Nili, Syriam versùs maximè accedentem. Verùm nomen *Pharan* Scriptura semper usurpat de regione Arabiæ Petrææ; ac præ oculis habuisse potuerunt Septuaginta portionem illam Deserti Pharan, Ægypto viciniorem, nisi mendosum Textum suspicemur. Et quidem deest nomen *Ægypti* in plurimis Editionibus, lectionem hìc præferentibus Vulgatæ similem.

(*g*) *Junius. Piscator. Malven.* [*h*] *Antiq. lib.* 1, *c.* 14. Μεγάλας γὰρ αὐτῆς ἀγαθὰς περιμένειν ἐκ τῆς σωτηρίας. (*i*) *Solin. c.* 42. (*k*) *Quint. Curtius lib.* x. (*l*) *Genes.* XVI, 12.
(*m*) *Guillelm. Tyr. apud Baudrand.*

℣. 22. Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitûs ejus ad Abraham: Deus tecum est in universis, quæ agis.

℣. 23. Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ: sed juxta misericordiam, quam feci tibi, facies mihi, & terræ, in qua versatus es advena.

℣. 24. Dixitque Abraham: Ego jurabo.

℣. 25. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi abstulerant servi ejus.

℣. 26. Respondique Abimelech: Nescivi quis fecerit hanc rem: sed & tu non indicasti mihi, & ego non audivi præter hodie.

℣. 27. Tulit itaque Abraham oves, & boves, & dedit Abimelech: percusseruntque ambo fœdus.

℣. 28. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum.

℣. 29. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ, quas stare fecisti seorsum?

COMMENTARIUS.

℣. 22. Eodem tempore dixit Abimelech, et Phicol princeps exercitus ejus ad Abraham. Septuaginta legunt hìc, Abimelech & Ochozath Pronubus sponsæ, Νυμφαγωγὸς, ac Phicol. Hanc in Exemplaribus Septuaginta discrepantiam observavit ætate suâ S. Hieronymus. Inseruerunt hìc nomen Ochozath, quod junctum legitur nominibus Abimelech & Phicol capite xxvi, 26. Recurrit pariter additamentum illud ad ℣. 32. Abimelech idem facilè est Rex Geraræ, de quo actum est cap. xx; & Phicol sive exercitui ejus, sive corporis custodibus, vel militibus ipsius præerat. Ex consequentibus insinuatum credimus, dissidium fuisse aliquod de pascuis & aquis inter vernaculos Abrahami & Abimelechi; quare optimum factu censuit Abimelech, si cum Abrahamo, cujus metuebat potentiam & opes, fœdus jungeret. Vide ℣. 25. Timebat ille, ne Abraham vi reciperet, quæ familiares Abimelechi injuriâ rapuerant.

℣. 23. Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, et posteris meis, stirpique meæ. Septuaginta: *Non læsurum me, neque semen meum, neque nomen meum.* Samaritanus Textus: *Nec mihi, nec filiis meis, nec ducibus meis.* Hebræus ad literam (o): *Et nunc jura mihi in Deo: Ecce si mentitus fueris mihi & filio meo, & nepoti meo*; i. e. fidem tuam jurejurando obstringe, nunquam te perjurio illam fracturum, semper te habiturum pro amicis & fœderatis me, filium, & nepotem meum; seu aliter: Fide te obstringas, nunquam te arma sumpturum sive adversùs me, sive filios meos; vox enim mentiri usurpatur interdum in Scripturâ per desciscere, arma in alium capere. Vide Psal. xvii, 46. & lxv, 3: & Vatablus: *Jura mihi futurum ut dolo malo non agas mecum.*

Inferunt ex his Interpretes nostrates, initum quidem Abrahamum inter & Abimelechum fœdus ad tertiam usque generationem perseveraturum fuisse; ac proinde nihil ex illo illatum præjudicii Israëlitis, qui post egressum ex Ægypto jura sibi vindicarunt in regionem Philisthæam, & in Geraram potissimùm. Reputant alii, Philisthæos omnium primos violasse fœdus, illatis in Israëlitas armis; cujus rei merito jure optimo ab Israëlitis hostium loco habitos. Addunt, Philisthæos eâdem cum cæteris Chananæis damnationis sententiâ obvolutos, quamvis a genere populi maledicti alienos, ab exterminio tamen eximendos nequaquam fuisse. Tandem Abraham promissis stetit, si ipsum spectes; sed fidem posteritatis suæ obligare non potuit, refragantibus Dei jussis, de quibus nihil ille noverat, & quibus ex fœdere inito cum Abimelecho nihil inferri poterat præjudicii.

Juxta misericordiam, quam feci tibi. Hebræum חסד, Chesed, quod Vulgata hìc & alibi Misericordiam, Septuaginta plerumque vertunt δικαιοσύνην, justitiam. Hanc autem misericordiam, quam exhibuisse se Abrahamo Abimelech gloriatur, in eo maximè sitam credimus, quòd moram ejus in Gerarâ permisisset, pascua etiam & puteos effodere non prohibuisset.

℣. 25. Propter puteum aquæ. Puteos, Φρέατα, in plurali habent Septuaginta, quod Hebræus in singulari, באר. & quidem plures effodisse ex eo deducere videmur, quòd capite xxvi, 15, 18, de pluribus sit sermo. Nec res levis erant putei in regione maximè arenti, ubi raræ aquarum scaturigines & multo labore eruendæ. Manebant illi Domino latifundi, tanquam census pars non exigua.

℣. 27. Tulit oves et boves, Pignus nempe fidei Abrahami, seu victimas pro fœdere solemni ritu celebrando offerendas, quas scilicet victimas præbebat Abraham in sacrificio immolandas ab Abimelecho, honoris gratiâ.

℣. 28. Statuit septem agnas gregis seorsum. Pecudes illæ, de quibus antea, hostiæ erant pro fœdere seu pro sacrificio: quæ hìc exhibentur, muneris loco sunt vel pretii pro puteo, quem in fundo Abimelechi Abraham effoderat. Porrò putei ad ententem jure pertinebant; emendos verò censuit Abraham, quò cavillationum causam omnem tolleret: nec frustra illum tali cautione usum, ex consequentibus intelligimus. Vide Genes. xxvi, 15. Donat ille septem agnas *in testimonium*

[o] אם תשקרלי ולניני ולנכדי

Google

℣. 30. At ille, Septem, inquit, agnas accipies de manu meâ, ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum.

℣. 31. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee: quia ibi uterque juravit.

℣. 32. Et inierunt fœdus pro puteo juramenti.

℣. 33. Surrexit autem Abimelech, & Phicol Princeps exercitus ejus, reversique sunt in terram Palæstinorum. Abraham verò plantavit nemus in Bersabee, & invocavit ibi nomen Domini Dei æterni.

℣. 34. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

COMMENTARIUS.

monium, veluti in monumentum pactionis sancitæ cum Principe, juxta consuetum temporis heroici morem, cùm scilicet minor erat scribendi usus, quo loco substituebantur monumenta quædam, ad æternam fœderum & pactorum memoriam servandam erecta.

℣. 31. Bersabee, באר שבע. Vox ista sonat puteum juramenti, uti insinuant Vulgata, Septuaginta, & e nostris Interpretibus plerique; sive puteum septem; quòd scilicet septem agnis Abraham illum emisset (o). In capite xxvi, 33, ex aliâ radice derivatur, appellaturque *puteus abundantiæ*.

℣. 33. Plantavit nemus. Originalis vox אשל, *Eschel* significat interdum locum arboribus consitum, viridarium, vel nemus. Septuaginta ἄρουραν reddiderunt, agrum cultum. Onkelos, Syrus, Arabs: Plantavit amœnum viridarium, pulcherrimis arboribus, optimos fructus ferentibus, plenum. Aquila & Symmachus nemus interpretati sunt, Δενδρῶν φυτείαν: nec aliter Vulgata. Quod legitur hic, *Et invocavit ibi nomen Domini*, insinuat, Virum sanctum nemus illud destinasse ad erigendum altare, & ad actiones solemnis religionis exercendas. Abrahami ætate nullibi locorum erecta credimus Templa, sed tantummodò in collibus sive in nemoribus altaria.

Vetustius aliud religionis monumentum, sive apud Authores Sacros, sive apud Prophanos, nullum occurrit, præter altaria & nemora consecrata. In luco *Mambre* altare excitavit Abraham; lucum & altare condidit in Bersabee. Altare erexit Isaac propè Sichem sub quercu, vel in nemore, ubi postea Josue paulo ante obitum suum (p) simile monumentum excitavit. Idem lucus notatur etiam Judic. ix, 6. Cautum est in lege Mosaicâ, ne excitentur altaria, plantentur nemora vero Numini consecrata juxta altare Domini (q). Lucos & altaria Chananæorum subverti præcipit Moyses (r). De Templis ne verbum quidem. Successu temporis excitari cœpere Templa, quibus plerumque luci jungebantur; quod de Templis Ægyptiis tradit S. Clemens Alexandrinus (s). Animadvertenda sunt quæ de lucorum veneratione apud Veteres scribit Plinius l. 12, c. 1: *Hæc fuere Numinum Templa; priscoque ritu simplicia Rura; etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant; nec magis auro fulgentia, neque ebore simulacra, quàm lucos, & in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata perpetuò servantur, ut Jovi Æsculus, Apollini laurus, &c.*

Apud Parsas nonnisi serò erecta Templa; & facilè nulla erant adhuc Xersis ætate; in Græciam enim Rex ille veniens, Templa ibi omnia incendit (t), injuriam divinitatis ratus, ut in Templis reconderetur. Meminit Ælianus (u) Platani cujusdam, e qua Princeps ille armillas ditissimas, aliaque ornamenta suspenderat.

Mahometani in Perside arbores colunt, quarum ætas plura sæcula superare videatur (x); sub illis adoraturi veniunt, clavis truncum configunt, e quibus vestium suarum frustula & alia ejus generis plura suspendunt; habent autem persuasum, spiritus vel manes Sanctorum, qui antea sub arboribus illis requieverant, per quietem sopitis apparere, & vota sua ibi persolventibus restituere valetudinem. Ovidius *Metam. l.8, v.749*, hæc haber de ingenti quercu Cereri dicatâ:

Stabat in his ingens annoso robore quercus:
Una nemus: vitta mediam, memoresque tabellæ
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis &c.

Veteres Galli arbores colebant; & de quercu procerissimâ Jovi Celtico dicatâ legas apud Maximum Tyrium Dissert. 38. Sub Pharamundo nulla erant adhuc apud Sicambros Templa; & antequam suo more sacrificia offerrent sub quercubus, præmittebant libationes, fasciisque arborem cingebant, suspendebantque incensas lampades. Persuasum habebant Ethnici, lucos sedes fuisse Deorum campestrium, Nympharum, Faunorum, & Heroum. Æneid 6.

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Legas apud Lucanum magnificam illam descriptionem lucorum sacrorum apud Gallos; & alibi demonstrabimus, Hebræos exempla superstitionum Phœniciarum imitaturos, coluisse lucos Idolis consecratos, nec defuisse ibi Idola, quibus communia erant cum lucis nomina. In libro Judicum vi, 24, Deus præcipit Gedeoni, ut destruat Altare & lucum Baal. Israëlitæ terram promissionis subeuntes, præposterâ fuerunt indulgentiâ erga plures ejusmodi lucos: quod deinde fuit ipsis offendiculo. Porrò ut mos ille, ab omni purus crimine, abrogaretur, fecit Idololatriæ discrimen: Abraham enim, qui eum morem servavit, sanctissimus

homi-

(o) *Vide Hieron. in quæst. Hebr.* (p) *Josue* xxix, 26. (q) *Deut.* xvi, 21. (r) *Ibid.* vii, 5; xii, 3. (s) *Clem. Pædag. lib.* 3, *c.* 2. (t) *Cicero de legib. lib.* 2, *c.* 11. (u) *Ælian. variar. hist. lib.* 2, *c.* 14. (x) Chardin. voyage de Perse, *t.* 3, *p.* 34, 35, 36, 142.

℣. 22. Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exer-
citûs ejus ad Abraham: Deus tecum est in universis, quæ agis.
℣. 23. Jura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis,
stirpique meæ: sed juxta misericordiam, quam feci tibi, facies
mihi, & terræ, in qua versatus es advena.
℣. 24. Dixitque Abraham: Ego jurabo.
℣. 25. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ, quem vi
abstulerant servi ejus.
℣. 26. Respondit que Abimelech: Nescivi quis fecerit hanc rem:
sed & tu non indicasti mihi, & ego non audivi præter hodie.
℣. 27. Tulit itaque Abraham oves, & boves, & dedit Abime-
lech: percusseruntque ambo fœdus.
℣. 28. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum.
℣. 29. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ,
quas stare fecisti seorsum?

COMMENTARIUS.

℣. 22. EODEM TEMPORE DIXIT ABIMELECH, ET PHICOL PRINCEPS EXERCITUS EJUS AD ABRAHAM. Septuaginta legunt hîc, Abimelech & Ochozath Pronubus sponsæ, Νυμφαγωγὸς, ac Phicol. Hanc in Exemplaribus Septuaginta discrepantiam observavit ætate suâ S. Hieronymus. Inseruerunt hîc nomen Ochozath, quod junctum legitur nominibus Abimelech & Phicol capite XXVI, 26. Recurrit pariter additamentum illud ad ℣. 32. Abimelech idem facilè est Rex Geraræ, de quo actum est cap. XX; & Phicol sive exercitui ejus, sive corporis custodibus, vel militibus ipsius præerat. Ex consequentibus insinuatum credimus, dissidium fuisse aliquod de pascuis & aquis inter vernaculos Abrahami & Abimelechi; quare optimum factu censuit Abimelech, si cum Abrahamo, cujus metuebat potentiam & opes, fœdus jungeret. Vide ℣. 25. Timebat ille, ne Abraham vi reciperet, quæ familiares Abimelechi injuriâ rapuerant.

℣. 23. JURA ERGO PER DEUM, NE NOCEAS MIHI, ET POSTERIS MEIS, STIRPIQUE MEÆ. Septuaginta: *Non læsurum me, neque semen meum, neque nomen meum.* Samaritanus Textus: *Nec mihi, nec filiis meis, nec ducibus meis.* Hebræus ad literam (n): *Et nunc jura mihi in Deo: Ecce si mentitus fueris mihi & filio meo, & nepoti meo;* i. e. fidem tuam jurejurando obstringe, nunquam te perjurio illam fracturum, semper te habiturum pro amicis & fœderatis me, filium, & nepotem meum; seu aliter: Fide te obstringas, nunquam te arma sumpturum sive adversùs me, sive filios meos; vox enim mentiri usurpatur interdum in Scripturâ per desciscere, arma in alium capere. Vide Psal. XVII, 46. & LXV, 3: & Vatablus: *Jura mihi futurum ut dolo malo non agas mecum.*

Inferunt ex his Interpretes nostrates, initum quidem Abrahamum inter & Abimelechum fœdus ad tertiam usque generationem perseveraturum fuisse; ac proinde nihil ex illo illatum præjudicii Israëlitis, qui post egressum ex Ægypto jura sibi vindicarunt in regionem Philisthæorum, & in Geraram potissimùm. Reputant alii, Philisthæos omnium primos violasse fœdus, illatis in Israëlitas armis; cujus rei merito jure optimo ab Israëlitis hostium loco habitos. Addunt, Philisthæos eâdem cum cæteris Chananæis damnationis sententiâ obvolutos, quamvis a genere populi maledicti alienos, ab exterminio tamen eximendos nequaquam fuisse. Tandem Abraham promissis stetit, si ipsum spectes; sed fidem posteritatis suæ obligare non potuit, refragantibus Dei jussis, de quibus nihil ille noverat, & quibus ex fœdere inito cum Abimelecho nihil inferri poterat præjudicii.

JUXTA MISERICORDIAM, QUAM FECI TIBI. Hebræum חסד, Chesed, quod Vulgata hîc & alibi Misericordiam, Septuaginta plerumque vertunt δικαιοσύνην, justitiam. Hanc autem misericordiam, quam exhibuisse se Abrahamo Abimelech gloriatur, in eo maximè sitam credimus, quòd moram ejus in Gerarâ permisisset, pascua etiam & puteos effodere non prohibuisset.

℣. 25. PROPTER PUTEUM AQUÆ. Puteos, Φρέατα, in plurali habent Septuaginta, quod Hebræus in singulari, באר. & quidem plures effodisse ex eo deducere videmur, quòd capite XXVI, 15, 18, de pluribus sit sermo. Nec res levis erant putei in regione maximè arenti, ubi raræ aquarum scaturigines & multo labore eruendæ. Manebant illi Domino latifundi, tanquam census pars non exigua.

℣. 27. TULIT OVES ET BOVES, Pignus nempe fidei Abrahami, seu victimas pro fœderi solemni ritu celebrando offerendas, quas scilicet victimas præbebat Abraham in sacrificio immolandas a Abimelecho, honoris gratiâ.

℣. 28. STATUIT SEPTEM AGNAS GREGIS SEORSUM. Pecudes illæ, de quibus antea, hostiæ erant pro fœdere seu pro sacrificio: quæ hîc exhibentur, muneris loco sunt vel pretii pro puteo, quem in fundo Abimelechi Abraham effoderat. Porrò putei ad eruentem jure pertinebant; emendos verò censuit Abraham, quò cavillationum causam omnem tolleret: nec frustra illum tali cautione usum, ex consequentibus intelligimus. Vide Genes. XXVI, 15. Donat ille septem agnas *in testimonium*

(o) אם תשקרלי ולניני ולנכדי

Digitized by Google

℣. 30. At ille, Septem, inquit, agnas accipies de manu meâ, ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum.

℣. 31. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee: quia ibi uterque juravit.

℣. 32. Et inierunt fœdus pro puteo juramenti.

℣. 33. Surrexit autem Abimelech, & Phicol Princeps exercitûs ejus, reversique sunt in terram Palæstinorum. Abraham verò plantavit nemus in Bersabee, & invocavit ibi nomen Domini Dei æterni.

℣. 34. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

COMMENTARIUS.

monium, veluti in monumentum pactionis sancitæ cum Principe, juxta consuetum temporis heroici morem, cùm scilicet minor erat scribendi usus, quo loco substituebantur monumenta quædam, ad æternam fœderum & pactorum memoriam servandam erecta.

℣. 31. Bersabee, באר שבע. Vox ista sonat puteum juramenti, uti insinuant Vulgata, Septuaginta, & e nostris Interpretibus plerique; sive puteum septem; quòd scilicet septem agnis Abraham illum emisset (*o*). In capite xxvi, 33, ex aliâ radice derivatur, appellaturque *puteus abundantiæ*.

℣. 33. Plantavit nemus. Originalis vox אשל, *Ascbul* significat interdum locum arboribus consitum, viridarium, vel nemus. Septuaginta ἄρουραν reddiderunt, agrum cultum. Onkelos, Syrus, Arabs: Plantavit amœnum viridarium, pulcherrimis arboribus, optimos fructus ferentibus, plenum. Aquila & Symmachus nemus interpretati sunt, Δενδρῶν φυτείαν: nec aliter Vulgata. Quod legitur hîc, *Et invocavit ibi nomen Domini*, insinuat, Virum sanctum nemus illud destinasse ad erigendum altare, & ad actiones solemnis religionis exercendas. Abrahami ætate nullibi locorum erecta credimus Templa, sed tantummodò in collibus sive in nemoribus altaria.

Vetustius aliud religionis monumentum, sive apud Authores Sacros, sive apud Prophanos, nullum occurrit, præter altaria & nemora consecrata. In luco *Mambre* altare excitavit Abraham, lucum & altare condidit in Bersabee. Altare erexit Isaac propè Sichem sub quercu, vel in nemore, ubi postea Josue paulo ante obitum suum (*p*) simile monumentum excitavit. Idem lucus notatur etiam Judic. ix, 6. Cautum est in lege Mosaicâ, ne excitentur altaria, plantentur nemora vero Numini consecrata juxta altare Domini (*q*). Lucos & altaria Chananæorum subverti præcipit Moyses (*r*). De Templis ne verbum quidem. Successu temporis excitari cœpere Templa, quibus pleromque luci jungebantur; quod de Templis Ægyptus tradit S. Clemens Alexandrinus (*s*). Animadvertenda sunt quæ de lucorum veneratione apud Veteres scribit Plinius l. 12, c. 1: *Hæc fuere Numinum Templa; priscoque ritu simplicia Rura; etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant; nec magis auro fulgentia, neque ebore simulacra, quàm lucos, & in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera numinibus suis dicata perpetuò servantur, ut Jovi Æsculus, Apollini laurus, &c.*

Apud Persas nonnisi serò erecta Templa; & facilè nulla erant adhuc Xersis ætate; in Græciam enim Rex ille veniens, Templa ibi omnia incendit (*t*), injuriam divinitatis ratus, ut in Templis reconderetur. Meminit Ælianus (*u*) Platani cujusdam, e qua Princeps ille armillas ditissimas, aliaque ornamenta suspenderat.

Mahometani in Perside arbores colunt, quarum ætas plura sæcula superare videatur (*x*); sub illis adoraturi veniunt, clavis truncum configunt, e quibus vestium suarum frustula & alia ejus generis plura suspendunt; habent autem persuasum, spiritus vel manes Sanctorum, qui antea sub arboribus illis requieverant, per quietem sopitis apparere, & vota sua ibi persolventibus restituere valetudinem. Ovidius *Metam. l.8, v.749*, hæc habet de ingenti quercu Cereri dicatâ:

Stabat in his ingens annoso robore quercus:
Una nemus: vitta mediam, memoresque tabellæ
Sertaque cingebant, voti argumenta potentis &c.

Veteres Galli arbores colebant; & de quercu procerissimâ Jovi Celtico dicatâ legas apud Maximum Tyrium Dissert. 38. Sub Pharamundo nulla erant adhuc apud Sicambros Templa; & antequam suo more sacrificia offerrent sub quercubus, præmittebant libationes, fasciisque arborem cingebant, suspendebantque incensas lampades. Persuasum habebant Ethnici, lucos sedes fuisse Deorum campestrium, Nympharum, Faunorum, & Heroum. Æneid 6.

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Legas apud Lucanum magnificam illam descriptionem lucorum sacrorum apud Gallos; & alibi demonstrabimus, Hebræos exempla superstitionum Phœniciarum imitaturos, coluisse lucos Idolis consecratos, nec defuisse ibi Idola, quibus communia erant cum lucis nomina. In libro Judicum vi, 24, Deus præcipit Gedeoni, ut destruat Altare & lucum Baal. Israëlitæ terram promissionis subeuntes, præposterâ fuerunt indulgentiâ erga plures ejusmodi lucos: quod deinde fuit ipsis offendiculo. Porrò ut mos ille, ab omni purus crimine, abrogaretur, fecit Idololatriæ discrimen: Abraham enim, qui eum morem servavit, sanctissimus homi-

(o) *Vide Hieron. in quæst. Hebr.* (p) *Josue* xxix, 26. (q) *Deut.* xvi, 21. (r) *Ibid.* vii, 5; xii, 3. (s) *Clem. Pædag. lib.* 3, *c.* 2. (t) *Cicero de legib. lib.* 2, *c.* 11. (u) *Ælian. variar. hist. lib.* 2, *c.* 14. (x) Chardin. voyage de Perse, *t.* 3, *p.* 34, 35, 36, 242.

hominum fuit ac religiosissimus (y).

INVOCAVIT IBI NOMEN DOMINI DEI ÆTERNI. Hebræus: *Et invocavit ibi in nomine Domini Dei sæculi*, vel æternitatis. Eâ ætate, qua rerum ignoratione tenebantur; quamquam non penitus Dei cognitione ex hominum cordibus obliteratâ, singuli tamen pro suo arbitratu Numinis suam sibi ideam formabant, & par cultui suo nomen tribuebant. Abrahamus appellat Deum suum Deum æternum, quo satis ab aliis cæterarum gentium distinguebat, apud quos culta vel astra vel homines vel res aliæ creatæ, quarum & exordium & origo neminem latebat. Septuaginta Ἐπεκαλέσατο ἐκεῖ τὸ ὄνομα κυρίου, Θεὸς αἰώνιος: *Invocavit ibi nomen Domini, Deus æternus*; veluti postrema illa verba nomen essent excitato altari peculiare. Et quidem non uno exemplo Scripturæ intelligimus, in similibus rerum eventibus erecto in memoriam æternam monumento inditum nomen, quod naturam & occasionem ejus paucis indicaret. Ita Jacob & Laban lapidum struem a se erectam in monte Galaad appellarunt *Acervum testimonii* vel *testis* (z); & Moyses altare in monumentum victoriæ de Amalecitis: *Dominus exaltatio mea* (*). Tandem Gedeon altari, in quo sacrificium Deo obtulerat, nomen indidit: *Domini pax* (§).

CAPUT XXII.

Abraham Isaacum immolaturus ad montem Moria proficiscitur. Deus factas a se Abrahamo promissiones innovat. Census posterorum Nachor.

℣. 1. QUæ postquam gesta sunt, tentavit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit: Adsum.

℣. 2. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.

COMMENTARIUS.

℣. 1. TENTAVIT DEUS ABRAHAM. Hebræum נסה, *Nissah* reddit Symmachus, Ἐδόξασε, *Glorificavit Abraham*. Obtulit enim opportunam exhibendi specimen fidei suæ, & exinde solidæ sibi acquirendæ gloriæ occasionem. Habes hic maximè arduum de Abrahamo experimentum. Tentandum illum suscipit Deus, non viri fidem scrutaturus, sed ut absolutissimum in Abrahamo exhibeat mortalibus exemplar obedientiæ, spei, & fidei.

℣. 2. TOLLE FILIUM TUUM UNIGENITUM, QUEM DILIGIS, ISAAC. Movendis affectibus animi vis est major in Hebræo (a): *Cape nunc, filium tuum, unicum tuum, quem dilexisti, Isaac*. Ita veluti per gradus impetum semper validiorem faciebat Deus in cor patris, quò altiorem plagam infigeret, augeretque proinde fidei & obedientiæ meritum. Patri imperare, ut filium suum, filium unicum & dilectum immolet! Abrahamum armare in Isaacum, filium nonnisi prodigio, & tot præcedentibus promissionibus sæpius iteratis impetratum; promissionibus autem implendis non in filio illo tantum, sed in posteris ejus, & ita implendis, ut alteri nequaquam convenirent! Isaacum, benedictionem universæ gentis, & promissum patrem gentis florentissimæ! Nihil utique in hoc Dei mandato deest ad emovendum viri etiam sapientissimi animum, dejiciendumque cor patris. Censent Mahometani, Dei mandatum illud de Ismaële datum esse, non de Isaaco; totamque historiam sacram, sive ejus ignoratione, sive dolo malo corruperunt.

Septuaginta (b): *filium tuum, dilectum, quem dilexisti, Isaac*: omissâ exaggeratione *filii unici*, ejus loco substituerunt, quod solemne est Interpretibus illis, *Filium dilectum*. Vide non absimile exemplum apud Jeremiam VI, 26; Amos VIII, 10; Zach. XII, 10; Proverb. IV, 3. Observat Grotius, apud Hebræos & Græcos sæpè *filium dilectum* usurpari *pro filio unico*; quo sensu Salomon unicus dicitur 1. Par. XXIX, 1.

Novum hoc mandatum perculit utique Abrahamum, cùm in ejus corde repugnaret quidquid plausibilius ratio, quidquid movendis animis validius paterna in filium charitas suggerebat; & quamquam summâ erat sapientiâ, victas tamen manus non priùs dedit, quàm evidentia & ratio apertissimè demonstrarint, Deum esse, non alium, qui loquebatur; nunquam assensus est, nisi postquam dubitationes submovit, Deum ita præcipere. Quis unquam induxisset in animum, poscere Deum humanas victimas? *Nunquam sanè*, ait S. Augustinus de Civit. lib. 16, cap. 32, *crederet Abraham, quòd victimis Deus delectaretur humanis, quamvis divino intonante præcepto obediendum sit, non disputandum*. Tentare Deus potest, ait vir

(y) Vox Ἄλσος, qua Græci lucum consecratum exprimunt, ex Hebræo אשל, *Aschal*, facilè derivatur; uti & *æsculus*, quercus Jovi sacra. (z) *Genes.* XXXI. 41. (*) *Exod.* XVII, 15. (§) *Judic.* VI, 24. (a) קח נא את בנך את יחידך אשר אהבת את יצחק (b) Τὸν υἱόν σου, τὸν ἀγαπητόν, ὃν ἠγάπησας, τὸν Ἰσαάκ. *Aq.* Τὸν μονογενῆ, *Sym.* τὸν μόνον.

℣. 3. Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asinum suum: ducens secum duos juvenes, & Isaac filium suum : Cùmque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum, quem præceperat ei Deus.

℣. 4. Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul.

COMMENTARIUS.

vir gravissimus (c), in errorem inducere non potest; tentare enim est ita io discrimen adducere, ut necessitas omnis amoveatur. Inducere io errorem est, ad necessitatem cogere, inserendi & sequendi errorem &c. Tunc equidem tentatus fuit Abraham, & in mandato de immolaodo filio, quod impium maximè videbatur, & lobumanum; tentatus pariter in promissionibus in favorem Isaaci a Deo factis, quarum tota spes ejus morte suturum erat, ut evanesceret. Sed in his omnibus nulla imposita inferendi errorem necessitas. Poterat Deus vitam Isaaco restituere; poterat loco realis sacrificii excipere promptam patris & filii voluntatem: ita salva omnia.

Vaox in terram visionis. Expressit S. Hieronymus versionem Symmachi, E'ις γῆν ὀπτασίας, Hebræo, quantum intelligimus, conformem, deducto Moriah ex verbo ראה; habet enim ad literam: *In terram Moriah* אל ארץ המוריה. Septuaginta: *γῆν τὴν ὑψηλήν: In terram excelsam*: Aquila: *Γῆν καταφανῆ: In terram illustrem*. Onkelos & Jonathao: לארעא פולחנא: *In terram Divini cultûs*, deducto, *Moriah* ex Hebræo ירא; *timere*. Syriacus: *In terram Amorrhæorum*. Arabs: *In regionem adorationis*. Recepta & sanior opinio tenet, Deum præcepisse Abrahamo, daret se io viam, certam aliquam versùs plagam, nec sisteret quoadusque locum ipse designaret; designasse verò postea montem, cui nomen ex eâ re *Moriah*, ubi excitatum deinde Templum Jerosolymitanum, uti legimus in Par. III, 1. Diodorus Tharsensis & Genebrardus asserunt, montem Moriah plures in se habere colles, quorum unus mons Sion in duo culmina divisus esset, alterum nempe, in quo sedes erat Arcis David, alterum Templi Salomonis, & partim urbis: ex altero latere excurrisse Moriah extra mœnia Urbis; assurrexisse autem ibi in montem Calvariæ, quem scandit Isaacus a patre immolandus, & Jesus verus filius promissionum, & benedictio omnium gentium, in crucis sacrificium destinatus. Sed hæc mera sunt piæ mentis ludibria, quibus maximè suspectas opiniones & Textus malè explicatos conciliare nitebantur.

Defendunt Samaritani, montem Garizim petiisse Abrahamum, ut filium immolaret. Legunt verò hìc pro Moriah, *More* vel *Morah*; est autem More locus prope Sichem & Garizim (*d*). Sed recepta Judæorum & Christianorum opinio tenet, Moriah nomen esse montis, in quo postea Templum Jerosolymitanum excitatum est.

Hunc eumdem montem esse putant Hebræi, in quo oblata sacrificia ab Adamo, Caino, & Abele ante diluvium, post diluvium verò a Noë, cùm ex Arcâ egressus est. Vocem *Moriah* (*e*) deducunt ex ירה *Jara*, docere, quòd scriptum sit Isaiæ II, 3: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem*. Mioùs adbuc congruere veritati creditur etymologia, deducens ex *Mor*, Myrrha, & *Marah*, amarities.

Quam monstravero tibi. Hebræus & Septuaginta: *Quem dicam tibi*. Viam iogressus est Abraham, quò eundum esset, incertus. Suot qui doceant, designandum fuisse a Deo montem a se destinatum, exhibito igneæ columnæ indicio. Alii meliùs alterâ itineris nocte de re totâ certiorem factum fuisse virum sanctum autumaot. Vide ℣. 4. Jubet Deus Abrahamum offerre sibi filium in *holocaustum*; quod sacrificii genus unicè tunc obtinuisse credo.

℣. 3. Aarahan de nocte consuroens, straavit asinom auum. Summo mane consurgens Abraham, manibus ipse suis sternit asinum (*f*). Porrò veteres Heroes exhibentur a Poëtis e strata summo manè surgentes, & suis ipsos vel filiorum maoibus munia præstantes, quæ oos famulis committimus. Filii Regum Priami, Nestoris, & Alcinoi jungunt ipsi per se mulos vel equos currui.

Aaiit ao locum, quem præcaparat ai Daos. Quid consilii agitaret Abraham, quid oiandati tulisset Deus, noratne Sara? Scripturæ silentium favere videtur Patrum quorumdam (*g*) & plurium Interpretum opinioni, putantium Saram tunc primò instructam de omnibus, cùm Abraham regressus est. Censent alii (*h*), nihil præstitisse uxore inconsultâ, cujus exploratam habebat virtutem & fidem; nec par erat rem tanti momenti, quæ pariter ad ipsam attioebat, Saram latêre. Profectò viri silentium anxiam & suspiciosam semper tenuisset fœminam, nequidquam moliente Abrahami sapientiâ, ut mentem ejus reduceret in tranquillum, si Deus permisisset, ot mandatum Abraham exequeretur. E re viri fuisse videtur, ut suspiciones illas omoes præcaveret, iostrueretque Saram, nullum esse ambigendi locum, quio Deus ipse jussisset filium imoolari.

℣. 4. Dia autem tertio elavatis oculis vidit locom paocul. A Bersabee, Abrahami domicilio, Jerusalem usque, cui adjacet mons Moriab, xx leucarum Gallicanarum circiter est intervallum. Tertiâ itineris die hunc montem longè prospexit Abraham, si fidem habeamus Josepho, S. Hieronymo, & nostrorum Interpretum plerisque, putantibus tridui itinere opus esse, ut eò perveniatur; simulque post secundam itineris diem, Deum indicia præbuisse Abrahamo, quibus destinatum sacrificii locum agnosceret; cùm autem manè prospicerer, montem spectatum per quietem, eòque se eum filio contulisse.

℣. 5.

(c) Pensées de M. Paschal *art.* 27. (d) *Vide Genes.* XXI, 6; *& Deut.* XI, 30. (e) *Antiqui Heb. apud R. Salom.* (f) *Abraham stravit. Hebr.* יחבש. *Septuag.* E'πέσαξε, *Superinduxit. Munster. Ligavit.* (g) *Joseph. lib.* 1 *Antiq. c.* 13. *S. Chrys. Homil.* 47 *in Genes. Auth. operis imperfecti in Matth.* (h) *Aug. Ser.* 73 *de tempore. Gregor. Nyss. Procop. Perer. Tirin.*

℣. 5. Dixitque ad pueros suos: Expectate hìc cum asino: ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.

℣. 6. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium. Cùmque duo pergerent simul,

℣. 7. Dixit Isaac patri suo: Pater mi? At ille respondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis, & ligna: Ubi est victima holocausti?

℣. 8. Dixit autem Abraham: Deus providebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter,

COMMENTARIUS.

℣. 5. Dixitque ad pueros suos: Expectate hic ---- postquam adoraverimus, revertemur ad vos. Ut Abrahamum a mendacio purgent, laborant Patres & Interpretes; quorum alii (*i*) putant, prophetico spiritu locutum illum, & grandi illâ, qua erat, fide ne ambigentem quidem credidisse futurum, ut Deus restitueret filium, vel post sacrificium vitæ redderet, vel quòd contentus promptâ Patris obedientiâ, sacrificium remitteret. Fidem & meritum Abrahami eâ in re celebrat Apostolus *Hebr.* XI, 17. *Fide obtulit Abraham Isaac --- arbitrans quia a mortuis suscitare potens est Deus*. Arbitrantur alii, virum sanctum de se, veluti de pluribus, locutum dixisse: *Revertemur ad vos*, pro *Revertar*.

Sunt qui credant, verbis illis aliquid in mente subdi, vel eadem latentem referre conditionem; veluti si diceret: Revertemur, siquidem Deo placuerit, seu vixerimus. Porrò ejusmodi promissiones omnes conditionibus illis, quamquam non expressis, semper adstringuntur; nec Abrahamum verba aliter facere par erat ad homines, quos consilia & Dei & sua latebant. Vide S. Augustinum *de Civitate*, *l.* 16, *c.* 32. Reprehenditur jure Melchioris Cani (*k*) præsumptio, qui accusare Abrahamum ausus est mendacii; quippe qui cùm destinasset animo immolare filium, consilium tamen illud suum contrariis planè verbis celavit domesticos, quamquam ignorans prophetavit, dicens: *Revertemur ad vos*. S. Ambrosius *l.* 1 *de Abrah. c.* 8, quem assertorem laudat opinionis suæ, ait tantùm Abrahamum captiosè sese locutum, non tamen de mendacio arguit.

℣. 6. Tulit quoque ligna holocausti, et imposuit super Isaac &c. Ad radices & in conspectu montis Abraham filii sui humeros oneravit lignis ad absumendum holocaustum destinatis. Isaaci gesta omnia, perpetua sunt allegoria gestorum Jesu Christi, sed in re præsenti ad sensum congruunt omnia, ut in sacrificio Isaaci necem Jesu Christi io monte Calvariæ agnoscere vel incuriosi cogantur. Isaac ligna ferens, quibus erat absumendus, & Jesus Christus pondere crucis suæ onustus, ascendunt ille quidem Moria, hic Calvariam; prior ille, ut Patris sui manu immolaretur; alter verò, ut ab hostibus interficeretur, quò justitiæ Patris sui æterni plenè satisfaceret. Liberatur Isaac, & aries vepribus implicitus ejus loco sufficitur; Jesus Christus mortem patitur, ut nobis vitam acquirat: idem aries est pro Isaaco immolatus: tertiâ die redit ad vitam: Patri suo restituitur, quemadmodum Isaac superstes ædibus Patriis. Expressam hanc inter duo ista similitudinem præ oculis habuisse videtur Apostolus, scribens, Abrahamum ne ambigentem quidem expectasse a Deo filii resurrectionem; eumdemque filium respexisse, veluti parabolam & typum resurrectionis: *Unde eum & in parabolam accepit*. *Hebr.* XI, 19.

Ipse vero portabat in manibus ignem et gladium. Ad literam: *Ensem*. Hebræum מאכלת, quòd Vulgata reddit hìc *Gladium*, verti posset *culter*, jugulandis victimis aptus: Hæbræus indiscriminatim usurpat nomina ensis vel cultri (*l*); idemque culter, cujus erat usus in mensâ dividendis dapibus, idem pariter adhibebatur jugulandis animalibus, rebusque cæteris abscindendis. Ferebant ad omnia paratum cultrum, zonæ appensum. Quod pariter fertur de veteribus Græcis (*m*), gladium gerentibus juxta ensis vaginam, uti ex Homero (*n*).

Eumdem morem obtinuisse credo apud Hebræos: vox *Tahar*, sonans novaculam vel cultrum, usurpatur etiam de vaginâ ensis; nec incongruè verteretur: *Educam gladium meum e vaginâ*, vel de loco juxta gladium (*o*). *Mitte gladium tuum in vaginam*, sive juxta suum gladium &c. Quas quidem loquendi phrases obtinuisse credimus ex more deferendi ensem juxta gladium, & facilè in eâdem vaginâ utrumque: quod servatum constat a veteribus Gallis (*p*), gladium vel sicam in eâdem vaginâ cum ense recondentibus, quamquam discretis loculis. Acinacem ferunt Arabes ad latus, duobus pedibus longum, & sex digitis latum, pro ense, gladio, & asciâ. Addunt ad zonam minorem ensem vel sicam (*q*).

℣. 7. Ubi est victima holocausti? Hebræum שה, *Seh*, quod hic *victima*, est etiam avis, agnus, hædus, indiscriminatim (*r*). S. Ambrosius *l.* 1 *de Abrah. c.* 8, & Septuaginta legunt pariter Ovis in holocaustum: πρόβατον τὸ εἰς ὁλοκάρπωσιν.

℣. 9.

(i) *Origen. Homil.* 8 *in Genes. Lyran. alii.* (k) *Melchior Canus de Locis Theolog. lib.* 2, *c.* 4.
(l) *Hebr.* הרב · מאכלת תיער · 70. Μάχαιρα, *Gladius*, *Culter.* (m) *Casaub. in Athen. lib.* 4, *c.* 13. (n) *Homer. Iliad.* Γ.
Ἀτρείδης δ' ἐρυσσάμενος χείρεσσι μάχαιραν,
Ἥ οἱ πὰρ ξίφεος μέγα κουλεὸν αἰὲν ἄωρτο.
(o) *Vide* 1 *Reg.* XVII, 53; *&* 2 *Reg.* XX, 8. (p) *Posidon. apud Casaubon. loco citato.* (q) Eugene Roger *l.* 2, c. 2, p. 293. Voyage de Terre Sainte. (r) *Exod.* XII, 3.

℣. 9. Et venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit Altare, & desuper ligna composuit: cùmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in Altare super struem lignorum.

℣. 10. Extenditque manum, & arripuit gladium, ut immolaret filium suum.

℣. 11. Et ecce Angelus Domini de Cœlo clamavit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum.

COMMENTARIUS.

℣. 9. CUMQUE ALLIGASSET ISAAC. Vulgò creditur Isaac annorum ætatis XXV: ad XXX vel XXXVII prorogant veteres quidam Hebræi apud Genebrardum. Nullo itaque negocio præripere se e manibus patris valebat, siquidem voluisset; sed alligari se passus est, ne quid contra voluntatem, agente naturâ, moliri cogeretur, cùm gladio se cædi sentiret: voluit pariter eamdem cum cæteris humanis victimis subire conditionem; alligari enim illas notat Servius ad illud Virgilii Æneidos 2:

Eripui, fateor, letho me, & vincula rupi.

Et de sacrificiis in honorem Triviæ, Ovidius, *de Ponto l. 3, Eleg. 2:*

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,
Evincti geminas ad sua terga manus.

Author Operis Imperfecti in S. Matthæum, *hom. 1*, verba hæc, veluti e Scripturâ, loquentem Isaacum inducit: *Pater mi, liga mihi manus, & pedes, nequando insurgam in impugnationem.* Porrò singulari Dei consilio factum est, ut Isaac a Patre suo alligaretur, quò scilicet viridiùs exprimeret Jesum Christum (s) affixum Cruci usque ad consummationem Sacrificii, quamquam mortem spontè & liberè subiret.

Autumarunt quidam (t) nihil admiratione dignum perpetrasse Abrahamum, qui præsto se exhibuit filio immolando; multùm enim extenuando horrori a naturâ indito in factum illud inhumanum valuisse Phœnicum, & Chananæorum exemplum. Fatetur Philo (u), morem illum offerendi homines in Sacrificium, qui diu apud barbaras gentes obtinuit, ex Abrahamo authore nequaquam reputandum. Scitum est, Moabitas cremasse interdum filios in honorem Moloc; quorum pessima exempla imitatos frequenter Judæos, constat ex quarto Regum XVII. Refert Pseudo-Sanchoniaton (x), Phœnices, cùm mala ingruerent & publicæ calamitates, carissimum liberorum immolasse Diis; eumdemque morem primò obtinuisse a Saturno vel Ilo, eùm natum sibi filium Jehud e Nymphâ Anobret, immolavit. Sævum hunc Phœnicum morem observavit Porphyrius; a quibus gentibus deductum constat in Colonias Africanas, ubi mos litandi humanis victimis diù obtinuit.

Sed hæc Scriptorum sententia, quæ secutum Abrahamum exempla Phœnicum putant, cùm filium suum sacrificio destinavit, non modò malè congruit historiæ, sed pessimè etiam meretur de Abrahamo.

I. Quamquam Philo non neget, morem necandi filios obtinere potuisse in Chanaanitide, re ipsâ tamen obtinuisse non affirmat; defendit insuper, non ut mores & exempla cæterarum gentium affectaret, Abrahamum consilium illud suum inivisse. Evincit, nullam, quæ alias gentes impellebat ad hanc sævitiem, rationem valuisse in Abrahamo; neque enim inducere virum poterat ad Sacrificium illud sive metus, sive ostentatio, sive acquirendarum laudum amor; nec illum unquam in animum inducturum fuisse talia, nisi Deo apertè præcipiente. Nimis æquiora sentiebat vir summus de Numine, quàm ut venire posset in suspicionem, probari ab illo immane crudelitatis genus, quod Idololatris solemne erat; quare etsi usu rem invaluisse intelligebat, nunquam tamen exuere poterat illius horrorem; ac tam longè erat, ut mos ille impellere virum posset ad imitationem, ut potiùs magis magisque ex eâ retraheret.

II. Fuisse ante Abrahamum homines, quibus certa fuerit voluntas immolandi filios suos in sacrificium Diis, nihil est certi quod suadeat. Pronum est ut credamus, neminem in eum crudelitatis excessum venire potuisse, nisi gravissimis & prorsus extraordinariis causis adactum. Prior ille, qui authorem se cæteris præbuit, sive officio aliquo, sive omnimodâ necessitate coactus eò devênit; neque ego quidem affirmarem, fuisse genitores aliquos adeò feros, qui ut e belli discrimine se proriperent, filios suos susceperint immolandos; vel stultos adeò, qui in animum sibi induxerint, Deum iis hostiis delectari. Hæc tamen omnia devoranda essent, si quis veram admitteret historiam Sanchoniatonis, referentis, Ilum e præsentissimo belli discrimine sese liberaturum, opportunum putasse, filium suum Jehud immolare. Multò verisimiliùs crederemus, Abrahami exemplo factum esse, ut Phœnices reputarent, rem Deo gratissimam se præstituros, si filios suos, nempe rem omnium maximè charam, offerrent.

Diu est cùm affinitatem maximam inter historiam Abrahami, Saræ & Isaaci cum iis, quæ de *Ilo* narrantur a Phœniciis, spectari contigit. Ad hæc, cùm Saturnus Græcorum multò posterior sit Abrahamo atque etiam Moyse; ideo exempla ejus nihil in Abrahamum valuerunt, nihil ex illo de honore sancti viri, filium suum ad sacrificium destinantis, detractum: neque pariter reputandus sacrificiorum ex humanis victimis primus author Saturnus, cùm de illis sermonem habuisse credatur Moyses, *Deut.* XVIII, 10. Jovis, filii Saturni, natalem annum rejicimus ad Judicum ætatem. Tandem habemus persuasum, Sanchoniatonem nunquam inter homines vixisse, ejusque historiam meram esse fraudem Porphyrii ad minuendam Scripturarum Judaicarum authoritatem. Quæ pa-

(s) *Ambros. lib. 1 de Abrah. c. 8.* (t) *Marsham. Canon. Chronol. & Joh. le Clerc in hunc locum.*
(u) *Philo lib. de Abraham.* (x) *Apud Euseb. Præp. lib. 4, c. 56.*

℣. 12. Dixitque ei: Non extendas manum tuam ſuper puerum,
neque facias illi quidquam; nunc cognovi quòd times Deum,
& non peperciſti unigenito filio tuo propter me.
℣. 13. Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arie-
tem inter vepres hærentem cornibus: quem aſſumens, obtulit
holocauſtum pro filio.
℣. 14. Appellavitque nomen loci illius: Dominus videt. Unde
uſque dicitur: In monte Dominus videbit.

COMMENTARIUS.

riter eſt virorum doctiſſimorum complurium ante nos ſententia.

℣. 12. NON EXTENDAS MANUM TUAM SUPER PUERUM. Sacrificium Iſaaci, quòd typus eſſet realis ſacrificii ſui, ſpectatum creditur a Jeſu Chriſto verbis illis, Joan. VIII, 56: *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum; vidit & gaviſus eſt.* Hæc Patres nonnulli (y). Nos aliam eâ de re hypotheſim propoſuimus ad cap. XVII, 17.

NUNC COGNOVI QUOD TIMES DEUM. Hominum more locutus Deus, experimento didiciſſe ſe, quàm optima eſſet Abrahami habitudo, profitetur; noſſe tandem timore illum Dei teneri, quòd hujus ſuæ animi præparationis ſpecimen exhibuiſſet hominibus omnibus apertiſſimum. Ita Textum exponunt vulgò Patres: *Vires enim dilectionis hominem latent, niſi divino experimento etiam eidem innoteſcant* (z). Juvenis XXV annis natus, *puer* ſolemni Scripturæ phraſi appellatur; ſemper enim viri, cujuſcumque ſint ætatis, pueri appellantur, cùm ad alios fratres majores comparantur. Vide Hieronymum in Tradit. Hebr.

NON PEPERCISTI UNIGENITO FILIO TUO PROPTER ME. Hebræus ad literam (a): *Non prohibuiſti filium tuum, unicum tuum.* Deeſt hic & ℣. 16, *Propter me.* Samaritanus, & Arabs: *Cùm non ſubtraxeris mihi filium tuum*, non prohibiteris me, quin ſumerem filium tuum. Cenſet Grotius non defuiſſe olim in Hebræo illud *propter me*, eò quòd legitur in Vulgatâ, Septuaginta, Chaldæo: *Non peperciſti Filio tuo propter me*, ut mihi obedires.

℣. 13. VIDIT POST TERGUM ARIETEM. Conſonat Verſio cum Hebræo, Onkelos, & Symmacho; ſed in Textu Samaritano, Jonathan, & Septuaginta deeſt *poſt tergum*, & legitur tantùm: *Et ecce aries unus.* Cujus diſcriminis levior quidem ratio petitur ex literulâ, quam aliter legit in Hebræo S. Hieronymus, aliter Septuaginta; Vulgata enim legit אחר, *Achor*, poſt tergum; Septuaginta אחד, *Achad*, unum.

INTER VEPRES HÆRENTEM CORNIBUS. Septuaginta (b), & Theodotion: *Qui tenebatur in virgulto Sabec cornibus.* Symmachus reddit: *Arietem irretitum cornibus* (c); veluti ſignificarent, arietem illum caſu in venatorios laqueos incidiſſe, vel arietem fuiſſe ſylveſtrem, ſeu captum venatoriis retibus captum. Teſtatur Xenophon, ſpectatas olim in Oriente oves ſylveſtres. Aquila reddit (d): *In condenſis*; vel *inter implexa*; quod, juxta S. Hieronymi ideam, exprimere poſſet, inter condenſas implexaſque ſpinas & virgulta.

Septuaginta, Philo, Theodotion, S. Eucherius, & Diodorus in catenis Græcis, *Sabec* peculiare eſſe virgulti nomen arbitrati ſunt. Hebræi in Catenis laudari illud vertunt *indulgentiam, remiſſionem, veniam.* Sed Bochartus evincit, vocem illam exprimere conſertos inter ſe ramos, ſpinas, rubos, quod & optimis Interpretibus probatur.

Jonathan filius Uzielis cum Rabbinorum turbâ ſeriò affirmat, arietem hunc ab ipſo mundi exordio creatum deſtinatumque ſacrificio Abrahami fuiſſe. Aſſerunt pariter Hebræi, ſacrificium illud factum primâ die menſis Tizri, Feſto buccinarum ſacrâ, quas buccinas ex arietinis cornibus fieri in rei memoriam jubent. Autumant Turcæ, in decimam diem poſtremi menſis incidiſſe ſacrificium Iſmaëlis, cujus rei gratiâ ſolemnem habent diem illam. Hæc omnia nihilo meliori fide aſſerunt, quàm quæ venditant de Alcorano ſcripto in pelle arietis immolati ab Abrahamo in locum Iſmaëlis; quod enim nos de Iſaaco, illi de Iſmaële affirmant.

Aberraverat fortè a grege aries iſte, hæſeratque cornibus in rubo implexus: quod non ſine Dei conſilio factum eſt, ut eo typo exprimerentur ea quæ in paſſione Jeſu Chriſti complenda erant; tunc enim qui erat immolandus, libertati reſtitutus eſt, ac viciſſim innocens deſtinatus immolationi. Aries inter ſpinas eſt Jeſus Chriſtus, ſpinis in fronte obſitus, & cruci affixus (e).

Sed quomodo Abraham alienum arietem offerre poterat in ſacrificium? Reponitur, I, Deum hunc illi tradidiſſe poſſidendum, quod ſanè jus a Deo in rem aliquam conceſſum optimum eſſe, negaverit nemo; habet enim Deus in res a ſe creatas omnes deſpoticum imperium. II, Abraham rem caſu inventam, cujus ignotus erat dominus, obtulit in ſacrificium, paratus cæterùm damnum pretio rependere, nihilque eorum, quæ naturalis æquitas exigeret, prætermittere. Neque hæc temerè de viro ſanctiſſimo fingere diceremur.

℣. 14. APPELLAVITQUE NOMEN LOCI ILLIUS: DOMINUS VIDET; UNDE USQUE HODIE DICITUR: IN MONTE DOMINUS VIDEBIT. Septuaginta (f): *Vocavit Abraham nomen loci illius: Dominus vidit; ut dicant hodie: In monte Dominus apparuit.* Hebræus:

(y) *Macar. Orat. de Exalt. ſanctæ Crucis. Ambroſ. de Abrab.* (z) *S. Aug. quæſt. 57, & 58 in Geneſ. Vid. etiam de Geneſi ad litt. c. 9; & lib. XVI de Civit. cap. 32. Ambroſ. Hilar. & alios.*

(a) לא חשכת את בנך את יחידך ממני (b) Κατεχόμενος ἐν φυτῷ σαβέκ. *Euſeb. Emiſ.* Τὸ κατεχόμενος τῶν κεράτων, ὁ Σύρος, καὶ ὁ Ἑβραῖος κρεμάμενος φησί *Syr. & Heb. ſuſpenſus cornibus. Hieron. qu. Heb. Ridiculam rem in hoc loco Euſebius Emiſſen. eſt locutus: Sabech, inquiens, dicitur hircus, qui rectis cornibus, & ad carpendas arboris frondes ſublimis attollitur.* (c) *Quæſt. Hebr. in Geneſ.* Sym. ἐν δικτύῳ. (d) Ἐν συχνῷ, *vel* συχνιῶνα, *quod ſignificat condenſa, & inter ſe implexa virgulta. Hier. qu. Hebr.* (e) *Aug. l. 3 contra Maxim. c. 26. Ambroſ. l. 1 de Abrab. c. 8. & alii paſſim.*

(f) 70. ἐκάλεσεν Ἀβραὰμ τὸ ὄνομα τοῦ τόπου ἐκείνου: Κύριος εἶδεν. ἵνα εἴπωσι σήμερον? Ἐν τῷ ὄρει Κύριος ὤφθη.

Digitized by Google

℣. 15. Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundò de Cœlo, dicens:

℣. 16. Per memetipsum juravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me;

℣. 17. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum.

℣. 18. Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ: quia obedisti voci meæ.

℣. 19. Reversus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabee simul, & habitavit ibi.

℣. 20. His ita gestis, nuntiatum est Abrahæ, quòd Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo,

℣. 21. Hus primogenitum, & Buz fratrem ejus, & Camuel patrem Syrorum;

COMMENTARIUS.

bræus reddi posset (g) *Vocavit Abraham nomen loci illius: Dominus videbitur. Quod dicitur bodie: In monte Dominus videbitur.* Proverbii loco obtinuisse dicit S. Hieronymus apud Hebræos de rerum aliquo discrimine: Deus providebit in monte; ac si diceretur: Succurrere Deus novit, quum in eo versaremur discrimine, quo Abraham in monte. Posset etiam ita verti: *Appellavit hunc montem: Deus providebit; unde usque bodie dicitur: In monte Deus providebit.* Nomen illod loco indidit, quòd interroganti Filio de victimâ, respondit pater ℣. 8: *Deus providebit.*

℣. 16. Per memetipsum juravi. Exponit hunc locum Apostolus ad Hebræos vi, 13, 16, &c. *Neminem babuit Deus, per quem juraret majorem, jurat per semetipsum. Homines enim per majorem sui jurant: & omnis controversia eorum finis, ad confirmationem, est juramentum. In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis bæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum: ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium babeamus &c.*

℣. 17. Multiplicabo semen tuum, sicut stellas Coeli, et velut arenam, quæ est in littore maris. Observant Patres, promisisse Deum Abrahamo duplicem posteritatem, seu potiùs duo hominum genera, in ejus posteritate distinxisse; spiritales nempè fidei Abrahami successores, stellis Cæli comparatos, & carnales arenâ maris expressos. Sed hæc allegorica sunt magis quàm ad literam; similitudo enim e stellis Cœli petita, non semper loco prosperi augurii usurpatur. Vide Nahum iii, 16.

Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum. Sepsuaginta: *Possidebit semen tuum urbes inimicorum suorum;* quæ genuina est Textûs interpretatio. Exponunt nonnulli de robore adversariorum; robur enim interdum in Scripturâ portarum nomine exprimitur, ut Matth. xvi, 18: *Porta Inferi non prævalebunt adversùs* Ecclesiam. *Possidere portas inimicorum suorum* est etiam auctoritatem, judicium, imperium in hostes exercere; olim enim jus dicebatur in portis urbium. Impleta est oraculorum ejusmodi ad literam fides, cùm Hebræi Chanaanitidem, & Moabitarum, Ammonitarumque regionem occuparunt. Sed multò luculentiùs impleta hæc spectamus post constitutionem Ecclesiæ, subditumque Evangelio universum: Reges enim vel iniquissimi in eam religionem & populi maximè eidem infensi manus tandem victas illi dederunt.

℣. 18. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Genuinus Textûs hujus sensus exprimit orbis universi gentes a Jesu Christo & per Jesum Christum benedicendas, ut exponit Apostolus, *Galat.* iii, 16. Nec incongruè etiam interpretaremur de bonorum temporalium copiâ, in posteros Abrahami fundendâ; quibus per typum exprimeretur æternorum & spiritalium donorum abundantia Christianis concedenda, qui proinde admirationi erunt cæteris; neque quisquam erit, qui honorem non ambiat & felicitatem filiorum Abrahami; unusquisque verò fausti veluti ominis gratiâ precabitur: Benedictus sis & felix, veluti Abrahami posteritas (*b*). Tandem spiritali sensu universæ per orbem gentes honori sibi & felicitati ducent, si in benedictionum Abrahami communionem per Jesum Christum admittantur.

℣. 20. Nuntiatum est Abrahæ, quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo. Nachor frater erat Abrahami, & Melcha neptis; Melcham verò germanam habuisse Saram tenet communis opinio, confundens Jescham filiam Aran cum *Sarâ*. Refert hìc Moyses genealogiam Nachor, ut scilicet serviat historiæ mox referendæ de connubiis Isaaci cum Rebeccâ filiâ Bathuelis, filii Nachor, ex Melchâ.

℣. 21. Hus primogenitum. Frequentavit ille Ausitidem in Arabiâ desertâ, in Libro Job expressam nomine terræ Hus, uti in præfatione ad eum librum demonstrabimus.

Buz fratrem ejus. Ex Buz nomen retulisse Arcem Busan in Mesopotamiâ, apud Ammianum, censet

(g) יקר אברהם שם המקום:ההוא יהוה יראה אשר יאמר היום בהר יהוה יראה

(h) *Genes.* xii, 3.

℣. 22. Et Cased, & Azau, Pheldas quoque, & Jedlaph,

℣. 23. Ac Bathuel, de quo nata est Rebecca. Octo istos genuit Melcha Nachor fratri Abrahæ.

℣. 24. Concubina verò illius, nomine Roma, peperit Tabee, & Gaham, & Tahas, & Maacha.

COMMENTARIUS.

censet Grotius. *Elibu Bufites*, amicus Jobi, unus erat e posteris Buz, sive ad regionem hujus viri pertinebat. Hebræi apud S. Hieronymum *qq. Hebr. in Gen.* confundunt hunc *Elibu* cum Balaam, de quo in Numeris XXII, 5.

CAMUEL PATREM SYRORUM. Hebræus: *Patrem Aram*. Scitum est, Syros originem retulisse ex Aram, inter posteros Sem. Aram filius Camuelis, originem referens ex Aramæis, cognomen Aramæi inde facilè mutuatus est. Præstat tamen reputare, Camuelem patrem fuisse Camelitarum (*i*) gentis in Syriâ, ad Occidentem Euphratis. Est etiam in alterâ Cappadociâ urbs *Camuliana*, Episcopalis, sub Patriarchâ Constantinopolitano. Cappadoces Syrorum nomen obtinent apud veteres. *Vide Genes.* X, 22.

℣. 22. ET CASED. Chaldæi appellantur apud Hebræos *Casdim*; sed minimè credimus, *Cased* filium Nachoris patrem fuisse Chaldæorum omnium. Profectò nomen *Casdim* usurpatur de plurimis gentibus ultra citraque Euphratem, inter quas admixti confusique filii Cased morantur. Genuini *Casdim* vel Chaldæi sedes habebant cis Babylonem, ad sinum Persicum, & in finibus Arabiæ, ex quibus inclyti illi Chaldæorumm Philosophi Babylonis & Borsippæ floruerunt (*k*).

AZAU. Est in Cappadociâ urbs *Aza*, in finibus minoris Armeniæ, ad cujus septemtrionem Trapezus jacet, ad meridiem Neocæsarea: est etiam ibi *Azura* (*l*).

℣. 24. ROMA PEPERIT TABEE. Est in Peræâ Syriæ regione *urbs Tabee*. Roma appellatur apud Septuaginta *Reman*; cujus nominis urbs est in Mesopotamiâ.

MAACHA. Apud Arrianum legas in Arabiâ felici *Macetas* gentes: ibi etiam urbs *Maca* est ad fretum *Ormus*.

CAPUT XXIII.

Saræ obitus, in cujus sepulturam Abraham emit speluncam.

Ann. Mundi 2145. ℣. 1. Vixit autem Sara centum viginti septem annis,

℣. 2. Et mortua est in civitate Arbee, quæ est Hebron, in terrâ Chanaan: venitque Abraham, ut plangeret, & fleret eam.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VIXIT SARA CENTUM VIGINTI SEPTEM ANNIS, ET MORTUA EST. Unius hujus fœminæ ætas, obitus, & sepultura legitur in Scripturâ, quod eximio ejus merito, & loco, quem tenet in consiliis providentiæ divinæ, debetur. Typus est apertissimus Ecclesiæ Christianæ, ut notat Apostolus *ad Galatas* IV, 22, 23. Fidem Saræ celebrans idem Apostolus *ad Hebræos* XI, 11 ex eo laudat, quòd ad ætatem usque XC annorum promissionum divinarum implendam fidem expectaverit, pro certo habens, illum, qui filium promiserat, datam fidem nunquam abrupturum, effecturumque, ut ea, quæ pollicitus fuerat, exequeretur. Credulitate nostrâ abutuntur Rabbini, cùm venditant, Saram terrore oppressam interiisse, narrante Dæmone Abrahamum immolandi Isaaci filii sui consilium iniviSse.

℣. 2. MORTUA EST IN CIVITATE ARBEE, QUÆ EST HEBRON. Septuaginta: *In civitate Arbot, quæ est in Valle*; quam versionem jure reprehendit, tanquam ab originali aberrantem, S. Hieronymus in *qq. Hebraicis*; quamquam enim pronunciari potest Hebræum ארבע *Harbog*, vel *Harbee*, ע hajin velut G pronunciatâ, ut interdum apud Septuaginta in nominibus *Segor* & *Gaza*; constat utique, illud ἐν τῷ κοιλώματι, *in valle*, deesse prorsus in Textu. Idem S. Hieronymus putasse videtur, inditum urbi nomen Arbee, i. e. quatuor, quòd sepulturam exhibuerit quatuor clarissimis Patriarchis, Adamo, Abrahamo, Isaaco & Jacobo; vel juxta alios, quòd sedem ibi habuerint quatuor Gigantes; vel tandem quòd totidem celebres fœminæ ibi sepultæ fuerint, nimirum Eva, Sara, Rebecca, Liah. Sed hæc omnia Rabbinica reputamus.

Creditur urbi nomen Arbee inditum ex Chananæo quodam conditore, ut insinuatur Josue XIV, 15.

No-

(i) *Strabo l. 16. p. 710.* Καμηλῖται διασοὶ καταγωγὰς ἔχοντες τοτὲ μὲν ὑδρείων εὐπόρους τῶν λακκαίων τὸ πλέον, τοτὲ δὲ ἐπακτοῖς χρώμενοι τοῖς ὕδασι.

(k) *Strab. lib.* XVI, *&* XVII.

(l) *Plin. lib.* V, *c.* 26.

℣. 3. Cùmque surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens:

℣. 4. Advena sum & peregrinus apud vos: date mihi jus sepulchri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum.

℣. 5. Responderunt filii Heth, dicentes:

℣. 6. Audi nos, Domine, princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum: nullusque te prohibere poterit, quin in monumento ejus sepelias mortuum tuum.

℣. 7. Surrexit Abraham, & adoravit populum terræ, filios videlicet Heth.

COMMENTARIUS.

Nomen Hebron non antea facilè obtinuit, quàm post Hebronem filium Calebi, cujus in portionem cessit; & verba illa, *Ipsa est Hebron in terrâ Chanaan*, alienâ manu post Moysem adjecta videntur. Syrus reddit r *In civitate Gigantum*; sed glossema est deductum ex Josue, ubi legimus eam urbem possedisse Gigantes e stirpe Enak.

VENIT ABRAHAM, UT PLANGERET EAM. Inferunt ex hoc, Saram obiisse absente Abrahamo, qui tunc in Bersabee versabatur (*m*). E Bersabee in Hebron iter est VIII circiter leucarum Gallicarum. Sunt qui verba illa, *Mortua est Sara in Hebron*, ita usurpent, quasi significetur obiisse juxta Hebron, i. e. in valle Mambre, ubi fuisse tunc putant Abrahamum; illis autem, *Venit ut plangeret eam*, exprimi tantùm, Abrahamum uxoris funeri lugendo se comparasse. Meliùs tamen credimus, obiisse illam absente viro, cujus tunc erant sedes, ut ex contextu insinuatur, in Bersabee. Quod hìc notat Moyses de obitu ejus in Hebron, horum omnium argumentum est, utì & quod addit de Abrahamo ad lugendum funus veniente.

An cadaver conditum fuerit, quousque etiam duraverit luctus, incertum: vulgò funeri lugendo septem dies destinati (*n*); & si Abraham ante portas Hebron emendo sepulchro non se contulit, nisi post funus illud absolutum, ut insinuat ℣. 3, reputare utique possumus, defunctæ corpus fuisse conditum, juxta receptum ejus regionis morem; vix enim aliter tamdiu conservari potuisset incorruptum.

℣. 3. CUMQUE SURREXISSET AB OFFICIO FUNERIS. Spatio dierum aliquot substitit Abraham, assidens defunctæ corpori, de more; & post absolutum supremum illud officium, surgens, ad cœtum incolarum Hebronis se confert, quod Scriptura appellat filios Heth, erant enim Hethæi. Vendi sibi postulat ab illis jus sepulturæ, vel, juxta Hebræum, *possessionem tumuli*. Syriacus: *Jus possidendi in hæreditatem tumulum*; quod illi tamquam advenæ absque injuriâ potuisset denegari. Plerumque tumulos avitos vendere nefas habebatur & impium; itaque Abraham vendi sibi postulat sepulchrum, in quo nullum antea cadaver fuerit. Jus habebat Ephron fundos suos laboresque vendendi.

Abraham tumulum emens demonstrat, utì observat S. Irenæus l. 5, c. 32, ne voluisse quidem ab hominibus gratis accipere sepulchrum in eo solo, cujus possidendi certa sibi a Deo spes facta fuerat; porrò ejus emptione veluti inibatur possessio quædam anticipata & allegorica universæ illius regionis, obtinendæ re ipsâ a successoribus. S. Hieronymus *in qq. Hebr.* acriter reprehendit Ephronem, quòd sepulchrum vendiderit Abrahamo; ait enim, perire quid de merito eorum, qui sepulchra venditant; cùm Ephron, qui invitus pretium concessi sepulchri acceperit ab Abrahamo, tacitè reprehendatur, ex eo quòd nomen ejus defectu aliquo scribatur: deest enim literula eidem nomini in Textu Hebræo. Bella argutatio!

Neque unus Hieronymus Ephronem reprehendit. Interpretes etiam quidam magnoperè laborant, ut a simoniæ crimine in emptione hujus sepulchri purgent Abrahamum. Videsis Pererium in hunc locum. Asserit Josephus, ætate suâ spectari sepulchra Saræ, Patriarcharum, eorumque uxorum in urbe Hebron: marmorea erant sarcophaga, & materiâ & cælaturâ eximia (*o*); sed recentis erant operis, pro veteribus extructa monumenta, adjectis architecturæ ornamentis.

℣. 4. UT SEPELIAM MORTUUM MEUM. Addit Hebræus: *A facie meâ*; sive ut meis oculis subducatur mei doloris argumentum; ut condam mortuum, qui est in domo meâ, ante meos oculos.

℣. 6. AUDI NOS DOMINE: PRINCEPS DEI ES APUD NOS. Cùm primùm stitit se Abraham ante portas Hebronis, verba ad populum habens, jus sepulturæ concedi sibi poposcit; rogavit deinde, intercederent pro se apud Ephronem, ut sibi pretio agrum concederet, ubi duplex sepulchrum erat. Ephron, quem ne facie quidem norat Abrahamus, cum fortè adesset, ad ejus verba reposuit, gratis se illi daturum & agrum & sepulchra. En series officiorum inter utrosque viros, de quibus in hoc capite.

PRINCEPS DEI ES APUD NOS, & non alienigena. Rebus, quarum amplitudinem extollit Scriptura, nomen Dei addit frequenter: quod etiam aliorum sermone usurpatum est, ut divina appellentur quæcumque amplissima, pulcherrima, absoluta. Sunt qui illud *Princeps Dei* exponant, *Princeps pius, Deo gratus, vir Propheta in populo*. Vetus Vulgata apud S. Hieronymum *in qq. Hebraicis* legebat: *Rex a Deo tu es nobis*; utì quoque LXX: Βασιλεὺς παρὰ Θεοῦ σύ.

℣. 7. SURREXIT ABRAHAM, ET ADORAVIT. Eo populi responso audito, Abraham paria redditurus, surrexit, & prostratus egit gratias.

IN:

(*m*) *Vide cap.* XXII, 19. & XXIV, 63, 64. (*n*) *Eccli.* XXII, 13. (*o*) *Joseph. de bello lib.* 5, *c.* 7. Ὧν τὰ μνημεῖα μέχρι τοῦ νῦν ἐν τῇδε τῇ πολίχνῃ δείκνυται, πάνυ καλῆς μαρμάρου, καὶ φιλοτίμως εἰργασμένα.

Google

℣. 8. Dixitque ad eos: Si placet animæ vestræ, ut sepeliam mortuum meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor:

℣. 9. Ut det mihi speluncam duplicem, quam habet in extremâ parte agri sui: pecuniâ dignâ tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri.

℣. 10. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Responditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus, qui ingrediebantur portam civitatis illius, dicens:

℣. 11. Nequaquam ita fiat, Domine mi; sed tu magis ausculta quod loquor: Agrum trado tibi, & speluncam, quæ in eo est, præsentibus filiis populi mei, sepeli mortuum tuum.

℣. 12. Adoravit Abraham coram populo terræ.

℣. 13. Et locutus est ad Ephron, circumstante plebe: Quæso ut audias me: Dabo pecuniam pro agro: suscipe eam, & sic sepeliam mortuum meum in eo.

℣. 14. Respondítque Ephron:

℣. 15. Domine mi, audi me: Terra, quam postulas, quadringentis siclis argenti valet: istud est pretium inter me & te: sed quantum est hoc? sepeli mortuum tuum.

COMMENTARIUS.

℣. 8. INTERCEDITE PRO ME APUD EPHRON (9) UT DET MIHI SPELUNCAM DUPLICEM. Expressit hic S. Hieronymus sensum Septuaginta. Hebræus: את מערת המכפלה: *Cavernam Macphela*; & infra ℣. 17: שדה אשר במכפלה, *Ager, qui est in Macphela, quondam Ephronis, cessit Abrahæ.* Hebræum Macphela est *duplex*; quod opinionem induxit, sepulchrum illud nomen retulisse duplicis, sive quòd duplicem contineret speluncam, sive duplicem cellam, sive tantùm duplicem ædiculam, vel loculum, duplici cadaveri recondendo. Sed probabiliùs credimus, Macphela nomen fuisse agri hujus peculiare.

PECUNIA DIGNA TRADAT EAM. Hebræus ad literam: בכסף מלא *Argento pleno*, nempe condigno pretio; Chaldeus: בכספא שלים *Argento perfecto* quidquid postulaverit, tradam. LXX: Ἀργυρίου τοῦ ἀξίου, *argento digno*.

℣. 10. HABITABAT AUTEM EPHRON IN MEDIO FILIORUM HETH. Reddi posset Hebræus: *Sedebat Ephron in medio Hethæorum*, quibus verba faciebat Abraham.

CUNCTIS AUDIENTIBUS, QUI INGREDIEBANTUR PORTAM CIVITATIS; i. e. Magistratibus & senioribus populi, qui præ foribus sedebant, vel pariter coram civibus & alienigenis, qui fortè tunc in cœtu populi aderant; quam posteriorem sententiam adoptasse videntur Septuaginta: Καὶ τῶν εἰσπορευομένων εἰς τὴν πόλιν πάντων. Ita & ℣. 18, & passim.

℣. 11. NEQUAQUAM ITA FIAT, DOMINE MI. Hebræus tantùm: *Non, Domine mi*. Septuaginta: Παρ' ἐμοὶ γενοῦ, Κύριε, καὶ ἄκουσόν μου: *Apud me esto, Domine, & audi me.* Veluti si ad assidendum unà secum invitaret, audiendumque quid ipse proponeret: vel; mihi assentire, faveas mihi, audi me.

℣. 13. QUÆSO UT AUDIAS &c. Hebræus אם אתה לו: *Si tu es* (Ephron agri possessor) *utinam audias me*. Verti ita posset Samaritanus אם אתה לו: *Si tu meus es, audi me*; vel, si mihi rem gratam præstare velis, audi me. Septuaginta: Ἐπειδὴ πρὸς ἐμοῦ εἶ. *Quoniam es apud me, audi me*. Suppleri etiam posset ita: Si tu concedere mihi volueris agrum tuum, quid ego propoam quæso auscultes. Onkelos: *Si tu utique facis mecum misericordiam, acquiesce mihi &c.* Quidam apud Vatablum: Si tu recusas pretium meum, nunquam ego admittam agrum tuum. Gratuitò accipere recusabat, metu, ne agrum illum posteris Ephronis iterum sibi vindicantibus, sanctitas sepulchri violationi exponeretur.

℣. 15. DOMINE MI, AUDI ME, &c. Discrepant plurimùm Septuaginta: *Nequaquam Domine: audivi enim, terra est quadringentorum didrachmorum argenti: Sed quid utique fuerit hoc inter me et te?* Legerunt illi facilè in Textu quiddam aliter, ac nos hodie & S. Hieronymus olim; fortasse לא *lo*, non, pro לו, *lo*, ei, in fine ℣. 14; & שמעתי, *audivi*, pro שמעני, *audi me*. Melior est tamen Vulgatæ sensus præ Septuaginta.

QUADRINGENTIS SICLIS. Hebræum: שקל *Schekel*. Septuaginta vertunt frequenter didrachma. Drachma Attica valebat tribus solidis & semis. Quare didrachma, seu duplex drachma, conficit septem solidos; & si drachma Hebraica duabus Atticis computaretur, major summa quàm xiv solidorum in siclum non redderetur. Juxta supputationem nobis præfixam, siclus argenteus computatur 33 solidis, 5 denariis; ut 400 sicli coalescant in 648 libras, 6 solidos, 8 denarios. Porrò siclus commodissimum erat & familiarissimum pondus; reputamus autem, facilè olim ad commercia

Digitized by Google

℣. 16. Quod cùm audiisset Abraham, appendit pecuniam, quàm Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.

℣. 17. Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens Mambre; tam ipse, quàm spelunca, & omnes arbores ejus in cunctis terminis ejus per circuitum,

℣. 18. Abrahæ in possessionem, videntibus filiis Heth, & cunctis, qui intrabant portam civitatis illius.

℣. 19. Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in speluncâ agri duplici, quæ respiciebat Mambre: hæc est Hebron in terrâ Chanaan.

℣. 20. Et confirmatus est ager, & antrum, quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti a filiis Heth.

COMMENTARIUS.

mercia adhibitas fuisse virgulas argenti, certi unciarum ponderis, quin & unius unciæ ad majorem facilitatem.

℣. 16. APPENDIT PECUNIAM. Vox pecuniæ hìc occurrens usum insinuat argenti signati. Sed Hebræus habet tantùm appendere argentum, quod nonnisi metallum ad pondus designat; vox enim *Schekel* nihil exprimit nisi certum quoddam pondus. Vide nostram Dissertationem de pecuniâ signatâ.

PROBATÆ MONETÆ PUBLICÆ. Hebræus: כסף עבר לסחר: *Argenti transeuntis ad mercatorem.* Septuaginta: Α'ργυρίου δοκίμου ἐμπόροις: *Argenti probati mercatoribus*, probati utique & qualitate metalli & pondere. Nullibi profectò locorum obtinuisse tunc usum argenti signati arbitramur.

℣. 17. CONFIRMATUS EST AGER QUONDAM EPHRONIA. Discimus hìc veterem transigendi ritum. Pacta conventa fiunt in cœtu populi & Seniorum; solvitur pretium & traditur possessio. Syngrapharum ne vestigium quidem ante Moysem apparet.

Sed negocium faciunt in eâ emptione agri per Abrahamum in terrâ Chanaanitidis, negocium, inquam, faciunt verba S. Stephani, *Act.* VII, 16. Testatur enim vir sanctus, Deum *nec passum pedis*, οὐδὲ βῆμα ποδὸς, e terrâ Chanaanitidis concessisse Abrahamo in hæreditatem. Reponimus tamen, nihil illum reipsâ possedisse in eâ regione, tamquam patrimonium, jure hæreditatis & successionis ipsi proveniens; sed tamquam advenam emptionis jure possidere utique aliquid & valuisse & re ipsâ possedisse.

Arduum est aliud in hac re, quòd S. Stephanus, *Act.* VII, 16, appellat Hemor filium Sichem virum illum, qui hìc est Ephron filius Seor; cujus rei in causâ esse potest, sive quòd binomines essent viri illi, ut alii plures in Scripturâ; sive quòd mendosus sit Actorum Textus (*p*), confundentibus Amanuensibus emptionem agri ex Hemor filio Sichem per Jacobum, de qua cap. XXXIII, cum eâ, de qua modo; obtrudentibusque in Actis nomen Abrahami, quo loco subintelligebatur nomen Jacobi, paulò ante expressum.

Putavit Melchior Canus (*q*), S. Stephanum memoriæ lapsu hæc expressisse; noluisse autem S. Lucam, cùm verba ejus referret, errorem corrigere, ne Historicæ sinceritati & fidei deesset vel minimum; sanctè enim retulit quæ S. Stephanus affatus est. Laudantur in eam sententiam Beda, Rabanus, Emmanuel Sa, & P. Salianus. Sed optandum utique esset, ne ad hæc extrema nonnisi summâ necessitate adigente confugeretur. Semel enim admisso, S. Lucam, sive alium quemcumque sacrum Scriptorem volentes prudentesque nobis, ne admonitis quidem, falsa retulisse; quis certò unquam sibi spondere potest, nequaquam illos nobis imponere, tunc maximè cùm ea referunt, quæ aliorum relatione didicerunt? quod factum constat a S. Luca in Evangelio cap. I, 23? Quî noverimus, eos, qui S. Lucam res in Evangelio ab ipso narratas docuerunt, memoriâ nequaquam lapsos fuisse? quis sponderet sibi, sacrum illum Scriptorem nihil retulisse falsi, si verba aliorum referens, ne quid corrigat, religiosissimè cavet? Huic nodo exsolvendo, alia contulimus in Acta. Vide pariter infra cap. XXXIII, 19.

CA-

(*p*) *Engub. Mas. Tost.* (*q*) *De loc. Theolog. l.* 2, *cap.* 18.

CAPUT XXIV.

Iter Eliezeris Oeconomi Abrahami in Mesopotamiam. Postulat & obtinet Rebeccam in conjugem Isaaci. Regreditur.

℣. 1. ERat autem Abraham senex, dierumque multorum: & Dominus in cunctis benedixerat ei.

℣. 2. Dixitque ad servum seniorem domûs suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum,

COMMENTARIUS.

℣. 1. ERAT AUTEM ABRAHAM SENEX - - - - (2.) DIXITQUE AD SERVUM SENIOREM DOMUS SUÆ. Agebat tunc Abraham CXL, & Isaac XL. annos ætatis. Senior iste servus ipse est facilè Eliezer, in quem adeò inclinabatur Abraham, ut vel in hæredem suum destinasset, si quidem liberis caruisset. Nec æstimationem suam & fiduciam malè collocasse illum, rei eventus demonstravit, cùm nihil in se desiderandum sive solertiæ sive prudentiæ sive pietatis reliquerit Eliezer. Sunt qui verbum illud *Seniorem*, sive ut Hebræus, *Senem* זקן, *Zaken*, dictum, referant non ad viri ætatem, sed ad munus œconomi in domo Abrahami. Onkelos vertit: סבא, *Oeconomum*.

℣. 2. PONE MANUM TUAM SUBTER FEMUR MEUM, (3) UT ADJUREM TE PER DOMINUM (r). Dissidium est non leve sententiarum de more cogendi illum, qui jurejurando obstringitur, ut manum suam applicet subter femur obstringentis; qui pariter recurrit Gen. XLVII, 29. Patrum (*s*), & recentiorum Interpretum nonnulli mysticum aliquid in eo ritu & typicum agnoscunt; neque ita reputandum, quasi in similibus rerum eventibus jusjurandum ita præstarent Judæi, & aliæ per orbem gentes, cùm bis tantùm, nec levi de causâ, id factum legamus, Abrahamo & Jacobo, tantis Patriarchis, insinuaturis utique adventum Messiæ, e genere suo ortum ducturi, cujus nomine exigerent jusjurandum. Censent Judæi (*t*), Abrahamum famulum suum jurejurando obstrinxisse per circumcisionem, characterem tunc veræ Religionis.

Asserit Josephus *l.* 1 *Antiq. c.* 24, suâ adhuc ætate Judæos, cùm jurejurando obstringerent obstringerenturque, manum sub alterutrius femore posuisse; sed hoc facilè tantummodò præstabatur, cùm utriusque partis fides oppigneranda erat, quod in præsenti factum non esse constat. Hunc morem jurisjurandi manere adhuc apud Judæos, docent Lyranus, Tirinus, & Menochius. Manere pariter apud Orientales gentes nonnullas, asserit Vatablus. Autumat Abenezra, ritum hunc emblemate quodam significare obsequium, & submissionem erga illum, cui officii genus illud præstatur. Et quidem si quis ponat manum subter femur hominis sedentis, ille quidem agendi quicquam impos est, ac se quodammodo obstringit, ad nullos usus manum illam suam adhibiturum, nisi quantum alter permiserit. Ita cùm quis obsequium ac servitutem patrono profitetur, junctæ illius manus inter manus Patroni reponuntur.

Grotio aliud succurrit. Cùm ensis ad femur deferretur suspensus (*u*), reputat ille, manum subter femur alicujus ponentem tacitâ protestatione se ad fidem verbis suis datam obligare; sin minùs, obnoxium se, ut ab eo ense transfodiatur, profiteri. Novum aliud proponit D. Clericus. Ponere manum subter femur alicujus, est actum exercere significantem officium famuli, dominum suum in equum vel in camelum levantis. Eâ cæremoniâ Eliezer dicto heri adamussim obsecuturum se pollicetur. Constat utique, lorum illud ferreis nexibus equitis pedes regens, novum esse inventum, cui designando peculiare nomen deest sive in Græco, sive in Latino sermone. Recens initiati equites nihil olim habebant antiquitus, quàm ut saltu in equum scanderent, desilirentque faciles ad dexteram, & sinistram (*x*). Virgilius eâ de re Æneid. l. 12.

Infrenant alii currus, ac corpora saltu
Subjiciunt in equos.

Xenophon in Hipparchicho, seu Magistro Equitum, docet instruendos esse Equites, ut scitè assiliant in equos, & alios vicissim imponant. Primum illud præceptum juvenes respicit Equites, agilitate & viribus in eam rem aptos; ad seniores quod attinet, mutua illis opera præstanda est, ut alter alterum levent in equos, more Persarum (*y*). Porrò munus hoc imponendi aliquem in equos servile fuisse & illiberale, constat ex libro Esther (*z*), in quo legimus Aman id officii præstare coactum fuisse Mardochæo. Et hodie pariter lorum illud tenere, dum alter equum scandit, inferioris est in superiorem. Apud Græcos amplecti genua, rogantis est habitus. Apud Hebræos adgeniculationes vel complexiones pedum obtinebant. Fateamur tamen oportet, nullibi occurrere aliàs, sive in fœderibus, sive in jurisjurandi formulis hunc ritum, ponendi manum subter femora alterius.

℣. 3.

(r) שים נא ידך תחת ירכי. LXX. Θὲς τὴν χεῖρά σου ὑπὸ τὸν μηρόν μου. *Pone manum tuam sub femore meo.* Φασὶ τὸν Σύρον, καὶ τὸν Ἑβραῖον, μὴ οὕτως ἔχειν, ἀλλ᾽ εἰς τὸ παιδογόνον ὄργανον. Ἑβραῖος, ἐπὶ τὴν ὀσφύν. *Hebræus, super latus, vel lumbos. Diodor. in Catenâ Græcâ. Vide nov. Edit. Hexapl.* (*s*) *August. q.* 62 *in Genes. & de Civit. l.* 16, *c.* 33, *& alibi. Hieron. l.* 1 *contra Jovin. & Ep. ad Princip. in nov. Edition.* 32. *Ambrof. lib.* 1 *de Abr. c.* 9. *Bonfrer. &c.* (*t*) *Uterque Chaldæus & Judæi apud Hieron. in quæst. Hebr. Vide & Theodoret qu.* 74 *in Genes.* (*u*) *Exod.* XXXII, 27. *Judic.* III, 16. *Ps.* XLIV, 3, *&c. Cant.* III, 8. (*x*) *Vid. Veget. l.* 5. (*y*) *Juvenes quidem ut in equos assilire discant.... Majores autem natu si Persarum more assuefeceris, ut alii alios vicissim in equos imponant. Xenoph. Hipparchic. p.* 336, *&* 338. (*z*) *Esth.* VI, 8. *Vid. &* 3 *Reg.* I, 33.

℣. 3. Ut adjurem te per Dominum, Deum Cœli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito.

℣. 4. Sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac.

℣. 5. Respondit servus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es?

℣. 6. Dixitq; Abraham: Cave nequando reducas filium meum illùc.

℣. 7. Dominus Deus Cœli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra nativitatis meæ, qui locutus est mihi, & juravit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde uxorem filio meo.

℣. 8. Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis juramento: filium meum tantùm ne reducas illuc.

℣. 9. Posuit ergo servus manum sub femore Abraham domini sui, & juravit illi super sermone hoc.

℣. 10. Tulitque decem camelos de grege Domini sui, & abiit; ex omnibus bonis ejus portans secum: profectusque perrexit in Mesopotamiam ad urbem Nachor.

℣. 11. Cùmque camelos fecisset accumbere extra oppidum, juxta puteum aquæ vesperè, tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit:

COMMENTARIUS.

℣. 3. Ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum. Timor Abrahami, ne filius connubia jungeret cum puellis Chananæis inde repetebatur, quòd gens illa diris a Deo devota, justis omnibus esset horrori, damnata exterminio, vel e regione suâ exilio: quare jungere cum illis fœdus perinde habebatur, ac Dei consiliis adversari; genus enim Isaaci benedictum erat destinatumque, ut tandem Chananitidem possideret. Ad hæc, longè adeò latèque obtinebat apud illos corruptio, ut apertissimo discrimini labendi in crimen exponeretur genus Abrahamicum, semel admissis connubii fœderibus inter Isaacum & Chananæos. Nihil profectò alicujus momenti moliebatur Abraham injussu Dei; quare in hac re inconsulto illo egisse quicquam non credimus.

℣. 4. Sed ad terram et cognationem meam proficiscaris, et inde accipias uxorem filio meo Isaac. Virum in domo suâ principem mittit Abraham in Haran Mesopotamiæ, quem locum patriam suam appellat, quòd necessarios ibi haberet versantes, & quòd aliquandiù sedes ibi suas cum parente suo Thare habuerit. Urbs Haran appellatur ℣. 10, Urbs Nachor, quòd vir ille, frater Abrahami, tunc in eâ moraretur; substitit enim ibi digrediente Abrahamo. In eâ Familiâ cognitio veri Dei retinebatur cum exercitio veræ religionis, superstitionibus tamen admixto, uti ad cap. xxxi, 19, notabitur.

℣. 5. Si noluerit mulier venire mecum, ... numquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es? Ex hoc & aliis nonnullis S. Scripturæ locis intelligimus (*a*) quantâ olim religione essent Veteres in jusjurandum; dicta enim sanctè servabuntur adeò, ut ne interpretandi quidem mentem obstringentis jurejurando permissam sibi crederent facultatem.

℣. 7. Ipse mittet Angelum suum. Intelligas hîc vetustissimam Angeli custodis apud Hebræos traditionem.

℣. 10. Ex omnibus bonis ejus portans secum. Hebræus: *Omne bonum Domini sui in manu ejus*. R. Salomon absurdè putat, Eliezerem bona omnia Domini sui in Tabulis descripta secum tulisse. Porrò munera illa e ditissimis quibusque & pretiosissimis domûs Abrahami selecta, dos erant Sponsæ Isaaci destinata, juxta receptum ætatis, & regionis illius morem, quo Sponsus Sponsæ dotem solvebat, uti exemplis Scripturæ & prophanorum Authorum demonstratur. Sunt qui reddant Hebræum (*b*): *Habebat enim sub se posita omnia bona domini sui*; veluti si Moyses causam redderet, cur famulus ille decem camelos secum duxisset.

℣. 11. Cumque camelos fecisset accumbere. Hebræus ad literam habet, fecisse illos procumbere in genu (*c*); nec sanè aliter accumbunt cameli, procumbentes in genua, cùm onerantur, levanturque sarcinis. Statim a tenellis unguiculis assuescunt in eam rem, imposito gravi aliquo onere,

(a) *Josue* ix, 18, & 3 *Reg.* ii, 8. (b) *Apud Vatab.* (c) יברך הגמלים. *Septuag.* ἐκοίμισε. *Accumbere fecit.* *Alius* ἐγονάτισε; *in genu procumbere fecit.*

Digitized by Google

ỳ. 12. Domine, Deus domini mei Abraham, occurre, obſecro, mihi hodie, & fac miſericordiam cum Domino meo Abraham.

ỳ. 13. Ecce ego ſto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam.

ỳ. 14. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam, ut bibam; & illa reſponderit: bibe; quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt, quam præparaſti ſervo tuo Iſaac: & per hoc intelligam quod feceris miſericordiam cum Domino meo.

ỳ. 15. Necdum intra ſe verba compleverat; & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filii Melchæ uxoris Nachor, fratris Abraham, habens hydriam in ſcapulâ ſuâ:

ỳ. 16. Puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro: deſcenderat autem ad fontem, & impleverat hydriam, ac revertebatur.

ỳ. 17. Occurritque ei ſervus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.

ỳ. 18. Quæ reſpondit: Bibe, Domine mi, celeriterque depoſuit hydriam ſuper ulnam ſuam, & dedit ei potum.

COMMENTARIUS.

re, ut ſurgere non poſſint.

Tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam. Reddi poſſet Hebræum: *Ad tempus exeundi hauſtrices*. Munus erat puellarum, quæ plures ſimul extra Urbem ad hauriendas aquas ſive e fonte ſive e communi puteo veniebant. Septem filiæ Jethro (*d*) venerunt ad aquas, ut greges adaquarent; & filiæ Ramathæ ad eam rem egrediebantur, cùm a Saule de Samuele interrogatæ ſunt (*e*). Et Homerus (*f*) ſcribit, tres Uliſſis ſocios offendiſſe ante portas urbis Lamæ puellam, hauſtum euntem aquas. Et alibi (*g*) Minervam pingit ſub puellæ exuviis, ad hauriendas aquas proficiſcentem.

ỳ. 12. Occurre mihi hodie. Hebræus: הקרה: *Fac occurrere*. Proſperum mihi occurſum præſta. LXX: Εὐόδωσον ἐναντίον ἐμοῦ σήμερον: *Proſperum iter præbueris coram me hodie*; præbe mihi itineris mei felicem exitum.

ỳ. 14. Igitur puella, cui ego dixero. Famulus iſte Abrahami quaſi Deum tentaturus loquitur, miraculum exigendo, poſtulans ut in occurſum ſibi mittat deſtinatam Iſaaco uxorem, præſcribenſque veluti ſigna, quibus illam agnoſcat. Sed Patres (*h*) & Interpretes viri factum excuſant, referentes in fidem ejus & firmam in Deum ſpem; peculiari enim Spiritûs Sancti ductu, illas in eo preces formantis, egit. Rei exitus & felix eventus ſatis demonſtrat, Deum probaſſe. Profectò ſi licet unquam a Deo miracula & rarum aliquid poſtulare, in hujuſmodi utique rerum eventibus licet.

Quæ rem urgebat neceſſitas; graviſſimum rei momentum; juriſjurandi, quo obſtrictus erat, religio; præſtitæ antea a Deo in favorem Abrahami & Iſaaci promiſſiones; gloria & honor Dei, qui in proſpero hujus connubii eventu habebatur præ oculis; difficultas, qua vir ille tenebatur, certiorem ſe faciendi de virtute puellæ, quam requirebat ad connubium, hæc ſimul omnia ſatis virum ab omni purgant ſuſpicione, & exemplum inſtituunt rei non temerè ab aliis imitandæ.

Non ſemel in Scripturâ occurrit ſimile precum genus, a Deo exitu felici probatum, ut Gedeonis (*i*) & Jonathæ (*k*), quamquam nemo eorum geſta in exemplum ſibi proponenda ſuſcipiat. Quantâ eſſet vir ille ſapientiâ & religione, ſatis demonſtrant poſtulata ab ipſo ſigna ad agnoſcendam ſponſam Iſaaco deſtinatam; optat enim puellam comem, honeſtis moribus officioſam, quin & in officiis præſtandis alios prævertentem (*l*).

Inclina hydriam tuam. Hebræus: *Inclina Cadum tuum*. כד *Cad*, ſeu *cadus*, non peculiaris Hebræorum menſuræ nomen erat, ſed generatim deſignabat urnam vel hydriam, continendæ aquæ ſeu vino. Cadus Athenienſis capiebat tres urnas, vel amphoram & ſemis Romanam. Sed nihil ad rem præſentem.

ỳ. 15. Necdum intra se verba compleverat. Illud *Intra ſe*, additum in Vulgatâ & apud Septuaginta, deeſt in Hebræo; ſed cùm in Textu dicitur, *Necdum verba compleverat*, de ſecreto quodam intra ſe concepto ſermone exponendum eſt.

ỳ. 18. Super ulnam. Hebræus: *Super manum*; Septuaginta: *Super brachium*.

ỳ. 21.

(d) *Exod.* II, 16. (e) I *Reg.* IX, 11. (f) *Homer. Odyſſ.* K.
Κουράτι ξυμβήντο πρὸ ἄστεος ὑδρευούσῃ.
(g) *Odyſſ.* H. Παρθενικῃ εἰκυῖα νεάνιδι κάλπιν ἐχούσῃ.
(h) *Chryſoſtom. Homil.* 48 *in Geneſ. Theodor. qu.* 74. (i) *Judic.* VI, 36. (k) I *Reg.* XIV, 9.
(l) *Theodor. quæſt.* 74.

℣. 19. Cùmque ille bibisset, adjecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.

℣. 20. Effundensque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, ut hauriret aquam: & haustam omnibus camelis dedit.

℣. 21. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens, utrùm prosperum iter suum fecisset Dominus, an non.

℣. 22. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem.

℣. 23. Dixitque ad eam: Cujus es filia? indica mihi: est in domo patris tui locus ad manendum?

℣. 24. Quæ respondit: Filia sum Bathuelis, filii Melchæ, quem peperit ipsi Nachor.

COMMENTARIUS.

℣. 21. CONTEMPLABATUR EAM TACITUS. Septuag. *Contemplabatur & tacebat ad cognoscendum*. Hebræus: האיש משתאה לה מחריש : *Vir stupescens ad eam, tacens*.

℣. 22. PROTULIT VIR INAURES. Hebræum נזם, *nesem*, quod Septuaginta & Vulgata reddiderunt ἐνώτια, *inaures*, est etiam interdum ornamentum narium & frontis. Symmachus, Ἐπιῤῥίνιον, *Epirrhinion*, quod narium ornamenti genus est. Author Vulgatæ non ignorabat profectò vim nominis *nesem*, cùm ℣. 47 verterit: *Suspendi inaures ad ornandam faciem ejus*; verùm cùm S. Hieronymus propriâ voce careret ad designandum ornamentum illud, substituit inaures, quo generali nomine significantur similis generis ornamenta quæcumque frontis, aurium, narium.

Observat ille in cap. XVI Ezechielis, ætate suâ Palæstinas fœminas ornamenta quædam adhibuisse e fronte in nasum pendentia, quæ ipsissima credit *nesem*. Constat utique ex variis, in quibus occurrit, locis exprimere ornamenta sive aurium sive narium; sed postremum hoc facilius (*m*). Fœminæ in Perside hodie pariter ornantur vittâ quadam gemmatâ, inter supercilia pendente, & murenulâ ex uninnibus infra aures, & per collum sub mento (*n*).

Non obscurè Ezechiel varia hæc ornamentorum genera distinguit cap. XVI, 12: *Dedi inaurem super os tuum* (Hebr. *super nasum*) *& circulos auribus tuis*. Et Salomon morem hunc spectans in Proverbiis XI, 22, ait, stultam elegantemque fœminam perinde esse veluti circulum aureum in rictu suis. Legas etiam in Cantico Canticorum ornamenta, quibus fœminæ decorabant genas (*o*). Itaque agnoscamus oportet in Scripturâ tria vel quatuor appensarum gemmarum genera in cultum muliebrem, ad nasum, ad frontem, ad aures, & genarum ornamenta, quæ totam faciem protegebant.

Latè hæc per totum fermè Orientem olim & hodie usque obtinent. Asserunt Itinerantes (*p*), Syriacas puellas sericæ quodam vittæ genere ambire frontem, unde pendent aureæ argenteæque monetæ plures. Idem spectari apud Indos, docet Grotius; & in Musæis, uti in Parisiensi S. Genovesæ, pictæ quædam Indicæ mulieres exhibentur, pendentibus gemmis ad frontem ornatæ. Annulos ad alteram narium addunt fœminæ Arabum & Persarum (*q*); ac teste Strabone l. 17, fœminæ plures in Æthiopiâ perforatis labiis æneum annulum inserebant. Nasi summitatem perforant in Syriâ mulieres, qua Turcarum, qua Christianorum, æneis pariter annulis inserendis. D. Thevenot in suis Itineribus Orientalibus l. 11, c. 11, observavit in Perside & in Oriente ubique fœminas acu trajectas nasum, ut nares ornent parvo quodam annulo aureo vel argenteo. Septum medium narium ob eam rem transfodere mulieres in Arabiâ, asserit Tavernier (*r*). Ex his annulis aliqui ad mensuram palmæ manûs patent, ut per medios illos cibus ad os deferatur. In Perside Regis concubinæ omnes naribus insertum habent annulum aureum, strictumque in eo unionem seu gemmam. Apulejus *in Metamorphosi, l. ultimo*, meminit cujusdam ornamenti, in fronte Dianæ, tamquam speculi coruscantis. Ad ornamenta aurium quod attinet, eorum usus frustra demonstraretur; latè enim in eâ regione apud viros & fœminas obtinet.

INAURES APPENDENTES SICLOS DUOS. Singulæ siclum pondere æquabant. Hebræus. *Pondere unius* בקע *beka*; est autem *beka*, teste S. Hieronymo *in qq. Hebraicis*, dimidium sicli, ut proinde suspicioni detur locus vertisse illum: *Hemisiclos duos*, pro *siclos duos*. Chaldæus & Septuaginta: *Singularum drachmarum ponderis*: quod cum Hebræo congruit; siclus enim pondere erat duarum drachmarum.

ARMILLAS PONDO SICLORUM DECEM. Hebræus: *Decem aurei* (nummi) *pondus earum*: Subintellige *sicli*, quod vulgare erat pondus. Aureus Siclus pondere æquabat argenteum; valebat autem 23 libris, 34 solidis, 10 denariis.

(m) Narium, *Vide Genes.* XXIV, 27. *Prov.* XI, 22. *Isai.* III, 21. *Ezech.* XVI, 12. Aurium, *Genes.* XXXV, 4. *Exod.* XXXII, 2, 3. Arabibus Scenitis vulgaria erant. *Job* XLII, 11. *Judic.* VIII, 24. (n) Chardin, Voyage de Perse, *t.* 2, *p.* 53. (o) *Cant.* 1, 9. juxta Hebræum: *Decora sunt maxilla tua in murenulis, collum tuum in torquibus*. (p) Jean Cotovic, Voyage de Jérusalem, chapitre 14, &c. (q) Chardin, Voyage de Perse, *t.* 3, *l.* 91. (r) Tavernier, Voyage de Perse, *l.* 3, *c.* 18.

℣. 25. Et addidit, dicens: Palearum quoque, & fœni plurimum eſt apud nos, & locus ſpatioſus ad manendum.

℣. 26. Inclinavit ſe homo, & adoravit Dominum,

℣. 27. Dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abſtulit miſericordiam & veritatem ſuam a domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei.

℣. 28. Cucurrit itaque puella, & nuntiavit in domum matris ſuæ omnia quæ audierat.

℣. 29. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui feſtinus egreſſus eſt ad hominem, ubi erat fons.

℣. 30. Cùmque vidiſſet inaures & armillas in manibus ſororis ſuæ, & audiſſet cuncta verba referentis: Hæc locutus eſt mihi homo: vênit ad virum, qui ſtabat juxta camelos, & prope fontem aquæ:

℣. 31. Dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini: cur foris ſtas? præparavi domum, & locum camelis.

℣. 32. Et introduxit eum in hoſpitium: ac deſtravit camelos, deditque paleas & fœnum, & aquam ad lavandos pedes ejus, & virorum qui venerant cum eo.

COMMENTARIUS.

℣. 25. PALEARUM ET FOENI PLURIMUM. Septuaginta: Ἄχυρα, καὶ χορτάσματα πολλά: *Palea & pabula multa*. Hebræum תבן, *Teben*, eſt utique palea; & מספוא, *Miſpho*, fœnum. Vide *Deut.* XI, 15. Plerumque in itineribus palea & fœnum deferebantur in ſaccis, ad jumentorum commeatus; ſed palea erat trita ſub animalium pedibus. Vide *Geneſ.* XLII, 27. *Judic.* XIX, 18. In Hiſpaniâ, ubi prata deſunt, alendis equis ſufficitur palea comminuta, ſive contrita. In Oriente rariſſima ſunt prata: nec deſunt Itinerantes (*f*), qui affirment, nullum ibi colligi fœnum, niſi quod ſeminatur in agris; paleâ & hordeo ejus defectum ſupplentibus.

℣. 26. INCLINAVIT SE HOMO. Chaldæus & Syriacus: *Genuflexit*. Junius & Tremellius: *Inclinavit caput*. Infra ℣. 48, Hebræum וישתחוה, *Iſſachaveh*, *adoravit*, veluti ſynonimum ponitur cum יקד, *Jikkod*, *inclinavit ſe*. Herodotus lib. 1, cap. 134, & Strabo l. 15, notant, ex vario ſalutandi ritu diſtingui apud Perſas varias hominum, qui fortè occurrunt, conditiones. Cum æqualibus amplexus adhibent & oſcula; ſi alter alterum ſuperat, res agitur oſculis; ſi verò unus alium longiſſimè excedit, qui inferior eſt, ad terram uſque proſternitur.

℣. 27. BENEDICTUS DOMINUS ... QUI NON ABSTULIT MISERICORDIAM ET VERITATEM SUAM A DOMINO MEO. Miſericordia eſt hîc Dei bonitas, gratiæ ſuæ largitate præveniens, ac promiſſionibus ſuis homines recreans: veritas eſt in implendis promiſſionibus fides. Recurrunt frequentiſſimè in eum ſenſum in Libris Pſalmorum. Pro *juſtitiâ* δικαιοσύνη, quæ vox eſt apud Septuaginta, hîc legit Theodoretus διαθήκην, *teſtamentum*. Obſervatum eſt aliàs a nobis, Interpretes illos plerumque reddere *juſtitiam* Hebræam vocem, quam Vulgata & cæteri Interpretes vertunt *miſericordiam*. Iidem pariter Interpretes in Editione Complutenſi ita legunt in ſecundâ perſonâ: *Non abſtuliſti juſtitiam & veritatem a famulo tuo*. Tirinus exponit illud *juſtitiam & veritatem*, *verum beneficium*: Benedictus ſit Dominus, qui ſolidum & verum beneficium ac gaudium peperit Domino meo. Putavit pariter Fagius, juſtitiam & miſericordiam facere, perinde eſſe ac verum officium præſtare. Vide etiam infra ℣. 49, & XLVII, 29.

℣. 28. CUCURRIT PUELLA, ET NUNTIAVIT OMNIA IN DOMUM MATRIS SUÆ. Hodie pariter in Oriente fœminæ diſcreta habent a viris conclavia, quò externis aditus penitus interdictus eſt.

℣. 29. HABEBAT REBECCA FRATREM, NOMINE LABAN. Non ſatis conſtat e lectione hujus capitis, an Bathuel pater Rebeccæ in vivis adhuc ageret. Nunquam enim in re hac gerendâ, quamquam alioqui partes ejus primæ futuræ erant, ille apparet: ſemper ad Labanum ſermo dirigitur, tamquam ad patremfamiliâs; quare Joſephus *Antiquit.* l. 1, c. 24, affirmat, Bathuelem diem clauſiſſe, & Labanum tutoris loco ſucceſſiſſe. Exprimit quidem Scriptura ℣. 50, nomen Bathuelis unà cum Labano, cùm ſcilicet Rebecca Eliezeri conceditur, tacitè inſinuans, Bathuelem illum ipſiſſimum eſſe Patrem Rebeccæ, de quo ipſa dixerat. Sed hæc quamquam ſpeciem veri plurimam referant, repugnare tamen videntur univerſo hujus hiſtoriæ contextui; ſemper enim Bathuel & Laban exhibentur veluti puellæ fratres; e. g. ℣. 55 legimus, fratres & matrem puellæ reſpondiſſe Eliezeri, optare ſe ut Rebecca moraretur ſaltem decem dies; & ℣. 60, Fratres Rebeccæ proſpera illi omnia imprecantur; de patre ne verbum quidem. Porrò e fratribus Rebeccæ nemo alius innoteſcit, quàm Bathuel & Laban.

℣. 32. INTRODUXIT EUM IN HOSPITIUM ...., ET DEDIT AQUAM AD LAVANDOS PEDES EJUS. Lotos

(f) M. Spon, Voyage d' Aſie.

℣. 33. Et appositus est in conspectu ejus panis; Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei: Loquere.

℣. 34. At ille, Servus, inquit, Abraham sum.

℣. 35. Et Dominus benedixit domino meo valdè, magnificatusque est: & dedit ei oves & boves, argentum & aurum, servos & ancillas, camelos & asinos.

℣. 36. Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute suâ; deditque illi omnia quæ habuerat.

℣. 37. Et adjuravit me dominus meus, dicens: Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito.

℣. 38. Sed ad domum patris mei perges, & de cognatione meâ accipies uxorem filio meo.

℣. 39. Ego verò respondi domino meo: Quid si noluerit venire mecum mulier?

℣. 40. Dominus, ait, in cujus conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum, & diriget viam tuam: accipiesque uxorem filio meo de cognatione meâ, & de domo patris mei.

℣. 41. Innocens eris a maledictione meâ, cum veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi.

℣. 42. Vêni ergo hodie ad fontem aquæ, & dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo;

℣. 43. Ecce sto juxta fontem aquæ, & virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam, audierit a me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydriâ tuâ:

℣. 44. Et dixerit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis hauriam: ipsa est mulier, quam præparavit Dominus filio domini mei.

℣. 45. Dumque hæc tacitus mecum volverem, apparuit Rebecca veniens cum hydriâ, quam portabat in scapulâ: descenditque ad fontem & hausit aquam. Et ajo ad eam: Da mihi paululum bibere.

℣. 46. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum. Bibi, & adaquavit camelos.

COMMENTARIUS.

tos etiam fuisse camelorum pedes, legebatur olim in Vulgatâ. Quod pariter legerunt Glossa ordinaria, Tostatus, Eugubinus, Cajetanus, Lipomanus, Emmanuel Sa, & Editio Roberti Stephani: sed in optimis Editionibus Latinis lectio illa reformata est. Pro *hospitio* in Hebræo est: ויבא האיש הביתה: *Et venit vir ad domum.*

℣. 33. Non comedam, donec loquar sermones meos. Heroicorum temporum mos erat (*t*), ut hospites nec qui essent, nec unde venirent, nisi post cibum aperirent; quin & ea res dilata interdum ad tres, quatuor, & decem dies: sed Eliezer profitetur, non antea se gustaturum cibos, quàm post impetratum consensum, prosperumque itineris sui eventum eotum promissione firmatum.

℣. 36. Dedit illi omnia, quæ habuerat. Hæredem ex asse declaravit. Legimus cap. xxv, 6, Abraham, dum viveret, muneribus donasse filios cæterarum conjugum; statuisse verò Isaacum hæredem ex asse eorum omnium, quæ post obitum remanerent. Cæteros alios filios exclusit a successione, juxta leges & mores ejus ætatis, quæ secundariis filiis jus omne in successionem paternam interdicebant, nisi assensu matrisfamiliâs.

℣. 41. Innocens eris a maledictione mea. Hebræus: *A meo juramento*. Præstito mihi jurejurando non obstringêris. Vide ℣. 8.

℣. 44. Septuaginta addunt ad finem hujus versiculi: *Et in hoc cognoscam, quia fecisti misericordiam Domino meo Abraham.*

℣. 49.

(t) *Vid. Odyss. A. Odyss. Γ. & Δ. & passim.*

℣. 47. Interrogavique eam & dixi: Cujus es filia? Quæ respondit: Filia Bathuelis sum, filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus, & armillas posui in manibus ejus.

℣. 48. Pronusque adoravi Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio ejus.

℣. 49. Quamobrem si facitis misericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi: sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, ut vadam ad dexteram, sive ad sinistram.

℣. 50. Responderuntque Laban & Bathuël: A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum.

℣. 51. En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Dominus.

℣. 52. Quod cùm audisset puer Abraham, procidens adoravit in terram Dominum.

℣. 53. Prolatisque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere: fratribus quoque ejus & matri dona obtulit.

℣. 54. Inito convivio, vescentes pariter & bibentes manserunt ibi. Surgens autem manè, locutus est puer: Dimitte me, ut vadam ad Dominum meum.

℣. 55. Responderuntque fratres ejus & mater: Maneat puella saltem decem dies apud nos, & posteà proficiscetur.

℣. 56. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam: dimittite me ut pergam ad dominum meum.

COMMENTARIUS.

℣. 49. UT VADAM AD DEXTERAM, SIVE AD SINISTRAM. Proverbialis est formula, referens: Ut ego alia ineam consilia, & aliò me vertam. Lyranus tamen & Grotius ita explicant, veluti si diceret: Si vos non concesseritis mihi puellam, prodite mihi mentem vestram, ut ego sive ad dexteram iter prosequens, ad filios Ismaëlis, sive ad sinistram flectens, ad filios Loth me convertam. Vide cap. XIII, 9. Tendere etiam poterat ad alios filios Nachor in Mesopotamiam: sed obvia est magis & naturalis prior illa interpretatio; non enim liberam illi permiserat Abraham facultatem, ut uxorem filio quæreret sive apud Ismaëlitas, sive apud filios Loth, admisso etiam quòd apud eos filiæ essent nubiles; Ammon enim & Moab nonnisi circa ætatem nati Isaaci in lucem prodière.

℣. 51. EN REBECCA CORAM TE EST. Verba sunt Labani & Bathuelis fratrum, juxta plures Interpretes: vel Bathuelis patris & Labani fratris, juxta S. Chrysostomum (u). Vide ℣. 29. *Rebecca coram te est*. Nos tibi, seu potiùs Domino tuo Isaaco (x) illam concedimus.

℣. 53. PROLATIS VASIS ---- DEDIT EA REBECCÆ PRO MUNERE. Vasorum nomen de cultu muliebri cæterisque muneribus ab Eliezere Rebeccæ collatis usurpatur. Data sunt hæc in dotem puellæ, juxta morem regionis; vel in arrhas & pignora futuri connubii.

℣. 54. INITO CONVIVIO, VESCENTES PARITER &c. Hebræus: *Comederunt & biberunt, ipse, & viri qui cum eo, & pernoctaverunt*. Meritò in Vulgatâ additum est *pariter*; nam Textus ad literam exprimere videtur Eliezerum tantùm, & qui cum eo venerant, de convivio participasse; quod est contra omnem veri speciem.

℣. 55. MANEAT PUELLA SALTEM DECEM DIES APUD NOS. Hebræus ad literam: *Maneat dies aut decadem*. Septuaginta: *Ad decem dies*, ἡμέρας ὡσεὶ δέκα. Onkelos: *Aliquo tempore, aut decem mensibus*. Jonathan filius Uzielis: *Annum vel decem menses*. Desponsis puellis ante nuptias concedebatur vel annus, vel decem menses, ut se connubio præpararent, inquiunt Rabbini (y). Textus Samaritanus pro decem habet mensem, mendo facilè vel correctione amanuensis.

Usur-

(u) *Chrysost. Homil.* 48 *in Genes.* (x) *Genes.* XXIII, 9. *Terra coram te est. Genes.* XX, 15. *Terra coram vobis est. Cant.* VIII, 10. *Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. Et* VIII, 12: *Vinea mea coram me est. Eccli.* XXXIX, 24: *Opera universa carnis coram eo.* (y) *RR. Apud Selden. de jure natur. & Gent. lib.* V, *c.* 5.

℣. 57. Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem.

℣. 58. Cùmque vocata veniſſet, ſciſcitati ſunt: Vis ire cum homine iſto? Quæ ait: Vadam.

℣. 59. Dimiſerunt ergo eam & nutricem illius, ſervumque Abraham, & comites ejus;

℣. 60. Imprecantes proſpera ſorori ſuæ, atque dicentes: Soror noſtra es, creſcas in mille millia: & poſſideat ſemen tuum portas inimicorum ſuorum.

℣. 61. Igitur Rebecca, & puellæ illius, aſcenſis camelis, ſecutæ ſunt virum: qui feſtinus revertebatur ad dominum ſuum.

℣. 62. Eo autem tempore deambulabat Iſaac per viam, quæ ducit ad puteum, cujus nomen eſt, Viventis, & Videntis: habitabat enim in terrâ auſtrali,

℣. 63. Et egreſſus fuerat ad meditandum in agro, inclinatâ jam die: cùmque elevaſſet oculos, vidit camelos venientes procul.

℣. 64. Rebecca quoque, conſpecto Iſaac, deſcendit de camelo.

COMMENTARIUS.

Uſurpatur interdum in Scripturâ nomen diei pro anno, ut Levit. xxv, 29, & Amos iv, 4; ſicut etiam apud Prophanos ponuntur dies interdum pro anno. Vix tamen credimus, hìc dies annum exprimere, & decadem decem menſes. Quî veriſimile eſt dilationem rogari decem menſium vel anni ex homine, qui manè alterius diei regredi ſtatuerat? Quibus autem conjecturis fulcitur mos ille, quem aſſerunt, Veterum Hebræorum, differendi ſcilicet decem menſibus vel anno nuptias poſt oppignerationes? Multò veriſimiliùs creditur, nomen *dies* valere hebdomadam, & *decadem* dies decem; veluti ſi diceretur: Concede illi octo vel decem dies. Aſſignatum nuptiis plerumque hebdomadæ tempus erat, ut alibi demonſtrabitur (z); & vetuſtiſſima atque omnium prima eſt in ſeptimanas dierum diviſio; quantum autem intelligimus, numerus decem hìc maximus eſt eorum, qui Eliezeri proponebantur.

℣. 57. Quæramus ipsius voluntatem. Hebræus ad literam: *Interrogemus os ejus*. Nec Rebecca nec aliæ domeſticæ fœminæ convivio aderant; veſcebantur enim in aſſignato ſibi conclavi pro more Orientalium. Accita ergo interrogatur, num ſtatim itineri aſſentiator, non verò an ducere velit Iſaacum; antea enim aſſenſum ſuum in eam rem dederat.

℣. 59. Nutricem illius. Septuaginta (a): *Et ſubſtantiam ejus*. Vox originalis id exprimere poteſt, ſi paulò aliter legatur quàm eſt in Originali, מקנה, *Miknathah*, *bona*, pro מניקתה, *Meniktbah*, *nutrix*. Nutrix Rebeccæ appellabatur *Debora* (b); cui additæ ſunt aliæ puellæ, in famulatum novæ nuptæ.

℣. 60. Portas inimicorum suorum. Cenſent plerique, portarum nomine exprimi hìc urbes (c). Ita Septuaginta, Chaldæus & Arabs. Syriacus tamen maluit regiones vel terras, nec immeritò exponeretur de ædibus. Poſtremum hunc ſenſum tribuunt nonnulli dicto illo Homeri de centum portis Thebarum. *Thebæ, ut Homero dictum eſt, centum portas, ſive ut alii ajunt, centum aulas habent, totidem olim principum domus*, ait Mela l. 1. Fratres Rebeccæ votis ſuis precantur, ut poſteritas ejus, ſemper opibus potentior quàm hoſtes, ultionem ſuam in illos exerat.

℣. 62. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam, quæ ducit ad puteum, cujus nomen est viventis et videntis. Hebræus tantùm (d): *Iſaac pervenerat ad puteum Lachai-roi*, i. e. ad puteum, juxta quem Agar viſionem intuita eſt, de qua cap. xvi, 13; cujus occaſione dixit: *Vidi poſteriora videntis me*; puteus autem iſte non longè aberat a Berſabee. Iſaac, quo temporis ſpatio aberat Eliezer, gregem ſuum facilè circa ea loca deduxerat. Berſabee venerat, cùm Eliezer Rebeccam ad illum duxit. Septuaginta (e): *Iſaac perambulabat per deſertum, juxta puteum viſionis; & ipſe habitabat in terrâ quæ ad Africum*. Samaritanus aliter (f): *Iſaac ibat ad deſertum Beer-lachai roi*, ideſt *putei viventis & videntis*.

℣. 63. Egressus ad meditandum. Chaldæus, quem interpretum plurimi ſequuntur, ait, e tentorio egreſſum illum in agrum, quò liberiùs cæleſtium contemplationi & precibus vacaret. Septuaginta: Ἐξῆλθεν ἀδολεσχῆσαι, *Egreſſus eſt exerceri, contemplari, animum recreare*. Qua illi utuntur, eadem vox apud Prophanos uſurpatur pro *loqui*, ludere, & inanibus ſermocinationibus tempus terere. Seriâ magis ſignificatione apud Septuaginta perinde valet, ac piis meditationibus atque ſermocinationibus linguam & cor exercere. Aquila vertit; *Egreſſus fuerat* ὁμιλῆσαι, *ad colloquendum*. Symmachus: λαλῆσαι, *ad loquendum*.

Abe-

(z) *Geneſ.* xxix. *Judic.* xiv. (a) *Septuaginta* τὰ ὑπάρχοντα αὐτῆς. *Aq.* τὴν τιτθὴν αὐτῆς. *Sym.* τὴν τροφὸν αὐτῆς. (b) *Geneſ.* xxxv, 8. (c) *Vide cap.* xxii, 17.
(d) ויצחק בא מבוא באר לחי ראי (e) ὁ Ἰσαὰκ διεπορεύετο διὰ τῆς ἐρήμου κατὰ τὸ φρέαρ τῆς ὁράσεως. (f) כא *pro* בא מבוא

℣. 65. Et ait ad puerum: Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est Dominus meus. At illa tollens citò pallium, operuit se.

℣. 66. Servus autem cuncta, quæ gesserat, narravit Isaac.

℣. 67. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam uxorem: & in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.

COMMENTARIUS.

Abenezra: *Egressus fuerat e fruticibus*, in agrum (*). Textus Hebræus, qualis in nostris Bibliis legitur, hanc significationem respuit, congruit Vulgatæ.

℣. 65. TOLLENS CITO PALLIUM, OPERUIT SE. Hebræum צעיף, *Zaiph*, reddunt Septuaginta, Θέριστρον, *theristron*, quod ad literam est velum contra solem, cujus erat in æstate usus. Censet S. Hieronymus (g), genus fuisse pallii, fœminis in Arabiâ familiaris, quo caput & corpus totum protegebatur. In Oriente fœminæ nunquam prodeunt, nisi eo velaminis genere tectæ; vultum velamine habent opertum, nec nisi ad oculos perforato, fœminæ hodie pariter in Arabiâ (h). De illis Tertullianus (i): *Judicabunt vos Arabiæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, sed faciem quoque ita tegunt, ut uno oculo liberato, contentæ sint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem prostituere.* Nunquam prodire fœminas, nisi totâ facie velatas, jubet Mahometus (k). Ad oculos tamen velum illud hiscit (l); & ita hiscit, ut textura quædam ex equino crine videre permittat, videri prohibeat. Penelope apud Homerum (m) nunquam prodiit, nisi velata.

℣. 67. IN TANTUM DILEXIT EAM, UT DOLOREM, QUI EX MORTE MATRIS EJUS ACCIDERAT, TEMPERARET. Hebræus: *Amavit eam, & consolatus est se post matrem suam.* Triennio ante Sara dies clauserat. Rebecca, quam Abraham despondit Isaaco filio suo, emblema est Gentium, quas Dei filius formandam Ecclesiam suam selégit. Isaac ad Rebeccam per se non adiit, sicut nec Jesus Gentibus prædicavit: misit servos suos, & Apostolos omnibus bonis suis divites, doctrinâ suâ institutos, animatos spiritu, authoritate pollentes.

CAPUT XXV.

Abraham Cethuram ducit: ex quo connubio nati filii recensentur. Posteritas Ismaëlis & obitus. Oriuntur Jacob, & Esau; qui posterior jura majoris natu vendit Jacobo.

℣. 1. ABraham verò aliam duxit uxorem, nomine Cethuram.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ABRAHAM VERO ALIAM DUXIT UXOREM, NOMINE CETHURAM. Unde esset Cethura, incertum. Paraphrastæ Chaldæi & Rabbini ipsissimam credunt Agarem, post obitum Saræ revocatam. Sed luculenter utramque distinguit Scriptura. Alii Chananæam fœminam putant. Mirum est utique, Abraham CXL annorum ætate grandævum de connubio, maximè cum fœminâ Chananæâ cogitasse, cùm potissimùm vereri se significasset, ne Isaac ejusdem generis fœminas sibi adsisceret in conjuges. Profectò si superioris vitæ acta omnia ab omni incontinentiæ suspicione virum non absolverent (a), in animum utique possemus inducere, humani aliquid admisisse illum in eo connubio ineundo. Sed de illo nihil sinistri suspicari licet. Si tertiam fœminam in thorum adscivit, id utique factum est eo consilio (b), ut liberos susciperet, quibus incrementum veræ religionis juvaret, Deique promissiones de florenti sibi posteritate factas, quantum ex se, exequeretur.

Arduum est etiam aliquid circa Abrahami ætatem; mirari enim subit, quomodo ab ætate CXL annorum usque ad CLXXV, cùm scilicet diem clausit,

(*) יצחק לשוח בשדה. *Legisse videtur* שיח, *pro* השיח

(g) *In cap. 3 Isai. & in Quæst. Heb.* (h) Thevenot Voyag. lib. 1 c. 32, part. 2. (i) *Lib. de Velandis Virg. c. 11, 17.* (k) *Alcoran. Azoar. 34.* (l) *Bellon. lib. 2, c. 35, Observat.* (m) *Odyss.* Σ. Α'ντα παρειάων σχομένη λιπαρὰ κρήδεμνα. (a) *Aug. Absit ut incontinentiam suspicemur, præsertim in illâ jam ætate & in illâ fidei sanctitate. lib. 16 de civit. c. 34. Vid. & Orig. Hom. 11 in Genes.* (b) *Vid. Aug. quæst. 70 in Genes.*

Google

℣. 2. Quæ peperit ei Zamran, & Jecsan, & Madan, & Madian, & Jesboc, & Sue.

℣. 3. Jecsan quoque genuit Saba, & Dadan. Filii Dadan fuerunt Assurim, & Lathusim, & Loomim.

COMMENTARIUS.

clausit, tot filiis gignendis par esse valuerit. Reponit S. Augustinus (*c*), divino prodigio fieri potuisse, ut in sene grandævo fœcunditas non minueretur; vel fortè Moysem hìc retulisse extra suum locum connubium Abrahami cum Cethurâ, quod tamen diu antea initum fuerat. Non ineptè enim Hebræus redderetur: Abraham duxerat aliam fœminam. Promovet hanc interpretationem, quod legitur in II Paralipomenon 1, 32, ubi Cethura concubina, פלגש, Abrahami appellatur; infra verò ita sermo est de concubinis Abrahami in plurali, veluti si Agar & Cethura ad unum eumdemque Abrahamum eodem simul tempore pertinerent; vel potiùs veluti si Cethura, post depulsam Agarem, iisdem conditionibus adscita esset in thorum, superstite Sarâ.

℣. 2. Quæ peperit ei Zamran. Josephus *Antiq. l. 1, c. 15*, & post illum S. Hieronymus in qq. Hebr. censent, filios Cethuræ occupasse *Troglodyticam regionem & Arabiæ felicis quidquid ad mare rubrum pertinet*. Vestigia nominis quædam deprehendas apud veteres Geographos: ita est apud Stephanum *Zadrame, Regia Cyaadocolpitarum, gens est Arabiæ felicis*; & apud Ptolemæum urbs Zabram ad Erythræum.

Ex filiis tamen Cethuræ plerique sedes habuerunt in Arabiâ desertâ; nec alii creduntur a posteris Zamram, filii Cethuræ, *Reges* illi *Zambri*, de quibus Jeremias xxv, 25. Ad Arabiam desertam constituit Plinius l. 6, c. 28, *Zamarenos*, posteros, uti credimus, Zamram. Urbs Zaram inter cæteras recensetur a Josepho, *Antiq. l. 13, c. 23*, quas Macchabæi a Moabitis abstulerunt.

Jecsan. Bochartus (*d*) summo nisu demonstrare conatus est, Jectan vel *Kachtan*, קחטאן, patrem esse Arabum; idque probat Arabum quorumdam Scriptorum testimonio, uti Josephi Benabdillatif, Mahammedis, filii Jacob Sirazitæ, & Paraphrasis Arabicæ, quæ pro Jectan habet Kachtan: tuetur autem, apud Scriptores illos sermonem esse de Jectan filio Heber, & non de Jecsan filio Cethuræ. Nobis verò contraria probantur, nempe sermonem esse de postremo hoc Jecsan, de quo primus ille, quem laudat, Author habuit sermonem; alter verò allucinatus est, cùm dictum explicat de Jectan filio Heber. Non obscurè Moyses demonstravit utriusque Jectan sedes & regiones. Filius Heber regiones tenuit inter montem Mesa & Sephar ad Orientem (*e*); quod sanè cum Arabiâ felici non congruit. Alter Jectan, vel Jecsan, sedes habuit ad Orientem Chanaanitidis & Bersabee, ubi versabatur Abraham, ut exprimitur hìc ℣. 6. Sed optimum in nostram sententiam argumentum indè petitur, si vestigia nominum filiorum Cethuræ in Arabiâ Petræâ & desertâ indicemus. Quò autem exordiamur a Jecsan, authore florentissimæ Tribûs, tenuisse illum credimus Arabiam desertam, nomenque reliquisse Catanæis, ejus regionis gentibus.

Madan et Madian portionem illam Arabiæ Petrææ facilè tenuerunt, quæ cum regione Moabitarum ad Orientem maris mortui continuatur. Ita pariter opinatus S. Hieronymus in locis Hebraicis, asserit regionem illam appellari Madianitidem, & populos Madianæos; Metropolim verò, ætate illâ eversam, habuisse juxta Urbem Ar vel Areopolim ad Ammonem. Madianitas ibidem collocat Ptolemæus.

Porrò regio ista Madian plurimum differt ab aliâ provinciâ cognomine, in litore Orientali Erythræi, frequentatam facilè a posteris Chus, cùm Sephora Moysis uxor, originem ex eâ referens appelletur Chusitis (*f*). In eam regionem Madian declinavit Moyses, Pharaonis furorem eviraturus *(g)*.

Jesboc. Torrens Jaboc, originem ducens e montibus Galaad, & defluens in mare Tiberiadis, nomen facilè suum debet Jesboc filio Abrahami: fluit autem ad Orientem Chananitidis, regioni Madianitarum proximæ.

Sue, שוח, *Saah*. Saccæi populi sunt propè Batanæam, ad extrema Arabiæ desertæ, Syriam versùs. Consignat Adrichomius in eâ regione, satis proximè ad Jordanem, urbem *Sachtam*. In tabulis Ptolemæi est Urbs *Soaca*, in regione Darræorum, ad Madianitidem. E posteris Sue erat Baldad Suhites inter amicos Job [*h*]. Suellini populi sunt apud Plinium l. 6, c. 28, ejusdem regionis.

℣. 3. Saba. Plures ejusdem nominis *Saba* Viri in Sacrâ Scripturâ occurrunt. De quo tamen hìc sermo, huic sedes fuisse proximas Nabathæis & Syris, credimus; primosque ejusdem nominis populos esse, qui ex Arabiâ felici occurrant. Censet Bochartus, nec immeritò, posterorum hujus Saba manus quasdam greges Jobi diripuisse, quos sanè proximas terræ Hus sedes habuisse necesse est.

Dadan. Apud Isaiam xxi, 13, & Jeremiam xxv, 23, sermo est de Urbe *Dedan* in Idumæâ, & de *Dodanim*, incolis ejusdem. Negociatores *Dedan* ad emporium Tyri deducit Ezechiel (*i*). Porrò apud hunc Prophetam sermonem esse de Dedan filio Regma, censet Bochartus; qui eumdem statuit ad sinum Persicum. Vide quæ super hoc Dedan disseruimus ad Genes. x, 7. Eodem prorsus jure explicaretur de Dedan filio Jecsan *Badanatha* urbs Arabiæ desertæ, legitur apud Plinium.

Assurim, et Lathusim et Loomim. Onkelos vertit: *Filii Dedan fuerunt in castris, & in tabernaculis, & in insulis*. Et Jonathan: *Fuerunt mercatores, & Secaita, & capita populorum*. Asserit S. Hieronymus in qq. Hebr. verti a nonnullis *Assurim*, negociatores; *Lathusim*, opifices ferri & æris; *Loomim*, principes multarum Tribuum. Addit autem, maluisse alios ex Assurim accersere Syros. Infra ℣. 18, occurrunt Assyrii, *Assurim*, ad Euphratem, qui sanè distingui videntur a posteris

(c) *Lib. 3 contra Julian. Quamvis tamen diei possit; munus fœcunditatis concessum a Deo, in eo perseverasse, &c.* (d) *Bochart. Phaleg, lib. 1, c. 15.* (e) *Genes. x, 30.* (f) *Num. xii, 1.* (g) *Exod. ii, 15.* (h) *Job ii, 11.* (i) *Ezech. xxii, 13; & xxvii, 15.*

℣. 4. At verò ex Madian ortus est Epha, & Opher, & Henoch, & Abida, & Eldaa: omnes hi filii Cethuræ.

℣. 5. Deditque Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac.

℣. 6. Filiis autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad plagam orientalem.

℣. 7. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni.

℣. 8. Et deficiens mortuus est in senectute bonâ, provectæque ætatis, & plenus dierum: congregatusque est ad populum suum.

COMMENTARIUS.

steris Assur filii Sem, *Genesis* X, 22. Non inviti credimus, Loomim ipsissimos esse Omanos apud Plinium, quorum regio a Petræâ adusque Characem porrigebatur. Petra Metropolis erat Arabiæ Petrææ: Charax urbs ad Euphratem.

℣. 4. EPHA. Jungitur apud Isaiam LX, 6, Epha cum Madian; unde conjectura, regiones tenuisse illos finitimas. Observat Bochartus, apud Ptolemæum occurrere montem & regionem *Hippos* in Madianitide, quod sanè nomen non incongruè ex Epha derivaretur.

OPHER. Laudat S. Hieronymus in qq. Hebr. Alexandrum Polyhistorem, & Cleodemum, asserentes, Opher, alio nomine Apher, armis in Lybiam illatis, eam subegisse, atque Africæ nomen indidisse. Addit, expeditionis comitem accessisse illi Herculem. His omnibus veritatis aliquid subesse ne ambigimus quidem: iter enim Herculis in Africam adeò celebratur apud Veteres, ut sine veri specie assertum esse, nonnisi temerè affirmaretur; sed affirmandum pariter, iter illud multò posterius esse obitu Abrahami, cujus tamen ætate genus Apher hominum numero florebat.

Antequam Opher in Africam transmigraret, sedes locasse videtur sive in Insulâ *Urphe* ad Erythræum, quam Eupolemus (*k*) ipsissimam credit Opher, classis Salomonicæ scopum: vel in urbe *Orphâ* in *Diarbecb*; vel in Oropo Syriæ, cujus est nomen in Stephano, quæque alius fortè locus non est ab *Oropi*, urbe Episcopali, sub Metropolitano Anazarbi: vel tandem in *Orobâ* Assyriæ.

℣. 5. DEDIT ABRAHAM ISAAC CUNCTA QUÆ POSSEDERAT (6): FILIIS AUTEM CONCUBINARUM LARGITUS EST MUNERA. Supremis tabulis Abraham filio reliquit, quæ possidebat, omnia, greges, mancipia, argentum, res familiares, latifundia, jus tandem Dei promissionibus sibi conciliatum, possidendi scilicet certò Chanaanitidem. Filiis autem ex Agar & Cethurâ munera contulit, i. e. e rebus familiaribus, quæ censuit opportuna.

Porrò geminæ illæ fœminæ appellantur concubinæ, i. e. uxores secundariæ: pendebant illæ a nutu matrisfamiliâs, & uxoris primi ordinis, velut ex herâ ancillæ. Connubia, quæ cum id generis fœminis conciliabantur, juxta Hebræos, nec firmabantur syngraphâ, nec dote, nec ritu aliquo. Iis, qui nascebantur, filiis nullum erat jus in hæreditatem, nisi assentiente matrefamiliâs; quare nonnisi annuentibus Liah & Rachele, uxoribus Jacobi, filii ex ancillis earum nati æquo jure admissi sunt cum liberis e thoro prioris ordinis. Apud Hebræos sanctum erat, ut filii matris conditionem sequerentur: filii ex uxoribus secundariis nihil habebant juris in hæreditatem patris. Legas apud Aristophanem (*l*), & ejus Scholiastas, legem Solonis, excludentem a jure successionis filios spurios, cùm legitimi suppeterent: legas ibi pariter concessam patribus facultatem dandi filiis spuriis muneris loco mille drachmarum summam.

SEPARAVIT EOS AB ISAAC - - DUM ADHUC IPSE VIVARET, AD PLAGAM ORIENTALEM. Hæc per anticipationem dicta. Natos sibi e Cethurâ & Agare filios misit Abraham in Arabiam desertam, ad Orientem Bersabee, quem locum postremis vitæ suæ annis incoluit. S. Hieronymus, post Josephum, possedisse illos Troglodytidem asserit; cujus dictum explicari potest de Arabibus nonnullis, speluncas habitantibus ad litus Orientale Erythræi; sive de Troglodytis, adversum litus ejusdem maris tenentibus. Utcumque res habeat sese, cùm ea regio Orientalis Palæstinæ minimè habeatur, siquis frequentatam asserat a posteris Abrahami, factum id post obitum sancti viri utique concedet; tunc enim facilè eò missæ sunt coloniæ, quemadmodum & per Arabiam felicem, in qua nominum illorum vestigia.

℣. 8. DEFICIENS, MORTUUS EST IN SENECTUTE BONA, PROVECTÆQUE ÆTATIS, ET PLENUS DIERUM. Hebræus: *Obiit, & mortuus est, &c.* quod designat mortem tranquillam per extinctionem, non vi morbi sævientis & diuturni inductam. Textus addit: *Satur dierum* (*m*): deest tamen *dierum* in Hebræo, sed vicissim legitur in Samaritano

(k) *Apud Euseb. lib. 9 Præpar.*

(l) *Aristophan. in Avibus, pag. 626, edit. Genev. an. 1607.*

(m) *Quod Scriptura* Satur dierum, *id Lucretius optimè significavit his carminibus libri III.*

Cur non ut plenus vitæ conviva recedis?

Et inferiùs.

Et nec opinanti mors ad caput astitit, ante
Quàm satur ac plenus possis discedere rerum.

Et Stat. Sylv. l. 2.

. . . . Dubio quem non in turbine rerum
Deprendet suprema dies, sed abire paratum
Et plenum vitâ.

℣. 9. Et ſepelierunt eum Iſaac, & Iſmaël filii ſui in ſpeluncâ duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron filii Seor Hethæi, e regione Mambre. Anno Mundi 2183.

℣. 10. Quem emerat a filiis Heth: ibi ſepultus eſt ipſe, & Sara uxor ejus.

COMMENTARIUS.

ritano & Septuaginta, nec rarò ponitur in Scripturâ, ut in Geneſ. xxxv, 29, & 1 Par. xxix, 1. Supplent nonnulli *bonorum* pro *dierum*, ut ſit: *Obiit plenus bonorum.*

Congregatusque est ad populum suum. In alteram vitam ſe conferens, ut unà conveniret cum patribus ſuis: ſeu potiùs, junctus eſt illis, communem habuit cum illis vel ſimilem mortem & ſepulturam. Ducitur inde argumentum pro animæ immortalitate. S. Auguſtinus (*n*), aliique poſt illum, vocem *populi ſui* de Angelis interpretati ſunt, alii de priſcis juſtis Abrahami deceſſoribus.

Suas hìc laudes ſaltem obiter invidere viro ſanctiſſimo incongruum reputamus, quas non aliunde accerſendas cenſemus, quàm ex Scripturâ & Patribus. Singulari gratiæ vocatione invitatus, fide & robore humanis ſuperiore animatus, Patrio ſolo relicto, in regionem ſe contulit extraneam, in qua ſe continuis urgeri ſenſit anguſtiis, qua vitæ qua pudicitiæ uxoris. Sed bis probata fides & virtus ſancti viri, minimè oppreſſa. Fortis unà & religioſus, & cupiditate vacuus, quatuor victorum Regum diſſipat exercitum, nepotem ſuum captivum ſolvit, fœderatorum ſuorum ſpolia recuperat, offert Sacerdoti Altiſſimi decimam prædæ ad ſe jure ſpectantis, adeptâque gloriâ & voluptate exercendi juſtitiam contentus, ſponte omnia remittit amicis ſuis, ne rogantibus quidem, quos novo ſibi beneficio obſtrinxerat.

Quamquam res Abrahami geſtæ, nihil præter externam rerum ſpeciem conſiderantibus, exhibeant virum undequaque juſtum, & animum vulgo ſuperiorem ac generoſum; quæ tamen obtutum fugiunt decora, magis valent ad laudem. Viri fides, conſtantia, paratus ad omnia animus, obedientia, qua præſtò ſe omnibus Dei mandatis exhibuit, genuinus ſunt virtutis ejus character, qui meritum viri maximè amplificat. Auget illum Deus promiſſione florentiſſimæ poſteritatis, & filii, quem benedictionem gentium omnium futurum ſpondet. Quamquam promiſſionum ejuſmodi executio minimè impoſſibilis videretur; Abraham nihil hæſitans credidit, adversùs ſpem omnem ſperans. Tantæ fidei præmium a Deo ſibi filium promeretur; ſed Deus pariter ex filio novam experimenti capiendi de patre ſumit occaſionem. Poſtulat enim dari ſibi filium, ſpem ſuam omnem, & patriæ charitatis argumentum; immolari tandem Iſaacum in ſacrificium. Statim Abraham parat omnia, certò credens, eum, qui filium ſibi prodigio dederat, prodigio pariter revocatum ad vitam, patri reſtituturum.

In geſtis Abrahami veluti ſummam totius perfectionis Legis naturalis, ſcriptæ & Evangelicæ, collectam ſpectamus. In ſe uno virtutes expreſſit, quarum vel ideam effingere vix philoſophia & ratio valuerunt, ut ſapientis imaginem formarent. *Magnus planè*, ait S. Ambroſius, de Abraham l. 1, c. 2, *quem votis ſuis Philoſophia non potuit æquare; denique minus eſt quod illa finxit, quàm quod ille geſſit.*

Lex a Deo Moyſi data, ſubdit idem S. Doctor, ibid. c. 1, qua officia omnia legis naturalis proſequitur, nonniſi ex Abrahami geſtis formata videtur: is enim Legi minimè ſubditus, officia tamen legis præcipua explevit, fidem habuit ad juſtitiam imputatam; ipſeque ſpiritualium fidelium, & filiorum promiſſionis pater, non author modò fuit & origo filiorum ex Abrahamo ſecundùm ſpiritum, ſed exemplar etiam, quo formarentur. Ejus tandem elogio finis imponendus eſt verbis Eccleſiaſtici xliv, 20: *Non eſt inventus ſimilis illi in gloriâ, qui conſervavit legem Excelſi, & fuit in teſtamento cum illo. In carne ejus ſtare fecit teſtamentum, & in tentatione inventus eſt fidelis; ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente ſuâ, creſcere illum quaſi terræ cumulum, & ut ſtellas exaltare ſemen ejus, & hæreditare illos a mari uſque ad mare, & a flumine uſque ad terminos terræ.*

Jam alibi notatum eſt, Scriptores Prophanos memoriam viri proſequi cum laude; allatas ab illo affirmantes e Chaldæâ in Ægyptum & Phœniciam, Aſtronomicas & Mathematicas diſciplinas. Apud Authores quoſdam Judæos (*o*) & hæreticos nonnullos Author eſt librorum quorumdam, qui ſub tanti nominis obtentu plura indigniſſima obtrudunt. Tribuunt illi e. g. Librum *Jetzira*, ſive creationis, quem ſcriptum ferunt in Chaldæos Philoſophos, ſuper dogmate de ſingularitate Dei inter ſe diſſidentes. Exhibet P. Morinus (*p*) Libri hujus anilia & abſurda commenta: nec deſunt ex Rabbinis quidam (*q*) tantæ ingenuitatis, ut fateantur indignum eſſe Abrahamo opus. Sethiani veteres Hæretici (*r*) ſuam vindicant Abrahamo Apocalypſim. Sermo eſt apud Origenem (*s*) de opere quodam, ſub Abrahami nomine invecto, in quo duo Angeli, juſtitiæ nempe & iniquitatis, diſceptant inter ſe de ſalute vel exitio Abrahami. Tandem in Synopſi, ſub nomine S. Athanaſii, eſt liber Apocryphus Abrahami, inſcriptus: *Aſſumptio Abrahami.*

Diſcuſſimus aliàs, an Abraham Idola coluerit, antequam ex Ur Chaldæorum egrederetur. Hebraicæ linguæ & characterum primum Authorem aſſerit Suidas; Syriacarum & Chaldaicarum literarum, Iſidorus Hiſpalenſis. Ignis Cultores, quorum reliquiæ hodie uſque ſuperſunt in Oriente, confundunt Abrahamum cum Zoroaſtro, inſigni apud ipſos Prophetâ; tribuunt autem illi tres vel quatuor libros de religione ſuâ ſcriptos. Librum de Idololatriâ dictatum ab illo aſſerit Gemarra; nec alterius Authoris habentur Pſalmi quidam & preces; ſicut & obtinuit Liber inſcriptus, *Teſtamentum Abrahami*. Sed fruſtra in his immoramur, omnium confeſſione apocryphis & nemini probatis.

(n) *Auguſt. quæſt. 168 in Geneſ. 1. Toſt. &c.* (o) *Author Cozri, Gemara, Cod. Sanhedrim, c. 7. R. Moſ. bar Nachman, &c.* (p) *Morin. lib. 2 Exercit. in Sacr. Script. exerc. 9, c. 8.* (q) *Abraham Zaccut, &c.* (r) *Epiphan. in Panario.* (s) *Origen. in Lucam, homil. 35.*

℣. 11. Et poſt obitum illius, benedixit Deus Iſaac filio ejus, qui habitabat juxta puteum nomine viventis, & videntis.

℣. 12. Hæ ſunt generationes Iſmaël filii Abrahæ, quem peperit ei Agar Ægyptia, famula Saræ.

℣. 13. Et hæc nomina filiorum ejus in vocabulis, & generationibus ſuis. Primogenitus Iſmaëlis Nabajoth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabſam.

℣. 14. Maſma quoque, & Duma, & Maſſa.

℣. 15. Hadar, & Thema, & Jethur, & Naphis, & Cedma.

℣. 16. Iſti ſunt filii Iſmaëlis; & hæc nomina per caſtella & oppida eorum, duodecim Principes Tribuum ſuarum.

℣. 17. Et facti ſunt anni vitæ Iſmaëlis centum triginta ſeptem: deficienſque mortuus eſt, & appoſitus ad populum ſuum.

COMMENTARIUS.

℣. 13. Primogenitus Ismaelis Nabajoth. Nabathæos e Nabajoth accerſunt magno aſſenſu Interpretes. Præerat regioni Urbs Petra, apud Strabonem cognomento *Nabathæa*; ſita autem erat in Arabiâ Petræâ, porrigebaturque ad Orientem in Arabiam deſertam. De Nabathæis Scriptura & veteres Geographi agunt frequenter. Urbes mœnibus nequaquam muniebant, ac cenſum omnem & divitias in gregibus babebant. Aſſerit S. Hieronymus in qq. Hebr. totum regionis tractum ab Euphrate aduſque Erythræum, appellari *Nabathenam*, nomenque ſnum deducere ex Nabajoth.

Cedar, pater eſt Cedræorum, de quibus Plinius, finitimas habentium Nabathæis ſedes. Nomen *Cedar* ſæpe porrigitur ad Arabiam deſertam univerſam. Poſteri Cedar recenſentur inter Saracenos; tenentque loca ad meridiem Arabiæ deſertæ, & ad ſeptemtrionem Arabiæ Petrææ ac felicis; nec deerant ex illis uſque ad Erythræum.

Mabsam. Amplior quidam vicus nomine *Mabſara* in Gabalenâ, Petræam versùs, conſtituitur ab Euſebio.

℣. 14. Masma quoque, et Duma, et Massa. Tria hæc ad literam exprimunt audite, tacere, perferro. Reſpondent quodammodo illis: Ἀπέχου, καὶ ἀνέχου, *Abſtine*, & *ſuſtine*, quæ ſumma erant ſapientiæ, juxta Stoicos. Tres iſtas Textûs voces proverbio uſurpant Hebræi, eo ſenſu quo diximus; *Audire*, *tacere*, *ferre*.

Duma. Eſt apud Stephanum Urbs *Domatha*, & apud Ptolemæum Urbs pariter ejuſdem nominis in Arabiâ deſertâ. Vaticiniis ſuis invehitur Iſaias xxi, in Dumah. Meminit Plinius l. 6, c. 28, *Domada*, non procul ab Agrâ in Arabiâ Petræâ.

Massa. Urbs eſt *Meſada* apud Ptolemæum in Arabiâ deſertâ; nec alia facilè cenſenda a Meſâ in Notitiâ. Meminit pariter Ptolemæus Meſaniorum in eâdem regione; ac tandem notus eſt Sinus Meſanites in eâdem Arabiæ portione.

℣. 15. Hadar. Samaritanus habet hìc *Hadad*, quam lectionem ſervat Vulgata in 1 Par. 1, 30. Servat pariter hìc Arabicus. Septuaginta habent *Choddan* vel *Choldal*. Eſt in Palmirenâ urbs *Adada*, æquo intervallo a Palmirâ diſtans ad Occidentem, & ab Euphrate ad Orientem. *Area* urbs eſt in Arabiâ deſertâ apud Plinium.

Thema aliud eſt planè a *Theman* vel Themanitis in Idumæâ, de quibus Jeremias xlix, 7, 20, & Amos 1, 11, 12. Urbs *Theman* nomen ſuum debet Theman filio Eſau; ſed regio *Thema*, de qua modò, tractus eſt Arabiæ deſertæ. Meminit Jobus c. vi, 19, Themæ & & Sebæ. Conſtituit Ptolemæus urbem Temmam vel Thommam in Arabiâ deſertâ, qua parte tendit ad montes Chaldæos. Tandem occurrit apud Plinium l. 6, c. 28, Thumata in eâdem regione: & apud Notitiam Imperii Orientalis eſt Thamatha.

Jethur. Ituræa nomen referre creditur ex Jethur. Regio autem illa brevi tractu porrigebatur in Transjordanis inter Arabiam deſertam ad Orientem & Jordanem ad Occidentem. Apud Prophanos celebre eſt nomen Ituræorum, quorum regio dimidiæ Tribui Manaſſe ceſſit.

Naphis. Legitur nomen illud pariter in 1 Paralip. v, 19, ubi Nophis, Nodab & Ituræi auxiliares copias ducunt pro Agarenis adveſùs Iſraëlitas; quare Naphin & Nodab finitimas habebant, utì credimus, cum Ituræis ſedes, a Damaſco non remotas.

Cedma. Non inviti credimus, Cedmæ poſteros frequentaſſe regionem Cedemoth, de qua Deut. 11, 26.

℣. 16. Isti sunt filii Ismaelis, et hæc nomina per castella et oppida eorum. Reddi poſſet Hebræum: בחצריהם ובטירתם *In oppidis*, & *urbibus ſuis*. Arabum urbes, de quibus modò, aliæ ſunt planè ab urbibus cæterarum gentium, conflatis e complexu plurium ſimul ædium cæmento, lapidibus lateribuſque vel e ligno conſtructarum (t). Plerumque tentoria ſunt intra certum quoddam terræ ſpatium, ubi tot homines ſubſiſtunt, quot locus alere poteſt unà cum ſingulorum gregibus; eſt enim apud illos veluti lege ſanctum (u), ne terram excolant, plantent quidquam vel ferant, neve domos ædificent. Gentem illam ita deſcribit Jeremias xlix, 31: *Gentem quietam, habitantem confidenter: non oſtia nec vectes eis: ſoli habitant*. Ita cùm legimus in Scripturâ, omnes earum gentium urbes everſas, exterminatum populum, ne uno quidem relicto; ſtatimque deletas iterum colligi & ſurgere; hæc monſtri loco utique habenda non ſunt, cùm facilè urbium genus

(t) *Le Clerc in hunc loc.* (u) *Diodor. l. 19.*

℣. 18. Habitavit autem ab Hevilâ uſque Sur, quæ reſpicit Ægyptum introëuntibus Aſſyrios. Coram cunctis fratribus ſuis obiit.
℣. 19. Hæ quoque ſunt generationes Iſaac filii Abraham. Abraham genuit Iſaac.
℣. 20. Qui cùm quadraginta eſſet annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuëlis Syri de Meſopotamiâ, ſororem Laban.
℣. 21. Deprecatuſque eſt Iſaac Dominum pro uxore ſuâ, eo quòd eſſet ſterilis: qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.
℣. 22. Sed collidebantur in utero ejus parvuli; quæ ait: Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Perrexitque ut conſuleret Dominum.

COMMENTARIUS.

genus illud reparetur; nec fieri niſi ſummo negocio poſſet, ut e tot palantibus gentibus plures fugâ ſe ab hoſtibus non proriperent.

Quod attinet ad arces, occurrebant interdum nonnullæ in Arabiâ in locis naturâ munitis, editiſque. Turres erant, deſtinatæ potiſſimùm ad excubias, & ut difficillimis belli temporibus tutum præſtarent effugium. Nullas tamen fuiſſe in Arabiâ urbes dixerim; ſed raræ ejus generis munitiones erant.

Hebræum *Tiroth*, quod redditur *caſtella*, Syriacè exprimit ovilia, vel loca cancellis clauſa, ovibus continendis; quam interpretationem Textus non reſpuit.

Duodecim Principes tribuum suarum. Gens Arabum univerſa originem referens ex Iſmaële, in duodecim Tribus diſpeſcebatur: præerat ſingulis Princeps, quem Prophani Phylarchum appellant (x). Obſervat S. Hieronymus in qq. Hebraicis, ætatis ſuæ Arabes varia provinciæ ſuæ loca ſingulari Tribûs, cui quiſque in ſedem aſſignatus eſset, nomine appellaſſe. Nec hodie pariter alia eſt politiæ ejus gentis forma, ſi itinerantibus credas (y). Præeſt ſingulis quibuſque Tribubus Princeps, Arabicè *Scheich-Elkebir*; poſt quem ſecundariam poteſtatem obtinent *Scheichi*, variis familiis Præfecti.

℣. 18. Habitavit ab Hevilah, usque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios. Poſteri Iſmaëlis regionis totum illum tractum tenebant, qui ab Oriente & Occidente protenditur ab Hevilah ad Euphratem, versùs confluentem eum Tigri, ſupra regionem peculiari nomine Chaldæam dictam, uſque ad deſertum Sur ad Orientem Ægypti; quod deſertum protenditur ad Iſthmum, qui Erythræum & Mediterraneum ſeparat.

Introeuntibus Assyrios. Referri iſta commodè poſſunt ſive ad *Ægyptum*, ſive *Sur*, ſive ad *Hevilah*. Deſertum Sur occurrit euntibus ex Ægypto in Aſsyriam, per mediam Arabiam Petræam, per regionem Hevilah. Plinius l. 6, c. 28, agens de Petrâ metropoli Arabiæ Petrææ, quam ex æquo diſtantem conſtituit a mari mediterraneo & ſinu Perſico, aſſerit, ad Petram convenire omnes, ſive qui e Gazâ ad Phorat, urbem in Paſitigris ripâ, ſive qui a Palmyrâ in Syriam contendunt. Hic utriuſque viæ bivium eſt. Non abludunt hæc a Moyſe. Ejus ætate ex Ægypto Petram tendentibus iter erat per Deſertum Sur; e Petrâ in terram Hevilah ad Euphratem, tum in regionem Aſsyriorum ad Tigrim. An *Aſsurim* hic uſurpetur potiùs de Aſſurim Cethuræ poſteris, quàm de Aſsyriis ex Aſsur filio Sem, verſor incertus.

Coram cunctis fratribus suis obiit. Id eſt, ait S. Hieronymus in qq. Hebraicis, in coronâ omnium filiorum ſuorum. Quis enim credat, Iſaacum & natos ex Cethurâ liberos omnes obeunti Iſmaëli adſuiſse? Chaldæus & Septuaginta vertunt a *Ad faciem omnium fratrum ſuorum habitavit*. Filios Iſmaëlis definiebant a ſeptemtrione & occidente poſteri Iſaaci; ab oriente verò filii Cethuræ. Parallelus eſse locus iſte videtur cum altero cap. xvi, 12: *E regione univerſorum fratrum ſuorum figet Tabernacula*: ad quem vide quæ contulimus. Verti etiam poſſet Hebræum: על פני כל אחיו נפל: *Super facies omnium fratrum ſuorum cecidit (ejus Sors)*; in regione ſcilicet poſitâ in conſpectu fratrum ſuorum habitavit. Vel aliter: *Coram omnibus fratribus ſuis contigit (ejus ſors)*: certam habuit & fixam ſedem ante Iſaacum & filios Cethuræ. Vel tandem: *Obiit ante omnes fratres ſuos*. Filius erat Abrahami natu major.

℣. 21. Deprecatus est - - - - pro uxore sua. Hebræus ad literam: לנכח אשתו: *E regione uxoris ſuæ*; coram illâ, veluti ſi ambo conjuges ſimul orarent. Vertunt alii (z): *Deprecatus eſt contra ſterilitatem Rebeccæ*, ut ſcilicet fœcunditatem conjugi Deus largiretur. Eum ſenſum reddit Vulgata, genuinè magis expreſſum.

℣. 22. Collidebantur in utero ejus parvuli. lxx: Ἐσκίρτων, *ſaltabant*, vel *exultabant*. Aquila: *Confringebantur*; alter alterum collidebat. Symmachus: Διέπλεον, *fluitabant*; vel juxta alios, Διεπάλαιον, *collactabantur* ſimul. Chaldæus: *Collidebantur*, ſe invicem ſtringebant. Syriacus: *Vim faciebant*. Hebræum יתרצצו ad literam, ideam ingerit duorum pugilum, quorum alter alterum urget, deductâ etymologiâ ex רוץ, *cucurrit*, ſeu רצץ, *contrivit*.

Si sic futurum erat, quid necesse fuit concipere? Septuaginta: Εἰ οὕτω μοι μέλλει γίνεσθαι, ἵνα τί μοι τοῦτο; *Si ſic mihi futurum erat, at quid mihi hoc?* cur tantis votis ut mater fierem, rogavi, ſi hæc mihi erant toleranda? Hebræus

(x) *Vide ſup. c.* xvii, 20. (y) Thévenot liv. ii, ch. 32, partie 1. (z) *Menoch. Oleaſt.*

℣. 23. Qui respondens, ait: Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & major serviet minori.

℣. 24. Jam tempus pariendi advenerat, & ecce gemini in utero ejus reperti sunt.

℣. 25. Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen ejus Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, & idcircò appellavit eum Jacob.

℣. 26. Sexagenarius erat Jsaac, quando nati sunt ei parvuli.

COMMENTARIUS.

bræus: אם כן למה זה אנכי: *Si ita, ad quid ego?* Vel: Si ita est, cur ego sum, ut quid vivo, ut quid filios gigno, si tanta patior?

PERREXITQUE UT CONSULERET DOMINUM. Paraphrastæ Jonathan & Jerosolymitanus, quos Rabbinorum plurimi sequuntur, censent, Rebeccam Semi Scholam frequentasse, i. e. locum, ubi Patriarcha ille cœtus agebat religionis, & pietatis. Putant alii, Rebeccam adiisse Melchisedechum, quem Judæorum plures confundunt cum Semo, Abrahamum socerum suum consuluisse censet Abenezra, ut de partûs sui filiorumque fato certior fieret, nec spe deceptam. Heber in eam rem adhibitum afferunt cum Maimonide alii nonnulli.

Petrus Comestor, author Historiæ Scolasticæ, refert, mulierem illam, monte Moriâ conscenso, victimas immolasse super Aram ab Abrahamo ad immolandum Isaacum destinatam; & cùm super vellus victimarum ac folia lauri & *agnicasti* somnum caperet, omnia divinitus per quietem didicisse, quæ statim referuntur. Theodoretus q. 76 in Genesim, Procopius, Diodorus, & Recentiores plurimi, multò verosimiliùs ajunt, Rebeccam non longiùs se contulisse, quàm ad aram ab Abrahamo excitatam in luco, tentorio suo satis proximo; cùm verò ibi Dominum consuleret, sive ab ipso Deo, sive ab Angelo certiorem factam fuisse per quietem de futuris duorum filiorum, quos paritura erat, eventibus.

℣. 23. POPULUS POPULUM SUPERABIT. Nihil per ambages tradit Oraculum, cui certa sua fides mansit sub Regno Davidis, Salomonis, (*a*) & Maccabæorum (*b*), cum scilicet Idumæi, olim & numero & potentiâ multò Israëlitis præstantiores, quibus & sui Reges fuerant ante illos, e posteris Esau natu majoris inter duos fratres; Idumæi, inquam, servire coacti sunt minori, i. e. Israëlitis. Hanc autem validioris imbecilliori, & majoris natu minori subjectionem, tanquam expressum futurorum oraculum habuerunt Patres; quo scilicet Synagoga Judaica Ecclesiæ Christi, & reprobi Electis subditi exprimerentur.

Ea collata sunt Judæis in religione privilegia, quibus jure meritoque haberentur veluti populus electus, major natu & hæres Domini; Ecclesia verò Christiana coaluit ex Gentibus, olim cultui Idolorum addictis, & abjectis a Deo; qui cùm nullum referrent avitum privilegium, nullum ad hæreditatem Domini jus, in filios tandem & hæredes adoptati sunt, exclusis etiam natu majoribus. Ecclesia olim in origine suâ imbecillis, persecutionibus jactata, celare se quodammodo coacta, cùm sævirent persecutiones, quemadmodum Jacob recepit sese in Mesopotamiam, supra Synagogam Sororem suam natu majorem tandem elevata est, & supra religionem gentilium, quæ olim superiores partes apud homines obtinebat. Ita pariter & cum electis usuvenit, grege pusillo inter confertos populos ita confuso, ut non appareat, impiorum etiam sæpè vi & injuriæ obnoxio; nihilo tamen secius persecutores ipsos suos Justi longè superant; impiorum enim conatus omnes, ipsis nolentibus, ad promovendam justorum gloriam, & felicitatem plurimum faciunt. Hanc rerum ideam subjicit nobis Apostolus, exhibens in Jacobo typum Prædestinatorum, Reproborum in Esau. Vide Rom. IX, 11, 12, 13.

℣. 25. QUI PRIOR EGRESSUS EST RUFUS ERAT ET TOTUS IN MOREM PELLIS HISPIDUS: VOCATUMQUE EST NOMEN EJUS ESAU. Hebræus אדמני כלו כאדרת שער: *Egressus est prior rufus totus ipse, sicut pallium capilli*, nempe villosum, seu vestis villosa; vel tandem vestis interiora habens villosa. Genus illud vestium satis ætate illâ obtinebat, quemadmodum non raris exemplis docemur in Scripturâ. Vulgata expressit versionem Septuaginta: Ὡσεὶ δορὰ, δασύς: *Sicut pellis, villosus*; imò & quod legitur cap. XXVII, 16, de Rebeccâ, quæ Jacobum ad imitationem fratris villosum reddtura, colli ejus & manuum nuda texit pellibus, satis hanc versionem tuetur.

Observat Grotius, post Aristotelem & Physiognomistas, corpus villis hispidum designare hominem intrepidum & robustum. Esau significat *perfectus*, uti docent Interpretum nostratum plures, deducto *Esau* ex verbo עשה, *fecit*, quòd scilicet, loquimur illi, villis hispidus editus est, veluti absolutæ jam ætatis homo. Accersunt (*c*) nominis etymon ex Arabico *Gescba*, vel *Gescbeva*, i. e. cilicium. Ad nomen *Sehir* quod attinet, jam aliàs observavimus (*d*), non sibi illud veluti peculiare adscivisse Esau, nec ab eo viro inditum montibus Sehir nomen. *Edom* tunc primùm Esau appellatus est, cum lentis pretio jus primoris natu vendidit: commune enim illi nomen erat *Esau*. *Jacob* deducitur ex radice, quæ sonat *supplantare*. Hanc vocem exponit Philo, *Luctator* (*e*), nempe athleta, qui adversarium suum

(a) 2 *Reg.* XIII, 14; & 3 *Reg.* XI, 15; & XIV, 7. (b) *Vid. Joseph.* XIII, *c.* 17 *Antiquit.*
(c) *Joan. Cleric. in Genes. hîc.* [d] *Genes.* XIV, 6. (e) *Philo de migratione Abrah. p.* 419. παλαίοντος γὰρ, κονιομένου, καὶ πτερνίζοντος, Ἰακὼβ ἐστὶν ὄνομα.

℣. 27. Quibus adultis, factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Jacob autem vir simplex, habitabat in tabernaculis.

℣. 28. Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Jacob.

℣. 29. Coxit autem Jacob pulmentum, ad quem cùm venisset Esau de agro lassus,

℣. 30. Ait: Da mihi de coctione hac rufâ, quia oppidò lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen ejus Edom.

℣. 31. Cui dixit Jacob: Vende mihi primogenita tua.

COMMENTARIUS.

suum pede apprehensum dejicit.

℣. 27. FACTUS EST ESAU VIR GNARUS VENANDI, ET HOMO AGRICOLA. Inditum sibi a naturâ ingenium sequutus est Esau in vitæ genere seligendo; venationem enim amavit, & agricolturæ labores. Interpretes Hebræo inhærentes, contendunt, voces Textûs, איש שדה, redditas *homo agricola*, non agricolam reipsâ exprimere, sed agrestem, uti apud LXX, ἄγροικον, qui agrum & nemus amat; pleromque enim Scriptura aliis vocibus agricolam designat.

JACOB AUTEM VIR SIMPLEX HABITABAT IN TABERNACULIS. In vernaculis aliarum gentium sermonibus alia est significatio epitheti *simplex*, ac in nostro. Hebræum *Tam* תם exprimit hominem perfectum, justum, gravem, in quo nihil reprehendas, & moribus sanctum. Latinum *simplex* & Απλοῦς Græcum, quod reddit Aquila, exprimit interdum hominem doli ignarum, sincerum, qui nihil simulat. Horatius l. 1, Satyrâ III:

-------- *At est truculentior, atque*
Plus æquo liber: simplex fortisque habeatur.

Septuaginta: *Jacob homo simplex*, ἄπλαστος, non fictus, *habitans in tabernaculis*. Symmachus: *Vir inculpatus*, ἄμωμος. Onkelos: *Perfectus, minister domûs doctrinæ*, i. e. scholas frequentans, in tentoriis a Melchisedecho & Heber, ut Rabbini comminiscuntur, apertas; ubi veri Dei cultum homines docebantur. Sed quid additamenta hæc? Opponit Moyses indolem quietam & gravem, quæ virum efficiebat paternæ domûs studiosum, rebus domesticis intentum; ingenio desultorio & inquieto Esau, quibus ad vitæ genus tumultuosum adigebatur, nempe ad venationem.

℣. 28. ISAAC AMABAT ESAU, EO QUOD DE VENATIONE ILLIUS VESCERETUR. A crimine utique excusandus non esset Isaac, si præferendi Esau Jacobo nullam habuisset causam, præter quàm quæ hîc affertur. Reputari utique potest, Isaacum spectasse in Esau vel rem ipsam vel speciem tantùm perfectam, Patri obedientiam & filialem erga ipsum amorem; cujus rei argumentum exhibebat filius, communem faciens cum patre captam ex venatione prædam. Vel saltem Isaac filium in eo tantùm prætulit, quòd externas quasdam in illum impenderet amoris significationes, quæ tamen nihil officerent æquo in geminos filios paterni cordis amori & charitati. Nunquam asserit Scriptura, Isaacum Jacob non dilexisse.

℣. 30. DA MIHI DE COCTIONE HAC RUFA, QUIA *oppidò lassus sum*. Hebræus vividiùs (f): FAC COMEDERE ME (ad literam, ut deglutiam) *nunc de rufo, rufo isto, quia lassus ego*. Geminatum illud *rufo rufo* exprimit vel saturum coctionis hujus colorem, vel Esau aviditatem. Lens Ægypti satis celebratur apud Veteres (g), quam longiùs advectam asserit S. Augustinus in Psal. XLVI, utpote omnium, quotquot uspiam colliguntur, optimam.

℣. 31. VENDE MIHI PRIMOGENITA TUA. Jus primoris natu illud erat potissimùm, juxta Interpretes; primò quòd cæteris omnibus fratribus præesset: *Dominum tuum illum constitui* (h): II, quòd gemina esset ejus in hæreditate portio (i): III, quòd peculiari benedictione donaretur a patre, quibus benedictionibus vim suam fuisse persuasum habebatur. *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta*, ait Ecclesiasticus III, 11. Quicumque sapiens, ait Plato (k), observare debet preces (seu vota) parentum suorum, intelligens contingere non rarò, ut in pluribus impleantur. IV, Ante legem jus Sacerdotis apud primorem natu assertum ferunt. Vide quæ diximus hoc de jure in Exod. XIX, 22.

Porrò duplex in hæreditate portio certissimum videtur omnium primoris natu privilegium. Cætera, quibus fortè donabatur, appendices sunt potiùs insitæ a naturâ propensionis, quibus inclinamur in obsequium primorum natu, quàm certa jura & inviolabiles pro ipsis leges. Ex indito isto a naturâ obsequio factum est, ut primoribus natu relinqueretur honor sacrificii, cùm scilicet fratres omnes unà conveniebant. Sed in aliis rerum circumstantiis quisque sibi paterfamiliâs jus adrogabat in sacrificia, jura primoris natu in eâ re nihil attendens. Cain & Abel seorsim offerunt sacrificia suo singuli jure. Ruben e jure primoris natu excidente, Joseph substituitur a Patre, cui duplex portio assignatur: *Primogenita reputata sunt Joseph* (l). Verùm Israelitæ adeò alieni erant ab eâ persuasione, de jure scilicet Sacerdotali cum jure primoris natu confundendo; tam longè pariter ab opinione de jure illo juxta patris dispositionem in filios hæredes transfundendo, ut murmur non leve excitarent in Moysem & Aaronem, quasi scilicet adrogassent sibi in Sacerdotium & in Rempublicam authoritatem

(f) הלעיטני נא מן האדום האדום הזה *Sym.* ἀπὸ τοῦ Ἐδώμ. (g) *Vide Athen. lib.* IV, *c.* 14, & 15. (h) *Cap.* XXVII, 37. (i) *Vid. Deut.* XXI, 17; & 1 *Paral.* V, 5. (k) *Plato apud Eusеb. lib.* XII *Præp. c.* 36. (l) 1 *Paral.* V, 2.

℣. 32. Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita?

℣. 33. Ait Jacob: Jura ergo mihi. Juravit ei Esau, & vendidit primogenita.

COMMENTARIUS.

tatem: quare prodigio divino opus fuit, ut universæ Tribus tandem intelligerent, Dei voluntates accidisse, ut Sacerdotium ad familiam Aaronis redigeretur, cæteris exclusis e Levi familiis; sicuti pariter unum Moysem ad populi regimen fuisse delectum, excluso Ruben, natu licèt majore (m).

Ad eas profectò angustias nunquam ventum fuisset, si vel a lege vel a consuetudine Sacerdotii dignitas uni alicui certò debebatur. Dathan & Abiron nepotes Ruben excitarunt in Moysem seditionem; verùm dignitatem Sacerdotii affectasse illos non apparet. Querebantur de adrogatâ sibi a Moyse in universum populum potestate. Core collectâ ccl. Levitarum manu, Sacerdotii communionem affectabat, quam sibi prærogativam omnem vindicasse filios Aaronis, ferebat iniquiùs.

S. Eucherius, apud Lipomanum, de jure primoris natu singulare aliud reputavit, putans, *primogenita* designare solemnes quasdam vestes, in usum primoris natu, cùm ad sacrificia solemnia solemni pariter ritu prodiret. De vestibus iisdem sermonem esse in cap. XXVII, 15, pariter credunt Judæi, quibus commenta ista omnia debentur. Quæstio hìc instituitur, an jus primoris natu in alios transferri posset? an Jacob illud emens, & Esau vendens peccaverint? an uterque simoniæ crimine reus habendus sit? an tandem emptio illa & venditio valeat?

I. Ambigi non potest, excidere potuisse aliquem e jure primoris natu. Abrogatus est Ruben filius Jacobi, ut primoris natu authoritatem ab eo pater transferret in Judam, duplicem portionem in Joseph, & Sacerdotium in Levi; quæ simul omnia in Ruben, tamquam in filio natu majori, antea colligebantur.

II. Tenendum est pariter, non levis criminis reum esse Esau, majoris natu jura vendentem (n). Prophanum illum appellat Scriptura (o), quippe qui rem sanctam & inviolabilem prophanaverit: quin & de reali simoniâ accusant Interpretes nonnulli, quòd Sacerdotium pretio vendiderit. Quamquam verò nullius alterius criminis reus esset, quàm quòd parvi habuerit debitas sibi originis jure prærogativas, quæ perinde habebantur tamquam sacrum aliquod depositum, parvi, inquam, habuerit adeò, ut cum lente illas commutaverit; hoc sanè merito prophani nomen viro conciliat, & typum constituit atque exemplum reproborum. Adde potissimam, & quæ majori in pretio habenda erat, primoris natu ex Isaaco prærogativam, eam fuisse, quòd scilicet ex ejus familiâ Messias expectaretur; privilegium utique non sine ingenti crimine negligendum.

Præstita a Jacobo in fratrem omnia, his potissimùm excusantur. Prærogativa primoris natu ad illum potissimùm, uti fertur, jure divino pertinebat, quod a Deo matri ante ortum suum revelatum narrante matre compererat. Nonnisi igitur per injuriam illud occupabat Esau, ut proinde recuperandi sibi quod ad se potissimùm pertinebat, ab injusto possessore, occasionem cœpit opportunam. Esau volens & libens omnia concedebat: nullam ergo inferebat illi injuriam Jacob, si oblatum excipiebat; *Volenti* enim *non fit injuria*. Fessus licèt & inediâ stimulatus Esau, in quibus rerum circumstantiis positum Jacob ad remittenda sibi jura sua fratrem tentavit, non tamen eò adigebatur, ut coactus fratri assentiretur: levandæ fami plura alia suppetebant. Tandem Scriptura nunquam eo nomine Jacobum accusat.

IV. Sed his omnibus reponeretur, Jacobum, cùm exploratam haberet pravam fraterni cordis præparationem, prava ejus consilia non promovere solicitationibus debuisse, sed potiùs corrigere, cùm Esau etiam spontè jus suum obtulisset: quare etsi juris rigore factum illud Jacob excusari potuisset, cùm scilicet jus illud a fratre emit; nunquam tamen lege charitatis sive excusaretur sive probaretur. Si jus primoris natu gratuitâ Dei concessione in illum fuerat translatum, quid opus erat emere ex fratre? Si verò ad Esau re ipsâ pertinebat; nec jure nec sine crimine emendum sibi illud suscepit Jacob, nec emptionis jure illud poterat retinere.

V. Tandem venditio illa Esau nulla erat: sive enim jus illud in alium transferri poterat, sive non; si transferri naturâ suâ non poterat, vendi utique non potuit ab Esau; si transferri, nunquam tamen id licebat filio, inconsulto patre. Tam longè autem abfuit Isaac a præstando in eam rem assensu, ut ex universâ hujus historiæ narratione planissimè constet, nunquam Isaacum habuisse Esau, nisi tamquam primorem natu, ac pacta illa conventa inter fratres perinde habita tanquam non contigissent, neque quid ad succedentium rerum dispositionem conferre possent. Eo tantùm consilio relata hæc a Moyse videntur, ut ingenium utriusque fratris, & inditi utrique nominis occasionem promeret.

Nomen Edom, i. e. *Rufus*, sibi promeruit Esau emptione lentis; & Jacob nunquam non supplantando fratri intentus, vim totam implevit collati sibi nominis, quòd scilicet nascens stricto fratris sui pede prodierit. Statuendum igitur, Jacob jure quidem obtinuisse privilegium majoris natu ex Esau, non inde proveniens, quòd emerit sibi pretiu a fratre; sed quòd Deus eâ, qua pollet, authoritate in ipsum etiam ante ortum contulerit. Quæ verò fraus in universâ narratione intercessisse videtur, eam vulgò Patres ac Interpretes purgant.

℣. 32. EN MORIOR: QUID MIHI PRODERUNT PRIMOGENITA? Satis hæc produnt, quantâ aviditate in cibum illum ferretur Esau, quanto animi motu raperetur. Demonstratur his utique homo, quem totum rapit voluptas, & mala cupiditas; quasi scilicet nullum aliud cibi genus suppeteret in domo Isaaci, quo fames & ex fame mors arceretur, quàm lentis illud pulmentum.

℣. 33. JURA ERGO MIHI. Addit Hebræus:

(m) *Num.* XVI, 2, 3, *&c. Vide Commentarium in hunc locum.* (n) *Vide Tenam in Heb.* XII, *diss.* 3, *sect.* 4. (o) *Rom.* IX, *&* *Malach.* I, 2.

℣. 34. Et sic accepto pane, & lentis edulio, comedit, & bibit, & abiit: parvi pendens quòd primogenita vendidisset.

COMMENTARIUS.

כיום: *Sicut hodie*. Septuaginta: Ὄμοσόν μοι σήμερον: *Jura mihi hodie*.

℣. 34. ABIIT PARVIPENDENS, QUOD PRIMOGENITA VENDIDISSET. Nihil ad succedentium rerum dispositionem collaturum factum illud censebat Esau, ratus tantum sibi futurum virium, ut posset jus adversùs fratrem tueri. Crimen Esau exaggerat Targum. *Abiit, & contempsit Esau primogenituram, & flocci pendit partem suam in sæculo futuro, & negavit resurrectionem mortuorum.*

CAPUT XXVI.

Isaac confert se Geraram. Rapitur Rebecca: tum viro restituitur. Redit Isaac in Bersabee. Fœdus inter illum & Abimelechum. Connubium Esau.

℣. 1. Ortâ autem fame super terram, post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech Regem Palæstinorum in Gerara.
℣. 2. Apparuitque ei Dominus, & ait: Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terrâ, quam dixero tibi.
℣. 3. Et peregrinare in eâ; eroque tecum, & benedicam tibi: tibi enim, & semini tuo dabo universas regiones has, complens juramentum, quod spopondi Abraham patri tuo.
℣. 4. Et multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli: daboque posteris tuis universas regiones has: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ;
℣. 5. Eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & cæremonias legesque servaverit.
℣. 6. Mansit itaque Isaac in Geraris.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ORTA FAME SUPER TERRAM, POST EAM STERILITATEM, &c. Hebræus, Onkelos, Septuaginta, & Versiones cæteræ: *Et fuit fames in terrâ, præter famem priorem, quæ fuit, &c.* Si Moyses præ oculis habuit famem, quæ Abrahamum divertere in Ægyptum coëgit (a); componitur illa cum anno M. 2084., ante famem hic expressam cIII annos: si verò innuit iter Abrahami Geraram (b) A. M. 2107, illud profectò itineri Isaaci præcessit LXXX annis. Sed cùm Abraham venit Geraram, nihil de fame memorat Scriptura.

ABIIT ISAAC AD ABIMELECH. Longum illud temporis intervallum, quod Abrahami iter in Geraram, & Isaaci alterum in eam Urbem intercedit, in eam nos inducit persuasionem, Abimelechum & Phicol, de quibus hic, filios esse parentum ejusdem nominis, de quibus cap. XXI. Nec facilè concipias, quomodo Rebecca uxor Isaaci, & mater Esau & Jacobi, haberi potuerit tamquam Isaaci soror. Cogit nos tamen ordo Chronologicus, ut ad hoc maximè tempus consignemus iter istud Isaaci. Toto hoc capite Abraham veluti jam defunctus habetur: obiit autem ille XV annis post natos geminos fratres, CLXXV annis grandævus, agente Isaaco LXXXV annorum ætatem. Ann. Mundi 2187.

℣. 2. NE DESCENDAS IN ÆGYPTUM. Ex his intelligimus, Isaacum, inito consilio descendendi in Ægyptum, eâ de re Deum consuluisse.

℣. 4. BENEDICENTUR IN SEMINE TUO OMNES GENTES TERRÆ (5) EO QUOD OBEDIERIT ABRAHAM VOCI MEÆ. Observat S. Augustinus, meritum fidei Abrahami multò validius fuisse quàm Isaaci (c); ejus enim ratione Deus benedictiones Isaaco impartitur.

ET CUSTODIERIT PRÆCEPTA ET MANDATA MEA, ET CÆREMONIAS LEGESQUE SERVAVERIT. Septuaginta (d): *Custodiit præcepta mea, & mandata mea, & justi-*

(a) Genes. XII. (b) Genes. XX. (c) Aug. lib. XVI de Civit. c. 36. Vide Genes. XIX, 3.
(d) Τὰ προστάγματά μου, καὶ τὰς ἐντολάς μου, καὶ τὰ δικαιώματά μου, καὶ τὰ νόμιμά μου.

℣. 7. Qui cùm interrogaretur a viris loci illius super uxore suâ,
respondit: Soror mea est; timuerat enim confiteri, quòd sibi
esset sociata conjugio; reputans ne forte interficerent eum
propter illius pulchritudinem.

℣. 8. Cùmque pertransiissent dies plurimi, & ibidem moraretur;
prospiciens Abimelech Rex Palæstinorum per fenestram, vidit
eum jocantem cum Rebeccâ uxore suâ.

℣. 9. Et accersito eo, ait: Perspicuum est quòd uxor tua sit;
cur mentitus es eam, sororem tuam esse? Respondit: Timui
ne morerer propter eam.

℣. 10. Dixitque Abimelech: Quare imposuisti nobis? potuit coi-
re quispiam de populo cum uxore tuâ, & induxeras super nos
grande peccatum. Præcepitque omni populo, dicens:

℣. 11. Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.

℣. 12. Sevit autem Isaac in terrâ illâ, & invenit in ipso anno
centuplum: Benedixitque ei Dominus.

℣. 13. Et locupletatus est homo; & ibat proficiens, atque suc-
crescens, donec magnus vehementer effectus est.

COMMENTARIUS.

stificationes meas, & legitima mea. Reddi posset Hebræus (e): *Custodivit custodiam meam, præcepta mea, & statuta mea, & leges meas*. Rabbinorum nonnulli tuentur, nullum e DCXIII præceptis legis neglexisse Abrahamum. Breviores limites alii præscribentes, servata ab illo credunt Sabbathum & circumcisionem: sed hanc de Sabbatho opinionem alibi refutavimus. Habemus igitur persuasum, his verbis insinuari, officia omnia a viro sancto, quà justitiæ quà charitatis & religionis servata; eumque morigerum se in omnibus præbuisse divinis jussionibus.

℣. 7. Respondit: Soror mea est. Confer ea quæ disputavimus ad Genesis XII, 13, in simile Abrahami exemplum. Isaacum a crimine purgare conatur S. Augustinus (f), eâ planè ratione, qua excusare Abrahamum conatus est. Ambiguitas nominis sororis major erat inter Isaacum & Rebeccam, quàm Abrahamum inter & Saram; consobrina enim erat Rebecca cum Isaaco: quare sororem illam suam professus, non solùm uxorem esse celabat, qua in re nihil erat criminis, sed ambiguitate necessitudinis fallebat Abimelechum; illam enim veluti sororem suam obtrudens, nomen sororis alieno planè, ac Rex ille rebatur, sensu usurpabat: qua in re dolum malum omnino abfuisse vix apparet.

℣. 8. Vidit eum jocantem. Quæ patri suo Abimelecho obtigerant, cùm apud se haberet Saram uxorem Abrahami, Regem illum cautiorem effecerant, ut quid rei esset inter Isaacum & Rebeccam, exploraret diligentiùs. Nec diu abfuit, cùm oculatus Princeps intellexit plus intercedere inter duos illos necessitudinis, quàm fratrem inter & sororem. Sunt (g) qui verba illa exponant de majori eâ libertate, quam virum inter & uxorem connubium honestat; honestat etiam Scriptura illis verbis *jocari, ludere, videre*, rem exprimens pariter & celans.

℣. 10. Induxeras super nos grande peccatum; *grande*, scilicet vel crimen vel criminis ultionem; usurpatur enim sæpè peccati nomen pro sumptâ de crimine pœnâ. Hebræum אשם, *Ascham* (h) redditur hîc a Septuaginta ἄγνοια, *ignorantia*; alibi verò πλημμέλεια, ut Ἁμαρτία, *peccatum, transgressio*.

℣. 11. Qui tetigerit hominis hujus uxorem. Hebræus: *Qui tetigerit hominem hunc, & ejus uxorem*. Apud Philisthæos, Chananæos, & Hebræos, ante legem, inflicta plerumque in adulteros ultimi supplicii pœna. Vide Genes. XXXVIII, 24.

℣. 12. Invenit in ipso anno centuplum. In regione Gerarítarum latifundia nulla possidebat Isaac, sed facilè ad tempus aliqua possedit, ab incolis inculta & neglecta. Originalis voces, מאה שערים, juxta varias lectiones, tres varias subeunt interpretationes: I, *Reperit centum* [*mensuras*] *hordei*. *Searim* hordeum significat; eamdemque interpretationem secuti sunt cum Syriaco Septuaginta: Ἑκατοστεύουσαν κριθήν: II, Collegit centuplum, seu valorem centupli, *centuplum æstimatum*, Ἑκατὸν ἠκασμένον, quod probavit Aquila apud S. Hieronymum in qq. Hebraicis: III, *Invenit centuplum, quàm æstimaverat*, quod maluit Chaldæus. Legem solvendi decimas primùm intulisse Isaacum, docent vulgò Judæorum Doctores (i); fidem opinioni suæ ex hoc Textu adstruentes, quamquam nihil re ipsâ id asserentibus favet. Fatentur ipsi quidem, Abrahamum solvisse decimas Melchisedecho; sed factum id tenent viri religione, non voluntate se ac posteros obligandi.

Contingit interdum, nullo licèt satis insigni intercedente prodigio, ut terra centuplum rependat. Ager in Ægypto, Bæticâ, & Siciliâ plerum-

que

(e) ישמר משמרתי מצותי חקותי ותורתי

(f) V. Aug. lib. XXII contra Faust. c. 33, & 46.

(g) Rab. Salomon, Lyran. Cajet. apud Drusium. Παίζειν, צחק.

(h) Aq. Sym. Πλημμέλεια.

(i) Vide Selden. de Synedr. l. 1, c. 8.

℣. 14. Habuit quoque possessiones ovium, & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc invidentes ei Palæstini,

℣. 15. Omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo.

℣. 16. In tantum, ut ipse Abimelech diceret ad Isaac: Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.

℣. 17. Et ille discedens, ut veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi;

℣. 18. Rursum fôdit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham; & quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philisthiim: appellavitque eos eisdem nominibus, quibus ante pater vocaverat.

℣. 19. Foderuntque in Torrente, & repererunt aquam vivam.

℣. 20. Sed & ibi jurgium fuit pastorum Geraræ adversùs pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua. Quam ob rem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocavit Calumniam.

℣. 21. Foderunt autem & alium; & pro illo quoque rixati sunt: appellavitque eum Inimicitias.

℣. 22. Profectus inde fôdit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocavit nomen ejus, Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit crescere super terram.

℣. 23. Ascendit autem ex illo loco in Bersabee.

COMMENTARIUS.

que tantumdem refert; quinquagesimam ad centuplum addunt agri quidam in Africâ, teste Plinio l. 18. c. 10. Sola igitur tunc sævientis sterilitatis circumstantia præstare potuisset, ut feracitas illa prodigio adscriberetur. Sed cùm anno post depulsam famem, hanc messem provenisse viro asserat Scriptura, ideircò nullum in eâ prodigium agnoscit. Porrò centuplum hìc positum est fictilè pro insuetâ ubertate.

℣. 14. HABUIT FAMILIÆ PLURIMUM. Reddi posset: *Famulitium plurimum*, mancipiorum & opificum turbam. Originalis voces, עבדה רבה, usurpantur interdum pro laboribus in agro colendo impensis; quod præ oculis habuerunt in versione suâ Septuaginta: Γεώργια πολλά: *Agricolationes multa*, pingues tritici, fructuum, vini, &c. reditus.

℣. 16. RECEDE A NOBIS, QUONIAM POTENTIOR NOBIS &c. Vicinos potentes metuit Abimelech; quod etiam fuit in causâ, cur Pharao opprimendos Israëlitas in Ægypto susciperet. Cives, qui potentiâ & opibus cæteros longè superarent, ostracismi lege proscribebant Athenienses.

℣. 17. AD TORRENTEM GERARÆ. Hebræus: בנחל גרר: *In valle Gerara*. Septuaginta: Ἐν φάραγγι, *In valle Gerara*: quam versionem plures Interpretes probarunt. Facilè autem collectus ex inundantibus pluviis torrens per vallem illam devolvebatur. Rarò autem ibi aquas fuisse, argumento sunt putei, quos Isaac eruendos curavit.

℣. 19. FODERUNT IN TORRENTE, ET REPERERUNT AQUAM VIVAM. Meliùs fortè verteretur: *Foderunt in valle*. Aquæ vivæ ponuntur loco aquarum perpetuâ scaturigine nunquam deficientium. Isaias XXXIII, 16 appellat *aquas fideles*, permanentes, quibus opponuntur aquæ ex imbribus & cisternis suffectæ, aquæ deficientes in æstate, nomine *aquarum alienarum* (k) designatæ. Arabs & Versio Samaritana habent: *Aqua dulcis*. Scatebat undique sale Regio Gerаritana; & teste Strabone l. 16, ædes urbis Gerrarum salinis petris constructæ stabant. Ex quadratis salis lapidibus spectari turres ejusdem Urbis, asserit Plinius l. 6, c. 28. Profectò si Gerræ cum Gerarâ confundendæ sunt, puteos aquas plerumque salsas sufficere necesse erat, ut aquas potabiles nonnisi maximo bono quis invenisset.

Monstrabantur, Origenis (l) ætate, Ascalone putei singularis structuræ & longè a cæteris diversi, quos constructos censebant incolæ a Patriarchis. Sed Patriarchas Ascalone mansisse, nullibi legimus.

℣. 20. VOCAVIT CALUMNIAM. Originalis vox עשק duplicem admittit sensum. Si quis legat *Esech*, designabit controversiam, litem, querelam; quam interpretationem probant cum Chaldæo quicumque Massoreticam punctorum rationem probant. Sed legendo *Esebech*, vox illa redderetur *Calumnia*, quod maluit S. Hieronymus; & injustitiam, quod præferunt Septuaginta Ἀδικία; sed & eamdem vocem Interpretes illi frequenter reddunt *calumniam*, συκοφαντίαν. Vide *Eccle.* IV, 1. *Prov.* XIV,

(k) 4 *Reg.* XIX, 24; & *Isai.* XXXVII, 25. (l) *Lib.* 4 *contra Cels.*

℣. 24. Ubi apparuit ei Dominus in ipsâ nocte, dicens: Ego sum
Deus Abraham patris tui: noli timere, quia ego tecum sum;
benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter servum
meum Abraham.
℣. 25. Itaq; ædificavit ibi Altare;& invocato nomine Domini,ex-
tendit tabernaculum: præcepitq; servis suis,ut foderent puteum.
℣. 26. Ad quem locum cùm venissent de Geraris Abimelech,
& Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum;
℣. 27. Locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me, hominem,
quem odistis, & expulistis à vobis?
℣. 28. Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, & idcir-
cò nos diximus: Sit juramentum inter nos,& ineamus fœdus;
℣. 29. Ut non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum
attigimus, nec fecimus quod te læderet: sed cum pace di-
misimus auctum benedictione Domini.
℣. 30. Fecit ergo eis convivium. Et post cibum & potum,
℣. 31. Surgentes manè, juraverunt sibi mutuò; dimisitque eos
Isaac pacificè in locum suum.
℣. 32. Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac, annuntiantes
ei de puteo, quem foderant, atque dicentes: Invenimus aquam.
℣. 33. Unde appellavit eum, Abundantiam: & nomen urbi im-
positum est, Bersabee, usque in præsentem diem.
℣. 34. Esau verò quadragenarius duxit uxores, Judith filiam
Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon ejusdem loci.
℣. 35. Quæ ambæ offenderant animum Isaac, & Rebeccæ.

COMMENTARIUS.

xiv, 31. *Psal.* lxxi, 4.

℣. 24. Benedicam tibi. Exemplaria quædam Septuaginta: Εὐλόγηκά σε: *Benedixi tibi*; & quo loco legimus *Servum meum Abraham*, habebant illa, *Patrem tuum Abraham*.

℣. 25. Præcepit ut foderent puteum. Addunt Septuaginta: *Foderunt autem ibi pueri Isaac in valle Gerarorum*.

℣. 26. Abimelech et Ochozath amicus illius, et Phicol dux militum. Nomen Ochozath in sensu appellativo usurpantes plures, designare putant manum hominum comitantium Abimelechum; in quam sententiam Chaldæus: *Abimelech comitatus amicis suis, & Phicol*. Hanc interpretationem nominis Ochozath notat S. Hieronymus in qq. Hebraicis; nec ipse cum aliis plurimis Interpretibus improbare videtur. Apud Septuaginta Ochozath Νυμφαγωγὸς, *Paranymphus* exhibetur, cujus est munus novam nuptam deducere in domum viri; demandabatur autem viro præ omnibus Sponsi amicissimo. Arabs vertit: *Convivâ suo*; & Interpres Origenis: *Genero ipsius*.

℣. 29. Nos nihil tuorum attigimus. Hebræus: *Non tetigimus te*. Septuaginta: Οὐκ ἐβδελυξάμεθά σε: *Non sumus te abominati*, flocci duximus, rejecimus, quamdiu apud nos versatus fuisti. Hæc reponunt exprobrationibus Isaaci, relatis ℣. 27. *Ad me hominem quem odistis & expulistis*. Sed illi has injurias inferri viro a Pastoribus suis permiserant, nec ultionem de probro exegerant.

℣. 31. Surgentes manè. Manè alterius diei fœdus jurejurando sancitum est. Nulla hic emphatica locutio. Voces enim illæ usurpantur ad exprimendas res in usu communes, quæ nullo apparatu ritùque præstantur. Apud Homerum Heroes nunquam non summo manè e stratis surguot.

℣. 32. Invenimus aquam. Negationem legerunt in Textu Septuaginta, S. Chrysostomus, & S. Ambrosius. Sed nunquam apparet sive in Hebræo, sive in Aquilâ, Symmacho, Editione Septuaginta Complutensi, nec admittit contextus sermonis. Ut quid enim puteus abundantiæ appellaretur, si aquæ frustra quæsitæ fuerunt? Equidem Septuaginta reddunt Hebræum שבעה *Sebibah* non *abundantiam*, sed *juramentum*; quare nullum adversùs illos ex nomine argumentum conficitur. Vox originalis, pro variâ legendi ratione, variè usurpatur, nempe pro *septem*, *jurejurando*, *satietate*, & *abundantiâ*: quod postremum probatum est ab Aquilâ, Symmacho, & S. Hieronymo.

℣. 33. Nomen urbi impositum est Bersabee; seu potiùs nomen illud primò datum puteo, conditæ deinde Urbi communicatum est.

℣. 34. Filiam Elon ejusdem loci. Hebræus & Versiones cæteræ: *Filiam Elon Hethæi*.

℣. 35. Quæ ambæ offenderant. Hebræus (m): *Fuerunt amaritudo*, *causa mœroris*. Septuaginta

(m) תהיין מורת *Sym.* ὐκ εὐαρεστοῦσαι. *Hebr.* παροργίζουσαι, *Euseb. in Caten. MSS.*

ginta: Ἦσαν ἐρίζουσαι, *Erant renitentes*, lites nempe ferebant eùm Isaaco, &c. Onkelos: מסרן ומרגזן: *Fuerunt rebelles, & irritatrices contra mandatum Isaac & Rebecca*. Paraphrastæ Joathan & Jerosolymitanus, Idolis addictas perhibent, spernentesque monita salutaria Isaaci & Rebeccæ.

C A P U T XXVII.

Jacob surripit benedictionem Isaaco, quo tempore Esau venatione occupabatur. Regressus Esau minitatur Jacobo, qui in Mesopotamiam secedit.

℣. 1. SEnuit autem Isaac, & caligaverunt oculi ejus, & videre non poterat: vocavitque Esaü filium suum majorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum. Ann. Mundi 2245.

℣. 2. Cui pater: Vides, inquit, quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ.

℣. 3. Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras: cùmque venatu aliquid apprehenderis,

℣. 4. Fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti: & affer ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar.

℣. 5. Quod cùm audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum, ut jussionem patris impleret,

℣. 6. Dixit filio suo Jacob: Audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei:

COMMENTARIUS.

℣. 1. SENUIT AUTEM ISAAC, ET CALIGAVERUNT OCULI EJUS. Agebat tunc Isaac ætatis CXXX, & Jacob LXXVII annos. Gravi correptus morbo Isaac proximum se letho credebat; atque interno animi motu ferebatur ad imprecanda filio suo natu majori bona, pandendaque illi rerum futurarum, quæ ad ipsum spectarent, oracula. Deo volente, caligavit oculis, vel ætatis, vel morbi vitio; & ex historiæ serie visu tunc penitus destitutum fuisse intelligimus. Non incongruè tamen reputaremus, cum valetudine visum pariter a Deo recepisse, ne lucis usurâ toto spatio XLIII annorum, quousque vitam prorogavit, destitueretur.

℣. 3. SUME ARMA TUA, PHARETRAM, ET ARCUM. Hebræus (a) *Tolle, quaso, instrumenta tua, theli tuum, & arcum tuum*. *Theli* est quidem pharetra, juxta plures; at Syriacus, Onkelos, Vatablus reddunt: *Tolle arma tua, gladium tuum, & arcum tuum*. Pro *Theli* תליך habet hic Chaldæus סיף *Sayph* (b); quod Arabibus est acinacis genus quoddam, cuspidem habens sursum versam. Porrò ensis, vel gladius perinde valent in usum venatorum, ac arcus & sagittæ; & cùm Isaac monuerit filium Esau, ut sumeret arma, reputandum est utique, armorum nomine hìc designari, quæ plerumque arma tunc obtinebant, ensem & arcum. Nec pharetra inter arma reputanda est. Interpretationem hanc, loco pharetræ ensem substituentem, non adversantur Rabbini Abenezra & David, apud Drusium. *Theli* ducitur ex Hebræo *Thalah*, suspendere; suspendebatur enim ensis perinde ac pharetra.

℣. 4. PULMENTUM. Hebræum מטעמים, *Mathamim*, est conditus ad gustum cibus: reddunt nonnulli *Cibos sapidos*; alii *Cupedias*; Septuaginta solùm ἐδέσματα, dapes, cibum. Latiùs patet *pulmentum*; usurpatur enim pro artocreate, carne tritâ, elixatâ, jusculo &c.

UT COMEDAM, ET BENEDICAT TIBI ANIMA MEA. i. e. impertiam tibi ex animo benedictionem (c). Absurdè profectò cum Interpretibus nonnullis Textus exponeretur, veluti si sapidi illius cibi pellectu pater inducendus esset ad filium bonis cumulandum; vel saltem ut quàm optimâ esset in illum voluntate: eo planè modo, quo Eliseus musicum aliquod instrumentum coram se tangi voluit, ut ad excipiendam motionem Prophetiæ spiritûs compararetur (d). Est hìc particula בעבור, *ut*, non pro causali posita, sed indicans quid post cibum facere decrevisset: *Comedam, & postea benedicam* (e).

Si autem Isaac animo destinaverat bona Esau imprecari, quæ imprudens postea precatur Jacobo; si natu minorem hunc filium fratri Esau subjicere meditabatur: quo sensu usurpaverat illefactas a Deo promissiones? *Major serviet Minori*.

Mun-

(a) שא נא כליך תליך וקשתך *Septuag.* τὴν σκευήν σου, τήν τε φαρέτραν, καὶ τὸ τόξον.
(b) *Vide Drusium & Fullerum.* (c) *Vatab. Menoc.* (d) 4 *Reg.* III, 15. (e) *Vide Glass.* tract. 7, lib. III *de conjunctione* c. 19.

℣. 7. Affer mihi de venatione tuâ, & fac cibos ut comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequam moriar.

℣. 8. Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis:

℣. 9. Et pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur:

℣. 10. Quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.

℣. 11. Cui ille respondit: Nosti quòd Esaü frater meus homo pilosus sit, & ego lenis.

℣. 12. Si attrectaverit me pater meus, & senserit; timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione.

℣. 13. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi.

℣. 14. Abiit, & attulit, deditque matri. Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius.

℣. 15. Et vestibus Esaü valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit eum.

℣. 16. Pelliculasque hœdorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.

℣. 17. Deditque pulmentum; & panes, quos coxerat, tradidit.

℣. 18. Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu, fili mi?

COMMENTARIUS.

Munsterus & Clarius reputant, matrem nihil de Oraculo divino, quo liberorum fata reserata sunt, viro aperuisse. Vix tamen in eorum sententiam concedimus, rati faciliùs, Isaac, cùm bona filiis suis imprecaretur, animum habuisse paratum sequendi ductum intus agentis S. Spiritûs, ut nihil ore exprimeret, nisi quod exprimendum Deus intus dictasset. Quare Isaac non Jacobum Esau subjicere, sed ea tantùm bona ipsi Esau precari, quæ Deus voluisset.

℣. 7. Coram Domino: Juvante Deo, ejus nomine & authoritate, sive non fictè, quomodo decet coram Deo; vel tandem, ut ego imprecer tibi omnium bonorum cumulum Dei nomine.

℣. 12. Timeo, ne putet me sibi voluisse illudere. Hebræus ad literam: *Et ero in oculis ejus, tamquam errare faciens*, מתעתע. Verborum sensum optimè expresserunt cum Vulgatâ Septuaginta: Ὡς καταφρονῶν, *Ero quasi spernens*. Aquila: Ὡς καταμωκώμενος, *Velut irridens*. Symmachus: Ὡς καταπαίζων, *Veluti illudens*, & insultans quodam modo ejus ætati, & cæcitati. Nihil ægrius utique tulisset Isaac in eâ, qua erat, rerùm habitudine, quàm si illusionibus filii sui fuisset expositus; nec injuriâ profectò timebat Jacob futurum, ut indignationem patris in se & maledicta pro benedictione provocaret. Historiæ series demonstrat, Deo inspirante, hæc omnia agitasse Rebeccam; & rei tam arduæ felix eventus in præmium cessit fidei sanctæ illius fœminæ erga factas sibi a Deo pro filio natu minori promissiones. Eâdem animi confidentiâ ducta reposuit Jacobo (f): *In me sit ista maledictio fili mi*; in meum caput recidant dira, si quæ pater in te imprecabitur. Spondeo tamen futurum, ut sinistra hæc avertat Deus, secundum promissis suis largitus eventum. Onkelos ita loquentem inducit: *Mihi dictum est per Prophetiam, quòd non venient maledictiones super te, fili mi*.

℣. 15. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum. Hebræus: *Accepit vestes Esau filii sui majoris concupiscibiles, quæ secum in domo, & induit Jacob*. Interpretes quidam post Rabbinos (g) censent, vestes istas splendidissimas, pretiosas, suaveolentes, vestes solemnes in usum fuisse Esau, cùm ad sacrificia offerenda solemni ritu, tamquam Sacerdos & major natu in familiâ Isaaci, se conferret. Verbis illis, *Quas apud se habebat*, facilè insinuatur, vestes habuisse in Arcâ reconditas; domus enim loco *Arca* interdum ponitur in Scripturâ. Meminit Psalmista (h) *domuum eburnearum*, arcarum scilicet, ubi vestes condebantur, odoribus inspersarum. Meminit quoque Euripides arcarum quarumdam cedrinarum, in domorum formam, ad pretiosissimas vestes recondendas (i). Vas Pandoræ appellat Hesiodus (k) domum intactam, seu non fractam.

℣. 19.

(f) *Theodoret. Quæst.* 78. (g) *Hieron. in Quæst. Hebr.* (h) *Psal.* XLIV, 10. (i) ... Ἐκ δ' ἔλαβε κεδρίνων δόμων Ἐσθῆτα κοσμόντ' εὐπρεπῶς ἠσκήσατο. (k) *Hesiod. oper. & dies.*
Μούνη δ' αὐτόθι ἐλπὶς ἐν ἀῤῥήκτοισι δόμοισι,

℣. 19. Dixitque Jacob: Ego ſum primogenitus tuus Eſaü: feci ſicut præcepiſti mihi: ſurge, ſede, & comede de venatione meâ, ut benedicat mihi anima tua.

℣. 20. Rurſumque Iſaac ad Filium ſuum, Quomodo, inquit, tam citò invenire potuiſti, fili mi? Qui reſpondit: Voluntas Dei fuit, ut citò occurreret mihi quod volebam.

℣. 21. Dixitque Iſaac: Accede huc, ut tangam te, fili mi, & probem utrùm tu ſis filius meus Eſaü, an non.

℣. 22. Acceſſit ille ad patrem; & palpato eo, dixit Iſaac: Vox quidem, vox Jacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſaü.

COMMENTARIUS.

℣. 19. Ego sum primogenitus tuus Esau. In universâ hac hiſtoriâ mendax non ſemel apparet Jacob. Triplici enim dolo patrem fallit, verbis, factis, & veſtibus. Aſſerit, ipſiſſimum ſe eſſe primorem natu illius, Eſau; communes dapes obtrudit loco venatoriæ prædæ; aſſerit executioni ſe mandaſſe juſſiones illius, atque e venatione redire; decipit illum denique, palpandas offerens hœdinas pelles, quibus colli ſui, & manuum nuda protexerat, quò hiſpidum fratrem ſimularet.

Profectò ſi Jacob agebat feriò, & meditato conſilio patrem fallendi, a mendacio fruſtra excuſaretur: non eſt itaque, cur multum laboremus in viro excuſando; fateamur enim oportet, Sanctorum vitam ab errans ejuſmodi nunquam penitus eximi. Si verò per ludum hæc omnia geſta ſunt, ſi per ironiam, & typum; vix pariter ab omni crimine excuſaretur, cùm ludus eſſet ejuſmodi, ut patrem in re maximi momenti falleret, & fratrem debito ſibi jure privaret. Si tandem ad literam, quæcumque Jacobum inter & Iſaacum geſta ſunt, accipiamus; nunquam, ſi quid ſapimus, excuſaretur filius a mendacio, adeoque & à crimine; nunquam enim vacuum eſt crimine mendacium.

Nec ſanè Jacob aliter cenſebat de conſilio, quod ſibi mater ſuggerebat, quàm de dolo; quem ſi pater intellexiſſet, nunquam ſe continuiſſet ab ultione: nec Iſaac factum illud Jacobi aliter accepit, cùm rem totam intellexit: *Venit germanus tuus fraudolenter, & accepit benedictionem tuam*.

Patres nonnulli, docti plures Interpretes & Theologi fatentur, mendacii reum fuiſſe Jacobum. Sed ex illis quidam longiùs excurrentes, contendunt, excuſandum eſſe prorſus virum a crimine; ejuſmodi enim mendacia adeò abſunt a peccato, ut laudem mereantur: nonniſi enim cum laude mentimur, ſive ad evitandum ingens aliquod malum, ſive ad procurandum grande aliquod bonum: vel tandem dolum ejuſmodi reputant, qualem ſibi permiſſum credunt homines ergà pueros & ægrotos; aut ſaltem ſtrategema eſt quoddam, velut quæ in bello permittuntur. Laudantur pro hac ſententiâ Origenes (l), S. Chryſoſtomus (m), Caſſianus (n) & S. Hieronymus (o).

Apud noſtros Theologos alii (p) virum excuſant a peccato, quòd nonniſi Dei intimè inſpirantis ductum ſecutus ſit; malunt alii reum illum quidem fuiſſe mendacii (q), ſed ad ſummum venialis; extenuando enim crimini valuiſſe credunt optimum illius voluntatem, præſtitam matri obedientiam, divinas promiſſiones, quas animo agitabat, jus primoris natu, quod ſibi Deus ſpoponderat, & emptione a fratre vindicaverat: addunt, illum, licèt minùs ſyncerè locutum, ſe pro filio primore natu Iſaaci ſupponentem; alio tamen ſenſu vera utcumque dixiſſe, quippe qui jus haberet in primorem natu Eſau, contendunt, calliditatem illam minùs juſtè reprehendi, quippe qua ſibi revendicare Jacob conabatur quod ſuum erat, nec aliter impetrare poterat. Nullus eſt hic, inquiunt, dolus, cùm nullius jura violentur; ſi verò Iſaac de fraude filium arguit, conceſſas tamen benedictiones non ſolùm non revocat, ſed & potiùs confirmat.

Quod attinet ad venationem, quam ſe attuliſſe Jacob ad patrem profitetur, reponunt, id potiſſimùm voluiſſe Iſaac, ut cibum ad voluptatem conditum deguſtaret; perinde autem habuiſſe, ſive dapes illæ è venatione, ſive e grege eſſent. Quare ſi finem maximè a patre intentum ſpectes, dolus eſt nullus. Ita pariter ſive vir ille Jacobum, ſive Eſau ſeſe appellaret, nihil ad patrem, cui unica erat conſtituta voluntas, benedictionem ſuam precandi in illum, in quem Deus primoris natu jura contulerat. Erat autem Jacob, nullo ambigente, Dei voluntate ad ſtatum primoris natu elevatus.

Jacobo a mendacio & crimine excuſando aliam rationem init S. Auguſtinus (r), contendens hæc omnia ad myſterium referri oportere; quæ ſi mendacii & criminis accuſemus, damnandi erunt profectò typi, parabolæ, & metaphoræ; nec in ſermonibus licebit ampliùs abſque mendacio uti tropis, atque figuris. Mendacii etiam damnabitur Joſeph, cùm fratres coram ſe poſitos, ſimulans ſe non agnoſcere, perinde habuit ac exploratores; damnabitur David, ſtultum ſe ementitus: hæc omnia, ait S. Auguſtinus, nec ſimulatio, nec mendacium reputanda; habenda potiùs veluti Prophetica quædam, myſticum ſenſum occultantia, ad quem, externo rerum velamine remoto, oculos convertamus oporteat.

Ita factum Jacobi, ſi cauſam proximam ſpectes.

(l) *Origen. lib. 6 Stromat. apud Hieron. lib. 1 Apolog. adverſ. Rufin.* (m) *Chryſoſt. Homil. 52, & 53 in Geneſ. Vide eumdem lib. 1 de Sacerdotio.* (n) *Caſſian. Coll.* XVII, c. 17, *& ſequent. & c.* 31, *& ſeqq.* (o) *Hieron. in Ep. ad Galat. apud Aug. ep. ad Hieron.* (p) *Biel. in 3 Sentent. diſt.* 38. *Petr. de Alliaco in 3 Sent. qu.* 12. (q) *Lyran. Toſtat. Lipom. Cajet. &c.* (r) *Lib. contra Mendac. c.* 1.

℣. 23. Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem
majoris expresserant. Benedicens ergo illi,
℣. 24. Ait, Tu es filius meus Esau? Respondit: Ego sum.
℣. 25. At ille, Affer mihi, inquit, cibos de venatione tuâ, fili
mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cùm oblatos come-
disset, obtulit ei etiam vinum; quo hausto,
℣. 26. Dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi.

COMMENTARIUS.

ites, mendacium exhibebit; hæc enim omnia molitus est filius, ut patri se obtruderet, tanquam filium majorem natu; e dolo & mendacio erit prorsus immune, si animadvertas ea, quorum typus erat, optimè enim ea ipsa significat. Pelles, quibus Jacob nuda protexit, exhibent non obscurè Jesum Christum, qui in se peccata hominum induxit. Cùm Jacob obtrusit se tanquam Esau natu majorem, nonne expressit Gentium vocationem, amotis Judæis? Ita reputat S. Augustinus.

Sed hæc ad excusandum Jacobum mendacio minùs valent (s); & ipse pariter S. Augustinus refutat egregiè sinistras e suo illo principio facilè deducendas consecutiones, in opere contra Faustum l. 22, n. 83. Et quidem si Jacob mysterium, Deo revelante, norat, si e Deo pariter edoctus est, ut typum illud exhiberet; fateamur necesse est, Deum authorem fuisse Jacobo, ut personam fratris ementiretur, & mendacio patrem falleret. Quid est autem Deum authorem constituere mendacii, si hoc non est? An Deus opus habebat dolo Jacobi, ut mysterium illud exequeretur, quod expressit non viri mendacium, sed illa minoris natu in majorem prælatio? Nonne impleri ista poterant absque deceptione Isaaci? Si quis factum illud Jacobi in se consideret, & finem primarium atque ab ipso Jacobo præstitutum animadvertat, mendacium utique intelliget, ipso fatente S. Augustino.

Viro igitur excusando opus esset demonstrare, sive alterum illi fuisse consilium, sive primum illud, quod sanè & Augustinus damnas, nunquam habuisse in mente constitutum. Addendum hisce omnibus, mysterium, quod in sensu historico latet, dolum non excludere, nec malum, si quod est in actione illâ commissum. Ita Incestus Thamar, Samsonis cum Dalilâ fornicatio, Pharaonis in Israëlitas persecutio, a mysterio quidem non vacant, sed nec excusantur a crimine.

Statuendum est igitur cum Estio (t), ut Jacob a mendacio excusetur, utique satis non esse demonstrare in actione illâ mysterium; sed oportere pariter, in sensu historico, & literali nullum præferri mendacium, probare; quod sibi potissimum negotii suscepit Theodoretus (u), S. Gregorius Magnus (x), S. Isidorus, Beda Venerabilis, Rupertus Abbas, S. Thomas (y), & docti plures Interpretes, contendentes, Jacobum citra veritatis dispendium obtrudere se tamquam primorem natu Isaaci potuisse; jus enim illud sibi adsciverat, atque nullo ambigente habebat assertum. Bonfrerius, postquam animadvertit, Deum permittere interdum peccata eo consilio, ut serviant executioni mysteriorum providentiæ suæ, totâque in re hac gestâ crimen intercessisse, saltem veniale, uti censent plures e Patribus & Interpretibus, concludit tandem, si quis purgare velit filium & matrem a crimine, præstare utique, persuasum habuisse illos mendacium hoc sibi permitti, nec incongruè reputari, illos ignorantiâ, quam vocant, invincibili laborasse; non enim defuerunt viri etiam summi, qui in totâ eâ re nec mendacium nec crimen agnoverunt.

Malumus tamen nos in præsenti, sapiens illud S. Augustini (z) principium adducere; cùm scilicet in Scripturâ peccatum aliquod eximii alicujus viri adducitur, in quo figura & typus rerum futurarum exhibetur, exemplum tamen illud ad literam nequaquam afferendum esse ad ambitionem suam fovendam, quasi scilicet, factâ cum viris hisce sanctis collatione, superiores nos in justitiâ jactemus. Eo enim consilio voluit Deus, ut crimina illorum in Libris sacris referrentur, quò intra salutaris timoris fines nos contineremus, memores dicti illius Apostolici 1. Cor. x, 12: *Qui stat, videat ne cadat*. Paulò ante scripserat Augustinus, cùm in Libris V. T. gesta aliqua referuntur laudatissimorum virorum, quæ tamen divinis præceptis novæ legis repugnant, tanquam figuram hæc usurpanda esse, non tanquam exempla: *Figuram ad intelligentiam referat, factum verò ipsum ad mores non transferat*. Huc tandem revocanda, quæ disputet vir sanctus in Libris contra Faustum de incestu Loth cum filiabus suis; qua de re nos ad caput XIX, 35.

℣. 23. ET NON COGNOVIT EUM. Numinis in Jacobum providentiâ factum est, ut Isaac imprudens benedictione suâ Jacobum cumularit. Impulisse videtur (a) S. Spiritus cor patris, ut reluctans licèt fausta filio precaretur; agnito enim postea errore, cùm Esau e venatione redux sese illi obtulisset, non tantùm nullâ indignatione adversùs Jacobum motus est, sed neque semel collatam benedictionem revocavit; quin divina decreta noscens, adoravit, quæ invito se & imprudente, quin & moliente contraria, extorserat in filium Jacobum benedictionem. Censet quin etiam Torniellus, intus in corde persuasum habuisse Isaacum, habere ante se obvium Jacobum, cujus vocem norat; sed gravi Dei intimè suggerentis persuasione adectum, ut benedictionem imprecaretur in eum, quem obvium habebat, obtru-

den-

(s) *Bonfrer. in hunc loc.* (t) *Estius in hunc locum.* (u) *Theodoret. Quæst. 81 in Genes.* (x) *Gregor. lib. 5, homil. vi in Ezech. Vide eundem in Job, lib. 28, c. 3, nov. edit.* (y) *S. Th. 2. 2, q. 50, art. 3, in resp. ad tertium argumentum. Melchior Canus lib. 11 de locis Theolog. c. 4.* (z) *Lib. 111, de Doct. Christ. c. 23.* (a) *Theodoret. Quæst. 80. in Genes.*

℣. 27. Accessit, & osculatus est eum; statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.

℣. 28. Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini.

COMMENTARIUS.

dentemque se, veluti filium natu majorem: noluisse autem Deo resistere, dum expectaret interim, ut mysterium, quod ignorabat, Deo revelante cùm ipse opportunum censeret, sibi panderetur. *Vix Esau limen attigit*, gesta omnia novit Pater, nec rei pœnitudine tactus est ullâ: semel agnitum Jacobum pro filio suo natu majori, in eâ dignitate asseruit; persuasus nihil se adversùs Esau moliri, Deoque authore translatum in Jacobum jus illud, quod ad Esau pertinere eò usque putaverat.

℣. 27. UT SENSIT VESTIMENTORUM ILLIUS FRAGRANTIAM. Suaveolentes vestes amabant Veteres, ut ex Homero & Plinio (*b*) non semel. Recondebantur in armariis vel arculis una cum fructibus vel herbis grati odoris.

ECCE ODOR FILII MEI, SICUT ODOR AGRI PLENI &c. Hæ patrum in filios benedictiones veluti scripta testamento decreta haberi poterant; nec rarò in his pronunciandis, occasionem capiebant ex obviis quibuscumque rebus, vel ex nominibus illorum, quibus talia precabantur. Noë eleganter alludit ad nomen Japhet (*c*), & Jacob ad nomen Juda (*d*), cùm benedictionem illis impartiretur. Fragrantiâ igitur vestium Esau, quibus Rebecca Jacob induerat, excitatus Isaac, in hæc verba filio benedicere exorsus est: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni &c.* reliqua subinde prosequens, sub emblemate agri, cujus ubertas felicitatem hæreditatis relictæ filio portenderet. Precatur solum pingue, uberrimum, rore Cœli irriguum, & omnium bonorum divitem messem exhibens. *Sicut odor agri pleni*. Illud *pleni* deest hodie in Hebræo, Onkelos, Syriaco, & Arabico, qui vertit: *Sicut viridarii*; deest tandem in Bibliis Latinis nonnullis; sicut vicissim legitur in Samaritano, Septuaginta (*e*), Veteri Syriaco; nec facilè, nisi lapsu Amanuensium, factum est, ut in Hebræo hodie desideretur; lectum enim ætate S. Hieronymi ex eo conjicimus, quòd in ejus Versione occurrat, nihilque de ejus defectu in Hebræo notet. Qui veterum Interpretum Græcorum varianta animadverterunt, nihil hîc observant.

Ager plenus est ager messe dives, vel floribus herbisque luxurians; cui opponitur ager desertus, sterilis, squallens, ubi germinat nihil, quemadmodum in Arabiâ plures, quos occupat sterilis atque ardore solis exusta arena. *Cui benedixit Dominus*. Terra fœcunda, probè culta, ut opposita terræ neglectæ, quam Deus nullâ benedictione fœcundavit, nempe nec rore nec pluviâ irrigavit, ut montes illi Gelboë, de quibus dicitur 2 Reg. 1, 21: *Nec ros nec pluvia descendat super vos*.

Rerum Naturalium Scriptores (*f*) observant, agros fertiles gratum spirare odorem, cùm maximè post longam siccitatem pluviâ madescunt: *Cùm a siccitate continuâ immaduerit imbre, tunc dimittit illum suum halitum divinum ex sole conceptum, cui comparari suavitas nulla possit*. Et Cicero de unguentorum odoribus agens (*g*), *Magis laudatur*, ait, *quod terram, quàm quod crocum olere videatur*. S. Augustinus: (*h*) *Perfusa imbri terra siccior, nares miro odore permulcet; meliùsque olet talo lutum, quàm si exciperetur pluvia purior*. Vide pariter Tzetzem *Chiliade* 8, *ver.* 990.

℣. 28. DET TIBI DEUS DE RORE COELI, ET DE PINGUEDINE TERRÆ, ABUNDANTIAM FRUMENTI ET VINI. Hebræus ita: *Det tibi Deus de rore Cœli, & de pinguedinibus terræ, & multitudinem frumenti & vini novi*. Apud Septuaginta & Vulgatam deest particula conjungens, ante *abundantiam* posita. Verba illa *pinguedinem terræ* exprimit Chaldæus de bonis terræ, exquisitis nempe fructibus, vel de pingui solo, *bono terræ*: Vetusta quædam Latina exemplaria addunt contra fidem Hebræi, *olei*.

Solent in Palæstinâ imbres cadere tantùm geminis anni temporibus, ineunte nempe Septembri circiter, cùm frumenta feruntur, quam pluviam appellare solet Scriptura יורה *jore*, *Temporaneum imbrem*; & ad mensem Aprilis circiter, tempore scilicet messis bordeaceæ, quos vernos imbres appellat *imbrem serotinum* מלקוש, *malcusch*. Ita Interpretes; sed factâ sedulâ locorum omnium, in quibus voces illæ recurrunt, collatione, quantum capio, in eam inducor persuasionem, *imbrem serotinum* usurpari de pluviâ cadente ad exitum anni civilis, & circa mensem Septembris & circa messem fructuum, quos Scriptura appellat *serotinos*, *Exod.* IX. 33. Sicut vicissim *temporaneum imbrem* appellari eum, qui labitur ineunte vere, ante messem hordeaceam & collectionem fœni: sequebantur hæ plerumque solemnitatem Paschalem. Vide Amos VII, 1. Consule quæ adnotabimus ad *Deut.* XI, 14.

In Palæstinâ finitimisque regionibus rarò, uti jam observavimus, pluebat; alendisque plantis, cum æstivi calores urerent, major roris copia sufficiebatur (*i*). De copiâ roris hujus in Palæstinâ argumentum capias ex rore, qui vellus Gedeonis imbuit (*k*); expressum enim implevisse legimus situlam vel concham; & Chusai exercitum irruentem in hostem comparat rori in terram cadenti (*l*); quod sanè ideam ingerit roris ultra fidem largissimi. Imbris leniter fluentis, mane singulorum dierum, speciem referebat: *Sicut nubes roris in die messis &c.* ait Isaias, XVIII, 4: & Sponsus in Can-

(b) *Plin. l.* XXI, *c.* 7. *&* 19, *& l.* XII, *c.* 3. (c) *Genes.* IX, 27. (d) *Genes.* XL, 8.
(e) *Septuaginta* ἀγρῦ πλήρυς. *Diodor. in Caten.* ὁ Σύρος ἄνευ τυ ἀγρῦ, ἀρώρας ἔχει. τὸ δὲ πλήρυς, πεπληρωμένυ βλαστημάτων ἐναλλάττων. (f) *Plin. lib.* XVII, *c.* 5. (g) *Tull. de Oratore cap.* 25; *& apud Plin.* XIII, *cap.* 3. (h) *Aug. de morib. Manich. l.* II, *c.* 16. (i) *Plin. lib.* XVIII, 21. *In Bactris, Africâ, Cyrene, ... siccitas torreet herbas, fruges nocturno tactas rore nutrientes.* (k) *Judic.* VI, 38. (l) 2 *Reg.* XVIII, 12.

℣. 29. Et serviant tibi populi, & adorent te Tribus: esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ: Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.

℣. 30. Vix Isaac sermonem impleverat: & egresso Jacob foras, venit Esaü,

℣. 31. Coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge, pater mi, & comede de venatione filii tui, ut benedicat mihi anima tua.

℣. 32. Dixitque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esaü.

℣. 33. Expavit Isaac stupore vehementi; & ultra quàm credi potest, admirans, ait: Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comêdi ex omnibus priusquam tu venires? Benedixique ei, & erit benedictus.

℣. 34. Auditis Esaü sermonibus patris, irrugiit clamore magno, & consternatus, ait: Benedic etiam & mihi, pater mi.

℣. 35. Qui ait: Vênit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.

COMMENTARIUS.

Canticis v, 4: *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*. Vide quæ contulimus ad Judicum vi, 37.

ABUNDANTIAM FRUMENTI ET VINI. Hebræum תירש *Tirosch* meliùs redderetur *mustum*, vinum nempe coctum, dulcem saporem suum toto anno retinens: plurimi æstimabatur apud veteres (m).

℣. 29. SERVIANT TIBI POPULI ET ADORENT TE TRIBUS. Chaldæus: *Serviant tibi populi, & incurvent se tibi Regna*. Septuaginta: *Serviant tibi gentes, & Principes adorent te*. Duæ originales voces עמים, *Ammim*, & לאמים, *Leummim*, plerumque vertuntur *populi*. Priori illâ facilè designantur Idumæi, genus Esaü; alterâ gentes ex Agare, Cethurâ & Labano: sed non incongruè etiam duo hæc membra acciperentur eodem sensu, ut unum alterum exponeret; quam eamdem sententiam referunt duo pariter membra proximè succedentia.

ESTO DOMINUS FRATRUM TUORUM, ET INCURVENTUR ANTE TE FILII MATRIS TUÆ. Fortè etiam *Ammim* & *Leummim* exprimunt alienigenas gentes, posteris Jacob submittendas; ac *fratris tui & filii matris tuæ*, innuunt genus Esaü, Agaris, & Cethuræ, idem pariter jugum subiturum: quæ interpretatio cæteris præferenda videtur. Septuaginta: *Fias Dominus fratris tui, & adorabunt te filii fratris tui*.

℣. 33. EXPAVIT ISAAC STUPORE VEHEMENTI. Reddunt aliqui Hebræum (n): *Et contremuit Isaac tremore magno*. Raptum exprimunt Septuaginta (o) in extasim insolitam, correptumque in re subitâ, in excessum mentis venisse. Censet S. Augustinus, *Quæst.* 80, illum in eam extasim raptum, palàm spectasse mysterium, quod relatum erat in benedictione collatâ antea super Jacobum; ex quo factum, ut agnitâ Dei voluntate, promissiones suas retractare nequaquam ausus fuerit. Rabbinorum nonnulli defendunt, spectatum ab illo Inferorum aperto hiatu; metuentemque sibi ne in barathrum caderet, prærogativas Jacobo collatas, inviolatas servasse.

QUIS IGITUR ILLE EST? Hebræus ad literam (p): *Quis [&] ubi est ille, qui venatus est venationem, & attulit mihi?*

BENEDIXIQUE EI, ET ERIT BENEDICTUS. Deceptum se non queritur Isaac, ait S. Augustinus (q), sed revelatum sibi eo tempore mysterium veneratur, & pro eo quòd in deceptorem odio moveatur, benedictiones illi suas confirmat. Intellexit, Deo agente, linguam suam movisse, illum rem totam molitum, ut prærogativæ majoris natu in Jacobum transferrentur.

℣. 34. IRRUGIIT CLAMORE MAGNO. Hebræus: *Clamavit clamore magno & amarissimo*: & quod sequitur, *& consternatus*, deest in Hebræo & Septuaginta. Clamores Esaü & ejulatus veniam tamen illi non impetrarunt: frustra ejus pœnitudo; *quamquam*, ait Apostolus Hebr. xii, 17, *cum lacrymis*, quòd scilicet magis doleret subditum se fratri, quàm de commisso crimine in venditione juris majoris natu.

℣. 35. VENIT GERMANUS TUUS FRAUDULENTER. Hebræus: במרמה, *In dolo*, *In astutiâ*, callidè. Chaldæus: בחוכמא, *in sapientiâ*, sagaciter. *Dolus & Sapientia* in Scripturâ in utramque partem, bonam æquè ac malam, usurpantur. Fusè demonstrat S. Chrysostomus (r), calliditatem Jacobi in eâ re laudes meruisse. Sed hoc idem æquè omnibus non probatur, uti supra, ad ℣. 19, de-

(m) *Plin. lib.* xiv, *cap.* 19, 20. (n) ויחרד יצחק חרדה גדלה (o) Ἐξέστη ἔκστασιν μεγάλην. (p) מי אפוא הוא *Septuag.* τίς οὖν ὁ θηρεύσας. (q) *Aug. lib.* xvi *de Civit. cap.* 37. *Theodoret. Quæst.* 80. (r) *Lib. de Sacerdot. versùs fin.*

℣. 36. At ille subjunxit: Justè vocatum est nomen ejus Jacob:
supplantavit enim me en alterâ vice: primogenita mea ante
tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam. Rursumque
ad patrem, Numquid non reservasti, ait, & mihi benedictionem?

℣. 37. Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes
fratres ejus servituti illius subjugavi: frumento & vino stabilivi
eum: & tibi post hæc, fili mi, ultrà quid faciam?

℣. 38. Cui Esaü, Num unam, inquit, tantùm benedictionem habes,
pater? Mihi quoque obsecro ut benedicas. Cùmque ejulatu
magno fleret,

℣. 39. Motus Isaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore
Cœli desuper

℣. 40. Erit benedictio tua. Vives in gladio, & fratri tuo servies:
tempusque veniet, cùm excutias & solvas jugum ejus de cervicibus
tuis.

℣. 41. Oderat ergo semper Esaü Jacob pro benedictione, quâ benedixerat
ei pater: dixitque in corde suo: Venient dies luctûs
patris mei, & occîdam Jacob fratrem meum.

COMMENTARIUS.

demonstratum est. Aquila: *Vivit struens mihi* ἐνέδρας, *insidias*. Symmachus: Ἐν ἐπέθετο, *imposuit mihi*.

℣. 37. FRUMENTO ET VINO STABILIVI EUM. Ad literam: *Fulsi*, *nutrivi*, alui, agrum illi attribui, qui abundè cibum & potum sufficiat.

℣. 39. IN PINGUEDINE TERRÆ ET IN RORE CŒLI DESUPER ERIT BENEDICTIO TUA. Hebræus, Onkelos, Syriacus, Arabs, Septuaginta: *Ecce in pinguedine terræ erit habitatio tua, & de rore Cœli desuper*. Philo (*s*) pariter in sensu benedictionis Textum exponit; sed omnia detorquet ad allegoriam.

Sed qui hæc cum Idumæâ quadrent, regione, ut omnibus exploratum est, maximè sterili & arenti? Sunt qui (*t*) Hebræum (*u*) reddant in adversam sententiam: *A rore Cœli & a pinguedine terræ aberit habitatio tua*. Constat utique, præpositionem *mim* usurpari interdum pro *ab* vel *ex*: quæ significatio pronior est, quàm si reddatur *in*. Nec desunt in Textu Hebræo phrases maximè illi versioni faventes, ut in Psalmo XCVIII, 24, ita concepto in Vulgatâ: *Caro mea immutata est propter oleum*; legit enim Hebræus ut hîc: Immutata est a pinguedine, משמן, i. e. ob defectum olei.

℣. 40. VIVAS IN GLADIO. Reddi posset Hebræum: על חרבך: *Vives super gladio tuo*, vel *Vives ex gladio* (*x*). Quæ Isaaci vaticinia satis exprimunt indolem Idumæorum inclinatam in furtum, ut Arabum cæterorum: exprimunt pariter insitum genti illi amorem libertatis & imperii despotici; vel crudelem ferociam; vel tandem impositam illis necessitatem, armis sese tuendi. Sed bellicam gentis indolem maximè omnium pingunt; cujus sanè rei exempla luculentissima exhibent historiæ. Scribit Josephus (*y*) gentem illam adeò inclinari in bellum, ut rogantibus arma sumere statim faciles assentiantur; tantoque gaudio ferri illos in prælium, quanto alii ad tripudia.

Nec impar bellicus ardor in Arabibus & Mahometanis manet hodie (*z*): nemo inter illos non natus ad arma. Cùm scribuntur milites, qui domi manent magnam sibi credunt injuriam irrogari: summo sibi ducunt honori, si inter milites dederint nomen; nullos sive cœtus sive Religiosos conventus agunt, in quibus non instituantur preces aliquæ pro illis, qui processerunt in expeditionem. Mors apud illos pulchra nulla est, nisi quæ in prælio sive inter arma invenitur.

FRATRI TUO SERVIAS; TEMPUSQUE VENIET, CUM EXCUTIAS ET SOLVAS JUGUM EJUS DE CERVICIBUS TUIS. Nunquam Esau per se fratri serviit; sed posteri ejus jugum subierunt Regum Juda, a Davide (*a*) adusque Regnum Joram filii Josaphat: *In diebus ejus recessit Edom, ne esset sub Juda, & constituit sibi Regem* (*b*). Subacti iterum, rerum potiente Hircano summo Sacerdote Assamonæi generis (*c*). Reddi posset Hebræum (*d*): *Et erit quando dominaberis & franges jugum ejus desuper collo tuo*. Aliter: *Cùm ploraveris & egeris pœnitentiam, tum excuties jugum*. Seu tandem: *Tempus veniet cùm depones & confringes jugum &c.*

(*s*) *Philo de congressu quær. eruditionis gratiâ p.* 449. (*t*) Chatillon. Le Clerc.
(*u*) משמני הארץ יהיה מתנך ומטל חשמים (*x*) על *Aliquando significat* ex; *vide Glassium & Genes.* XVI, 5. *&* XII, 15. *& Ezech.* IV, 15. (*y*) *Joseph. lib.* IV *de bello Judaico, c.* 15.
(*z*) *Christopheri Richerii de morib. Turcarum & Arab. &c.* (*a*) 2 *Reg.* VIII, 14. (*b*) 4 *Reg.* VIII, 20. (*c*) *Joseph.* XIII, *Antiquit. c.* 17. (*d*) והיה כאשר תריד ופרקת עלו מעל צוארך *Septuag.* ἔσται δὲ ἡνίκα ἐὰν καθέλῃς. *Erit cùm deposueris jugum, &c. Alius*; ἔσται δὲ ἐὰν κάμψῃς. *Erit autem si flectaris. Alius*; ἢ ἔσται καθὼ καταβιβάσῃς. *Et erit cùm depresseris*.

℣. 42. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens & vocans Jacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te.

℣. 43. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam; & consurgens, fuge ad Laban fratrem meum in Haran.

℣. 44. Habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui,

℣. 45. Et cesset indignatio ejus, obliviscaturque eorum quæ fecisti in eum: postea mittam, & adducam te inde huc: cur utroque orbabor filio in uno die?

℣. 46. Dixitque Rebecca ad Isaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere.

COMMENTARIUS.

Hebræum *Tarid* derivari potest ex ירד, *deponere*, רדה, *Dominari*, רוד *conqueri*. Onkelos ita Paraphrastice: *Cùm transgredientur filii ejus* (Jacob) *verba legis, auferes jugum ejus de cervicibus tuis*. Committuntur inter se Interpretes in assignando tempore impleti hujus vaticinii in hunc sensum expositi: *Veniet tempus, cùm tu dominaberis, & confringes jugum*. Exponunt Hebræi de imperio Christianorum, quos appellant Idumæos, super Israëlitas. Alii de supremâ Herodis & filiorum ipsius potestate super Judæos. Constat utique, Antipatrum Patrem Herodis Magni Idumæam retulisse originem: sed observat Pererius, nunquam præferre Textum, Idumæos sub jugo habituros Judæos, sed tantùm Idumæos dominaturos; quod impletum constat, cùm Idumæi, secessione factâ a Joram Rege Juda, asseruerunt se in libertatem, Regemque sibi constituerunt. (*e*). Sed cur non potiùs explicaremus de Principibus & Regibus, qui maturè satis in eo populo imperarunt? Præcesserunt illi utique Hebræorum Principes vel Reges. Vide infra cap. xxxvi, 10. &c.

En quid potissimùm referrent collatæ ab Isaaco in Esau benedictiones: eò collimabant omnes, ut rata haberent fausta illa, quæ antea in Jacobum precatus fuerat. Adeò autem minimi illas duxit Apostolus *ad Hebr.* xii, 17, collatas cum benedictionibus Jacobi, ut sibi duxerit asserendum, Esau impetrare a Patre benedictionem non meruisse, rejectumque ab illo nunquam, vel etiam cum lacrymis rogantem, evicisse, ut pater revocaret datas fratri suo benedictiones.

℣. 42. FRATER TUUS MINATUR, UT OCCIDAT TE. Hebræus ad literam (*f*): *Consolatur se sibi ad occidendum te*, sperans futurum ut te occidat. Onkelos & Jonathan: *Insidiatur tibi, ut interficiat te*. R. Salomon; *Fratrem tuum ita pœnitet*, (indignè fert) *quòd te habeat fratrem, ut necem tibi moliatur*.

℣. 44. HABITABIS CUM EO DIES PAUCOS. Hebræus: ימים אחדים, *Dies unos*; Septuaginta: Ἡμέρας τινάς, *Dies aliquot*. Textus exponi potest cum Vulgatâ de tempore quodam indeterminato, vel de annis nonnullis, vel de uno singulari. Longiorem, quàm pro expectatione, moram duxit Jacob in Mesopotamiâ; contra initum enim primò consilium retentus est, celebrato ibi connubio & famulatu, ad quem præstandum Labano socero suo fidem suam obstrinxerat.

℣. 45. CUR UTROQUE ORBABOR FILIO IN UNO DIE? Hebræus: *Ut quid orbabor etiam ambobus vobis unâ die?* Ita enim Rebecca de Esau reputabat, veluti si illum amisisset, quòd scilicet connubia miscuisset cum Chananæis, & ingenio esset rudi & intractabili, injuriæ magis inferendæ quàm rependendo in matrem amori comparato. Metuebat pariter futurum, ut, si Jacobum occideret, parentum iram in longinquam regionem declinare cogeretur, ac proinde utroque simul filio mater orbaretur. Angebat denique matris animum metus, ne Esau irruens in Jacobum, illo vim vi retundente, interficeretur; ne etiam ambo simul interirent in certamine, vel tandem, ne alterutrius mors ultimum supplicium in victorem alterum provocaret; quæ si contingeret, mater unâ die geminis filiis viduaretur.

℣. 46. TÆDET ME VITÆ MEÆ (*g*) PROPTER FILIAS HETH. Timoris sui verum argumentum silet Rebecca, nec causam aperit, cur optaret, ut Jacob uxorem sibi adscisceret e Mesopotamiâ. Contingere facilè potuit, ut hæc omnia penitùs ignoraret Pater, & nihil pariter sciret de minis Esau in fratrem.

CA-

(*e*) 4 *Reg.* viii, 20. (*f*): אחיך מתנחם לך להרגך LXX: Ἀπειλεῖ σοι: *Minatur tibi*. *Alius*: Διανοῆται κατά σοι *Mente agitat adversùm te*. (*g*) קצתי *Septuag.* προσώχθικα. *Infensa sum*. *Aq.* ἐνεκαύχησα. *Tædio affecta sum*. *Sym.* ἐνεκάκησα. *Vexata sum*.

CAPUT XXVIII.

Iter Jacobi in Mesopotamiam. Connubium Esau cum Maheleth filiâ Ismaëlis. Jacob in Bethel mysticam scalam per visum spectat. Lapidem erigit in monumentum.

℣. 1. VOcavit itaque Isaac Jacob, & benedixit eum, præcepitque ei, dicens: Noli accipere conjugem de genere Chanaan.
℣. 2. Sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ; & accipe tibi inde uxorem de filiabus Laban avunculi tui.
℣. 3. Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet: ut sis in turbas populorum.
℣. 4. Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te: ut possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est avo tuo.
℣. 5. Cùmque dimisisset eum Isaac, profectus venit in Mesopotamiam Syriæ, ad Laban filium Bathuël Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ.
℣. 6. Videns autem Esaü, quòd benedixisset pater suus Jacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, ut inde uxorem duceret; & quòd post benedictionem præcepisset ei, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Chanaan.
℣. 7. Quòdque obediens Jacob parentibus suis ivisset in Syriam.
℣. 8. Probans quoque quòd non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus:

COMMENTARIUS.

℣. 2. VADE, ET PROFICISCERE IN MESOPOTAMIAM SYRIÆ. Hebræus קים לך פדנה: *Surge, vade in Padan Aram*. Septuaginta: Ἀναστὰς ἀπόδραθι: *Surgens fuge in Mesopotamiam*. Iter quidem Jacobi fugæ potiùs quàm peregrinationis speciem prætulit: quemadmodum innuit Oseas XII, 12. *Fugit Jacob in regionem Syriæ*; cum illo Author Sapientiæ x, 10: *Profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas*. Ex his phrasibus *fuge*, *recipe te*, infert S. Augustinus Q. 83 *in Genesim*, quid Esau sinistri moliretur: cui tamen non favet Textus Hebraicus.

PADAN ARAM, פדנה ארם, nomen est Mesopotamiæ, non generatim universæ, sed portionis maximè patentis, & cultæ. *Padan Aram* ipsissima est ac *Sade Aram* שדה ארם, ager Aram, quemadmodum regionem illam appellat Oseas, XII, 12. Duas Mesopotamiæ partes distinguit Strabo lib. 16; septemtrionalem nempe fertilem, & pascuis uberem, & porrectam alteram ad meridiem & Babyloniam, sterilem, desertam, Arabibus tantùm Scenitis, qui eò migrarunt ex Arabiâ desertâ, frequentatam. Ex itinere exercitûs Cyri junioris, quod Xenophon l. 1, describit, intelligimus, portionem Mesopotamiæ meridionalem sterilem esse maximè; sicut vicissim portionem, quæ ad Septemtrionem vergit, oppositam Tapsaco, & ad Chaboram, quem Araxem appellat, pinguem esse & probè cultam.

℣. 4. BENEDICTIONES ABRAHÆ. Samaritanus & Exemplaria quædam Septuaginta: *Benedictiones Abraham*: *Benedictiones patris mei*. Alia ferunt: *Patris tui*. *Quam pollicitus est Avo tuo*. Hebræus: *Quas dedit Abraham*. Cùm Isaac, excluso Ismaële, unicus constitutus esset hæres promissionum, de quibus Deus fidem suam obstrinxerat Abrahamo; ita pariter promissionum illarum depositum commissum est ab Isaaco ipsi Jacobo, excluso Esau. Vide August. De Civit. l. 16, cap. 8.

℣. 5. AD LABAN FILIUM BATHUEL SYRI, FRATREM REBECCÆ MATRIS SUÆ. Samaritanus, Onkelos, Syriacus, Arabs, Septuaginta: *Rebecca matris Jacob*. Bathuel in Scripturâ Aramæus vel Syrus appellatus est; non quòd originem referret ex Aram filio Sem, sed quòd in eâ regione versaretur, a posteris Aram occupatâ.

℣. 9.

℣. 9. Ivit ad Ismaëlem, & duxit uxorem, absque iis, quas prius habebat, Maheleth filiam Ismaël filii Abraham, sororem Nabajoth.
℣. 10. Igitur egressus Jacob de Bersabee, pergebat Haran.
℣. 11. Cùmque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo requiescere post Solis occubitum, tulit de lapidibus, qui jacebant, & supponens capiti suo, dormivit in eodem loco.
℣. 12. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens Cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam;
℣. 13. Et Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Terram in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo.

COMMENTARIUS.

℣. 9. Ivit ad Ismaelem, et duxit uxorem ..... Maheleth filiam Ismael. .... sororem Nabajoth. Ismaël diem clauserat ante annos xiv; quare nomen Ismaëlis hìc positum est sive pro ejus familiâ, sive pro Ismaëlitis; ac potissimùm pro Nabajoth, apud quem facilè soror Maheleth versabatur. Regionem, quam primò tenebat Esau, proximam fuisse constat sedibus Nabajoth; ex quo vênit in opinionem Strabo l. 16, Idumæos originem referre e Nabathæis: & facilè qui finitimas habebant Israëlitis sedes, posteri erant Maheleth; qui cùm ritum circumcisionis servassent, suspicionem illam Scriptori movêre. In eo connubio ineundo Esau consilium agitabat conciliandi sibi parentes, quemadmodum notat hìc Scriptura. Maheleth appellatur Basemat *Genes.* xxxvi, 3.

℣. 11. Cum venisset ad quemdam locum. Hebræi quidam (*a*) defendunt, locum hunc ipsum esse montem Moriah, quò primùm se contulit Jacob, ut bonum exitum itineris sui a Deo impetraret, propè Altare, quod Abraham ibi excitaverat. Quod legitur infra, ℣. 22, *Locus iste vocabitur domus Dei*, eam opinionem induxit; & S. Augustinus *q.* 83 *in Genesim* verba illa ita accepit, quasi vaticinium Templi certo tempore ibi excitandi. Sed noctem egisse credimus Jacob juxta Urbem Luzam, deinde Bethel appellatam, i. e. domum Dei, quemadmodum infra adnotabitur.

Tulit de lapidibus; Seu potiùs, e lapidibus, quos fortè in loco offendit, unum supposuit capiti. Illum deinde erexit in monumentum spectatæ ibi visionis. Unum selégit, utì historiæ series demonstrat; nec tres assumpsisse, qui manè in unum coiverint, nisi Rabbinico commento, assereremus.

℣. 12. Vidit in somnis scalam stantem super terram. Ut in suscepto itinere Jacobum ejusque animum confirmaret, ac solaretur, Deus hæc illi spectanda obtulit per visum. Scalæ species emblema erat, juxta Patres nonnullos (*b*), Providentiæ humana omnia curantis: Divinis jussionibus implendis descendebant Angeli, ac de expletis rationem reddituri iterum ascendebant; quo sanè demonstrabatur dispoticum Numinis in creaturas omnes imperium, cujus præceptis parere creaturarum dignissimæ sibi ducebant honori. Insinuare his etiam Deus poterat Jacobo, peculiari providentiâ curam illius tum in Mesopotamiam proficiscentis, tum in eâ regione commorantis, tum ad sedes patrias revertentis, sese habiturum.

Scalam illam explicant plures de Incarnatione Verbi, qui Cœlum junxit cum terrâ, hominibus cum Deo conciliatis. Per scalam illam Jesus Christus descendit in mundum; cujus scalæ gradus sunt Patriarchæ, alter alteri succedentes, ut seriem non interruptam forment sanctissimorum virorum, veram religionem profitentium. Ad hanc visionem non incongruè referuntur, quæ ipse Christus, *Joan.* 1, 51: *Videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes, & descendentes supra filium hominis*; sicut & quæ idem, *Joan.* xiv, 6, de se profitetur, esse scilicet viam se, nec quempiam scandere ad patrem nisi per se.

Librum obtruserant Ebionitæ (*c*) inscriptum, *Scala Jacob*, in quo S. Patriarcha inducebatur somnium suum mysticæ scalæ referens. Periit nostrâ ætate opus. Stratonicus apud Sixtum Senensem *Biblioth. l.* 2, meminit supposititiæ cujusdam inscriptionis, a Jacobo lapidi erecto in monumentum impressæ.

℣. 13. Et Dominum innixum scalæ. Hebræus: *Et ecce Jehovah stans super illam*, vel *prope illam*. Censet Alkasar, stetisse Deum ad scalæ pedes, ipsi innixum; cùm enim sermones misceat cum Jacobo, vix hoc fieri potuisse concipimus, si superiora scalæ hujus in Cœlo versans tenebat. Ut quid tamen non potuit e supremo Cœlo cum homine quiescente instituere sermonem, perinde ac inferiora scalæ teneret? Chaldæus vertit: *Gloria Domini stabat super illam*. Arabs: *Angelus Dei stans coram illo*. Reputat Grotius, quod maximè probamus, superioris ordinis Angelum quemdam Dei personam hìc gessisse.

Terram, in qua dormis, tibi dabo, et semini tuo. Regionem scilicet Chanaan, in qua dormis, & unde digrederis, traditurum me polliceor posteris tuis. Tradidit autem reipsâ. Addunt Septuaginta: *Noli timere*.

℣. 14. Benedicentur in te, et in semine tuo cunctæ Tribus terræ. Quæ tibi posterisque

(a) *Apud Lyr. Cajet. Lipom. &c.* (b) *Theodoret. Quæst.* 83 *in Genes. & Cyrill. Alex. lib.* x *in Genes.*
(c) *Epiphan. l.* a *contra hæres. hæres.* 30.

Digitized by Google

℣. 14. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septemtrionem, & Meridiem: & BENEDICENTUR IN TE, & in semine tuo cunctæ Tribus terræ.

℣. 15. Et ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam, nisi complevero universa, quæ dixi.

℣. 16. Cùmque evigilasset Jacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.

℣. 17. Pavensque, Quàm terribilis est, inquit, locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, & porta Cœli.

℣. 18. Surgens ergo Jacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.

COMMENTARIUS.

que tuis fausta polliceor, non intrà vos tantùm continebuntur; effundetur enim benedictio super universas orbis gentes, per Messiam, qui benedictus est, & benedictio omnium gentium. Ita Patres exponunt post Apostolum *Gal.* III, 16, qui solerter animadvertit, in Scripturâ positum esse *In semine tuo*, non *In seminibus*, cùm sermo est de Abrahamo; quasi scilicet designaretur, promissorum hæredem unum institui, ac proinde vaticinium respicere potissimùm Jesum Christum, & non æquè posteros omnes Abrahami & Jacobi, qui Abrahamo successit, & cui Deus promissiones illas suas hìc iterum innovat.

Ita pariter litera Textûs commodè exponeretur: Tanta erit felicitas tua & gloria, ut gentes fausti ominis gratiâ amicis imprecentur: Cumulet te Deus eâ bonorum largitate, qua Jacobum: florentem donet posteritatem & genus, ut olim Jacobo.

℣. 16. VERE DOMINUS EST IN LOCO ISTO, ET EGO NESCIEBAM. Occupatus eâ persuasione Jacob, Deum nunquam manifestare se posse nisi in locis, ubi nomen ejus innotesceret, admiratur habere se illum obvium in mediâ regione Chanaan, unde secedere jussus erat a patre, ne pravis incolarum exemplis corrumperetur; exclamat proinde: Notus est ergo Deus, & colitur in loco isto, & ego nesciebam? Facilè etiam Jacob evigilans credidit, imprudentem se decubuisse in loco aliquo Numini consecrato, stuporemque eâ de re suum prodens, exclamavit: *Terribilis est locus iste: non est hìc aliud, nisi domus Dei, & porta Cœli.*

Hæc præ oculis habuisse videtur Chaldæus, Paraphrasticè reddens: *Non est locus communis, sed locus, in quo beneplacitum est coram Deo; & e regione loci hujus est porta Cœli.* Locus est sanctitatis minimè vulgaris, sed Deo consecratus, *Domus Dei & porta Cœli* facilè synonima sunt. In vernaculo Hebræorum, Chaldæorum, & Arabum sermone domus Principis perinde dicitur, ac porta Principis. Facilè etiam illud *Porta Cœli* alludit ad visum a Jacobo Cœlum patens; ut proinde non incongruè locum appellarit *portam* vel *atrium Cœli*.

℣. 18. TULIT LAPIDEM..... ET EREXIT IN TITULUM. Hebræum מצבה, *Mattebah*, quod hìc redditur *Titulum*, est alibi (*d*) *Statua*, & *Altare*. E nostris Interpretibus quidam vertunt *statuam*, *terminum*, *monumentum*. Aliud fuit sanè consilium Jacobi, quàm ut erecto hoc monumento impenderet Deo cultum superstitiosum, & idololatricum; id habuit tantùm præ oculis, ut divinarum ad se promissionum, & votorum, quæ ipse Deo nuncupaverat, perennis esset memoria; & sibi pariter monumentum visionis hìc spectatæ. Sed nihil utique occurrit vetustius more isto erigendi monumenta ad perennem memoriam rerum majoris momenti, heroicis illis temporibus gestarum: hæc apud Sacros æquè ac Prophanos occurrunt; & quædam nos adduximus ad caput XXI, 33. Strabo (*e*) frequenter agit de monumentis hisce excitatis a priscis Heroibus, Hercule, Baccho, Jasone: nec alienum id duxit a se Alexander Magnus in suâ Indicâ expeditione. Sesostris inclytus Ægypti Rex per totum Orientem victoriarum suarum monumenta erectis columnis reliquit.

FUNDENS OLEUM DESUPER. Obtinebat apud Veteres mos ungendi lapides & Idola. Achillis sepulchrum oleo unxit, & coronâ impositâ ornavit Alexander. Arnobius l. I, de se: *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine sordidatum, tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar.* Minucius: *In lapides impingere effigiatos sanè, & unctos, & coronatos.* Unctos lapides omnes coluisse Veteres, tradit S. Clemens Alexandrinus (*f*). Hinc facilè mos ungendi Altaria, & parietes, ac columnas Templi, solemni ritu consecrandi. Observat Theodoretus *quæst.* 84 *in Genesim*, ætatis suæ pias quasdam fœminas Martyrum sarcophagos, & locorum sacrorum cancellos ungere consuevisse. Cathedras lapideas, ante regias ædes positas, pro jure a Rege dicundo, unxisse Veteres tradit Homerus (*g*). Itineris sui commeatus

(*d*) *Vide Exod.* XXIII, 2, & 4; & *Deut.* XVI, 22. (*e*) *Vide Strab. lib.* III, *p.* 119.
(*f*) *Stromat. lib.* VII. Πάντα λίθον, τό δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν προσεκύνουν.
(*g*) *Odyss.* Γ.
..... Κατ' ἄρ ἕζετο ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοισι
Οἵ οἱ ἔσαν προπάροιθε θυράων ὑψηλάων.
Λευκοὶ ἀποστίλβοντες ἀλείφατος.

℣. 19. Appellavitque nomen urbis Bethel: quæ priùs Luza vocabatur.

℣. 20. Vovit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in viâ, per quam ego ambulo; & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum,

COMMENTARIUS.

tus pro more ejus temporis & regionis secum ferens Jacob, oleum babebat in promptu.

℣. 19. Appellavit nomen Urbis Bethel. Locum eo oomine appellavit, quod deinde communicatum est Urbi, post ejus reditum e Padan Aram, seu Mesopotamiâ, ibi ædificatæ. Hinc Bætyliorum satis celebre apud Veteres nomen. Refert Eusebius, ex Sanchoniatone, eorum inventionem honorum in Deum *Cœlum*; asserit autem idem Sanchoniaton, lapides esse vivos & animatos (*b*). Longâ ætate in viciniis Libani manserunt. Asclepiades, de quo Damascius in vitâ Isidori (*i*), Bætylia constituit juxta Heliopolim in Syriâ; quæ spectasse se pariter per aëra se se moventia, idem Damascius affirmat. Cùm super edita quædam cacumina fixo obtutu longè prospicerentur, speciem exhibebant intuentibus, ac si moverentur. Oracula illis tributa, & numen quoddam præsidens, vel genius, quo animarentur. Ex his alia dicata erant Saturno, alia Soli, aliis alia (*k*). Tradit Hesychius, lapidem, quem Saturnus loco Jovis filii sui voravit, *Betylon* appellari a Poëtis.

E Bætyliis hisce derivata sunt vetustissima omnium, quotquot occurrant, Numina. Antequàm cælandi ars perficeretur, ait S. Clemens Alexandrinus (*l*), Veteres coram erectis columnis prosternebantur, veluti coram monumentis vel simulacris Deorum. Gemina observat Pausanias (*m*).

Colebant Lacedæmones Idola Castoris, & Pollucis, duplici columnarum, vel trabium, simul duabus aliis trabibus junctarum, emblemate expressa. Appellabant hæc δοκανα, *donabia*, veluti si diceretur *Trabea*, seu potiùs *Trabica*. Hietti, Bœotiæ urbe, Templum erat Herculis, in quo lapis informis rudisque. Colebatur Thespiis Cupidinis simulacrum, quod referebat rudis, & minimè cælatus lapis. Orchomeni, in veteri Charitum Templo, nonnisi informes lapides ad cultum erant propositi. Idolum Junonis Argivæ, Apollinis Delphici, & Bacchi Thebani, quid nisi simplices lapides in formam columnæ? Simulacrum Dei Elagabali ab Herodiano descriptum (*n*), & Veneris Paphiæ exhibitum in nummo Caracallæ, noonisi Terminales, vel pyramidales erant lapides. *Continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum meta modo exurgens* (*o*). Arabes ad Mahometum usque rudem lapidem colebant, relatum e Templo Mechæ, quod excitatum affirmabant ab Abrahamo. Singulis ejus gentis Tribubus suum erat ejusmodi Numen, quod secum transferebant, collocabantque sub tentorio, vel in medio castrorum, in loco quodam edito, quò conversi precabantur (*p*).

Appallavit nomen urbis Bethel, quæ priu Luza vocabatur. Chaldæus & Aquila in eumdem sensum, ac Vulgata, conveniunt. Septuaginta verò: *Vocavit nomen loci illius, Domus Dei: & Lammaus erat nomen civitati priùs.* Exemplaria quædam legunt *Oulammaus*, alia *Ualam*. Hebræum *Ulam* (*q*) potest etiam pro peculiari nomine usurpari; reddi etiam potest *antea, sed, quidem, quia, nihilominus*. Quod tamen suspicionem movet, *Ulam* ad nomen urbis *Luza* tanquam portionem quamdam non pertinere, illud est, quod nimirum in Genesi xxxv, 6, appellatur tantùm *Luza* (*r*). Si autem *Ulam* pro *prius* usurpetur, bis in eodem Textu vox *prius* frustra profectò, occurret. *Appellavit locum Bethel*, priùs ejus *nomen erat prius Luza*. Reddunt alii: *Appellavit hunc locum Bethel, vel domum Dei; sed* (vel *quia*) *prius appellabatur Luza*.

Non incongruè reputaremus, desertum, ubi Jacob noctem egit, *Luza* nomen babuisse, quòd amygdalis consitum esset; Hebraicè enim *Luza* est amygdala vel amygdalus: vel fortè quòd locus ille adjaceret vico Luzæ, cui nomen aliud inditum est, cùm Israëlitæ venerunt in Chanaanitidem; illis enim authoribus in memoriam nominis a Jacobo inditi, Bethel appellata est; eodemque nomine, ætate Moysis, apud Israëlitas innotescebat. Porrò hìc legitur Jacob urbem ita appellasse, quòd scilicet ejus appellationis occasionem Hebræis præbuerit.

Ea urbs interdum tribuitur domui Benjamin, utì *Josue* xxviii, 22, & 2 *Esdr.* xi, 31. Interdum etiam cedit in sortem Ephraim, utì *Josue* xviii, 13. *Judic.* i, 22. Ibi pariter, tanquam in subditâ sibi urbe, Reges Samariæ vitulum aureum consecrarunt. Pererius & Delrio autumarunt, ut repugnantia hæc concilientur, duas cognomines urbes admitti oportere: sed optimè componuntur, quantum intelligimus, si reputemus, Bethel Urbem, sitam in finibus Benjamin & Ephraim, modò uni, modò alteri accenseri (*f*).

℣. 20. Vovit votum dicens - - - - (21) Erit mihi Dominus in Deum. Fidem suam obstrin-

(b) *Apud Euseb. lib. 1 Præp. cap. 50.* Ἐπενόησε βαιτύλια λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος.
(i) *Apud Phot. cod. 242.* (k) *Ibid.* Τῶν βαιτύλων ἄλλον ἄλλῳ ἀνακεῖσθαι θεῷ. Κρονίῳ, Ἡλίῳ, καὶ τοῖς ἄλλοις. (l) *Clem. Alexand. Stromat. lib. 1.* Πρὶν οὖν ἀκριβωθῆναι τὰς τῶν ἀγαλμάτων σχέσεις, κίονας ἱστάντες οἱ παλαιοὶ ἔσεβον τούτους ὡς ἀφιδρύματα τοῦ θεοῦ. (m) *Lib. vii. Apud Græcos antiversos seculis vetustioribus rudes lapides pro simulacris divinos honores babuerunt.*
(n) *Herodian. in Macrino.* Λίθος δέ τις ἐστὶ μέγιστος κάτωθεν περιφερὴς, λήγων εἰς ὀξύτητα.
(o) *Tacit. hist. l. ii. Vide Spencer. l. ii, c. 7, De Ægyptiorum altaribus. Et Clem. Alex. Strom. l. i.*
[p] Chardin, voyage de Perse, t. 2, p. 431. (q) ואולם לוז שם העיר *Septuag.* Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον. *Aq.* λοὺζ πρότερον ὄνομα τῇ πόλει. (r) *Vide & Judic.* i, 23, 26; *& Josue* xviii, 13. (f) *Vide Bonfrer. in hunc locum.*

℣. 21. Reversusque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum:

℣. 22. Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

COMMENTARIUS.

ſtringere videtur Jacob, futurum, ut ipſe Dominum in Deum ſuum recipiat, iis tantùm faventibus ſibi conditionibus. Statuerat ne ergo a Deo ſecedere, niſi pro votis illum habuiſſet adjutorem?

Reponimus hiſce, Jacobum non obſtringere tantùm ſe, ut Deo ſeſe ſubmittat, debebat enim illi antea ſuum famolatum, quod ſummum eſt hominis & neceſſarium officium, naturâ debitum, non vero ſponte promittendum. Quod nuncupat votum, non promiſſio eſt certis conditionibus ſtipulata, admittendi ſcilicet interiorem Dei tanquam parentis ſui cultum, ſiquidem Deus favorem ſibi præſtare non recuſaret. Cultus iſte interior, & abſolutus, omni amotâ conditione, nulliſque adſtrictus limitibus, Numini debetur. Sed cultus exterior certo ritu, certiſque in locis, & certis quibuſdam circumſtantiis impenſus, voto utique vel abſoluto vel conditionibus adſtricto non incongruè nuncupatur: hoc præſtitit Jacob. Pollicetur Deo, erecturum ſe altare in loco, ubi per viſum illum ſpectavit; appellaturum ſe locum illum *Bethel*, ſive *Domum Dei*, ad rei hujus memoriam; ſoluturum tandem Deo bonorum ſuorum omnium decimas, ſiquidem Deus conſilium ſuum juvaret, atque itineris exitum præſtaret felicem: abſque his, Jacob voti reum ſe non teneri profitetur.

Quomodo Jacob votum illud, pendendi bonorum ſuorum decimam, exſolverit, non prodit Scriptura; an ipſe per ſe impenderit, an obligationem illam impoſuerit poſteris (*t*), decimam nempe iis ſervandi, quibus Deus præſcripturus fuiſſet, uti factum conſtat ſub lege. Cenſent nonnulli, oblatas ab illo decimas Melchiſedecho; ſed num eâ ætate viveret Melchiſedech, ambigitur maximè: agebat ille CLI annos, cùm fauſta imprecatus eſt Abrahamo, avo Jacobi. Arbitrantur alii, oblatas ab illo decimas in holocauſtum ſuper altare a ſe erectum (*u*). Incerta omnia.

C A P U T XXIX.

Jacob in Haram veniens, ſervitutem ſeptennalem promittit pro ducendâ Rachele filiâ Labani. Ipſâ nuptiarum nocte Lia loco Rachelis ſubſtituitur. Septem aliis annis ſervit pro Rachele. Oriuntur Ruben, & Simeon, & Levi filii Liæ.

℣. 1. Profectus ergo Jacob venit in terram Orientalem.
℣. 2. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes juxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os ejus grandi lapide claudebatur.
℣. 3. Moriſque erat ut cunctis ovibus congregatis devolverent lapidem, & refectis gregibus rurſum ſuper os putei ponerent.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PROFECTUS JACOB VENIT IN TERRAM ORIENTALEM. Hebræus ארצה בני קדם, *Ad Terram filiorum Orientalis*. Satis conſtat, Meſopotamiam & regiones Tranſeuphratæas *Kedem* vel Orientem appellari in Scripturâ. Ex universâ hujus hiſtoriæ ſerie inſinuatur, Jacob e paternâ domo omnibus deſtitutum rebus exiiſſe, ſine equo, ſine famulo, ſine divitiis. Properare cogebat metus Eſau, tum & ſtudium fugam ſuam celandi in causâ fuit, cur nihil ſumeret, niſi quos per ſe deferre poterat commeatus (*a*).

Narrant Rabbini, exiiſſe illum e paternâ domo frequenti ſatellitio, & divitiis plurimis onuſtum; quod cùm reſciſſet Eſau, obvium miſiſſe Eliphaz filium ſuum natu majorem, a quo omnibus expoliatus eſt. Sed Jacob ipſe de ſe prodit, ſe trajeciſſe Jordanem, habente nonniſi ſcipionem munitum (*b*). Septuaginta vel Gloſſatores illorum addunt: *Ivit in terram Orientis ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem autem Rebeccæ matris Jacob & Eſau.*

℣. 3. MORIS ERAT, UT CUNCTIS OVIBUS CONGRA-

(*t*) *Oleaſter.* (*u*) *Cajet.* (*a*) *Geneſ.* XXVIII, 18. (*b*) *Geneſ.* XXXII, 10.

℣. 4. Dixitque ad Pastores: Fratres, unde estis? Qui responderunt: De Haran.

℣. 5. Quos interrogans, Nunquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt, Novimus.

℣. 6. Sanus-ne est? inquit: Valet, inquiunt: Et ecce Rachel filia ejus venit cum grege suo.

℣. 7. Dixitque Jacob: Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducantur ad caulas greges: date antè potum ovibus, & sic eas ad pastum reducite.

℣. 8. Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur & amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges.

℣. 9. Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat.

℣. 10. Quam cùm vidisset Jacob, & sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui: amovit lapidem quo puteus claudebatur.

℣. 11. Et adaquato grege, osculatus est eam, & elevata voce flevit;

℣. 12. Et indicavit ei quòd frater esset patris sui, & filius Rebeccæ: At illa festinans nuntiavit patri suo.

℣. 13. Qui cùm audisset venisse Jacob filium sororis suæ, cucurrit obviam ei: complexusque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis tamen causis itineris,

COMMENTARIUS.

GREGATIS DEVOLVERENT LAPIDEM. Hebræus: *Et congregabant se illic omnes greges, & revolvebant lapidem super os putei.* Raræ erant aquæ in eo Mesopotamiæ tractu, nec ostia puteorum, nisi cùm simul convenissent greges, aperiebantur. Porrò lapis iste os putei obstruens, non amplæ utique molis fuisse videtur, nec opus fuisse, ut pastorum omnium manos ad eam rem admoverentur; solus enim ipse per se Jacob removit.

℣. 4. FRATRES, UNDE ESTIS? Chaldaicè loquitur Jacob; eodemque sermone loquentibus, jam inde ab ingressu in Mesopotamiam, eâdem pariter linguâ respondet. Vernaculus Chaldæorum sermo plurimùm facilè accedebat ad Chananæum; vel fortè Jacob Chaldæum didicerat in domo patris sui unà cum Hebraico, qui per Chanaanitidem usu obtinebat. Ex consequentibus constat (c) Chaldaicum vel Syriacum idioma cum Hebraico per omnia non convenisse; sed nec discrepasse plurimùm, demonstrant Hebraica nomina filiis suis a Liâ imposita: & facilè etiam Abrahami ætate nihil erat inter illa discriminis. Sensim divortium inductum eo tandem devênit, ut sub Ezechia Hebræi Syriacum vel Chaldæum nihil penitus assequerentur (d).

℣. 5. LABAN FILIUM NACHOR. Laban nepos erat Nachoris, & filius Bathuelis; sed nomen Nachor multò celebrior erat in Haran ac Bathuelis.

℣. 6. SANUS NE EST. Hebræus: *Nunquid pax ei?* vel *Habetne pacem?* Pacis nomine quodcumque felicitatis genus in Scripturâ censetur. Salutationes plerumque in hæc verba dabantur: *Pax vobis.*

℣. 9. ECCE RACHEL - - - NAM GREGEM IPSA PASCEBAT. Hebræus Massoretarum reddi potest: כי רעה הוא *Ecce Rachel cum grege Patris sui, quia ipse erat pastor.* Sed alia exemplaria habent היא, *Ipsa.* Septuaginta: Αὐτὴ γὰρ ἔβοσκε, *Quia ipsa pascebat* gregem.

℣. 10. CONSOBRINAM SUAM. S. Hieronymus plerumque reddit *consobrinam*, quod in Hebræo est *filiam Laban fratris Rebeccæ matris suæ.*

℣. 11. OSCULATUS EST EAM, ET ELEVATA VOCE FLEVIT. Non priùs Jacob puellam necessariam suam osculatus est, quàm ab illâ de conditione suâ fieret certior. Mos erat ejus regionis, ut se osculo salutarent (e). Vide quæ contulimus ad Genesis XXIV, 26. Ingemuisse Jacob putant quidam, quòd pauperem se nudumque doleret, ac imparem proinde muneribus pro voluntate donandi puellam.

℣. 12. QUOD FRATER ESSET PATRIS SUI, ET FILIUS REBECCÆ. Jacob nepos erat ex fratre Bathuelis, patris Labani, & Rebeccæ. Nomen *fratris* adeò fermè latè patet apud Hebræos, ac *consanguineus* apud Latinos, & *parent* apud Gallos.

℣. 14

(c) *Genes.* XXXI, 48. (d) 4 *Reg.* XVIII, 26. *Vide & Jerem.* V, 15. *Baruch.* IV, 15. (e) *Strab. lib.* XV, *ex Herodot.* τῶν κατὰ τὰς ὁδοὺς συναντώντων τοὺς μὲν γνωρίμους καὶ ἰσοτίμους φιλοῦσι προσιόντας, τοῖς δὲ ταπεινοτέροις παραβάλλουσι τὴν γνάθον καὶ δέχονται ταύτῃ τὸ φίλημα. οἱ δὲ ἔτι ταπεινότεροι προσκυνοῦσι μόνον.

℣. 14. Respondit: Os meum es, & caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis unius,

℣. 15. Dixit ei: Num quia frater meus es, gratis servies mihi? Dic quid mercedis accipias?

℣. 16. Habebat verò duas filias, nomen majoris Lia: minor verò appellabatur Rachel.

℣. 17. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu.

℣. 18. Quam diligens Jacob ait: Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis.

℣. 19. Respondit Laban: Melius est ut tibi eam dem, quàm alteri viro; mane apud me.

℣. 20. Servivit ergo Jacob pro Rachel septem annis: Et videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

COMMENTARIUS.

℣. 14. Respondit: Os meum es, et caro mea. Hæ loquendi phrases animorum per omnia consensionem demonstrant. In ea verba exclamavit Adam, cùm primùm Evam aspexit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne meâ* (f). Hisce pariter Laban favorem suum & patrocinium Jacobo promittit.

Postquam impleti sunt dies mensis unius. Mensem egit Jacob in domo Labani, nihil de consilio suo ducendi Rachelem significans. Laban, ait Josephus, gregis sui curam illi commisit, æqua se repensurum pollicitus; sed Jacob mercedis loco Rachelem tantùm postulavit.

℣. 17. Lia lippis erat oculis. Septuaginta (g): *Oculi autem Liæ infirmi*. Onkelos & Arabs pulchros habuisse illam oculos habent. Aquila & Symmachus: *Oculis teneris*. Hebræum *Raccoth* significat tenerum, delicatum, infirmum, quod in utramque partem usurpatur. Tenent nonnulli, Scripturam cùm alteram alteri ex sororibus opponit, sua utrique decora assignasse. Lia elegantibus erat oculis, sed formæ venustate sororem vincebat Rachel, decorâ facie & venusto aspectu; vel juxta Hebræum: *Pulchra formâ, & pulchra aspectu*. Reputari etiam posset, venustatem Rachelis lippitudini sororis opponi.

In hac duarum sororum historiâ agnoscunt Patres (h) grande illud mysterium reprobatæ Synagogæ, & Ecclesiæ ex gentibus assumptæ. Lia prima veniens ad connubium, veræ sponsæ gradum obtinuit, sed in amore sponsi secundarias habuit partes. Jacob tandem ducit sibi Rachelem, quam unicè semper amaverat, habebatque veluti laborum suorum omnium pretium: & amor illius amorem prioris sponsæ veluti extinxit. Jacob typus est Jesu Christi; Rachel Ecclesiæ; Lia Synagogæ; singulorum dotes congruunt exemplaribus.

℣. 18. Serviam tibi pro Rachel septem annis. Veteri more solebant viri emere sibi, atque dotem solvere uxoribus. Sichem (i) postulans connubium Dinæ filiæ Jacobi, *Augete*, ait, *dotem, & munera postulate; & libenter tribuam, quod petieritis*. Abraham (k) ditissima munera Eliezeri credit, cùm postulatum nuptias Rebeccæ pro Isaaco illum mittit. David centum præputiis Philistinorum comparat sibi Michol filiam Saulis (l). Siclis xv, ac mensurâ & semis hordei Oseas (m) uxorem suam emit. Docent Rabbini (n), vetari ne vir vel unico momento cum sponsâ suâ maneat, nisi solutâ dote. Nulla connubia sine dote.

Quamvis autem viri emerent dotarentque uxores in eâ regione, addebant tamen plerumque novæ nuptæ necessarii aliqua, quæ simul cum dote cedebant fœminæ. Laban singulis filiabus suis ancillam tribuit, ac nihil ultra: dotis illarum proventus usurpat sibi; qua de re queruntur illæ cap. XXXI, 15: *Nonne quasi alienas reputavit nos, & vendidit, comèditque pretium nostrum*.

Eodem pariter more solvendi dotes uxoribus utebantur veteres Græci (o), Ægyptii, Indi (p), Germani (q). Nota erant apud Romanos connubia per coëmptionem, quibus pretio emebantur uxores. Obtinet idem pariter mos hodie apud Tartaros (r), & Turcas (s); quæ postremæ gentes plus offerenti filias vendunt, & pretium cedit vendenti.

Agit Herodotus (t) de extraordinario quodam Babylonum more, quo maximè Labani cum Jacobo historia illustratur. Singulis annis nubiles filiæ conveniebant, singularumque auctio fiebat a præcone, exordio facto ab eâ, quæ venustate cæteris præcederet. Priores pluris semper æstimabantur, & auctio promovebatur pro viribus; relata inde pecunia impendebatur in dotem puellarum, quæ minùs venustate valerent; quorum connubia permissa iis, qui minus pretium illis ducendis exigerent. Ita omnes locabantur.

℣. 20. Videbantur illi pauci dies. Monstri loco hæc haberentur, si Jacob optatis nuptiis nonnisi post impletum septennium potitus est: quis

(f) *Genes.* II, 23. [g] עיני לאה רכות *Septuag. Infirmi*. Α'σθενεῖς. *Aq. Sym.* ἁπαλοὶ *Teneri*. (h) *Justin. Dialog. cum Tryphone. Hieron. ep. ad Ageruchiam*. (i) *Genes.* XXXIV, 12. (k) *Et* XXIV, 53. (l) 1. *Reg.* XVIII, 25; & 2 *Reg.* III, 14. (m) *Osee* III, 2. (n) *Apud Selden. uxor Hebr.* 11, c. 9. (o) *Theocrit. Idill.* 18. *Homer. Iliad. II.* (p) *Strab. lib.* 15. (q) *Tacit. de morib. German.* (r) *Paul. Venet. lib.* 1, c. 57. (s) *Bellon. lib.* III *observat.* c. 57. (t) *Herodot. lib.* 1, c. 196.

℣. 21. Dixitque ad Laban: Da mihi uxorem meam, quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam.

℣. 22. Qui vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias.

℣. 23. Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum.

℣. 24. Dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cùm ex more Jacob fuisset ingressus, facto manè vidit Liam;

℣. 25. Et dixit ad socerum: Quid est quod facere voluisti? Nonne pro Rachel servivi tibi? Quare imposuisti mihi?

℣. 26. Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, ut minores ante tradantur ad nuptias.

℣. 27. Imple hebdomadam dierum hujus copulæ, & hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es mihi septem annis aliis.

℣. 28. Acquievit placito: & hebdomadâ transactâ, Rachel duxit uxorem.

℣. 29. Cui pater servam Balam tradiderat.

℣. 30. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, serviens apud eum septem annis aliis.

COMMENTARIUS.

enim credat, impensè amantis desiderio breve videri moram, septennii dilationem? Verùm septennii famulatus pro momento computabitur, si optatis nuptiis statim ab initio septennii positus est, post datam de septennali illâ servitute fidem.

℣. 21. DA MIHI UXOREM MEAM, QUIA TEMPUS IMPLETUM EST. Connubium illud statim decretum est, invaluitque ex quo Laban assensum præstitit, & Jacob inter ac Rachelem conjugii data est fides; sed Rachel tamdiù abstinuit a viro, donec nuptiæ celebrarentur.

Censent plerique, & obvius est literæ sensus, nonnisi post expletum septennium uxorem viro permissam. Nos tamen cum Usserio, Junio, Tremellio aliisque malumus statim post pacta nuptialia conjugem viro datam ante expletum septennium. Verba illa, *Tempus impletum est*, exponunt: Eâ sum ætate, ut de constituendâ familiâ seorsum cum conjuge meâ sit mihi jam cogitandum. Agebat tunc Jacob ætatis LXXVII annos.

℣. 22. VOCATIS MULTIS AMICORUM TURBIS. Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta: *Invitatis omnibus loci incolis*.

℣. 23. VESPERE LIAM FILIAM SUAM INTRODUXIT AD EUM. Nec Lia nec Laban ab enormi crimine excusari queunt. Lia adulterii, Laban ejus procurati reus. Obstrictam fidem suam deserit; pacta conventa cum Jacobo violat; dolo circumvenit simplicem; Liam probro exponit, si quidem Jacob, fraude intellectâ, illam ejecisset a thoro. Ut autem Jacob Liam non agnosceret, illud fecit, quod nimirum Jacob ductus fuerit in conclave, ubi jam Lia detinebatur. Recurrit mos idem in Tobia (*u*), qui conjugem sibi adscivit, ut hìc Jacob, in Chaldæâ. Idem & apud Romanos invaluit. Catullus: *Iam licèt venias, marite, Uxor in thalamo tibi est*. Apud Græcos vir primus in thalamum veniebat (*x*), tum velata uxor introducebatur.

℣. 24. AD QUAM CUM EX MORE JACOB FUISSET INGRESSUS. Illud *ex more* superfluit, ac deest in Hebræo ceterisque versionibus.

℣. 25. QUARE IMPOSUISTI MIHI? Jacob dolo circumventus est, quemadmodum ipse antea patrem suum Isaacum circumvenerat. Conjugium hoc Liæ pro Rachele, & primò venientis ad nuptias, quamquam secundarias haberet in amore viri partes, non vacat utique a mysterio, quemadmodum mysterium agnovimus in benedictione, quam Jacob furto surripuit a Patre, decepto Esau. Porrò error Jacobi, qui Liam tenens Rachelem tenere se arbitrabatur, satis superque fuisset causæ, ut Liam, etiam introductam in thorum, repudiaret. Est enim error naturam ipsam contractûs vitians; nec enim pactis standum est nisi sponte, & re agnitâ, ineantur. Ab adulterio idem Jacob excusatur; ejus enim error immunis est a crimine. Quare si conjugium illud ratum est, id totum petitur ex assensu viri, post errorem agnitum.

℣. 26. NON EST IN LOCO NOSTRO CONSUETUDINIS, UT MINORES ANTEA TRADANTUR AD NUPTIAS. Frigidè hæc obtendit Laban (*y*): quomodo enim speciem exhibere potuisset nuptiarum cum Rachele; quomodo ad illarum solemnia necessarios invitasset, siquidem nefas fuisset juniores filias ante natu majores nuptui tradere? Ad hæc, quomodo recepta in Vulgus consuetudo vim legis obtinere potuisset, ut excusaret Labani illud cum Jacobo factum?

℣. 27. IMPLE HEBDOMADAM DIERUM HUJUS COPULÆ. Hebræus tantùm: *Comple hebdomadam hujus*

(u) *Tob.* VIII, 19. & *Introduxit illuc Saram*. *Et* VIII, 1. *Postquam cœnaverunt introduxerunt Juvenem ad eam*. (x) *Vid. apud Theocrit. Epithalam. Helen.* (y) *Menoch.*

ỷ. 31. Videns autem Dominus quòd despiceret Liam, aperuit
vulvam ejus, sorore sterili permanente.
ỷ. 32. Quæ conceptum genuit filium, vocavitque nomen ejus Ann. Mundi 2246.
Ruben: dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit
me vir meus.
ỷ. 33. Rursumque concepit & peperit filium, & ait: Quoniam Ann. Mundi 2247.
audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum
mihi, vocavitque nomen ejus Simeon.
ỷ. 34. Concepitque tertiò, & genuit alium filium, dixitque: Ann. Mundi 2248.
Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eò quòd pepere-
rim ei tres filios: idcircò appellavit nomen ejus, Levi.
ỷ. 35. Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modò confi- Ann. Mundi 2249.
tebor Domino. Et ob hoc vocavit eum Judam: cessavitque
parere.

COMMENTARIUS.

jus, i. e. hebdomadam agas cum Liâ, seu nuptialem hebdomadam sustine. Putant aliqui, Jacobum altero septennio post prius illud expletum servisse, antequam Rachele potiretur. Josephus & Interpretes nonnulli in eamdem sententiam concedunt. Multò tamen potiori jure alii (z) arbitrantur postulari tantùm a Labano, ut expleat septimanam nuptialem cum Liâ, tum illi concessurum se Rachelem, novarumque nuptiarum pompam celebraturum; eâ tamen conditione, ut post connubium adhuc septem annis pro Rachele serviat. Hunc sensum determinant quæ proximè sequuntur: *Et hebdomadâ transactâ Rachel duxit uxorem*. Nimis profectò arduum est explicare historiam de septimanâ annorum; obvia enim significatio hebdomadam dierum præfert; quo temporis spatio absolvebantur festa nuptialia, uti constat ex historiâ Samsonis (a). In eam sententiam locum exponit Syriacus: *Perfice convivium istius*. Apertè etiam huic explicationi favet ỷ. 30. *Tandem potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, serviens apud eum septem annis aliis.*

ỷ. 31. VIDENS DOMINUS QUOD DESPICERET LIAM. Multò pressiùs etiam Hebræus, Chaldæus & Septuaginta. *Videns, quòd odio habebatur Lia*: quod tamen mitiùs exponendum est. His enim verbis exprimit Scriptura remissiorem quemdam amorem, minus studii, æstimationis minus. In Deuteronomio XXI, 15, præcipit Deus ne vir duas habens uxores, dilectam unam, alteram *odiosam*, i. e. minùs dilectam, *filium odiosæ*, fortè natu majorem, a successione excludere integrum sibi ducat. Rachel uxor erat dilecta. Lia *odiosa*, minùs dilecta. In eum sensum Jesus Christus monet Discipulos, ut odio habeant parentes (b); denuncians pariter, nunquam dividi posse hominum inter duos heros famulatum, nisi simul alter ex illis odio habeatur, i. e. minùs diligatur, alter ametur, i. e. diligatur magis [c].

ỷ. 32. RUBEN (d). *Filius visionis*: Vidit Deus meam humilitatem.

ỷ. 33. SIMEON (e). *Dominus audivit me*.

ỷ. 34. NUNC QUOQUE COPULABITUR MIHI MARITUS MEUS. ... Septuaginta (f) *Erit mecum*. Vatablus: *Adhærebit mihi*: unicè me diliget.

LEVI [g], vinculum, pignus conjunctionis meæ cum viro meo.

ỷ. 35. JUDA [h], confessio, laus, laudo Dominum &c. Sive *Juda* significare potest laudabilis.

Intelligimus ex Eusebio (i), veteres Paganos Scriptores, mensem ipsum, quo auctus est filiis Jacob, adnotasse; quòd illos non aliter tenuisse reputamus, quàm ex traditione Judæorum; nihil enim eâ de re Moyses.

CA-

(z) *Chrysost. homil.* LVI *in Genes. Hieron. tradit. Hebr. Vide Selden. de Jure Nat. & Gent. lib.* v, *c.* 5.
(a) *Judic.* XIV, 12, 15, 17. (b) *Matt.* x, 37; *& Luc.* XIV, 26. (c) *Matt.* VI, 24.
(d) *Vidit filium* ראה בן (e) *Audivit* שמע (f) ילוה אישי אלי: Πρὸς ἐμοῦ ἔσται ὁ ἀνήρ μου. *Aqu.* Συνάψεται μοι ὁ ἀνήρ μου. (g) *Adhærere*. ליה (h) *Laudo*. ידה הודה
Demetr. apud Euseb. Præpar. l. 9, *c.* 21.

CAPUT XXX.

Oriuntur Dan & Nephtali, filii Balæ ancillæ Rachelis; & Gad & Aser ex Zelphâ ancillâ Liæ. Ruben mandragoras defert ad Liam, quas sibi emit Rachel. Ex Liâ nascuntur Issachar, Zabulon & Dina, ex Rachele tandem Joseph. Jacob in Palæstinam reditum statuit. Cum Labano convenit.

Ann. Mundi 2250. ℣. 1. CErnens autem Rachel quòd infœcunda esset, invidit
sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar.
℣. 2. Cui iratus, respondit Jacob: Num pro Deo ego sum, qui
privavit te fructu ventris tui?
℣. 3. At illa: Habeo, inquit, famulam Balam: ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, & habeam ex illa filios.
℣. 4. Deditque illi Balam in conjugium: quæ,
℣. 5. Ingresso ad se viro, concepit & peperit filium.
℣. 6. Dixitque Rachel: Judicavit mihi Dominus, & exaudivit
vocem meam, dans mihi filium, & idcircò appellavit nomen
ejus Dan.
℣. 7. Rursumque Bala concipiens, peperit alterum,

COMMENTARIUS.

℣. 1. CERNENS RACHEL, QUOD INFOECUNDA ESSET, INVIDIT SORORI SUÆ. In uxorum pluralitate simultas & invidia vix evitantur; & tunc minùs, cùm germanæ sorores eidem viro copulantur. Ægris licet oculis Rachel sororem suam aspiceret, nullo tamen bono, quod ad eam pertineret, expoliandam illam suscepit. Nec pariter optavit unquam, ut Lia filiis, non secus ac Rachel ipsa orbabatur, careret. Animum tantùm illius pulsabat amor habendi liberos, non secùs ac Lia. Nullus abhoc Rachelis voto livor nascebatur, impius, inquam, livor quo alterius bona ægris interdum oculis aspicimus. Laudabile etiam votum illud esse potuisset, quemadmodum & viri Sancti laudabili æmulatione exprimere in se student aliorum virtutes. Nec tamen excusandam hìc prorsus Rachelem suscipimus: potuit & crimen admisisse; sed potuit æquè a crimine excusari, gestaque illius omnia in bonam partem accipi. Vehementer illam reprehendit S. Chrysostumus, *hom.* 2, *in Genes.* Defendunt alii.

DA MIHI LIBEROS, ALIOQUIN MORIAR. Verba illa ad literam ideam ingerunt animi impatienter rem ferentis, impotentis, & desperationis speciem quamdam admittentis, indignam proinde fœminâ spectatæ virtutis & sapientiæ. Docet S. Chrysostomus, Rachelem zelotypiâ furentem plena insaniæ verba, *ἀνοίας ἀνάμεστα ῥήματα* protulisse; nec insipienter adeò loquentem illam ferre potuisse absque indignatione Jacobum, qui pariter verbis illam castigavit. Ad minuendam tamen verborum ejusmodi emphasim, reputant alii, rogasse illam virum, ut precibus suis fœcunditatem sibi impetraret, quemadmodum Isaacum Rebeccæ impetrasse norat: Exponit Jacobo, se liberis orbatam perinde esse in mundo, ac mortuam & sterilem radicem (k). *Quasi mortua reputor ego* (l).

℣. 2. NUM PRO DEO EGO SUM? Quid postulas a me prodigia, quasi a Deo? Arabs: *Num supra Deum sum ego, qui privavit te fructu ventris?* Onkelos: *Nunquid a me tu petis filios? Nonne a facie Domini debuisses petere?*

℣. 3. HABEO FAMULAM BALAM: INGREDERE AD ILLAM, UT PARIAT SUPER GENUA. Balam & Zelpham, quamquam Racheli & Liæ subditas, nequaquam tamen mancipii jure serviisse, censet Josephus (m). Grotius autumat, vocem אמה, *Amath*, non semper ancillam significare, sed interdum usurpari pro fœmina addictâ mulieri alicui Principi in honoris famulatum (n).

PARIAT SUPER GENUA MEA. Hæ loquendi phrases recurrunt cap. L, 22, ubi de filiis Machir, natis super genua Josephi, i. e. impositis, post ortum, super genua illius. Et Job III, 12: *Quare exceptus genibus? cur lactatus uberibus?* Psalmus XXI: *In te projectus sum ex utero.* Ap-

(k) *Vatabl. Munst. &c.* (l) *Jun. & Tremell.* (m) *Joseph. Antiq. lib.* 1, *cap.* 19. *Δούλας μὲν οὐδαμῶς, ὑποτεταγμένας δὲ αὐταῖς.* (n) *in Exod.* 21, 5.

℣. 8. Pro quo ait Rachel: Comparavit me Deus cum forore mea, & invalui: vocavitque eum Nephtali.
℣. 9. Sentiens Lia quòd parere desiisset, Zelpham ancillam suam marito tradidit.
℣. 10. Qua post conceptum edente filium,
℣. 11. Dixit: Feliciter; & idcircò vocavit nomen ejus, Gad.

COMMENTARIUS.

Apparet moris hujus vetustas in Homero (o). Euriclea nutrix Ulyssis eundem puerum vix natum super genua avi constituit; monens ut illi nomen imponat. Amyntor pater Phœnicis indignatione in filium suum emotus imprecatur illi (p), *Ne unquam genibus suis (ipsius) imponat dilectum filium*. Et apud Terentium Sostrata de Eschino, *Adelph. Act. 3, Sc. 2. Qui se in gremio positurum puerum dicebat: patrem &c.*

Interpretes quidam Rachelis dictum exponunt: Dei illa mihi liberos, quos in meos adoptem. Rachel viri responso, in quo sapientiæ & firmitatis plurimum erat, edocta, æquiora reponit, ait S. Chrysostomus, testata, optare se liberos, quibus in divinarum promissionum Abrahamo, Isaaco, & Jacobo factarum consortium admitteretur; nec aliâ de caosâ se talia dixisse. Quò autem demonstret, eâ io re non commodum se suum habere præ oculis, sed viri, rogat virum, ut liberos sibi suscitet ex Balâ, quomodo olim Deus Saræ largitus est per Agar.

Chaldæus vertit: *Ego ero nutrix & suscipiam quoque ego filios ex eâ*. Syriacus: *Pariet super genua mea, & consolabor ego quoque per eam*. Arabs: *Pariet in sinu meo, & ædificabitur domus mea etiam ex ipsâ*. Expressit ille vim vocis אבנה *Ibbaneh*, deductæ ex radice *Banah*, ædificare, onde *Ben*, filius, quòd filii sint velut domorum fundamenta. S. Augustinus (q) olim adversùs Manicheos defendit Jacobum; accusabatur enim Jacob & ingentis criminis reus damnabatur, quòd simul quatuor fœminas duxisset. Demonstrat, nihil ab illo factum sive adversùs jus naturæ, sive adversùs morem, sive legem. Mos rata faciebat ea connubia, nec interdicebat lex. Ita verò rem præstitit Jacob, ut nec justitiam prorsùs læderet, nec naturam; oon enim voluptatis explendæ cupiditate thorum in plures partitus est, sed filiorum gignendorum amore: quin & Liam sibi desponsam contra primum consilium suum; suadentibus autem Liâ & Rachele ancillas singularum admisit.

Dan Hebraicè est, *judicare*. Deus defensionem meam suscepit; Deus mibi adjudicavit.

℣. 8. Comparavit me Deus cum sorore mea, et invalui. Hebræum *Patal* adhuc iocertæ est significationis. Plerique ex recentioribus vertunt (r): *Luctationibus Dei luctata sum* (gravi scilicet luctâ) *cum sorore meâ, etiam potui*. Ex collatione Textuum, in quibus vox illa recurrit, insinuari videtur, significare illam callidè agere, sagacitate & artificio uti: plerumque tamen in deteriorem partem usurpatur: Ita Psalmo XVII, 27, quo loco Vulgata habet, *Cum perverso perverteris*, fert Hebræus: תתפתל, *Luctaberis cum doloso*, artificio utèris, cum iis, qui rectè non ambulant.

Insinuat hìc Rachel, sororem suam callidè supplantare se tentasse, quæ clam in noctis silentio sese introduxerit in thalamum, quò superventurus esset ad quiescendum vir; arte se tamen artem eluisse, Balâ famulâ suâ ad viri thorum introductâ.

Septuaginta vertunt (s): *Coassumpsit me Deus, & aggressa sum*; vel ex aliis, *colluctata sum cum sorore meâ, & valui*. *Aquila*: Συναvέστρεψεν με ὁ Θεός, καὶ συνανεστράφην: *Deus convertit me, & conversa sum*; quod quidem noo optimè sonat hoc loco. Observat S. Hieronymus, legi in Latinis quibusdam exemplaribus: *Habitare me fecit Deus habitatione cum sorore meâ, & invalui*. In hunc sensum reddi posset versiu Aquilæ, Onkelos: *Suscèpit Deus deprecationem meam, cùm deprecata sum*. Arabs: *Misericordiam a Deo consecuta sum cum sorore meâ*, vel *adversùs sororem meam*.

℣. 11. Dixit: Feliciter, et idcirco vocavit nomen ejus, Gad. Ardua sunt in hoc Textu multa. Reddi posset Hebræum (t): *Dixit: in Gad*, vel, *Per Gad*, vel, *Gad venit*; seu, *venit turba, exercitus, miles*; vel tandem, *Prosperitas venit*. Credunt aliqui, *Gad* significare Martem vel Jovem, sive Numen aliud, Liam verò ita loqui, quasi diceret: Opem ferente Jove, Marte, Gad, filium adhuc obtinui. Servant alii voces originales: *Dixit: Bagad; & vocavit nomen ejus, Gad*. E variis hisce ejusdem Textûs versionibus, hunc obscurum esse maximè, satis intelligimus.

Septuaginta (u): *Felix sum: & cognominavit nomen ejus, Gad*. Ad vocem *Bagad* aliquid notarunt Masoretæ in margine, insinuaturi vitiosâ ratione seriptum esse, ut significetur potiùs בא גד, *Ba-gad*, *Gad venit*, quàm *in* Gad; priorem sensum expressit Onkelos, אתה גד. Jacob in vaticinio de Gad ante obitum suum prolato *Genes.* XLIX, 14, lusum quemdam spectavit inter nomen Gad & Gedud

(o) *Odyss. T. v.* 400.
Παῖδα νέον γεγαῶτα κιχήσατο θυγατέρος ἧς
Τόν ῥά οἱ Εὐρύκλεια φίλοις ἐπὶ γούνασι θῆκε, &c.
(p) *Iliad.* IX.
(q) *L.* XXII, *contra Faust. c.* 48. & 49.
(r) נפתולי אלהים נפתלתי עם אחתי גם יכלתי
(s) Συναντελάβετο, *vel juxta alios*, Συνελάβετό μοι ὁ Θεός, καὶ συνανεστράφην τῇ ἀδελφῇ μου, καὶ ἠδυνάσθην. *Vox* συναναστρέφειν *usurpatur ad copias militum significandas, cùm simul junguntur, ut vel aggrediantur, vel repellant hostem. Verbum* στρέφω *neutrâ usurpatione sonat etiam* callidè agere, tergiversari &c.
(t) ותאמר לאה בגד ותקרא את שמו גד
(u) Εὐτύχηκα, καὶ ἐπωνόμασε τὸ ὄνομα αὐτοῦ Γάδ.

ŷ. 12. Peperit quoque Zelpha alterum.

ŷ. 13. Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam me dicent mulieres: propthereà appellavit eum, Aser.

ŷ. 14. Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras; quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filii tui.

COMMENTARIUS.

dud, quod est turma, manus militum seu prædonum; quo insinuaretur, genuinum sententiæ sensum hunc esse: *Dixit: Ecce ego mater turmæ filiorum*. En parvum exercitum. Favet nostræ expositioni Symmachus, *apud Coilinum*: Ἦλθεν Γὰδ, πειρατήριον: *Venit Gad, prædatorum manus.*

Usurpari etiam potest Gad tanquam Idoli nomen; quem sensum certissimè referre vocem illam docet Isaias LXV, 11; Judæis enim hæc exprobrat: *Vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum ejus, qui ponitis fortunæ* (Hebr. *Gad*) *mensam, & libatis super eam* (Hebr. *Gad.*) *mensam, & libatis super eam* (Hebr. *Meni*). Sed quale Numen Gad? Stellam Jovis eo nomine designant Arabes; sicut & quæcumque omnia bona sunt & benefica. Benignos astri hujus influxus celebrant Astrologi; ac sub eo natis felici horoscopo bona ominantur. Ejus sententiæ authores potissimi sunt, apud Grotium, R. Moyses Kimchi, & Abarbanel. Veteres etiam & Recentiores plerique nomine *Gad* fortunam intelligunt; nec aliter explicarunt Septuaginta: Εὐτύχηκα, vel ut alii, Εὐτύχη, vel ut Editio Romana, Ἐν τύχῃ.

Maluerunt alii tamen, Gad esse aciem in prælium instructam. Hebræum enim Gad derivari potest ex *Gedud*, turma Cœli: nec rarò Scriptura sydera & astra tanquam instructam aciem exhibet, cui præsunt veluti Rex & Regina Sol & Luna. Solemne est etiam Prophetis, ut nomine militiæ Cœli designent culta a Paganis astra & Reginæ Cœli Lunam; sicut & *Deus sabaoth*, Deus exercituum, Deus Cœli & astrorum, quæ apud Orientales omnes divinis honoribus colebantur. Eò facilè spectans Aquila (x) vertit: *vênit accinctus*, i. e. *procinctus*, vel *acies in procinctu*; vênit nempe mihi acies instructa.

En nostras conjecturas in Textum Isaiæ, unicum, unde certa nominis Gad significatio deduci possit. Cùm *Gad* jungatur ibi cum *Meni*; insinuentque ambo culta a Paganis Numina: suspicor *Gad* loco solis, & *Meni* Lunæ positum; sive *Gad* & *Meni* unum esse idemque Numen, scilicet Lunam vel Solem. Utrumque sensum commodè admittit Textus Prophetæ. *Qui paratis Gadi mensam, & impletis Meni libationem*. Secundum sententiæ hujus membrum facilè expositio est prioris, veluti si diceretur: *Paratis mensam, & impletis libamen Gadi, vel Meni*. Recurrunt hîc frequentissimè apud Prophetas; quorum stylus in uno eodemque versiculo bis verborum aliâ circumlocutione idem repetit.

Primum inter Numina Persarum, Armenorum, & Cappadocum (y) locum tenebat *Amanus*, i. e. *Hammani* הָמָנִי, vel *Meni*: varia enim hæc nomina unum sunt idemque: vel *Orimanis* (z), cui jungitur *Oromases*, vel *Oromagdus*. Scitum est pariter, Numina per universum Orientem culta fuisse Solem & Lunam (a). Oromagdus Deus erat beneficus, maleficus Arimanius, ideo tantùm precibus exoratus, ut mala, quæ facilè inducebat, averteret. *Oromagdes* derivari potuit ex *Aram Gad*, Gad Syrorum. Bonæ fortunæ Numen erat. Zoroaster Theologiæ Chaldaicæ author, docebat, Oromazum, & Arimanium veluti duo esse principia, quorum illud bonum, hoc malum: sacrificiis ambobus litabatur; ille quidem, ut bona daret; huic verò ut mala averteret. Veteres horoscoporum authores asserebant, inter duodecim signa, hominum natalibus præsidentia, denotare Solem, Ἀγαθοδαίμονα, bonum genium; Lunam, Ἀγαθὴν, τύχην, bonam fortunam, & hæc juxta doctrinam Hermetis Ægyptii.

Fœturis hominum præsides Deos quatuor assignari ab Ægyptiis, asserit Macrobius, *l. 1 Saturn. c. 19*, videlicet Δαίμονα, bonum Genium, Τύχην, bonam fortunam, Ἔρωτα Amorem, Ἀνάγκην Necessitatem. Duo priores exprimunt Solem & Lunam. Vetus Astrologus Ms. cujus fragmenta quædam donavit Seldenus (b) Κλῆροι τῆς τύχης, καὶ τοῦ Δαίμονος σημαίνουσι ἥλιόντε, καὶ σελήνην: *Sortes fortunæ & Genii designant Solem & Lunam*. Potuit ergo Lia, filium gignens, invocare, & dicere: *In Gad*, vel, *Gad venit*, seu *Gad nunc veniat*; Numine *Gad*, vel Solis, quod benigno aspectu influere in genituras hominum censebatur, invocato. Ex quibus statuendum arbitramur, Liam superstitionibus Paganorum adhuc implicitam fuisse, & idololatriæ quædam vestigia mansisse adhuc in familiâ Jacobi, quæ repurgari prorsus non valuerunt, nisi post reditum illius in Chananitidem. Hujus rei argumenta sunt etiam Teraphim, quæ Rachel e paterna domo subduxit, & Dii alieni, quos afferri ad se mandavit Jacob, ut Palestinam attigit (c), superstitiosum illum cultum penitus aboliturus.

ŷ. 14. REPERIT MANDRAGORAS. Hebræum *Dudaim* דודאים, quod hîc *Mandragora*, aliter & aliter redditur ab Interpretibus. Authoritas Septuaginta (d) & Chaldæi (e) doctos plures Interpretes ad mandragoras inclinavit: nihilo tamen seciùs recentiores quidam Interpretes aliam quærere significationem religioni non duxerunt. Nec inter Rabbinos ipsos satis convenit, ut vocem de mandragoris exponant. Reddunt enim alii violas, lilia, jasminos, philtra: Junius flores gratos; Codurehus tubera.

Qui de mandragoris dictum exponunt, obser-

(x) *Vide Hieron. Quæst. Hebr.* Ἦλθεν ὑ ζῶσις. Coilin. ἦλθεν ἰυζαια *Venit prosperitas*. (y) *Strab. l. XI, p. 357: & l. XV, p. 485.* (z) *Plutarc. de Iside & Osiride. Vide Laërt. in proœmio. Vide Brisson. lib. II de Regis Persarum principatu.* (b) *Selden. de Diis Syr. Syntagm. 1, c. 1.* (c) *Genes. XXXV, 2, 4.* (d) *Septuag.* Μῆλα μανδραγορῶν. (e) *Chald.* יברוחין

servant, arbusculam illam elegantissima & gratissima odore poma referre. Habebatur apud Veteres tamquam præsentissimum ad excitandam Venerem philtrum; ut proinde maodragoræ poma nomen obtinerent pomorum amoris, & diceretur Venus *Mandragoritis*. Appellantur etiam hæc poma *Circeja*, quòd illis usa crederetur Circe in medicaminibus venenisque suis conficiendis (*f*). Xenophon in Coovivio loquentem Socratem inducit, qui depulsum tædium & mœrorem a Maodragorâ profitetur. Julianus Imperator in epistolâ ad Calixenum scribit, Mandragoræ succum potasse se, quò ad venerem incitaretur. Donari fœminis hoc pharmaco fœcunditatem, asserit Aristoteles (*g*); nec rara essent Veterum testimonia pro adstruendâ illorum persuasione, aptissimam esse Mandragoram ad procurandos filios; quod uoicum erat votum Rachelis. Agit Scriptura (*h*) de grato odore Dudaim; quod ipsum de Mandragorâ affirmat Dioscorides (*i*). Hebræum *Dud* est amor seu papillæ. Hæc majoris momenti pro mandragoris: quibus addas testimonium S. Augustini (*k*), asserentis, curiosiùs spectare se illa voluisse; habere autem se persuasum, Rachelem mandragoræ desiderio teneri, quòd illam cæpisset ejus pulchritudo, raritas, & suaveolentia.

Sed hisce repugnat judicium recentiorum Medicornm inter frigida Mandragoram reponentium; ac proinde minùs favens opinioni, quam de illâ Veteres tenebant. Addunt, Mandragoras non tempore messis frumenti, sed autumno maturescere. Tandem e triplici Mandragorarum, quæ innotescnnt, genere, nullum iis dotibus pollet quas Scriptura in Dodaim observat. Primum genus, quod fœmina appellatur, foliis est lactucæ similimis, odore acuto & ingrato; poma ad cornu figuram accedunt, pallescuot, & olent. Nihil hic cum Dudaim Scripturæ, cujus fructus elegantiâ & odore recreant.

Secundi generis Mandragoræ pomis sunt duplo, quàm fœmellæ, majoribus, odore grato & colore ad croceum accedente. Sed plantæ hujus usus maximè suspectus est; venenosam credit Aetius, quòd vim habeat narcoticam. Sunt etiam qui stuporem ioducere cibum ex illâ gustantibus credant, languore cum vertigine ac tumore vultûs inducto, quæ subsequitur altus adeò stupor, ut, nisi prompto remedio levetur ægrotus, io convulsione intereat.

Tertii tandem generis appellatur *Morion*, *Mapirv*, vel stulta, e Græco Μώρια, *Moria*, stultitia. Præsentissimo est adeò veneno, ut ejus vel unica drachma, vel etiam rebus aliis admixta, emotæ statim mentis hominem faciat tribus vel quatuor horis, altum adeò letargum inducens, ut nec cauterio, nec membri abscissione sensus doloris aliquis afferatur: quare in eum usum Medicis est. Mandragoræ fautores, hujus plantæ desiderio teneri Rachelem, asseruisse vix credimus.

Afferemus hìc novas quasdam conjecturas de Dudaim, demonstraturi nomine illo hìc designari mala citrioa, mala medica, & aurea; unius enim ejusdemque generis censentur omnia.

Collatis simul omnibus Textibus, in quibus Dudaim recurrit, intelligimus, designari illis fructûs cujusdam genus in Mesopotamiâ (*l*) & in Judæâ non ignoti, circa messem frumenti maturescens, grato odore, servari facile (*m*), pomi speciem quamdam referens; cum malo enim granato conjungitur in locis parallelis (*n*). Reputari etiam posset, similitudinis esse aliquid inter Dudaim, & calathum (*o*) seu lebetem (*p*), quæ duo eodem pariter nomine in Scripturâ appellantur; sicut etiam cum papillis, quas nomine Dodaim expressas constat. Amor, seu Dilectus, appellatur etiam *Dod* (*q*); unde conjectura, fructum Dodaim exquisitissimum fuisse. His Scripturæ coloribus pingitur Dodaim; quibus in cognitionem fructûs illius veniamus. Hæc autem omnia nulli melius, quàm malo citrino, conveniuot.

Fructus est notus adeò in Assyriâ, Mediâ, Perside, & Mesopotamiâ, ut dictum sit *pomum Assyrium*, *Persicum*, *Medicum*, & de illo Plinius l. 12, 3. *Nisi apud Medos & in Perside nasci noluit*. Successu tamen temporis translata semina in Assyriam, Ægyptum, Græciam, Jtaliam, & alibi, familiarem plantam reddiderunt. Asserit Brocardus (*r*), frequentibus consitam esse malis citrinis Judæam; quæ saccaro condita magoo numero, ad juscula & reliquas ciborum delicias conficiendas adhibentur.

Citrinæ plantæ, sicut etiam aureorum malorum, nunquam non ferunt fructus suos; cadentibus enim nimiâ maturitate aliis, alii sensim maturescunt; & cùm aliæ florent, novæ pariter gemmæ turgescunt (*s*): *Arbor omnibus horis pomifera est, aliis cadentibus, aliis verò subnascentibus*. Inter eas Judææ plaotas reputatur, de quibus Brocardus: *Sæpè videas unam arborem simul flores, & fructus maturos gestare*. Singularem illam mali citrini proprietatem spectisse credo Sponsam Canticorum VII, 13: *Dudaim dederunt odorem; in portis nostris omnia poma, nova & vetera*, (selectissima) *dilecte mi, servavi tibi*; i. e. mala citrina matura jam & collecta, & quæ ex arbore adhuc pendent. Verborum usum spectat hìc Sponsa inter *Dudai*, ubera mea, & *Dudaim*, mali citrioa vel aurea. *Dabo tibi ubera mea* [Hebr. *Dudaim*]; *mandragora* (*Dudaim*) *dederunt odorem suum*. Poma citrina & aurea, papillæ formam non male exprimunt, & Græcum Τίτθος, *Titthos*, papilla, facilè derivatur ex Hebræo *Dod* vel *Dud*, vel *Tnth*.

Quod ad odorem Dodaim, satis in Scripturâ expressum, ut fructum illum distinguaious, ex Veterum, & Recentiorum assensu ipsâque experientiâ edocemur, mala citrina inter gratissimi odoris fructus, palmas sibi vindicare. Flos, folia, fructus, cortex mali aurei, & citrini, odoris suavitate recreant. Pluris æstimabatur olim apud Veteres, quàm apud oos hodie. Plinius de oleo sive unguento e cedro expresso hæc scribit (*t*): *Quis primus invenerit* (unguenta) *non traditur. Iliacis temporibus non erant, nec thure supplicabatur: Cedri tantùm, & citri suorum fruticum in sacris fumo convolutum nidorem veriùs, quàm odorem noverant*. Tradit alibi (*u*), Parthis plurimo fuisse usui ad oris halitum leniendum. Et

(f) *Dioscorid. lib.* IV, *c.* 75. Κιρκαίαν καλοῦσι, ἐπειδὴ δοκεῖ ἡ ῥίζα φιλτρῶν εἶναι ποιητικὴ.
(g) *Lib.* II *de generatione animalium*. (h) *Cant.* VII, 13. (i) *Dioscor. lib.* 4, *c.* 76. Μῆλα ἐνώδη μετὰ βάρους τινός.
(k) *Lib.* 22 *contr. Faust. c.* 56. (l) *Genes.* XXX, 14. (m) *Cant.* VII, 13. (n) *Cant.* VI, *coll. cum* VII, 12. (o) *Jerem.* XXIV, 2. (p) 1 *Reg.* II, 14. & *Job* XLI, 11, &c. (q) *Cantic. passim*.
(r) *Brocard. Terra sancta descript. p.* 281. (s) *Plin. lib.* XII, 3. *Theophrast. apud Athenæum lib.* III, *c.* 7. (t) *Plin. lib.* XXIII, *cap.* 4; & *lib.* XIII, 1. (u) *Idem lib.* XI, *c.* 53.

℣. 15. Illa respondit: Parumne tibi videtur, quòd præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filii mei tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui.

COMMENTARIUS.

Virgilius, *Georgic. l 2, v. 126.*

. . . . . Animas & olentia Medi
Ora fovent illo, & senibus medicantur anhelis.

Nullus ejus usus apud Veteres in cibum, sed in odorem: *Pomum ipsum aliàs non manditur: odore præcellit* (x), *foliorum quoque, qui transit in vestes unà conditus, arcetque animalia.* Ejus generis vestes conditas unà cum citriois fructibus designasse creditur Homerus sub nomine Ε'ιμάτων θυωδέων, (y); Nævius vocat *vestes citrosas.* Amabant Veteres vestes odoratas, & unguento perlitas, ut alibi observavimus; censebant etiam, malum citrinum amuletum esse excellentissimum adversùs veoena & aëris vitia.

Quæ huc usque contulimus, Commentarii loco esse possunt Textui Cantici Canticorum, in quo Sponsa servasse se dicit Sponso nova & vetera Dudaim; & dum loquitor de grato ejus fructûs odore.

Aliam ad agnoscenda Dudaim conjecturam suppeditat Moyses, tradens, inventa illa a Rubeo tempore messis triticeæ, quod in Palestinâ, Syriâ, Ægypto, & Mesopotamiâ, incidit in Aprilem exeuntem, & ineuntem Majum. Porrò eâ anni tempestate nec mandragoræ, nec poma vulgaria in ijs regionibus maturescunt. Multò ergo propiùs vero credimus, inventa a Ruben & ad matrem delata mala aurea, vel citrina tempore messis triticeæ. In Textu Cantici, ubi de Dudaim, Sponsa Dilectum invitat: *Veni, egrediamur in agrum; manè surgamus ad vineas, si flores fructus parturiunt, & floruerunt mala punica . . . . . . Dudaim dederunt odorem.* Vernum ergo tempus agebatur, qua sanè tempestate nulla, præter citrina vel aurea, poma maturescere, & exhalare gratum odorem poterant.

Insionat Scriptura (z), Dudaim suaviter olere; jungitque illis, velut affine aliquod, malum punicum; si *Dudaim* mala citrina non significat, nullum erat, quantum scimus, in vernaculo eorum sermone hujus fructûs, notissimi utique Hebræis, nomen.

Appellant Judæi calathum, vel lebetem, nomine *Dudaim*; ideò fortè, quòd similitudinis esset plurimum inter illa & fructum ejus nominis; satis autem ad calathum accedit citrinus flos, subruber, & capillamenta quædam in imo fundo referens.

Hebræum *Dod*, quod est amor, seu Dilectus, conjecturam promovet, *Dudaim* fructum exhibuisse pulcherrimum, quod cum malo citrino quadrat. Et quidem Onkelos, Hebræi, Josephus, Syriacus, Arabs, Textum illum Levitici XXIII, 40: פרי עץ הדר *Fructum arboris pulcherrimæ*, quem delatum scribit ad Templum, die festâ Tabernaculorum, de malo citrino exponunt. Vero propiùs accedit, Veteres Judæos legisse fructum arboris הדד, *Hadded*, pro הדר, *Haddar*, magnificæ. Non semel mendum irrepsit in Scripturam Hebraicam, similitudine literarum Resch, & Daleth.

Quæ minima spectatur affinitas inter Hebræum Dudaim, & nomina mali citrini apud Græcos & Latinos, nihil valent adversùs nostram hanc sententiam. Reputaremus enim non incongruè, gentes illas ignorasse peculiare nomen mali citrini; vel satis habuisse, generali quadam & communi appellatione designare. Quærit Athenæus (a), an veteribus Græcis fructus ille innotuerit, observat autem, meminisse illius Jubam Regem Mauritaniæ, testantem pariter, appellare in Lybia *malum Hesperidum.* Demonstrat insuper, Theophrastum designasse illum non alio expresso nomine, quam pomorum Mediæ & Persidis. Ibi pariter notat Theophrastus fructûs illius nullum fuisse in cibis usum: unde observat Athenæus (b), degustari fructus cœpisse patrum suorum ætate; antea enim adhibebatur tantùm, ut inter vestes reconderetur in arculis, veluti res magni pretii.

Scribit Plutarchus, ætatis suæ senes spectasse exordium moris illius tunc regnantis, gustandi scilicet fructus citrinos. Antiphanes apud Athenæum asserit citrina mala nonnisi recentissimè innotuisse Athenis, missis eò a Rege Persarum seminibus. Putant alii, malorum ejusmodi omnium prima in Græciam venisse ex Africâ, producta e semine aureorum pomorum horti Hesperidum, de quo plura Veteres. Nomina illa *aurei pomi*, & *oranges* Gallico sermone, petuntur ex aureo fructûs illius colore. Nomen autem *pomi citrii* primò datum a Latinis huic fructui videtur: quod docet Pamphilus in suis Glossis. Porrò vox illa ex Hebræo קטר, *Ketter*, facilè deducitur: sonat autem suffire, gratum spirare. Asserit Macrobius *l. 3 Saturnal. c. 19*, designatum malum citrinum ab Homero nomine θυόν *thyon*, unde *thyoda*, & Philoxenus in suis Glossis illum appellat θύϊον, *thyion*; quod satis congruit cum significatione mali citrini juxta Hebræum; est enim grati odoris fructus. Ex his omnibus satis intelligimus, fructum illum seriùs cognitum apud Græcos & Romanos, ignoratum penitus ab illis fuisse genuinum ejus nomen, quod in patriâ regione obtinebat.

Reponeretur his facilè, magis notum fuisse malum illud in Mesopotamiâ, quàm ut tanto desiderio ejus potiendi teneretur Rachel. Sed contrà dicimus: I, Quamquam poma illa rara non essent in eâ regione, plurimi tamen æstimata fuisse, uti supra demonstravimus: II, Eximia fortè quædam invenit Ruben, quæ fœminæ desiderium excitarunt: III, De pretio rei alicujus ejusque raritate argumentum minùs congruè adducitur ex desiderio, quo in rem illam aliquis tenetur; sunt enim rerum circumstantiæ quædam, cùm maximè optamus quæ minùs viderentur optanda. Rosas interdum, pomum, violas, nunquam non occurrentes, quibusdam tamen rerum articulis enixè efflagitamus. IV, Tandem idem argumentum illos stringit, qui Dudaim exponunt de mandragoris, liliis, jasminis. Quis rara hæc credat? quis pluris æstimata quàm mala citrina & aurea, cùm vicissim illis minùs congruant dotes, quas Scriptura assignat Dudaim, quàm malis citrinis & aureis.

℣. 15. PARUMNE TIBI VIDETUR, QUOD PRÆRI-

(x) *Plin. lib. XIX, cap. 3. Vide & Theophrast. apud Athen. lib. 3 Dipnosoph.* (y) Ε'ίματα δ'ἀμφιέσασα θυώδεα σιγαλόεντα. [z] *Cantic. VII, 12.* (a) *Athen. Dipnosoph. lib. III, cap. 7.* [b] *Idem ibid.* Ὡς τι μέγα κειμήλιον ἀπετίθεντο ἐν τοῖς κιβωτοῖς μετὰ τῶν ἱματίων.

℣. 16. Redeuntique ad vesperam Jacob de agro, egressa est in occursum ejus Lia, & ad me, inquit, intrabis; quia mercede conduxi te pro mandragoris filii mei. Dormivitque cum ea nocte illa. Ann. Mun. di 2259.

℣. 17. Et exaudivit Deus preces ejus; concepitque, & peperit filium quintum,

℣. 18. Et ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo, appellavitque nomen ejus, Issachar.

℣. 19. Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium,

℣. 20. Et ait: Dotavit me Deus dote bona; etiam hac vice mecum erit maritus meus, eò quòd genuerim ei sex filios, & idcircò appellavit nomen ejus, Zabulon.

℣. 21. Post quem peperit filiam nomine Dinam.

℣. 22. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam, & aperuit vulvam ejus.

℣. 23. Quæ concepit, & peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum.

℣. 24. Et vocavit nomen ejus, Joseph, dicens: Addat mihi Dominus filium alterum.

℣. 25. Nato autem Joseph, dixit Jacob socero suo: Dimitte me, ut revertar in patriam, & ad terram meam. Ann. Mun. di 2265.

COMMENTARIUS.

RIPUERIS MARITUM MIHI? Quæritur Lia, veluti si a Rachele, initis cum Jacobo nuptiis, insigni aliquâ injuriâ affecta esset. Præripuisti, ait maritum, cui ego ante te adhæseram; veluti si Rachel potiori jure querelas ejus in illam regerere non valuisset.

℣. 16. AD ME, INQUIT, INTRABIS &c. *Quid opus erat*, ait S. Augustinus (c), *ut eum altera conduceret, nisi quia ordo alterius erat, ut ad eam maritus intraret?* Ita Jacob amabat Rachelem, ita cum illâ agebat, ut nullam daret sorori querelarum & invidiæ ansam. Viri hujus æquitas & sapientia id præstabat, ut domesticas simultates inter geminas sorores sedulò præcaveret. Hæc maximè necessaria in familiis, in quibus plures regnant uxores. Ita agendum suadebat, si nulla res alia, ipsa regionis consuetudo. Consuetudo, inquam, vim habens legis, cui vel Reges ipsi apud Persas submittebantur (d), uti constat exemplo Smerdis, Imperii illius usurpatoris. Vide nostrum Commentarium ad Exodum XXI, 10, & Herodotum l. 3, c. 79.

℣. 18. APPELLAVIT NOMEN EJUS ISSACHAR; i. e. *hominem mercedis*, sive *mercedem hominis* vel *mariti*. Quantum ex duobus præcedentibus versiculis intelligimus, spectavit Lia emptionem viri a se factam, datis in pretium Racheli mandragoris filii sui. Quam tamen illa assignat ejus nominis rationem, hanc habes: *Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo*, ex quo conjectura oritur, matrem eo puero antea foetam, quàm, quod de mandragoris narratur, contigisset: referri autem hoc extra suum locum.

℣. 20. ZABULON, i. e. *mansio*. Author nominum Hebræorum alias nonnullas affert significationes, dissitas planè & repugnantes, veluti *habitaculum roboris* seu *fluxum noctis*. Lusus quidam verborum spectatur in Originali inter זבד *Zabad*, dotare, & זבל, *Zabal*, habitare. Sed hæc in verbis tantùm, non in verborum significatione. Ait Lia: *Dotavit me Deus dote bona*. Hebræus: זבדני זבד טוב *Zebadeni zebed tob*. Subinfert autem illa, maritum suum secum commoraturum; Hebræus. יזבלני אישי: *Isbeleni ischi*. Nomen tribuit sexto filio suo Zabulon deductum e *Zabal*. Occurrit semel tantùm hic in Scripturâ vox *Zabad*; quare verissima ejus significatio ignoratur.

℣. 21. DINA ex radice *Dun*, judicare. Deducitur inde pariter nomen *Dan*: *Deus judicavit me*. Contendunt Judæi, Dinam elocatam fuisse conjugio viro sanctissimo Job.

℣. 23. ABSTULIT DEUS OPPROBRIUM MEUM. Probri loco habebatur apud fœminas sterilitas, uti ex Scripturâ non semel, nec obscurè colligitur (e). Hebræus ad literam: *Dominus collegit*, vel *abstulit* אסף, *opprobrium meum*, veluti cùm res colligitur & implicatur, ut asportetur.

℣. 24. ET VOCAVIT NOMEN EJUS JOSEPH, DICENS: ADDAT MIHI DOMINUS FILIUM ALTERUM. Nomen Joseph filio suo impositura Rachel, spectasse videtur verbum *Asaph*, quo præcedenti versiculo expressit illud: *Abstulit Deus opprobrium meum*; & verbum *Jasaph* יסף, quod est augere, vel addere, ad designandam, quam fovebat, florentissimæ familiæ spem: Deum rogat, ut familiam illam augeat, alterum filium largiendo.

℣. 25. NATO JOSEPH, DIXIT JACOB SOCERO suo

(c) *August. lib.* XXII *contra Faustum. cap.* 49. (d) *Ἐν περιτροπῇ γὰρ δὴ γυναῖκες φοιτέουσι τοῖσι Πέρσῃσι. Herodot. l.* 3, *c.* 79. (e) 1 *Reg.* 1, 6. *Luc.* 1, 25.

℣. 26. Da mihi uxores, & liberos meos, pro quibus servivi tibi, ut abeam; tu verò nosti servitutem, qua servivi tibi.

℣. 27. Ait illi Laban: Inveniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.

℣. 28. Constitue mercedem tuam, quam dem tibi.

℣. 29. At ille respondit: Tu nosti, quomodo servierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua.

℣. 30. Modicum habuisti, antequam venirem ad te, & nunc dives effectus es: benedixitq; tibi Domine ad introitum meum. Justum est igitur, ut aliquando provideam etiam domui meæ.

℣. 31. Dixitque Laban: Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo: sed si feceris, quod postulo, iterùm pascam, & custodiam pecora tua.

℣. 32. Gyra omnes greges tuos, & separa omnes oves varias, & sparso vellere: & quodcumque furvum, & maculosum, variumq; fuerit, tam in ovibus, quàm in capris, erit merces mea.

COMMENTARIUS.

suo: DIMITTE ME &c. Joseph natus est anno patris sui XCI, & XIV post ejus adventum in Mesopotamiam. Expleverat jam promissæ servitutis terminum Jacob; quare ut bonâ ejus voluntate regressus in terram Chanaanitidis sibi concedatur, postulat.

℣. 27. EXPERIMENTO DIDICI, QUIA BENEDIXERIT MIHI DEUS PROPTER TE. Vox Originalis exprimit plerumque (f): *Sum auguratus*: Divinatione vel augurio didici &c. Eadem interpretatio probatur Septuaginta (g), sed verborum phrasim aliter reddunt ac Vulgata: *Si invenissem gratiam coram te, auguratus essem: benedixit enim me Deus in tuo ingressu*; i. e. Si invêni gratiam coram te (commorare mecum vel saltem quid mercedis a me postules, expone); facilè enim divinando assequor, Deum post adventum tuum suas in me cumulasse benedictiones. S. Augustinus legebat: *Si inveni gratiam ante te, auguratus essem, benedixit enim me Deus in introitu tuo*; i. e. juxta eumdem Patrem: Si invêni gratiam coram te, permittito mihi ut augurer, Dominum post adventum tuum mihi benedixisse; vel: Si invêni gratiam coram te, maneas, rogo, in domo meâ, ut prospero mihi sis omini. Sed æquior videtur Vulgatæ sensus; & Hebræum *Nachasch* usurpatur interdum, experimento discere, e. g. in Genesi, XLI, 15, & 3 Reg. XX, 33. De florentibus rebus suis consultos Teraphim a Labano, censet Abenezra.

℣. 28. CONSTITUE MERCEDEM TUAM. Præscribito mihi (h): quidquid postulas, spondeo me daturum. Honestissima proponit Laban: famulatûs sui conditiones proponi vult a Jacob. Commodis suis serviens Laban hæc loquitur; contraria omnia præstans, quando res suas aliter postulare intellexit.

℣. 29. TU NOSTI, QUANTA IN MANIBUS MEIS FUERIT POSSESSIO TUA. Quousque scilicet res tuas, angustas alioqui, provexerim. Hebræus: *Tu nosti, qua fuit acquisitio, vel possessio tua, vel pecus tuum mecum, ut creverit*; Hæc enim omnia commodè refert vox מקנה *Mikeneh*. Postremam interpretationem præferunt Septuaginta, Κτήνη σε, *pecora tua*, Chaldæus & recentiorum plures: Nosti quantum grex tuus crevit, auctus est sub me.

℣. 30. BENEDIXIT TIBI DOMINUS AD INTROITUM MEUM. Hebræus ad literam, & Septuaginta, Ἐπὶ τῷ ποδί μου: לרגלי: *Ad pedem meum*. i. e. ubique, quò ego me transtuli in obsequium tuum, ad meum adventum. Chaldæus, Syriacus, Arabs: *Deus tibi benedixit propter me*. Alii, *ope mea, labore meo, meo famulatu*.

℣. 31. AT ILLE AIT: NIHIL VOLO; i. e. gratis mihi a te aliquid præstari nolo (i). Nihil aliud volo, quàm quod mox petam; vel, juxta S. Chrysostomum, nihil postulo mercedis; non enim mercenarium famulatum meum tibi vendam; sed audi quæ propono.

℣. 32. GYRA OMNES GREGES TUOS, ET SEPARA CUNCTAS OVES VARIAS, ET SPARSO VELLERE, ET QUODCUMQUE FURVUM ET MACULOSUM, VARIUMQUE FUERIT, TAM IN OVIBUS QUAM IN CAPRIS, ERIT MERCES MEA. Textûs hujus & subsequentium sensus implexus est adeò, ut Interpretum hucusque sedulitatem vicerit. Septuaginta minimè exploratum habuisse videntur sensum Hebræi, fateturque S. Hieronymus neminem adhuc invenisse se, qui idoneam Textûs hujus explicationem dederit. Chaldæus ita vertit: *Transibo per universas oves tuas hodie: aufer inde omnem agnum varium & sparso vellere; & omnem agnum nigrum in agnis, & sparsum & maculosum in capris: & hoc erit merces mea*. Ita pariter vertit Syriacus, nisi quòd quo loco habet Chaldæus maculosum, reddit ille *carentem cornibus & versicolorem*; LXX: Παρελθέτω πάντα τὰ πρόβατά σου σήμερον, καὶ διαχώρισον ἐκεῖθεν πᾶν πρόβατον φαιὸν ἐν τοῖς ἄρνασι, καὶ πᾶν διάλευκον καὶ ῥαντὸν ἐν ταῖς αἰξίν, ἔσται μοι μισθός. *Transeant omnes oves tuæ hodie, & separa*

(f) נחשתי ויברכני יהוה בגללך (g) Εἰ εὗρον χάριν ἐναντίον σου, οἰωνισάμην ἄν. εὐλόγησε γάρ με ὁ Θεὸς ἐπὶ τῇ σῇ εἰσόδῳ. (h) נקבה LXX, Διάστειλον, *Distingue*. Aq. Ἐπονόμασον, *Nomina*. Sym. ὅρισον, *decerne*. (i) Estius.

℣. 33. Respondebitq; mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te: & omnia, quæ non fuerint varia, & maculosa, & furva, tam in ovibus, quàm in capris, furti me arguent.

℣. 34. Dixitque Laban: Gratum habeo, quod petis.

℣. 35. Et separavit in die illa capras, & oves, & hircos, & arietes varios, atque maculosos: cunctum autem gregem unicolorem, idest albi, & nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum.

COMMENTARIUS.

ra inde omnem ovem fuscam in agnis, & omne subalbum & sparsum in capris erit mihi merces. Legunt hi חעביר pro אעבר, quod hodie legimus. נקדים והכלאים: LXX: *φαιοὺς καὶ διαλεύκους; maculosos & subalbos.* Symmachus: *λευκόποδας, albis pedibus.* Alius: *λαιόποδας, sinistrum pedem habentes.*

Ita verò reddi potest Hebræus, juxta Bocartum, qui sedulò expendit voces illas Originalis magis implexas, quæ in sententiam illam & sequentes noctem & tenebras refundunt: *Omnes pecudes* [oves, & capræ] *punctis respersa & maculosa, & omne pecus nigrum in agnis, & maculosum, & punctis respersum in capris erit merces mea.* Dari sibi postulat Jacob in mercedem quidquid minùs æstimatur in vellere ex ovibus, & in villis ex capris; tondebantur enim & capellæ in eâ regione. Porrò maculosum vellus & villi varii coloris ideo minoris habebantur, quòd imbui colore aliquo non possent, quemadmodum nec nigra prorsus vellera; vicissim tamen nigræ caprarum setæ pluris æstimabantur, quòd usui essent tentoriis conficiendis, nigris plerumque, uti observat Sponsus in Canticis 1, 4, & Authores prophani, alibi a nobis afferendi. Jacob non excipit hic capellas albas, nec nigras in sortem Labani assignat; sed ℣. 35. Laban filiis suis committit capellas albas, & arietes nigros, cum cæteris gregibus ejus coloris, quem sibi Jacob postulaverat.

Hebræum נקיד, *Nakid* (k) quòd S. Hieronymus reddit oves varias, peculiariter exprimit punctatum, i. e. cujus album vellus nigris punctis respergitur. Et טלוא, *Talu* [l], quod est in Vulgatâ *sparso vellere*, juxta Bochartum exprimit vellus rufum albis maculis, vel, juxta alios, album nigris, vel rufis, sed majoribus maculis distinctum. In hanc igitur sententiam locutus videtur Jacob: Famulatum meum adhuc ad sex annos oppignero, dummodò in mercedem assignes quidquid nascetur in gregibus tuis variatum, ex ovibus & capellis; adhæc nigras oves & albas capras sumam mihi, quidquid proinde minimum est. Ne verò reputes, me tibi struere insidias, sive artificio aliquo moliri, & commixtis simul diversi velleris maribus ac fœmellis uberiorem mihi fœturam procurem; tibi tuisque filiis sinme ducendam ejus gregis portionem, ex qua major mihi proventus sperari potuisset; tum demum quidquid ex hædis & agnis provenerit, ex pactis conventis inter nos, mihi cedat. Conditiones sibi planè, quantùm videbatur, non iniquas admisit statim Laban, quarum executio legitur ad ℣. 35.

℣. 33. Respondebit mihi cras justitia mea, quando placiti tempus advenerit; i. e. innocentia mea testimonium feret pro me. Spectatæ hic Judiciorum leges, cùm scilicet testimonia afferenda sunt sive damnando, sive pro absolvendo reo. Septuaginta [m]: *Justitia mea exaudiet me in die crastinâ; quia merces mea est coram te;* i. e. innocentia mea pro teste erit mihi, ut demonstret, quanta sit mihi merces assignanda. Author Vulgatæ insinuare voluit, Jacobum minimè consciam doli voluntatem suam demonstraturum fuisse Labano, cùm juxta sancitas utrinque conditiones discretio gregis facienda esset.

Quando verò Jacob petiturum se testimonium dixit ex æquitate, vel innocentiâ suâ, nihil sibi prorsus ob ea, quæ jam contigerant, metuebat; sed Labani suspiciones omnes censuit præoccopandas. Hæc ille ad Labanum: Proponendum mihi aliquid succurrit, quo tuis ipsis oculis convincaris, sincera esse omnia. Hebræus Textus [n] varias interpretationes admittit: *Testificabitur in me justitia mea in crastinâ die* (seu post hac) *cùm veneris super mercedem meam coram te;* i. e. cùm apparebit coram te, ut auscultetur in testimonium de eo, quod mihi in mercedem debetur. Aliter: Innocentia mea testimonium mihi reddet, cùm venies [ad discernendum] mercedem meam coram te; ad segregandam scilicet debitam mihi e gregibus portionem coram te; cùm venies ad lustrandos greges, qui mihi debebuntur.

Et omnia quæ non fuerint varia et maculosa et furva - - - - furti me arguent. Magis exactè Hebræus habet: *Quidquid punctatum non fuerit vel maculosum in capris, vel nigrum in agnis, furtivum habeto.* Septuaginta verbum verbo expresserunt. Hebræum טלוא, *Talu*, reddendum censemus *subalbum*; Septuaginta malunt *φαιὸν, subnigrum.* Ad literam exprimit vox illa vellus nigrum, seu fuscum, aut furvum albis maculis.

℣. 35. Et separavit in die illa capras, et oves, et hircos, et arietes varios atque maculosos; cunctum autem gregem unicolorem, idest albi et nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum. Textus iste insinuat, ex

(k) LXX: *Φαιὸν: Fuscum. Alii: ποικίλον, Variegatum.* (l) *Aq. Sym. Theodot. περκὸν, nigris maculis, Ezech.* XVI, 16. *Theodot. ἐμβολίσματα, panni varii coloris simul consuti. Alias, Josue* IX. 55 *ἐπιβλήματα ἔχοντα: idem.* (m) *Καὶ ἐπακούσεταί μου ἡ δικαιοσύνη μου... ὅτι ἐστὶν ὁ μισθός μου ἐνώπιόν σου.* (n) ביתבוא על שכרי לפניך

℣. 36. Et posuit spatium itineris trium dierum inter se & generum, qui pascebat reliquos greges ejus.

℣. 37. Tollens ergo Jacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas; detractisque corticibus, in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit, illa verò, quæ integra fuerant, viridia permanserunt; atque in hunc modum color effectus est varius.

COMMENTARIUS.

ex pactis antea sancitis, [*o*] Labanum filiis suis ducendos commisisse greges caprarum & ovium unius coloris; maculosus verò & variatos reliquisse Jacobo; quod tamen planè repugnare videtur iis, quæ disputavimus ad ℣. 32; nec satis conveniunt hæc cum Hebræo bujus loci. Ita porrò Hebræus ab literam [*p*] *Et fecit removere in die illâ hircos fasciatos & maculosos, & capras omnes punctatas & maculosas, omne cui candor in eo, & omne cui nigrum in agnis, & dedit in manu filiorum suorum.* Juxta hunc Textum, Laban commisisset filiis suis ducendos greges omnes generatim, tam nigros, quàm maculosos; quod sancitis antea conditionibus planè repugnat.

Sunt qui *pro filiis suis*, nempe Labani, reddendum censeant filiis Jacobi. Nec repugnat Textus Originalis; æquè enim reddi potest filiorum ejus, ac filiorum suorum: pendent omnia ex verbo *separavit*, qui homo quis fuerit, in Originali non exprimitur. Jacob vir erat filiæ Labani; quare filii Jacobi ad illum, tamquam ex filiâ nepotes, pertinebant. Laban inferiùs, capite XXXI, 38, eo nomine queritur de Jacobo, quasi scilicet clam se subripiens, amplexibus suis subduxisset filium suum & filias. Sed sermonis contextus hæc omnia ad Labanum determinare videtur; præterquàm quòd filii Jacobi nondum planè ætatem ducendis gregibus idoneam attigerant; majoris enim natu, ad summum, XIV ætatis annos non excedebat: æquè etiam pactis conventis repugnat, si Jacobo greges simul omnes credantur, etiam varii coloris.

Suspicantur Interpretes alii, supplendam hìc negationem ante illud *unicolorem*; repugnantiam enim in hoc Textu animadvertunt, rati Jacobo non contigisse nisi oves, vel capras maculosas. Observavimus tamen superiùs ad ℣. 32, juxta Bochartum, postulasse sibi Jacobum non oves tantùm & capras maculosas, sed & capellas albas, & oves fuscas. Ita ergo reddendum Textum censemus, nescio quid modicum supplendo. *Segregando inter hircos*, seu potius *arictes, maculosos, & diversi coloris, & capras maculosas ac varii coloris, & albas omnes; & agnos omnes nigros; & dedit filiis suis.* Exprimit hìc Moyses *capras albas*, quæ desiderabantur superiùs ℣. 32, & 33. In versu 35 exponendum est de *arietibus*, Hebræum *Tejaschim*, quod plerumque significat hircos, ne superfluæ repetitionis Moyses accusetur; ac *Hircos maculosos & diversi coloris, & capras maculosas & diversi coloris*; quasi scilicet hirci & capræ generis essent plane diversi.

Commodè etiam in aliam interpretationem redderetur versus 35: *Separavit Laban arietes maculosos & varii coloris, & capras maculosas & varii coloris. Quidquid notatum albo, & quicquid erat notatum nigro in agnis.* Quæ fortasse interpretatio facilior, & minùs operosa cum præcedentibus meliùs cohæret. Petit sibi Jacob, I, Maculosa & varii coloris inter oves & capras; II, Agnos non albi prorsus velleris, i. e. tàm nigros quàm albentibus maculis respersos. Suspecta est mihi segregatio illa albentium caprarum, quam invehit Bochartus, nullâ satis luculentâ Textûs authoritate fultus.

℣. 36. POSUIT SPATIUM ITINERIS TRIUM DIERUM INTER SE ET GENERUM, QUI PASCEBAT RELIQUOS GREGES EJUS. Distabat Jacob a filiis Labani spatio XXV leucarum circiter, curans greges albi velleris & capras unicolores, sibi a Labano creditas, rato nullos ex illis alios proventuros fœtus quàm parentibus similes colore; nec sanè aliter res successisset juxta leges naturæ: sed frustrà ille, cùm sedulitatem ejus omnem callidum Jacobi consilium eluserit.

℣. 37. TOLLENS ERGO JACOB VIRGAS POPULEAS VIRIDES ET AMYGDALINAS, ET EX PLATANIS, EX PARTE DECORTICAVIT EAS &c. De genere arborum, de quibus hìc Scriptura, non satis convenit apud Interpretes [*q*]. Sunt qui primam illam vocem de virgis coryli interpretentur; sunt qui de nuceis; alii tandem generatim de ramis albentibus malunt. Syriacus: *Virgas candidas, humidos* [fortè virescentes] *amygdalinos*. Arabs: *Baculos humidos nucum & populorum*. Septuaginta Complutenses: Ῥάβδον στυρακίνην χλωρὰν, καὶ καρυΐνην, καὶ πλατάνου: *Virgam styracinam viridem, & nucinam, & platani*. Arias Montanus: *Ramos virides populeos, coryli & castanea*. Sed ad platanum quod attinet, Vulgata retinenda est: cujus Versionem fulciunt Septuaginta, Chaldæus, Syriacus. Arabs; nec sanè crescunt in eâ regione castaneæ [*r*], cum vicissim platani ferax sit maximè [*s*].

Quæ sequuntur, variant etiam maximè in Hebræo: *Ex parte decorticavit eas*. Textus ad literam: *Et decorticavit cortices in eis albos*, primum scilicet corticem album in populo, & secundum reliquit, qui aëri aliquandiù expositus, fuscum colorem reddit, ut proinde hæc varietas albi & fusci phantasiæ brutorum altè imprimeretur. Aliam interpretationem verbis indidisse videtur Vatablus. *Incidit in illis incisuras albas, denudationem candoris*. Cortice detracto, ligni albedinem detexit, ut per illas incisiones emicaret albedo. Nec sanè alius præferendus est verborum sensus, si quis reputet, virgas illas cortice fuisse vel nigro vel fusco—

(o) ℣. 32. (p) ויסר ביום ההוא את התישים העקדים והטלאים ואת כל העזים הנקדות והטלאת כל אשר לבן בי וכל חום בכשבים ויתן ביד בניו:
(q) מקל לבנת לח ולוז וערמון (r) Cène projet d'une nouvelle traduction p. 222.
(s) *Bellon. observat.* l. 2.

℣. 38. Posuitque eas in canalibus, ubi effundebatur aqua: ut cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent.

℣. 39. Factumque est ut in ipso calore coitus, oves intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diverso colore respersa.

℣. 40. Divisitque gregem Jacob, & posuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erant autem alba, & nigra quæque, Laban: cætera verò, Jacob, separatis inter se gregibus.

℣. 41. Igitur quando primo tempore ascendebantur oves, ponebat Jacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum, & ovium, ut in earum contemplatione conciperent.

COMMENTARIUS.

sco, seu viridi.

℣. 38. POSUITQUE EA IN CANALIBUS, UBI EFFUNDEBATUR AQUA. In totâ bac re a Jacobo gestâ tria artificiorum genera, ut spe sua frustraretur Labanum, spectantur [t]. Primum exhibet versus hic 38, narrans subjecisse Jacobum oculis ovium, apto maximè ad coitum tempore, virgas variis coloribus distinctas; quorum varietas, altè illis impressas, in fœtibus redderetur. Secundum artificium in eo positum est, ut ovium & caprarum obtutibus exhiberet bircos & hœdos varii coloris subinde natos. Tertium tandem adbibuit Jacob, cùm selectis optimis & maximè valentibus ovibus atque capellis, illas potissimùm ad variatos fœtus exhibendos ope variatarum virgarum adegit: Quidquid sibi procuravit ex agnis & hœdis priori illo artificio, habes ℣. 41, 42. *Defixas virgas illas in canalibus* habent Hebræus [illegible], & Chaldæus [illegible] idest secundùm canales, vel fossas potandis gregibus destinatas, vel secundùm alveum rivuli, quò oves potandæ deducebantur.

℣. 40. DIVISITQUE GREGEM JACOB, ET POSUIT VIRGAS IN CANALIBUS ANTE OCULOS ARIETUM. Prona sunt omnia in eà interpretatione, quam supra insinuavimus, cessisse nempe Jacobo oves tantùm maculosas, & Labano vicissim unius coloris cætera. Sed Hebræus alterum sensum exhibet: en illum ad literam: *Et agnos dividere fecit Jacob, & dedit facies pecudum ad alligatum & omne nigrum in pecudibus Laban*; scilicet constituit e regione gregum maculosorum nigrorumque Labani. *Et posuit sibi greges sibi soli*, suos nempe seorsum greges separavit, *& non posuit eos super pecudes Laban*, e regione scilicet illarum.

Ut sensus Textûs hujus maximè implexi extricetur, notandum est: I, non describi bìc primum artificium Jacobi, sed cùm prospero eventu consilium illud successisse intelligeret, alterum ex altero struxit dolum, loco virgarum substituens oculis fœtarum ovium natos, magno numero agnos nigros & maculosos, ac varii coloris hædos. II, Revocandum est in mentem, Jacobum commissas sibi habuisse oves omnes Labani albas, & capras unicoloris. Curandum ergo sibi duxit, ut portionem gregum Labani a suâ segregaret, statuitque coram ovibus & capris, incalescentibus in Venerem, hircos & hœdos varii coloris; vel nigros omnes, ad agnos quod attinet; quo scilicet artificio impetraret, ut oves & capellæ Labani, validiores saltem, agnos & bœdos sibi gignerent.

Tandem planiùs etiam Textus sic reddi potest: Ut intellexit Jacob, se non frustra laborasse, segregavit natos sibi agnos & bædos, nec immiscendos censuit cum cæteris Labani gregibus; ideò facilè, ut querelas omnes Labani præriperet, reputantis admisisse Jacobum hircos vel arietes diversi coloris ovibus albis & capellis unicoloribus, quò scilicet variati fœtus exprimerentur. Ex proximo versu insinuatum videtur, nunquam cessasse illum a subjiciendis decorticatis virgis in canalibus, quò potandi greges deducebantur.

℣. 41. QUANDO PRIMO TEMPORE ASCENDEBANTUR OVES, PONEBAT JACOB VIRGAS &c. (42) QUANDO VERO SEROTINA ADMISSURA ERAT, NON PONEBAT EAS. Autumavit S. Hieronymus *in qq. Hebr. in Genesim*, oves illas & capellas bis in anno fœtas fuisse, quod non rarum est in Mesopotamiâ & in Italiâ: *Bis gravida pecudes*. Eadem S. Augustino *q. 95 in Genes.* persuadebantur; cujus rei argumentum exhibuisse credita sunt verba Jacobi, querentis decies se a Labano deceptum, i. e. bis quotannis; non enim cum illo nisi sex annis post pacta illa conventa mansit. Priori anno semel tantùm recessit a conditione propositâ, postremo, ne bis pactum abrumperet, obstitit Jacob, qui ante autumnum sese proripuit.

Verùm licèt non rarò spectari concedamus oves, quæ duos unà fœtus ferant, vel bis singulis annis gravidas; nullo tamen satis certo argumento persuademur hoc de Mesopotamiæ ovibus asserendum esse; & cùm Jacob deceptum se decies queritur, ejus dicta ita accipi commodè possunt, quasi si pluries sibi illusum exprimeret. Demus tamen, oves re ipsâ bis singulis annis fœtus suos parere; quinam tunc optimi reputandi sunt hirci? autumnales ne & byemales, an verni? Autumnales præferunt quidam. Plinius l. 8, c. 47: *Multi hybernos agnos præferunt Vernis, quoniam magis intersit ante solstitium: quàm ante brumam firmos esse*. Columella *l. 8, c. 3*: *Melior est agnus autumnalis verno, sicut ait verissimè Celsus. Quia magis ad rem pertinet, ut ante æstivum quàm hybernum solstitium convalescat; solusque ex omnibus animalibus brumâ commodè nascitur*. Verùm S. Hieronymus, Chaldæus, Syrus, Arabs ita

Textum

(t) *Munst. Fag. Boch.*

℣. 42. Quando verò ferotina admiffura erat, & conceptus extremus non ponebat eas. Factaque funt ea, quæ erant ferotina, Laban: & quæ primi temporis, Jacob.

℣. 43. Ditatufque eft homo ultrà modum, & habuit greges multos, ancillas, & fervos, camelos, & afinos.

COMMENTARIUS.

Textum illum acceperunt, quafi infinuaret, virgas illas nunquam expofitas a Jacobo cùm autumnales fœtus conciperentur; ultrò enim Jacobus illos concedebat Labano. Cenfeo tamē conciliare poffe Vulgatam cum fententiâ illorum, quibus probantur autumnales vel hyemales fœtus; fi reputemus, Jacobum virgas expofuiffe primo tempore, nempe vere, ut in autumno fœtus haberet; ftuduiffe verò ne in autumno fubjiceret, quòd nollet fibi contingere vernos fœtus; *quando ferotina admiffura erat, non ponebat eas.* Factum inde, *ut ea, quæ erant ferotina, Laban* cederent, i. e. autumno concepta, & vernâ tempeftate nata.

Cenfet Bochartus voces illas, הקשרים & מקשרות, quas Vulgata reddit fœtus *primi temporis*, ufurpanda effe pro ovibus & agnis validiffimis; ficut & vocem העטיף *haattif*, quæ in Vulgatâ *autumnus*, exprimere oves & fœtus imbecilliores. Vir idem doctus demonftrat, verbum *Ataph* עטף, fignificare, *elanguit*, *defecit*. In eo igitur Textu Moyfes id tantùm exprimit, Jacobum ita fegregaffe oves fuas, ut in cenfum Labani non referrentur, nifi agni & oves fenefcentes, languentefque: quæ verò optima, fegregaffe fibi Jacobum. Septuaginta vertunt: *In tempore, quo concipiebant oves in utero accipientes, pofuit Jacob virgas coram ovibus in canalibus, ut ipfa conciperent fecundùm virgas. Cùm verò peperiffent oves, non ponebat.*

Duo hìc inftituuntur non contemnendæ quæftiones. I, An Jacob arte vel prodigio res fuas adeò provexerit. II, An inita ab illo ratio expoliandi Labanum, criminis haberet aliquid; & an juftitiæ difpendio commodis fuis Jacob fervierit.

Græci Patres perfuafum habuiffe videntur, divino tantùm prodigio factum effe, ut greges Labani ad afpectum decorticatarum virgarum variatos fœtus exprimerent. Repugnare id confuetis naturæ legibus, cenfet S. Chryfoftomus (u); nec aliter reputat Theodoretus (x). Latini Patres viciffim rationes fedulò congerunt & exempla, quibus nihil hìc factum, nifi quod naturale effet maximè, evincant.

Agnofcit S. Hieronymus fœminas & maximè brutorum fœmellas exprimere in fœtibus quæcumque in concipiendo altè impreffa phantafiæ gerunt. Suppetunt in eam rem magno numero exempla & experimenta certiora, quàm ut in dubium revocentur. Fœtus in finu matris referunt validas illas impreffiones, quæ matres ipfas afficiunt; referunt autem eò vividioribus characteribus, quo validiùs illæ imprimuntur. Hanc fententiam adductis rationibus confirmarunt S. Auguftinus (y), & S. Ifidorus Hifpalenfis *l.* 12 *Orig. c.* 5. Nec locus eft ambigendi, eamdem, quam dedit natura in eam rem fœminis vim, cæteris etiam aliorum animalium fœmellis non denegaffe. Afferit Oppianus l. 5 *de Venatione*, ut varii coloris equi exprimantur, valere plurimum, fi vivis coloribus pictus equus oculis equarum, priùfquam coëant, fubjiciatur; fœta enim eâ impreffione phantafia non abfimiles fœtus exprimit. Idem & in columbis non fruftra fervatum eft: pannus aliquis rubro colore fplendens, vel columbæ aliæ variis coloribus pictæ ponuntur coram fœmellis, ut fcilicet in producendis ovis lineamenta luceant non diffimilium pullorum: id autem multò admirabilius eft in avibus, quàm in viviparis.

Cur homines præ cæteris animantibus ejufdem generis omnibus adeò difcrepent inter fe staturâ, figurâ, colore, ingenio, indole, moribus, caufam Ariftoteles *Problem. fect.* 10, refert in animam parentum, excipiendis majoribus rerum impreffionibus, præ cæteris animantibus ad unum tantùm genus determinatis, maximè idoneam. Paria notavit Plinius (z). Quibus omnibus addendum fuccurrit, animalia maximè filveftria atque ab hominum cæterorumq; animalium commercio remotiffima, nunquam villorum vel plumarum mutare colorem; ficut & quæ longiorem moram trahunt in tenebris five fpecuum five lucorum, villos plerumque referunt fufcum vel nigrum; quæ verò in montibus nivofis, albefcunt interdum: quod factum novimus in urfis, perdicibus, & leporibus, qui in alpibus albefcunt.

Non abfimile vero reputatur, merulas, quæ fortè albefcentes occurrunt, colorem illum fibi comparaffe inter nives. *Merula*, ait Plinius *l.* x, c. 30. *circa Cyllenem Arcadiæ, nec ufquam alibi, candida nafcuntur.* (*) Porrò mons ifte celfiffimi culminis diutiùs nives confervat; eft autem merula inter aves præcociter nidificans. Domeftica animalia fæpe variant colore; equi, vaccæ, canes, pulli gallinacei, columbæ, villos feu plumas fepe mutant, quòd fub eorum oculis varia rerum fcena aperiatur; cùm viciffim tenaciora fint coloris fui animan-

(u) *Chryfoft. homil.* LVII *in Genef.* Οὐδὲ γὰρ κατὰ τὴν φύσεως τὸ γινόμενον, ἀλλὰ πολὺ τὸ παράδοξον, καὶ ὑπερβαῖνον τὴν φυσικὴν ἀκολουθίαν ἦν. (x) *Theodoret. quæft.* 89 *in Genef.* Τὰς ῥάβδους ἐτίθειν, οὐ ταύταις θάῤῥων, ἀλλὰ τὴν θείαν ἐπικουρίαν προσμένων. (y) *Aug. quæft.* 93 *in Genef. vide & lib.* 18, *c.* 5 *de Civit. Dei.* (z) *Plin. lib.* VII, 12. *Ideòque plures in homine, quàm in cæteris omnibus animalibus differentiæ; quoniam velocitas cogitationum, animique celeritas, & ingenii varietas multiformes notas imprimit; cùm cæteris animalibus immobiles fint animi, & fimiles omnibus, fingulifque in fuo cuique genere.* (*) Fallitur Plinius, cùm alibi merulas albas occurrere negat. Ipfe in Montibus Vofgorum unam ex his penitus candidam invêni, quamquam tres aliæ eâdem incubatione natæ prorfus nigræ effent: quod quidem difcrimen ex eo petendum eft, quòd ovum illud, ex quo merula candida exclufa eft, nivosâ die conceptum fit, cætera non item. Hæc fanè varietas, nivium unâ die cadentium, alterâ liquatarum, iis in montibus, maximè veris initio, cùm merulæ nidificant, paffim occurrit.

animantia, quæ ab hominibus & urbibus magis segregantur. Quod igitur præstitit Jacob, artis fuit, non prodigii.

Quod attinet ad secundam quæstionem, an scilicet Jacob jure arte illâ usus fuerit, ut mercedem sibi famulatûs sui procuraret: ad excusandum illum, observant, nunquam alias futurum fuisse ut Jacob, æqua referret a Labano, quem habuit juris sui non semel violatorem; nil dum invitum coëgit ad nuptias Liæ, quas emerat septem annorum servitute; quare ipse sibi æqua procurare coactus, injustè vexanti socero suo, rebusque suis recipiendis, tam pro servitote debitis, quàm pro dote uxorum suarum, in quam nihil repensum fuerat a Labano, gregem subduxit. Addunt, ex pactis conventis inter utrumque sancitum fuisse, ut Jacobo contingerent agni omnes nigri & maculosi, & bœdi albi ac maculosi: nunquam autem expressum esse in eâ conventione sanciendâ, qua ratione fœtus illi procurarentur; quare solertiam Jacobi, habentis sub manu greges soceri sui, solertiam tantum fuisse, non crimen: rebus suis industriâ ac naturali aliquo artificio augendis intendere, rem esse innoxiam. Hanc præstitit Jacob.

Reponitur hisce, I, privatis viris injurias vindicare suas, bona alterius usurpando, nequaquam integrom esse. II, Si propiùs rem dispiciamus, nihil Laban fecit, quo generum vexaverit: Servitute quatuordecim annorum, de qua convenerant, absolutâ, quin se reciperet ad sua Jacob, prohibebat nemo. III, Nihil de toto rigore justitiæ pendendum erat a Labano, nihil enim promiserat pro longo eo famulatu, nisi geminas filias; & pactis stetit: ad hæreditatem quod attinet, nullum in illam jus habebat, nisi post obitum patris, etiamsi demus, filias pro æquâ portione in hæreditatem paternam succedere cum filiis, quod nullo certo argumento demonstraretur. IV, Tandem quamquam famulatûs Labano præstandi conditiones ferrent, ut cederent Jacobo agni & hœdi vario colore, minimè expresso sive spontè sive artificio aliquo nascereotur; reputari sanè potest, id cogitasse Labanum, ut in partes Jacobi concederent quæcumque spontè cum firmatis stipulatione conditionibus provenirent. In contractibus, in qoibus bona contrahentium fides potissimùm spectatur, mentem maximè paciscentium spectandam esse; qua neglectâ, actum est de sinceritate in hominum commerciis. Sed ut excusetur Jacob a crimine, omnium optima ea ratio succurrit, nimirùm, Deo revelante (§) illum hæc omnia didicisse; eodemque intimè inspirante, facilè inductum, ut hanc iniret viam, qua rebus suis consuleret, injustitiâ & tenacitate soceri sui plurimum labefactatis.

C A P U T XXXI.

Jacob clam Labano fugit. Fugientem insecutus Laban assequitur in montibus Galaad. Fœdus inter Jacobum & Labanum; cujus erigitur ab illis monumentum.

℣. 1. POstquam autem audivit verba filiorum Laban dicen- Ann. Mundi 2265.
tium: Tulit Jacob omnia quæ fuerunt patris nostri,
& de illius facultate ditatus, factus est inclytus.
℣. 2. Animadvertit quoque faciem Laban, quòd non esset erga se sicut heri, & nudiustertius,
℣. 3. Maximè dicente sibi Domino: Revertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eroque tecum.
℣. 4. Misit, & vocavit Rachel, & Liam in agrum, ubi pascebat greges.

COMMENTARIUS.

℣. 1. POSTQUAM AUDIVIT VERBA FILIORUM LABAN &c. Tria notat Scriptura, quibus Jacob inductus est ad deserendam Mesopotamiam; I, Murmur filiorum Labani; II, Labani ipsius malam animi habitudinem; III, Tandem Dei jussum, per quietem ab Angelo datum, regrediendi ad sua.

DE ILLIUS FACULTATE DITATUS, FACTUS EST INCLYTUS. Hebræus ad literam [a]: *De iis quæ patri nostro* (erant), *fecit omnem gloriam hanc*. Hebræum *Kabod* est gloria, divitiæ, gravitas: plerique Interpretes reddunt *divitias*; & Septuaginta, qui hîc habent *gloriam*, hanc eamdem vocem ℣. 16 tanquam synonimam reponunt alteri, quæ divitias significat: Πάντα τὸν πλοῦτον, καὶ τὴν δόξαν: ex quo deducimus pro eodem ab illis usurpari. In Scripturâ non semel gloria sonat facultates, divitias: & duo hæc, *gloria* & *facultates*, ferè semper junguntur: *Gloria & divitiæ in domo justi*, Psal. CXI, 3.

℣. 2. HERI ET NUDIUSTERTIUS. Ad literam *Heri*,

(§) *Vide infra XXXI, 11, 12.* (a) מאשר לאבינו עשה את כל הכבוד הזה *Septuag.* ἐκ τῶν τοῦ πατρὸς ἡμῶν πεποίηκε πᾶσαν τὴν δόξαν ταύτην.

℣. 5. Dixitque eis: Video faciem patris vestri, quòd non sit erga me sicut heri, & nudiustertius; Deus autem patris mei fuit mecum.

℣. 6. Et ipsæ nostis, quòd totis viribus meis servierim patri vestro.

℣. 7. Sed & pater vester circumvênit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus; & tamen non dimisit eum Deus, ut noceret mihi.

℣. 8. Si quando dixit: Variæ erunt mercedes tuæ: pariebant omnes oves varios fœtus: quando verò e contrario ait: Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt.

℣. 9. Tulitque Deus substantiam patris vestri, & dedit mihi.

℣. 10. Postquàm enim conceptûs ovium tempus advenerat, levavi oculos meos, & vidi in somnis ascendentes mares super fœminas, varios & maculosos, & diversorum colorum.

℣. 11. Dixitque angelus Dei ad me in somnis: Jacob? Et ego respondi: Adsum.

℣. 12. Qui ait: Leva oculos tûos, & vide universos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban.

COMMENTARIUS.

Heri & tertiâ die. Catullus: *Hodie atque heri*.

℣. 7. MUTAVIT MERCEDEM MEAM DECEM VICIBUS. Cùm Laban agnos, qui contingerent Jacob, optimos spectaret, & in immensum crescentes, sibi illos poposcit, implendas promissiones suas ad aliud tempus reservans [*b*]. Cùm res dividendæ erant, semper conventionis pacta commutasse Labanum, censet S. Hieronymus *in QQ. Hebraicis*; & cùm divisio bis singulis annis fieret, Laban decem vicibus Jacobum decepit, numero Textûs ad literam accepto.

Septuaginta [*c*]: *Circumvênit me, & mutavit mercedem meam decem agnorum*, i. e. juxta S. Augustinum, quinque annorum stipendium in eâ hypothesi, quòd oves bis singulis annis fœtæ gignerent. Agnos pro annis usurpat, quemadmodum & Virgilius [*d*] spicas vel messes computat in annos. Sunt qui in Septuaginta legendum censeant decem minas Δέκα μνῶν, pro decem agnis Δέκα ἀμνῶν; queri enim credunt Jacobum de Labano, quòd res suas decem minis aureis fecerit deteriores. Hebræum מנים, *Monim* commodè radix esse potest nominis *Mina*, quæ olim erat signatæ monetæ genus apud Græcos: sed de pecuniâ hìc exponendum utique non credimus.

Veteres [*e*] & recentiores Interpretes [*f*] reddunt *decem vicibus*. Numerus *decem* hìc usurpatur pro indefinito: ita Deus tentatum se queritur ab Israëlitis decem vicibus [*g*]; & Job totidem vicibus [*h*] confusum se ab amicis; quod perinde est ac dicerent *pluries*.

ET TAMEN NON DIMISIT EUM DEUS, UT NOCERET MIHI. Quì hæc conveniant cum querelis de Labano, a quo deceptum se dicit decem vicibus? Ita planè, quòd nequidquam in contrarium moliente Labano, Deus tamen amplissimam mercedem paravit Jacobo, laboribus illius benedixit, fecitque ut opes ille sibi compararet amplissimas, quamquam prohibente Labano, sive iniquitate sive invidiâ.

℣. 8. SI QUANDO DIXIT, VARIÆ ERUNT MERCEDES TUÆ, PARIEBANT OMNES OVES VARIOS FOETUS &c. Congruunt hìc Vulgata & Septuaginta, ac sensum reddunt luculentum, præcedentibus sequentibusque optimè cohærentem. Sed Hebræus nostræ ætatis [*i*], Samaritanus, Chaldæus, Syriacus, Arabs, in secundo membro pro *alba* legunt *Versicolores*; quod oppositionem omnem adimit inter utrumque membrum necessariam; ex iis enim Textibus vertendum esset: *Si quando dixit: Maculosa omnia tibi erunt, maculosa statim nascebantur omnia. Si ille*: Quæcumque diversi coloris tibi erunt, continuò diversi coloris omnia. Si quid esset hìc oppositum, utique vix versaretur inter varia macularum genera. Ex quo conjectura oritur, nullo tamen alio argumento evincenda, num in Hebræum mendum aliquod irrepserit, cùm alteram pro alterâ vocem substituat. Constat utique duas illas voces נקדים, *varia*, & עקדים, *fasciata*, quæ in hoc versu, tamquam invicem oppositæ, occurrunt, pro synonimis poni ℣. 35 capitis præcedentis, & ℣. 10. hujus capitis.

℣. 9. TULIT DEUS SUBSTANTIAM PATRIS VESTRI, ET DEDIT MIHI. Secretum mihi revelavit Deus ineundam artem inspiravit, qua proventus mihi facerem amplissimos in grege patris vestri. Vide ad

(b) *Joseph. Antiq. lib.* 1, *c.* 18. (c) *Septuag.* παρεκρούσατό με, καὶ ἤλλαξε τὸν μισθόν μου δέκα ἀμνῶν.
(d) *Virgil. Egl.* 1. *Post aliquot, mea regna videns mirabor, aristas.*
(e) *Aquila*: Δέκα ἀριθμούς. *Symmac.* Δεκάκις ἀριθμῷ. *Sym.* Δεκάκις. (f) *Vatab. Drus. Grot. alii passim.* (g) *Num.* XIV, 22. (h) *Job.* XIX, 3.
(i) אם כה יאמר נקדים יהיה שכרך וילדו כל הצאן נקדים ׃ ואום כה יאמר נקדים יהיה שכרך וילדו כל הצאן עקדים

℣. 13. Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, & votum vovisti mihi. Nunc ergo surge, & egredere de terra hac, revertens in terram nativitatis tuæ.

℣. 14. Responderuntque Rachel, & Lia: Numquid habemus residui quidquam in facultatibus, & hæreditate domus patris nostri?

℣. 15. Nonne quasi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum?

℣. 16. Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filiis nostris: unde omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac.

℣. 17. Surrexit itaque Jacob, & impositis liberis, ac conjugibus suis super camelos, abiit.

℣. 18. Tulitque omnem substantiam suam, & greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaam.

℣. 19. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oves, & Rachel furata est idola patris sui:

COMMENTARIUS.

ad finem capitis superioris.

℣. 15. NONNE QUASI ALIENAS REPUTAVIT NOS, ET VENDIDIT COMEDITQUE PRETIUM NOSTRUM? Nihil a Labano iniquè præstitum, nihil contra mores, cùm pretium exegit a Jacobo pro nuptiis filiarum suarum. Receptum id in eà regione, uti jam notavimus. Quod autem iniquitatis hìc arguitur, illud est utique, quòd proventus Jacobi laboribus suis sibi procuratos, ad se derivarit; qui utique proventus veluti dotis illarum portio habebantur. Iniquum esse dicunt, ut pater dispendio filiarum ditescat, nec nisi injuriâ fieri, ut pater conditioni filiarum augendæ resistat, postquam rebus suis consuluerit famulatu & solertiâ Jacobi mariti sui. Reddi posset Hebræus (k): *Nonne extranea reputata sumus ei, quia nos vendidit, & comedit etiam comedendo pecuniam nostram?* Mancipii jure in nos egit, sibi accipiens quæ pro nostro connubio soluta sunt, quemadmodum mancipium compendio suo vendit.

℣. 19. RACHEL FURATA EST IDOLA PATRIS SUI. Hebræum *Teraphim*, quod hìc & a Vulgatà, & a Septuaginta redditur (l) *Idola*, alibi aliis nominibus expressum est. In primo Regum XIX, 13, Septuaginta habent Κενοτάφια, *cenotaphia*, cujus nominis vis exprimit sepulchrum vel monumentum in honorem alicujus erectum, in quod tamen numquam cadaver invectum est; veluti si ex eo significaretur, Teraphim imagines esse vanas & mera rerum ludibria. In Libro Judicum XV, 1, 5 Septuaginta servant *Teraphim*; in Osee III, 4, interpretantur Δήλων, *oracula* seu *Divinos*, quod congruit cum versione Textûs Zachariæ X, 2: Ἀποφθεγγομένων. Aquila plerumque reddit μορφώματα *figuras*, at 1 Reg. XIX, 16 προτομὰς, simulacrum; Chaldæus *imagines*: Josephus *Antiquit. lib.* 1, *cap.* 19, τοὺς τύπους τῶν θεῶν, *typos Deorum* Labani: Castalion, *Deos penates*.

Confundunt alii *Teraphim* cum *Seraphim*, de quibus sæpè in Scripturâ; censent autem, exhiberi optimè posse tanquam Hieroglyphicas aliquas figuras, haud absimiles Cherubim, a Moyse super Arcam constitutis. Interdum in Scripturâ Teraphim in bonam partem usurpantur, ut in Osee III, 4, ubi tanquam oracula haberi videntur, eodemque nomine appellatur veritatis imago, quam summus Sacerdos Deum consulens præferebat. Constat tamen pariter ex loco Ezechielis XXI, 21, & Zachariæ X, 2, Chaldæis & Hebræis Teraphim esse figuras quasdam superstitiosas, de futuris rerum eventibus consultas, unde conjecturæ locus Teraphim generatim designare simulacrum, quod consulebatur, seu oracula ferre censebatur rerum futurarum: quod vel in sinistram, vel in bonam partem, juxta varias rerum circumstantias, usurpabatur. Teraphim describunt Rabbini suo more, nempe fabulosè. Filius natu major jugulabatur; avulsumque a cadavere caput cum unguibus, caput ipsum aromatibus & sale condiebatur, tum in fundamentis parietis alicujus conditum, habens sub linguâ impositam laminam auream, Idoli cujuspiam nomine inscriptam. Ut ex illo exprimerentur verba, incensis ceteris prosternebantur coram, statimque oracula (m). *Credat Judæus Apella.*

Autumabant alii, Teraphim hominum figuram, vel non absimilem expressisse, quòd scilicet Michol uxor Davidis, Teraphim supposuit in lecto viri sui, ut illum quærentes eluderet. Ex eà pariter historia inferretur, non semper imagines illas exhibuisse sacrum aliquid & superstitiosum; neque enim res ejusmodi David in domo suâ pertulisset; sed facilè credimus, simulacrum, quod Michol in lecto pro viro suo substituit, tumultuarium fuisse aliquid coactum ex ligno, vel alià quacumque re, rudem exhibens hominis culcitris obvoluti figuram. Illud autem, quodcumque esset, Teraphim appellatur, quòd similitudine quadam accederet ad Teraphim Ethnicorum.

(k) הלוא נכריות נחשבנו לו כי מכרנו ויאכל גם אכול את כספנו : (l) תרפים . Septuag. εἴδωλα. Aq. μορφώματα. Sym. Th. Θεραφὶν. (m) Juvenal. sat. XIV, ℣. 104.

℣. 20. Noluitque Jacob confiteri socero suo, quòd fugeret.

℣. 21. Cùmque abiisset tam ipse, quàm omnia quæ juris sui erant, & amne transmisso pergeret contra montem Galaad,

℣. 22. Nunciatum est Laban die tertio, quòd fugeret Jacob.

COMMENTARIUS.

Multò potiori jure Onkelos, Syriacus, RR. Kimchi, Eliezer, Abnezra, cum Grotio aliisque Interpretibus, confundendos censuerunt Teraphim cum Talismanicis figuris, e metallo fuso sub certi cujusdam planetæ aspectu, quibus mira vis tribuitur, quæ & naturæ metalli, & nomine ejusmodi planetarum, & figuris in Talismano expressis responderet. Tradit R. Maimonides (n), Zabios ejusmodi figuris ex auro argentoque tribuisse vim averruncandi mala, & futurorum oracula præsignandi; quarum quæ aureæ erant Soli, argenteæ Lunæ dicabantur. Ferunt, apud Veteres innotuisse figuras illas magicas, nec voce, nec motu destitutas, quæ redderent oracula. Familiare id maximè Ægyptiis, & Arabibus, jactitantibus habere se in potestate hisce figuris alligandi animas Dæmonum sive Deorum suorum vel astrorum, cogendique ut consulentibus responderent parêrentque jubentibus (o).

Hodie pariter in Oriente regnat de Talismanis & Amuletis adversùs incantationes, vel sortes, persuasio (p). Appellant Persæ *Telesin*, quod satis accedit ad *Teraphim*; nemo apud illos occurrit suo Telesin destitutus; sunt qui ejusmodi sarcinis onerentur, appensas ferentes ad brachia, pendentes e collo. Quædam etiam collo animalium, aviumque caveis suspendunt. Porrò amuleta illa nihil sunt aliud, quàm scriptiunculæ quædam in chartâ, sive membranâ, vel gemmis, ut in onychino, achate, eâ cautione in scribendo servatâ, ut nec astra, nec dies, nec opifex negligantur. Satis probabiliter credimus, Teraphim Labani figuras fuisse quasdam, virtute supra naturam, uti credebatur, pollentes, quæ est de Talismanis persuasio. Orientales plerique post datum nomen Religioni Mahometanicæ, statuas interdicenti, substituerunt illis amuleta lapidibus insculpta, vel scripta in membranis. Reipsâ tamen eadem semper obtinet superstitio, insita, ut ita dicam, earum gentium sanguini.

Cur Rachel patris sui Teraphim surripuerit, inquiritur. Interpretes quidam (q) autumant, ideò potissimùm illam ditissima hæc idola, utpote aurea vel argentea, subtulisse, quò se levaret e dispendio rerum suarum, quo a patre affectam se, non secùs ac Liam sororem, censebat. Malunt alii (r), sustulisse illam Oracula, ne quid, illis consultis, de fugâ suâ pater resciscerет. Alii (s), noluisse ut in domo paternâ remanerent Idola, criminis in Deum instrumenta. Sed quid opus erat, si quidem eo consilio tenebatur fœmina, ut sublata secum afferret? Satis erat celasse: his autem subductis, quid prohibebat, ut nova alia sufficeret Laban? Ex Patribus plures (t) asserunt, cultos a duabus sororibus Teraphim, quibus junxerint cultum veri Dei Jacobi. Communicato simul consilio, furtum illud commiserunt, ait Nicetas post S. Gregorium Nazianzenum (u), ratæ, facilè asportaturas se unà cum illis totam paternæ domûs felicitatem; vel sperantes habituras se in illis tutum asylum, vel præsentissimum Numen, quo Laban flecteretur (x), si fortè insequens fugientes, vim illis inferre tentasset. Contendit Ligfootus, eas figuras ipsissimas fuisse avorum Abrahami, quas Rachel studiosa servandi monumenta avorum suorum, secum habere voluerit.

Addit Josephus (y), præter Teraphim, a Rachele subducta, Jacobum secum duxisse gregum Labani sibi commissorum mediam portionem: sed nihil Josepho favens occurrit in Textu, nihil eâ de re exprobrat Laban. Cæterùm ob excusandam a furto Rachelem nihil succurrit: Jacob furtum illud ignorans, testatus est, illos, qui idola surripuissent, mortis reos esse. Vide ℣. 32.

℣. 20. NOLUIT CONFITERI, QUOD FUGERET. Vim Textûs Originalis totam expressit Vulgata; habet enim ille ad literam (z): *Furatus est Jacob cor Laban Aramæi; eo quòd non indicavit quòd fugeret. Furari cor alicujus* oppositum est alteri phrasi *aperire cor suum*. Judæi apud S. Joannem x, 24, ad Christum: *Quousque animam nostram tollis?* (tollis cor nostrum) *Si tu es Christus, dic nobis palam.*

Verba Textûs ita exponunt alii: *Furatus est cor Labani*, i. e. ejus divitias & greges, vel filias & nepotem, quem corculum suum & amorem suum appellabat. Sed leviora hæc.

℣. 21. AMNE TRANSMISSO. Euphratem ad Thapsacum, ubi vadum erat, facilè trajecit. Per arentem prodigio alveum transisse, ex Rabbinorum fide crederetur.

CONTRA MONTEM GALAAD. Nomen illud montibus nonnisi post transitum Jacobi inditum est. Sed posthac semper ea appellatio apud Israëlitas mansit. Vetus eorum nomen ignoratur: montes tamen Sehir facilè dictos censemus, saltem eos, qui magis ad meridiem sunt. Orientalem tractum tenent in regione assignatâ Tribubus Ruben & Gad; protenduntur que a Septemtrione ad Meridiem, a monte Hermon usque ad montes Moab.

℣. 22. NUNCIATUM EST LABAN DIE TERTIO, QUOD

(n) *Maimon. l. 3 More neboc.* (o) *Vide Trismegist. in Asclepio. Videsne statuas animatas, sensu & spiritu plenas, & talia facientes: statuas futurorum præscias. Marsil. Ficin. libel. de vitâ cælitùs producendâ c. 13. Trismegistus ait, Ægyptios ex certis mundi materiis facere consuevisse imagines, & in eas opportunè animas dæmonum inserere solitos, &c. Vide &c. 16. 18, 20.* (p) Chardin. t. 2, Science des Perses ch. x, p. 151. (q) *Jansen. Perer. &c.* (r) *Abenezra. vide Seld. de Diis Syr. synt. 1, c. 2.* (s) *Theodoret. quæst. 89. Rab. Salom. Nazianz. Orat. de sancto Pascb.* (t) *Cyrillus in Genes. lib. XI. Chrysostom. homil. LVIII in Genes. Quidam apud Theodoret. quæst. 90.* (u) *Nazianz. Orat. II de Pascha.* (x) *Joseph. lib. 1. Antiq. c. 19.* ἵνα δὲ κἂν καταληφθῶσιν ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτῆς διωχθέντες, ἔχοι τούτοις προσφυγοῦσα συγγνώμης τυγχάνειν. (y) *Joseph. ibid.* ἐπήγετο δὲ Ἰάκωβος καὶ τῶν βοσκημάτων τὴν ἡμίσειαν, Λαβάνου μὴ προγνόντος.

(z) גנב יעקב את לב לבן *Septuag.* ἔκρυψε δὲ Ἰακὼβ Λάβαν.

℣. 23. Qui assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem, & comprehendit eum in monte Galaad,

℣. 24. Viditque in somnis dicentem sibi Deum: Cave ne quidquam asperè loquaris contra Jacob.

℣. 25. Jamque Jacob extenderat in monte tabernaculum: cùmque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium.

℣. 26. Et dixit ad Jacob: Quare ita egisti: ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio?

℣. 27. Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?

℣. 28. Non es passus, ut oscularer filios meos, & filias: stultè operatus es: & nunc quidem

℣. 29. Valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius.

℣. 30. Estò, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos?

℣. 31. Respondit Jacob: Quòd inscio te profectus sum, timui, ne violenter auferres filias tuas.

℣. 32. Quòd autem furti me arguis: apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris: scrutare, quidquid tuorum apud me inveneris, & aufer: hæc dicens, ignorabat, quòd Rachel furata esset idola.

COMMENTARIUS.

QUOD FUGERET JACOB. Post alterum a fugâ diem, rem totam novisse Labanum, asserit Josephus *Antiq. l. 1, c. 18*; sed contra fidem Scripturæ.

℣. 23. PERSECUTUS EST EUM DIEBUS SEPTEM. Commodè hi septem dies referuntur, sive ad iter Jacobi, sive ad Labani: ad Jacobum malunt Josephus & S. Hieronymus, plerique tamen exponunt de Labano, septem diebus iter emetiente, quòd decem confecerat Jacob; triduo enim iste anticipaverat. Vide ℣. 22.

℣. 24. CAVE NE QUIDQUAM ASPERE LOQUARIS CONTRA JACOB. Loqui hìc positum pro facere, ut frequenter solet Scriptura, censet Cajetanus. Cave ne quid iniquum facias. Hebræus: *Nequid illi loquaris a bono usque ad malum*, מטוב עד רע; cave scilicet non blanditiis ad redeundum allicias, ne terreas minis; vel, juxta alios, nihil illi miniteris, neque ingratum aliquid loquaris; alii: Nihil prorsus dicas, vel nihil injuriosum.

℣. 27. PROSEQUERER TE ..... IN TYMPANIS ET CYTHARIS. Tympanum, תוף, *Tuph* apud Veteres erat genus quoddam aheni, extentâ ad os pelle, vel saltem ad unum latus tantùm; pulsabatur seu virgulis seu digitis. Differebat a tympanis nostræ ætatis (Gallicè *tambours*), eratque instrumentum multò minùs quàm nostra cymbala (*tymbales*); nihilque habet simile veteri tympanum nostræ ætatis, Germanicum instrumentum ligneum, fidibus ex auricalcho instructum, quod pennâ pulsatur: hujus aliud nomen *psalterion*. De tympano fusiùs nos in Psalmos agemus.

CYTHARA. Hebræus כנור *Cinnor*. Instrumentum esse decem fidium, plectro pulsandum, asserit Josephus (a). Vetus cythara multum abhorrebat a nostrâ, minùs a testudine vel lyra.

℣. 29. ET NUNC QUIDEM VALET MANUS MEA REDDERE TIBI MALUM: i. e. ultionem habeo sub manu. Hebræus ad literam: יש לאל ידי *Est ad Dominum manus mea ad faciendum vobiscum malum*. Facilè insinuat, jurejurando se adegisse, protensâ ad Deum manu, ut ultionem exigeret; sed nequid grave inferret, obstitisse Deum, qui sibi per visum apparuit. Chaldæus & Rabbini ita usurpant Hebræum *el*, quod est *Deus*, vel *fortis*, ac si legissent חיל, *Chail*, quod est *fortitudo*, *robur* &c. *Est fortitudini manus mea ad faciendum vobiscum malum*. Targum Jerusalem: *Est mihi exercitus & copia*.

℣. 32. NECETUR CORAM FRATRIBUS NOSTRIS. Patribus familias jus erat olim sanguinis in domesticos (b). Pater judex est oxoris & filiorum suorum, ait Homerus (c). Pro veteri illo jure Jacob morti adjudicat injustos Teraphim Labani raptores. Habebat in comitatu uxores suas tantùm, filios, & mancipia. Domesticum illud furtum

(a) Ἡ μὲν Κινύρα δέκα χορδαῖς ἐξημμένη, τύπτεται πλήκτρῳ. (b) *Grot.* (c) Θεμιστεύει δὲ ἕκαστος παίδων ἠδ' ἀλόχων.

℣. 33. Ingreſſus itaque Laban tabernaculum Jacob, & Liæ, & utriuſque famulæ, non invênit. Cùmque intraſſet tentorium Rachelis,

℣. 34. Illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper: ſcrutantique omne tentorium, & nihil invenienti,

℣. 35. Ait: Ne iraſcatur dominus meus, quòd coram te aſſurgere nequeo: quia juxta conſuetudinem fœminarum nunc accidit mihi: ſic deluſa ſolicitudo quærentis eſt.

℣. 36. Tumenſque Jacob, cum jurgio ait: quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me,

℣. 37. Et ſcrutatus es omnem ſupellectilem meam? Quid inveniſti de cunctâ ſubſtantia domus tuæ? pone hìc coram fratribus meis, & fratribus tuis, & judicent inter me, & te.

℣. 38. Idcircò viginti annis fui tecum? oves tuæ, & capræ ſteriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi:

℣. 39. Nec captum a beſtia oſtendi tibi, ego damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, a me exigebas:

℣. 40. Die, noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis.

℣. 41. Sicque per viginti annos in domo tua ſervivi tibi, quatuordecim pro filiabus, & ſex pro gregibus tuis; immutaſti quoque mercedem meam decem vicibus.

℣. 42. Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modò nudum me dimiſiſſes: afflictionem meam, & laborem manuum mearum reſpexit Deus, & arguit te heri.

℣. 43. Reſpondit ei Laban: Filiæ meæ, & filii, & greges tui, & omnia quæ cernis mea ſunt: quid poſſum facere filiis, & nepotibus meis?

COMMENTARIUS.

tum rei tanti momenti mortem promerebatur. Docent Rabbini, verbum illud, *Necetur*, vel, juxta Hebræum, *Non vivat*, malum eſſe, quod Jacob precabatur; nec diù poſt in morte Rachelis exitum ſuum obtinuiſſe (d).

℣. 33. Cum intrasset tentorium Rachelis. Intelligimus hìc, non viros tantùm & mulieres tentoria habuiſſe diſcreta, ſed ſingulas uxores ſuum habuiſse tentorium peculiare. Muliebre quoddam incommodum ſimulat Rachel. Manebat ſedens ſuper ſtramenta cameli, quibus celabat Idola patris ſui. Quis autem ſibi induxiſſet in animum, fœminam menſtruatam patris religionem deſuper ſedendo violaſſe?

℣. 39. Quidquid furto peribat a me exigebas: Hebræus (e): *Furto ablatum diei, & furto ablatum noctis*. Qua in re jure accuſabatur Laban injuſtitiæ & tenacitatis. Cùm enim greges omnes ad Labanum pertinerent, rei æquitas poſtulabat, ut diſpendium, ſi quod fortè ſine ductoris incuriâ contigiſset, ille pariter ſentiret.

℣. 40. Die noctuque æstu urebar, et gelu. Hebræus: *Æſtus conſumebat me die, & gelu nocte*. Porrò uſtio æquè uſurpatur de gelu ac de æſtu. Virgilius *Georg. 1: Borea penetrabile frigus adurat*. Tacitus: *Ambuſti multorum artus vi frigoris*. Lucanus: *Urebant montana nives* &c. Hebræum אכל *Acal* vi nominis eſt *vorare, abſumere*.

℣. 42. Nisi Deus patris mei Abraham, et timor Isaac affuisset mihi. Timor Iſaac eſt timor Dei, quem Iſaac reverebatur (f). Sunt qui diſcrimen illud, quod hìc ſpectatur, inter Abraham & Iſaac, dicitur enim *Deus Abraham, & timor Iſaac*, ex eo repetendum cenſeant, quòd cùm Abraham in juſtitiâ diem clauſerit, a viciſſitudinibus immunis eſſet, cùm interim Iſaac, agens adhuc in vivis, diſcrimini amittendæ juſtitiæ adhuc exponeretur.

℣. 43. Omnia quæ cernis, mea sunt. Quid possum facere filiis et nepotibus meis? Tua omnia perinde habeo, ac ſi ad me pertinerent: quibus

(d) *Geneſ.* XXXV, 18. (e) גנבתי יום גנבתי לילה (f) *Vide inferiùs* ℣. 53. *Iſa.* VIII, 13 *&c. Et Stat. Thebaid. l. 3. Primus in Orbe Deos fecit timor.*

℣. 44. Veni ergo, & ineamus fœdus; ut sit in testimonium inter me, & te.

℣. 45. Tulit itaque Jacob lapidem, & erexit illum in titulum:

℣. 46. Dixitque fratribus suis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum:

℣. 47. Quem vocavit Laban Tumulum testis: & Jacob, Acervum testimonii, uterque juxta proprietatem linguæ suæ.

℣. 48. Dixitque Laban: Tumulus iste erit testis inter me & te hodie, & idcircò appellatum est nomen ejus Galaad, id est, Tumulus testis:

℣. 49. Intueatur, & judicet Dominus inter nos, quando recesserimus a nobis.

℣. 50. Si affixeris filias meas, & si introduxeris alias uxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit.

℣. 51. Dixitque rursus ad Jacob: En tumulus hic, & lapis, quem erexi inter me & te,

℣. 52. Testis erit: tumulus, inquam, iste, & lapis sint in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans.

COMMENTARIUS.

quibus nequid tibi inferam iniqoum, contineor: quo enim ero animo in filios & filias meas, oempe in natos ex te, & ex filiabus meis liberos? Hebræus: *Filia, filia mea; & filii, filii mei; & peudes, pecudes mea; & omne quod tu vides illud mihi* meum est. *Es filiabus meis quid faciam istis hodie, vel filiis earum quos pepererunt?* Septuaginta aliter interpretati sunt: *Omnia qua cernis, mea sunt, & filiarum mearum. Quid faciam illis hodie, aut earum filiis, quos pepererunt?*

℣. 47. QUEM VOCAVIT LABAN, TUMULUM TESTIS, ET JACOB, ACERVUM TESTIMONII; UTERQUE JUXTA PROPRIETATEM LINGUÆ SUÆ. Contrarium planè leguot Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta; Laban appellavit hunc acervum testimonii, יגר שהדותא *Jegar-Schhaddutah*; & Jacob גלהעד, *Gal-haed*. Demonstratur hic, fuisse inter Chaldaicum vel Syriacum & Hebraicum sermonem, quo usus est Jacob, discrimen; quamvis ab initio unum erat idemque idioma, nec facilè multum inter se discrepabant, cùm Abraham e Chaldæâ vel Mesopotamiâ egressus est. Illa: *Uterque juxta proprietatem lingua sua*, Interpretari debentur, desunt enim in Hebræo.

℣. 48. IDCIRCO APPELLATUM EST NOMEN EJUS GALAAD. Hebræus & Chaldæus: *Idcircò vocavit nomen ejus Galaad:* veluti si Laban nomen loco imposuisset; quod congruit cum Vulgatâ ad ℣. 47, sed repugnat Hebræo ejusdem. Exemplis pluribus docemur, interdum verbum *appellavit* usurpari passiva sigoificatione pro *appellatus est*. Jungi possent duo versus 48, 49, ita: *Idcirco vocatum est nomen ejus Galaad* גלעד, *Hammizphah*, המצפה, acervus Testis & specula, quia inde *speculabitur Dominus*, tanquam vigil aliquis *inter me & inter te*, quid agitetur.

℣. 49. QUANDO RECESSERIMUS A NOBIS. Hebræus (g): *Quia abscondemur vir ab amico suo*, nempe quando e mutuo conspectu utrique recesserimos.

℣. 50. SI AFFLIXERIS FILIAS MEAS, ET INTRODUXERIS ALIAS UXORES SUPER EAS; NULLUS SERMONIS NOSTRI TESTIS EST ABSQUE DEO, QUI PRÆSENS RESPICIT. Alius Hebræo sensus dari posset; *Si afflixeris filias meas, & si acceperis uxores super filias meas; non vir* (nemo) *nobiscum*: idest, initum fœdus non permanebit, habebiturque tanquam infectum, vel tanquam absque solemnitate, & clam omoibus inter nos seorsum sancitum: *Et Deus testis*, qui iojustitiam tuam cernet, judicabit *inter me & inter te*. Quamquam fœdus hoc nullorum testium præsentiâ firmatur (qui enim aderant omnes in partem ejus veniebant, vel ad contrahentes necessitatis aliquo jure spectabant, ac proinde impares erant, ut testimonium eâ de re ferreot) quamquam igitur hæc omnia agantur ioter me & te privatim, præsentis tamen Dei veluti testis judicium metuendum est tibi.

Conditionem præposuit Laban, ne quas alias uxores vel coocubinas inducat Jacob, filiabus suis superstitibus; quæ utique cautio tunc temporis & in eâ regione, in qua polygamia permittebatur, utique erat necessaria. Hodie pariter apud Turcas, cùm dives aliqua vel non e vulgo quædam puella Munsulmanno alicui tradenda est, stipulatione sancitur, ut vir nullam aliam sive uxorem sive concubinam, sponsâ superstite, inducat (*h*).

℣. 53

(g) כי נסתר איש מרעהו *Septuag.* ὅτι ἀποστησόμεθα.

(h) *Busbeq. ep.* 3.

℣. 53. Deus Abraham, & Deus Nachor judicet inter nos, Deus patris eorum. Juravit ergo Jacob per timorem patris sui Isaac:
℣. 54. Immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos, ut ederent panem. Qui cùm comedissent, manserunt ibi.
℣. 55. Laban verò de nocte consurgens, osculatus est filios, & filias suas, & benedixit illis: reversusque est in locum suum.

COMMENTARIUS.

℣. 53. Deus Abraham, et Deus Nachor. Videtur hìc insinuatum, Nachor verum Deum coluisse; quod planè repugnat Scripturæ (i), asserenti, Thare & Nachor aliena Numina coluisse. Imò Hebræus & Chaldæus hìc ponunt אלהי, *Elohim*, quod commodè redderetur *Dii*; quo nomine appellata sæpe Idola & amplissimos aliquos viros, planè constat.

℣. 55. Osculatus est filios suos et filias suas; i. e. filias suas, & nepotes ex illis, seu nepotes & Dinam neptem.

CAPUT XXXII.

Jacob veniens Mahanaim, certiorem de adventu suo fieri curat Esaü. Hic venit in occursum fratris cum copiis. Jacob vicissim munera illi præmittit. Jacob ipse luctatur cum Angelo, a quo nomen obtinet Israël:

℣. 1. Jacob quoque abiit itinere, quo cœperat: fueruntque ei obviam Angeli Dei.
℣. 2. Quos cùm vidisset, ait: Castra Dei sunt hæc: & appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est, Castra.
℣. 3. Misit autem & nuncios ante se ad Esaü fratrem suum in terram Sehir, in regionem Edom:

COMMENTARIUS.

℣. 1. Fuerunt ei obviam Angeli Dei. Addont hìc aliquid Septuaginta: *Jacob vidit castra Dei applicantia: & occurrerunt ei Angeli Dei.* Salomon Jarchi, & alii quidam ex Rabbinis, censuerunt, Jacobum spectasse veluti duo Angelorum agmina, tutantia circum turbam domesticorum suorum, & suum velut iter custodientia; duo autem agmina ista erant Angeli tutelares Chanaanitidis & Chaldææ. Priores illi veniebant ad excipiendum virum, cùm regionem illam subiit, atque loco essent Angelorum Chaldææ, qui deducto Jacobo ab Haran adusque torrentem Jabok, recesserant. Vetus est Hebræorum persuasio, singulis regionibus suum esse Angelum custodem: quam opinionem confirmant adductæ quædam e veteri ac novo Testamento authoritates. Legimus apud Danielem XII, 1, Archangelum S. Michaëlem datum a Deo custodem populi Israëlis; & in Actis XVI, 9, Angelus Macedoniæ rogat Apostolum, ut in Macedoniam veniens, annuntiet iis gentibus Evangelium.

Nec tamen vades nos exhibemus pro interpretatione, quam huic loco aptant Judæi. Sunt ex Interpretibus quidam (a), qui ambigant, utrùm hæc re ipsâ spectaverit Jacob, an per somnium & in phantasmate; per quietem enim hæc omnia contigisse arbitrantur.

℣. 2. Appellavit nomen loci illius Mahanaim, i. e. duo castra, veluti si Jacob duo agmina in prælium parata pro se spectaret; vel si ad torrentem Jabok, e regione loci quem tenebat, spectasset grandem aliquem exercitum Angelorum *Castra Dei*; vel terribile ac validum agmen, adeo ut castra sua & Angelorum, duo essent castra, de quibus hìc. Porrò Jacob Jabok plagam borealem tenebat, & Angeli meridionalem ejus torrentis habebant. Vel tandem, juxta Hebræos, duo erant agmina, Angelorum nempe Chaldææ, & Chanaanitidis. Stetit successu temporis urbs inter Gaditicas assignata, quo loco Jacob fixerat tentoria; & e duobus hisce castris nomen obtinuit *Mahanaim*, מחנים, LXX, Παρεμβολή.

℣. 3. Misit nuntios ante se ad Esau fratrem suum in terram Sehir, in regionem Edom. Ex his & aliis Scripturæ textibus intelligimus, Esaü

(i) *Josue* XXIV, 2. (a) *Cajetan.*

ỳ. 4. Præcepitque eis, dicens: Sic loquimini domino meo Esau,
Hæc dicit frater tuus Jacob: Apud Laban peregrinatus sum:
& fui usque in præsentem diem.
ỳ. 5. Habeo boves, & asinos, & oves, & servos, & ancillas:
mittoque nunc legationem ad dominum meum, ut inveniam
gratiam in conspectu tuo.
ỳ. 6. Reversique; sunt nuntii ad Jacob, dicentes: Venimus ad Esau
fratrem tuum, & ecce properat tibi in occursum cum quadrin-
gentis viris.
ỳ. 7. Timuit Jacob valde: & perterritus divisit populum, qui
secum erat, greges quoque & oves, & boves, & camelos,
in duas turmas,
ỳ. 8. Dicens: Si venerit Esau ad unam turmam, & percusserit
eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur.
ỳ. 9 Dixitque Jacob: Deus patris mei Abraham, & Deus patris
mei Isaac: Domine, qui dixisti mihi: Revertere in terram
tuam, & in locum nativitatis tuæ, & benefaciam tibi.
ỳ. 10. Minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua,
quam explevisti servo tuo. In baculo meo transivi Jordanem
istum: & nunc cum duabus turmis regredior.

COMMENTARIUS.

Esau ab Exordio sedes habuisse ad Orientem meridionalem Chanaanitidis, in superioribus maris mortui, a Nabathæis non dissitas. Hanc opinionem alibi fulsimus, authoritate Strabonis, cui addeodus Brocardus (l), Adrichomius, Tornielius, Bonfrerius, aliique nonnulli.

Posteri Esau tenebant pariter regionem Idumææ ad meridiem Palestinæ, quæ ab Oriente & Occidente protendebatur a mari mortuo adusque Erythræum. Longâ jam ætate montes illos habebant, cùm Israëlitæ subierunt terram promissionis; locusque est suspicandi, ipsum per se Esau, post obitum Isaaci patris sui, regionem illam subegisse, ac constituisse in sedem sibi posterisque suis nonnullis, cùm alii primam regionem amarent. Valebit hæc conjectura ut explicetur argumentum, quod in oppositum deducitur e Principibus Edom, de quibus Capite XXXVI, in Idumæâ regnantibus diu antequam Israëlitæ suos haberent Reges constitutos. Cùm Idumæi sedes haberent inter se distinctas, distinctis etiam parebant Regibus; quorum alii præerant Idumææ ad meridiem Chanaanitidis, alii in regione ad orientem maris mortui; facilè etiam plures simul regnabant in variis urbibus ejus regionis. Cùm posteri Esau e tribus diversis fœminis provenissent, varias etiam formabant Tribus, quarum singulæ suo parebant Principi vel Regi. Idumæi, tempore captivitatis Judæorum Babylonicæ, montes Judææ aggressi sunt; quos pariter tenebant Macchabæorum ætate, nec deseruerant sævientibus postremis Judæorum bellis.

ỳ. 4. SIC LOQUIMINI DOMINO MEO ESAU. Dominum suum appellat, urbanitatis gratiâ, salvo semper majoris natu jure. *Hæc dicit frater tuus Jacob.* Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta: *Servus tuus Jacob*, עבדך יעקב. Item LXX ὁ παῖς σου Ἰακώβ

ỳ. 5. HABEO BOVES ASINOS ET OVES. Insinuat callidè Jacob Esau fratri suo, non necessitate aliquâ pressum, & veluti quidquam postulaturum se venisse. His autem excusat sese, quòd officium per se facturus non venisset: Plura habeo apud me, quæ sinè discrimine deseri nequeunt. Vel tandem, juxta Jonathan: *De omni eo quo benedixit me pater meus, non est in manu meâ, nisi pauci boves, asini, oves, servi, & ancillæ: & misi ad nuntiandum domino meo, quia non prodest mihi benedictio illa, ad inveniendum misericordiam in oculis tuis, ut non servet mihi inimicitias ob illam.*

ỳ. 6. VENIMUS AD ESAU - - - - - ET ECCE PROPERAT TIBI IN OCCURSUM CUM QUADRINGENTIS VIRIS. Constat ex his omnibus, Esau non longe a torrente Jabok habitasse: duxit autem secum eo homines, sive ut potentiam suam ostentaret, sive ut terrorem incuteret fratri. Postremum hoc suspicatus est Jacob, paratum enim venisse illum ad inferendam sibi injuriam metuit ỳ. XI. Vide etiam Librum Sapientiæ X, 12. Fortè etiam ex animo loquebatur Esau, cùm adduxisse illos profitetur, ut fratri custodes itineris daret. Paraphrastes Jonathan viros illos in comitatu Esau appellat Græco nomine *Polemarchos*, nempe militares duces, vel tantùm milites.

ỳ. 10. MINOR SUM CUNCTIS MISERATIONIBUS TUIS. Vim totam Hebræi explet Chaldæus (m): *Minora sunt merita mea beneficiis tuis.* LXX: [n] *Sufficiat*

(l) *Brocard. Terra Sanctæ Descript. p. 263, & 264.*
(m) קטנתי מכל החסדים ומכל האמת אשר עשית (n) *Septuag.* Ἱκανούσθω μοι ἀπὸ πάσης δικαιοσύνης, καὶ ἀπὸ πάσης ἀληθείας, ἧς ἐποίησας τῷ παιδί σου. *Alii cod.* Ἱκανοῦταί μοι, *sufficit mihi.* *Alius:* Ἱκανός εἰμί, *sufficiens sum.*

℣. 11. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valdè eum timeo: ne forte veniens percutiat matrem cum filiis.

℣. 12. Tu locutus es quòd benefaceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest.

℣. 13. Cùmque dormisset ibi nocte illâ, separavit de his, quæ habebat, munera Esau fratri suo,

℣. 14. Capras ducentas, hircos viginti; oves ducentas, & arietes viginti,

℣. 15. Camelos fœtas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum decem.

℣. 16. Et misit per manus servorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris suis: Antecedite me, & sit spatium inter gregem, & gregem.

℣. 17. Et præcepit priori dicens: Si obvium habueris fratrem meum Esau, & interrogaverit te, Cujus es? aut, quò vadis? aut, Cujus sunt ista, quæ sequeris?

℣. 18. Respondebis: Servi tui Jacob, munera misit domino meo Esau: ipse quoque post nos venit.

℣. 19. Similiter dedit mandata secundo, & tertio, & cunctis, qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau, cùm inveneritis eum;

℣. 20. Et addetis: Ipse quoque servus tuus Jacob iter nostrum insequitur: dixit enim: Placabo illum muneribus, quæ præcedunt, & posteà videbo illum, forsitan propitiabitur mihi.

℣. 21. Præcesserunt itaq; munera ante eum, ipse verò mansit nocte illâ in castris.

COMMENTARIUS.

sciat mihi ab omni justitiâ, & ab omni veritate, quam fecisti puero tuo. Hic, sicut alibi sæpè, *justitiam* ponunt loco *misericordiæ*. S. Augustinus legebat: *Idoneus est mihi ab omni justitiâ, & ab omni veritate, qua fecisti puero tuo*. Sufficis mihi justitiâ & veritate tuâ. S. Cyrillus legit pariter: *Idoneus es*. Aquila (o): *Minor sum omnibus misericordiâ tuâ & veritate*. Veritas est hìc fides in promissis implendis.

IN BACULO MEO TRANSIVI JORDANEM ISTUM, ET NUNC CUM DUABUS TURMIS REGREDIOR. Chaldæus: *Transivi solus Jordanem*: quod egregiè exprimit sensum Textûs. Pro *duabus turmis* Hebræus fert: *Factus sum in duo castra*; in duas nempe turmas, frequentiâ suâ non male referentes geminas acies.

℣. 11. NE FORTE VENIENS PERCUTIAT MATREM CUM FILIIS, אם על בנים *matrem super filios*. Occidere filios coram matre, efferatæ est crudelitatis (p). Exprimit id etiam excidium absolutissimum, in quo nullâ ætatis vel sexus habitâ ratione omnes trucidantur (q).

℣. 15. CAMELOS FOETAS. Hebræus: גמלים מיניקות: LXX: Καμήλους θηλαζούσας, *Camelos lactantes*. Idem cæteræ Versiones: Fœmellæ Camelorum lacte nunquam destituuntur, donec novos fœtus concipiant. Porrò lac illud plurimi apud veteres & maximè Arabes æstimabatur (r): *Cameli lac habent, donec iterum gravescant, suavissimumque hoc existimatur ad unam mensuram tribus aquæ additis*. Observat S. Hieronymus *l. 11 contra Jovinianum*, Arabes ætatis suæ victitasse potissimùm carne & lacte camelorum; quos etiam mores hodie pariter non deseruisse, asserunt Itinerantes.

TAUROS VIGINTI. *Decem* habet Hebræus cum versionibus omnibus, excepto Syriaco & Vulgatâ.

℣. 19. SECUNDO ET TERTIO. Septuaginta: *Primo, secundo, tertio*.

℣. 20. PLACABO ILLUM - - - - POSTEA VIDEBO ILLUM: FORSITAN PROPITIABITUR MIHI. Hebræus ad literam (s): *Placabo faciem ejus munere, quod offeram; & postea videbo faciem ejus. Forsitan levabit faciem meam*. Facies interdum pro irâ ponitur. Furorem ejus placabo, postea benigno vultu me excipiet; seu observabit me; vel audebo contra illum respicere, & confidentiùs illum coram sustinebo.

℣. 21. MANSIT NOCTE ILLA IN CASTRIS. Reddi

(o) *Aq.* Ἐσμικρύνθην ὑπὲρ πάντας ἐλέῳ, καὶ πάσῃ ἀληθείᾳ. (p) *Osee* x. 19. (q) *Grot.* (r) *Plin. lib.* xi, 41. (s) אכפרה פניו במנחה ההלכת לפני ואחרי כן אראה פניו אולי ישא פני *Septuag.* ἴσως γὰρ προσδέξεται. *Alius*, ἐὰν πῶς εὐπρόσωπος.

℣. 22. Cùmque mature surrexisset, tulit duas uxores suas, & totidem famulas cum undecim filiis, & transivit vadum Jaboc.
℣. 23. Traductisque omnibus, quæ ad se pertinebant,
℣. 24. Mansit solus: & ecce vir luctabatur cum eo usque manè.
℣. 25. Qui cùm videret quòd eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit.

COMMENTARIUS.

di posset Hebræum (k) *Pernoctavit in nocte ipsâ cum turmâ*; sed cùm summo mane recepisset sese seorsum, trajicientibus cæteris torrentem Jabok, *mansit solus*, ℣. 24. Vel aliter: Continuit se totâ nocte in Mahanaim, ubi duo Angelorum castra posita offendit.

℣. 22. Transivit vadum Jabok. Vada illa erant ad Mahanaim. Defluit torrens Jabok e montibus Galaad, devolviturque in Jordanem ad extremam oram meridionalem Lacûs Genesareth, infra locum, ubi Jordanis effluit e lacu. Ferunt, torrentem illum nomen suum debere (l) luctæ Jacobi. Nos alibi accersimus e Jesbok filio Abrahami ex Cethurâ. Vide Genesim xxv, 2.

℣. 23. Traductis omnibus. Deest *omnibus* hodie in Hebræo; sed legitur in Samaritano, Syriaco, & Septuaginta; ex quibus Grotius conjecturam deducit, nec desideratum olim in Hebræo fuisse.

℣. 24. Mansit solus. Non satis constat, num solitarius manserit trans torrentem post transmissos domesticos suos omnes; an ipse pariter transvadarit, lentusque procedens, alios e longinquo prosequeretur.

Et ecce vir luctabatur cum eo. Aquila & (m) Symmachus: *Volutabatur*, in pulvere nempe. Vertunt plures (n): *Pulvere se polluit*, ceu athletæ, qui oleo peruncti, in certaminibus alter alterum ad terram dejicientes, volutabantur in pulvere. Veteres plures [o] autumarunt, virum hunc, de quo hìc sermo, ipsissimum esse Dei filium, in Trinitate secundum. Deum appellat Jacob ℣. 30; eodemque se nomine vir ipse nuncupat ℣. 28. Laudat Origenes (p) veterem quemdam Hebræorum apocryphum librum, ferentem, viros, rerum gestarum magnitudine cæteris præstantiores, spiritu animari non vulgari, sed ab Angelo primi ordinis in corpus illud sese insinuante; Israëlem verò, Angelorum principem, venisse in corpus Jacobi, & Urielem inter Angelos octavum, cùm gerere personam Jacobi affectaret, habuisse audaciæ suæ oppugnatorem Israëlem.

Angelum fuisse censent vulgò omnes; Angelum pariter insinuat Osee xii, 3: *In fortitudine suâ directus est cum Angelo, & invaluit ad Angelum.* Plerique ex Patribus post S. Augustinum (q), Veteris Testamenti visiones omnes ministerio Angelorum factas reputant; nec de nostrâ hac aliter opinantur. In eamdem sententiam concessit sanior Theologorum & Interpretum nostratum portio. Virum hunc appellat Josephus Phantasma, & paulò inferiùs Angelum; phantasma etiam nuncupat Angelum, qui per visum apparuit Manue & Gedeoni.

Veterum quidam, Procopio teste (r), reputarunt, Dæmonem sub Esau specie & exuviis luctam instituisse cum Jacob. Sed quî Jacob benedictionem ab illo postulasset? Jarchi & Rabbinorum alii comminiscebantur, Angelum ipsius Esau luctatum esse cum Jacobo, ut reddere virum cogeret jus primoris natu. Negat Origenes (s), Jacobum pugnasse cum Angelo, tamquam cum adversario, sed potiùs adjutorem illum habuisse in luctâ contra Dæmonem, a quo petebatur. S. Hieronymus totam hanc luctam ad spiritalem sensum devolvens (t), exponit de luctâ, quam cum infernis potestatibus substinemus; in quam pariter sententiam descendisse videtur Origenes, *loco citato*. Rupertus hunc locum exponens, totum illud interpretatur de vi precum Jacobi, quibus Angelum diutiùs retinere conabatur, ut ab illo extorqueret benedictionem. Hæc omnia simul conciliaturi, statuimus, re ipsâ Jacobum cum Angelo luctatum fuisse; æquè tamen luctam illam spiritali sensu designasse preces Jacobi, quarum vi Deum flexit ad misericordiam, sibique ipsi veluti devinxit. Certamen illud sensibile, in quo Jacob prævaluit, prosperum precum ejus eventum demonstravit.

Refert Lycophron, Jovem sub ementitâ Athletæ personâ, totâ nocte certasse cum Hercule, cui & in pugnâ cessit. Fabella est historiæ hujus imitatio.

℣. 25. Videns, quod eum superare non posset. Noluit Deus, ut Angelus, vim suam totam exerendo, in Jacobum prævaleret: quid autem posset, si quidem Angelus voluisset, demonstrat morbus ille subitus, quo percussus Jacob claudicare coactus est vix tacto femore. Deus cùm non posse se dicit, nolle significat. S. Marcus vi, 5, de Christo: *Non poterat ibi virtutem ullam facere*; nolebat scilicet. Ita pariter Angelus prævalere nequibat in Jacobum, quòd nollet.

Tetigit nervum femoris ejus. Hebræus: בכף ירבי, *Tetigit curvaturam femoris*, quo lo-

(k) לב ילילה החוא במחנה (l) יאבק & אבק *Luctari*. (m) *Heb.* יאבק חוש עמו *Aquil. & Sym.* ἐκυλίετο ἀνὴρ μετ' αὐτῦ. *Septuag.* ἐπάλαιεν ἄνθρωπος μετ' αὐτῦ. (n) אבק *Sufflare, exhalare, spirare, &c. pulvis* Deut. xxviii. (o) *Justin. Dialog. cum Tryphone. Clem. Alex. lib.* 2 *Pædag. Tertull. contra Praxeam, Hilar. lib.* iv, *&* v *de Trin. Athanas. Orat. contra Arian.* 3, *in novâ edit. Chrysost. in cap.* 7 *in Acta Apost. Theodoret. quæst.* 92 *in Genes.* (p) *Origen. tom.* v *in Johan. Vide & homil.* 11 *in Numer.* (q) *Aug. lib.* xvi *de Civit. cap.* 39; *& quæst.* 104 *in Genes.*
(r) *Procop. in hunc locum. Vide, si lubet, & Hieronym. in c.* vi *Ep. ad Ephes. pag.* 400 *nov. Edit.* Opem Jacobo allatam ab Angelo, censuisse videtur Hieronymus: *Luctabatur cum eo homo adjuvans eum & corroborans adversùs alium* (dæmonem scilicet, ut ex superiori ejusdem sententiâ deducitur) *sudore nimio dimicantem.* (s) *Origen. lib.* iii περὶ ἀρχῶν. (t) *Hieron. lib.* iii *in cap.* 6 *Epist. ad Ephes.*

℣. 26. Dixitque ad eum: Dimitte me, jam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.
℣. 27 Ait ergo: : Quod nomen est tibi? Respondit: Jacob.
℣. 28. At ille, Nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis?
℣. 29. Interrogavit eum Jacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco.

COMMENTARIUS.

co femur, vel magnum os inseritur intra acetabulum ossis sacri. LXX: Ἥψατο τοῦ πλάτους τοῦ μηροῦ αὐτοῦ, *Tetigit latitudinem femoris ejus*, i. e. quo loco abundat caro circa anum. Coëgitque nervos extendi, cecidit.

STATIM EMARCUIT. Genuina vocis Hebrææ תקע, *Teka*, significatio latet. Vertunt Septuaginta: Ἐνάρκησε, *obtorpuit*. Recentiores Interpretes ferè omnes, *Luxatus est*. Verùm si luxatio Jacobo accidisset, numquam profectò se movisset e loco. Sunt qui credant, luxationem illam nonnisi parvo temporis spatio perseverasse. Malunt alii, Jacobum eo morbo laborasse donec perveniret in Sichem, ubi incolumis pervenisse dicitur Capite XXXIII, 18. Concedunt in hanc sententiam Judæi, Tostatus, Junius, ac Interpretum plures; censet tamen Gennadius incommodum illud ad mortem usque perseverasse; & arduas esse maximè, atque curationi contumaces femoris luxationes, docent Medici (u), remanere etiam semper incommodi hujus appendices, quæ valetudine etiam restitutâ claudicare cogant.

℣. 26. ASCENDIT AURORA, עלה השחר, i. e. Cedente aurorâ subit dies. Visiones plerumque per quietem noctu exhibitæ, mane dissipatæ narrantur; plenâ tamen die aliquas commemorat Scriptura, veluti trium Angelorum ad Abrahamum, & Angeli ad Manue & ad Gedeonem. Exoriente sole dissipari spectra, observant Pagani (x); & Jupiter apud Plautum: *Exire ex urbe priùs quàm lucescat, volo*. Anchises apud Virgilium Æneid. v.

Jamque vale: torquet medios nox humida cursus,
Et me sævus equis Oriens afflavit anhelis.

Angelus dimitti vult a Jacobo, antequam sol exoriatur. Evanescente Angelo, statim ab ortu emicuit Sol. ℣. 31.

NON DIMITTAM TE, NISI BENEDIXERIS MIHI. Perseverante luctâ, intellexit Jacob, certare se cum Angelo; benedici ab illo se postulat, rogatque ut victoriam adversùs Esau sibi concedat. Cum lacrymis exoravit benedictionem, ait Osee XII, 4: *Flevit & rogavit eum*. Credidisse videtur Lyranus, verborum phrases illas, *Nisi benedixeris mihi*, perinde valere ac, *Nisi te subdideris mihi*, nunquam te dimittam, nisi te victum fatearis. Legitur apud Isaiam XXXVI, 16: *Facite mecum benedictionem*; quod facilè positum est pro *Subjicite vos mihi*, seu vectigal mihi pendite.

℣. 28. NEQUAQUAM JACOB APPELLABITUR NOMEN TUUM, SED ISRAEL. Nec tamen exinde ab appellatione Jacobi penitus cessavit; quin & frequentiùs illâ usus est, quàm nomine Israëlis. Postremum hoc potissimùm vindicarunt sibi ejus posteri; sub Israëlitarum nomine semper, sub Jacobitarum nunquam noti. Innovat nomen illud Deus, capite XXXV, 10. Porrò Israel significat Principem Dei, Principem magnum, ex שרה, *dominari, prævalere*: virum qui adversùs Deum prævalet, seu qui Angelum superavit, ex שרה, quod Arabicè est *Congredi*, *Contendere*; quæ posterior etymologia præfertur in Textu ad ℣. proximè succedentem. Veterum plerique autumarunt, *Israël* exprimere Virum videntem Deum, איש ראה אל quæ sententia arrisit Philoni [y], Origeni [z], S. Basilio [a], S. Gregorio Nazianzeno [b], S. Chrysostomo [c], S. Augustino [d]. Josephus [e] insinuare videtur, inditum viro nomen ex luctâ cum Angelo. S. Hieronymus reddit interdum *Ischuron*, quod diminutivum *Israël* creditur, *rectissimus*; unde fit conjectura, S. Doctorem etymon deduxisse ex Hebræo ישר אל, *Jasar El*, Rectus Dei. Sed in QQ. *Hebraicis*, nomen *Israël* exprimere dicit Principem cum Deo.

QUONIAM CONTRA DEUM FORTIS FUISTI, QUANTO MAGIS CONTRA HOMINES PRÆVALEBIS? Scitè etiam redderetur Hebræus [f]: *Quia fortis fuisti cum Deo & cum hominibus, & prævaluisti*: vel; Cùm Deo prævalueris, & homines superare te necesse erit. Sed melior est & apertior Vulgatæ sensus.

℣. 29. CUR QUÆRIS NOMEN MEUM? Exemplaria quædam Græca, Theodoretus, & vetera quædam Latina Mss. addunt illud Judicum XIII: *Quod est mirabile*. Sed nihil tale præferunt Originalia, & veteres Græcæ Versiones. Negat Angelus nomen suum prodere, metuens ne successu temporis ansam præbeat hominibus se colendi; seu potiùs, quòd nollet Deus revelari adhuc hominibus nomen suum Jehovah [g]. Doceri volebat Jacob nomen Angeli, ut datis rerum circumstantiis invocaret.

℣. 30.

(u) *Bartholin. de morb. Biblic. c. 2. Galen. l. 18 de usu part. c. 3. Cels. l. 8, c. 20.* (x) *Vide Grot.* (y) *Philo lib. de præmiis & pœnis, & alibi.* (z) *Origen. tom. V in Joan. & homil. XX in Numeros.* (a) *Basil. in cap. 1 Isai.* (b) *Nazianz. Orat. 11 de Theologiâ.* (c) *Chrysost. homil. LVIII in Genes.* (d) *Aug. lib. XVI de Civit. c. 39.* (e) *Josephus lib. 1 Antiq.* (f) כי שרית עם אלהים ועם אנשים ותוכל *Aqu.* ὅτι ἦρξας μετὰ Θεοῦ. *Sym.* ὅτι ἦρξω πρὸς Θεόν. *Septuag.* ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ. (g) *Exod.* VI, 3.

℣. 30. Vocavitque Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vi-
di Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea.
℣. 31. Ortusque est ei statim Sol, postquam transgressus est Pha-
nuel: ipse verò claudicabat pede.
℣. 32. Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel, qui
emarcuit in femore Jacob, usque in præsentem diem: eò quòd
tetigerit nervum femoris ejus, & obstupuerit.

COMMENTARIUS.

℣. 30. Vocavit Jacob nomen loci illius, Phanuel. Hebræus: *Vocavit nomen loci Peniel*, פניאל; sed in proximè succedenti versiculo habet cum Vulgatâ *Phanuel* פנואל; sonat autem nomen illud *facies Dei*. Septuaginta: Εἶδος θεοῦ, *forma Dei*. Aquila, Πρόσωπον ἰσχύρ, *facies Dei fortis*. Meminit Strabo *l.* 16, Promontorii in monte Libano, dicti Τὸ θεοῦ πρόσωπον, *facies Dei*, non dissimili fortè de causâ. Grates agit Deo Jacob, quòd post visum oculis Angelum in vivis adhuc servaretur; ut enim superiùs in Caput XVI, 13, notavimus, Dei vel Angeli per visum aspectus videntibus mortales esse, Veteres sibi persuadebant. *Vidi Dominum facie ad faciem*, i. e. sensibili quadam, & corporeâ figurâ, non per quietem seu per visum.

℣. 32. Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel. Nulla eâ de re lex apud Israëlitas; abstinentiæ enim ejusmodi causa non lex, sed rei gestæ memoria est. Defendunt plures, religiosum hunc tantùm fuisse apud Israëlitas morem, non lege cautum. Silet in suis legibus Moyses. Interpretes quidam [*h*] putant, Samuelem posteriorem victimæ armum integrum apponi jussisse Sauli, similemque portionem assignasse Eloanam Annæ uxori suæ. Judæi nostræ ætatis a posteriori hoc armo abstinent; quamquam nonnullis in locis, detracto nervo ad anum, reliquis in cibum utantur [*i*].

Asserit Buxtorfius [*k*], Judæos Italos venas pariter detrahere, scriptisque anatomicis tabulis doceri venas, & nervos, quos tollere oportet. Factum inde, ait idem Author, ut medicinæ Doctores apud Judæos anatomicis rebus pleniùs instruantur. Addit, in Germaniâ eos vendere Christianis consuevisse rejectam hanc carnium portionem; sed Judæi omnes ad Christiana sacra conversi, summo consensu asserunt, non priùs carnes illas a Judæis vendi, quàm suâ ipsorum urinâ fœdatas, jactasque diras in emptores. Observat S. Chrysostomus [*l*], morem hunc abstinendi a nervo femoris in cibum ad servandam hujus luctæ cum Angelo memoriam causâ tantùm inductum. Nec saoè aliter de legalibus plerisque reputandum est, quàm ut insignia & monumenta rerum a Deo in Patriarchis factarum data censeantur.

C A P U T XXXIII.

Jacob & Esau occurrunt. Jacob fratrem cogit munera sua accipere; grates agit de custodibus itineris, quos sibi affert. Venit Socoth, inde Sichem.

℣. 1. Elevans autem Jacob oculos suos vidit venientem
Esau, & cum eo quadringentos viros: divisitque filios
Liæ & Rachel, ambarumque famularum.
℣. 2. Et posuit utramque ancillam, & liberos earum in prin-
cipio: Liam verò, & filios ejus in secundo loco: Rachel au-
tem, & Joseph novissimos.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Divisitque filios Liæ et Rachel. Hebræus ad literam [*a*] *Divisit medios natos ex Lia, & ex Rachele, & ex duabus ancillis*; i. e. divisit in duas turmas, quarum unam reddebant geminæ ancillæ com liberis, ante secundam alteram turmam constitutæ; secundam verò tenebant Lia, & Rachel cum utriusque liberis, post ancillas incedentes. Rachel tamen cum filio Jose-

---

(h) *Ligfootus*. (i) *Vide Leon. Modenam, c. 7, n. 3.* (k) *Buxtorf. Synagog. Jud. c. 27, p. 471.*
(l) *Chrysost. homil. LVIII in Genes.* (a) חץ את הילדים על לאה.

Digitized by Google

℣. 3. Et ipse progrediens adoravit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater ejus.

℣. 4. Currens itaque Esau obviam fratri suo, amplexatus est eum: stringensque collum ejus, & osculans flevit.

℣. 5. Levatisque oculis, vidit mulieres, & parvulos earum, & ait: Quid sibi volunt isti? & si ad te pertinent? Respondit: Parvuli sunt, quos donavit mihi Deus servo tuo.

℣. 6. Et appropinquantes ancillæ, & filii earum, incurvati sunt.

℣. 7. Accessit quoque Lia cum pueris suis, & cùm similiter adorassent, extremi Jóseph, & Rachel adoraverunt.

℣. 8. Dixitque Esau: Quænam sunt istæ turmæ, quas obviam habui? Respondit: Ut invenirem gratiam coram domino meo.

℣. 9. At ille ait: Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi.

℣. 10. Dixitque Jacob: Noli ita, obsecro: sed si invêni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis: sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei: esto mihi propitius,

COMMENTARIUS.

Josepho postrema agminis tenebat. Censent nonnulli, Jacobum pro quatuor uxoribus quatuor in turmas suos distribuisse, dedisseque singulis fœminis natos ex ipsis filios: alii tres turmas malunt, sed duas præferunt non obscurè Hebræus & Aquila [*b*]; sed nec aliter visum S. Hieronymo in QQ. *Hebraicis*.

℣. 3. ADORAVIT PRONUS IN TERRAM SEPTIES. Septenarius numerus pro indefinito quocumque usurpari potest; sed exponere malumus de septenariâ adoratione, quæ summi erat obsequii significatio, juxta morem, & indolem ejus regionis: Septies per intervalla salutavit. Ambigunt nonnulli, utrùm hæc obsequii Jacobi in Esau significatio ex animo fieret, an potiùs suadente metu, & Jacob viri mitis imbecillitate? Potuit id utique esse urbanitatis & assentationis, permissæ alioqui, officium, ait Tostatus; nos tamen syncera omnia censemus [*c*].

℣. 4. AMPLEXATUS EST EUM; STRINGENSQUE COLLUM EJUS, ET OSCULANS FLEVIT. Hebræus [*d*]: *Complexus est eum, & cecidit super collum ejus, & osculatus est eum: & fleverunt*. Chaldæus & Septuaginta verterunt pariter: *Fleverunt utrique* gaudio.

℣. 5. QUID SIBI VOLUNT ISTI? ET SI AD TE PERTINENT? Concisè magis Hebræus: מי אלה לך, qui commodè reddi posset: Qui sunt isti, qui tecum sunt? vel: Quæ est hæc manus? an pertinet ad te? vel tandem: Quid sibi vult hæc manus tecum? quid tibi cum illâ.

℣. 10. NOLI ITA, OBSECRO &c. Hebræus juxta Septuaginta: *si invêni gratiam coram te, accipe dona per manus meas. Propter hoc* (ἕνεκεν τούτου כי על כן) *vidi faciem tuam, quemadmodum si quis videat faciem Dei: & complacebis mihi*. Vatablus reddit: Ne recuses, rogo, munus meum; quod si recipies, ego videbo te cum gaudio, tamquam si viderem Deum; syncerâ id erit mihi voluptate. Ita verò reddendum mallem Textum: *Noli ita obsecro* [ne recuses munera mea]. *Si ego invêni gratiam coram oculis tuis, accipe munus manu meâ, vidi enim vultum tuum, quasi viderim vultum Dei, complaceto mihi*. Vox enim תרצני *Tirezeni*, meâ sententiâ est synonyma יאת, *jaat*, quod sæpè usurpatur pro *concedere aliquid*, quamquam communiter *complacere* significat, uti & רצה, Razah. Vide Genes. XXXIV, 15, 22 &c.

Chaldæus: *Vidi faciem tuam, quasi viderim faciem Principis*. Syriacus & Pagninus: *faciem Angeli*. Hæc hyperbolicè a Jacob dicta non incongruè respectarentur, quibus exprimeretur Viri in fratrem suum obsequium per omnia summum. Syncerè autem Jacob, & remotâ omni assentatione, protestabatur, vidisse se faciem fratris sui tamquam faciem Principis; erat enim reipsâ; & tamquam bonum Angelum ita suspicere illum, cujus enim iram vereri potuisset, hunc lenem atque benignum nactus est. Rectissimè etiam profitebatur, simili illum obsequio suspicere, eamdemque erga illum præstare se reverentiam, quam ipsi Deo debebat; nullo enim negotio Esau Jacobum ejusque omnia evertere potuisset. Ad hæc Vultus Divinus, stylo Scripturæ, est augusta ad venerationem, & obsequium inspirandum facies imposita.

Phrases illæ, *Sicut vultum Angeli*, exprimunt plerumque timorem quemdam, ex reverentiâ tremendæ Majestatis expressum. Vide 2 Reg. 27; & Esther, XV, 16. Occurrit hîc vox *Elohim*, exprimens, uti satis jam observavimus, Deum, Angelum, Principem, & Virum quemcumque authoritate supra cæteros pollentem: ita Deus constituere se dixit Moysem Deum Pharaonis.

ESTO MIHI PROPITIUS. Septuaginta Complutensium: Εὐλογήσεις με, *Benedices mihi*, pro εὐδοκήσεις με, *complacebis mihi*. Hebræus & Chaldæus: *Tu placuisti mihi*; i. e. voluptate in te videndo affectus sum. Septuaginta apud S. Chrysostomum. *Tu complacebis mihi*; rem mihi præstabis potissimam, qua me tibi obstringes. Non male

(b) *Aquil.* Ἐμίσου. *Septuag.* διεῖλε. *Alius*, ἐπιδιεῖλε

(c) *Vide Aug. quæst.* 205 *in Genes.*

(d) ויחבקהו ויפול על צואהו וישקהו ויבכו

℣. 11. Et suscipe benedictionem, quam attuli tibi, & quam donavit mihi Deus tribuens omnia. Vix, fratre compellente, suscipiens,

℣. 12. Ait, gradiamur simul, eroque socius itineris tui.

℣. 13. Dixitque Jacob: Nosti, domine mi, quòd parvulos habeam teneros, & oves, & boves fœtas mecum; quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur unâ die cuncti greges.

℣. 14. Præcedat dominus meus ante servum suum; & ego sequar paulatim vestigia ejus, sicut videro parvulos meos posse, donec veniam ad dominum meum in Seir.

℣. 15. Respondit Esau: Oro te, ut de populo qui mecum est, saltem socii remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, necesse, hoc uno tantùm indigeo, ut inveniam gratiam in conspectu tuo, domine mi.

℣. 16. Reversus est itaque illo die Esau itinere, quo venerat, in Seir.

℣. 17. Et Jacob venit in Socoth: ubi ædificata domo, & fixis tentoriis, appellavit nomen loci illius Socoth, idest, tabernacula.

COMMENTARIUS.

iè etiam redderetur ותרצני, *Bene voluisti mihi*. Vertendum tamen malumus: *Hanc gratiam mihi præstabis*.

℣. 11. Suscipe benedictionem, quam attuli. Hebræus ad literam (e): *Cape quæso, benedictionem meam, quæ allata est tibi, quia largitus est mihi Deus*. (seu misericordiam mihi præstitit), *& quia sunt mihi omnia*, nullis indigeo. Samaritanus: *Quia misertus est mei Deus, & quia hæc omnia mea sunt*. Arabs: *Habeo plus his*. Munus *benedictionem* appellat, quòd plerumque muneribus adderentur benedictiones tam ab iis, qui munera offerrent, quàm qui reciperent. Superiùs hæc eadem appellat *Mincha*, oblationes, munera.

℣. 13. Boves foetas meoum. Reddunt nonnulli Hebræum (f) *Vaccas lactantes*, seu quæ vitulos habent. Alii: *Habeo greges post me venientes*. Septuaginta [g] habent hìc: *Vaccas quæ vitulos habent*; alibi verò (h): *Vaccas fœtas*; alibi pariter [i]: *Recens enixas*. Congruunt hæc cum Vulgatâ. *Boves fœtas*, seu boves lactantes; quæ posterior interpretatio probatur Chaldæo, Arabico, Vatablo, Rabbinis. Apud Latinos *fœta* interdum usurpatur de fœmellâ animali, quæ fœtum in utero gerit; interdum pariter de fœmellâ lactante. *Fœta mater*, Statius: *Fœta lupa*, Virgilius: *fœta vacca*, idem. Hæc posterior interpretatio tenenda, si Bocharto fides.

Si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die &c. Hebræus (k). *Et pulsabunt eas die unâ, & morientur omnes pecudes*.

℣. 14. Ego sequar paulatim vestigia ejus. Hebræus: *Pedetentim* sequar, ut ferent vires eorum, qui ante me gradiuntur, & pro viribus natorum. Hebræum *Malach* (l), exprimens ad literam *opus*, usurpari potest de impedimentis, quæ secum ducebat Jacob, fœminis nempe, pueris & gregibus; vel etiam de labore itineris; sive, juxta Septuaginta, *Ego autem invalescam in viâ secundùm tarditatem profectionis ejus, quæ coram me, & juxta pedem parvulorum*: Vel: Ita accelerabo iter, ut unà tamen mecum venire possint mea omnia: quantum hæc omnia dabunt, iter expediam.

Donec veniam in Sehir: Temerè prorsus afferunt quidam (m), Jacobum officioso mendacio præstiturum se promisisse, quod tamen executioni mandare ne cogitabat quidem. Verùm S. Augustinus (n) & alii post ipsum, censent propositum fuisse facilè Jacob veniendi ad Esau, sed impedimentis aliquibus post hæc coactum abstinuisse. Facilè successu temporis vênit Sehir, tunc autem non vênit.

℣. 15. Non est necesse. Hebræus tantùm: *Ut quid hoc? Inveniam gratiam in oculis domini mei*. Septuaginta: *Ut quid hoc? Satis est quod inveni gratiam coram te, Domine*.

℣. 17. Jacob venit Socoth. Hebræus: *Profectus est in Socoth, & ædificavit sibi domum, & gregi suo fecit tabernacula*. Mahanaim non longo distat intervallo a Socoth. Eâdem die, vel etiam mane ejusdem diei, qua cum fratre suo Esau collocutus est, venire illuc commodè potuit. Porrò Socoth constituimus ad orientem Jordanis, octo vel decem circiter leucis a Mahanaim ad meridiem

(e) קח נא את ברכתי אשר הבאת לך כי חנני אלהים וכי יש לי כל (f) הבקר עלות עלי (g) Λοχεύουσαι ἐπ' ἐμέ. *Alius*, Κύουσι. (h) *Isai.* xl, 11. Ἐν γαστρὶ ἐχούσας. (i) 1 *Reg.* vi, 10. Πρωτοτοκούσας. (k) ודפקום יום אחד ומתו כל הצאן *Septuag.* Ἐὰν οὖν καταδιώξω αὐτὰ ἡμέραν μίαν, ἀποθανοῦνται πάντα τὰ κτήνη. (l) אתנהלה לאטי לרגל המלאכה אשר לפני (m) *Ita Piscat. & Abul.* (n) *August.* q. 106 *in Genes. & Esl. &c.*

℣. 18. Transivitque in Salem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ: & habitavit juxta oppidum.

℣. 19. Emitque partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem, centum agnis.

COMMENTARIUS.

diem. Longiorem ibi traxisse moram, suadet ædificata hic sibi domus, & casæ constructæ, tum & fixa gregibus tentoria. Sex mensibus substitisse putant Judæi. Quòd Jacob ibi manserit, in causà fuit deinde, ut urbs nomine *Socboth* conderetur.

℣. 18. Transivit in Salem urbem Sichimorum. E Sochot digressus, transmissoque Jordane vênit Salem. Urbs Salem, alio nomine *Salim*, nota est ex S. Joanne III, 25, ad litus occidentale Jordanis, 5, vel 6 leucis Seythopoli, meridiem versùs. Sed de illâ sermonem hìc esse vix credimus; nimis enim distabat a Sichimitis, plus multò Occidentalibus. Plerique e recentioribus Interpretibus, post Rabbinos, alium Textui sensum tribuunt, vocem *Salem* שלם, sive ut scribit Samaritanus, שלים (o) adjectivi loco usurpantes pro incolumi: *Vènit salvus, & incolumis in urbem Sichem*; incolumis nempe, inquiunt Judæi, receptâ femoris valetudine non longè ab urbe Sichem. Mansit in viciniis ejus urbis, cui nomen e Sichem filio Hemor, quæque apud S. Joannem IV, 5, appellatur *Sichar*. Adjacet Samariæ; & hodie pariter innotescit nomine *Neapoleos*. Decennio ibi substitisse Jacobum, tradit Demetrius apud Eusebium *Præpar. l. 9, c. 21.*

℣. 19. Emit partem agri, in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor. Emit hanc Jacob a quodam Sichimitâ, cujus nomen silet Scriptura: ibi verò tentoria sua fixit, neque enim morari volebat sive in domibus sive in urbibus. Habebat urbem Sichem familia Hemor, qui pater ejus erat & Princeps. Cùm singulæ familiæ maximè frequentes essent uxoribus, filiis, & mancipiis, eàque calonum turbâ, quam exigunt instructissimæ gregum caulæ, & campestria exercitia, una hominum familia satis erat, ut ingens vicus suis incolis frequentaretur.

Emit partem agri - - - - centum agnis. Expressit hìc Vulgata sensum Septuaginta, Ἑκατὸν ἀμνῶν. Hebræum קשיטה *Kesitah* ter tantummodò recurrit in Scripturâ, hìc, in Josue XXXVI, 32, & in Job XLII, 11. Chaldæus, Septuaginta, Syriacus, Arabs, Samaritanus, Aquila, Symmachus, Theodotion, Abenezra, & Vulgata unà cum veteribus omnibus reddunt Textum Josue: *Novellis ovibus*, & Job (p) *ovem unam*. Sed quorsum affectata hæc narratio, centum nempe oves illas, in pretium a Jacobo datas, fœmellas fuisse omnes? quin, si Textus exprimere voluit centum novellas oves, ut quid vox *Kesitah* in plurali non usurpatur, ut res postularet? Tandem quomodo amici & necessarii Job ad solandum virum, rebus ejus accisis, munus indignum adeò munificentiâ suâ & indigentiæ viri impar profectò, singulas oves singuli contulerunt?

Hæc omnia animadvertentes recentiores plerique Interpretes concesserunt in opinionem Rabbinorum (q), quibus *Kesitah* est quoddam signatæ monetæ genus. Quidam cum Eugubino & Bochart o suspicati sunt, Septuaginta reddidisse primitùs *Hecaton mnôn*, centum minas; dein Amanuenses substituisse *Hecaton Amnôn*, centum agnos; cujus variandæ lectionis in causâ fuerit opinio, nullum fuisse Jacobi ætate cælatæ monetæ usum. Sed conjectura ista, in qua veri aliqua esse posset species si Textum hunc Geneseos spectes, vix cohæret cum Textu Josue, ubi legit Græcus, *Hecaton amnadôn* centum novellas oves; nec cum Job, ferente apud Septuaginta *Amnada mian*, novellam ovem. Ad hæc, Veterem illam lectionem nulla confirmant sive Exemplaria, seu Veterum Interpretum authoritas. Minùs etiam veritati cohærere videtur Rabbinorum quorumdam opinio (r), Kesitah pro obolo computantium; alioqui enim quinque tantùm siclis emisset sibi agrum Jacob: quæ pecuniæ summa octo francos & duos solidos monetæ nostratis non superat; & necessarii ac amici Job nullum largius munus viro dedissent, quàm viginti denariorum (*deniers turnois*) singuli, quod omninò incredibile est.

Arias Montanus, Drusius, Brerevoordios, Vaserus, Grotius, aliique plures autumarunt, exprimi in Textu centum monetas, agni figurâ insculptas. Oligerus Hafniacis typis anno 1691, Dissertationem vulgavit, qua opinionem illam tuetur, quæ conciliat Septuaginta, Vulgatam & Chaldæum cum iis, qui nomine Kesitah designatum credunt cusæ monetæ genus; olim etenim monetæ nomine insculptæ figuræ appellabantur: hinc testudines, boves, noctuæ, agni, nomina erant monetarum, ex insculptis figuris. Proverbio usurpatur de homine pecuniâ corrupto, bovem habere sub linguâ (s). Mancipium quoddam Lysandri proditionem in Dominum suum detexit, dicens habere se domi noctuas (t), tacitè insinuans, pecunias se, noctuâ vel ave Minervæ insculptas, recepisse ab Atheniensibus. Rex Agesilaus pulsum se dicebat ex Asia XXX. M. spiculatoribus (u), quòd Rex Persidis totidem obtulisset nummos, spiculatorem præferentes, Oratoribus Atheniensium & Thebanorum, ut populum ad Lacedæmonicum bellum inducerent.

Maximè autem omnium favet opinioni, quæ nomen Kesitah de nummo usurpat, Textus Actorum

(o) *Hieron. in quæst. Hebr.* (p) *Cald.* חורפא *Septuag.* ἀμνάδας. *Vulg. Novellas oves.* (q) *Abiba, Kimchi, Levi Ben Gerson, Rab. Salom. Mardoch. Arias, Luther. Calvin. Jun. Diodati, Belg. Angli, Vaser, Sixtin. Amamas, Buxtorf. Brerevoord. Hottinger. Valton. Bochart. de anim. sacr. part. 1, l. 2, c. 43. &c. Vide, si lubet, Spanheim. hist. Jobi, c. 8, n. 6.* (r) *Akibah, Salom. David, Gerson.* (s) Βοῦς ἐπὶ γλώττῃ. (t) *Plutarch. in Lysandro.* (u) *Idem Apophtegm. Laconica.*

rum [x], ubi S. Stephanus tradit, Abrahamum emisse pretio argenti agrum a filiis Hemor. Irrepsisse autem in Textum contendunt nomen Abraham pro Jacob; tuenturque pariter, S. Stephanum exposuisse vim vocis *Kesitab* illis verbis, *pretio argenti*. Multò tamen vero propius reputatur, agi hic de Sepulchro empto ab Abrahamo juxta Ephron a filiis Heth, de quibus superiùs Capite xxiii, 8, 9, &c; irrepsisse autem in Textum nomen *Hemor filii Sichem* pro *Ephron filii Heth*.

D. Le Pelletier (*y*), qui in hunc Textum sese exercuit, defendit, Hebræum *Kesitab* derivari [*z*] e קשת, *Keset*, quod interdum est arcus; eodemque pariter nomine olim appellatum genus quoddam Assyriæ monetæ, spiculatore hinc, inde agno insculptæ, eujus monetæ usum obtinuisse olim in Oriente, ante Daricos, qui insculptum in anticâ Darium, in posticâ verò spiculatorem exhibebant. Addit, auream fuisse monetam, ornamenti etiam loco ad aures puellarum ejus ætatis suspensam, quemadmodum posthac & hodie gentes quædam suspensas ferunt ad aures aureas & argenteas monetas. Tandem aurei *Kesitab* valorem determinat ad 12 libras, 10 solidos circiter monetæ nostratis.

Opinionis hujus suæ hæc potissima affert argumenta. Inter gentes, apud quas monetæ signatæ usus invaluerit, vetustatem sibi meritò vindicant Assyrii, si fides S. Epiphanio (*a*), & S. Isidoro (*b*), qui asserunt, invectum ab Abrahamo morem illum in Chananitidem. Epocham cusæ monetæ apud Assyrios, determinat Herodotus, l. 4, c. 66, ad Darium filium Hystaspis; sed Scholiastes Aristophanis primos Daricos repetit e vetustiori alio Dario, nec sanè alio quàm Dario Medo Cyri in Regno Babylonis antecessore. Vetustatem ejusmodi Daricorum supra ætatem Darii Hystaspis, demonstrari posse ex ipsâ Scripturâ, contendit idem Le Pelletier; legitur enim in 1 Esdræ viii, 27, Israëlitarum Optimates e Babyloniâ Jerosolymam restitutos, cum Zorobabele ad excitandum templum contulisse ex אדרכנים, *Adarconim* vel *dracmonim*.

Eo nomine Daricos vel minas, vel saltem nummos appellatos *Derae* vel *Daree*, vult idem Author. *Monim* designare potest monetam. Appellantur etiam אדרכנים *Adarconim*, in 1 Paralipomenon, xxix, 7, ubi Principes populi in ædificium Templi contulisse dicuntur mille *Adarconim*. Probat subinde idem Scriptor, Persas in nummis suis insculptum exhibuisse vel arcum vel sagittam vel jaculatorem: obiter attulimus locum Plutarchi, quem ipse in eam rem adducit. Nec difficilè demonstraretur, eo moribus olim positum fuisse, ut nummi aurei vel argentei inaurium loco gestarentur; & quamquam aurium ornamenta ex illis formata nemo Veterum apertè scribat; cùm tamen hodie pariter mulieres Syræ in Oriente mytras suas ornent suspensis perforatisque nummis, non est cur negemus, in aurium etiam ornamentum nummos illos transisse.

Demonstraturus autem insculptas olim fuisse in Daricis oves, observat, *Sita* Chaldaicè exprimere ovem; ut proinde *Kesitab* nomen sit compositum ex *Keset*, arcus, & *Sita*, ovis. Reputat tandem, illud Jobi xlii, 11, *Dederunt ei unusquisque ovem unam* [*Kesitab unum*] *& inaurem auream unam*, exponendum esse, collatam a singulis unam inaurem, nempe aurium ornamentum, Kesitah unum. Ita pariter exponit alterum Textum Geneseos xxxv, 2, 4, ubi legimus Jacobum domesticis suis mandasse, ut manibus suis traderent Deos omnes alienos; quos ad se allatos cum inauribus, quæ erant in auribus eorum, fodisse sub terebintho. Porrò Textum ita reddit idem Author: *Dederunt ei Deos suos alienos, idest inaures suas*.

Sed optandum esset, ut validioribus argumentis probare studuisset vir doctissimus, Jobi & Jacobi ætate cusas monetas jaculatore & ove insculptas obtinuisse in Assyriâ & Chaldæâ. Nec locus Paralipomenôn necessariò evincit, familiariùs obtinuisse Daricos vel Adarconim Davidis ætate: est enim, nemine refragrante, Author illorum Librorum Davide recentior, cùm in secundo libro xxxv, 25 Jeremiam laudet, atque capite ultimo ℣. 22, 23, solutam decreto Cyri anno ejus primo captivitatem narret. Commodè igitur in suis Libris inserere potuit nomina monetarum, quæ ætate suâ noscebantur, ut ea substitueret aliis monetarum nominibus, minùs notis, & Davidicæ ætatis. Fac autem Davidis ætate admitteremus aurei argentique signati usum: remota sunt hæc maximè a Jobo & Jacobo. Tandem nihil certò definiri potest de *Darcmonim* vel *Adarconim*, quasi scilicet eusam monetam significarent: fortè enim rudia erant pondera, quæ Græci *Drachmas* appellabant.

Fateamur igitur oportet, nonnisi conjecturas habere nos hue usque levissimas pro significatione vocis *Kesitab*. Non incongruè reputaremus, designari illâ sive purissimi metalli perfectionem, sive optimæ notæ monetam. Affines quasdam nomini *Kesitab* voces offendimus in sermone Chaldaico, Syriaco, & Arabico, quæ sanè voces ex eâdem radice ac illâ, derivatæ, significant puritatem & veritatem: ita locus hic Geneseos in hunc sensum redderetur: *Dedit Jacob centum monetas probatas*, vel *dedit centum monetas* (argenti) *veritatis*; reputarem autem, argentum puritatis, aut veritatis tantumdem esse ac pondus justum & verum, & siclum sanctitatis, de quibus sæpissimè Scriptura. Vide *Deut*. xxv, 15; *Exod*. xxx, 13; & xxxviii, 24; & alibi.

Jonathan & Targum Jerosolymitanum pro *centum Kesitab* reddunt *centum Margaritas*. Verbum *casehtab* Caldaicè est interdum *ornare*; ex quo color aliquis veritatis est illorum versioni. Sed in commerciis familiare fuisse usum margaritarum gemmàrumque, quemadmodum hìc factum constat a Jacobo, qui solutis centum Kesitah agrum êmit, nunquam alibi constat. Rabbini appellant corallium כספתא *Kesta*; quod pariter in rem præsentem afferendum esset, si constaret, corallium in emptionibus loco pretii aliquando obtinuisse; & nisi pariter discriminis aliquid animadverteretur inter rationem scribendi *Kesitab* apud Moysem, & *Kesta* apud Rabbinos.

Liceat hìc afferre pariter conjecturam meam in re implexâ adeò & obscurâ. An Kesitah est erumena auri vel argenti certi valoris? Scitum est, solvi sæpè consuevisse pecuniam per erumenas, certam & fixam pecuniæ summam continentes

(x) *Act*. vii, 19. *Translati sunt in Sichem, ac positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem*. (y) *Vide* Journaux de Trévoux de l'an. 1704 mois de Mai. (z) *Psal*. lix, 5. (a) *Epiphan. de ponderibus: Argenteus nummus jam tum olim signatus est, & ab Assyriis cusus, legendum creditur*: Ἐκ δὲ τῶν Ἀσσυρίων ἰουλο·ιτυκῶη, *non* ὠκαχρίων, *ut in Editione Petavii*. (b) *Isidor. lib*. xvi. *Origin. c*. 24.

ỷ. 20. Et erecto ibi Altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israël.

COMMENTARIUS.

res. Obtinebat id potissimùm in Oriente; obtinet hodie pariter apud Turcas & in Perside. Crumena argenti in Perside refert 50 Tomanos, exhibentes summam 2500 denariorum, 18 solidorum in singulos, monetæ nostratis. Coriaceæ sunt crumenæ, oblongæ & arctæ, nec varia unquam monetarum genera admiscentur. Argentum datur non ad numerum, sed ad pondus: quod expeditissimum est in commercio (c).

Redierat Jacob recens e Mesopotamiâ, cùm agrum emit. Job non longè ab Euphrate versabatur; & Sacer Scriptor eam loquendi phrasim in eorum historiâ fortè servavit, quæ in regione ab illis frequentatâ familiaris erat. Tradit Herodotus *lib.* 3, *c.* 130, 131, veteres Persas servasse in lagenis aurum & argentum, sive rude esset vel signatum; cujus cùm portionis alicujus indigerent, testam frangebant. Refert idem Author historiam Medici Democedis, qui cùm difficili morbo Darium liberasset, ab uxoribus ejusdem Regis singulis muneris loco accepit phialam, aureis nummis oppletam cum operculo, quo operiretur. Ex iis multi adeò stateres exciderunt, quos famulus Democedes sequens collegit. De ejusmodi ergo phialis vel crumenis exponendum est *Kesitah* Scripturæ. Docet Eustathius *in Odyss.* B, & T, *Kista* mensuram esse Persarum; & Chaldaicè קסטא, *Kistah* est mensura, vas, lagena.

ỷ. 20. Invocavit super illud fortissimum Deum Israel. Reddi posset Hebræum (d): *Et vocavit illud: Deus Dominus Israël.* Observavimus superiùs morem imponendi nomina monumentis erectis, ut illorum erectionis causam apud posteros nosceretur: Inscriptiones verò positas non legimus.

CAPUT XXXIV.

Dina filia Jacobi a Sichem filio Hemor violatur. Sichimitis proponitur fœdus cum familiâ Jacobi, eâ conditione, ut circumcisionem admittant. Simeon & Levi Sichimitas omnes tertio a circumcisione ipsorum die interficiunt.

ỷ. 1. EGressa est autem Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius.

ỷ. 2. Quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam: & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem.

ỷ. 3. Et conglutinata est anima ejus cum ea, tristemque delinivit blanditiis.

ỷ. 4. Et pergens ad Hemor patrem suum, Accipe, inquit, mihi puellam hanc conjugem.

COMMENTARIUS.

ỷ. 1. EGressa est autem Dina. Agebat tunc puella XV, vel XVI annorum ætatem. Qui mulieribus ejus ætatis insitus est res novas spectandi amor Dinam pellexit, ut in Sichem unà cum juvenculis e viciniis quibusque ad festi cujusdam celebritatem, ait Josephus (a), veniret. Puella, quæ recens in Mesopotamiam venerat, quibus essent moribus, & qua cultûs elegantiâ, Chananitidis puellæ, videre cupiebat.

ỷ. 2. Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius. Reddi posset Hebræum: *Sichem filius Hemor, principis terræ &c.* quam interpretationem tum præcedentia tum subsequentia omnia fulciunt. In præcedenti capite ỷ. 19 ita agitur de Hemor, veluti de Rege Sichem, nec in universâ ejus capitis serie aliter exhibetur, quàm Princeps Sichimitarum; sicut vicissim Sichem nonnisi filius est in *domo patris sui inclytus*, ỷ. 19.

Vi opprimens virginem. Hebræus: ויענה, *Afflixit eam*; quæ loquendi phrasis exprimit plerumque injurias & afflictiones: hic autem usurpatur de vi illatâ pudicitiæ virginia. LXX: Ἐταπείνωσε, *humiliavit*.

ỷ. 3. Tristemque delinivit blanditiis. Hebræus ad literam. ויאהב וידבר על לב *Et amavit illam, & locutus est ad cor ejus*, mœstam solatus est. LXX: Ἠγάπησε τὴν παρθένον, καὶ ἐλάλησε κατὰ τὴν διάνοιαν αὐτῆς: *Amavit virginem, & locutus*

(c) Chardin, Voyage de Perse *t.* 2, *p.* 90. (d) ויקרא לו אל אלהי ישראל

(a) *Joseph. Antiq. lib.* 1, *c.* 21. Τῶν δὲ Σικιμιτῶν ἑορτὴν ἀγόντων, Δῖνα παρῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, ὀψομένη τὸν κόσμον τῶν ἐπιχωρίων γυναικῶν.

℣. 5. Quod cùm audiſſet Jacob, abſentibus filiis, & in paſtu pecorum occupatis, ſiluit donec redirent.
℣. 6. Egreſſo autem Hemor patre Sichem ut loqueretur ad Jacob,
℣. 7. Ecce filii ejus veniebant de agro: auditoque quod acciderat, irati ſunt valdè, eò quòd fœdam rem operatus eſſet in Iſraël, & violatâ filiâ Jacob, rem illicitam perpetraſſet.
℣. 8. Locutus eſt itaque Hemor ad eos: Sichem filii mei adhæſit anima filiæ veſtræ: date eam illi uxorem:
℣. 9. Et jungamus viciſſim connubia: filias veſtras tradite nobis, & filias noſtras accipite.
℣. 10. Et habitate nobiſcum, terra in poteſtate veſtrâ eſt, exercete, negotiamini, & poſſidete eam.
℣. 11. Sed & Sichem ad patrem, & ad fratres ejus ait: inveniam gratiam coram vobis: & quæcumque ſtatueritis, dabo.
℣. 12. Augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam, quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc uxorem.
℣. 13. Reſponderunt filii Jacob Sichem, & patri ejus in dolo, ſævientes ob ſtuprum ſororis:
℣. 14. Non poſſumus facere quod petitis, nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo: quod illicitum, & nefarium eſt apud nos.
℣. 15. Sed in hoc valebimus fœderari, ſi volueritis eſſe ſimiles noſtri, & circumcidatur in vobis omnis maſculini ſexûs:
℣. 16. Tunc dabimus, & accipiemus mutuò filias veſtras, ac noſtras: & habitabimus vobiſcum, erimuſque unus populus.
℣. 17. Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam noſtram, & recedemus.

COMMENTARIUS.

cutus eſt ſecundùm ſenſum virginis ipſi. Chaldæus: *Locutus eſt blanda & conſolatoria*, ad literam, *conſolationes*.

℣. 7. EO QUOD FOEDAM REM OPERATUS ESSET IN ISRAEL; Quòd parentes totamque familiam expoſuiſſet probro. Iſraëlis nomine hìc non decem Tribus, vel gens omnis Iſraëlitica, ut ſæpè alibi in Scripturâ, deſignatur.

℣. 12. AUGETE DOTEM, ET MUNERA POSTULATE. Vidimus ſuperiùs, fuiſſe in moribus ejus ætatis poſitum, ut Vir uxori dotem conferret: quod etiam heroicis temporibus obtinuiſſe apud Græcos, intelligimus non ſemel ex Homero (*b*): docetque Ariſtoteles (*c*) veteres Græcos ferrum portaſſe (vel armatos inceſſiſſe) & alterum ab altero uxores emiſſe. Nec aliter ſolent Turcæ & Perſæ noſtræ ætatis. *Munera poſtulate*. Dabantur munera patri & fratribus ſponſæ, utì exemplo Eliëzeris munera conferentis fratribus Rebeccæ, intelligimus [*d*].

℣. 14. NON POSSUMUS DARE SOROREM NOSTRAM HOMINI INCIRCUMCISO, QUOD ILLICITUM ET NEFARIUM EST APUD NOS. Hebræus: חרפה לנו *Opprobrium eſt*, vel *abominatio nobis*. Reſponſum id datum ajunt Septuaginta a Simeone. Conſtat ex pluribus Scripturæ Textibus, incircumciſum perinde eſſe ac abominationi & probro apud poſteros Abrahami. Hanc tamen obtendunt filii Jacobi inanem cauſam, malum animum ſuum diſſimulaturi. *Reſponderunt in dolo*, utì notatur verſu præcedenti; nulla enim ſive lege, ſive more, ſive officio interdicebatur tunc Iſraëlitæ a ducendis incircumciſis, ac filiabus illis deſpondendis. Laban, homo utique incircumciſus, filias ſuas nuptum dedit Jacobo; & filii Jacobi ex Chanaanitide fœminas adſciverunt in thorum. Aſſerit id apertis verbis Scriptura de Juda & Simeone; nec aliter agi ab illis commodè poterat, niſi fortè connubia jungerent cum Iſmaëlitis, vel Idumæis puellis; Abraham enim & Iſaac filiabus caruerunt.

℣. 17. TOLLEMUS FILIAM NOSTRAM, ET RECEDEMUS. Conſtat ex his, & ex verſu 26, Dinam

(*b*) *Vide Homer. Iliad.* IX. Τάων ἥν κ' ἐθέλῃσι φίλην ἀνάεδνον ἀγέσθω. *Et Iliad.* XIII *de Othryoneo.*
(*c*) *Ariſtot. de Repub. lib.* II, *c.* 8. Ἐσιδηροφοροῦντο, καὶ τὰς γυναῖκας ἐωνοῦντο παρ' ἀλλήλων.
(*d*) *Geneſ.* XXIV, 53.

℣. 18. Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio ejus:

℣. 19. Nec distulit adolescens, quin statim quod petebatur, expleret: amabat enim puellam valde, & ipse erat inclytus in omni domo patris sui

℣. 20. Ingressique portam urbis, locuti sunt ad populum:

℣. 21. Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare nobiscum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ spatiosa, & lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus uxores, & nostras illis dabimus.

℣. 22. Unum est, quo differtur tantum bonum. Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes:

℣. 23. Et substantia eorum, & cuncta, quæ possident, nostra erunt: tantùm in hoc acquiescamus, & habitantes simul, unum efficiemus populum.

℣. 24. Assensique sunt omnes, circumcisis cunctis maribus.

℣. 25. Et ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est: arreptis, duo filii Jacob, Simeon, & Levi fratres Dinæ, gladiis ingressi sunt urbem confidenter: interfectisque omnibus masculis,

℣. 26. Hemor, & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.

℣. 27. Quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filii Jacob: & depopulati sunt urbem in ultionem stupri.

℣. 28. Oves eorum, & armenta, & asinos, cunctaque vastantes, quæ in domibus, & in agris erant:

COMMENTARIUS.

probro jam affectam mansisse in domo Hemor usque ad Sichimitarum internecionem.

℣. 20. Portam urbis. Hic locus erat congressibus civilibus juri dicundo, & nundinationi destinatus: jungebantur plerumque olim, & nunc etiam in Oriente, portis urbium fora, vel loca publica, & cœtibus nundinisque celebrandis destinata.

℣. 21. Viri isti pacifici sunt. Non malè redderetur Hebræus: *Vixerunt pacificè nobiscum* (שלמים ים LXX: Εἰρηνικοί. Aquila [e] vertit: *Homines perfecti*, Ἀπηρτισμένοι, quibus nihil queat exprobrari. Munsterus & Oleaster: *Integri*. Arabs: *Fœderati nobis, & amici*.

Negotientur in terra, et exerceant eam, quæ spatiosa et lata, cultoribus indiget. Hebræus [f]: *Habitabunt in terrâ, & circuibunt eam*; vel *negotiabuntur*, vel *pascent ibi greges suos. Terra spatiosa coram illis est*. Quid sit illud, *Terra coram illis est*, jam alibi notavimus: tota regio illorum voluntati cedit, & permittendum est ut greges suos ducant quocumque voluerint. *Spatiosa manibus*, quod legitur in Hebræo, proverbialis est formula, exprimens latum quiddam & amplum, quo indicando solemus manus & brachia dilatare. Vide Psal. CIII, 25. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus*.

℣. 23. Substantia eorum, pecora, et cuncta, quæ possident, nostra erunt. Utile futurum cum Hebræis fœdus suadet Hemor Sichimitis; proponit futurum, ut amplissimæ Jacobi hæreditatis participes fiant, siquidem cum illo detineant commercium & consuetudinem: qua in re meditatum Hemor opprimere Israëlitas, & expoliare bonis, putant Rabbini: cujus dolum ut prævenirent, Simeonem, & Levi acerbissimâ eâ cæde sævisse. Hæc tamen minus probanda censemus; animo enim syncero egisse Sichimitæ visi sunt, & Jacob vim illatam a filiis suis tam hic, quàm ad mortem decumbens, gravissimis verbis castigavit; ac proinde vix est quo suadeamur, quidpiam doli agnovisse illum in Sichimitis, ut injustitiæ in re gestâ a filiis suis plurimum agnovit. Fatemur equidem, Hemor plus aliquid proposuisse suis, quàm quæ ab Hebræis sibi vicissim fuerant proposita; sed his planè filii Jacobi non excusantur.

℣. 25. Et ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est. Medicorum axioma est, vulnerum & plagarum dolorem tertiâ die maximè augeri: qua facillimè febris ob inflammationem intervenit.

Duo filii Jacob Simeon et Levi. Fratres erant uterini Dinæ; & cùm ingenio essent truci, injuriam sorori suæ illatam ulti sunt. In pessimum consilium cæteri filii Jacob venisse nequaquam videntur. Adhibuerunt socios facilè ex domesticis.

(e) *Apud Hieron. quæst. Hebr.* (f) ושבו בארץ ויסחרו אתה והארץ הנה רחבת ידים לפניהם

℣. 29. Parvulos quoque eorum & uxores duxerunt captivas.
℣. 30. Quibus patratis audacter Jacob dixit ad Simeon & Levi: Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ hujus; nos pauci sumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.

COMMENTARIUS.

mesticis domûs suæ plures. Sed post Sichimitarum cædem gladio Simeonis & Levi patratam, cæteros filios Jacob excurrentes Urbem diripuisse, narrat Theodotus apud Eusebium *Præpar. l. 9, c. 22.*

INTERFECTISQUE OMNIBUS MASCULIS. Sævitum est in renitentes omnes, & in eos maximè, a quibus metuendum erat de cætero, ne ultionem exigerent. Fœminæ & infantes servati.

℣. 29. PARVULOS QUOQUE ET UXORES DUXERUNT CAPTIVAS. Hebræus: *Acceperunt omnem substantiam eorum, & omnes parvulos eorum, & uxores eorum captivaverunt; & prædati sunt omnia quæ in domibus eorum reperta fuere.* Septuaginta: *Tulerunt omnia σώματα corpora eorum, & omnem supellectilem eorum; & uxores eorum captivaverunt: & diripuerunt omnia quæcumque erant in civitate, & quæcumque erant in domibus.* Partam injuriâ prædam utique non retinuit Jacob.

℣. 30. ODIOSUM FECISTI ME. Hebræus ad literam: להבאישני *Fætere fecisti me.* Ut scilicet mei nominis fama pessimè exciperetur.

NOS PAUCI SUMUS. Hebræus: *Viri numeri*, exiguo numero, facilè numerandi. Eâdem phrasi utuntur Græci & Latini. Horatius: *Populus numerabilis, utpote parvus.* Theocritus Idyll. XVI: Ἀρίθματοι ἀπὸ πολλῶν, *numerabiles ex multis.* Infrequens erat tunc Jacobi familia; non enim coalescere poterat nisi ex mancipiis emptis in Mesopotamiâ, & uxoribus suis, & filiis. Leviter hîc tantùm exprimit Jacob horrorem suum pro re gestâ a duobus filiis, metuens, ne gravioribus verbis castigatos, desperatione ad majora compelleret.

Factum illud utriusque fratris omnium prorsus horrorem meretur; perfidi enim est animi, impotentis, & maximè injusti. Temeritatis est in eo plurimum, sacrilegi pariter abusûs rerum maximè sacrarum & inviolabilium crimen horrendum. Cæco furore rapiuntur, patre inconsulto, in ultionem injuriæ, quæ patrem potiùs, quàm ipsos afficiebat. Dolum idcircò & astum adhibent, ut Sichimitas ad arduam maximè conditionem ineundi fœderis adigant, quod fœdus re maximè sacrâ & omnium tom temporis religiosâ confirmaretur. Obsignari illos jubent charactere sacro circumcisionis, quo veluti præparatione utantur adversus illos, cùm scilicet vulneris dolor impares fecisset ad resistendum. Qua in re nec ignavia deest, nec indigna viro forti inhumani cordis sævitia.

Ultionem suam & furorem eò provehunt, quò certè nunquam pervênit crimen Sichem; si enim probro affecerat Dinam, nonne reparaturum se pro viribus injuriam ultrò promiserat? An aliud exigi jure poterat ex illo, quàm quod ultrò subivit? Quo tenebantur crimine Sichimitæ, ut eâdem cum Authore criminis, cujus ne conscii quidem fuerant, neque fortè prorsus norant, ultione obvolverentur? Quod sibi jus prætendunt filii Jacobi in necem innocentum, direptionem urbis, prædam bonorum illorum omnium, & gregum, captivitatem uxorum & filiarum, veluti si hostibus apertissimis bellum indiceretur?

Excuset fortasse aliquis ambos fratres, quòd Deum totius rei authorem constituisse videtur Scriptura; nec sanè nisi justitiæ amore id egisse illos, innuere videtur Judith IX, 8: *Servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum*, additque: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum.* Juvat pariter eam rem, quòd Jacob assignat in partem Josephi urbem Sichem, a se, ait, comparatam *in gladio & arcu* (g): *Do tibi partem meam extra fratres tuos; quam tuli de Amorrhæis in gladio, & arcu meo.* Septuaginta: *Do tibi Sichimam præcipuam super fratres tuos*, nempe supra assignatam tibi cum cæteris partem, hanc addo; justo ergò bello hanc sibi urbem Jacob adscivit.

Sed reponendum hisce, I, Judith actionem illam Simeonis ex eâ tantùm parte respexisse, qua laudis aliquid promeretur. Injuriam sororis & probrum familiæ ulcisci, nisi modus excedatur, minimè est improbandum; licèt per constitutas justitiæ & charitatis vias illatæ sibi injuriæ reparationem prosequi. II, Certum ponit Judith, teneri Simeonem & Levi optimo gloriæ Dei studio; ponit etiam, Deum rem illam gestam probasse; quod ex facinoris ipsius eventu, ex præstitâ a Deo ope post impletum eorum consilium, argui posse arbitratur.

Ad hæc, Judithæ autoritatem infallibilem esse planè negamus; nihil enim facilius est, quàm decipi in ferendo judicio de bonâ, ac malâ, quam intus fovent homines, voluntate. Si quis conjecturam aliquâ de re capere velit ex felici rerum, quæ geruntur, successu, asserendum esset, utique Deum criminosa plurima & impia probasse. III, Tandem si facinus Simeonis & Levi per se, & ad finem suum relatum, laudem aliquam mereretur, ex rerum circumstantiis horrore dignum est maximè, reputandumque impotentis furoris, barbaræ crudelitatis opus, dignum quod justus Jacob diris devoveat (h).

Ad assignatam a Jacobo in partem Josephi urbem Sichem quod attinet, veluti si justo bello viro illi provenisset: Reponimus, I, Hebræum שכם, *Sechem* significare hic posse *partem*, ut est in Vulgatâ, & uti pariter non obscurè demonstrat juncta illi vox אחד *unam*. II, Hanc portionem superadditam Josepho ipsissimum fuisse agrum, a Jacobo emptum ex filiis Hemor, de quo Genesis XXXIII, 19, & Joan. IV, 5: *Juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo.* III, Jacob sibi ipse repugnaret, facinus duorum fratrum detestans, & simul etiam partam ex illo prædam, tanquam jure sibi provenientem, Josepho assignans. IV, Juris æquitas postulasset potiùs, ut præda

(g) *Genes.* XLVIII. 21, (h) *Genes.* XLIX., 6, 7.

Digitized by Google

℣. 31. Responderunt: Numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?

COMMENTARIUS.

præda illa, si quidem jure obtigisset, tribueretur potius Simeoni & Levi, quàm Josepho: & Jacob vindicatam sibi Urbem in sedem sibi elegisset; cùm tamen ex proximè sequenti capite intelligamus, post rem illam gestam, recessisse continuò Bethlehem versùs, metu, ne a Chananæis opprimeretur.

Fatemur equidem, operosum esse maximè, sensum assequi illorum verborum, quibus Jacob traditam Josepho portionem acquisivisse se arcu, & gladio suo profitetur: sed æquè etiam fatendum, ob arduum aliquem Textum deserendos non esse duos, vel plures alios apertissimos; nec pariter inferendum aliquid adversùs moliminis hujus injustitiam ex silentio Moysis, qui fortè omisit historiam, unde verborum istorum Jacobi occasio sumpta est. Diligentiùs Textum illum excutiemus ad Genesis XLVIII.

℣. 31. NUMQUID UT SCORTO ABUTI DEBUERE SORORE NOSTRA? Putavit Procopius Gazensis, Hemor unà cum Sichem abusum fuisse Dina (i); sed malumus opinari, numerum plurium pro singularis positum esse: & additio Septuaginta ad ℣. 5, *Jacob intellexit, Sichem filium Hemor, &c.* e regione oppugnat Procopium, autumantem præferri tantùm in Textu *Hemor*, additum verò a Septuaginta *Sichem filium ejus*.

CAPUT XXXV.

Jacob in Bethel proficiscitur, ubi Altare Domino statuit. Debora Rebeccæ nutrix obit. Nascitur Benjamin. Moritur Rachel. Census filiorum Jacobi. Moritur Isaac.

℣. 1. INtereà locutus est Deus ad Jacob: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum.

℣. 2. Jacob verò convocatâ omni domo suâ, ait: Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.

℣. 3. Surgite, & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo: qui exaudivit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei.

COMMENTARIUS.

℣. 1. LOCUTUS EST DEUS AD JACOB. Deus spectandum se illi præbet per visum, ut confirmet animus labantem metu Chananæorum (a), quos filiorum facinus in ipsum animaverat. Deus immisso in Chananæos timore, illos continuit, ne recedentem Jacobum persequerentur. Vide ℣. 5.

℣. 2. ABJICITE DEOS ALIENOS, QUI IN MEDIO VESTRI SUNT. Reddi posset Hebræum: *Deos alienigenæ* [b]. Chaldæus: *Idola gentium*. Sunt autem ea Teraphim Labani, furto a Rachele e domo patris sublata, quibus illa unà cum Liâ, superstitiosum facilè cultum impendebat. Domestici Jacobi, Syri omnes, e Mesopotamià in Chananitidem deducti, sua facilè habebant Idola, ut insinuatum videtur ℣. 4. Refert Josephus (c), Jacobum lustrantem jussu Dei tentoria, ut pararet se ad iter in Bethel, casu incidisse in Idola illa; ex quo suspicari licet, reputasse Scriptorem illum, nihil Jacobum de Idolis in domo servatis cognovisse. Censet Pererius agi hìc de Idolis, ex prædâ in direptione Sichem, quæ removenda duxit Jacob, ne ad Idololatriam suos incitarent.

MUNDAMINI, AC MUNDATE VESTIMENTA VESTRA. Apparatus ejusmodi suadet insitam homini in divinitatem reverentiam. Frustra scrutaremur ejus moris originem; quippe qui parem referat cum religione in primo hominum parente antiquitatem. Apud varias gentes varia pariter sedit idea exterioris sanctitatis, qua res sanctas agi necesse est; plerumque tamen obtinuit apud omnes corporis & vestium lotio, qua compararent se homines, ut coram Deo se sisterent. Fusiùs de his moribus Hebræorum, cæterarumque gentium agemus ad Exodi XIX, 10, & Levitici XV, 13.

℣. 4.

(i) *Vide Drus.* (a) *S. Chrysostom. hom. LIX in Genes.* (b) אלהי הנכר *Elohim* aliquando singulari, nonnunquam plurali numero usurpatur; quare non minùs reddi posset *Dii alieni*, quàm *Deus alienus*, vel *Deus alienigena*. (c) *Joseph. Antiq. lib. 1, c. 18.*

℣. 4. Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post urbem Sichem.
℣. 5. Cùmque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, & non sunt ausi persequi recedentes.
℣. 6. Venit igitur Jacob Luzam, quæ est in terrâ Chanaan, cognomento Bethel: ipse, & omnis populus cum eo.
℣. 7. Ædificavitq; ibi altare, & appellavit nomen loci illius, Domus Dei: ibi enim apparuit Deus, cùm fugeret fratrem.
℣. 8. Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum: vocatumque est nomen loci illius, Quercus fletus.

COMMENTARIUS.

℣. 4. DEDERUNT ERGO EI OMNES DEOS ALIENOS, QUOS HABEBANT, ET INAURES, QUÆ ERANT IN AURIBUS EORUM. Hebræus ad literam (d): *Dederunt omnes Deos alienigena, qui erant in manibus suis, & inaures, quæ erant in auribus suis*. Quod insinuare videtur, Deos illos fuisse figuras aliquas superstitiosas, in annulis, armillis, & inauribus expressas. Hebræum הַנְּזָמִים *Hannesamia*, quod redditur hìc *inaures*, aurium est etiam annuli, seu ornamenta aurium, vel narium, vel frontis. Vide quæ contulimus in caput XXIV, 22.

Annuli, de quibus hìc, non mera tantùm erant ornamenta, sed & superstitio. *Execranda superstitio ligaturarum*, ait S. Augustinus *Epist.* 73, *ad Possidium*, *in quibus etiam inaures virorum in summis ex unâ parte auriculis suspensa deputantur non ad placendum hominibus, sed ad serviendum Dæmonibus, adhibetur*. Agit de illis etiam *l.* 11 *de Doctrinâ Christianâ*, c. 20; & *quæst.* CXI in Genesim appellat *Phylacteria Deorum*, i. e. genus quoddam superstitionis Talismanicæ, a discrimine malorum, & morborum, receptâ a Diis virtute, ut erat gentium opinio, liberans. E Phœniciâ & Syriâ in Africam irruperat superstitio. Ezechiel (e), & in Proverbiis (f) Salomon genus illud innuunt.

E Scripturâ (g) & Prophanis intelligimus, aurium ornamenta æquè apud viros obtinuisse, ac apud fœminas, non inter Israëlitas tantùm, sed inter Arabes & Chartaginenses. Lepidè Plautus (h) mancipium quoddam Africanum digitis carere scribit, quòd annulis aures oneraret. Interpretes nostrates quidam censent, inaures & annulos, de quibus hìc Jacob, digitis & auribus Idolorum, non domesticorum Jacobi, insertos fuisse. Hanc sententiam tenuisse videtur S. Augustinus q. 109; asseritque Plinius *l.* 23, *c.* 1, annulos olim statuis Numinum datos.

INFODIT EA SUBTER TEREBINTHUM. Hebræum אֵלוֹן *elon*, reddunt frequenter Septuaginta Δρῦν, vel βάλανον *quercum*; hìc verò cum Vulgatâ & Chaldæo *Terebinthum*; Verùm Aquila Symmachus, & Theodotion servant *quercum*. S. Ambrosius habet: *Sub lentisco*. Creditur Jacob idola illa, antequam infoderet, igne liquasse; intacta verò maluit Cajetanus, neq; enim liquandi ea tempus suppetebat. R. Gedalias apud Grotium scribit, defossa diu post, idola illa cultum suum obtinuisse apud Samaritanos. Inventa a Salomone in ędificiū Templi conversa fuisse tradit Hist. Scholast. Sed traditionū ejusmodi fides est maximè suspecta: quam fortè Septuaginta destruendam cogitarunt, addentes hìc, Jacobum perdidisse Idola illa, hodie pariter perdita esse (i). Infodit in loco ignoto clam omnibus familiaribus.

℣. 5. TERROR DEI, quem *panicum* appellabant Veteres (k), quod terrores illos Pan immittere crederetur: est etiam *terror Dei*, terror non vulgaris.

℣. 6. LUZAM IN TERRA CHANAAM. Locus iste, quò pervênit, erat in regione ad Luzam, & facilè etiam ipse *Luza* appellabatur. Cùm autem Moyses in Arabiâ scriberet, addendum censuit *In terrâ Chanaan*.

℣. 7. APPELLAVIT NOMEN LOCI ILLIUS, DOMUS DEI; IBI ENIM APPARUIT EI DEUS. Appellavit scilicet *Bethel*, quod est *Domus Dei*. Hebræus ad literam (l): *Appellavit locum: Deus Bethel, quia ibi Deus (vel Angeli Elohim) sibi revelati sunt*. Syntaxis Elohim in plurali, indicat sermonem esse de Angelis; quando enim pro Deo usurpatur, in singulari & sine articulo ponitur.

℣. 8. DEBORA NUTRIX REBECCÆ. Cujas vetula hæc nutrix erat in Familiâ Jacobi? Censent Rabbini, missam a Rebeccâ in Mesopotamiam ad Jacobum, ut inter se convenerant (m), renunciaturam, nihil ulteriùs ipsi esse ab Esau metuendum: rediret igitur. Observans Cajetanus decrepitam ejus ætatem, maluit Deboram illam, post obitum Rebeccæ, de reditu Jacobi certiorem factam, ad illum se contulisse, ut in domo ejus maneret. Succurrunt tandem aliis sive urbanitatis, sive amicitiæ officia, quibus induceretur vetula mulier ad illum invisendum. Insinuare videtur S. Chrysostomus (n), Deboram discedente Rebeccâ substitisse in Mesopotamiâ: desiderio autem videndi iterum heram suam, comitem se adjecisse

(d) את כל אלהים הַנֵּכָר אשר זאת הנזמים אשר באז חנים
(e) *Ezech.* XVI, 12, עֲגִילִים עַל אָזְנַיִךְ (f) *Prov.* XXV. על אזן שמעת (g) *Exod.* XXXV, 22. *Judic.* VIII, 24. (h) *Plaut. Pœnul. act.* V, *scen.* 2. (i) Καὶ ἀπώλεσεν αὐτὰ, ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. (k) Δημονίου φόβον. *Pindar.* Πανικὸν οἶστρον. *Orpheus*.
(l) ויקרא למקום אל בית אל כי שם נגלו אליו האלהים
(m) *Genes.* XXVII, 45. (n) *Homil.* LIX *in Genes.*

℣. 9. Apparuit autem iterum Deus Jacob, postquam reversus est de Mesopotamiâ Syriæ, benedixitque ei,

℣. 10. Dicens: Non vocaberis ultrà Jacob, sed Israël erit nomen tuum. Et appellavit eum Israël.

℣. 11. Dixitque ei. Ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare: gentes, & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur.

℣. 12. Terramque, quam dedi Abraham, & Isaac, dabo tibi, & semini tuo post te.

℣. 13. Et recessit ab eo.

℣. 14. Ille verò erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & effundens oleum:

℣. 15. Vocansque nomen loci illius, Bethel.

℣. 16. Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam; in quâ cum parturiret Rachel,

℣. 17. Ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium.

COMMENTARIUS.

jecisse Jacobo redeunti in Chananitidem: sed in itinere morte occupatam, spe desiderioque suo fraudatam fuisse.

℣. 9. APPARUIT AUTEM ITERUM DEUS JACOB. Præbuerat enim Deus videndum se primò in Sichem, mandans ut se in Bethel reciperet: secundò autem se dedit videndum, cùm venit Jacob in Bethel. Nec per quietem vel iotus in mente hæc contigisse credimus, sed sub sensibilis figuræ aspectu: quod satis demonstrat illud ℣. 13: *Recessit ab eo*. Septuaginta: *Apparuit iterum in Luza*.

℣. 14. LIBANS LIBAMINA, ET EFFUNDENS OLEUM. Vino lavit, inunxitque oleo lapidis hujus verticem; unde mos, de quo alibi, oleum fundendi super lapides ad cultum consecratos. Theophrastus in Charactere Superstitiosi observat (o), prosterni illum coram omnibus lapidibus oleo perunctis. Vix credimus Jacobum erexisse in Bethel altare, nisi fortè altaris locum tenuerit lapis ille: quæ est Bonfrerii persuasio, censentis pariter oblatas ibi a viro sancto, tanquam voti reo, gregum suorum decimas. Interpretes quidam autumant, versiculum hunc epilogum esse eorum, quæ Jacob in Mesopotamiam contendens præstiterat superius narrata. Malunt alii, erectum ibi novum monumentum, vel erectum antea restituisse iterum, affuso vino & oleo. Utrumque probat S. Augustinus *q. 116 in Genesim*.

℣. 16. VENIT VERNO TEMPORE AD TERRAM, QUÆ DUCIT EPHRATAM. Hebræus (p): *Et erat adhuc Kiberath terra, ad veniendum in Ephrat, & Rachel peperit, & induravit in pariendo ipsam*, difficilis erat partus. Inter obscuros Sacræ Scripturæ Textus hic obscurissimus est, tenebras affundente voce illa *Kiberath*. Ter in Scripturâ recurrit, hic, & infra XLVIII, 7; & 4 Reg. V, 19. S. Hieronymus bis vertit, *Verno tempore*; semel autem, *Electo terræ tempore*, quod idem est. Septuaginta habent hic *Chabratha*, sed ℣. 19 reddunt *Hippodromum*; & cap. XLVIII, 7, jungunt hæc duo, *Hippodromus & Chabratha*. Porrò Hippodromi nomine spatium illud facilè designarunt, quod conficit equus in Hippodromo currens, quod alii ad duo stadia vel CCC passus, alii ad stadium definiunt. Aquila vertit: Κατὰ ὁδὸν τῆς γῆς, *Secundùm viam* quæ ducit e Bethel *Ephratam*.

Interpretes illi, qui radicem indagarunt vocis *Kibrath*, committuntur inter se; deducunt enim alii ex כוב, *Carab*, unde *Carban*, cribrum; ac si designaretur tempus, quo terra calore exsiccata finditur tanquam cribrum. Accersunt alii ex כבר, *Cabar* excolere; & vertunt jugerum terræ. Alii reddendam vocem censent, *Circiter diætam terræ*, viam scilicet quæ inter utramque refectionem conficiendam jacet. Cajetanus: *Sicut prandium terræ*; iter nempe ante prandium absolvendum, derivato eo nomine ex ברה, *cibus*, & כ׳, *sicut*. In magnis Bibliis, apud Valtonium, & in tabulis Bibliorum Latinorum Vitræi constituitur Kibrat mensura CCC passuum Geometricorum, vel duorum stadiorum cum duabus ex quinque illius partibus.

Sed ex his versionibus nulla satisfacit. Præstat Textum ita reddere: Rachel pariendi doloribus oppressa est in viâ e Bethel ad Ephratam, *cùm ab Ephratâ abesset sulco terræ*. Reputabitur fortè, hanc sulci terræ distantiam vagam esse nimis & inconstantem, ut eâ itineris intervallum designetur. Nihil sanè magis nostris moribus repugnaret, quàm ut simili mensurâ uteremur, quòd agri sint apud nos inæquales, inæquales proinde ferentes sulcos: sed non ita apud Veteres. Certam illi habebant longitudinem, & latitudinem, conficiendam ab uno boum jugo pro agris colendis; dimetiebantur autem illam CXX pedibus in latum, & CCXL in longum: *Jugerum vocabatur*, ait Plinius l. 15, c. 13, *quod uno jugo boum in die exarari posset. Actus, in quo boves agerentur, cùm aratur uno impetu justo. Hic erat* CXX *pedum; duplicatusque in longitudine jugerum faciebat*. Vide Co-

(o) Πάντα λίθον λιπαρὸν προσκύνει.

(p) ויהי עוד כברת הארץ לבוא אפרתה

Digitized by Google

℣. 18. Egrediente autem animâ præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, id est, filius doloris mei: pater verò appellavit eum Benjamin, id est, filius dexteræ.

℣. 19. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem.

℣. 20. Erexitque Jacob titulum super sepulchrum ejus: Hic est titulus monumenti Rachel, usque in præsentem diem.

℣. 21. Egressus inde, fixit tabernaculum trans turrem gregis.

COMMENTARIUS.

Columellam l. 5, c. 1; & S. Isidorum *Originum* l. 15, c. 15. Mensuram excedentem designat Homerus longitudine sulcorum, quos imprimunt arantes muli; superare enim illos asserit boves arantes [*q*].

Non erat igitur a moribus Veterum alienum, ut locorum distantias sulcorum longitudine notarent. Eâ semel admissâ significatione in Textibus Scripturæ vocem *Kibrat* præferentibus, prona sunt omnia. Congruit in eam rem historiæ veritas, & Geographorum nostrorum testimonium, qui [*r*] Rachelis sepulchrum non longè a Bethlehem statuunt. Vix o passus removet Benjamin. Docent Hebræi, tantum itineris Sabbatho permitti, quantum duo Kiberat terræ hauriunt: prorogant autem hanc mensuram ad mille cubitos circiter, pedes scilicet MCC, si pedem cum dimidio in singulos cubitos computaveris; ac proinde CCXX passus, quinque pedibus pro unico passu numeratis. Congruunt hæc adamussim cum testimonio Plinii, de longitudine jugerum boum.

Nostram hanc sententiam confirmat etymologia Chaldæa & Syriaca vocis *Kiberath*, *vel Chirbeth*. כרב, *Karab*, est arare; כרוב, *Kerub*, bos; כרבה, *Karbah*, vomer. Pagninus reddit *milliare*; Montanus *Tractum*; Vatablus, Syriacus, Chaldæus *jugerum*. Certum quoddam terræ spatium his verbis designatur in 1 Libro Regum XIV, 14: *In mediâ parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit*. Jonathas nempe & ejus armiger, XX homines occiderunt intra mediam partem agri, quem par boum in die arat.

℣. 18. Vocavit nomen filii sui Ben-Oni, idest, filius doloris mei. Deest in Hebræo expositio nominis *Benoni*, sicuti & cæteræ ejusmodi, quæ in Vulgatâ leguntur. Nec accidit arduum nosse causam, cur nomen illud Rachelis filio daretur. בן אוני *Ben-oni* sonare potest, filius doloris mei, laboris mei, roboris, luctûs, infortunii mei, nihili, vel iniquitatis. *Ben-jamin* exprimere potest filium dexteræ meæ, vel meridiei, quòd in eâ Chanaanitidis plagâ natus sit, quæ meridionalis est Mesopotamiæ & Sichem. Tandem acciri potest ex בן ימין *Ben-jamin*, filius diei, filius senectutis, ut Geneseos XLIV, 20, appellatur. Pro *Jamin* Samaritanus habet hìc *Jamim*; & Chaldæi pronunciant *Jamin* pro *Jamim*. *Benjamin* non rarò in Scripturâ appellatur *filius Jemini*, idest filius dexteræ meæ.

℣. 19. Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via, quæ ducit Ephratam. Ephratæ nomen non priùs inditum est ipsi Bethel, quàm post ingressum Hebræorum in Chanaanitidem. Nomen illud obtinuit ex Ephratâ, uxore Caleb. Jacet sepulchrum Rachelis in bivio, *M* circiter passus a Bethel. Stetit pro monumento columna, quam S. Hieronymus appellat hìc ℣. 20, *titulum*; Septuaginta Στήλην, *columnam*. Porrò erigendi columnas supra mortuorum sepulchra mos totâ antiquitate spectatur. Meminit Scriptura columnæ Absalomi: meminit & Homerus ejusmodi columnarum [*s*]. Inde sepulchro Racheli impositum est monumentum ex duodecim lapidibus, quibus sustinetur concameratus augustusque fornix, quatuor impositus pilis, juxta Benjaminum Tudelensem: fornix autem iste pro basi est elegantissimæ pyramidi, ait Bochartus in Descriptione Terræ sanctæ.

℣. 21. Egressus inde fixit tabernaculum trans turrem gregis. Ejus nominis locum fuisse in viciniis Jerusalem, intelligimus ex Micheæ IV, 8: *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion &c.* Ipsissimam autem turrim censent Hebræi [*t*], de qua hìc sermo: eodemque in loco deinde templum. Asserunt alii (*u*) Turrim gregis, ad quam Jacob tentoria fixit, constitutam fuisse mille circiter passus a Bethlehem, Orientem versùs; eumdemque locum pascuorum opportunitate celebrari plurimùm; ibidemque spectatum a pastoribus Angelum, eùm de ortu Servatoris lætum nuncium tulit. Erant in usum pastorum in arvis turres, unde scilicet excubias agerent gregibus, prospicerentque fures, quibus sunt loca illa, si quæ alia uspiam, infestissima.

(q) *Iliad.* K

Ἀλλ' ὅτε δὴ ῥ' ἀπέην ὅσσον τ' ἐπὶ οὖρα πέλονται
Ἡμιόνων (αἱ γάρ τε βοῶν προφερέστεραί εἰσιν
Ἑλκέμεναι νειοῖο βαθείης πηκτὸν ἄροτρον)
Τὼ μὲν ἐπεδραμέτην.

Vide & Odyss. Θ. v. 124.

Ὅσσον τ' ἐν νειῷ οὖρον πέλει ἡμιονοῖϊν, *&c.*

(r) *Eusebius*, *Hieronymus*, *Benjamin*, *Brocardus*, *&c.* (s) *Iliad.* Λ, *vers.* 371.

Στήλῃ κεκλιμένος ἀνδροκμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ.

Vide etiam Iliad. P, *vers.* 434. (t) *Hieron. quæst. Hebr.* [u] *Tost. & Adrichom. & alii.*

℣. 22. Cùmque habitaret in illâ regione, abiit Ruben, & dormivit cum Balâ concubinâ patris sui: quod illum minimè latuit. Erant autem filii Jacob duodecim.

℣. 23. Filii Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Levi, & Judas, & Issachar, & Zabulon.

℣. 24. Filii Rachel: Joseph, & Benjamin.

℣. 25. Filii Balæ ancillæ Rachelis: Dan, & Nephtali.

℣. 26. Filii Zelphæ ancillæ Liæ: Gad, & Aser: hi sunt filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamiâ Syriæ.

Ann. Mun. di 2288. ℣. 27. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, civitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham, & Isaac.

℣. 28. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum.

COMMENTARIUS.

℣. 22. Dormivit cum Bala concubina patris sui. Veteres Rabbini explicabant hunc locum ad literam, ut intelligimus *ex libro de benedictionibus Patriarcharum cap. 1.* Sed recentiores ex iis quidam apud Fagium tradunt, Rubeo cùm egrè ferret, quòd Jacob post obitum Rachelis thorum suum in tentorium Balæ, neglectâ Liâ, transtulisset; tentorium illud ingressum, dejecisse thorum. Quantæ est audaciæ apertissimum Textum hisce tricis implicare? Vide cap. XLIX, 4, ubi Jacob infame illud facinus Ruben tacitè notat.

℣. 26. Qui nati sunt ei in Mesopotamia. Veteres quidam (x) legebant: *Qui facti sunt*, ἐγένοντο; ex quo nodus omnis solvebatur, quòd Benjamin non in Mesopotamia natus sit, sed in Chananitide. Contendunt, illum, in Mesopotamiâ quidem conceptum, ad vitæ auras non nisi in Palestinâ venisse. Hoc Chronologiæ quidem nostræ non repugnat; sed præstat vulgò cum interpretibus dicere, Moysem constituere hic, filios omnes Jacobi natos fuisse in Mesopotamia; quòd omnes se ipsà eam regionem natalem haberent, excepto Benjamin, qui in majori numero confunditur. Eâdem ratione, etiam post lapsum Judæ, duodecim Apostoli dicuntur, quamvis re ipsà undecim non excederent; nec plures, quàm duodecim, numerari unquam consuevere, quamvis auctis Matthiâ & S. Paulo, tredecim essent.

℣. 27. In Mambre civitatem Arbee: hæc est Hebron. Mambre vallis est, morâ Abrahami celeber una, proxima Hebroni, cognomento Arbee, de nomine Gigantis in eâ regione inclyti. Vertunt Septuaginta (y): *Venit in Mambre, in urbem agri, ipsa est Hebron in terrâ Chanaan.*

℣. 28. Completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum; consumptusque ætate mortuus est. Hebræus (z): *Et obiit & mortuus est.* Septuaginta: *Deficiens mortuus est.* Obiit vir sanctus post XLII annos ab eo morbo, in quo bona precatus est Jacob: nec difficilè credimus, convaluisse illum ab eodem morbo. Patres omnes nosse professi sunt in Isaaco absolutissimam Servatoris nostri imaginem. Ejus ortus diù multumque expectatus, iteratisque oraculis prænunciatus: ejus nomen, risum exprimens & gaudium parentum, non obscurè Jesum Christum pronunciatum, expectatum, optatum a Patriarchis & Prophetis, quorum solatium unicum esset, gaudium, expectatio, referebant. Quo se patri suo ad mortem usque subdidit obsequio Isaac; iter ejus ad Morias sacrificium, quod ad consummandum præstò ipse pariter ligna tulit; agnus ejus loco immolatus exhibent sacrificium Jesu Christi, vivis adeò coloribus expressum, ut ne falli quidem volentes possint.

Ismaël certans & malè habens Isaacum, quòd graviter ferret excidisse se jure speratæ hæreditatis, depulsus cum matre, nonne typus est Synagogæ ab hæreditate exclusæ, ac loco pulsæ, ut assumeretur legitimus filius Jesus Christus, & Christi fideles, quibuscum jura sua Christus communicavit, fratris nomine concesso & gratiam adoptionis Patris sui illis promerens? Rebecca in uxorem Isaaco tam longè quæsita, & deducta ad hæredem Abrahami; Rebecca in tentorium Saræ introducta, cujus consuetudine Isaac amissæ matris oblitus est, ipsissima est Ecclesia Christiana, quæsita & deducta e medio remotissimi populi, sed prædestinata, in locum substituitur amotæ Synagogæ; suâque ad Deum sincerâ & perfectâ conversione excedit plurimum meritum Ecclesiæ Judaicæ, ac majori amore præ illâ dignam se præbet.

Tandem morbus & cæcitas Isaaci, quibus fallentibus benedictionem suam cotulit Jacobo, excluso Esaü, in mentem reducunt Jesum Christum, qui coactus quodammodo Synagogam reprobavit, quam eò usque & adhuc paterno amore prosequebatur; collectamque e gentibus Ecclesiam ejus loco substituit. Hæc sedulitate suâ æmulam prævênit; quippe quæ nimis fidens meritis suis & juri, quod jactitabat, primoris natu, ratum sibi assertumque jus illud futurum ominò dubitabat. Nimia meritorum suorum confidentia Synagogam perdidit; cùm vicissim sollicitudo & animi demissio ad tantæ felicitatis statum evexerit Ecclesiam. His aliisque plurimis instituitur parallelus inter Isaacum & Jesum Christum: aliis, inquam, pluribus; neque enim Jesu Christi dotes seu vividiùs seu pleniùs nemo e Patriarchis expressit.

℣. 29.

(x) *Apud Aug. quæst. 117 in Genes.* (y) Εἰς Μαμβρῆ, εἰς πόλιν τοῦ πεδίου, αὕτη ἐστὶ Χεβρὼν ἐν γῇ Χαναάν. (z) ויגוע יצחק וימת *Septuag.* Ἐξέλιπεν Ἰσαὰκ ἀπέθανε.

℣. 29. Consumptusque ætate mortuus est: & appositus est populo suo senex, & plenus dierum: & sepelierunt eum Esaü, & Jacob filii sui.

COMMENTARIUS.

℣. 29. APPOSITUS EST POPULO SUO. Obijt, uti cæteri patres sui: sepultus est cum illis. Illis additus est in alterâ vitâ, opperiens Redemptoris adventum: illatus est cum illis in tumulum, ut resurrectionem expectaret. Locum, quò justorum animæ colligebantur, appellat Scriptura *Sinum Abraha*; & Ecclesia in Symbolo, *Inferos*: *Descendit ad Inferos*; Theologi nostrates *Lymbum*.

Obitus Isaaci refertur hic extra suum ordinem naturalem & chronologicum; cujus rei in causâ fuit, quòd commodum censuerit Historicus hic illum adscribere, ne semel susceptam historiam Patriarchæ Josephi, intra quam incidit, abrumpere cogeretur.

SENEX ET PLENUS DIERUM. Vide Genes. 25, 8. Horatius lib. 1, Satyrâ 1.

Inde fit, ut rarò qui se vixisse beatum
Dicat, & exacto contentus tempore vita
Cedat, uti conviva satur.

CAPUT XXXVI.

Genealogia filiorum Esaü.

℣. 1. HÆ sunt autem generationes Esaü, ipse est Edom

COMMENTARIUS.

℣. 1. HÆ SUNT GENERATIONES ESAU. In ipso Genealogiæ hujus limine quædam animadvertenda sunt. I, Occurrit hic genealogia non tantùm filiorum & nepotum Esaü, sed & posterorum Seir Horrei; quæ sedulò a cæteris aliis distinguenda est. Quæ pertinent ad Esaü, habes a ℣. 1 usque ad 20: quæ ad alterum, a 20 usque ad 31.

II, Observandum est, Moysem distinguere filios Esaü natos in Chanaanitide ab aliis in terrâ Seir natis: priores illi proximè ex ipso nati sunt; alii nepotum jure ad illum pertinent. Illi numerantur septem prioribus versibus; hi duodecim sequentibus.

III, Sedulò distinguendæ sunt tres inter se discrepantes Reipublicæ gubernandæ rationes in Idumæâ, quæ se invicem altera alteram excepêre. Omnium prima est, cùm familiarum Principes vel Patriarchæ, in proprias singuli familias imperabant. *Duces* appellantur, Hebraicè אלופים, *Alluphim*. Eorum catalogus exhibetur a ℣. 15 usque ad 20. Successerunt Reges, qui post Patriarchas rerum potiti sunt in Idumæâ, descripti a ℣. 31 usque ad 40. Tertii tandem venerunt *Duces* vel *Principes*, quorum seriem habes a ℣. 40 ad exitum usque capitis.

E nostris Interpretibus nonnulli autumarunt, Reipublicæ statum sub Principibus hisce Aristocraticum fuisse; sub Regibus Monarchicum; itaut Idumæi post gubernatam ab exordio Rempublicam legibus Aristocratiæ, tandem in Imperium Monarchicum degenerarint, tum ad Aristocraticum redierint. Sed cùm in obscuro sit omninò status Reipublicæ sub Ducibus, vel Chiliarchis, *Aluphim*, nihil eâ de re certi determinandum est. Illud constat, Patriarcharum in familias suas authoritatem parum vel nihil absuisse ab Imperio Regum in subditos.

IV, Esaü tres habuit uxores *Oholibamah*, *Ada*, & *Basemath*. E priore illâ nati Jehus, Jhelon, & Core: ex alterâ natus Eliphaz; ex Basemath, Rahuel. De posteris filiorum Oholibamah nihil tradit Moyses. Ex Eliphaz geniti Theman, Omar, Sepho, Gatham, Cenez, & Amalec.

Ex Rahuele natus Nahath, Zara, Samma, & Meza. Huc reducitur prodigiosus, pro aliquorum opinione, numerus generationum ab Esaü ad Moysem. Si quis propiùs animadvertat, tantùm aberit, ut genealogiam istam numero hominum abundasse dicat, ut potiùs quin etiam fateri cogatur, a Moyse aliquid omissum, vel notata esse tantùm ea, quæ consilio suo servirent, nempe ut Israëlitas doceret de Tribubus & regione Idumæorum, quò ab armis inferendis in illos sese continerent, juxta datum a Deo eâ de re præceptum. Nec sanè ambigendum est, de industria omissam a Moyse filiorum Oholibamah genealogiam.

V, Sunt quibus negotium facessat ingens numerus Regum & Principum, quos hic Moyses recenset, rati auctum, additum, productum, factâ ab alio quopiam accessione; verba autem illa, *Reges qui regnaverunt in terrâ Edom, antequam haberent Regem filii Israël, fuerunt hi*, non obscurè demonstrare, seriem hanc posteriorem esse Saule vel Davide, quo tempore in Israële Reges cœperunt.

Reponitur verò bis, nec incongruè, I, verbis illis ℣. 31 designari facilè, Idumæos paruisse per varia tempora & loca Regibus alienigenis, antequam propriis Regibus gubernarentur Israëlitæ.

II, Reges Edom in totâ quidem gente nequaquam regnabant, sed præficiebantur sive regioni, sive Urbi singulari: nec aliter insinuat Moyses, illos Regis nomine appellans; & quando scribit, eam Regum seriem in Idumæâ successisse, *antequam haberent Regem filii Israël*, perinde valent ejus verba, ac si scriberet: Hæc apud Idumæos contigerunt, antequam in Israële aliquis publicâ authoritate, sive Judicis, sive Ducis nomine potiretur, & antequam ego ipse gubernandum popu-

℣. 20. Et erecto ibi Altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israël.

COMMENTARIUS.

tes. Obtinebat id potissimùm in Oriente; obtinet hodie pariter apud Turcas & in Perside. Crumena argenti in Perside refert 50 Tomanos, exhibentes summam 2500 denariorum, 18 solidorum in singulos, monetæ nostratis. Coriaceæ sunt erumenæ, oblongæ & arctæ, nec varia unquam monetarum genera admiscentur. Argentum datur non ad numerum, sed ad poodus: quod expeditissimum est in commercio (c).

Redierat Jacob recens e Mesopotamiâ, cùm agrum emit. Job non longè ab Euphrate versabatur; & Sacer Scriptor eam loquendi phrasim in eorum historiâ fortè servavit, quæ in regione ab illis frequentatâ familiaris erat. Tradit Herodotus *lib.* 3, *c.* 130, 131, veteres Persas servasse in lagenis aurum & argentum, sive rude esset vel signatum; cujus cùm portionis alicujus indigerent, festam frangebant. Refert idem Author historiam Medici Democedis, qui cùm difficili morbo Darium liberasset, ab uxoribus ejusdem Regis singulis muneris loco accepit phialam, aureis oumnis oppletam cum opereulo, quo operiretur. Ex iis multi adeò stateres exciderunt, quos famulus Democedes sequens collegit. De ejusmodi ergo phialis vel erumenis eaponeodum est *Kesitah* Scripturæ. Docet Eustathius *in Odyss.* B, & T, *Kista* mensuram esse Persarum; & Chaldaicè קסטא, *Kistah* est mensura, vas, lagena.

℣. 20. Invocavit super illud fortissimum Deum Israel. Reddi posset Hebræum (d): *Et vocavit illud: Deus Dominus Israël*. Observavimus superiùs morem imponendi nomina monumentis erectis, ut illorum erectionis causam apud posteros nosceretur: Inscriptiones verò positas non legimus.

CAPUT XXXIV.

Dina filia Jacobi a Sichem filio Hemor violatur. Sichimitis proponitur fœdus cum familiâ Jacobi, eâ conditione, ut circumcisionem admittant. Simeon & Levi Sichimitas omnes tertio a circumcisione ipsorum die interficiunt.

℣. 1. EGressa est autem Dina filia Liæ, ut videret mulieres regionis illius.

℣. 2. Quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam: & rapuit, & dormivit cum illa, vi opprimens virginem.

℣. 3. Et conglutinata est anima ejus cum ea, tristemque delinivit blanditiis.

℣. 4. Et pergens ad Hemor patrem suum, Accipe, inquit, mihi puellam hanc conjugem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. EGressa est autem Dina. Agebat tunc puella XV, vel XVI annorum ætatem. Qui mulieribus ejus ætatis insitus est res novas spectandi amor Dinam pellexit, ut in Sichem unà cum juvenculis e viciniis quibusque ad festi cujusdam celebritatem, ait Josephus [a], veniret. Puella, quæ recens in Mesopotamiam venerat, quibus essent moribus, & qua cultûs elegantiâ, Chananitidis puellæ, videre cupiebat.

℣. 2. Sichem filius Hemor Hevæi, princeps terræ illius. Reddi posset Hebræum: *Sichem filius Hemor, principis terræ &c.* quam interpretationem tum præcedentia tum subsequentia omnia fulciunt. In præcedenti capite ℣. 19 ita agitur de Hemor, veluti de Rege Sichem, nec in universâ ejus capitis serie aliter exhibetur, quàm Princeps Sichimitarum; sicut vicissim Sichem nonnisi filius est in *domo patris sui inclytus*, ℣. 19.

Vi opprimens virginem. Hebræus: ויענה, *Afflixit eam*; quæ loquendi phrasis exprimit plerumque injurias & afflictiones: hic autem usurpatur de vi illatâ pudicitiæ virginis. LXX: Ἐταπείνωσε, *humiliavit*.

℣. 3. Tristemque delinivit blanditiis. Hebræus ad literam: ויאהב וידבר על לב *Et amavit illam, & locutus est ad cor ejus*, mœstam solatus est. LXX: Ἠγάπησε τὴν παρθένον, καὶ ἐλάλησε κατὰ τὴν διάνοιαν αὐτῆ: *Amavit virginem, & locutus*

(c) Chardin, Voyage de Perse *t.* 2, *p.* 90. (d) ויקרא לו אל אלהי ישראל.

(a) *Joseph. Antiq. lib.* 1, *c.* 21. Τῶν δὲ Σικιμιτῶν ἑορτὴν ἀγόντων, Δίνα παρῆλθεν εἰς τὴν πόλιν, ὀψομένη τὸν κόσμον τῶν ἐπιχωρίων γυναικῶν.

℣. 5. Quod cùm audiffet Jacob, abfentibus filiis, & in paftu pecorum occupatis, filuit donec redirent.

℣. 6. Egreffo autem Hemor patre Sichem ut loqueretur ad Jacob,

℣. 7. Ecce filii ejus veniebant de agro: auditoque quod acciderat, irati funt valdè, eò quòd fœdam rem operatus effet in Ifraël, & violatâ filiâ Jacob, rem illicitam perpetraffet.

℣. 8. Locutus eft itaque Hemor ad eos: Sichem filii mei adhæfit anima filiæ veftræ: date eam illi uxorem:

℣. 9. Et jungamus viciffim connubia: filias veftras tradite nobis, & filias noftras accipite.

℣. 10. Et habitate nobifcum, terra in poteftate veftrâ eft, exercete, negotiamini, & poffidete eam.

℣. 11. Sed & Sichem ad patrem, & ad fratres ejus ait: inveniam gratiam coram vobis: & quæcumque ftatueritis, dabo.

℣. 12. Augete dotem, & munera poftulate, & libenter tribuam, quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc uxorem.

℣. 13. Refponderunt filii Jacob Sichem, & patri ejus in dolo, fævientes ob ftuprum fororis:

℣. 14. Non poffumus facere quod petitis, nec dare fororem noftram homini incircumcifo: quod illicitum, & nefarium eft apud nos.

℣. 15. Sed in hoc valebimus fœderari, fi volueritis effe fimiles noftri, & circumcidatur in vobis omnis mafculini fexùs:

℣. 16. Tunc dabimus, & accipiemus mutuò filias veftras, ac noftras: & habitabimus vobifcum, erimufque unus populus.

℣. 17. Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam noftram, & recedemus.

COMMENTARIUS.

cutus eft fecundùm fenfum virginis ipfi. Chaldæus: *Locutus eft blanda & confolatoria*, ad literam, *confolationes*.

℣. 7. EO QUOD FOEDAM REM OPERATUS ESSET IN ISRAEL; Quòd parentes totamque familiam expofuiffet probro. Ifraëlis nomine hîc non decem Tribus, vel gens omnis Ifraëlitica, ut fæpè alibi in Scripturâ, defignatur.

℣. 12. AUGETE DOTEM, ET MUNERA POSTULATE. Vidimus fuperiùs, fuiffe in moribus ejus ætatis pofitum, ut Vir uxori dotem conferret: quod etiam heroicis temporibus obtinuiffe apud Græcos, intelligimus non femel ex Homero (*b*): docetque Ariftoteles (*c*) veteres Græcos ferrum portaffe (vel armatos inceffiffe) & alterum ab altero uxores emiffe. Nec aliter folent Turcæ & Perfæ noftræ ætatis. *Munera poftulate*. Dabantur munera patri & fratribus fponfæ, uti exemplo Eliëzeris munera conferentis fratribus Rebeccæ, intelligimus [*d*].

℣. 14. NON POSSUMUS DARE SOROREM NOSTRAM HOMINI INCIRCUMCISO, QUOD ILLICITUM ET NEFARIUM EST APUD NOS. Hebræus: חרפה לנו *Opprobrium eft*, vel *abominatio nobis*. Refponfum id datum ajunt Septuaginta a Simeone. Conftat ex pluribus Scripturæ Textibus, incircumcifum perinde effe ac abominationi & probro apud pofteros Abrahami. Hanc tamen obtendunt filii Jacobi inanem caufam, malum animum fuum diffimulaturi. *Refponderunt in dolo*, uti notatur verfu præcedenti; nulla enim five lege, five more, five officio interdicebantur tunc Ifraëlitæ a ducendis incircumcifis, ac filiabus illis defpondendis. Laban, homo utique incircumcifus, filias fuas nuptum dedit Jacobo; & filii Jacobi ex Chananitide fœminas adfciverunt in thorum. Afferit id apertis verbis Scriptura de Juda & Simeone; nec aliter agi ab illis commodè poterat, nifi fortè connubia jungerent cum Ifmaëlitis, vel Idumæis puellis; Abraham enim & Ifaac filiabus caruerunt.

℣. 17. TOLLEMUS FILIAM NOSTRAM, ET RECEDEMUS. Conftat ex his, & ex verfu 26, Dinam

(b) *Vide Homer. Iliad.* IX. Τάων ἥν κ' ἐθέλῃσι Φίλλω ἀνάεδνον ἀγέσθω. *Et Iliad.* XIII *de Othryoneo.*

(c) *Ariftot. de Repub. lib.* II, *c.* 8. Ἐσιδηροφορῦντο, καὶ τὰς γυναῖκας ἐωνῦντο παῤ ἀλλήλων.

(d) *Genef.* XXIV, 53.

℣. 18. Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio ejus:

℣. 19. Nec distulit adolescens, quin statim quod petebatur, expleret: amabat enim puellam valde, & ipse erat inclytus in omni domo patris sui

℣. 20. Ingressique portam urbis, locuti sunt ad populum:

℣. 21. Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare nobiscum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ spatiosa, & lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus uxores, & nostras illis dabimus.

℣. 22. Unum est, quo differtur tantum bonum. Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes:

℣. 23. Et substantia eorum, & cuncta, quæ possident, nostra erunt: tantùm in hoc acquiescamus, & habitantes simul, unum efficiemus populum.

℣. 24. Assensique sunt omnes, circumcisis cunctis maribus.

℣. 25. Et ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est: arreptis, duo filii Jacob, Simeon, & Levi fratres Dinæ, gladiis ingressi sunt urbem confidenter: interfectisque omnibus masculis,

℣. 26. Hemor, & Sichem pariter necaverunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam.

℣. 27. Quibus egressis, irruerunt super occisos cæteri filii Jacob: & depopulati sunt urbem in ultionem stupri.

℣. 28. Oves eorum, & armenta, & asinos, cunctaque vastantes, quæ in domibus, & in agris erant:

COMMENTARIUS.

probro jam affectam mansisse in domo Hemor usque ad Sichimitarum internecionem.

℣. 20. Portam urbis. Hic locus erat congressibus civilibus juri dicundo, & nundinationi destinatus: jungebantur plerumque olim, & nunc etiam in Oriente, portis urbium fora, vel loca publica, & cœtibus nundinisque celebrandis destinata.

℣. 21. Viri isti pacifici sunt. Non malè redderetur Hebræus: *Vixerunt pacificè nobiscum*: שלמים ים lxx: Εἰρηνικοί. Aquila [e] vertit: *Homines perfecti*, Ἀπηρτισμένοι, quibus nihil queat exprobrari. Munsterus & Oleaster: *Integri*. Arabs: *Fœderati nobis, & amici*.

Negotientur in terra, et exerceant eam, quæ spatiosa et lata, cultoribus indiget. Hebræus [f]: *Habitabunt in terrâ, & circuibunt eam*; vel *negotiabuntur*, vel *pascent ibi greges suos*. *Terra spatiosa coram illis est*. Quid sit illud, *Terra coram illis est*, jam alibi notavimus: tota regio illorum voluntati cedit, & permittendum est ut greges suos ducant quocumque voluerint. *Spatiosa manibus*, quod legitur in Hebræo, proverbialis est formula, exprimens latum quiddam & amplum, quo indicando solemus manus & brachia dilatare. Vide Psal. ciii, 25. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus*.

℣. 23. Substantia eorum, pecora, et cuncta, quæ possident, nostra erunt. Utile futurum cum Hebræis fœdus suadet Hemor Sichimitis; proponit futurum, ut amplissimæ Jacobi hæreditatis participes fiant, siquidem cum illo detineant commercium & consuetudinem: qua in re meditatum Hemor opprimere Israëlitas, & expoliare bonis, putant Rabbini: cujus dolum ut prævenirent, Simeonem, & Levi acerbissimâ eâ cæde sævisse. Hæc tamen minùs probanda censemus; animo enim syncero egisse Sichimitæ visi sunt, & Jacob vim illatam a filiis suis tam hic, quàm ad mortem decumbens, gravissimis verbis castigavit; ac proinde vix est quo suadeamur, quidpiam doli agnovisse illum in Sichimitis, ut injustitiæ in re gestâ a filiis suis plurimum agnovit. Fatemur equidem, Hemor plus aliquid proposuisse suis, quàm quæ ab Hebræis sibi vicissim fuerant proposita; sed his planè filii Jacobi non excusantur.

℣. 25. Et ecce die tertio, quando gravissimus vulnerum dolor est. Medicorum axioma est, vulnerum & plagarum dolorem tertiâ die maximè augeri; qua facillimè febris ob inflammationem intervenit.

Duo filii Jacob Simeon et Levi. Fratres erant uterini Dinæ; & cùm ingenio essent truci, injuriam sorori suæ illatam ulti sunt. In pessimum consilium cæteri filii Jacob venisse nequaquam videntur. Adhibuerunt socios facilè ex domesticis

(e) *Apud Hieron. quæst. Hebr.* (f) וישבו בארץ ויסחרו אתה והארץ הנה רחבת ידים לפניהם

℣. 29. Parvulos quoque eorum & uxores duxerunt captivas.
℣. 30. Quibus patratis audacter Jacob dixit ad Simeon & Levi: Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ hujus; nos pauci sumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.

COMMENTARIUS.

mesticis domûs suæ plures. Sed post Sichimitarum cædem gladio Simeonis & Levi patratam, cæteros filios Jacob excurrentes Urbem diripuisse, narrat Theodotus apud Eusebium *Præpar. l. 9, c. 22.*

Interfectisque omnibus masculis. Sævitum est in resistentes omnes, & in eos maximè, a quibus metuendum erat de cætero, ne ultionem exigerent. Fœminæ & infantes servati.

℣. 29. Parvulos quoque et uxores duxerunt captivas. Hebræus: *Acceperunt omnem substantiam eorum, & omnes parvulos eorum, & uxores eorum captivaverunt; & prædati sunt omnia quæ in domibus eorum reperta fuere.* Septuaginta: *Tulerunt omnia σώματα corpora eorum, & omnem supellectilem eorum; & uxores eorum captivaverunt: & diripuerunt omnia quæcumque erant in civitate, & quæcumque erant in domibus.* Partam injuriâ prædam utique non retinuit Jacob.

℣. 30. Odiosum fecisti me. Hebræus ad literam: לחבאישני *Fætere fecisti me.* Ut scilicet mei nominis fama pessimè exciperetur.

Nos pauci sumus. Hebræus: *Viri numeri*, exiguo numero, facilè numerandi. Eâdem phrasi utuntur Græci & Latini. Horatius: *Populus numerabilis, utpote parvus.* Theocritus Idyll. XVI: Α'ριθματοὶ ἀπὸ πολλῶν, *numerabiles ex multis.* Infrequens erat tunc Jacobi familia; non enim coalescere poterat nisi ex mancipiis emptis in Mesopotamiâ, & uxoribus suis, & filiis. Leviter hîc tantùm exprimit Jacob horrorem suum pro re gestâ a duobus filiis, metuens, ne gravioribus verbis castigatos, desperatione ad majora compelleret.

Factum illud utriusque fratris omnium prorsus horrorem meretur; perfidi enim est animi, impotentis, & maximè injusti. Temeritatis est in eo plurimum, sacrilegi pariter abusûs rerum maximè sacrarum & inviolabilium crimen horrendum. Cæco furore rapiuntur, patre inconsulto, in ultionem injuriæ, quæ patrem potiùs, quàm ipsos afficiebat. Dolum idcircò & astum adhibent, ut Sichimitas ad arduam maximè conditionem ineundi fœderis adigant, quod fœdus re maximè sacrâ & omnium tum temporis religiosâ confirmaretur. Obsignari illos jubent charactere sacro circumcisionis, quo veluti præparatione utantur adversus illos, cùm scilicet vulneris dolor impares fecisset ad resistendum. Qua in re nec ignavia deest, nec indigna viro forti inhumani cordis sævitia.

Ultionem suam & furorem eò provehunt, quò certè nunquam pervênit crimen Sichem; si enim probro affecerat Dinam, nonne reparaturum se pro viribus injuriam ultrò promiserat? An aliud exigi jure poterat ex illo, quàm quod ultrò subivit? Quo tenebantur crimine Sichimitæ, ut eâdem cum Authore criminis, cujus ne conscii quidem fuerant, neque fortè prorsus norant, ultione obvolverentur? Quod sibi jus prætendunt filii Jacobi in necem innocentum, direptionem urbis, prædam bonorum illorum omnium, & gregum, captivitatem uxorum & filiarum, veluti si hostibus apertissimis bellum indiceretur?

Excuset fortasse aliquis ambos fratres, quòd Deum totius rei authorem constituisse videtur Scriptura; nec sanè nisi justitiæ amore id egisse illos, innuere videtur Judith IX, 8: *Servis tuis, qui zelaverunt zelum tuum*, additque: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum.* Juvat pariter eam rem, quòd Jacob assignat in partem Josephi urbem Sichem, a se, ait, comparatam *in gladio & arcu* (g): *Do tibi partem meam extra fratres tuos; quam tuli de Amorrhæis in gladio, & arcu meo.* Septuaginta: *Do tibi Sichimam præcipuam super fratres tuos*, nempe supra assignatam tibi cum cæteris partem, hanc addo; justo ergò bello hanc sibi urbem Jacob adscivit.

Sed reponendum hisce, I, Judith actionem illam Simeonis ex eâ tantùm parte respexisse, qua laudis aliquid promereretur. Injuriam sororis & probrum familiæ ulcisci, nisi modus excedatur, minimè est improbandum; licèt per constitutas justitiæ & charitatis vias illatæ sibi injuriæ reparationem prosequi. II, Certum ponit Judith, teneri Simeonem & Levi optimo gloriæ Dei studio; ponit etiam, Deum rem illam gestam probasse; quod ex facinoris ipsius eventu, ex præstitâ a Deo ope post impletum eorum consilium, argui posse arbitratur.

Ad hæc, Judithæ autoritatem infallibilem esse planè negamus; nihil enim facilius est, quàm decipi in ferendo judicio de bonâ, ac malâ, quam intus fovent homines, voluntate. Si quis conjecturam aliquâ de re capere velit ex felici rerum, quæ geruntur, successu, asserendum esset, utique Deum criminosa plurima & impia probasse. III, Tandem si facinus Simeonis & Levi per se, & ad finem suum relatum, laudem aliquam mereretur, ex rerum circumstantiis horrore dignum est maximè, reputandumque impotentis furoris, barbaræ crudelitatis opus, dignum quod justus Jacob diris devoveat (h).

Ad assignatam a Jacobo in partem Josephi urbem Sichem quod attinet, veluti si justo bello viro illi provenisset: Reponimus, I, Hebræum שכם, *Sechem* significare hic posse *partem*, ut est in Vulgatâ, & uti pariter non obscurè demonstrat juncta illi vox אחד *unam.* II, Hanc portionem superadditam; Josepho ipsissimum fuisse agrum, a Jacobo emptum ex filiis Hemor, de quo Genesis XXXIII, 19, & Joan. IV, 5: *Juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo.* III, Jacob sibi ipse repugnaret, facinus duorum fratrum detestans, & simul etiam partam ex illo prædam, tanquam jure sibi provenientem, Josepho assignans. IV, Juris æquitas postulasset potiùs, ut

præda

(g) *Genes.* XLVIII. 21, (h) *Genes.* XLIX., 6, 7.

Digitized by Google

℣. 31. Responderunt: Numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?

COMMENTARIUS.

præda illa, si quidem jure obtigisset, tribueretur potius Simeoni & Levi, quàm Josepho: & Jacob vindicatam sibi Urbem in sedem sibi elegisset; cùm tamen ex proximè sequenti capite intelligamus, post rem illam gestam, recessisse continuò Bethlehem versùs, metu, ne a Chananæis opprimeretur.

Fatemur equidem, operosum esse maximè, sensum assequi illorum verborum, quibus Jacob traditam Josepho portionem acquisivisse se arcu, & gladio suo profitetur: sed æquè etiam fatendum, ob arduum aliquem Textum deserendos non esse duos, vel plures alios apertissimos; nec pariter inferendum aliquid adversùs moliminis hujus injustitiam ex silentio Moysis, qui fortè omisit historiam, unde verborum istorum Jacobi occasio sumpta est. Diligentiùs Textum illum excutiemus ad Genesis XLVIII.

℣. 31. NUMQUID UT SCORTO ABUTI DEBUERE SORORE NOSTRA? Putavit Procopius Gazensis, Hemor unà cum Sichem abusum fuisse Dina (i); sed malumus opinari, numerum plurium pro singulari positum esse: & additio Septuaginta ad ℣. 5, *Jacob intellexit*, *Sichem filium Hemor*, *&c.* e regione oppugnat Procopium, autumantem præferri tantùm in Textu *Hemor*, additum verò a Septuaginta *Sichem filium ejus*.

C A P U T XXXV.

Jacob in Bethel proficiscitur, ubi Altare Domino statuit. Debora Rebeccæ nutrix obit. Nascitur Benjamin. Moritur Rachel. Census filiorum Jacobi. Moritur Isaac.

℣. 1. INtereà locutus est Deus ad Jacob: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum.

℣. 2. Jacob verò convocatâ omni domo suâ, ait: Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini, ac mutate vestimenta vestra.

℣. 3. Surgite, & ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo: qui exaudivit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei.

COMMENTARIUS.

℣. 1. LOCUTUS EST DEUS AD JACOB. Deus spectandum se illi præbet per visum, ut confirmet animis labantem metu Chananæorum (a), quos filiorum facinus in ipsum animaverat. Deus immisso in Chananæos timore, illos continuit, ne recedentem Jacobum persequerentur. Vide ℣. 5.

℣. 2. ABJICITE DEOS ALIENOS, QUI IN MEDIO VESTRI SUNT. Reddi posset Hebræum: *Deos alienigenæ* [b]. Chaldæus: *Idola gentium*. Sunt autem ea Teraphim Labani, furto a Rachele e domo patris sublata, quibus illa unà cum Liâ, superstitiosum facilè cultum impendebat. Domestici Jacobi, Syri omnes, e Mesopotamiâ in Chanaanitidem deducti, sua facilè habebant Idola, ut insinuatum videtur ℣. 4. Refert Josephus (c), Jacobum lustrantem jussu Dei tentoria, ut pararet se ad iter in Bethel, casu incidisse in Idola illa; ex quo suspicari licet, reputasse Scriptorem illum, nihil Jacobum de Idolis in domo servatis cognovisse. Censet Pererius agi hìc de Idolis, ex prædâ in direptione Sichem, quæ removenda duxit Jacob, ne ad Idololatriam suos incitarent.

MUNDAMINI, AC MUTATE VESTIMENTA VESTRA. Apparatus ejusmodi suadet insitam homini in divinitatem reverentiam. Frustra scrutaremur ejus moris originem; quippe qui parem referat cum religione in primo hominum parente antiquitatem. Apud varias gentes varia pariter sedit idea exterioris sanctitatis, qua res sanctas agi necesse est; plerumque tamen obtinuit apud omnes corporis & vestium lotio, qua compararent se homines, ut coram Deo se sisterent. Fusiùs de his moribus Hebræorum, cæterarumque gentium agemus ad Exodi XIX, 10, & Levitici XV, 13.

℣. 4.

(i) *Vide Drus.* (a) *S. Chrysostom. hom.* LIX *in Genes.* (b) אלהי הנכר *Elohim* aliquando singulari, nonnunquam plurali numero usurpatur; quare non minùs reddi posset *Dii alieni*, quàm *Deus alienus*, vel *Deus alienigena*. (c) *Joseph. Antiq. lib.* 1, *c.* 18.

℣. 4. Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, &
inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter
terebinthum, quæ est post urbem Sichem.
℣. 5. Cùmque profecti essent, terror Dei invasit omnes per
circuitum civitates, & non sunt ausi persequi recedentes.
℣. 6. Venit igitur Jacob Luzam, quæ est in terrâ Chanaan,
cognomento Bethel: ipse, & omnis populus cum eo.
℣. 7. Ædificavitq; ibi altare, & appellavit nomen loci illius,
Domus Dei: ibi enim apparuit Deus, cùm fugeret fratrem.
℣. 8. Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, &
sepulta est ad radices Bethel subter quercum: vocatumque
est nomen loci illius, Quercus fletus.

COMMENTARIUS.

℣. 4. DEDERUNT ERGO EI OMNES DEOS ALIENOS, QUOS HABEBANT. ET INAURES, QUÆ ERANT IN AURIBUS EORUM. Hebræus ad literam (*d*): *Dederunt omnes Deos alienigena, qui erant in manibus suis, & inaures, quæ erant in auribus suis.* Quod insinuare videtur, Deos illos fuisse figuras aliquas superstitiosas, in annulis, armillis, & inauribus expressas. Hebræum הַנְזָמִים *Hannesamin*, quod redditur hìc *inaures*, aurium est etiam annuli, seu ornamenta aurium, vel narium, vel frontis. Vide quæ contulimus in caput XXIV, 22.

Annuli, de quibus hìc, non mera tantùm erant ornamenta, sed & superstitio. *Execranda superstitio ligaturarum*, ait S. Augustinus *Epist. 73, ad Possidium, in quibus etiam inaures virorum in summis ex unâ parte auriculis suspensa deputantur non ad placendum hominibus, sed ad serviendum Dæmonibus, adhibetur.* Agit de illis etiam *l. 11 de Doctrinâ Christianâ*, c. 20; & *quæst.* CXI in Genesim appellat *Phylacteria Deorum*, i. e. genus quoddam superstitionis Talismanicæ, a discrimine malorum, & morborum, receptâ a Diis virtute, ut erat gentium opinio, liberans. E Phœniciâ & Syriâ in Africam irruperat superstitio. Ezechiel [*e*], & in Proverbiis (*f*) Salomon genus illud innuunt.

E Scripturâ (*g*) & Prophanis intelligimus, aurium ornamenta æquè apud viros obtinuisse, ac apud fœminas, non inter Israëlitas tantùm, sed inter Arabes & Chartaginenses. Lepidè Plautus [*h*] mancipium quoddam Africanum digitis carere scribit, quòd annulis aures ornaret. Interpretes nostrates quidam censent, inaures & annulos, de quibus hìc Jacob, digitis & auribus Idolorum, non domesticorum Jacobi, insertos fuisse. Hanc sententiam tenuisse videtur S. Augustinus q. 109; asseritque Plinius *l. 23, c. 5*, annulos olim statuis Numinum datos.

INFODIT EA SUBTER TEREBINTHUM. Hebræum אלון *elon*, reddunt frequenter Septuaginta Δρῦν, vel βάλανον *quercum*; hìc verò cum Vulgatâ & Chaldæo *Terebinthum*; Verùm Aquila Symmachus, & Theodotion servant *quercum*. S. Ambrosius habet: *Sub lentisco*. Creditur Jacob idola illa, antequam infoderet, igne liquasse; intacta verò maluit Cajetanus, neq; enim liquandi ea tempus suppetebat. R. Gedalias apud Grotium scribit, defossa diu post, idola illa cultum suum obtinuisse apud Samaritanos. Inventa a Salomone in ædificiū Templi conversa fuisse tradit Hist. Scholast. Sed traditionū ejusmodi fides est maximè suspecta: quam fortè Septuaginta destruendam cogitarunt, addentes hìc, Jacobum perdidisse Idola illa, hodie pariter perdita esse (*i*). Infodit in loco ignoto clam omnibus familiaribus.

℣. 5. TERROR DEI, quem *panicum* appellabant Veteres (*k*), quod terrores illos Pan immittere crederetur: est etiam *terror Dei*, terror non vulgaris.

℣. 6. LUZAM IN TERRA CHANAAN. Locus iste, quò pervênit, erat in regione ad Luzam, & facilè etiam ipse *Luza* appellabatur. Cùm autem Moyses in Arabiâ scriberet, addendum censuit *In terrâ Chanaan*.

℣. 7. APPELLAVIT NOMEN LOCI ILLIUS, DOMUS DEI; IBI ENIM APPARUIT ei DEUS. Appellavit scilicet *Bethel*, quod est *Domus Dei*. Hebræus ad literam (*l*): *Appellavit locum: Deus Bethel, quia ibi Deus (vel Angeli Elohim) sibi revelati sunt.* Syntaxis Elohim in plurali, indicat sermonem esse de Angelis; quando enim pro Deo usurpatur, in singulari & sine articulo ponitur.

℣. 8. DEBORA NUTRIX REBECCÆ. Cujas vetula hæc nutrix erat in Familiâ Jacobi? Censent Rabbini, missam a Rebeccâ in Mesopotamiam ad Jacobum, ut inter se convenerant (*m*), renunciaturam, nihil ulteriùs ipsi esse ab Esau metuendum: rediret igitur. Observans Cajetanus decrepitam ejus ætatem, maluit Deboram illam post obitum Rebeccæ, de reditu Jacobi certiorem factam, ad illum se contulisse, ut in domo ejus maneret. Succurrunt tandem aliis sive urbanitatis, sive amicitiæ officia, quibus induceretur vetula mulier ad illum invisendum. Insinuare videtur S. Chrysostomus (*n*), Deboram discedente Rebeccâ substitisse in Mesopotamiâ: desiderio autem videndi iterum heram suam, comitem se adjecisse

(d) את כל אלהים הנכר אשר ואת הנזמים אשר באז חנים
(e) *Ezech.* XVI, 12, עגילים על אזניך (f) *Prov.* XXV. על אזן שמעת (g) *Exod.* XXXV, 22. *Judic.* VIII, 24. (h) *Plaut. Pœnul. act.* V, *scen.* 2. (i) Καὶ ἀπώλεσεν αὐτὰ, ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας.
(k) Δαιμόνιον φόβον. *Pindar.* Πανικὸν οἶστρον. *Orpheus.*
(l) ויקרא למקום אל-בית אל כי-שם נגלו אליו האלהים
(m) *Genes.* XXVII, 45. (n) *Homil.* LIX *in Genes.*

℣. 9. Apparuit autem iterum Deus Jacob, postquam reversus est de Mesopotamiâ Syriæ, benedixitque ei,
℣. 10. Dicens: Non vocaberis ultrà Jacob, sed Israël erit nomen tuum. Et appellavit eum Israël.
℣. 11. Dixitque ei. Ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare: gentes, & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur.
℣. 12. Terramque, quam dedi Abraham, & Isaac, dabo tibi, & semini tuo post te.
℣. 13. Et recessit ab eo.
℣. 14. Ille verò erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & effundens oleum:
℣. 15. Vocansque nomen loci illius, Bethel.
℣. 16. Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam; in quâ cum parturiret Rachel,
℣. 17. Ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium.

COMMENTARIUS.

jecisse Jacobo redeunti in Chanaanitidem: sed in itinere morte occupatam, spe desiderioque suo fraudatam fuisse.

℣. 9. Apparuit autem iterum Deus Jacob. Præbuerat enim Deus videndum se primò in Sichem, mandans ut se in Bethel reciperet: secundò autem se dedit videndum, cùm venit Jacob in Bethel. Nec per quietem vel intus in mente hæc contigisse credimus, sed sub sensibilis figuræ aspectu: quod satis demonstrat illud ℣. 13: *Recessit ab eo*. Septuaginta: *Apparuit iterum in Luza*.

℣. 14. Libans libamina, et effundens oleum. Vino lavit, inunxitque oleo lapidis hujus verticem; unde mos, de quo alibi, oleum fundendi super lapides ad cultum consecratos. Theophrastus in Charactere Superstitiosi observat (o), prosterni illum coram omnibus lapidibus oleo perunctis. Vix credimus Jacobum erexisse in Bethel altare, nisi fortè altaris locum tenuerit lapis ille: quæ est Bonfrerii persuasio, censentis pariter oblatas ibi a viro sancto, tanquam voti reo, gregum suorum decimas. Interpretes quidam autumant, versiculum hunc epilogum esse eorum, quæ Jacob in Mesopotamiam contendens præstiterat superiùs narrata. Malunt alii, erectum ibi novum monumentum, vel erectum antea restituisse iterum, affuso vino & oleo. Utrumque probat S. Augustinus *q. 116 in Genesim*.

℣. 16. Venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam. Hebræus (p): *Et erat adhuc Kiberath terra, ad veniendum in Ephrat, & Rachel peperit, & induravit in pariendo ipsam*, difficilis erat partus. Inter obscuros Sacræ Scripturæ Textus hìc obscurissimus est, tenebras affundente voce illa *Kiberath*. Ter in Scripturâ recurrit, hìc, & infra XLVIII, 7; & 4 Reg. V, 19. S. Hieronymus bis vertit, *Verno tempore*; semel autem, *Electo terræ tempore*, quod idem est. Septuaginta habent hìc *Chabratha*, sed ℣. 19 reddunt *Hippodromum*; & cap. XLVIII, 7, jungunt hæc duo, *Hippodromus & Chabratha*. Porrò Hippodromi nomine spatium illud facilè designarunt, quod conficit equus in Hippodromo currens, quod alii ad duo stadia vel CCC passus, alii ad stadium definiunt. Aquila vertit: Κατὰ ὁδὸν τῆς γῆς, *Secundùm viam* quæ ducit e Bethel *Ephratam*.

Interpretes illi, qui radicem indagarunt vocis *Kibrath*, committuntur inter se; deducunt enim alii ex כרב, *Carab*, unde *Carban*, cribrum; ac si designaretur tempus, quo terra calore exsiccata finditur tanquam cribrum. Accersunt alii ex כבר, *Cabar* excolere; & vertunt jugerum terræ. Alii reddendam vocem censent, *Crescentiatam terra*, viam scilicet quæ inter utramque refectionem conficiendam jacet. Cajetanus: *Sicut prandium terra*; iter nempe ante prandium absolvendum, derivato en nomine ex ברה, *cibus*, & כ, *sicut*. In magnis Bibliis, apud Valtonium. & in tabulis Bibliorum Latinorum Vitræi constituitur Kibrat mensura CCC passuum Geometricorum, vel duorum stadiorum cum duabus ex quinque illius partibus.

Sed ex his versionibus nulla satisfacit. Præstat Textum ita reddere: Rachel pariendi doloribus oppressa est in viâ e Bethel ad Ephratam, *cùm ab Ephratâ abesset sulco terra*. Reputabitur fortè, hanc sulci terræ distantiam vagam esse nimis & inconstantem, ut eâ itineris intervallum designetur. Nihil sanè magis nostris moribus repugnaret, quàm ut simili mensurâ uteremur, quòd agri sint apud nos inæquales, inæquales proinde ferentes sulcos: sed non ita apud Veteres. Certam illi habebant longitudinem, & latitudinem, conficiendam ab uno boum jugo pro agris colendis; dimetiebantur autem illam CXX pedibus in latum, & cum in longum: *Jugerum vocabatur*, ait Plinius l. 15, c. 13, *quod uno jugo boum in die exarari posset. Actus, in quo boves agerentur, cùm aratur uno impetu justo. Hic erat* CXX *pedum; duplicatusque in longitudine jugerum faciebat*. Vide Co-

(o) Παντα λίθον λιπαρὸν προσκύνει.

(p) ויהי עוד כברת הארץ לבוא אפרתה

Digitized by Google

℣. 18. Egrediente autem animâ præ dolore, & imminente jam morte, vocavit nomen filii sui Benoni, id est, filius doloris mei: pater verò appellavit eum Benjamin, id est, filius dexteræ.

℣. 19. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem.

℣. 20. Erexitque Jacob titulum super sepulchrum ejus: Hic est titulus monumenti Rachel, usque in præsentem diem.

℣. 21. Egressus inde, fixit tabernaculum trans turrem gregis.

COMMENTARIUS.

Columellam l. 5, c. 2; & S. Isidorum *Originum* l. 15, c. 15. Mensuram excedentem designat Homerus longitudine sulcorum, quos imprimunt arantes muli; superare enim illos asserit boves arantes [q].

Non erat igitur a moribus Veterum alienum, ut locorum distantias sulcorum longitudine notarent. Eâ semel admissâ significatione in Textibus Scripturæ vocem *Kibrat* præferentibus, prona sunt omnia. Congruit in eam rem historiæ veritas, & Geographorum nostrorum testimonium, qui [r] Rachelis sepulchrum non longè a Bethlehem statuunt, Vix D passus removet Benjamin. Docent Hebræi, tantum itineris Sabbatho permitti, quantum duo Kiberat terræ hauriunt: prorogant autem hanc mensuram ad mille cubitos circiter, pedes scilicet MCC, si pedem cum dimidio in singulos cubitos computaveris; ac proinde CCXX passus, quinque pedibus pro unico passu numeratis. Congruunt hæc adamussim cum testimonio Plinii, de longitudine jugerum boum.

Nostram hanc sententiam confirmat etymologia Chaldæa & Syriaca vocis *Kiberath*, *vel Chirbeth*. כרב, *Karab*, est arare; כרוב, *Kerub*, bos; כרבה, *Karbah*, vomer. Pagninus reddit *milliare*; Montanus *Tractum*; Vatablus, Syriacus, Chaldæus *jugerum*. Certum quoddam terræ spatium his verbis designatur in 1 Libro Regum XIV, 14: *In mediâ parte jugeri, quam par boum in die arare consuevit*. Jonathas nempe & ejus armiger, XX homines occiderunt intra mediam partem agri, quem par boum in die arat.

℣. 18. Vocavit nomen filii sui Ben-Oni, idest, filius doloris mei. Deest in Hebræo expositio nominis *Benoni*, sicuti & cæteræ ejusmodi, quæ in Vulgatâ leguntur. Nec accidit arduum nosse causam, cur nomen illud Rachelis filio daretur. בן אוני *Ben-oni* sonare potest, filius doloris mei, laboris mei, roboris, luctûs, infortunii mei, nihili, vel iniquitatis. *Ben-jamin* exprimere potest filium dexteræ meæ, vel meridiei, quòd in eâ Chanaanitidis plagâ natus sit, quæ meridionalis est Mesopotamiæ & Sichem. Tandem accipi potest ex בן ימין *Ben-jamin*, filius diei, filius senectutis, ut Geneseos XLIV, 20, appellatur. Pro *Jamin* Samaritanus habet hîc *Jamim*; & Chaldæi pronunciant *Jamin* pro *Jamim*. *Benjamin* non rarò in Scripturâ appellatur *filius Jemini*, idest filius dexteræ meæ.

℣. 19. Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via, quæ ducit Ephratam. Ephratæ nomen non priùs inditum est ipsi Bethel, quàm post ingressum Hebræorum in Chanaanitidem. Nomen illud obtinuit ex Ephratâ, uxore Caleb. Jacet sepulchrum Rachelis in bivio, M circiter passus a Bethel. Stetit pro monumento columna, quam S. Hieronymus appellat hîc ℣. 20, *titulum*; Septuaginta Στήλην, *columnam*. Porrò erigendi columnas supra mortuorum sepulchra mos totâ antiquitate spectatur. Meminit Scriptura columnæ Absalomi: meminit & Homerus ejusmodi columnarum [s]. Inde sepulchro Racheli impositum est monumentum ex duodecim lapidibus, quibus sustinetur concameratus angustusque fornix, quatuor impositus pilis, juxta Benjaminum Tudelensem: fornix autem iste pro basi est elegantissimæ pyramidi, ait Bochartus in Descriptione Terræ sanctæ.

℣. 21. Egressus inde fixit tabernaculum trans turrem gregis. Ejus nominis locum fuisse in viciniis Jerusalem, intelligimus ex Micheæ IV, 8: *Et tu turris gregis nebulosa filia Sion &c.* Ipsissimam autem turrim censent Hebræi [t], de qua hîc sermo: eodemque in loco deinde templum. Asserunt alii (u) Turrim gregis, ad quam Jacob tentoria fixit, constitutam fuisse mille circiter passus a Bethlehem, Orientem versùs; eumdemque locum pascuorum opportunitate celebrari plurimùm; ibidemque spectatum a pastoribus Angelum, eùm de ortu Servatoris lætum nuncium tulit. Erant in usum pastorum in arvis turres, unde scilicet excubias agerent gregibus, prospicerentque fures, quibus sunt loca illa, si quæ alia uspiam, infestissima.

(q) *Iliad.* K

Α'λλ' ὅτε δὴ ῥ' ἀπέην ὅσσον τ' ἐπὶ οὖρα πέλονται
Ἡμιόνων (αἱ γάρ τε βοῶν προφερέστεραί εἰσιν
Ἑλκέμεναι νειοῖο βαθείης πηκτὸν ἄροτρον)
Τὼ μὲν ἐπεδραμέτην.

Vide & Odyss. Θ. v. 124.

Ὅσσον τ' ἐν νειῷ οὖρον πέλει ἡμιονοῖϊν, &c.

(r) *Eusebius, Hieronymus, Benjamin, Brocardus, &c.* (s) *Iliad.* Λ, *vers.* 371.

Στήλῃ κεκλιμένος ἀνδροκμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ.

Vide etiam Iliad. P, *vers.* 434. (t) *Hieron. quæst. Hebr.* [u] *Tost. & Adrichom. & alii.*

℣. 22. Cùmque habitaret in illâ regione, abiit Ruben, & dormivit cum Balâ concubinâ patris sui: quod illum minimè latuit. Erant autem filii Jacob duodecim.

℣. 23. Filii Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Levi, & Judas, & Issachar, & Zabulon.

℣. 24. Filii Rachel: Joseph, & Benjamin.

℣. 25. Filii Balæ ancillæ Rachelis: Dan, & Nephtali.

℣. 26. Filii Zelphæ ancillæ Liæ: Gad, & Aser: hi sunt filii Jacob, qui nati sunt ei in Mesopotamiâ Syriæ.

Ann. Mun. 2288. ℣. 27. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, civitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham, & Isaac.

℣. 28. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum.

COMMENTARIUS.

℣. 22. Dormivit cum Bala concubina patris sui. Veteres Rabbini explicabant hunc locum ad literam, ut intelligimus *ex libro de benedictionibus Patriarcharum cap. 2*. Sed recentiores ex iis quidam apud Fagium tradunt, Ruben cùm egrè ferret, quòd Jacob post obitum Rachelis thorum suum in tentorium Balæ, neglectâ Liâ, transtulisset; tentorium illud ingressum, dejecisse thorum. Quantæ est audaciæ apertissimum Textum hisce tricis implicare? Vide cap. XLIX, 4, ubi Jacob infame illud facinus Ruben tacitè notat.

℣. 26. Qui nati sunt ei in Mesopotamia. Veteres quidam (x) legebant: *Qui facti sunt*, ἐγένοντο; ex quo nodus omnis solvebatur, quòd Benjamin non in Mesopotamia natus sit, sed in Chananitide. Contendunt, illum, in Mesopotamiâ quidem conceptum, ad vitæ auras non nisi in Palestinâ venisse. Hoc Chronologiæ quidem nostræ non repugnat; sed præstat vulgò cum interpretibus dicere, Moysem constituere hîc, filios omnes Jacobi natos fuisse in Mesopotamia; quòd omnes re ipsâ eam regionem natalem haberent, excepto Benjamin, qui in majori numero confunditur. Eâdem ratione, etiam post lapsum Judæ, duodecim Apostoli dicuntur, quamvis re ipsâ undecim non excederent; nec plures, quàm duodecim, numerari unquam consuevere, quamvis auctis Matthiâ & S. Paulo, tredecim essent.

℣. 27. In Mambre civitatem Arbee: hæc est Hebron. Mambre vallis est, morâ Abrahami celeberrima, proxima Hebroni, cognomento Arbee, de nomine Gigantis in eâ regione inclyti. Vertunt Septuaginta (y): *Venit in Mambre, in urbem agri, ipsa est Hebron in terrâ Chanaan.*

℣. 28. Completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum; consumptusque ætate mortuus est. Hebræus (z): *Et obiit & mortuus est*. Septuaginta: *Deficiens mortuus est*. Obiit vir sanctus post XLII annos ab eo morbo, in quo bona precatus est Jacob: nec difficilè credimus, convaluisse illum ab eodem morbo. Patres omnes nosse professi sunt in Isaaco absolutissimam Servatoris nostri imaginem. Ejus ortus diu multumque expectatus, iteratisque oraculis prænunciatus: ejus nomen, risum exprimens & gaudium parentum, non obscurè Jesum Christum pronunciatum, expectatum, optatum a Patriarchis & Prophetis, quorum solatium unicum esset, gaudium, expectatio, referebant. Quo se patri suo ad mortem usque subdidit obsequio Isaac; iter ejus ad Moriaȝ sacrificium, quod ad consummandum præstò ipse pariter ligna tulit; agnus ejus loco immolatus exhibent sacrificium Jesu Christi, vivis adeò coloribus expressum, ut ne falli quidem volentes possint.

Ismaël certans & malè habens Isaacum, quòd graviter ferret excidisse se jure speratæ hæreditatis, depulsus cum matre, nonne typus est Synagogæ ab hæreditate exclusæ, ac loco pulsæ, ut admeretur legitimus filius Jesus Christus, & Christi fideles, quibuscum jura sua Christus communicavit, fratris nomine concesso & gratiam adoptionis Patris sui illis promerens? Rebecca in uxorem Isaaco tam longè quæsita, & deducta ad hæredem Abrahami; Rebecca in tentorium Saræ introducta, cujus consuetudine Isaac amissæ matris oblitus est, ipsissima est Ecclesia Christiana, quæsita & deducta e medio remotissimi populi, sed prædestinata, in locum substituitur amplæ Synagogæ; suâque ad Deum sincerâ & perfectâ conversione excedit plurimum meritum Ecclesiæ Judaicæ, ac majori amore præ illâ dignam se præbet.

Tandem morbus & cæcitas Isaaci; quibus fallentibus benedictionem suam contulit Jacobo, excluso Esaü, in mentem reducunt Jesum Christum, qui coactus quodammodo Synagogam reprobavit, quam eò usque & adhuc paterno amore prosequebatur; collectamque e gentibus Ecclesiam ejus loco substituit. Hæc sedulitate suâ æmulam prævênit; quippe quæ nimis fidens meritis suis & juri, quod jactitabat, primoris natu, ratum sibi assertumque jus illud futurum minimè dubitabat. Nimia meritorum suorum confidentia Synagogam perdidit; cùm vicissim solicitudo & animi demissio ad tantæ felicitatis statum evexerit Ecclesiam. His aliisque plurimis instituitur parallelus inter Isaacum & Jesum Christum: aliis, inquam, pluribus; neque enim Jesu Christi dotes seu vividiùs seu pleniùs nemo e Patriarchis expressit.

℣. 29.

(x) *Apud Aug. quæst. 117 in Genes.* (y) Εἰς Μαμβρῆ, εἰς πόλιν τοῦ πεδίου, αὕτη ἐστὶ Χεβρὼν ἐν γῇ Χαναάν. (z) ויגוע יצחק וימת *Septuag.* Ἐκλιπὼν Ισαὰκ ἀπέθανε.

℣. 29. Consumptusque ætate mortuus est: & appositus est populo suo senex, & plenus dierum: & sepelierunt eum Esaü, & Jacob filii sui.

COMMENTARIUS.

℣. 29. Appositus est populo suo. Obijt, uti cæteri patres sui: sepultus est cum illis. Illis additus est in alterâ vitâ, opperiens Redemptoris adventum: illatus est cum illis in tumulum, ut resurrectionem expectaret. Locum, quò justorum animæ colligebantur, appellat Scriptura *Sinum Abrahæ*; & Ecclesia in Symbolo, *Inferos*: *Descendit ad Inferos*; Theologi nostrates *Lymbum*.

Obitus Isaaci refertur hic extra suum ordinem naturalem & chronologicum; cujus rei in causâ fuit, quòd commodum censuerit Historicus hic illum adscribere, ne semel susceptam historiam Patriarchæ Josephi, intra quam incidit, abrumpere cogeretur.

Senex et plenus dierum. Vide. Genes. 25, 8. Horatius lib. 1, Satyrâ 1.

Inde fit, ut rarò qui se vixisse beatum
Dicat, & exacto contentus tempore vitæ
Cedat, uti conviva satur.

CAPUT XXXVI.

Genealogia filiorum Esaü.

℣. 1. HÆ sunt autem generationes Esaü, ipse est Edom

COMMENTARIUS.

℣. 1. HÆ sunt generationes Esau. In ipso Genealogiæ hujus limine quædam animadvertenda sunt. I, Occurrit hic genealogia non tantùm filiorum & nepotum Esaü, sed & posterorum Seir Horræi; quæ sedulò a cæteris aliis distinguenda est. Quæ pertinent ad Esaü, habes a ℣. 1 usque ad 20: quæ ad alterum, a 20 usque ad 31.

II, Observandum est, Moysem distinguere filios Esaü natos in Chananæitide ab aliis in terrâ Seir natis: priores illi proximè ex ipso nati sunt; alii nepotum jure ad illum pertinent. Illi numerantur septem prioribus versibus; hi duodecim sequentibus.

III, Sedulò distinguendæ sunt tres inter se discrepantes Reipublicæ gubernandæ rationes in Idumæâ, quæ se invicem altera alteram excepêre. Omnium prima est, cùm familiarum Principes vel Patriarchæ, in proprias singuli familias imperabant. *Duces* appellantur, Hebraicè אלופים, *Alluphim*. Eorum catalogus exhibetur a ℣. 15 usque ad 21. Successerunt Reges, qui post Patriarchas rerum potiti sunt in Idumæâ, descripti a ℣. 31 usque ad 40. Tertii tandem venerunt *Duces* vel *Principes*, quorum seriem habes a ℣. 40 ad exitum usque capitis.

E nostris Interpretibus nonnulli autumarunt, Reipublicæ statum sub Principibus hisce Aristocraticum fuisse; sub Regibus Monarchicum; itaut Idumæi post gubernatam ab exordio Rempublicam legibus Aristocratiæ, tandem in Imperium Monarchicum degenerarint, tum ad Aristocraticum redierint. Sed cùm in obscuro sit omninò status Reipublicæ sub Ducibus, vel Chiliarchis, *Alluphim*, nihil eâ de re certi determinandum est. Illud constat, Patriarcharum in familias suas authoritatem parum vel nihil abfuisse ab Imperio Regum in subditos.

IV, Esaü tres habuit uxores *Oholibamah*, *Ada*, & *Basemath*. E priore illâ nati Jehus, Jhelon, & Core: ex alterâ natos Eliphaz; ex Basemath, Rahuel. De posteris filiorum Oholibamah nihil tradit Moyses. Ex Eliphaz geniti Theman, Omar, Sepho, Gatham, Cenez, & Amalec.

Ex Rahuele natus Nahath, Zara, Samma, & Meza. Huc reducitur prodigiosus, pro aliquorum opinione, numerus generationum ab Esaü ad Moysem. Si quis propiùs animadvertat, tantùm aberit, ut genealogiam istam numero hominum abundasse dicat, ut potiùs quin etiam fateri cogatur, a Moyse aliquid omissum, vel notata esse tantùm ea, quæ consilio suo servirent, nempe ut Israëlitas doceret de Tribubus & regione Idumæorum, quò ab armis inferendis in illos sese continerent, juxta datum a Deo eâ de re præceptum. Nec sanè ambigendum est, de industria omissam a Moyse filiorum Oholibamah genealogiam.

V, Sunt quibus negotium facessat ingens numerus Regum & Principum, quos hic Moyses recenset, rati auctum, additum, productum, factâ ab alio quopiam accessione; verba autem illa, *Reges qui regnaverunt in terrâ Edom, antequam haberent Regem filii Israël, fuerunt hi*, non obscurè demonstrare, seriem hanc posteriorem esse Saule vel Davide, quo tempore in Israële Reges cœperunt.

Reponitur verò his, nec incongruè, I, verbis illis ℣. 31 designari facilè, Idumæos paruisse per varia tempora & loca Regibus alienigenis, antequam propriis Regibus gubernarentur Israëlitæ.

II, Reges Edom in totâ quidem gente nequaquam regnabant, sed præficiebantur sive regioni, sive Urbi singulari: nec aliter insinuat Moyses, illos Regis nomine appellans; & quando scribit, eam Regum seriem in Idumæâ successisse, *antequam haberent Regem filii Israël*, perinde valent ejus verba, ac si scriberet: Hæc apud Idumæos contigerunt, antequam in Israële aliquis publicâ authoritate, sive Judicis, sive Ducis nomine potiretur, & antequam ego ipse gubernandum populum

℣. 2. Esaü accepit uxores de filiabus Chanaan : Ada filiam Elon Hethæi, & Oholibama filiam Anæ filiæ Sebeon Hevæi : ℣. 3. Basemath quoque filiam Ismaël sororem Nabajoth.

COMMENTARIUS.

lum susciperem (*a*) Idumæorum gens jam coaluerat; certus erat Reipublicæ status apud Idumæos; nec Urbibus destituti erant, nec Ducibus sub Regum nomine, antequam Israëlitis vel certæ sedes, vel Reipublicæ forma, vel Ducum fixa series constituta esset.

Quam hîc interpretationem titulo Regis tribuimus, confirmat Scriptura, eodem pariter donans interdum Judices, Præfectos, Magistratus, ut Abimelechum filium Gedeonis (*b*), Judices alios (*c*), ac ipsum pariter Moysem (*d*). Jephte Regiâ potestate (*e*) bellum indicit in Ephraimitas: Dispotico utens imperio Gedeon, ultimo supplicio damnat filios Socoth & Phanuël (*f*). Statuit denique Procopius veluti generale quoddam axioma, solemne fuisse gentibus alienigenis, ut Regum nomina Duces suos appellarent; & sanè Reges spectabantur in singulis fermè Palestinæ Urbibus, cùm Josue regionem ingressus est.

Cùm itaque Moyses scribit, ante suam ætatem nullum in Israële fuisse Regem, exprimitur tantùm his verbis, quod licèt ante unitam a se Rempublicam, singulis Hebræorum familiis suus fuisset Princeps, qui jure primoris natu cæteris fratribus imperaret; singulisque Tribubus suum præfuisset Caput, qui jura in totam eam Tribum daret; neminem tamen eò usque in universam gentem imperasse: se verò primum gentis totius Imperatorem, Regiâ authoritate moderantem populum, jure tamen a Deo, qui se ipsum Monarcham populi sui fecerat, secundario.

Quod attinet ad Reges Idumææ, de quibus hîc Moyses, plura in ejus historiâ animadvertenda. I, Cùm Reges illi octo numerum non excedant, nunquam pervenire potuerunt ad ætatem Saulis, vel Davidis, qui Idumæos sub jugum misit. Id tamen necesse fuisset contingere, si series hæc Regum textui Mosaicò recentiori manu accessisset. II, Arduum profectò non est, numerum illum Regum in Idumæâ regnasse, ex quo tempore Esaü Horrhæos e suis montibus pepulit, ad Moysis usque ætatem, cc circiter annorum intervallo; quamquam pones, Principes illos ordine alterum post alterum in eodem loco sibi successisse: quod tamen repugnare videtur ℣℣. 31 & 32, ferentibus, Reges illos è variis locis in imperium venisse. III, Tandem facilè intelligimus, fortè nunquam Regibus caruisse Idumæam, saltem in aliquâ sui regione, e. g. in Idumæâ Orientali, cùm interim in aliis provinciæ locis præessent Duces vel Principes.

His salebræ omnes hujus capitis facilè explanantur. Idem pariter argumentum tractabimus in I Paralipomenon, 1, 43; ubi pariter excutiemus argumenta oppositæ sententiæ validiora. Modò succedendum est ad expositionem literalem.

℣. 2. OOLIBAMA FILIAM ANÆ FILIÆ SEBEON HEVÆI. Discrimen aliquod offenditur inter nomina uxorum Esaü hîc relata, & quæ exprimuntur in Capp. XXVI, & XXVII. *Oholibama* enim appellatur *Judith* in capite XXVI, 34, & *Basemath* quæ hîc Ada; & quæ hîc *Basemath* ibidem cap. XXVIII, 9 est *Mahelet*. Interpretes quidam in animum inducere non possunt, tres illas fœminas, de quibus hîc, ipsissimas esse, de quibus alibi; sed suspicionis suæ non alia proferunt argumenta, quàm nominum discrimen; validum illud quidem, cùm aliis rationibus fulcitur, sed his destitutum, nullius est ponderis in Scripturâ, in qua nihil familiarius, quàm ut unus idemque homo variis nominibus designetur.

FILIAM ANÆ FILIÆ SEBEON HEVÆI. Nomen Ana viris æquè convenit ac fœminis, ac proinde vir ne an fœmina designetur, non satis convenit inter Scriptores. Vulgata & Hebræus (*g*): *Ana filia Zebeon*. Verùm Septuaginta, & Exemplaria quædam Latina habent: *Filii Sebeon*; quam lectionem confirmat ℣. 24, ubi Ana inter filios Sebeon recensetur. *Hi filii Sebeon, Aia & Ana; iste est Ana, &c.* Reddi potest Hebræus, & Chaldæus: *Filiam Ana, filiam* (neptem) *Sebeon Hevæi*, atque ita conciliatur antilogia ℣℣. 2, & 24, constituto Ana pro patre naturali Oholibamæ, & avo Sebeone. Solemne est Scripturæ, nepies filiæ nomine appellare.

Alium etiam nodum exhibet Sebeon *Hevæus* nomine hîc dictus, qui capite XXVI, 34 appellatur *Beeri Hethæus*. His tamen reponimus, non difficiliori negocio nomina *Hevæi*, & *Hethæi* conciliari, quàm nomina *Beeri*, & *Sebeon*. Sedium mutatione contigisse potuit, ut vir, Hethæus origine, *Hevæi* cognomen obtineret. Et quis non intelligat, Sebeonem ipsum inter Horræos hîc recenseri, quòd communem cum gentibus illis aliquandiu sedem habuerit?

Interpretum alii contendunt, has nodum solvendi rationes inanes esse omnes, quòd nodus quæratur in scirpo, ubi scilicet nodus est nullus. Sebeon & Ana ℣. 24, alii sunt planè ab Ana & Sebeone ℣. 2; hi etenim Hethæi sunt; illi Hevæi, & Horræi. Priores genus referunt e Seir, quocum nullo fœdere junctus est Esaü; quin & bellis plurimis Familiam illam lacessens, sedibus tandem patriis exuit. Postremi Hevæi sunt, & cum Esaü fœderati; Ana ℣. 2, mater est Oholibamæ vel Judith; ejusque pater est Sebeon vel Beeri; Ana ℣. 24, filius est Sebeonis Horræi, patris Oholibamæ, cujus feri mores & tumor, nomine ipso (*h*) significatus, eamdem facilè appellationem indiderunt mulieri Chananææ, uxori Esaü, fœminæ tumidæ & audaci. Hæc Interpretum quorumdam meditatio. Nonne tamen proniùs esset, si reputaremus, Esaü domitâ regione Seir, & Urbe Oholibamâ, hanc ipsam Urbem muneris loco dedisse Judith uxori suæ, ejusdemque urbis nomine eam appellasse: quod enim persuadet Oholibamam nomen esse loci alicujus, illud est, nimirum hîc ℣. 41, & I Paral. 1, 52,

(*a*) *Abenezra, Grot. Philo de vitâ Mosis, lib.* 2: *Fuit Moses & Rex, & Legislator, & Propheta, & Pontifex.* (b) *Judic.* IX, 6. (c) *Jud.* XXI, 25. (d) *Deut.* XXXIII, 5. (e) *Judic.* XII, 6. (f) *Judic.* VIII, 16, 19. (g) בת ענה בת צבעון החוי (h) אהלי במה *sanat, Tentorium meum excelsum, vel Celsitudo tentorii mei.*

℣. 4. Peperit autem Ada, Eliphaz: Basemath genuit Rahuel:

℣. 5. Oholibama genuit Iehus, & Jhelon, & Core: hi filii Esaü, qui nati sunt ei in terra Chanaan.

℣. 6. Tulit autem Esaü uxores suas, & filios, & filias, & omnem animam domus suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta, quæ habere poterat in terrâ Chanaam, & abiit in regionem, recessitque a fratre suo Jacob.

℣. 7. Divites enim erant valde, & simul habitare non poterant: nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum.

℣. 8. Habitavitque Esaü in monte Seïr, ipse est Edom.

℣. 9. Hæ autem sunt generationes Esaü patris Edom in monte Seïr:

℣. 10. Et hæc nomina filiorum ejus Eliphaz filius Ada uxoris Esaü: Rahuel quoque filius Basemath uxoris ejus.

℣. 11. Fueruntque Eliphaz filii: Themam, Omar, Sepho, & Gatham, & Cenez.

℣. 12. Erat autem Thamna, concubina Eliphaz filii Esaü: quæ peperit ei Amalech: hi sunt filii Ada uxoris Esaü.

℣. 13. Filii autem Rahuel: Nahath, & Zara, Samma, & Meza: hi filii Basemath uxoris Esaü.

℣. 14. Isti quoque erant filii Oholibama filiæ Anæ filiæ Sebeon, uxoris Esaü, quos genuit ei, Jehus, & Ihelon, & Core.

℣. 15. Hi duces filiorum Esaü: Filii Eliphaz primogeniti Esaü: dux Themam, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez.

COMMENTARIUS.

occurrere Principem quemdam Oholibamæ. Reliqua difficiliùs solvuntur.

℣. 4. PEPERIT ADA ELIPHAZ. S. Hieronymus, quem Interpretes plurimi sequuntur, hunc eumdem Eliphaz esse Themanitem, de quo in Job: sed præstat hunc virum avum, sive abavum amici Jobi constituere; eumdemque viri sancti amicum ponere filium Theman, & nepotem sive abnepotem Eliphaz filii Esaü.

℣. 5. HI FILII ESAU, QUI NATI SUNT EI IN TERRA CHANAAN: Substitit aliquandiu Esaü inter Hethæos, vel Hevæos, viros amicitiâ sibi conjunctos, e quibus duas priores uxores in thorum adsciverat. In eâ regione filios habuit, præcedentibus versiculis recensitos. Natis autem illis in terrâ Chanaan, pater conjuges elegit in regione Seir, postquam eò regressus est; qui filios ibidem procrearunt, de quibus in versiculis 9, 10, &c.

℣. 6. TULIT AUTEM ESAU CUNCTA, QUÆ HABERE POTERAT IN TERRA CHANAAN, ET ABIIT IN ALTERAM REGIONEM. Hebræus tantùm: *Accepit... omnem substantiam, quam acquisierat in Terrâ Chanaan, & ivit ad terram* (recedens) *a facie Jacob fratris sui*. Fert Chaldæus, abiisse illum *in terram aliam*. Quò ierit, non docent Septuaginta, sed tantùm secessisse e Chanaan, ut locum faceret Jacobo. Vatablus, aliique nonnulli ita reddunt Hebræum [*i*]: *Abiit in terram* (*eamdem, sed in locum remotiorem*). Ita pariter suppleri possunt, quæ deesse videntur in Hebræo: *Abiit Esaü in regionem suam*, in locum ubi priùs moratus fuerat, in Seir, sive in Idumæam.

Defendunt Judæi, sed temerè prorsus, Esaü fratris metu abiisse. Reddunt nonnulli (*k*) Textum: *Recesserat Esaü in terram aliam, antequam veniret Jacob*: sed historiæ series veram recessûs Esaü causam pandit, nimirùm gregem utriusque majorem, quàm ut simul pascuis ejus regionis aleretur [*l*]. Jacob & Esaü omnes posuerant simultates. Post obitum & funera communis patris Isaaci, vitam aliquo temporis spatio simul egerunt. Esaü, qui in regione Seir sedes olim habuerat, & nunquam removerat ab illâ animum, eò libens recessit, ut libera relinqueret Jacobo pascua, quæ alendis gregibus Isaaci deservierant.

℣. 9. HÆ GENERATIONES ESAU PATRIS EDOM IN MONTE SEIR; i.e. hi sunt filiorum ipsius; hic census nepotum ipsius, qui nati sunt illi in regione Seir.

℣. 12. THAMNA CONCUBINA ELIPHAZ. Thamna erat ipsi Eliphaz quod Agar & Cethura Abrahamo; uxores nempe secundariæ.

℣. 14. FILIÆ ANÆ FILIÆ SEBEON. Septuaginta: *Filia Ana filii Sebegon*; uti ℣. 2, quem vide.

℣. 15. HI DUCES FILIORUM ESAU, FILII ELIPHAZ

(*i*) וילך אל ארץ מפני יעקב אחיו (*k*) *Glass. & Junius*. (*l*) ℣. 7.

℣. 16. Dux Core, dux Gathan, dux Amalech: hi filii Eliphaz
in terrâ Edom, & hi filii Ada.
℣. 17. Hi quoque filii Rahuel filii Esaü: dux Nahath, dux Zara,
dux Samma, dux Meza: hi autem duces Rahuel in terrâ
Edom: & isti filii Basemath uxoris Esaü.
℣. 18. Hi autem filii Oholibama uxoris Esaü: dux Jehus, dux
Ihelon, dux Core: hi duces Oholibama filiæ Anæ uxoris
Esaü.
℣. 19. Isti sunt Filii Esaü, & hi duces eorum: ipse est Edom.
℣. 20. Isti sunt filii Seir Horræi habitatores terræ: Lothan & Sobal, & Sebeon, & Ana.
℣. 21. Et Dison, & Eser, & Disan: hi duces Horrei, filii Seir,
in terrâ Edom.
℣. 22. Facti sunt autem filii Lothan: Hori, & Heman; erat autem soror Lotan, Thamna.
℣. 23. Et isti filii Sobal: Alvan, & Manahat, & Ebal, & Sepho,
& Onam.
℣. 24. Et hi filii Sebeon: Aia, & Ana. Iste est Ana, qui invênit
aquas calidas in solitudine, cùm pasceret asinos Sebeon patris
sui.

COMMENTARIUS.

PHAZ PRIMOGENITI ESAU, DUX THEMAN, DUX OMAR. Hæc classis primatorum, qui supremam potestatem obtinuerunt in Idumæâ titulo Principum Tribuum, vel Chiliarchorum; congruit enim Græcum Χιλίαρχοι, *Chiliarchi*, cum Hebræo אלופים *Aluphim*. Author Vulgatæ, qui Aluphim hîc vertit *Duces*, reddit alibi *Mille* (m), vel *Princeps* (n). Erant in Judæâ Urbes sub potestate Chiliarchorum; hujus generis erat Bethlehem; & Zacharias IX. 7, futurum prædicit, ut Azotus ad earum Urbium conditionem redigatur, quæ parent Aluphim Israëlis. Ipsæ pariter Urbes interdum sub eo nomine censentur.

Erant igitur Aluphim Idumæorum, Principes Tribuum, non abludentes ab iis, quos Hebræi eodem pariter nomine Principes Tribuum נשיאים appellabant. *Vide quatuor prima Capita Numerorum*. Principibus autem his Idumææ suberat vel Urbs, vel regio unius singularis Tribûs filiorum Esaü; e. g. Patriarchæ Eliphaz natus est filius Theman, qui fuit Princeps Themanitarum, idest, filiorum, & nepotum suorum. Hoc statuunt discrimen RR. inter Principes & Reges, quòd Reges, non item Principes, diademate coronarentur.

℣. 16. HI FILII ELIPHAZ IN TERRA EDOM. Hebræus: *Hi Principes Eliphaz*. Princeps *Core* in capite hujus versiculi occurrens non legitur ℣. 11 inter filios Eliphaz; deest pariter in Paralipomenis.

℣. 19. IPSE EST EDOM. Septuaginta: Οὗτοι εἰσὶ υἱοὶ Ἐδώμ. *Hi sunt filii Edom*. Abenezra: *Ipse est pater Idumæorum*.

℣. 20. FILII SEIR HORRÆI HABITATORES TERRÆ. Septuaginta *Filii Seir, habitantis terram*. Sed optimus est Vulgatæ sensus, Hebræo cohærens. Horræi, quorum hîc census, omnium primi tenuerunt regionem Seïr, vel regionem Horræorum, seu tandem Idumæorum, quæ deinde cessit Esaü, ejusque posteris, *Genes.* XIV, 6.

℣. 21. HI DUCES HORRÆI FILII SEIR IN TERRA EDOM; idest, Hi filii Seir, veteris incolæ regionum, quæ deinde ipsi Edom ac posteris cesserunt; & hæc nomina Principum Seir, jura dantium in his regionibus. Posteri Seïr & Esaü confusas habuisse sedes in iisdem provinciis videntur, iisdemque plures eodem tempore fuisse Principes, variis in urbibus constituti. Confer versum hunc 21 cum 30; intelligesque non obscurè fuisse ex Principibus Seïr, qui in regione Seir, & qui in Edom regnarent; & factâ simul collatione Genealogiarum Seïr & Esaü, planè constat, Principes illos eodem simul tempore Regnum habuisse.

℣. 24. ISTE EST ANA, QUI INVENIT AQUAS CALIDAS IN SOLITUDINE, CUM PASCERET ASINOS SEBAON PATRIS SUI. Hebræum *Jeamim* (o), quod S. Hieronymo hîc est *Aquas calidas*, exercuit maximè Interpretes. Septuaginta & Græci alii Interpretes servarunt vocem *Jamin*, vel *Jamim*. Septuaginta, & Theodotion in singulari legunt: *Invenit Jamin*; Aquila, & Symmachus in plurali: *Jamim*. Interpretes nostrates in varias abeunt sententias: contendunt alii inventas ab Anâ in deserto aquarum scaturigines (p), cùm pasceret asinos patris sui. Neque hoc minimi habendum erat in regione maximè arenti & desertâ. Hebræum *Jam* est mare: & aquarum ingentia receptacula omnia eo nomine appellant Hebræi.

Author Vulgatæ in Exemplaribus suis legisse videtur חמים, *Chammaim*, balnea, vel aquas calidas. Asserendum autem suscipimus, si Moyses com-

(m) *Isa.* LX, 22: *Minimus erit in mille*; Minimus fiet Princeps mille hominum. (n) *Mich.* V, 2.
(o) מצא את הימים *Septuag*: ὃς εὗρε τὸν ἰαμὶν (p) *Syr. Fontem. Diodor. in Catenis Græc.* Ἐδρᾶ λέγει πηγὴν αὐτὸν εὑρηκέναι. ἡ γὰρ πηγὴ ἰαμὶν καλεῖται τῇ Σύρων φωνῇ.

℣. 25. Habuitque filium Diſon, & filiam Oholibama.
℣. 26. Et iſti filii Diſon: Hamdan, & Eſeban, & Jethran, & Charan.
℣. 27. Hi quoque filii Eſer: Balaan, & Zavan, & Acan.
℣. 28. Habuit autem filios Diſan: Hus, & Aram.
℣. 29. Hi duces Horræorum: dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana,
℣. 30. Dux Diſon, dux Eſer, dux Diſan: iſti duces Horræorum, qui imperaverunt in terrâ Seïr.
℣. 31. Reges autem, qui regnaverunt in terrâ Edom, antequam haberent regem filii Iſraël, fuerunt hi.
℣. 32. Bela filius Beor, nomenque urbis ejus Denaba.
℣. 33. Mortuus eſt autem Bela, & regnavit pro eo Jobab filius Zaræ de Boſra.

COMMENTARIUS.

commemorandam hìc duxit inventionem fontis cujuſdam vel lacûs, id præſtitum ab illo, quòd res eſſet Hebræis ætatis ſuæ nota, ſimulque ad deſertum illud attinens, ubi tunc verſabantur: ut quid enim alioqui hoc Moyſes animadvertiſſet? Invênit lacum vel fontem in deſerto: nihil exprimens ſive de nomine lacûs, ſive de loco; niſi fortè ſermonem eâ de re haberet, quam circumſtantiæ ſatis per ſe diſtinguerent, & veluti præſens adeſſet illis, quibus author ſcribebat.

Aliis Hebræum *Jemim* eſt *Muli*; quæ ſententia invaluit plurimùm, notaturque a S. Hieronymo in ſuis quæſtionibus Hebraicis. Aſſerit ille, ſententiam eſſe plurimorum, Anam junxiſſe aſinos ſylveſtres cum ſuis aſellis fœminis, natoſque ex illis pullos perniciſſimos, quibus datum nomen *Jammin*. Malunt alii, proſequitur ille, virum hunc junctis ſimul aſinis ſuis cum jumentorum fœmellis, mulos procuraſſe. Jonathan, quem Rabbinorum plerique ſequuntur, tuetur hanc ſententiam, quamquam nullo alio Scripturæ fundamento fultam, niſi quòd Ana in deſerto aſinos cuſtodiret. Porrò mulos nomine *Jammin* nullibi deſignatos legimus; tantùmque abeſt ut illi poſt Ana propagarentur, ut etiam nullibi locorum commemorentur in Scripturâ, non in recenſendis gregibus Iſraëlitarum, non in deſcribendâ prædâ ex hoſtibus captâ: ſolùm ſub Davide mentio illorum fieri cœpit. R. Abraham Sephorat, apud Munſterum nomine *Jemim* deſignatos Dæmones, Satyros, putat.

Alii tandem eo nomine gentem quamdam ſignificari defendunt; in quam ſententiam conceſſiſſe videntur Græcorum Interpretes. Onkelos reddit *Robuſtos*; quo nomine vel Gigantes, vel homines robuſti, vel multi deſignantur. Textus & verſio Samaritana legunt חימם *Haemim*, Hemæos, cujus gentis meminit Moyſes; erant autem gigantum genus, velut Enacim (*q*), Horræis, quorum unus erat Ana, vicini. Itaque juxta Textûs hujus ideam Moyſes innuere videtur, Anam paſcentem in Deſerto aſinos patris ſui incidiſſe in Emim, quibuſcum vel manum conſeruit, vel aliquid præſtitit memorabile, quod non exprimit quidem Author, ſed ætate illâ ſatis innoteſcebat. Vox Hebræa מצא, quæ hìc redditur *Invênit*, ſonat interdum irruere, opprimere hoſtem, inſidias detegere (*r*). Nemo utique divinaverit, cur hæc circumſtantia addita ſit: *Ana paſcebat aſinos patris ſui*. Sed reputandum eſt, nihil ſuperfluum referri hìc ad hiſtoriam; quæ cùm conciſiſſimis verbis innatur, nullam clariorem de ſe ideam præbet. Simili exemplo legimus ℣. 35: *Adad percuſſit Madian in regione Moab*; & nihil ulteriùs.

℣. 30. Isti duces Horræorum, qui imperaverunt in terra Seir. Hebræus: *Iſti Duces Horrai in ducibus eorum* [donec habuerunt Duces] *in terrâ Seir*. Duces iſti, quemadmodum & Idumæorum, *Aluphim* appellantur; inſinuatumque videtur, juxta ſeriem hiſtoriæ a Moyſe relatæ, Reges Idumæorum tum primùm cœpiſſe, cùm Horræorum regionem occuparunt: ſtatim enim ſubditur:

℣. 31. Antequam haberent Regem filii Israel, fuerunt hi. Obſervavimus ſuperiùs, Reges illos fortè alienigenas fuiſſe. Conſtat utique, continuatâ ſerie de patre in filium non ſucceſſiſſe. Quid faceſſerent negocii verba illa, *antequam haberent Regem filii Iſraël*, ſupra expendimus.

℣. 32. Nomen Urbis ejus Denaba. Geminas hujus nominis Urbes agnoſcit S. Hieronymus. Ea, cujus hìc mentio, eſt VIII.M. paſſuum ab Areopoli, propius accedendo ad torrentem Arnon. Sita eſt altera in monte Phegor VIII. M. paſſuum ab Esbus. Eſt pariter Urbs Denaba in Palmyrænâ apud Ptolemæum (*s*). An S. Hieronymus duas cognomines Urbes meritò cognoverit, ambigo: unam habet Euſebius, quæ utique conſtitui ſimul poteſt VIII M paſſuum ab Areopoli, & VII. M. ab Eſebon.

℣. 33. Jobab .... de Bosra. Vulgò perſuaſum eſt, ipſiſſimum hunc eſſe S. Jobum patientiæ exemplum illuſtre. Nos hanc ſententiam diſcutiemus ad librum Jobi. Urbem *Bozram* Boſtram appellat Ammianus Marcellinus *l.* 14, *c.* 27, Stephanus, aliique; *Colonia Alexandrina* eſt in Nummis Alexandri Severi & Mammææ; hodie nuncupatur *Buſſereth*, diſtatque LX. M. paſſuum a Lacu Tiberiadis, procedendo ad Orientem. Diſtinguunt Euſebius & S. Hieronymus Bozram Metropolim Arabiæ a Bozor, vel Bozrâ in montanis Idumææ

(q) *Deut.* II, 10, 11. (r) *Vide Boch. de anim. ſacr. par.* 1, *lib.* 11, *cap.* 1. *Vide etiam in Judic.* 1, 5; & 2 *Reg.* XXXI, 3; & 3 *Reg.* XXII, 24. (s) *Ptolem. ad* 70 *grad.* 50 *min. longitud.* & 33 *grad.* 56 *min. latitud.*

℣. 34. Cùmque mortuus esset Jobab, regnavit pro eo Husam de terrâ Themanorum.

℣. 35. Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab: & nomen urbis ejus Avith.

℣. 36. Cùmque mortuus esset Adad, regnavit pre eo Semla de Masreca.

℣. 37. Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth.

℣. 38. Cùmque & hic obiisset, successit in regnum Balanan filius Achobor.

℣. 39. Isto quoque mortuo, regnavit pro eo Adar, nomenque urbis ejus Phau: & appellabatur uxor ejus Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab.

℣. 40. Hæc ergo nomina ducum Esaü, in cognationibus, & locis, & vocabulis suis: dux Thamna, dux Alva, dux Jetheth,

℣. 41. Dux Oholibama, dux Ela, dux Phinon,

℣. 42. Dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar,

℣. 43. Dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terrâ imperii sui, ipse est Esaü pater Idumæorum.

COMMENTARIUS.

Idumææ; nos tamen unam eamdemque credimus Bozram (t), Bozor, Bezer, Bostram, Urbem Transjordanicam & Rubeniticam XXV M passuum ab Adraà vel Edrai, juxta Eusebium.

℣. 34. HUSAM DE TERRA THEMANORUM. Septuaginta hunc virum appellant *Asom*. Urbem Theman constituit Euseb. V M. passuum a Petrâ Metropoli Arabiæ Petrææ; alii Cœlesyriam versùs procedendo ad Damascum. In Scripturâ Theman est regio ad meridiem Chanaanitidis. Onkelos vertit: Terra *Daroma*; Syriacus, *Australi*. Regio *Daroma* Palæstinæ erat meridionalis.

℣. 35. ADAD FILIUS BADAD. Septuaginta hìc, & I Paral. I, 43: *Filius Barad*.

NOMEN URBIS EJUS AVITH. Septuaginta *Gettaim*, vel *Gethem* Urbs Avith ignoratur.

℣. 36. SEMLA DE MASRECA. Septuaginta: *Sameda* (vel *Samaa*) *de Massecca*. Ignoti situs est Masreca.

℣. 37. SAUL DE FLUVIO ROHOBOTH. Septuaginta: *Rohoboth, quæ apud flumen*. Hebræus: *Rohoboth fluminis*. Et I Paral. I, 48, Vulgata reddit: *Rohoboth, quæ juxta amnem sita est*. Urbs hujus nominis ad Euphratem hodie pariter apud Arabes dicitur *Rohoboth Melik*; jacet paulò infra Cercusium, ad confluentem Chaboræ & Euphratis.

℣. 39. REGNAVIT PRO EO ADAR. In Paralipomenis est *Adad*. Septuaginta: *Arar filius Barad*. Confundunt nonnulli hunc Adad cum viro ejusdem nominis, quem David, redactâ Idumæâ in provinciam, a Regno amovit, suppressâ pariter in eo populo regiâ potestate.

UXOR EJUS MEETABEL FILIA MATRED, FILIÆ MEZAAB. Filia erat Matred & neptis Mezabæ, vel filia illius generatione, hujus adoptione.

℣. 40. HÆC NOMINA DUCUM ESAU. Duces isti vel Principes, qui Reges Idumææ exceperunt, jura dabant non in universam gentem omnes simul, sed in suà singuli Urbe, quod Moyses insinuat illis verbis: *In cognationibus & locis, & vocabulis suis*; nempè locis, quæ de nominibus suis appellabant. Porrò his Ducibus administratam Rempublicam Idumææ, cum Israëlitæ pedem referrent ex Ægypto, insinuatum credimus a Moyse illis verbis Exodi XV, 15: *Tunc conturbati sunt Principes Edom*.

DUX ALVA. Septuaginta: *Dux Gola*.

℣. 41. DUX PHINON; facilè *Phunon*, Num. XXXIII, 41.

℣. 43. DUX HIRAM. Septuaginta; *Dux Zaphoin*.

IPSE EST ESAU PATER IDUMÆORUM. Obitum Esaü nec describit Scriptura, nec assertæ fidei Scriptor aliquis certum ejus annum determinat, Author Testamenti duodecim Patriarcharum *cap.* 4, obiisse illum dicit anno XL Patriarchæ Juda, cùm ætatem ageret annorum facilè CXXI *Esaü in prælio gravi & forti supervenit nobis, & cecidit in arcu Jacob*. Sed historiis hisce quanta fides.

Ita de Esaü agit Scriptura, quasi de viro impio, qui res sacras pretio vendiderit, seque indignum præstiterit prærogativæ, quæ decus erat maximum, juris primoris natu (u): *Ne quis . . . prophanus ut Esaü, qui propter unam escam vendidit primitiva sua*. Notat Moyses adeò neglexisse illum prærogativarum ejusmodi privationem, ut veluti nullius momenti & pretii rem esse censuerit (x): *Abiit parvipendens, quòd primogenita vendidisset*. Deus apud Malachiam I, 2, 3, pronunciat: *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui*. Textum repro-

(t) Confer *Deut* IV, 43. *Josue* XX, 2. XXI, 27, 36. *Isai.* XXXIV, 6. LXIII, 1, & 2 *Matt.* V, 26, 28, 36, & nostr. Dissert. in Geographiam. (u) *Hebr.* XII, 16. (x) *Genes.* XXV, 34.

reproborum in Esau expressum, sicut & prædestinatorum in Jacobo, agnoscit Apostolus *Rom.* IX, 13. Targum Jerosolymitanum docet, contempsisse illum hæreditatem suam in æternitate, & negasse mortuorum resurrectionem. Pecuniæ aviditatem damnant in eo Patres; & helluonem Γαστρίμαργον appellat S. Chrysostomus. Vitio etiam illi vertitur genus vitæ agrestæ, & venationis exercitium (y), quod æternæ salutis obstaculo esse reputatum est.

His autem nequidquam obstantibus, de æternâ Esaü damnatione nihil certi affirmandum est: commodè enim typum referre potuit reproborum, quin ipse reprobaretur; sicut Jesus Christus formam servi & peccatoris assumpsit, quamquam re ipsâ nec peccator nec servus. Agnoscenda in eo cordis sinceritas, qua comiter fratrem excepit, amicitiæ in illum non fictæ plura exhibens argumenta, cùm venientem e Mesopotamiâ amplexus est; Chanaanitidem deseruit, vacuam concedens regionem Jacobo, in pascua gregum ipsius. An hæc hominis sunt, qui in furorem fræna omnia laxarit, cui nihil est in religione sanctum? Viri quidam docti censent, Regem Erythron (z), ex quo mari Erythræo nomen, cujus pariter sepulchrum monstrabatur in Insulâ Tyrinâ vel Agyride, dissitâ a Caramaniâ II. M. stadiis, ipsissimum esse Edon patrem Idumæorum. Hebræum *Edom* est rufus, quamadmodum & Græcum *erythros*. In luco annosis palmis consito sepulchrum ejus Regis, celsissimâ columna, perpetuis characteribus ejus regionis cælatâ, ornatum spectabatur.

C A P U T XXXVII.

Simultas filiorum Jacob in Joseph fratrem, nata e somniis illius, & amore patris in illum. Necem ejus statuunt. Venditur ab illis, duciturque in Ægyptum.

℣. 1. HAbitavit autem Jacob in terrâ Chanaam, in qua pater suus peregrinatus est. Ann. Mundi 2276.

℣. 2. Et hæ sunt generationes: Joseph cùm sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer: & erat cum filiis Balæ, & Zelphæ uxorum patris sui: accusavitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HABITAVIT IN TERRA CHANAAN. Sedem fixit in valle juxta Hebron; nec in aliâ creditur, quàm Mambre, ubi Abraham & Isaac diù substiterant.

℣. 2. HÆ SUNT GENERATIONES EJUS. Abenezra, Vatablus, Grotius, *generationum* nomine, תולדות, intelligunt narrationem rerum gestarum a familiâ Jacob; quam vim esse interdum Hebraici vocabuli affirmant (a). Multò tamen verisimiliùs credimus, verba illa, *Hæ sunt generationes &c.* præcedentium rerum historiam claudere. Deduxerat sacer Historicus genealogiam Jacobi, & ejus occasione alteram Esaü: tum omnia claudit illis verbis: *Hæ sunt generationes Jacob*. Nun agit hîc de Esaü, quippe cujus Genealogia obliquè tantùm in ejus consilium & argumentum venerat.

JOSEPH CUM SEDECIM ESSET ANNORUM. Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta: *Joseph decem & septem annorum erat*. Ad literam: *Filius erat septemdecim annorum*; egerat nempe annum ætatis XVI, & attigerat XVII. Illud, *Filius erat*, cui adjungitur annorum numerus, exprimit semper annum ætatis initum, nondum absolutum (b). Hebræum sequuntur Interpretes omnes, exceptâ Vulgatâ, quam tamen fidei ejus non repugnare jam demonstravimus. Vide S. Augustinum *quæst.* 122, qui legit ut in Septuaginta, *Annorum decem & septem*. Gesta sunt hæc ante obitum Isaaci.

ERAT CUM FILIIS BALÆ ET ZELPHÆ. Hebræus (c): *Ipse puer cum filiis*. Sunt qui (d) pueri nomine, juxta Scripturæ stylum, designatum credant famulum, quasi scilicet a filiis Balæ Joseph servi loco haberetur. Alii, ut Chaldæus, vertunt: *Joseph nutriebatur cum filiis ancillarum*. Exprimit hoc Scriptura, ut eo indicio agnoscamus hos fratres (e), quos statim infra delatos legimus ad Patrem a Josepho. Facilè etiam Jacob filium Josephum miserat ad curandos greges unà cum filiis ancillarum suarum, quarum erat ani-

mus

(y) *Ambros. in Psal.* CXVIII. *Nullum invenimus in Divinarum serie literarum de venatoribus justum. Aut. Com. in Psal. sub nom. Hieronym. in Psal.* XC: *Esaü venator erat, quia peccator erat, & penitùs non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem. Hieron. in Mich.* V: *Quantum ego possum meâ recolere memoriâ, nunquam venatorem in bonam partem legi, &c.* (z) *Vide Strab. lib.* XVI, *pag.* 520; *& Quint. Curt. lib.* X; *Plin. lib.* VI, *c.* 28. (a) *Vide Genes.* VI, 9. *Num.* III, 1. *Prov.* XXVII, 1. *Matt.* 1, 1. (b) *Bochart. Grot. Glass. Vide & 1 Reg.* XIII, 1. *Exod.* XII, 5. (c) והוא נער את בני בלהה (d) *Jun. Pisc.* (e) *Ita Bonfrer.*

℣. 3 Israël autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eò quòd in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam.

COMMENTARIUS.

mos in illum æquior, & minùs efferatus.

Accusavitque fratres suos crimine pessimo. Hebiæus etiam reddi potest: (f) *Retulit ad patrem suum malos sermones eorum*; vel, *De illis pessima locutus est ad patrem*; seu potiùs, *Retulit infamiam eorum malam ad patrem eorum*, narrans quæ booo eorum nomini apud Patrem plurimùm officerent, quæ patrem in ipsos concitarent; perditos eorum mores retulit ad patrem. Dictum id exponunt aliqui de crimine brutali & contra naturam (g); alii de sermonibus, quibus inter se odium fovebant adversùs Josephum; quos sanè Joseph ad patrem deferens, de acceptâ ab illis injuriâ conquestus est. Accusationem hanc datâ operâ iostruxisse Josephum, nequaquam demonstrant voces originalis; exhibent enim tantùm ideam facti à Josepho eum patre sermonis, qui inter loquendum fratrum gesta oarraverit, ut scilicet vel fratres ipsos verbis castigaret, vel mores uteumque corrigeret.

Septuaginta (h), S. Chrysostomus, Theodoretus, Dionysius contrarium legunt, filios nempe Balæ & Zelphæ Josephum fratrem accusasse de crimine, quod silentio premitur. Verùm editio Septuaginta in Polyglottis Aotuerpiensibus & Parisiensibus ferunt cum Vulgatâ, Josephum fratres suos accusasse: quod pariter Aquila, & Symmachus præferunt (i).

℣. 3. Eo quod in senectute genuisset eum. Hebræus: *Quia filius senectutum erat sei*, id est, senectutis amor & solatium. Majori plerumque feruntur amore patres in filios postremò ortum & in senectute natos. Parroclus (k), ut exprimeret quanto amore exceptus esset in domo Pelei patris Achillis, ait, ita illum gessisse se erga hospitem, velutt pater in filium, qui procedente jam senectâ natus fuerit.

Versinnes Chaldaicæ, Persicæ, Arabicæ, Samaritanæ habent: *Filius erat sapiens & prudens*. Ita pariter exponunt Josephus (l), & Theodoretus: Adolescens erat sapientiâ & prudentiâ ætatem vincens; & quidem si Jacob altiorem non habebat causam, Josephum præ aliis diligendi, quàm quòd natus esset procedente jam senectâ, & facilè etiam quòd ex Rachele matre, præferendus illi utique videbatur Benjamin præ omnibus adolescentior filius, & ex Rachele natorum postremus. Itaque S. Chrysostomus *homil. 61*, & S. Ambrosius *l. 1 de Joseph c. 2*, amoris pateroi dignius argumentum fuisse censent filii meritum & sapientiam.

Tunicam polymitam; multiplici colorum picturâ variatam. Certa significatio vocis Hebrææ פסים *Passim*, quam Vulgata reddidit *polymitam*, ignoratur. Polymita quidem, juxta Græcam etymologiam, exprimit telam pluribus varii coloris filamentis contextam πολὺς enim est *multus*, & μιτος, *filum*. Utuntur hìc Septuaginta voce Ποικίλον, *variam*, qua Græci Poëtæ veteres significabaot radiatas pictasque vestes, in Oriente familiares. Eamdem Originalis vocem ita sæpè (m) verterunt iidem Interpretes, ut redderent tunicam ad cubitum usque manicatam. Symmachus: Χιτῶνα Χειριδωτὸν, *Tunicam manicatam*. Aquila: Χιτῶνα ἀστραγάλωτον, *Tunicam talarem*.

Corpori proximè adhærens & interior vestis, tunica appellabatur. Linea erat, & apud Persas variata coloribus [n]. Albo & purpureo radiata ostebat tunica Regum apud illos [o]. Thamar filia Regis David simili tunicâ, ac Joseph, ornabatur; cujus generis nonnisi duo hæc appareot in Scripturâ. Orientalium tunicas manicatas fuisse adusque cubitum, tradunt cum Strabone (p) alii complures; Manicatas vicissim tunicas respuebant Romani, tanquam molliores, & fœminarum luxui potiùs, quam viris aptas (q). Ad imos usque pedes descendebant; & S. Hieronymus in tertio versu hujus capitis vestem Josephi descripturus, addit tunicæ *polymita* epithetum *talaris*. Syriacus habet, *Tunicam fimbriatam*. Arabs, *Sericeam*: quam postremam versionem probant magno numero Interpretes (r); sed non ideo tamen cæteris potiorem affirmamus, nondum enim in vestibus usum sericorum ætate illâ cepisse facilè demonstrare possemus. Suspicor, ex Hebræo *Passim* vel *Phassim* deductum apud Latinos *Fasciam*; nec incommodè Textus redderetur: *Fecit illi Jacob vestem fasciatam*; cujus generis vestes priscis Gallis familiares describit Virgilius *Æneid.* VIII *Virgatis lucent sagulis*. Et Plinius *l. 8, c. 48*, *Scutulis dividere Gallia*. Diodorus pariter (s); Sagis utebaotur virgatis varii coloris, quarum virgæ aliæ

(f) יבא דבתם רעה (g) *Rupert. Glossa, Lyr. Thom. 2, 2, quæst. 154, art. 12, ad 4. Menoch. Jansen. Grotius.* (h) *Septuag.* Κατήνεγκαν δὲ Ιωσὴφ ψόγον πονηρὸν πρὸς Ισραὴλ τὸν πατέρα αὐτῶν.
(i) *Diodor. in Caten. mss.* Ἀκύλας, καὶ Σύμμαχος, ἔτι δὲ καὶ ὁ Σύρος, ἀντὶ τοῦ κατήνεγκαν, κατήνεγκεν ἔχει, τουτέστι ὁ Ιωσὴφ διέβαλε τοὺς ἀδελφοὺς τῷ πατρὶ ὡς ἐκ εὐτάκτως ὄντας. (k) *Homer. Iliad. IX.*

ὁ δέ με πρόφρων ὑπέδεκτο,
Καί με φίλησ' ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ
Μοῦνον τηλύγετον, &c.

(l) *Joseph. Antiq. l. 2, c. 2*: Διά τε τὴν τοῦ σώματος εὐγένειαν καὶ διὰ ψυχῆς ἀρετὴν, Φρονήσει γὰρ διέφερε, τῶν ἄλλων πλέον υἱῶν ἠγάπα. *Septuag.* ὅτι υἱὸς γήρως ἦν αὐτῷ. *Alexand.* υἱὸς γήρει.
(m) *2 Reg.* XIII, 18. Καρπωτὸν, *Sym.* Χειριδωτὸν, *Alius*, Ἀστραγαλωτὸν. (n) *Vide Brisson. de Reg. Pers. lib. 1, pag. 49, 50.* (o) *Quint. Curt. lib. III. Xenophon. lib. VIII Cyropæd.* Χιτῶνα πορφυροῦν μεσόλευκον. (p) *Strabo lib. XV*, Χειριδωτούς. (q) *Virgil. Et tunicæ manicas & habent redimicula mitræ.* [r] *Lyran. Arias Mont. & quidam Hebræi in Fagio.* (s) *Diodor. de Gallis.* Σαγα ῥαβδωτὰ πλινθίοις πολυάνθεσι, καὶ πυκνοῖς διειλημμένα.

Digitized by Google

℣. 4. Videntes autem fratres ejus, quòd a patre plus cunctis filiis amaretur, oderunt eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.

℣. 5. Accidit quoque, ut visum somnium referret fratribus suis: quæ causa majoris odii seminarium fuit.

℣. 6. Dixitque ad eos: Audite somnium meum, quod vidi.

℣. 7. Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.

℣. 8. Responderunt fratres ejus: Nunquid rex noster eris? aut subjiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum, invidiæ, & odii fomitem ministravit.

℣. 9. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium, quasi solem, & lunam, & stellas undecim adorare me.

℣. 10. Quod cùm patri suo, & fratribus retulisset, increpavit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?

℣. 11. Invidebant ei igitur fratres sui: pater verò rem tacitus considerabat.

℣. 12. Cùmque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem,

℣. 13. Dixit ad eum Israël: Fratres tui pascunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente,

COMMENTARIUS.

aliæ aliis decussabantur opere reticulato.

℣. 4. ODERANT EUM. Colligit hìc Moyses causas omnes simultatis fratrum in Josephum, ordine rerum, & temporum singulas describens.

NEC POTERANT EI QUICQUAM PACIFICE LOQUI. Varti etiam posset: Ne salutatione quidem dignabantur. In salutationibus enim precabatur: Pax tecum. Textus ad literam habet: *Non poterat ei loqui pro pace*, דברו לשלם, idest: Non poterant dicere: Pax tecum.

℣. 6. AUDITE SOMNIUM MEUM. Quid ferret somnium, facilè ignorabat Joseph; neque enim Prophetæ oraculorum suorum sensus omnes habent exploratos, quo tempore illa pronunciant.

℣. 9. SOLEM ET LUNAM ADORARE ME. Refert Cicero (*t*) de Cyro, qui Solem ante pedes suos per somnium spectavit: Cùm autem ille ter manu apprehendere phantasticum illum Solem vellet, ter evanuisse sensit. Iudicarij illo triginta annorum Imperium significarunt Arioli, quod eventu comprobatum est.

℣. 10. NUM EGO, ET MATER TUA, ET FRATRES TUI ADORABIMUS TE? Candor animi & nullius doli conscia mens Josephi hìc spectatur; quippe qui nihil fratribus diffidens, ingenuè somnium suum narrat; cujus sensum illi pervadentes statim, magis magisque in simplicissimum fratrem animati sunt. Nec difficilior Jacob in affequendo quid ferret somnium levitatis arguit, demonstrans fieri nequaquam posse, ut matrem haberet ante se prostratam Joseph, cùm jam obiisset. Si quid autem verum referret somnium, mater utiq; per lunam facilè designabatur filium adoratura.

Sunt qui credant insomnium Josephi ad tempus superstitis Rachelis referendum esse, hìc autem referri extra suum ordinem, ut proinde responsum Jacobi planiùs accipi oporteat, veluti si filium temeritatis argueret. Tantâ ne de tuis rebus opinione tenêris, ut credas habiturum te eoram supplices parentes tuos cum fratribus? Alii dictum exponunt de Balâ nutrice Josephi, vel de Liâ uxore Jacobi. Demonstrat S. Augustinus, *in Genesim q.* 123, nunquam fidem hujus somnii ad literam impletam fuisse in Josepho; sed in Jesu Christo quidem; quippe quem super terram venientem adorarunt Patriarchæ, Parentes ipsius, Synagoga mater, Judæi fratres, S. Joseph, SS. Virgo, & Apostoli.

℣. 11. PATER REM TACITUS CONSIDERABAT. Hebræus tantùm: *Pater observabat verbum*, vel *rem*. Somnia illa notabat, propheticum aliquid intelligens. Ita pariter Sancta Virgo quæcumque in Servatore gesta apud se conservabat (*u*), implenda omnia suo tempore expectans.

℣. 12. CUM FRATRES ILLIUS - - - - - MORARENTUR IN SICHEM. Agrum illi urbi proximum pretio

(*t*) *Tull. l. 1. de Divinat. ex Dionis. Persic. hist. scriptore.* (*u*) *Luc. 11, 19.*

℣. 14. Prêstò sum, ait ei: Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi, quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem.

℣. 15. Invenitque eum vir errantem in agro, & interrogavit, quid quæreret.

℣. 16. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi, ubi pascant greges.

℣. 17. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto; audivi autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Perrexit ergo Joseph post fratres suos, & invênit eos in Dothain.

℣. 18. Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occidere.

℣. 19. Et mutuò loquebantur: Ecce somniator venit:

℣. 20. Venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem; dicemusque: fera pessima devoravit eum: & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.

℣. 21. Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat:

℣. 22. Non interficiatis animam ejus, nec effundatis sanguinem: sed projicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusq; vestras servate innoxias: hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.

℣. 23. Confestim igitur ut pervênit ad fratres suos, nudaverunt eum tunicâ talari, & polymitâ,

℣. 24. Miseruntq; eû in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.

℣. 25. Et sedentes ut comederent panem, viderunt Ismaëlitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum, portantes aromata, & resinam, & stacten in Ægyptum.

COMMENTARIUS.

pretio emerat (x) Jacob; urbs autem illa sive non adhuc restituta erat, sive imbecillior quàm ut injuriam sibi irrogatam, cùm Dina recepta est a fratribus, ulcisceretur. Aberat Hebron a Sichem ampliùs xxx vel xxxv leucis: in Scripturâ autem non uno exemplo docemur, deduci consuevisse, quàm longissimè ab habitatione greges ob quærenda pascua. Distabant greges Labani a Charris tridui itinere: ex Odollâ ad Thamnam, ubi greges Juda pascebantur, x leucarum circiter erat intervallum.

℣. 17. Eamus in Dothain. Distabat Dothaim a Seballe vel Samariâ xii m. passuum, Septemtrionem versùs. ℣. 17 legitur in Hebræo *Dothan*.

℣. 19. Ecce somniator venit. Hebræus: בעל החלמות. *Magister somniorum*, idest, somniorum fabricator, Rex phantasticus & per somnium.

℣. 20. Venite, occidamus eum. Qui inter cæteros magis adversùs fratrem animaretur, pessimum se præbens sceleris authorem, Simeon creditur, cujus tamen debitas pœnas dedit, quà in se ipso, quà in posteris. Joseph in Ægypto captivum illum detineri jussit in carcere, donec fratres regrederentur (y). Ejus Tribus minimè omnium frequens fuit, & pessimè omnium constituta. Conscium etiam mali illius consilii suggerendi fuisse Gad, tradit Liber Apocryphus Testamenti Patriarcharum.

Mittamus in cisternam veterem; in puteum nempe in medio agri constitutum, pluvialium aquarum sive e liquatis nivibus sive ex inundantibus torrentibus collectarum receptaculum. Erant aquæ illæ in usum gregis, cùm ferveret maximè æstus. Vide quæ de receptaculis istis congessimus ad Jeremiæ xviii, 13, & 4, Reg. xix, 24. Hebræus tantùm: *Mittamus in unam cisternarum*. Non meminit hìc Scriptura lacrymarum & precum Josephi, quas capite xlii, 21, memorat.

℣. 21. Nitebatur liberare eum. Hebræus fert re ipsâ e manibus illorum liberasse, id est, obtestationibus suis & precibus, ne perimeretur, impetrasse; non tamen penitùs liberavit: agitabat enim animo, quò furorem fratrum leniret, aliquid illis indulgendum, ut tandem e cisternâ reductum patri restitueret.

℣. 25. Ismaëlitas viatores. Hebræus (z): *Ecce Turba Ismaëlitarum*. Ismaëlitarum nomen ita latè

(x) Genes. xxxiii, 19.

(y) Genes. xlii, 25.

(z) הנה ארחת ישמעאלים Septuag. Ἰδοὺ ὁδοιπόροι Ἰσμαηλῖται.

℣. 26. Dixit ergo Judas fratribus suis: Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, & celaverimus sanguinem ipsius?

℣. 27. Melius est, ut venundetur Ismaëlitis, & manus nostræ non polluantur: frater enim, & caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius.

℣. 28. Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisternâ, vendiderunt eum Ismaëlitis, viginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum.

℣. 29. Reversusque Ruben ad cisternam, non invênit puerum:

℣. 30. Et scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet, & ego quò ibo?

℣. 31. Tulerunt autem tunicam ejus, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt:

℣. 32. Mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc invenimus: vide utrùm tunica filii tui sit, an non.

℣. 33. Quam cum agnovisset pater, ait: Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.

℣. 34. Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.

COMMENTARIUS.

latè patebat apud Hebræos ac Arabum apud nos. Paraphrastes Jerosolymitaous reddit *Saracenos*, & in ℣. 28 refert, puerum pretio venditum fuisse Madianitis. Madian filius erat non Ismaëlis sed Cethuræ. Facilè ea viatorum manus ex Arabibus variarum provinciarum collecta erat; nec infrequens illa fuisse dicenda est, si ejus ætatis mores ad nostræ ætatis referamus.

VENIAA DE GALAAD. Intelligimus ex Jeremiæ VIII, summo in pretio habita fuisse aromata Galaaditica, *Numquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi?* Additque cap. XLVI, 11, Ægyptios resinâ Galaaditicâ in pharmacis uti consuevisse: *Ascende in Galaad, & tolle resinam, filia virgo Ægypti: frustra multiplicas medicamina.*

PORTANTES AROMATA, ET RESINAM, ET STACTEN. Hebræum נכאת *Necoth*, quod hîc aromata, variè adeò varii reddunt, ut in incertum vagari cogamur inter multos. Onkelos, Jonathan, & Rabbinorum plures, habent *ceram*; Aquila, στύρακα *Storacem*, gummi genus gratissimi odoris, familiare in Syriâ. Hanc expositionem sequitur S. Hieronymus ad caput XLIII, 11, probatque Bochartus cum aliis nonnullis viris doctissimis. Alii malunt *Theriacam* vel *balsamum* seu *muscum odorum*, vel generatim *aromata*, vel tandem unguenti quoddam genus in Arabia familiarissimum, quod appellant *Nekit*, nomine proximè accedente ad Hebræum *Necoth*. LXX habent θυμιάματα, *odoramenta*.

RESINAM. Hebræum צרי, *Zeri* reddunt Septuaginta resinam ῥητίνην; alii quidam *balsamum* vel *theriacam* vel *stacten* vel *masticem*. Bochartus maluit *resinam*, ad cujus nomen maximè accedit Hebræum *Zeri*. Resina Syriæ celebratur maximè apud Græcos & Latinos. Resinarum tria genera distinguit Plinius; *Arabica alba est, acri odore, difficilis coquenti; Judæa callosior & terebinthinâ, quoque odoratior: Syriaca Attici mellis similitudinē habet.*

STACTEN, quo nomine intelligimus guttam e myrrhino arbore stillantem. Reddunt nonnulli Hebræum לט, *Lat* terebinthinam, & castaneas, vel myrrham, vel ladanum, vel ledum, quod postremum affine est Hebræo *Lat*. Non deest Ladanum in Lybiâ & Cypro: liquor est autem resinosus, stillans e foliis *Ledi*, quod est cisti genus. Colligitur autem vel radendo pinguem illud succum, quo arbuscula inficiuntur, vel pectendo capellas vel hircos, succum eumdem referentes, cum foliis ejusdem pascuntur. Nota est etiam lotus, cujus plurima est nominis affinitas cum Hebræo *Lat* vel *Lot*. Loti autem plura sunt genera; nobis tamen eâ de loto agitur, quæ cerasi simillimos fructus producit, dulces absque nucleo, e quibus melleum vinum exprimitur, quod ultra decem dies servari non potest: fit etiam ex iis acetum. Africani, qui loca tenent circa Syrtes, appellantur apud Veteres *Lotophagi*, quòd eo fructu maximè victitarent. Refert Homerus, socios Ulyssis, semel degustato fructu Loti, ut eam regionem desererent, roganti Ulyssi difficile acquievisse.

℣. 28. VIGINTI ARGENTEIS. Viginti argentei sicli reddunt, juxta nostram supputationem, 34 libras circiter monetæ nostratis. Exemplaria quædam præferunt: *Triginta argenteis*; quæ pecuniæ summa mysterio servit, tantumdem enim pretii solutum est pro venditione Jesu Christi, cujus non obscurum emblema est Josephi venditio. Septuaginta habent: *Viginti aureis*. Josephus (*a*) *Viginti minis*. Sed tenenda lectio Hebræi & Vulgatæ; maximè enim credibile est vilissimo pretio venditum puerum. Observat S. Ambrosius (*b*), Exemplaria quædam ferre, Josephum venditum fuisse XXX aureis vel argenteis; alia verò tantùm XV vel XXV: idem notavit S. Augustinus (*c*), seu potius S. Cæsarius.

℣. 34. INDUTUS EST CILICIO. Hebræus & Se-

(a) *Joseph. lib. II Antiquit. c. 3.* (b) *Amb. lib. de Joseph, c. 3.* (c) *Aug. ser. LXXXI de tempore, num. XIIX, in Appendice tom. V nova edit.*

℣. 35. Congregatis autem cunctis liberis ejus, ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseverante in fletu,

℣. 36. Madianitæ vendiderunt Joseph in Ægypto Putiphari eunucho Pharaonis, magistro militum.

COMMENTARIUS.

& Septuaginta: *Posuit saccum in lumbis suis* (d). Vestis in luctu adhibita *saccus* appellabatur, quòd arcta esset maximè & clausa veluti saccus: dicta etiam cilicium, quòd texeretur e pilis caprarum Ciliciæ (e), quarum velleris lanæ longæ erant & aptæ, ut tonderentur, atque in pannos fuscos vel subnigros contexerentur. Ejus usus oonnisi in vestibus vilissimorum hominum, militum, & nautarum. Virgilius *Georgic.* 3.

Usum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Affligandi corporis & pœnitudinis gratiâ ciliciis vestiebantur Veteres Asceiæ vel Monachi, nunquam diu noctuque sese vestibus ejusmodi exuentes: ita pariter ejusdem luctûs significatio erat vestium ejusmodi genus in funeribus.

℣. 35. Descendam ad filium meum lugens in infernum; id est, ad ima terræ, sive in sepulchrum. Nunquam ad obitum usque cessabo a lacrymis: dolor amissi filii mortem meam urgebit. Hebræum שאול *Scheol*, LXX, Ἅδης, interdum est sepulchrum (f), vel mors; interdum locus, ubi animæ post obitum colligebantur. Ita Isaiæ XIV, 9. de Rege Babylonis: *Infernus subter conturbatus est in occursum adventûs tui &c.* Non rarò nomen illud usurpatur de loco, ubi Dæmones & impii in flammis cruciantur (g), ut cum de impio Divite scriptum est (h), cruciari illum in Inferno; & de Angelis perduelibus, præcipites eos actos fuisse in abyssum, ubi *rudentibus inferni* detinentur (i). Tandem *Infernus* est locus, ubi Justorum animæ Servatoris adventum opperiebantur, unde digressæ post ejus resurrectionem ad æternam felicitatem perrexêre. Eò se deducendum sperat Jacob post obitum, unà cum Josepho filio suo. Lymbum appellant nostrates Theologi; Infernum & sinum Abrahami veteres Patres (k). Vide Delrio in suis Adagiis sacris in secundum Librum Regum, ubi fusius discutit Textus omnes in quibus Inferni nomen legitur.

℣. 36. Putiphari eunucho Pharaonis. Eunuchi nomen tanquam officii & dignitatis usurpatur sæpè in Sacrâ Scripturâ; eodemque, ex more & significatione ætatis suæ, usi sunt Interpretes sacrorum Librorum; ætatis, inquam, suæ, qoam plerique, qui suprema munera apud Reges Orientales gerebant, sive re ipsâ Eunuchi essent, sive non, Eunuchi tamen appellabantur. Porrò vox illa ad literam & secundùm vim Græcæ ethymologiæ sonat hominem, cujus custodiæ creditus, est lectus vel conclave, ex Εὐνὴ, *lectus*, & Ἔχω, *custodio*. Sed cùm tractu temporis factum esset, ut suprema quæque Aulæ munera Eunuchis committerentur, inde nomen illud ad viros Principes dominorum obsequiò addictos manavit. Hoc sensum Putiphar Eunuchus erat Pharaonis, quem ex subsequentibus conjugio copulatum intelligemus. Fabulæ autem sunt quas comminiscuntur Rabbini apud S. Hieronymum in *qq. Hebraicis*, Putipharem nempe Eunuchum evasisse ex morbo immisso illi a Deo, quo probiberetur ne haberet Josephum in eum usum infamem, ob quem pretio emerat.

De vero Eunucho dictum interpretati sunt. Septuaginta, Σπάδοντι: sed alibi (l), reddunt interdum Hebræum סריס *Saris*, virum potentem, magnum. Onkelos & Targum habent Principem. Occurrunt in Aulâ Regum Juda & Israël Eunuchi vel Principes, appellati סריסים, *Sarisim*; quos sanè Principes, si ex Hebræis erant, utique affirmaremus Eunuchos non fuisse; vetuit enim Deus ne vel bruta ipsa abscinderentur (m); & alias habent Hebræi voces, quibus spadonem significent. Vide Deut. XXIII, 1, 2, &c. Non tamen inficias iverim, *Saris* exprimere interdum Eunuchum re ipsâ talem seu spadonem, ut Isaiæ LVI, 3. *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum*; sed hæc significatio maximè communis non videtur.

Magistro militum; copiarum Imperatori, vel custodum corporis Duci. Reddi posset שר חטבחים, *Principi morte afficientium*, vel *laniorum*, qui sacrificant. Quod maluit Chaldæus, רב קטוליא. Morte plectere sontes, probro nequaquam habebatur apud Chaldæos; cujus rei plurima exempla colligemus in Dissertatione de suppliciis Veterum Hebræorum. Apud Romanos id muneris reservatum militibus.

Ita Putiphar militum custodum Principis præfecturam forte agebat, qui sanè milites pro datâ occasione meritas de sontibus pœnas exigebant. Spectabantur in Aulâ Regum Babyloniæ Præfecti ejusdem nominis, & ejusdem cum Putiphare muneris. Nabuzardan & Arioch id erant apud Nabuchodonosorem (n), quod Putiphar apud Pharaonem. Vulgò egisse creduntur munus Præfecti custodum corporis, vel copiarum Imperatoris. In vertendis vocibus originalis non usque sibi constant Septuaginta; hic enim reddunt, Ἀρχιμαγείρῳ, *Coquorum Præfecto* (o), vel Sacrificulorum Principi; & capite XL, 3, habent, ex exemplari Alexandrino, Ἀρχιδεσμοφύλακι, *custodum carceris Præfectum*; & ibidem ℣. 4, *Carcerum Principem*, Ἀρχιδεσμώτην.

Postremum hoc munus satis congruit cum altero, plectendi ultimo supplicio reos, quod sibi commissum exercebat Arioch apud Danielem. Porrò

(d) וישם שק במתניו (e) *V. de Varr. de Re Rust. lib. II, cap. II.* (f) *Pagn. Oleaster. Cajet. Montan. &c.* (g) *Job.* XXI 13. (h) *Luc.* XVI, 22. (i) 2 *Petr.* II, 4. (k) *Irena. lib. v, c.* 30. *Origen. homil.* XV *in Genes. Euseb. lib.* IV *Demonstrat. Evang. cap.* 12. *Basil. in Psalm.* XLIV, & *c. Tertull. lib. de anim. c.* 32. *Hilar. in Psal.* LIII. *Hieron. in cap.* 13 *Osee. &c. Aug. de Civit. lib.* XVII, *cap.* 12, & *lib.* IV, *de animâ & ejus orig. cap.* XVI, *&c.* (l) *Jerem.* XXXIV, 19. (m) *Levit.* XXII, 24. (n) 5 *Reg.* XXV, 8; & *Daniel.* II, 14. (o) Μάγειρος apud Græcos est qui victimas ob sacrificium mactat. *Aristophan. in Equit. Act.* V, *Scen.* 2.

Porrò ætate illâ plurimi habebantur Præfecti Coquorum, vel Sacrificolorum. Coqui victimas mactabant, parabantque cibos; cui muneri quandoque manus admovebant Reges & Regum liberi, apud Homerum. Munus erat ipsorum, ritus sacrificiorum & cæremoniarum scientiam probè callere, uti scribit Athenæus lib. 14, cap. 23. Demandatum id muneris mancipiis est nonnisi serò apud Græcos. Narrant Phœnicii apud Evemerum Coum, Cadmum apud Sidonis Regis egisse coquum; recepisse verò se ex Aulâ cum Hermione psaltriâ. Olympias mater Alexandri Magni, coquum suum misit ad filium, admonens per literas, eum virum callentissimum esse rituum sacrificialium gentis suæ omnium, nihilque illum latere e cæremoniis sacrificialibus; reciperet proinde honorificè, statimque, cùm primùm posset, remitteret. Optimè ergo teneri posset versio Septuaginta; munusque committi Putiphari, Coquorum vel Sacrificulorum Principis, eo, quem diximus, sensu.

Hæc quam exordimur historiam Patriarchæ Josephi, exhibebit exemplum luculentissimum divinæ Providentiæ cætera superans, quæ in historiâ Veteris Novique Testamenti occurrunt. si unum excipias Jesum Christum, cujus nonnisi typus & umbra Joseph reputandus est. Joseph delicia patris sui, & senectæ illius filius; adolescens sapientiâ & prudentiâ eximius, cujus elogium verbis illis institutum est, *Filius accrescens Joseph*, exhibet luculentam Jesu Christi imaginem, filii Eterno Patri suo carissimi, ab æternitate geniti, si naturam divinam spectes, & inclinantibus sæculis, atque in senio mundi in terris nati; cui ad gratiam & sapientiam deerat nihil; qui proficiebat, juxta phrasim Sacræ Scripturæ, sicut ætate, ita etiam Sapientiâ coram Deo & hominibus. Joseph supra cæteros fratres suis charus, cujus venustas eximia, e pulchrâ Rachele natus, distinctâ tunicâ variâque colorum texturâ pictâ velatus, refert Jesum Christum, inter prædestinatos primum fontem gratiæ, prædestinationis, & adoptionis Sanctorum, electorumque omnium, tanto merito virtutis & gratiarum ubertate cæteris præstantior, quantum eminet filius unigenitus servis, & creator creaturis. Jesus specie vincebat filios hominum, specie tamen nitentis Divinitatis, & intimæ cordis formæ, natus e parente absolutissimâ, & majoribus, quàm creaturæ cæteræ, privilegiis ornatâ, Mariâ scilicet, naturâ nostrâ indutus, ceu veste variis coloribus pictâ, nitente scilicet virtutibus & dotibus omnibus, quæ Hominem Deum maximè decerent.

C A P U T XXXVIII.

Judas duos filios suos alterum post alterum conjugio cum Thamar jungit. Negat tertium eidem uxori addere post præcedentium filiorum obitum. Nascuntur Phares, & Zara.

℣. 1. EOdem tempore descendens Judas a fratribus suis, divertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram.

COMMENTARIUS.

℣. 1. EODEM TEMPORE. Obvius verborum sensus eò nos adducit, ut historiam hanc circa idem tempus, ac præcedentem, consignemus; sed arduum est maximè omnes concordare hujus narrationis circumstantias cum brevi illo temporis intervallo, quod effluxit inter venditum Josephum Ismaëlitis usque ad adventum Jacobi in Ægyptum; intercessit enim inter hæc duo nonnisi xx seu xxiii annorum intervallum. Inter hæc, Judas filiam Sue duxit, ex qua tres filii nati sunt; duo priores alter post alterum conjuges Thamari dantur: hæc utroque conjuge viduata, accedit ad Judam post multos dies, conceptoque fœtu parit suo tempore Phares & Zaram. Phares uxorem adsciscit, liberos gignit, qui in Ægyptum cum Jacobo veniunt. Quomodo hæc omnia claudas intra xxii, vel xxiii annorum spatium? Censet S. Augustinus (*a*), quem Interpretum plures sequuntur, conjugium Judæ hic referri veluti per epilogum, idest, extra suum naturalem ordinem, ut jungatur cum aliis rerum circumstantiis ex illo deductis, incidentibusque circa tempus servitutis Josephi. Constat utique, verba illa (*b*): *In illo tempore, in illâ horâ, &c.* non semper indicio esse, rem statim relatam circa illud tempus incidisse, ad quod præcedens referebatur. Est itaque cur persuadeamur, Judam conjugem jam inde adscivisse, cùm Joseph in Ægyptum venundatus fuit.

Aliis tamen alia probantur. Observant, Judam nonnisi quadriennio seniorem esse Josepho; hunc verò postremum non excessisse annum xvi ætatis, cùm venditus est in servitutem; attingebat igitur Judas annum xx ætatis. Morabatur adhuc cum fratribus suis in domo Jacobi, pascebat cum illis greges patris, nec sanè videtur vel ædes habuisse vel greges seorsum ab aliis, uti post dictam conjugem habuit. Non abludit igitur a vero, conjugem nondum adscivisse; nec chronologia a Moyse indicata deferenda.

En itaque qua ratione rerum in hoc capite seriem digerimus (*c*). Judas ætatem agens xx anno-

(*a*) *Aug. quæst.* 128 *in Genes. &c.* (*b*) *Vide Genes.* xxxv, 25, 29; *Deut.* x, 8, *&c.* (*c*) *Petr. Jansen.*

Digitized by Google

℣. 2. Viditque ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sue : & accepta uxore, ingressus est ad eam.

℣. 3. Quæ concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Her.

℣. 4. Rursumque concepto fœtu, natum filium vocavit Onan.

℣. 5. Tertium quoque peperit, quem appellavit Sela, quo nato, parere ultra cessavit.

℣. 6. Dedit autem Judas uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar.

℣. 7. Fuit quoque Her primogenitus Judæ, nequam in conspectu Domini: & ab eo occisus est.

℣. 8. Dixit ergo Judas ad Onam filium suum: ingredere ad uxorem fratris tui, & sociare illi, ut suscites semen fratri tuo.

COMMENTARIUS.

annorum in thorum adsciscit filiam Sue Chananæi, e qua tribus subsequentibus annis totidem filios habet : majori natu ætatem agens XVII annorum Thamari uxori jungitur ; eodemque anno moritur. Onam ejus frater XVIII annorum ætatis viduam fratris sui conjugem ducit. nec diu post a Deo percussus obit. Viduitatis statum triennio jam servabat Thamar, cùm fœtum concipiens, parit Phares & Zaram. Post XXI annos a vendito Josepho, & post gemellorum ortum biennio, Jacob cum totâ familiâ venit in Ægyptum. Pharez ductâ ibi conjuge procreat Ezram, & Hamul, quorum nomina leguntur in censu eorum, qui unâ cum Jacobo in Ægyptum venêre [*d*]; non quòd re ipsâ eò venerint, sed quia nati sint intra spatium XVII annorum, quo in eâ regione vita Jacob prorogavit. Eadem reputato de decem filiis Benjamin, ibi pariter narratis; fidem enim superat, Benjamin tanto filiorum numero tunc floruisse.

℣. 2. VIDITQUE IBI FILIAM HOMINIS CHANANÆI VOCABULO SUE, ET ACCEPTA UXORE, &c. Nomen Chanaan vel Chananæi usurpatur interdum pro Mercatore. Author libri Testamenti duodecim Patriarcharum censet, Sue nomen fuisse uxoris Judæ; sed p[illegible] non [illegible]æ, nomen illud tribuit aperte [illegible] Hebr[illegible]s. Fœdus jungere cum filiabus [illegible] nulla lex interdicebat Hebræis; nee [illegible] Jacobi religione unquam a connubiis illis abhorruit sunt. Describit hic Scriptura historiam, cujus ultrò sese offerens sensus, moribus instruendis non sanè conducere videtur: sed occultus & mysticus sensus eò sublimior est, quò humilior oculis carnis est litera. Alio utique consilio Sanctus Spiritus decrevit, ut historiæ Thamaris, Rahab, Ruth, & Bersabee in Genealogia Jesu Christi referrentur.

℣. 3. VOCAVIT NOMEN EJUS HER. Verbum *Vocavit* masculino jungitur in hoc versu, sed fœminino in altero proximè succedenti; veluti si Judas nomen indiderit filio majori natu, uxor filio proximè succedenti. Porrò nomina filiis a Patre sæpè, a matre non rarò, uti alibi observatum est, imponebantur.

℣. 5. PARERE ULTRA CESSAVIT. Hebræus (*e*): *Erat in Chasib cùm illa peperit eum*. Versabatur Judas in Chasib, [locus est non longè ab Odollam & Mambre] cum filius major natu ortus est. Septuaginta: *Hæc erat in Casbi, quando peperit eos*. Interpretes plerique Veteres & Recentiores nomen Casbi reputarunt tanquam peculiare loci, cujus mentio in Josue XV, 44, & Michææ I, 14. Hanc sententiam tenent Chaldæi, Septuaginta, Eusebius in locis, Rabbini, Vatablus aliique sanè multi. Aquila, quem & in suâ versione & in suis quæstionibus Hebraicis sequitur, & laudat S. Hier. vocem *Chasib* usurpavit tanquam designantem mentiri, deficere, cessare: *Et vocavit nomen ejus Selom; & factum est, ut mentiretur in partu postquam genuit eum*; idest, juxta S. Hieronymum, ut a pariendo cessaret; & facilè in partu Selæ oppressa interit.

℣. 7. NEQUAM IN CONSPECTU DOMINI. Vir erat exploratæ omnibus nequitiæ, *insigniter malus*. Cujus potissimum sceleris reus esset, non exprimit Sacra Scriptura; sævitiæ censet S. Augustinus (*f*). Alii, criminis contra naturam, quod Genesis XIII 13, significatur iisdem ferè verbis, ac crimen Her. Docent Judæi, virum hunc, ut venustatem uxoris suæ, quam amabat perditè, servaret, infando crimine commisisse, ne illa conciperet.

℣. 8. INGREDERE AD UXOREM FRATRIS TUI. Ante rogatam a Moyse legem, solemne erat Hebræis, ut viduam fratris sui defuncti uxorem superstes frater adscisceret in conjugem. Id pariter obtinuisse apud Chananæos, insinuare videtur Philo (*g*), asserens, secundum illud conjugium Thamaris de mandato Judicum & Magistratuum regionis initum fuisse. Morem illum in Ægypto cœpisse censet Marshamus, ibidemque perseverasse usque ad tempus Xenonis Imperatoris (obiit anno 491) designat Codex Justiniani: *Ægyptii idcirco mortuorum fratrum sibi conjuges matrimonio copu-*

(d) *Genes.* XLVI. 12. (e) והיה בכזיב בלדתה אתו (f) *Aug. lib.* XXII *contra Faust. c.* 88. *Malignus vel sævus ante Dominum.* (g) *Philo lib. de Nobilitate*: Δυοῖν ἀδελφοῖς ἀμφοτέροις πονηροῖς ἐν μέρει γημαμένη, κηδεύω μὲν τῷ προτέρῳ, τῷ δὲ ὑστέρῳ κατὰ τὸν ἐπιδικασίας νόμον. (h) *Cod. lib.* V, *tit.* 5, *lege* 8.

℣. 9. Ille ſciens non ſibi naſci filios, introiens ad uxorem fratris ſui; ſemen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur.

℣. 10. Et idcircò percuſſit eum Dominus, eò quòd rem deteſtabilem faceret:

℣. 11. Quam ob rem dixit Judas Thamar nurui ſuæ: Eſto vidua in domo patris tui, donec creſcat Sela filius meus: timebat enim, ne & ipſe moreretur, ſicut fratres ejus. Quæ abiit, & habitavit in domo patris ſui.

℣. 12. Evolutis autem multis diebus mortua eſt filia Sue uxor Judæ: qui poſt luctũ conſolatione ſuſceptâ, aſcendebat ad tonſores oviũ ſuarum, ipſe & Hiras opilio gregis Odollamites, in Thamnas.

℣. 13. Nuntiatumque eſt Thamar, quòd ſocer illius aſcenderet in Thamnas ad tondendas oves.

℣. 14. Quæ, depoſitis viduitatis veſtibus, aſſumpſit theriſtrum: & mutato habitu, ſedit in bivio itineris, quod ducit Thamnam: eò quòd creviſſet Sela, & non eum accepiſſet maritum.

℣. 15. Quam cùm vidiſſet Judas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: operuerat enim vultum ſuum, ne agnoſceretur.

COMMENTARIUS.

copularunt, quòd poſt illorum mortem manſiſſe virgines putabantur; arbitrati ſcilicet quòd certis legum conditoribus placuit, cùm corpore non convenerint, nuptias non videri eſſe contractas. Sed lex illa reſtringenda videtur ad matrimonia non conſummata, ut verbis illis innuitur: *Cùm corpore non convenerint*.

℣. 9. SCIENS NON SIBI NASCI FILIOS, SEMEN FUNDEBAT IN TERRA (*i*); non illi naſcebantur filii, ſed fratri ſuo; prior enim qui naſcebatur, nomen obtinebat fratris, qui ſine liberis deceſſerat; ſed cæteri deinde nati cenſebantur ex fratre ſuperſtite, a quo re ipſâ geniti erant (*k*).

℣. 11. ESTO VIDUA IN DOMO PATRIS TUI, DONEC CRESCAT SELA FILIUS MEUS. Animo minimè ſyncero loquebatur Judas, expectationem Thamaris fallere meditatus; ratuſque facilè excepturam illam alterum virum, ac proinde abſolvendum ſe a neceſſitate tradendi illi tertium filium. Cenſent nonnulli (*l*), Thamar e connubio cum Her inito ita familiæ Judæ inhæſiſſe, ut ſine conſenſu Patrisfamiliâs virum ſibi comparare nequaquam poſſet, impoſitamque illi neceſſitatem ineundi connubii cum fratre prioris Viri, niſi fortè reddere conſentiret dotem ſibi ab illo ſolutam pro more ejus ætatis. Docent Rabbini, Veteres illos, qui morem ejuſmodi ſanxerunt tenuiſſe metempſychoſim, cujus opinionis appendix eſſet lex, præſcribens fratri ſuperſtiti, ut viduam ex altero fratre ſine liberis defuncto conjugem adſciſceret. Vide Seldenum, *Uxor Hebr. l. 1, cap. 13, ad finem*, & Rabbinos ab eo laudatos, quos adi.

Author Operis imperfecti in Matthæum, Homiliâ 1, refert, Thamarem genus ex Aram duxiſſe: cùm autem, inquit, mater Her, Chananæa genere, conjugium filii cum eâdem Thamar improbaret, ac apud filium inſtaret, ne ad eam fœminam accederet, acquievit ille matri, ſtatimque a Deo interfectus eſt. Onan ejus frater aliâ planè ratione, quæ hìc ſubjungitur, id efficiebat, ne Thamar mater fieret; ipſe pariter interfectus; ac proinde Thamar poſt utriuſque viri obitum virgo adhuc permanebat. Judas morte utriuſque filii dolens, ſimulque mœſtus de opprobrio nurûs ſuæ, cujus ignorabat cauſam, diutiùs in lacrymis & precibus perſeveravit. Viri dolore commotus Deus rem totam illi aperuit; & Judas religione abſterritus eſt, ne copularet ſibi Thamar; quamquam probè noverat, connubium ejus cum utroque filio ultra fidem connubialem non proceſſiſſe. Unde hæc Author didicerit, ignoro.

℣. 12. HIRAS OPILIO GREGIS. Vox Hebræa רעה, quam Septuaginta & Vulgata reddiderunt *Paſtorem* vel *Opilionem*, juxta aliam legendi syntaxim ſignificare poteſt *Socium ipſius*; quæ poſterior ſententia arriſit S. Hieronymo *in ſuis Quæſtionibus Hebraicis*, quamquam in Verſione ſequitur Septuaginta. Major Interpretum pars lectionem probat Maſſoretharum & Chaldæi, præferentium *Amicum ejus*.

IN THAMNAS. Eadem reputatur ac Thamnata vel Themna, Urbs in finibus Philiſthæorum, in ſorte olim Tribûs Juda, deinde inter Daniticas. Sæpiſſimè incidit in manus Philiſthæorum. In agro Liddæ vel Dioſpoleos collocat Euſebius.

℣. 14. ASSUMPSIT THERISTRUM. Eo nomine ad literam ſignificatur veſtis æſtiva, velum fœminarum, quo ſe protegebant a ſolis æſtu. Notatum eſt ad caput XXIV, 65, hujus Libri, fœminas nunquam prodiiſſe niſi velatas. Hunc etiam proſtitutarum mulierum morem fuiſſe, ex hoc Textu intelligimus; inſinuaturque, quantum capimus, appellari illas conſueviſſe mulieres velatas vel abſconditas. Sponſa in Cantico 1, 6, 7: *Ne*

(*i*) ושחת ארצה *Septuag.* Ἐξέχεεν ἐπὶ τὴν γῆν. *Alius*, διεφθειρεν. *Corrumpebat in terram*.
(*k*) *Bonfrer. Menoch. Tirin. &c.* (*l*) *Menoch. Cornel. a lapide, Bonfrer. &c.*

ỳ. 16. Ingrediensque ad eam, ait: Dimitte me, ut coëam tecum: nesciebat enim, quòd nurus sua esset. Qua respondente: Quid dabis mihi, ut fruaris concubitu meo?

COMMENTARIUS.

vagari incipiam greges sodalium tuorum. Hebræus ad literam (m): *Ut quid ero veluti operiens se super* (post) *greges sodalium tuorum?* Aquila reddidit interdum (n) *Personatam* διηλλαγμένην, vocem illam Hebræam, quæ Prostitutam significat.

Et mutato habitu sedit in bivio itineris: mutato scilicet habitu, quo induebantur viduæ, donec in statu viduitatis perseverabant, ut intelligimus ex Judith x, 2. Porrò Thamar sedit in bivio itineris. Hebræus ad literam (o): *Operuit se* [ita se velavit ut agnosci non posset] *& mansit in apertione oculorum, quæ est super viam in Thamnat*; nempe in loco, ubi, qui iter habent, apertis oculis, utra melior sit via, considerant. (p) reddi etiam posset Textus cùm Septuaginta (q): *Ornavit se ad portas Ænan, quæ est in transitu Thamna.* Samaritanus pariter *Enaim* vel *Enaim* tanquam singularis loci nomen usurpat. Meminit Eusebius loci cujusdam modici, cui nomen *Ennim* vel *Beth anim* in Tribu Juda. Tandem alii vertunt: *Ornavit se, & sedit ad portam duorum fontium, quæ est in viâ Thamnat.* Hanc posteriorem versionem optimam judicarem.

Ex prophetis intelligimus, prostitutis moribus fœminas plerumque obsedisse regias vias. Jeremias III, 2: *Vide ubi non prostrata sis; in viis sedebas, expectans eos, quasi latro in solitudine.* Ezechiel XVI, 25: *Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ.* Gemina tradunt Prophani Scriptores. Asserit Chrysippus (r), olim ab exordio fœminas illas nunquam prodiisse, nisi extra urbes & velatâ facie; subinde verò audaciores factas larvas deposuisse; & cùm metu legum id prohibentium, ingredi urbes non auderent, extra se continebant.

ỳ. 16. Ingrediens ad eam - - - nesciebat, quod nurus sua esset. Adulterii rea erat Thamar, utpote desponsata, & quodammodo connubio juncta cum Sela, qui nullâ ulteriori fide præstitâ ingredi poterat ad illam habito tantùm a Judâ assensu. Incestum insuper adjecit adulterio, quippe quæ rem habuit cum Judâ socero suo. Demonstrat autem Judas, quanto erga crimen illud Thamaris teneretur horrore; statim enim ac fœtam agnovit, ipse damnavit.

Scriptores quidam [s] dubitarunt, num re ipsâ Judas criminis arguendus sit; censent enim coitum cum fœmina tunc fuisse rem in medio positam. Huic sententiæ fulciendæ afferunt Patrum quorumdam authoritatem, probantium, saltem in specie, rem a Juda cum Thamare, & vicissim Thamaris cum Juda gestam. Addunt Rabbinorum quorumdam sententiam, & testimonium nonnullorum Paganorum Scriptorum, qui fornicationis nullum agnoscunt crimen; toleratam enim dicunt a legibus, eoque tantum nomine a viris sapientissimis improbatam, quòd eâ semel datâ viâ, irrumperent in Rempublicam scelera, & pravorum morum in juvenes eluvio; cæterùm ejus nullam esse repugnantiam quà juri naturali, quà æquitati justitiæ.

Ita quidem accessisse Judam ad Thamarem refert Scripturâ, ita rem totam narrat, ut horroris ne minimum quidem exprimat. Cùm Apostoli vetant fornicationem (t), in eodem illam censu referunt cum rebus minimè ex se malis, & naturâ suâ concessis, ut abstinentiâ a sanguine & suffocato, &c. *Ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato & fornicatione.* In Novo Testamento (u) insinnatum videtur a Jesu Christo, Judæos nequaquam sibi interdictum adulterium, censuisse; constat saltem pravas ejus cogitationes & desideria nihil habere in se criminosa putasse [x].

Tuetur S. Chrysostomus, *Homiliâ 62 in Genesim*, Thamarem nullius criminis damnandam esse; sicut & ab omni crimine purgandum Judam, quòd fœmina illa desiderio tantum suscipiendi liberos ad virum accesserit, nec spe suâ frustrandam censuerit Dei in res inferiores Providentia. Theodoretus pro suo more S. Chrysostomum sequitur *in Quæst. 95 in Genesim*; nec minùs mulieri favet S. Ambrosius [y]: *Hæc mulier non tam famosa quàm justa; non enim temporalis usum libidinis requisivit, sed successionis gratiâ concupivit.* Addit, in Scripturâ pariter factum illud mulieris quodammodò excusari, cum sedulò referantur historiæ illius circumstantiæ singulæ; & ipse pariter Judas fassus de illâ: *justior me est. Sed,* prosequitur, *non ita illam defendimus, ut istum accusemus; imo utrumque accusamus; non autem nos, sed mysterium, quod copula illius fructus expressit.*

Nullo tamen negotio demonstraremus, I, fornicationem jure naturali & Divino vetitam, nullâ rerum circumstantiâ permitti. Nihil, sive leges civiles, sive bonam agendi voluntatem, sive graviora mala evitandi consilium, sive populi mores, sive providentiæ ordo, quæ ex pravâ causâ non pravos effectus deducit, sive mysterium in eâ re gestâ occultatum, sive exitus pro voto secundus; nihil, inquam, ex his omnibus excusare potest a crimine Judam & Thamarem; nec facere, ut scortatio scelus minimè sit, cujus tamen probrum instantes rerum circumstantiæ extenuare quidem valent, demere prorsus non valent. Hoc autem argumentis demonstrandum est.

Consultò, ait S. Augustinus (z), *æterna lex illa, quæ ordinem naturalem conservare jubet & perturbari vetat, nonnisi propagationis causâ statuit hominis concubitum fieri; & hoc nonnisi socialiter ordinato connubio, quod non pervertat vinculum pacis. Et ideo prostitutio fœminarum non ad sustinendam prolem, sed ad satiandam libidinem proposita-*

rum

(m) שלמה אהיה כעטיה על עדרי חבריך
(n) ỳ. 22. *Vide Osee* IV, 14. (o) ותתעלף ותשב בפתח עינים אשר על דרך תמנתה
(p) *Hieron. quæst. Heb.* [q] Ἐκαλλωπίσατο πρὸς ταῖς πύλαις Αἰνάν, ἥ ἐστιν ἐν παρόδῳ Θαμνα.
(r) *In Isagoge bonorum & malorum.* Πρῶτον μὲν ἔξω πόλεως καὶ προσωπεῖα περικείμεναι ἑταῖραι ἐξεμισθοῦν ἑαυτὰς τοῖς βουλομένοις. (s) *Francisc. Georg. sect.* 4. *Problem:* 263, & 267. *Marsham. Can. Ægypt. sæcul.* IX, *pag.* 173. *Maimonid. More-neb. part.* 3, *cap.* 49. (t) *Act.* XV, 29. [u] *Matth.* V, 27
(x) *Vide ad Matth.* V, 20. (y) *Ambros. in Luc. lib.* III *num.* 18. (z) *Aug. l.* XXII *contra Faust. c.* 61, & 62.

℣. 17. Dixit: Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursumque illâ
dicente: Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, do-
nec mittas, quod polliceris.
℣. 18. Ait Judas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit:
Annulum tuum, & armillam, & baculum, quem manu tenes.
Ad unum igitur coitum mulier concepit,
℣. 19. Et surgens abiit: depositoque habitu, quem sumpserat, in-
duta est viduitatis vestibus.
℣. 20. Misit autem Judas hœdum per pastorem suum Odollami-
tem, ut reciperet pignus, quod dederat mulieri; qui cùm non
invenisset eam,
℣. 21. Interrogavit homines loci illius: Ubi est mulier, quæ se-
debat in bivio? Respondentibus cunctis: Non fuit in loco
isto meretrix.

COMMENTARIUS.

rum divinâ æternâque Lege damnatur.

II. Unum hoc argumentum satis esset ad evertenda ea, quæ pro Judâ & Thamare afferuntur. Certo enim deducta principio, necessaria hæc sequitur conclusio. Jure quidem S. Chrysostomus, S. Ambrosius, & Theodoretus rei gestæ crimen ex circumstantiis excusant, quod utique multum, illis amotis, haberet probri: sed allata ab illis omnia non prorsus purgant; minuunt tantùm horrorem criminis, quòd nullâ probri notâ inussit Scriptura: quàm mitissimùm fieri potest, de illo ferunt judicium; sed peccatum illi utique non excusant nisi simul authoritate suâ probent naturalis ordinis inversionem.

III. Latens in eâ re mysterium, prosper ejus eventus tollere omnino crimen non valet. Nam, ut ait S. Augustinus (a), *In factis hominum, quæ ad imitandum vitandumque proponuntur, magni interest, bona ne an mala sint. Quæ autem ad significandum scribuntur, sive dicuntur, nihil refert in moribus facientium quam laudem reprehensionemve mereantur, si modò habeant aliquam rei, de qua agitur, necessariam præsignandi congruentiam.*

IV. Quod attinet ad authoritatem Rabbinorum, Scriptorumque tam e Gentilibus quàm e Christianis, qui patronos se tam malæ causæ exhibent, nihil illis reponendum nobis arbitramur, quandiu non demonstrarint, scortationem legi naturali nequaquam repugnare. Si a legibus civilibus toleratam dicant, si dissimulasse illam Patriarchas ante leges Mosaicas; hæc tamen permissio simplex sive impunitas reputanda est, qua sive Judices ne in illam inquirerent, sive leges ne animadverterent, cohibebantur: nec tamen ex eâ factum est, ut rei scortationis immunes essent crimine sive ultione Dei. Demonstrat optimè Grotius (b) Ethnicos sanè multos rationis tantùm naturalis lumine agnovisse scortationis probrum & crimen. Adi Philonem in suo libro inscripto *Joseph*, ubi sanctitatem & severitatem legum Judaicarum opponit Paganorum licentiæ, quæ nullos salacium voluptatum fines præstituebant.

℣. 18. ANNULUM TUUM, ET ARMILLAM, ET BACULUM. Prima vox originalis חתם exprimit potissimùm *sigillum*, quod plerumque in annulo gestabatur. Obsignatoriis annulis utebantur Babylonii; vittis cingebant caput, & baculos scitè formatos gestabant in manu: supremum baculi caput ornabatur figurâ aliquâ insculptâ, pomo, rosâ, lilio, aquilâ &c. (c).

ARMILLAM. Hebræum פתיל, *Petil* usurpatur pro thæniâ, funiculo, vittâ. Non injuria arbitramur, designare hic vittas vel fascias, quibus caput obnubebant Orientales. *Parvum monile*, Ὁρμίσκον exponunt Septuaginta, & Aquila στρεπτὸν, *torquem*: alii *Sudarium*, quo sudor abstergitur: *Pallium* Pagninus; *Capitis* tegumentum alii; malunt tamen plerique vittam vel fasciam. armillis olim utebantur viri (d), ex quibus nomen ornamentis illis inditum *Virilia*; ex virilibus autem factum est *Viriole*, spiræ circà collum, quòd in usu essent virorum, & virilis animi argumentum. Vide Plinium lib. 33, cap. 3.

BACULUM, מטך. Symmachus, Ἐγχειρίδιον, pugionem seu virgam. Singularis operis baculum gestabant Arabes Nabathæi, proximi regioni, ubi tunc versabantur Hebræi, eodemque signo a cæteris aliis distinguebantur [e]. Invaluisse pariter apud Israëlitas morem illum, insinuare videtur Scriptura. Moyses nunquam non virgam suam gestat. Virga Aaronis posita fuit in Tabernaculo [f] unà cum aliis duodecim Principum, ut exploraretur Dei voluntas super delectis ab illo ad gerendum Sacerdotium. Heroicâ ætate homines baculum vel hastam perpetuò gestabant. *Per ea tempora*, ait Trogus (g), *Reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixere; nam & origine rerum pro Diis immortalibus Veteres hastas coluere; ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastæ adhibentur.*

℣. 21. NON FUIT IN LOCO ISTO MERETRIX.

(a) *Aug. l.* XXII *contra Faust. cap.* 83. (b) *Ad Matth.* v. (c) *Herodot. l.* 1, *cap.* 95. (d) *Papias Armilla propriè virorum sunt, ob armorum virtutem, quæ quondam virilia dicebantur.*
(e) *Num.* XVII, 1. (g) *Justin. lib.* XL III.

℣. 22. Reverſus eſt ad Judam, & dixit ei: Non inveni eam, ſed
& homines loci illius dixerunt mihi, numquam ſediſſe ibi ſcortum.
℣. 23. Ait Judas: Habeat ſibi, certe mendacii arguere nos non
poteſt: ego miſi hœdum, quem promiſeram, & tu non inve-
niſti eam.
℣. 24. Ecce autem poſt tres menſes nunciaverunt Judæ, dicentes:
Fornicata eſt Thamar nurus tua, & videtur uterus illius intu-
meſcere. Dixitque Judas: Producite eam, ut comburatur.
℣. 25. Quæ cùm duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum ſuum,
dicens: De viro cujus hæc ſunt, concepi, cognoſce cujus ſit
annulus, & armilla, & baculus.
℣. 26. Qui, agnitis muneribus, ait: Juſtior me eſt: quia non
tradidi eam Sela filio meo. Attamen ultra non cognovit eam.
℣. 27. Inſtante autem partu, apparuerunt gemini in utero: atque
in ipſa effuſione infantium, unus protulit manum, in qua ob-
ſtetrix ligavit coccinum, dicens:

COMMENTARIUS.

Hebræus: *Non fuit Kadeſchi* קדשה: Ducitur vox illa ex radice, quæ ſonat plerumque *ſanctificare*; quæ tamen interdum contrario ſenſu uſurpatur pro corrumpere, violare (*h*). Cautum eſt in lege ne maculâ quapiam fœdati ad tangenda ſancta accedant; quemadmodum nefas eſt puris accedere ad impura; æquè enim utrique legalem maculam contrahebant; utrâque autem eâ maculâ pollui appellat Scriptura קדש, *Cadeſch*, *ſanctificari*. Arbitrantur etiam docti quidam Interpretes, eâ voce ſignificari tantùm *ſeparare*; quod commodè de rebus ſanctis prophaniſque uſurpari poteſt; æquè enim ſancta ab impuris ſegreganda ſunt, à ſanctis impura. Grotius in hunc Textum ſcribit quemadmodum res in medio poſitæ ſunt & communes ita & ſcorta.

Cenſemus tamen temperandum eſſe nobis à ſubtilibus hiſce interpretationibus, ac ſtatuendum, vocem illam exprimere hìc ſanctam vel ſanctificatam, quod optimè conveniat fœminæ in ſcortationem ex voto Numinibus nuncupato addictæ. Ægrè utique induci poteſt in animum, eò uſque proceſſiſſe cæcitatis & libidinis homines, ut vel ſcortationes religione conſecrarent, niſi omnium Hiſtoriarum fides in eam rem conſentiret. Crimen illud erat in honore apud gentes quamplures, Ægyptios, Babylonios, Corinthios, Cyprios &c. Nec inferior regnabat in Chananitide corruptio. Poſt audita Sodomitarum crimina, nihil eſt cur de cæteris miremur.

℣. 23. Habeat sibi; certe mendacii arguere nos non potest. Hebræus; *Capiat ſibi, ne fortè ſimus in contemptum*. Nihil ultra de re cenſeo quærendum: pignora mea repetere nolo, ne de ridiculo & probro habear. Agnoſcit ille rei geſtæ probrum, & quanto ſe contemptui exponeret apud homines, ſi res vulgaretur.

℣. 24. Producite eam, ut comburatur. Statuta fœminis adulterii reis pœna erat lapidatio, juxta Legem (*i*): ſed filiæ Sacerdotum in crimine deprehenſæ damnabantur igne (*k*). E ſupplicio Thamaris inferunt Rabbini, natam illam ex Semo, vel Melchiſedecho Sacerdote Dei Altiſſimi (*l*). Igne fortaſsè damnabant Chananæi reos adulterii. Philiſthæi igne perdiderunt uxorem Sanſoni nuptam (*m*), quæ prioris thoro relicto, alteri viro adhæſerat. Rex Babylonis igne peremit Sedaciam & Achabum, de adulterio convictos (*n*); ſed vulgò id ſupplicii genus deſtinatum adulteris nullo argumento demonſtraretur.

Capitulinus de Macrino ſcribit: *Adulterii reos vivos ſemper ſimul incendit, junctis corporibus*. In adulteros apud Arabes (*o*) extremo ſupplicio ſemper animadverſum, quamquam filios cum matribus, & fratres cum ſororibus inceſtos impunes ferrent. Ægyptii, juxta Diodorum Siculum *l. 1, c. 6*, adulterum virum puniebant mille flagrorum ictibus; fœmina narium abſciſſione. Sed eodem pariter Diodoro authore, Seſoſtris adulteras quaſdam fœminas exuſſerat; unde ſuſpicio orta eſt, id apud Veteres Ægyptios pro more receptum fuiſſe. Jus patris in familiam ſuam ex eo intelligas, quòd Judas extremo ſupplicio damnat Thamarem adulterii ream, cujus ſententiæ nequaquam opponitur pater Thamaris, apud quem filia verſabatur.

Sed numquid pœna illa exacta fuiſset de Thamare, fœta adhuc muliere, non expectato partûs tempore? Perſuaſum habent Interpretes nonnulli, Judam rigorem ſententiæ ſuæ mitigaturum fuiſſe, dato ſe colligendi ſpatio, neque commiſſurum unquam, ut executioni mandaretur quod ferveſcente primùm irâ pronunciaverat. Legibus Ægyptiorum, Athenienſium & Romanorum ſtatutum eſt, ut ſupplicium de matribus criminoſis tandiù differatur, donec conceptum fœtum emittant. Doctores quidam Judæi tradunt, candenti tantùm ferro inurendam fœminam illam in fronte, quò ſcilicet vitæ ejus profeſſio agnoſceretur. Targum Jeroſolymitanum, & Jonathan referunt, in judicio illo ferendo auditam de Cœlo vocem, qua innocens pronunciabatur. Sed gratis hæc narrantur.

℣. 26. Justior me est. Non quòd re ipsâ juſta

(h) *Deut.* XXIII, 9. (i) *Levit.* XX, 10. (k) *Lev.* XXI, 9. (l) *Apud Grot. & Genebr.* (m) *Judic.* XV, 6. (n) *Jerem.* XXIX, 22, 23. (o) *Strab. lib.* XVI.

℣. 28. Iſte egredietur prior.

℣. 29. Illo vero retrahente manum, egreſſus eſt alter: dixitque mulier: Quare diviſa eſt propter te maceria? & ob hanc cauſam vocavit nomen ejus Phares.

℣. 30. Poſteà egreſſus eſt frater ejus, in cujus manu erat coccinum: quem appellavit Zara.

COMMENTARIUS.

juſta eſſet, ait S. Auguſtinus (p); ſed cum Juda collata, in aliquo ſaltem minùs erat iniqua. Ita etiam Ezechiel XVI, 51, 52, exprobrat Jeroſolymæ, *Samariam & Sodomam juſtificatas eſſe* ab Jeroſolymâ; majoribus enim criminibus tenebatur Jeruſalem, quàm ſceleræ illæ civitates. Judas utique affectatâ nimis dilatione connubii cum tertio filio ſuo, quod tamen concubitum antea promiſerat, in causâ fuit, cur Thamar ad crimen adigeretur. Inde criminum omnium & malorum origo. In eo erat igitur juſtior Thamar præ Judâ; cæterùm majoris criminis cenſenda erat fœmina quàm Judas, qui ad ipſam imprudens nec agnitam acceſſerat.

ATTAMEN ULTRA NON AGNOVIT EAM. S. Ambroſius (q), & Theodoretus (r) putant, Thamarem poſt exceptos e Juda geminos illos filios ab omni deinceps viri conſortio abſtinuiſſe, retento viduitatis ſtatu uſque ad obitum. Judæ nulli alii fuiſſe liberi videntur, quàm Phares & Zara & Sela. Poſtremo hic alteram ducens fœminam, genuit filios, quos habes in Numeris XXVI, 19.

Rabbini quidam vertunt: *Et non deſiit adhuc cognoſcere eam*; pro conjuge retinuit. Contendunt illi Hebræum יסף *Jaſaph* uſurpari hìc pro *ceſſare*, quemadmodum & in Numeris XI, 25. Sed hæc expoſitio coacta videtur, & repugnare contextui ac ingenio Linguæ Hebraicæ (s).

℣. 28. ISTE EGREDIETUR PRIOR. Hebræus & Chaldæus: *Iſte egreſſus eſt priùs*: major natu habendus. In hiſtoriâ Jacobi & Eſau animadvertimus, ſolemne fuiſſe apud Hebræos, ut qui primus naſceretur, illi jus eſſet majoris natu; ſed apud alios ſæpe dubitatum eſt, num jus illud maneret infanti alterum prævertenti; ille enim qui priùs egreditur, poſtremus conceptus videtur; in jure autem primoris natu ille potior habendus eſt, qui in conceptione ſui alterum prævênit, quamquam in naſcendo poſterior. Quæſtio eſt hodie pariter in utramque partem, ſtrenuè agitata. Vide Paulum Zacchiam *quæſt. Medico-Legal. tom. 2, l. 9.*

℣. 29. QUARE DIVISA EST PROPTER TE MACERIA? Hebræus (t). *Cur diviſiſti? Super te diviſio.* Chaldæus: *Quàm maxima fortitudo fuit in te, ut prævaleres?* Vulgatæ Textus plures admittit interpretationes. Cur parietem diviſorium effodiſti? Cur diſſidium attuliſti in familiam, in jure primoris natu fratrem tuum naſcendo præveniens (u)? Aliter: Dividaris tu, quoniam diſrumpere voluiſti quod te obvolvebat, & fratrem tuum præcedere (x); vel: Cùm tu ſeparationem fregeris, nomen habebis Pharez, vel Diviſio (y). Tandem ita reddi poteſt Textus. Quandoquidem tu diviſionem fregiſti, tuo periculo id fiat (z): in te recidet malum, & de te ipſo querere.

Patres illi (§), qui abditum in ſacris Scripturis ſenſum ſerutati ſunt, latêre in hac hiſtoriâ noverunt myſterium vocationis Gentium, & reprobationis Judæorum. In Pharez Judæos vel Synagogam agnoſcunt, in Zara Gentiles. Ad Synagogam, utpote majorem natu, jus utique ſpectabat in optimam hæreditatis Jeſu Chriſti portionem, ſed a prærogativis illâ ſuis excidit. Subſtituti in ejus locum Gentiles, ex quibus Eccleſia Jeſu Chriſti coaluit, vacuam a Judæis hæreditatem occuparunt. Vitta coccinea eſt ſanguis Jeſu Chriſti, quo fideles juſtificantur, & cui illorum omne meritum refertur accepto.

CA-

(p) *Aug. lib.* XXII, *contra Fauſt. c.* 61. (q) *Ambroſ. in Luc. lib.* III, *num.* 18. (r) *Theodoret. quæſt.* 95. (s) *Vide Selden. lib.* V, *cap.* 9. *de Jure Nat & Gent. & lib.* VII, *cap.* 5. (t) מה פרצת עליך פרץ (u) *Grot.* (x) *Vatab.* (y) *Bochart.* (z) Le Clerc (§) *Vide Iren. l.* IV *cap.* 43. *Chriſoſt. hom.* LXII *in Geneſ. Aug. lib.* XXII *contra Fauſt. cap.* 84, 85, 86. *Theodoret. quæſt.* 96. *Rupert. in Geneſ. lib.* 8.

CAPUT XXXIX.

Josephus intimâ potitur amicitiâ heri sui Putipharis. Sollicitatus ab herâ in adulterium, illam rejicit, quæ ipsum accusat de vi sibi illatâ; adigitque in carcerem.

℣. 1. IGitur Joseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus sui, vir Ægyptius, de manu Ismaëlitarum, a quibus perductus erat.

℣. 2. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prosperè agens: habitavitque in domo domini sui,

℣. 3. Qui optimè noverat Dominum esse cum eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.

℣. 4. Invenitque Joseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei, a quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, & universa, quæ ei tradita fuerant.

℣. 5. Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joseph, & multiplicavit tam in ædibus quàm in agris cunctam ejus substantiam.

℣. 6. Nec quidquam aliud noverat, nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Joseph pulchrâ facie, & decorus aspectu.

Ann. Mundi 2286. ℣. 7. Post multos itaque dies injecit domina sua oculos suos in Joseph, & ait: Dormi mecum.

℣. 8. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo suâ:

℣. 9. Nec quidquam est, quod non in meâ sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor ejus es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?

℣. 10. Hujuscemodi verbis per singulos dies & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.

COMMENTARIUS.

℣. 2. HAbitavit in domo Domini sui. Habebant Veteres mancipia usibus domesticis, habebant colonicis destinata. Inter domesticos erat Joseph apud Putipharem.

℣. 6. Nec quidquam noverat nisi panem, quo vescebatur. Referri hæc possunt ad Josephum, veluti si Scriptura vacuum a cupiditate lucri ac frugi modestissimque virum laudaret, qui in tantâ bonorum Domini sui sibi commissorum affluentiâ, nihil, nisi quod maximè necessarium esset, usurpabat. Commodè etiam referrentur ad Putipharem, qui tam altè in fide Josephi dormiebat, ut ejus manibus omnia committeret, nihil de reliquo curans, nisi ut commodè viveret, cæterum rationem domesticarum rerum ab eo nullam exigens. Alii tandem ita exponunt. Putiphar optimâ famuli administratione, quam Deus auxit benedictione suâ, profecit adeò, ut quantùm haberet ne intelligeret quidem; adeò enim locuples erat, ut vel ipsum suæ opes laterent, cùm maximè œconomo illi prorsus fideret, nihilque sibi reservasset curarum, quàm ut mensæ assidens appositis cibis vesceretur. Non absimilem phrasim legas apud Petronium: *Nescit quid habeat adeò zaplutus est*: & alibi: *Non mehercules puto decumam partem esse, quæ dominum suum novit.*

℣. 7. Post multos dies &c. Ætatem agebat Joseph XXVII annorum, abhinc enim triennio trigesimum ætatis annum agens, oblatus est Pharaoni. Decennio circiter jam servierat Putiphari.

℣. 9. Nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te. Onkelos: *Herus ipse meus non est major me in domo hac, neque prohibuit a me quicquam, præter te, eò quòd tu uxor ejus es.* Verti posset: *Nemo* [ex conservis meis] *supra me est; & dominus meus copiam mihi omnium fecit se unâ exceptâ.*

Peccare in Deum meum? Hebræus: *In Deum,*

Elohim

℣. 11. Accidit autem quadam die, ut intraret Joseph domum, & operis quidpiam absque arbitris faceret:

℣. 12. Et illa, apprehensâ laciniâ vestimenti ejus, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu ejus pallio fugit, & egressus est foras.

℣. 13. Cùmque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam,

℣. 14. Vocavit ad se homines domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis: ingressus est ad me, ut coiret meum: cùmque ego succlamassem,

℣. 15. Et audisset vocem meam, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras.

℣. 16. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum,

℣. 17. Et ait: Ingressus est ad me servus Hebræus, quem adduxisti, ut illuderet mihi:

℣. 18. Cùmque audisset me clamare, reliquit pallium, quod tenebam, & fugit foras.

℣. 19. His auditis dominus, & nimium credulus verbis conjugis, iratus est valdè:

℣. 20. Tradiditque Joseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus.

℣. 21. Fuit autem Dominus cum Joseph, & misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris.

℣. 22. Qui tradidit in manu illius universos vinctos, qui in custodiâ tenebantur: & quidquid fiebat, sub ipso erat.

℣. 23. Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis: Dominus enim erat cum illo, & omnia opera ejus dirigebat.

COMMENTARIUS.

Elohim. Exemplaria quædam legebant: *In Dominum meum*; quod commodè de Putiphare exponeretur; sed præstat Vulgatam sequi.

℣. 11. ACCIDIT, UT OPERIS QUIDPIAM ABSQUE ARBITRIS FACERET. Docet Chaldæus illum ad expendendas dati & accepti rationes se contulisse. Hebræus: *Ingressus est domum ad faciendum opus suum*, ut ministerium suum exequeretur.

℣. 21. DEDIT EI GRATIAM IN CONSPECTU PRINCIPIS CARCERIS. Autumat Pererius, ipsissimum hunc esse Putipharem herum Josephi, appellatum alibi Principem coquorum, vel Præfectum custodum corporis Regii. Cùm ille temporis beneficio innocentiam Josephi cognovisset, miserâ ejus conditione tactus, pro viribus rigorem leniit, ejus curæ committens cæteros carcere detentos, quin tamen illum restitueret in libertatem, ratus id indulgendum genio uxoris suæ, cujus furorem adversùs Josephum metuebat. Confirmat hunc sensum Hebræus, & Septuaginta capite XL, 3, 7. Nec alius est facilè Putiphar, qui deinde filiam suam Josepho despondit. Vide caput XLI, 45.

Author libri Sapientiæ X, 13, & Psalmus CIV, 18, 19. miseram viri sancti in carcere clausi conditionem describunt: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus*. Sed in tantâ rerum angustiâ comitem semper habuit sapientiam, qua manum præbente eductus e foveâ peccatorum assumptus est in Principem locum, sceptrum potestatis stringens adversùs eos, quorum fuerat calumniis oppressus. Historia Hyppoliti non obscurè exprimit factum Josephi; quemadmodum eumdem referunt Bellerophon, Hebrus, Tanis, Mirtilus, Peleus, Cnemon, qui sollicitantes ad probra Phœdram, Stonebœam, Damasippam, Peribœam, Hippodamiam, & Demenetem, abjecerunt. Mieni res gestæ, de quibus Plutarchus, eodem referuntur.

Quæ ab Josepho gesta per hanc occasionem legimus, conceptam de ejus merito & virtute opinionem promovent. Spectamus enim in illo quanto esset obsequio & reverentiâ in herum suum, quanto teneretur horrore in crimen, quanto metu, ne Deum offenderet; ejus fugam, sapienti consilio executioni mandatam; ejus in calumniis tolerandis patientiam, fortitudinem in adversis, fiduciam in Deum in medio carcere, & cùm iniqua, nihil tale meritus, pateretur. Putipharis uxor, uti observat Rupertus, non malè exprimit Synagogam, quæ, cùm amplexu retinere Christum vellet, carnalia tantùm agitans, divitias nempe, gloriam, famam, & caducarum dignitatum ambitionem, rejecta est a Jesu Christo, qui pallium suum in ejus manibus deseruit, id est, Legales cæremonias, & Scripturæ literam a

Digitized by Google

CAPUT XL.

Magnus Pincerna, & Pistor Regis Ægypti detinentur in carcere; ubi eorum insomnia explanat Josephus.

Ann. Mun. di 2287. ℣. 1. His ita gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, & pistor, domino suo.

℣. 2. Iratusque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus)

℣. 3. Misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus & Joseph.

℣. 4. At custos carceris tradidit eos Joseph, qui & ministrabat eis. Aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodiâ tenebantur.

℣. 5. Videruntque ambo somnium nocte unâ juxta interpretationem congruam sibi:

℣. 6. Ad quos cùm introisset Joseph mane, & vidisset eos tristes,

℣. 7. Sciscitatus est eos, dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra?

℣. 8. Qui responderunt: Somnium vidimus, & non est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Joseph: Numquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Accidit ut peccarent duo eunuchi. R. Salomon affirmat, reos illos fuisse, alterum quidem, quòd inter degustandum panem Pharao lapillum dentibus moleret; alterum, quòd in poculum musca fortuitò cecidisset. Has fabellas referre & indignum me duco, & Scripturarum sanctitate. Multa sunt quidem ejusmodi prophana ferenda Sacris Scripturis, cùm in manus talium Interpretum venerint. Proditionis in Regem tentatæ illos accusat Abenezra. *Duo Eunuchi.* Desunt hic in Textu Hebræo hæc verba, sed tantùm ad versum 7.

Pincerna (a). Nempe magnus Pincerna, & inter Præfectos aulæ Salomonis vir pinceps. S. Hieronymus vocem illam capite xv, a, vertit: *Procurator domûs*; observat autem, munus illud inter præcipua aulæ Regum, & Principum barbarorum reputatum fuisse, quod commissum Ganimedi a Jove traditur in fabulis. Nehemias Pincernam agebat apud Regem Artaxertem; & apud Cambysem Regem Persarum dignitatem illam obtinebat filius Prexaspis Persæ, viri in summo favore apud Principem. Munus Pincernæ non minimi est honoris apud Persas, ait Herodotus (c). Apud Reges Ægypti nunquam creduntur ea munera emptitiis mancipiis seu vernis in domo herili natis (d). Aulæ Præfecti omnes filii erant amplissimorum totius regionis Sacerdotum. Non est itaque reputandum, duos illos viros e grege fuisse vilissimorum mancipiorum.

Pistor. Hebræus: אֹפֶה, *coquus*. *Aquila*: Πέσσων, *coquus*, vel *coquens*; quam versionem probant Julius, & Tremellius. Eumdem Pistorem, qui & coquus, reputandum fuisse apud Veteres, tradit Festus apud Drusium. Idem nomen utrisque erat commune; seu duo illa muneri uni eidemque committebantur.

℣. 4. Custos carceris tradidit eos Joseph, qui et ministrabat eis: Putiphar dedit Josephum famulum amplissimorum illorum virorum, qui detinebantur in carcere; eoque documento, quantum sibi de ejus fide promitteret, satis ostendit. Nulla tamen exinde libertas major viro accessit; duramque servitutem suam & carceris injustitiam amarè dolet idem Joseph inferiùs ℣. 24, 25.

Aliquantulum temporis fluxerat. Annum egerant in carcere, juxta Hebræos & Interpretum nostratum plures (e). In Scripturâ ימים *Dies* non raro usurpatur pro anno. Quæ si vera sint, circa & idem tempus, ac Joseph, in carcerem viri illi traditi sunt; post duos enim ab hoc tempore annos Joseph triennalem carcerem subierat. Facilè Principes illi viri a Regis amicitiâ exciderant, quo die ille festum natalis sui agebat; post evolutum enim annum eâdem die Pharao utriusque recordatus est.

℣. 8. Somnium vidimus, et non est qui in-

(a) משקה *Septuag.* Ἀρχιοινοχόος, καὶ ἀρχισιτοποιός *Aqu.* πολιστὴς τοῦ βασιλέως Αἰγύπτου, καὶ ὁ πέσσων.
(b) *Hieron quæst. Hebr.* (c) *Herodot. lib.* III, c. 34. (d) *Diodor. lib.* I. (e) *Pagn. Cornel. Riber. Mari.*

℣. 9. Narravit prior, præpositus pincernarum, somnium suum: Videbam coram me vitem,

℣. 10. In qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere:

℣. 11. Calicemque Pharaonis in manu meâ: tuli ergo uvas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.

℣. 12. Respondit Joseph: Hæc est interpretatio somnii: Tres propagines, tres adhuc dies sunt:

℣. 13. Post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem juxta officium tuum, sicut ante facere consueveras.

℣. 14. Tantùm memento mei, cùm bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam: ut suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere,

℣. 15. Quia furto sublatus sum de terrâ Hebræorum, & hìc innocens in lacum missus sum,

COMMENTARIUS.

INTERPRETETUR NOBIS. Inquietus ille hominum animus satis probat morem illotum consulendi Divinos, & fidem, quam auguriis ejusmodi adhibebant; ex quo pariter de vetustate hujus superstitionis capias licet argumentum. Ægyptii omnium maximè ejus rei studio tenebantur. Inventæ artis honorem Isidi tribuit Manethon apud Eusebium *(f)*; a qua doctus Orus Apollo ejus filius. In superstitionibus Veterum *(g)* observamus, eos, qui somniorum molestiâ afficiebantur, rem totam Soli narrasse, siquidem somniorum Interpretes alii non suppeterent.

NUMQUID NON DEI EST INTERPRETATIO? Insomnia vestra interpretari non Divinorum est, sed Dei, qui pro arbitrio suo Divinis arcana reserat clauditque. Persuasum habebant Ægyptii, teste Herodoto l. 2, c. 83. Divinandi seu futura prædicendi facultatem non hominis esse, sed certorum Numinum. Ad eam rem erant Oracula Herculis, Apollinis, Minervæ, Dianæ, Martis. Jovis. Refert Justinus l. 36, c. 2, Iosephum, cùm in Ægypto captivus venditus detineretur, didicisse ibi Magiam, cujus ope favorem Regis conciliò adeptus est. Addit, mirum illi fuisse ingenium explicandi prodigia, primumque invenisse artem somnia interpretandi; & luculenta sæpiùs præbuisse argumenta suæ in jure divino & humano peritiæ; prædixisse diu antea futuram Ægypti sterilitatem, & absque illo fore ut tota poenitus regio fame vastaretur. Tanta erat ejus scientiæ viri fama, ut responsa illius non tamquam ab homine edita, sed veluti divina oracula reputarentur. Hæc sedebat opinio de Josepho prophanis etiam Scriptoribus.

℣. 10. IN QUA ERANT TRES PROPAGINES. S. Hieronymus *in qq. Hebraicis*, & S. Augustinus *(h)* in suis Exemplaribus legebant: *In qua erant tres fundi*: sed lectio illa poenitus reprobanda. Vox, πυθμένες, qua utuntur Septuaginta, imum fundum vasis interdum exprimit; sed Hebræus habet שריגם, *gemina, propagines*. Aquila: Κληματίδες, *Rami*.

℣. 13. RECORDABITUR MINISTERII TUI. Hebræus: *Elevabit caput tuum*: eriget te e misero hoc, ad quem redactus es, statu; vel rationes tuas supputabit *(i)*. Aliter: Restituet te inter Præfectos Aulæ suæ, occasione habendi census; hanc enim significationem habent interdum illa: *Tollere summam*, vel *caput* *(k)*, nec aliam prætulisse videntur Vulgata, Septuaginta, & Chaldæus.

℣. 15. QUIA FURTO SUBLATUS SUM DE TERRA HEBRÆORUM. Nunquam profectò Chananitidem nomine terræ Hebræorum designare potuisset Joseph, nec Præfecti Pharaonis aliter dictum intelligere, quàm de regione trans Euphratem. Natus erat Joseph in Mesopotamiâ, & mercatores Ismaëlitæ facilè tanquam mancipium Transeuphratæum vendiderant, metu ne iniquitatis & fraudis arguerentur: & fortassè dolum illum ipsimet fratres Josephi suggesserunt. Hanc igitur persuasionem in iis, quibus cum loquebatur, Joseph præmittens, ait, sublatum se e regione trans Euphratem, & ingenuum licèt, veluti Servum tamen venditum; post servitutem autem insigni maximè injutiâ actum fuisse in carcerem. Postremum hoc urgebat Joseph, primum illud de subductione suâ e terrâ Hebræorum omnisi obliquè tantùm commemorat; nec mendacii arguendus est, si ad eorum, quibus cum loquitur, præjudicia verba componit. In eum tantùm scopum tendebat, ut demonstraret injustè se carcerem & servitutem subire.

IN LACUM MISSUS SUM. Hebræum בור, *Bor*, & Græcum Λάκκος, *Laccos*, exprimit cisternam vel subterraneum locum, vel imam foveam. In ℣. 20 præcedentis capitis, ad exprimendam carcerem occurrit סהר, *Soar*, sonans rotundum locum

(f) *Euseb. Præp. l. 11, c. 1., pag. 48.* (g) *Casaubon. in Athen. lib. VIII, c. 9.* (h) *Aug. in Locution. lib. 1, num. 143.* (i) *Rab. Salom. Grot. &c.* (k) *Num. 1, 49; Exod. XXX, 12.*

ỳ. 16. Videns pistorum magister, quòd prudenter somnium dissolvisset, ait: Et ego vidi somnium, quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum:

ỳ. 17. Et in uno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoriâ, avesque comedere ex eo.

ỳ. 18. Respondit Joseph: Hæc est intepretratio somnii: Tria canistra, tres adhuc dies sunt:

ỳ. 19. Post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.

ỳ. 20. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande convivium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis.

ỳ. 21. Restituitque alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum.

ỳ. 22. Alterum suspendit in patibulo, ut conjectoris veritas probaretur.

ỳ. 23. Et tamen succedentibus prosperis, præpositus Pincernarum oblitus est interpretis sui

COMMENTARIUS.

cum ad modum lunæ, ideſt, turrim.

ỳ. 16. Tria canistra farinæ. Originalis voces שלשה כלי חרי variè usurpantur: *Tria canistra alba*, ideſt, viminibus nudatis & scitè paratis contexta. Chaldæus: *Tria canistra plena pane principali*, candido; vel generatim quacumque re candidâ, veluti farinâ. Septuaginta: Τρία κανᾶ χονδριτῶν, *Tria canistra panis hordeacei*. Aquila: Τρεῖς κόφινοι γύρεως, *mera farina*. Symmachus: Τρία κανᾶ βαΐνα, *Tria canistra e ramis palmarum contexta*. Porrò in canistris apponi consuevisse in mensâ panes, apud Veteres plura docent exempla. Automedon (*l*) in convivio, quo Achilles Priamum excepit, apposuit in mensâ panes in elegantibus canistris, ante singulos convivas. Reddi etiam posset Hebræus: *In canistris perforatis*, nempe reticulato opere contextis, vel canistris refertis pane sub cinere vel carbonibus cocto, placentis punctatis in superficie, vel sparsim lanceolâ perforatis. De panibus ita perforatis sermo est apud Josué IX, 5; & 3 Reg. XIV, 3.

ỳ. 19. Auferet Pharao caput tuum, ac suspendet in cruce. Capitis abscissione plerumque damnabantur sontes, ac truncata dein cadavera suspendebantur [*m*]. Scribit Jeremias in Threnis, V, 12, Principes Judæorum, cùm in Chaldæorum manus venissent, *manu suspensos fuisse*: antea enim capite obtruncati fuerant. Philisthæi post abscissum e Saulis cadavere caput, truncum illud appenderunt mœnibus Bethsan [*n*]. Ægyptii & Hebræi plerumque nonnisi sontium cadavera agebant in crucem vel in patibulum. Ita præscribit Moyses [*o*]; nec aliter factum a Judæis, demonstrant plura in Scripturis exempla [*p*].

ỳ. 20. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat. Solemne erat Orientalibus omnibus dies Principum natales festos agere. Notat S. Matthæus XIV, 6, Herodem natalis sui festum diem nece S. Joannis Baptistæ violasse. Scribit Josephus, per totam Regis ipsius ditionem celebratum fuisse Natale festum Agrippæ; & Author secundi Macchabæorum, VI, 7. insinuare videtur, juxta Textum Græcum, Antiochi Regis natalitia solemnia recurrisse, non singulis tantùm annis, sed & mensibus. De solemnibus eâ die conviviis Regum Persarum, sermo est apud Herodotum l. 1, c. 133, Heraclidem Cumæum [*q*], & Platonem (*r*).

Porrò duo illi Pharaonis Præfecti non obscurè exprimunt geminos latrones, quorum in medio positus fuit Jesus Christus pendens in cruce; Christi autem typus est Joseph. Christus ipse ex illis alterum servat, damnat alterum, quemadmodum & Joseph Pincernam restituendum, Pistorem supplicio perdendum prænunciat.

CA-

(*l*) Αὐτομέδων δ' ἄρα σῖτον ἑλὼν ἐπένειμε τραπέζῃ
Καλοῖς ἐν κανέοισιν.
Virgil. *Dant pueri manibus lymphas, Cereremque canistris Expediunt.*

(m) *Philo lib. de Joseph.* (n) 1 *Reg.* XXXI, 10. (o) *Deut.* XXI, 22. (p *Num.* XXV, 4. *Josue* X, 26, 27. *&c.* (q) *Apud Athen. l.* IV, *c.* 10. (r) *Plato in Alcibiad.* 1. Βασιλέως γενέθλια πᾶσα θύει καὶ ἑορτάζει ἡ Ἀσία.

Digitized by Google

CAPUT XLI.

Pharaonis insomnia Joseph interpretatur. Dignitatibus augetur. Connubium Josephi cum Azeneth: Initium sterilitatis in Ægypto.

℣. 1. POst duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super fluvium,

℣. 2. De quo ascendebant septem boves, pulchræ & crassæ nimis: & pascebantur in locis palustribus.

℣. 3. Aliæ quoque septem emergebant de flumine, fœdæ, confectæque macie, & pascebantur in ipsâ amnis ripâ in locis virentibus.

℣. 4. Devoraveruntque eas, quarum mira species, & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao,

℣. 5. Rursum dormivit, & vidit alterum somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ, atque formosæ.

℣. 6. Aliæ quoque totidem spicæ tenues, & percussæ uredine oriebantur,

COMMENTARIUS.

℣. 1. POST DUOS ANNOS, biennio post eductum Pincernam e carcere, & tertio carceris Josephi anno.

SUPER FLUVIUM, Nilum seu potiùs Nili ramum; dividitur enim amnis in plures canales, cùm inferiorem Ægyptum subit. Hebræum יאר, *Jeor* canalem potius quàm rivum vel amnem sonat. Urbs Tanis, Regis sedes, de quo hic, adjacebat canali Tanitico, juxta canalem Pelusii, qui inter septem Nili maximè est Orientalis.

℣. 2. IN LOCIS PALUSTRIBUS. Hebræum אחו, *Achu* exprimit herbam viridem, seu locum, ubi crescit; herbâ autem illâ pascebantur vaccæ, vel pascebant in pratis. Septuaginta [a] & Auctor Ecclesiastici (b) vocem illam usurpasse videntur vel tanquam peculiare loci nomen, vel saltem tanquam vocem extraneam; integram enim transtulerunt in Textum Græcum. Editio Septuaginta Basileensis habet hic Ἐν τῷ ὄχτα, *In ripa*, iidemque Interpretes vocem ipsam in Job VIII, 11, exponunt: Ἐν παπύρῳ: *In papyro*; genus est junci in Ægypto.

℣. 3. ALIÆ SEPTEM EMERGEBANT DE FLUMINE. Opimæ vaccæ non secus ac emunctæ ascendebant e fluvio, designantes amnis exundationem, quæ omnem fœcunditatem & ubertatem ejusdem regionem faciebat. Sed priores illæ conferebant se ad prata, aliæ in ripâ amnis continebantur; quasi scilicet designaretur, longè latèque stagnantes amnis aquas prioribus septem annis fore, irriganda autem ex illis prata & arva; cùm vicissim per alios septem succedentes annos, detentis intra alveum suum aquis, pascua nullibi præter quàm ad amnis ripas futura essent. Quod legitur in Vulgatâ, *In locis virentibus*, deest in Hebræo & Septuaginta.

℣. 5. RURSUM DORMIVIT. Eadem res iterum per quietem spectata expressum aliquid & majoris momenti portendit; quod declarat Josephus illis ad Pharaonem verbis ℣. 32: *Quod vidisti secundo ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis est indicium*. Ita pariter Daniel VII, 2, 3, unâ eâdemque visione spectat quatuor ventos in procellâ quadam inter se digladiantes, & quatuor belluas feroces, ascendentes e mari. Tacitus narrans insolitum somnium Ptolemæi Regis Ægypti, observat, eamdem speciem bis Regi dormienti obversatam: *Eadem species terribilior jam & instantior*. Somnia bis & tertiò eâdem nocte instantia, plura memorant historiæ.

SEPTEM SPICÆ PULLULABANT IN CULMO UNO (c). Genus est quoddam frumenti, sponte septem vel octo spicas efferens in uno culmine, cujus medulla & fistula major est vulgari triplo, vel quadruplo. Ipsissimum credo quod Plinius *l.* 18, *c.* 50, *Ramosum & centigranum* appellat. Idem occurrere ferunt in vulgari frumento, cujus in pingui solo unicus culmus ditescit ad novem usque spicas. Non erat igitur, cur Pharao admiraretur frumentum septem spicis uber; sed prodigio ille dabat septem illas spicas varii generis inter se, quamquam ex eodem culmine emergentes, earumque priores a postremis voratas. Hæc vividiùs impressa Regis animo, ipsum agitabant.

℣. 6. PERCUSSÆ UREDINE. Hebræus: שדופת קדים *Euro* vel *Kadim exsiccata*. Porrò *Kadim* ver-

(a) Ἐν τῷ ἄχει. *Alius*: Ἐν τῷ ἕλει. *Alius*: Ἐν τῇ ὄχθῃ. (b) *Eccli.* XL, 16. ἄχει.
(c) שבע שבלים עלות בקנה אחד.

℣. 7. Devorantes omnem priorum pulchritudinem. Evigilans Pharao post quietem,

℣. 8. Et facto manè, pavore perterritus, misit ad omnes conjectores Ægypti, cunctosque sapientes: & accersitis narravit somnium, nec erat, qui interpretaretur.

℣. 9. Tunc demum reminiscens pincernarum magister, ait: Confiteor peccatum meum:

℣. 10. Iratus rex servis suis, me, & magistrum pistorum retrudi jussit in carcerem principis militum:

℣. 11. Ubi unâ nocte uterque vidimus somnium præsagum futurorum.

℣. 12. Erat ibi puer Hebræus, ejusdem ducis militum famulus: cui narrantes somnia,

℣. 13. Audivimus quidquid posteà rei probavit eventus: ego enim redditus sum officio meo: & ille suspensus est in cruce.

COMMENTARIUS.

vertunt plerumque Septuaginta (d) Austrum: sed Plinius asserit, austrum nunquam in Ægypto regnare (e); & Scriptura *Kedem* nomine semper designat Orientem, vel regionem trans Euphratem & Tigrim (f). Insinuare videtur Oseas, Kadim flare ex Arabiâ Desertâ: *Adducet urentem ventum Dominus de deserto ascendentem, & siccabit venam ejus.* Porrò Orientales ventos, utpote ex arenti, & calidâ regione flantes, arentes fuisse maximè urentesque in Oriente & Judæâ, necesse est; asseruntque Itineraria recentia (g), regnare in Ægypto ab ineunte Aprili per L inde dies noxium quemdam ventum, qui subtilissimo quodam pulvere aërem infestat. Inferendum videtur ex Exodo x, 13, & xiv, 21, & Psalmo LXXVII, 26, & Ezechiele XVII, 10, & Jonâ IV, 8, ventum *Kadim* verno potissimùm tempore spirare.

℣. 7. EVIGILANS PHARAO POST QUIETEM. Hebræus: *Evigilavit Pharao, & ecce somnium*, quod vidit: vel *evigilavit somnio suo occupatus*. Intimo animi sensu intellexit, somnium illud non phantasticam, uti extera, rerum speciem exhibuisse. Vividius enim quàm solent vulgaria somnia, validiùsque impressum erat Regis animo. Similis omnino phrasis recurrit in tertio Regum III, 15. Deus per quietem spectandum se præbens Salomoni, magnificis promissionibus illum recreat: *Evigilavit Salomon, & intellexit quod esset somnium.*

℣. 8. AD OMNES CONJECTORES. Quid ferat potissimum vox חרטמים *Chartumim* in originali cum Ægyptiaci sermonis esse credatur, ignotum est. Septuaginta reddunt Ἐξηγητὰς, *Interpretes*. Aquila: Κρυφιαστὰς, *Occulta pandentes*. Symmachus, quem recentiores quidam sequuntur, Μάγους, *Magos*. Alius, Σοφοὺς, *Sapientes*. Malunt alii Prophetas, Divinos, Genethliacos. Hæc omnia in uno eodemque viro conciliari possunt. Magi erant, cùm virgas in angues transmutarint coram Moyse (h): & arioli, quippe qui exponendo Principis insomnio adhibiti sunt. Et si quis deducat vocem *Chartumim* e חרט, *celare*, vel סמה, *claudere*, commodè usurpari posset de Sacerdotibus Ægyptiis, quorum erat munus sacros Libros & Hieroglyphicos characteres interpretari: huic enim scriptionis generi traditos libros omnes Theologiæ apud Ægyptios, perhibet S. Clemens Alexandrinus *Strom. l.* V; nec ab aliis quàm a Sacerdotibus legi potuisse, tradit Diodorus *l.* 3. Vox *Hierogrammateis*, qua utitur Porphyrius (i), designare commodè potest Sacerdotum Ægypti classem quamdam, non malè referentem *Chartumim*, de quibus in Hebræo

CUNCTOSQUE SAPIENTES. Sacerdotes Ægyptii spargebant in vulgus, duo maximè commissa sibi fuisse a Regibus, cultum nempe Dei, & studium sapientiæ; quare exteris omnibus curis negociisque abjectis totos se addicebant rerum divinarum contemplationi. Ore procedebant ad severitatem composito, gravi passu, securâ fronte, risu infrequenti, & manibus semper sub veste latentibus. Custodiebant sanctè mores regionis; noctes consecrabant studio & meditationi astrorum vel expiationibus proprii corporis; diem habebant destinatam Numinum cultui, in quorum honorem quatuor repetitis vicibus hymnos canebant, manè, meridie, post meridiem, & vespere. Quidquid vacabat ab his occupationibus, impendebatur studio Arithmeticæ, & Geometriæ. Hi Ægyptiorum sapientes (k).

℣. 9. CONFITEOR PECCATUM MEUM. Hebræus, Septuaginta, Chaldæus, & Syriacus: *Peccata mea memorans hodie:* Agnosco quàm ingrato fuerim animo erga eum qui optimè meritus de me est. Excidit huc usque animo Joseph, qui me liberandum e carcere, quo detinebar, prædixit: vel, junctis iis quæ sequuntur: Succurrit peccatum meum, quod aliquibus antehac annis commisi, cujus causâ actus a Rege in carcerem, offendi ibi juvenem Hebræum, qui bono me augurio recreavit.

℣. 12. PUER HEBRÆUS. Cùm ad Regem deductus

(d) *Vulgò* νότον, *hic* ἀνεμόφθοροι, *aliàs* καύσωνα. *Jonæ*, IV, 8, *Aq.* καύσων. (e) *Plin. lib.* II, *cap.* 47: *Austros in Ægyptum penetrare negat Fabianus.* (f) *Exod.* X, 13, XIV, 21. *Psalm.* LXXVII, 26. *Oseæ* XIII, 15. [g] *Vide* Thevenot, part. I, liv. II, chap. 24. (h) *Exod.* VII, 2. [i] *Porphyr. lib.* IV, §. 8, *de Abstin.* (k) *Vide Charem. apud Porphyr. de Abstin. lib.* IV.

℣. 14. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Joseph totonderunt: ac veste mutatâ, obtulerunt ei.
℣. 15. Cui ille ait: Vidi somnia, nec est, qui edisserat: quæ audivi te sapientissimè conjicere.
℣. 16. Respondit Joseph: Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.
℣. 17. Narravit ergo Pharao, quod viderat: Putabam me stare super ripam fluminis,
℣. 18. Et septem boves de amne conscendere, pulchras nimis, & obesis carnibus, quæ in pastu paludis virecta carpebant.
℣. 19. Et ecce, has sequebantur aliæ septem boves in tantum deformes, & macilentæ, ut nunquam tales in terrâ Ægypti viderim.
℣. 20. Quæ, devoratis & consumptis prioribus,
℣. 21. Nullum saturitatis dedêre vestigium: sed simili macie, & squalore torpebant. Evigilans, rursus sopore depressus,
℣. 22. Vidi somnium: septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque pulcherrimæ.
℣. 23. Aliæ quoque septem tenues, & percussæ uredine, oriebantur e stipulâ:
℣. 24. Quæ priorum pulchritudinem devoraverunt. Narravi conjectoribus somnium, & nemo est, qui edisserat.
℣. 25. Respondit Joseph: Somnium regis unum est: quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni.
℣. 26. Septem boves pulchræ, & septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt: eamdemque vim somnii comprehendunt.

COMMENTARIUS.

ductus est, agebat xxx annorum ætatem, ℣. 46.

℣. 14. TOTONDERUNT; AC VESTE MUTATA OBTULERUNT. In luctu Ægyptii crines intonsos negligunt (l). Joseph in carcere, velut in perpetuo luctu, a tondendis crinibus & barbâ abstinuerat; quæ autem debebatur Regi veneratio, non permittebat, ut lugubri & neglecto corporis habitu coram illo parêret: & fortè etiam lege sancitum erat in Ægypto, ne quis in luctu Aulam ingrederetur. Ex sequenti enim capite L, 4 intelligimus, Josephum etiam in summo apud Regem honore constitutum, nunquam cum Rege egisse, ut permitteret sibi facultatem prosequendi cadaver patris in Chanaanitidem, ut justa persolveret. *Non enim erat licitum indutum sacco Aulam Regis* (Persarum) *intrare* (m). Attonsus fuit Joseph, quòd Ægyptii omnes, cùm juventutem attingebant, comam deponerent (n); lineis vestibus, nunquam non comptis, utebantur; id enim inter potissimas habebant curas (o). Hujus generis vestibus indutus est Joseph, ut regio conspectui non impar efficeretur.

℣. 16. ABSQUE ME DEUS RESPONDEBIT PROSPERA PHARAONI: non ego, sed Deus prospera respondebit Regi. Negationem addit Samaritanus: *sine me Deus non respondebit pacem Pharaoni*: negationem pariter servat Aquila (p). Septuaginta (q) *Sine Deo non respondebitur Salutare Pharaoni*. Symmachus (r) *Non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaoni*.

Chaldæus: *Non ex sapientiâ meâ, sed a facie Domini respondebitur pax Pharaoni*. Jonathan: *Præter me non est vir qui interpretetur somnia; verùm a facie Domini respondebitur pax Pharaoni*. Syriacus: *Numquam existimas, quòd absque Deo prospera succedant Pharaoni* (s)? Commodè etiam ita redderetur Hebræus (t): Est, *Domine*, summus somniorum interpres, cujus tantùm organum & minister ego. Is autem est Deus, quem rogo te servet, opemque tibi præstet ac favorem (u). Idem Textui huic sensus vindicari potest (x) ac illi apud S. Matthæum x, 20: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri*.

℣. 23. ALIÆ SEPTEM TENUES, ET PERCUSSÆ, UREDINE ORIEBANTUR. Hebræus (y) tria epitheta hisce spicis addit, cùm duo tantùm exprimant Septuaginta, & Vulgata. Chaldæus: *Septem spicæ inanes tenues & percussæ uredine*. Alii: *Septem spi-*

ca

(l) *Herodot. lib.* II, *c.* 36. (m) *Esther* IV, 2. (n) *Herodot. lib.* III, *c.* 12. (o) *Id. lib.* II, *c.* 37. (p) *Aq.* Ἄνευ ἐμοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται ὁ Θεὸς σωτηρίαν. (q) *Septuag.* ἄνευ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἀποκριθήσεται τὸ σωτήριον Φαραώ. (r) *Sym.* οὐκ ἐγὼ, ἀλλ' ὁ Θεὸς ἀποκριθήσεται εἰρήνην Φαραώ.
(s) *Syrus apud Procop.* οὐκ ἀποκριθησόμεθα. *Non respondebimur.*
(t) בלעדי אלהים יענה את שלום פרעה. (u) *Vatab.* (x) *Grot.*
(y) צנמות דקות שדפות קדים

℣. 27. Septem quoque boves tenues, atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, & septem spicæ tenues, & vento urente percussæ: septem anni venturæ sunt famis.

℣. 28. Qui hoc ordine complebuntur:

℣. 29. Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in universâ terrâ Ægypti:

℣. 30. Quos sequentur septem anni alii tantæ sterilitatis, ut oblivioni tradatur cuncta retrò abundantia; consumptura est enim fames omnem terram,

℣. 31. Et ubertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo.

℣. 32. Quòd autem vidisti secundò ad eamdem rem pertinens somnium: firmitatis indicium est, eò quòd fiat sermo Dei, & velociùs impleatur.

℣. 33. Nunc ergo provideat rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ Ægypti.

℣. 34. Qui constituat præpositos per cunctas regiones: & quintam partem fructuum per septem annos sterilitatis,

COMMENTARIUS.

aa arida tenues, arefactæ austro. Meridionales venti, si qui alii, noxii sunt in Ægypto; non ferendo enim æstu adurunt messes ac fructus, & morbos ferunt. Paria fermè de ventis Orientalibus narrant (z). Alii (a): *Spicæ excussæ* (e quibus excussa sunt grana), *tenues* (arcto nempe succo nutritæ) *& percussæ uredine*, nempe vel a frigore vel ab immodico æstu percussæ, sive in ipso flore adustæ. E tribus epithetis primum quod occurrit in Hebræo, non satis certæ est significationis.

Observat Grotius, multum intercedere affinitatis inter conjectationem somnii hîc datam a Josepho, & ea quæ de somniis apud Prophanos leguntur. Scribit Achmetus (b) belluas cornibus instructas exprimere tempora: vaccas quidem ubertatem; boves vel tauros tenues sterilitatem, vel quamcumque temporum difficultatem. Ita pariter Persæ explicabant somnia. Bos agriculturæ est symbolum; bos opimus non incongruè refert ubertatem; squalidus sterilitatem. Aquæ fluminis latè inundantes & extra alveum stagnantes, fertilitatis & gaudii emblema reputantur (c). Refert Tacitus (d) somnium, in quo spicarum inversarum corona caritatem & penuriam exprimebat.

Somnium aliud Archelai Regis Judæorum legas apud Josephum, in quo species exhibita illi est novem spicarum, granis suis tumentium, quas boves vorarint. Judæus quidam Essenius declaravit, novem illas spicas totidem annos exprimere; boves verò fortunæ mutationem. Oraculo fides ex eventu. Sed avertat Deus a nobis eam mentem, ut credamus, Josephum in explicatione somniorum Pharaonis futiles Divinorum conjectationes secutum fuisse, quorum scientia omnis nihil habet certum sive a Philosophiâ petitum, sive a religione, sive ab experientiâ, sed temerè omnia; ut nihil hominum imbecillitatem magis ad sensum demonstret, quam prona illorum in vana ista commenta facilitas. Si Deus interdum somnia ut certa rerum indicia misit, sensum etiam illorum sive per se ipsum revelavit, sive per Prophetas revelari jussit.

℣. 28. QUI HOC ORDINE COMPLEBUNTUR. Hebræus: *Hoc verbum quod locutus sum ad Pharaonem: quod Deus faciens videre fecit Pharaonem*; vel juxta Chaldæum, & Septuaginta: *Ipse est sermo quem locutus sum cum Pharaone: quod Deus facturus est, ostendit Pharaoni.*

℣. 30. UT OBLIVIONI TRADATUR CUNCTA RETRO ABUNDANTIA. Septennii ubertas septem annorum succedentium penuriam non minuet. Non difficilè credimus, sterilitate loca tamen amni proxima fructum aliquem protulisse. Et quidem si fructus terræ cessassent penitus, vix fieri potuisset, ut quintâ portione fructuum (e) succurreretur inopiæ incolarum & finitimorum integro sterilitatis septennio.

CONSUMPTURA EST FAMES OMNEM TERRAM, seu potiùs regionem & Ægypti, & circumjacentem. Profectò si per universum Orbem eadem ac in Ægypto fames invaluisset, ne unus quidem hominum superfuisset.

℣. 34. QUINTAM PARTEM FRUCTUUM. Author est Josephus Pharaoni, ut tributum indicat populis quintæ partis fructuum Regi pendendæ; ex proximè subsequentibus enim intelligimus, vendidisse Regem triticum a se collectum, & bona subditorum suorum frumento illo soluto emisse. Privati, qui causam collecti a Rege frumenti intellexerant, sibi quique frumento consuluerant: sed annonâ tandem deficiente, ipsi pariter coacti sunt ad Regis horrea venire. Artapanus apud Eusebium

(z) Vansleben voyage d'Egypte p. 36, 39, 50. [a] Le Clerc. (b) *Achmet. cap.* 239. Τὰ βοίδια θήλεα εἰς χρόνους, καὶ τὰ μὲν παχέα πίονα, χρόνους εὐφόρους δηλοῖ, τὰ δὲ πτωχὰ καὶ λεπτὰ, χρόνους δυσφόρους. (c) *Idem Onirocrit. cap.* 176. (d) *Lib.* XI. *Annal. circa initium.* (e) ℣. 34. *Quintam partem fructuum &c.*

℣. 35. Qui jam nunc futuri sunt, congreget in horrea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serveturque in urbibus.

℣. 36. Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est Ægyptum, & non consumetur terra inopiâ.

℣. 37. Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris ejus:

℣. 38. Locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?

℣. 39. Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia, quæ locutus es, numquid sapientiorem, & consimilem tui invenire potero?

℣. 40. Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantùm regni solio te præcedam.

℣. 41. Dixitque rursus Pharao ad Joseph: Ecce, constitui te super universam terram Ægypti.

℣. 42. Tulitque annulum de manu suâ, & dedit eum in manu ejus: vestivitque eum stolâ byssinâ, & collo torquem auream circumposuit.

COMMENTARIUS.

sebium (*f*) tradit, Josephum singulis Ægyptiis suam terræ portionem ad culturam assignasse, cum antea terram omnem communiter colerent, & nemo distinctas ab aliis obtineret portiones. Sed hæc repugnare videntur iis, quæ hìc narrantur de Josepho emente latifundia Ægyptiorum, quæ post exactam famem singulis restituit, ut a singulis colerentur. Vide *Genes.* XLVIII, 33, &c.

℣. 35. OMNE FRUMENTUM SUB PHARAONIS POTESTATE. Insinuatur ex ℣. 47 hujus capitis, frumentum illud in horreis cum paleâ servatum; quod maximè conducere creditur servando diutiùs eidem frumento, cùm interim palea in usus suppetat gregis, sæviente sterilitate. Asserit Varro (*g*), frumentum cum paleâ in loco aëri impervio custoditum, quinquennio conservari.

℣. 38. QUI SPIRITU DEI PLENUS SIT. Hebræus: *Cui spiritus Deorum* הלהים; & in proximè subsequenti versu: *Dii ostenderunt tibi*. Religionis suæ præjudicia sequitur in loquendo Pharao. Chaldæus: *In quo spiritus Prophetiæ a facie Dei est*.

℣. 40. AD TUI ORIS IMPERIUM CUNCTUS POPULUS OBEDIET. Textus Hebræus על פיך ישק כל עמי variè redditur. Vertunt nonnulli: *Cunctus populus osculabitur (h) super os tuum*, intellige de osculo obsequii, quod tanquam subjectionis argumentum exhibetur Regi. In hunc sensum redditur illud Psalmi: *Osculam ni filium*; quo loco Vulgata habet: *Apprehendite disciplinam*. Nec aliud voluit Samuel, cùm Saulem in Regem inunctum osculo excepit (*i*). Author Sapientiæ x, 14, insinuare videtur, Josephum Ægypti sceptrum tenuisse: *Donec afferret illi sceptrum Regni*; quin & in Principem Regionis electum perbibet Psalmus CIV, 21: *Constituit eum Dominum domûs suæ, & principem omnis possessionis suæ*. Sed mos ille subjectionis osculo venerandi Principes non satis idoneis argumentis demonstratus videtur, si quis maximè contendat, subditos indiscriminatim omnes ad tributi genus illud pendendum admissos fuisse.

Ita alii Textum explicant: Ad nutum tuum omnes, manu ori admotâ submissos se tibi esse per omnia demonstrabunt; obedient, nihil excipientes contra. Aliter: *Ad os tuum* (imperium tuum) *cibabitur* נשק (alimenta recipiet) *populus*; de regione universâ ad arbitrium decernes. Probat id Onkelos, quem Interpretum doctissimorum nonnulli sequuntur (*k*).

Commodè etiam redderetur: *Cunctus populus meus jussionibus tuis regetur*; mandante te sumet arma, conveniet, colligeturque ubicumque volueris; tandem solicitè curret (*l*) ad imperium tuum implendum; tibi non secus ac mihi obediet. Variantia hæc omnia debentur ambiguitati verbi *isebak*; cujus etymon in hoc loco ignoratur.

℣. 42. ANNULUM, vel sigillum. Vide caput XXXVIII, 18. Summæ authoritatis insigne erat annulus apud gentes quamplurimas, uti apud Agarenos, quorum Califi ita gestabant annulos, uti Principes apud nos sceptrum & diadema.

Alexander Magnus annulum suum credidit Perdiccæ: ex quo censuerunt, successorem illum suum destinasse (*m*). Populus ita loquitur apud Aristophanem [*n*]: *Redde mihi annulum; neque enim ampliùs quæsturam mihi geret*. Cùm Augustus morbo, uti credebatur, insanabili laboraret [*o*] annulum suum dedit Agrippæ, uti viro inter amicos, quem nosset æquitatis maximè tenacem. Assuerus traditum Amano annulum (*p*) suum

(f) *Euseb. Præp. lib.* IX, *c.* 23. (g) *Apud Plin. lib.* XVIII, *c.* 30.
(h) נשק *Osculari*. (i) 1 *Reg.* X, 1. (k) *Rabb. Salomon, Fag. Tigur. &c.*
(l) שקק *Discurrere*. (m) *Quint. Curt. lib.* X, *c.* 5.
(n) *Aristoph. in Equit. Act.* 11, *scen.* 4. Οἱ Ἱππεῖς. (o) *Xiphilin. in Aug.*
(p) *Esther* III, VIII.

ỹ. 43. Fecitque cum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent univerſæ terræ Ægypti.

ỹ. 44. Dixit quoque rex ad Joſeph: Ego ſum Pharao: abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum, aut pedem in omni terrâ Ægypti.

ỹ. 45. Vertitque nomen ejus, & vocavit eum linguâ Ægyptiacâ, Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Aſeneth filiam Putiphare ſacerdotis Heliopoleos. Egreſſus eſt itaque Joſeph ad terram Ægypti:

COMMENTARIUS.

ſuum repopoſcit, ut crederet Mardochæo.

Stola byssina. Hebræus: *Veſtibus ſcheſch*. Antequam coram Rege ſtatueretur Joſeph, familiari Ægyptiorum veſte, lineâ ſcilicet, indutus eſt; ſed obtentâ dignitate velatus *ſcheſch*, veſte ſcilicet, quantum reputo, e goſſypio, a lineâ ſcilicet vulgari valdè diſcrepante, & e byſſo, qui multò rarior ac precioſior. Vide quæ de lineis & pannis, de quibus in Scripturâ, contulimus ad Exodum xxv, 4.

Torquem auream. Torques aurea inſigne erat Principis Senatûs, vel ejus qui juis dicundo præciat apud Ægyptios. Vide quæ digeſſimus ad Exodum xxviii, 30. Apud Chaldæos tres ſupremi Regni Magiſtratus torquem gerebant. Vide Danielem vii, 16; & facilè etiam Reges Arabiæ eâdem decorabantur. *Judic.* viii, 26.

ỹ. 43. Super currum suum secundum. Super currum ſcilicet, qui proximè ad Regem accedebat, cùm regiâ pompâ procederet, atque in prælìis. Joſias Rex Judæ vulnere in prælio confoſſus (q), impoſitus fuit currui ſecundo, qui proximè ſequebatur, ait Scripturâ, *more Regis*. Alii dictum exponunt de curru deſtinato in ejus uſum qui a Rege ſecundus erat; quo loco erat Mardochæus apud Aſſuerum, & Joſeph apud Pharaonem. Interpretes iſti quo loco legimus, *Super currum ſecundum*, vertunt, *Super currum ſecundi* [a Rege].

Clamante præcone, ut genuflecterent. Hebræus ad literam [r]. *Et clamabant coram illo Abrech*. Quam poſtremam vocem eſſe lætitiæ, nullâ ſatis aptâ voce reddendam, cenſet Grotius; quare, ait ille, Septuaginta in verſione ſuâ omittendam cenſuerunt. Vertunt illi: *Et præco clamavit ante illum*. Maluerim tamen ego fateri, Interpretes illos hanc vocem reddidiſſe *præconem*. Symmachus vocem originalem ſervavit. Aquila Vulgatæ cohærens flexionem genuum vertit: quod Interpretes plures probant, deducentes *Abrech* ex Hebræo *Barac*, quæ interdum vox in eam ſignificationem uſorpatur. Interpretantur illi: *Clamabatur coram illo: Flectam genu*, vel, *Flectite genu*.

Alii Textum reddunt (s): *Pater eſt tener*; Onkelos: *Hic eſt pater Regis*. Targum Jeroſolymitanum: *Laudabant coram eo: Vivat Pater Regis, qui eſt magnus in ſapientiâ, tener in annis*. Nomen *Reicha* Syriacè eſt *Rex* (t): ſed numquid & Ægyptiacè? nullo id argumento probatur. Syriacus vertit hìc: *Pater & Præfectus totius terræ Ægypti*. Nomen *pater* dignitatis eſt interdum in Scripturâ; ipſe enim de ſe Joſeph capite xlv, 8, ait conſtitutum ſe a Deo patrem Pharaonis. Hiram Rex Tyri [u] mittit ad Salomonem *Hiram*, peritum opificem, quem patrem ſuum appellat. Aman non ſecùs ac Artaxerſis pater ſuſpiciebatur (x). Conſtat autem, in nomine *Abrech* patris nomen contineri; *Ab* enim eſt *pater*; *Rech* autem eſt *tener*, mollis, delicatus, compatiens, clemens; quod in Scripturâ ſæpe de pueris dicitur [y]. David cùm Regnum iniiſſet (z), dicebat: *Ego adhuc delicatus* (tener vel novus) *Rex*. Cùm igitur Joſeph ſalutatus eſt *pater tener* (*Abrech*) ſpectata eſt viri ætas & recèns collata dignitas.

ỹ. 44. Ego sum Pharao; absque tuo imperio non movebit quisquam manum. Regis tantum nomen mihi reſervo; authoritatem in ſubjectos mihi populos deſpoticam tibi committo: injuſſu tuo geretur nihil; vel: Juro per Regiam meam dignitatem, per meum ſceptrum, pari mihi authoritate te potiturum. Sunt qui credant, verbis illis, *Ego ſum Pharao*, velut exordium conſtitui edicti Regis pro conſtituendo in dignitate Joſepho; ſubſequentibus autem, *Abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum*, exprimi, a nemine arma ſumenda eſſe injuſſu Joſephi.

ỹ. 45. Vocavit eum lingua Ægyptiaca, Salvatorem mundi. Neque in Hebræo nec in aliis verſionibus, exceptâ Vulgatâ, legas illud, *Linguâ Ægyptiacâ*. Textus habet (a): *Vocavit eum Zaphnat Paneach*. Non ignorabat utique S. Hieronymus, verba illa in Hebræo ſignificare *revelantem abſcondita*; id enim notat in ſuis quæſtionibus Hebraicis. Cùm autem reputaret voces illas Ægyptiacam habere originem, maluit ſenſum exprimere, juxta illarum Ægyptiaco ſermone ſignificationem (b). Joſephus pariter & Philo

(q) 2 *Par.* xxxv, 24. (r) ויקראו לפניו אברך *Aqu.* καὶ ἐβόησεν ἔμπροσθεν αὐτοῦ πρόγνυ. *Alius* γονατίζω. *Septuag.* καὶ ἐκήρυξεν ἔμπροσθεν αὐτοῦ κῆρυξ. (s) אב *Pater*, רך *Tener*. (t) *Rabb. Salom. apud Druſ.* ריכא. (u) 2 *Par.* ii, 13. (x) *Eſth.* xvi, 11. (y) *Vide Geneſ.* xxxiii, 13. 1 *Par.* xxii, 5 & xxix, 1. & *Prov.* iv, 3. & 2 *Par.* xiii, 7. (z) 2 *Reg.* iii, 39. רך ומשוח מלך
(a) צפנת פענח. *Aq.* σαμφανή. *Sym.* σαφαθρανα. *Septuag.* Ψονθομφανήχ, *qui abſcondita novit*. *Alius interpres*, ᾧ ἀπεκαλύφθη τὸ μέλλον. *Alius*, ὁ κεκρυμμένα ἐκάλυψεν, *cui Deus abſcondita aperuit*.
(b) *Dicitur* Psotem phane *Copbticâ linguâ*, *Ægyptia ſurculo*, *ſonare Salvatorem mundi*.

℣. 46. [Triginta autem annorum erat, quando ſtetit in conſpectu regis Pharaonis] & circuivit omnes regiones Ægypti.

℣. 47. Vênitque fertilitas ſeptem annorum: & in manipulos redactæ ſegetes, congregatæ ſunt in horrea Ægypti.

COMMENTARIUS,

lo Ægyptiacas reputarunt, non ſecùs ac S. Hieronymus; verteruntque *Revelantem abſcondita, vel Somnia explicantem.*

Non ſatis tamen convenit inter omnes ſive de vocum illarum ſignificatione, ſive de Ægyptiacâ etymologiâ. Malunt ex Hebræo deducere. Hebraici ſeoſum præferunt Onkelos, Jonathan, Syriacus, RR. plures, cum Interpretibus ſanè multis, & S. Chryſoſtomus, ac Theodoretus. Nomen *Zaphnat Paneah* affinem habet ſignificationem cum munere Sacerdotum Ægypti, quos Græci appellant *Hierophantes*; id eſt, revelantes myſteria. Meminit Euſebius (*c*) ſapientum quorumdam virorum apud Ægyptios, quos *Arſepedonaptas*, vel *Arpedonaptas* appellabant, nomine ſatis conſono ipſi *Zaphnat Phaneah*.

Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos. Ratio ſcribendi nominis *Putiphare* פוטי פרע diſcrepat hic nonnihil ab alterâ, quæ ſervatur in capitibus xxxvii, & xxxix פטי פר. Nequaquam tamen id facere valuit, ne plerique Hebræorum (*d*), Interpretes etiam quà veteres nonnulli, uti Origenes, S. Hieronymus, Rupertus, quà Recentiores quidam, uti Toſtatus, unum eumdemque virum arbitrarentur. Hebræi apud Origenem ferunt, Putipharem referente filiâ Aſeneth intellexiſſe, non a Joſeph quidem uxorem ſuam ſollicitatam ad crimen, quin potius Joſephum illius preces ac vim recuſaſſe. Cùm igitur puella matris ſuæ crimen palam denunciaſſet, ejus rei merito, inquiunt illi, conjugium Joſephi obtinuit.

Oppoſita tamen ſententia probatur veterum, ac recentiorum Interpretum pleriſque. Putipharem hunc alterum eſſe dicit ab illo S. Chryſoſtomus (*e*). S. Auguſtinus judicium eâ de re ſuſpendit (*f*), profeſſus, a ſententiâ eâ de re ſecreodâ retineri metu, ne quid diſcriminis incurrat lædendi fidem & veritatem Scripturarum; ſed valida proponit argumenta, quibus inſinuet, Putipharem hunc ſocerum Joſephi alterum eſſe ab hero, qui deductum in Ægyptum captivum êmit. Primum argumentum deducit e ſilentio Scripturarum; numquam enim prætermiſſent illaudatam gloriosam adeò Joſepho rei circumſtantiam. Secundum exhibet, quòd primus ille Putiphar eunuchus fuerit; alter liberis non careret.

Reponunt hiſce nonnulli, Putipharem genuiſſe Aſeneth antequam abſcinderetur; eunuchus autem factus electus eſt in Sacerdotem Heliopolis; neque enim ſacerdotio Solis, qui Numen erat ejus Urbis, niſi Eunuchi, initiabantur. Sed hæc ſoliditatis parum, incerti plurimum habent. Obſervat pariter S. Auguſtinus, muneri Sacerdotis Heliopolis vix cohæſiſſe alterum Præfecti Coquorum, vel Ducis cuſtodum corporis, vel Imperatoris copiarum Pharaonis, & Præfecti carcerum, quibus muneribus par fuit Putiphar herus Joſephi. Addit fieri vix potuiſſe, ut unus idemque vir ſufficeret præſtandis muneribus aulæ, quæ erat Memphi, & Templi Heliopoleos, quæ Urbs erat xx M paſſuum a Memphi diſtans.

His argumentis inducti Interpretum noſtratum plerique alterum ab altero Putipharem diſtioxerunt. Quæ tamen certa ponit S. Doctor, authoritateque ſuâ perſuaſit pluribus, in urbe ſcilicet Memphoos ſedem fuiſſe Pharaonis conſtitutam, ardua habent multa. I, Nullibi Moyſes commemorat, Pharaonem ſedem Regni habuiſſe Memphi, cujus Urbis ne nomen quidem in ejus libris occurrit. II, Non obſcurè Pſalmiſta Pſalmo lxvii, 52, exprimit patrata a Moyſe prodigia *in Ægypto, et in campo Taneos.* Eſt igitur cur vero propius putemus, Pharaonem egiſſe in urbe Tani, in Hebræo *Zoan.* Sed his omnibus nihil officitur S. Auguſtini argumento, petito e diſtantiâ urbis Heliopoleos a Regni Metropoli; plus enim diſtat Tanis ab Heliopoli, quàm poſtrema hæc a Memphi. Adjacet Memphis ad ripam Occidentalem Nili ſupra Delta, & Tanis eſt in ipſo Delta, amplius xv leucis ab Heliopoli diſtans. Non multùm quidem valet argumentum illud deductum ex muneribus Præfecti Coquorum & Sacerdotis Heliopoleos, quæ duo vix in uno eodemque conciliarentur; non, inquam, multùm hæc valent, ſiquidem conſtet, Præfectum Coquorum ipſum fuiſſe ſacrificulorum vel immolantium victimas principem. Erant apud Ægyptios Sacerdotum varia genera, quemadmodum alibi demonſtratum eſt; & munera ſæpe gerebant plurimùm inter ſe abhorrentia.

Heliopolis, ſive Urbs Solis, *On* appellatur in Hebræo. Cenſet S. Iſidorus, conditam illam ab Iſraëlitis, quo tempore in Ægypto ſerviebant; ſed hanc opinionem Textus iſte, quem verſamus, refutat. Adjacebat Nilo, mediæ diei itinere a Babylone Ægypti, in plagâ Septemtrionali. Sermo eſt apud Strabonem l. 16, de vetuſtis Templis & Obeliſcis, qui ſuâ adhue ætate monſtrabantur, ampliſſimiſque Sacerdotum ædibus, in deſertâ licèt urbe, adhuc ſubſiſtentibus. Sacerdotes illi addicebant ſe totos Philoſophiæ & Aſtronomiæ; nihilque, ampliſſimum licèt, in universâ Ægypto erat ſupra ordinem Sacerdotum. Ex illis plures ad Regnum evecti. Putiphar Joſephi ſocer ex clariſſimo illo ordine erat.

℣. 47. In manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti. (48) Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. Hebræus ad literam: *Et fecit terra in ſeptem annis ſaturitatis in pugillos* (uberrimè). *Et congregavit omnem eſcam ſeptem annorum, qui fuerunt in terrâ Ægypti. Et dedit cibum in urbibus, cibum agri civitatis qui circuitus ejus, dedit* in

(c) *Euſeb. Præp. lib.* x, *cap.* 4. (d) *Hebræi apud Hieronym. in quæſt. Hebr. & apud Origen. in Caten. mſſ. Vide nov. edit. Hexapl. p.* 49. (e) *Homil.* lxiii *in Geneſ.* (f) *Quæſt.* 136 *in Geneſ.*

℣. 48. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est.

℣. 49. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet.

℣. 50. Nati sunt autem Joseph filii duo, antequam veniret fames: quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos.

℣. 51. Vocavitque nomen primogeniti, Manasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domûs patris mei.

℣. 52. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terrâ paupertatis meæ.

℣. 53. Igitur transactis septem ubertatis annis, qui fuerant in Ægypto,

℣. 54. Cœperunt venire septem anni inopiæ: quos prædixerat Joseph: & in universo orbe fames prævaluit; in cunctâ autem terrâ Ægypti panis erat.

℣. 55. Qua esuriente, clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens, quibus ille respondit: Ite ad Joseph: & quidquid ipse vobis dixerit, facite.

℣. 56. Crescebat autem quotidie fames in omni terrâ, aperuitque Joseph universa horrea, & vendebat Ægyptiis: nam & illos oppresserat fames.

℣. 57. Omnesque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent escas, & malum inopiæ temperarent.

COMMENTARIUS.

in medio ejus. Fruges nempe agrorum in eas urbes coëgit, quæ per eos agros erant. Commodè etiam redderetur versus 47: Terra protulit in septem illis annis quod expleret messores; vel, *Protulit* [*triticum quod colligebatur*] *in pugillos*, plenis manibus; vel tandem: *Universa regio coëgit in manipulos*, vel *condidit in horreis* (fructus terræ). Hebræum קמצים *Kamazim* usurpari potest sive de messoribus, sive de manipulis, sive de cumulis vel horreis, juxta variam ejus pronunciandi rationem.

℣. 51. MANASSES, idest, qui oblivionem inducit; filio enim illo nascente, Joseph ærumnarum omnium præcedentium oblitus est.

℣. 52. EPHRAIM; *abundantia*, *gemina*.

℣. 54. IN CUNCTA TERRA ÆGYPTI PANIS ERAT. Syriacus & Exemplaria quædam Latina vetusta contrario sensu legunt, defuisse scilicet panem in universâ Ægypto. Alia quædam, *Erat fames*, per Ægyptum scilicet invalescens. Sed retinenda Vulgatæ lectio, Hebræo conformis.

CA-

CAPUT XLII.

Fratres Josephi in Ægyptum veniunt. Velut exploratores excipiens Joseph, detinet Simeonem in carcere: alios remittit eâ conditione, ut redeuntes secum adducant Benjamin.

℣. 1. AUdiens autem Jacob quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare negligitis? Ann. Mundi 2297.

℣. 2. Audivi, quòd triticum venumdetur in Ægypto; descendite, & emite nobis necessaria, ut possimus vivere, & non consumamur inopiâ.

℣. 3. Descendentes igitur fratres Joseph decem, ut emerent frumenta in Ægypto,

℣. 4. Benjamin domi retento, Jacob, qui dixerat fratribus ejus: Ne fortè in itinere quidquam patiatur mali:

℣. 5. Ingressi sunt terram Ægypti cum aliis, qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in terrâ Chanaan.

℣. 6. Et Joseph erat princeps in terrâ Ægypti, atque ad ejus nutum frumenta populis vendebantur. Cùmque adorassent eum fratres sui,

℣. 7. Et agnovisset eos, quasi ad alienos duriùs loquebatur, interrogans eos: Unde venistis? Qui responderunt: De terrâ Chanaan, ut emamus victui necessaria.

℣. 8. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis.

℣. 9. Recordatusque somniorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores estis: ut videatis infirmiora terræ, venistis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. AUDIENS JACOB. Hebræus *Videns Jacob*. Temerè prorsus asserunt Rabbini, Jacobum factâ divinitùs revelatione intellexisse, *Quòd alimenta venderentur in Ægypto*. Hebræus ad literam: *Quòd erat fructio* שבר *in Ægypto:* ita verò appellatur frumentum, quòd ante molendina sive aquatica sive pneumatica, frumenta pinserentur in mortariis, vel trusatilium molarum ope: seu potiùs eo nomine designatur panis, qui plerumque non scindebatur, sed frangebatur; tenuis enim erat maximè & arens. Apud Priscos Græcos, sicut etiam Judæos, nullus erat cultrorum usus ad scindendum panem. Familiare est Scripturæ illud *frangere panem*, pro, panem ad esum dare. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*, ait Jeremias in Threnis IV, 4.

℣. 6. JOSEPH ERAT PRINCEPS. Hebræus: *Joseph erat Haschalith* השליט; cujus vocis etymon ex eâdem radice deducitur ac *Sultanus:* plus aliquid valet in communi significatione, quàm Princeps, exprimit enim supremam potestatem.

CUMQUE ADORASSENT EUM FRATRES SUI. Ad terram usque provoluti sunt; qua in re sua fides asserta est oraculo vel somnio Josephi, capite XXXVII, 9, 10, narrato.

℣. 9. EXPLORATORES ESTIS. Vim Hebraicæ vocis מרגלים expressit optimè Aquila Ἐφοδεύται, *Gens percurrens urbes & provincias*. LXX, Κατάσκοποι. Mendacii ne vitio damnandus Joseph, fratres suos tamquam exploratores accusans? S. Augustinus (*g*), quamquam a mendacio, & quæ mendacio utcumque favent, abhorret, nullum hìc mendacium deprehendit; arbitratur enim, Josephum verbis illis tantùm designare, se habiturum fratres, tamquam exploratores, siquidem veritatem non prodant. Non affirmans loquitur, ait S. Bonaventura (*h*); sed interrogat ad veritatem detegendam; quemadmodum non rarò in disceptationibus plura apertè erronea loquimur, quibus ad detegendam veritatem struatur via. Observat pariter S. Augustinus *quæst.* 145. nullum esse mendacium, cùm per ludum & ridendo aliquid affirmatur, citra omne persuadendi consilium; mendacia enim tantùm valent in seriis.

Affirmat S. Chrysostomus [*i*], commissum id a sancto viro, ut experimentum caperet sinceritatis fratrum suorum, intelligeretque quo essent animo in Benjamin, metuens, ne parem foverent in

(g) *Aug. quæst.* 139 *in Genes.* (h) *Bonavent. in* 3 *Sentent.* (i) *Homil.* LXIV *in Genes.*

℣. 10. Qui dixerunt: Non eſt ita, domine, ſed ſervi tui venerunt, ut emerent cibos.

℣. 11. Omnes filii unius viri ſumus: pacifici venimus, nec quidquam famuli tui machinantur mali.

℣. 12. Quibus ille reſpondit: Aliter eſt; immunita terræ hujus conſiderare veniſtis.

℣. 13. At illi: Duodecim, inquiunt, ſervi tui, fratres ſumus, filii viri unius in terrâ Chanaan; minimus cum patre noſtro eſt, alius non eſt ſuper.

℣. 14. Hoc eſt, ait, quod locutus ſum: Exploratores eſtis.

℣. 15. Jam nunc experimentum veſtri capiam: per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus.

℣. 16. Mittite ex vobis unum, & adducat eum; vos autem eritis in vinculis, donec probentur, quæ dixiſtis, utrùm vera, an falſa ſint; alioquin per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis.

℣. 17. Tradidit ergo illos cuſtodiæ tribus diebus.

℣. 18. Die autem tertio eductis de carcere, ait: Facite, quæ dixi, & vivetis: Deum enim timeo.

℣. 19. Si pacifici eſtis, frater veſter unus ligetur in carcere: vos autem abite, & ferte frumenta, quæ emiſtis, in domos veſtras:

COMMENTARIUS.

in illum, ac in ſe, ſimultatem. Addunt pariter ad vitium excuſandum, in eo dignitatis gradu conſtitutum illum fuiſſe, ut authoritatem exercere poſſet in fratres; qua authoritate vel cogente vel permittente ita habendi erant ab illo fratres, veluti alienigenæ & ignoti. Principis Ægypti agens perſonam, cur filios Jacobi agnoſceret, nihil erat: vel gerit ſe ut judicem, qui accuſatum ita interrogat, veluti ſi reum intelligeret, quamquam alioqui perſuaſus nihil ab illo commiſſum criminis fuiſſe. Nequaquam tamen hiſce argumentis factum eſt, ut Scriptores aliqui (k) levioris illum mendacii reum non damnent; quod veniale peccatum eſſe fatentur, nec ſanctitati ac merito tanti viri repugnans.

℣. 11. Pacifici venimus. Ita reddi poſſet Hebræum כנים: *Recti ſumus*, vel *nullius doli*. Symmachus: *Simplices ſumus* (l) vel *ſinceri*. Syriacus: *Juſti ſumus*. Omnia hæc opponuntur illatæ accuſationi, veluti ſi exploratores eſſent, doloſi, minùs ſinceri. *Pacifici* uſurpatur non rarò (m) pro *Amici*.

℣. 12. Immunita terræ considerare venistis. Hebræus: *Nuditatem* ערות *terræ*. Septuaginta: Τὰ ἴχνη τῆς γῆς, *Veſtigia terræ videre veniſtis*; quid in eâ agatur, quis in illam aditus ſit, omneſque vias exploraturi veniſtis. Aquila & Symmachus: *Exploraturi ſecreta regionis*, Τὰ κρύπτα τῆς γῆς, quod maximè extraneis negatur.

℣. 14. Hoc est quod locutus sum: exploratores estis. Aſſerit Joſeph, magis magiſque ſe in ſuſpicione de illis ſuâ confirmari; eſſe enim illos exploratores intelligebat, quòd audiret ab illis, liberos ejuſdem patris ſe eſſe duodecim, ex quibus unus detentus fuiſſet apud patrem, alterum non ſupereſſe ampliùs. Nihil utique hìc ſuſpicioſum deprehendimus. Ita igitur Textus exponendus eſſet, quantùm capio. Hæc omnia avertendæ de vobis ſuſpicioni minimè apud me valent; tamdiu ergo vos tamquam exploratores habebo, donec eorum, quæ aſſeritis, certa exhibeatis argumenta; afferendus eſt in medium duodecimus filius, & vera aſſerere vos certis argumentis demonſtrandum; ſin minùs, valebit ſuſpicio.

℣. 15. Per salutem Pharaonis (n): Aſſerunt Judæi (o), maximè ſacrum fuiſſe apud Ægyptios jusjurandum per ſalutem Regis conceptum. Seriò hìc Interpretes incumbunt ut removeant a Joſepho crimen, cùm per mortalis hominis vitam juret. Reputat S. Thomas (p), integrum fuiſſe viro obſtringere ſe ſacramento per vitam Pharaonis; perinde ac juramus per Evangelium, per Reliquias Sanctorum, & per ipſos pariter ſanctos, non eorum merita reſpicientes, ſed Dei, qui illos ſanctificat. Cùm Pharao Regis perſonam gereret, vivam exhibebat imaginem Dei ſu-

(k) *Lyran. Toſt. Delrio, Perer.* (l) *Septuag.* Εἰρηνικοί. *Aq.* ὀρθοί *Sym.* ἁπλοί. (m) *Vide Geneſ.* XXXIV, 21. 3 *Reg.* II, 13. *Eccli.* VI, 6. *Jerem.* XX, 10, *&c.* (n) חיפרעה *Septuag.* νὴ τὴν ὑγίειαν Φαραώ. *Aq.* ζῇ Φαραώ. (o) *Abenezra apud Grot. & alii apud Vatab. & Fag.* (p) *D. Thom.* 2, 2, *quæſt.* 89, *art.* 6.

℣. 20. Et fratrem veſtrum minimum ad me adducite, ut poſſim veſtros probare ſermones, & non moriamini. Fecerunt, ut dixerat;

℣. 21. Et locuti ſunt ad invicem: Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum, videntes anguſtiam animæ illius, dum deprecaretur nos, & non audivimus; idcircò venit ſuper nos iſta tribulatio.

℣. 22. Ex quibus unus Ruben, ait: Numquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum; & non audiſtis me? en ſanguis ejus exquiritur.

℣. 23. Neſciebant autem quòd intelligeret Joſeph: eò quòd per interpretem loqueretur ad eos.

℣. 24. Avertitque ſe parumper, & flevit; & reverſus locutus eſt ad eos.

℣. 25. Tollenſque Simeon, & ligans, illis præſentibus, juſſit miniſtris, ut implerent eorum ſaccos tritico, & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis, datis ſupra cibariis in viam: qui fecerunt ita.

℣. 26. At illi portantes frumenta in aſinis ſuis, profecti ſunt.

COMMENTARIUS.

ſuper terram. Joſeph itaque per ejus vitam jurans, teſtimonium veritatis adduxit juſtitiam Dei, cujus Rex ille exequutor eſſet ac miniſter.

Alii ſeveriores volunt, formulam illam jurandi per vitam Principis Idololatriæ aliquid referre, quam proinde nec purgaret recepta conſuetudo, nec alia quæcumque ratio; nihil enim excuſat a crimine rem Deo injurioſam, & quæ proximis eſt offendiculo. Chriſtianæ Religionis Martyres nunquam impetrari a ſe paſſi ſunt, ut jurarent per genium Romanorum Imperatorum; quod ipſiſſimum erat, ac ſi jurarent per vitam Principis. Profectò nihil eſſet, quo a crimine vacuum jusjurandum Joſephi reputaretur, ſiquidem certò conſtaret, formulam jurandi per vitam Principis, Idololatriæ aliquid referre. Sed reputari commodè poſſet, ſimplici quodam verborum ſenſu & a ſuperſtitione remoto maximè pronunciaſſe illum per modum optantis: *Vivat Pharao*; ſive uſurpaſſe dictum illud tanquam cùm ſolemus rem maximè incertam per aliam maximè certam adſtruere: *Quemadmodum certum eſt, Pharaonem vivere, ita pariter verum eſſe affirmo, nunquam vos e manibus meis dimittendos, niſi priùs datâ fide adducendi fratrem veſtrum.*

Nullo argumento convincitur, ipsâ Joſephi ætate Reges Ægypti divinos ſibi honores arrogaſſe; nec Iſraëlitæ etiam religioſiſſimi abſterrebantur unquam a ſacramentis per vitam Principis vel hominis alicujus. Quin & in rebus etiam vulgaribus jurabant per vitam hominis etiam privati, ut Anna mater Samuëlis, quæ ad Heli Summum Sacerdotem ait [q]: *Obſecro, mi Domine, vivit anima tua, Domine; ego ſum illa mulier &c.* Familiariùs id uſurpatum in ſermocinatione cum Rege. Abner ad Saülem [r]: *Vivit anima tua, Rex, ſi novi.* Abigaïl ad Davidem (s): *Vivit Dominus, & vivit anima tua.* Quis verborum hiſce phraſibus vel ſacramentum exprimi, vel idololatriæ aliquid aſſeruerit? Teſtatus eſt Joſeph, nunquam ſe fratres ſuos dimiſſurum, niſi priùs adduxerint Benjamin, ideſt, niſi datâ priùs fide adducendi.

℣. 20. FECERUNT UT DIXERAT. Fidem ſuam oppignerarunt, ſteteruntque promiſſis.

℣. 21. MERITO HÆC PATIMUR. Hebræus (t): *Verè delinquentes ſumus*; vel, *Verè & juſtè patimur criminis noſtri pœnam.* Quemadmodum enim uſurpatur interdum nomen criminis pro criminis pœnâ, ita etiam reus dicitur, qui ob crimen punitur. Hic autem intelligimus, quàm altè pungant læſæ conſcientiæ ſtimuli; evolutis enim XXII vel XXIII annis, cùm indignâ licitatione fratres fratrem vendiderant, non adhuc tamen vulnus convaluerat; & cùm in ſuum caput deturbari malum aliquod ſentiebant, ſtatim ſcelus commiſſum meminerant.

℣. 23. EO QUOD PER INTERPRETEM LOQUERETUR. Interpretem hunc egiſſe Manaſſem filium Joſephi, affirmant Judæi: utique octennis, vel novennis puer tanto muneri par erat. Quantùm intelligimus, fratres Joſephi nullo indigebant Interprete, ut ſenſa ſua Ægyptiis inſinuarent; inito autem conſilio Joſeph adhibuit Interpretem, facilè ad majeſtatis ſeveritatem, & ad terrorem ac reverentiam fratribus ſuis ingerendam.

℣. 25. TOLLENS SIMEON ET LIGANS. Omnium maximè animatus in fratrem ſuum Joſephum creditur Simeon; eodemque potiſſimùm authore initum ferunt primum illud conſilium fundendi ſanguinem fratris. Licebat Joſepho ultionem de inſigni injuriâ exigere; punire illum voluit, ait Theodoretus

(q) 1 Reg. I, 26. (r) Ibid. XVII, 55. (s) Et XXV, 36. (t) אבל אשמים אנחנו

℣. 27. Apertoque unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi,

℣. 28. Dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia; en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatique, mutuo dixerunt: Quidnam est hoc, quod fecit nobis Deus?

℣. 29. Veneruntque ad Jacob patrem suum in terram Chanaan, & narraverunt ei omnia, quæ accidissent sibi, dicentes:

℣. 30. Locutus est nobis Dominus terræ durè, & putavit nos exploratores esse provinciæ.

℣. 31. Cui respondimus: Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias.

℣. 32. Duodecim fratres uno patre geniti sumus: unus non est super, minimus cum patre nostro est in terrâ Chanaan.

℣. 33. Qui ait nobis: Sic probabo, quòd pacifici sitis: Fratrem vestrum unum dimittite apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite, & abite:

℣. 34. Fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam, quòd non sitis exploratores: & istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis; ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam.

℣. 35. His dictis, cùm frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias; exterritisque simul omnibus,

℣. 36. Dixit pater Jacob: Absque liberis me esse fecistis, Joseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Benjamin auferetis: in me hæc omnia mala reciderunt.

℣. 37. Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu meâ, & ego eum tibi restituam.

℣. 38. At ille, Non descendet, inquit, filius meus vobiscum: frater ejus mortuus est, & ipse solus remansit: si quid ei adversi acciderit in terrâ, ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

COMMENTARIUS.

doretus *quæst.* 103, quòd consilio Rubeni, liberare se volentis, nequaquam fuerit obsecutus. Sunt qui credant (x), Simeonem spontè se obsidem pro fratribus suis obtulisse, ac humanissimè jussu Proregis habitum, quin & libertati restitutum, abeuntibus fratribus. Sed hæc repugnare videntur Scripturæ; non enim nisi fratribus reversis, Simeon e carcere eductus est (y).

℣. 33. CIBARIA DOMIBUS VESTRIS NECESSARIA. Hebræus ad literam (z): *Capite famem domorum vestrarum*, idest, annonam domibus vestris necessariam.

℣. 35. REPERERUNT IN ORE SACCORUM LIGATAS PECUNIAS. Legimus infra, capite XLIII, ℣. 20, filios Jacobi pecuniam deprehendisse in ore saccorum, quos primùm solvérunt, ut pabulum jumentis sufficerent. Ita illi rem totam narrant Oeconomo Josephi. Et in hoc versu repertum ab illis dicitur argentum, cùm saccos effunderent post reditum in domum patriam. Quibus conciliandis, sunt qui affirment, viros illos speciem exhibuisse patri suo, quasi ad rem novam stuperent, inventâ in saccis pecuniâ, quam reipsâ tamen contineri ibi norant. Hæc simulatio viris succurrit, ne quid gravius audirent a Patre, utque se excusarent, quòd non promptè pedem retulissent in Ægyptum ad pecunias illas reportandas.

Censent alii, viros illos quædam de industriâ simulasse, cùm sermonem haberent ad Oeconomum Josephi; pecuniam enim dixeront inventam generatim, minimè significantes inventam illam

(x) *Theodoret. Lyr. Tost.* (y) *Genes.* XLIII, 23. (z) רעבון בתיכם

illam ab uno ex suis, quemadmodum notatum est ad ℣. 27 hujus capitis. Videtur tandem, ex illis quosdam portionem reipsâ pecuniæ in ore saccorum reperisse, cùm essent in diversorio; non tamen pecuniam universam deprehensam esse, nisi post reditum in domum patriam.

LIGATAS PECUNIAS, in marsupiis scilicet, vel saccis. Reddunt aliqui Hebræum צרור כספו: *Ligamen pecuniæ*, vel *fasciculum pecuniæ*: quod dictum intelligi potest de virgulis argenteis colligatis in fasciculum. Vertendum tamen malumus. *Reperer unt singuli suum marsupium pecuniâ plenum, unusquisque in saccis suis*. Hebræum *Zeror* est marsupium, ut ex Aggæo I, 6: *Misit eas in sacculum perforatum*; & Jobo XXVI, 8; Proverbiis VII, 20; ubi Hebræum *Zur* est obvolvi aliquo, & *Zeror* est marsupium.

CAPUT XLIII.

Fratres Josephi in Ægyptum veniunt cum Benjamin: quos Joseph excipit convivio.

℣. 1. Interim fames omnem terram vehementer premebat. Ann. Mundi 2298.
℣. 2. Consumptisque cibis, quos ex Ægypto detulerant,
dixit Jacob ad filios suos: Revertimini, & emite nobis pauxillum escarum.
℣. 3. Respondit Judas: Denuntiavit nobis vir ille sub attestatione jurisjurandi dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimum adduxeritis vobiscum.
℣. 4. Si ergo vis eum mittere nobiscum, pergemus pariter, & ememus tibi necessaria;
℣. 5. Sin autem non vis, non ibimus: vir enim, ut sæpe diximus, denuntiavit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam absque fratre vestro minimo.
℣. 6. Dixit eis Israël: In meam hoc fecistis miseriam, ut indicaretis ei & alium habere vos fratrem.
℣. 7. At illi responderunt: Interrogavit nos homo per ordinem nostram progeniem; si pater viveret; si haberemus fratrem; & nos respondimus ei consequenter juxta id, quod fuerat sciscitatus: numquid scire poteramus, quòd dicturus esset: Adducite fratrem vestrum vobiscum?
℣. 8. Judas quoque dixit patri suo: Mitte puerum mecum, ut proficiscamur, & possimus vivere: ne moriamur nos, & parvuli nostri.
℣. 9. Ego suscipio puerum: de manu meâ require illum: nisi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te omni tempore.
℣. 10. Si non intercessisset dilatio, jam vice alterâ venissemus.
℣. 11. Igitur Israël pater eorum dixit ad eos: Si sic necesse est, facite, quod vultis; sumite de optimis terræ fructibus in vasis vestris, & deferte viro munera, modicum resinæ, & mellis, & storacis, stactes, & terebinthi, & amygdalarum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. MITTE PUERUM. Agebat tunc Benjamin XXIV annorum ætatem; sed moris erat Hebræorum, ait S. Hieronymus in qq. Hebraicis, ut in familiâ natu minimus, ne inspectâ quidem ætate, puer appellaretur. Salomon XVII annis natus, & Josias XVI, appellantur singuli, *Puer parvus, puer tenellus* (a).

℣. 11. DE OPTIMIS TERRÆ FRUCTIBUS. Hebræus

(a) 3 *Reg.* III, 7: & 1 *Par.* XXII, 5; & XXXIV, 3.

ỷ. 12. Pecuniam quoque duplicem ferte vobiscum: & illam, quam inveniſtis in ſacculis, reportate, ne fortè errore factum ſit.

ỷ. 13. Sed & fratrem veſtrum tollite, & ite ad virum.

ỷ. 14. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem; & remittat vobiſcum fratrem veſtrum, quem tenet, & hunc Benjamin: ego autem quaſi orbatus abſque liberis ero.

ỷ. 15. Tulerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Benjamin: deſcenderuntque in Ægyptum, & ſteterunt coram Joſeph.

ỷ. 16. Quos cùm ille vidiſſet, & Benjamin ſimul, præcepit diſpenſatori domûs ſuæ, dicens: Introduc viros domum, & occìde victimas, & inſtrue convivium: quoniam hodie mecum ſunt comeſturi meridie.

ỷ. 17. Fecit ille, quod ſibi fuerat imperatum, & introduxit viros domum.

COMMENTARIUS.

bræus ad literam: מזמרת הארץ, *De cantatione*, vel *de laude terræ*. Quidquid ſcilicet in hac regione plurimi æſtimatur. Attulerunt, ait Origenes, de fructibus, quibus ferendis ſolum Ægyptium erat impar [*b*], reſinam, mel, thus, guttam myrrhinam, fructus terebinthi, nuces; & quidem de aromatibus ſupra, capite xxvii, 25, aliquid occurrit in rem præſentem, ſicut & de reſinâ ac guttâ myrrhinâ; nihil eſt tamen de melle, fructu terebinthi, & nucibus. Sunt qui credant, loco *mellis* vertendum hìc dactylos, unde mel exprimitur; & quidem Scriptura mel refert inter fructus (*c*), jubetque offerri Deo mellis primitias (*d*). R. Salomon docet, Hebræum *Dabaſch*, quod hìc mel, uſurpari de fructibus omnibus mellei ſaporis.

Storacis. Hebræus, נכאת, *Necoth*. Septuaginta, Θυμίαμα, *Thymiama*. Vulgata Aquilam ſequitur, qui Στόρακα vertit. Storax liquor eſt pinguis craſſuſque, ut balſamum, & ingrati odoris; magni tamen in medicinâ usûs. Fertur ex arbore malo cydoniæ non abſimili. Duo ſunt ſtoracis genera: alterum *Calamitum* appellatur, quòd olim è Pamphiliâ veniret in *Calamis*; alterum, quod vulgare eſt, rufum habet colorem, nec ingratum odorem, quemadmodum & *Calamitum*: ſed minoris quàm primum æſtimatur. Storax pendet è longioribus quibuſdam claviculis, veſtiturque levi pelliculâ, rotundos exhibente globulos, qui in acutum deſinunt, magnitudine nucis ponticæ; intùs vero globuli illi recondunt nucleos quoſdam, ſemen continentes.

Stactes. Hebræus, לוט, *Lot*. Eſt Stacte pingue quoddam gummi, ductum ex myrrhâ recenti contuſâ cum modico aquæ, & prælo expreſſâ. Is liquor pretio & odore eſt ſummo. Ferunt, nullam Stactem niſi corruptam hodie ſupereſſe.

Terebinthi. Septuaginta, & S. Hieronymus illos ſequutus, legiſſe videntur in Textu *Bothnim*; quo nomine Syriacè & Arabicè deſignatur Terebinthus. Arbor illa familiaris erat in Syriâ, et Theophraſto (*e*). Sed Hebræus, qualis legitur in noſtris Bibliis, habet בטנים *Batnim*, quod exprimit vel nuces juxta Chaldæum, vel avellanas juxta Rabbinos. Pagninus vertit *pineas*. Cenſet Bochartus, fructum eſſe arboris in Palæſtinâ & Syriâ familiaris, cui nomen *piſtacium*, vel *piſtacia*. Ejus arboris fructus, *piſtacia* appellati, inſtar botri pendent ab extrema orâ ramorum: veſtiuntur autem rubrâ gratique odoris pelliculâ. Omnium primus in Italiam eos fructus tulit L. Vitellius Cenſor [*f*], è provinciâ Syriæ redux. Nuces piſtaciæ longioris ſunt figuræ, nec malè ventris nomen in Hebræo referunt; *Bethen* enim Hebraicè eſt venter.

ỷ. 14. Ego autem quasi orbatus absque liberis ero. Hebræus & Septuaginta [*g*]: *Quomodo orbatus ſum, orbatus ſum*. Quoniam hoc conſilium mihi capiendum eſt, capiam igitur. Chaldæus: *Et ſicut orbatus ſum, orbabor*. Benjaminum amittam, quemadmodum & Joſepho orbatus ſum.

ỷ. 16. Occide victimas. Hebræus (*h*): *Immola immolationem*; macta victimas in ſacrificium. Hæc verborum phraſis inſinuare videtur, immolatas animalium carnes Numinibus Ægyptiis in ſacrificium, antequam apponerentur Joſepho. Cenſet Grotius, nondum invectam tunc in Ægyptum Idololatriam, cujus nullum reperit in Scripturâ veſtigium. Sed quinam Divini illi, & Magi, quos de ſomnio ſuo conſuluit Pharao? Unde propenſio illa Ægyptiorum in auguria & ſuperſtitionem divinationis? unde horror ille mutuus, Hebræos inter & Ægyptios, niſi ex Religionum diſcrepantiâ? Ætate Moyſis, qui poſt c annos a Joſepho florebat, obtinuiſſe Idololatriam in Ægypto, ſatis probat aurei vituli conſecratio, & legum illa farrago adversùs Idololatriam ſancitarum in Lege: tum & quæ aſſerit Ezechiel xx, 7, de Idolis Ægypti, coram quibus Iſraëlitæ proſtrati ſunt; ac tandem id demonſtrant ad ſenſum Deorum illæ ædiculæ, quas per deſertum delatas aſſerit Amos v, 26.

Nec

(b) *Origen. in Caten. mſſ. Vide nov. edit. Hexaplorum*. [c] *Deut.* viii, 8. (d) *Levit.* ii, 11, 12. (e) *Theophraſt. hiſtor. Plant. lib.* viii, *cap.* 1. (f) *Plin. lib.* xv, *c.* 22. (g) ואני כאשר שכלתי שכלתי. (h) טבח טבח *Septuag.* Σφάξον θύματα.

℣. 18. Ibique exterriti, dixerunt mutuò: Propter pecuniam, quam retulimus priùs in faccis noſtris, introducti ſumus, ut devolvat in nos calumniam, & violenter ſubjiciat ſervituti & nos, & aſinos noſtros.

℣. 19. Quamobrem in ipſis foribus accedentes ad diſpenſatorem domûs,

℣. 20. Locuti ſunt: Oramus, Domine, ut audias nos. Jam ante deſcendimus, ut emeremus eſcas:

℣. 21. Quibus emptis, cùm veniſſemus ad diverſorium, aperuimus ſaccos noſtros, & invênimus pecuniam in ore ſaccorum: quam nunc eodem pondere reportavimus.

℣. 22. Sed & aliud attulimus argentum, ut emamus, quæ nobis neceſſaria ſunt: non eſt in noſtrâ conſcientiâ, quis poſuerit eam in marſupiis noſtris.

COMMENTARIUS.

Nec tamen in eâ ſumus perſuaſione, Joſephum ſive immolaſſe unquam victimas Idolis, vel Ægyptiorum ſuperſtitionibus ſeſe unquam immiſcuiſſe. Originalis voces nullam ingerunt Idololatriæ ideam. Cùm Hebræi animalia quæcumque, etiam ante legem, mactarent, fluens ex illis cruor oblationis quodam genere Deo offerebatur; quippe qui datâ Noëmo carnis in cibum adhibendæ facultate, ſanguinem reſervavit ſibi (*i*). Poſt legem jubebantur Iſraëlitæ ſtatuere coram oſtio Tabernaculi animalia, quæ ſuo uſui privatus quiſque mactabat. *Levit.* XVII, 5, 6, 7.

Quamquam verò hæc religio Ægyptiis non foret, ſatis tamen Moyſi erat, ſi habuerunt Hebræi, ut ita de Hebræo homine ſcriberet. Cæterùm neque ſolis Hebræis familiaris fuit hæc phraſis. Heraclides Cumanus apud Athenæum teſtatur, ad uſum menſæ Regis Perſarum χίλια ἱερεῖα τῆς ἡμέρας καταχοπτόμενα, qualibet die mille victimas immolari conſueviſſe.

Meridie. Stata hæc in Ægypto prandendi hora videtur. Obtinuiſſe apud Hebræos, ut bis diebus ſingulis cibum caperent, ſatis conſtat. Abraham convivio excepit Angelos ad meridiem (*k*); & Loth veſpere ejuſdem diei (*l*) illos pariter refecit cibo. Bis diebus ſingulis Deus panes & carnes per volitantes corvos ſubminiſtrabat Eliæ (*m*). David poſt patratam a Joabo cædem Abneri, jurat ab omni ſe cibo abſtenturum uſque poſt occaſum ſolis (*n*). Saül inſequens fugientes Philiſthæos, imprecatur (*o*): *Maledictus vir, qui comederit panem uſque ad veſperam &c.* David poſt mortem Saülis omni cibo ſe uſque ad veſperam privavit (*p*). Obſervari etiam poſſunt in Scripturâ non rara cibi ad meridiem, ſicut & alia ad veſperam, ſumpti exempla.

Cibos manè capere, intemperantis erat hominis. Salomon [*q*]: *Væ tibi, terra, cujus Rex puer eſt, & cujus principes manè comedunt. Beata terra, cujus Rex nobilis eſt, & cujus principes veſcuntur in tempore ſuo.* S. Petrus objectas calumnias de epoto intemperanter vino refutaturus, ait (*r*): *Non ſicut vos æſtimatis, hi ebrii ſunt, cùm ſit hora diei tertia*, nempe juxta noſtrum horologium, nonæ hora matutina. Iſaias V, 11, illos reprehendit, qui conſurgunt manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam. Apud Perſas pariter geminæ quotidie refectiones obtinebant (*s*); & cum Rex Præfectis ſuis cibos ſufficeret, manè illos ſubminiſtrabat, quò ſcilicet veſpere illis uterentur cum amicis.

Quamquam apud Veteres Græcos occurrunt exempla prandiorum quatuor vel quinque per dies ſingulos, frugi tamen & modeſti homines nonniſi bis reficiebantur (*t*). *Sæpiùs de die cibum ſumere tam ſoliti Veterum plerique quàm nos hodie; niſi quòd parciùs ferè prandebant; multi etiam cœnâ tantùm vel prandio erant contenti.* Cùm Plato (*u*) in Italiam & Siciliam veniſſet, animadvertiſſetque bis ſingulis diebus cibos illic ſumi conſueviſſe, continere ſe non potuit, quin diceret, gentes huic vivendi generi ab ineunte ætate aſſuetas, nunquam ad aliquem prudentiæ & ſapientiæ gradum perventuras. Apud Latinos bis cibus ſumebatur, in prandio nempe & cœnâ; ſed in prandio ſeorſum quiſque reficiebatur, uti ſermo nos in jejuniis. Invitationes non ad prandia fiebant, ſed ad cœnam, cujus deſtinatum tempus circa tertiam horam pomeridianam erat.

Imperat extructos frangere nona toros.

℣. 18. Devolvat in nos calumniam. Hebræus (*x*): *Ad volvendum ſe ſuper nos*, ut nos conterat, dejiciat, opprimat, veluti cùm pugil dejicit adverſarium. Chaldæus & Verſio Samaritana: *Ut dominetur noſtri.* Syriacus: *Ut nobis inſultent.* Vatablus: *Ut nos adducat in ſervitutem.* Septuaginta (*y*): *Ad calumniandum nos, & imponendum nobis.*

(i) *Geneſ.* IX, 4, 5. (k) *Geneſ.* XVIII, 1. (l) *Geneſ.* XIX, 3. (m) 3 *Reg.* XVII, 6. (n) 2 *Reg.* III, 35. (o) 1 *Reg.* XIV, 24. (p) 2 *Reg.* I, 12. (q) *Eccleſ.* X, 16, 17. (r) *Act.* II, 15. (s) *Heraclid. Cuman. apud Athen. lib.* IV, *cap.* 10. (t) *Caſaubon. in Athenaum, lib.* I. *cap.* 10. & *lib.* II, *cap.* 8. (u) *Plato in epiſtolis apud Athenaum, lib.* XII, *cap.* 6. (x) להתגלל עלינו. (y) Τοῦ συκοφαντῆσαι ἡμᾶς, καὶ ἐπιθέσθαι ἡμῖν.

℣. 23. At ille respondit: Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris. Nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon.

℣. 24. Et introductis domum, attulit aquam, & laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum.

℣. 25. Illi verò parabant munera, donec ingrederetur Joseph meridie: audierant enim, quòd ibi comesturi essent panem.

℣. 26. Igitur ingressus est Joseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis: & adoraverunt proni in terram.

℣. 27. At ille clementer resalutatis eis, interrogavit eos, dicens: Salvus ne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc vivit?

℣. 28. Qui responderunt: Sospes est servus tuus pater noster: adhuc vivit. Et incurvati, adoraverunt eum.

℣. 29. Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin fratrem suum uterinum, & ait: Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum, Deus, inquit, misereatur tui, fili mi.

℣. 30. Festinavitque in domum, quia commota fuerant viscera ejus super fratre suo, & erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum, flevit.

℣. 31. Rursumque lotâ facie egressus, continuit se, & ait: Ponite panes.

℣. 32. Quibus appositis, seorsum Joseph, & seorsum fratribus, Ægyptiis quoque, qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Ægyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putant hujuscemodi convivium)

℣. 33. Sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita sua, & minimus juxta ætatem suam. Et mirabantur nimis,

COMMENTARIUS.

℣. 23. Pecuniam, quam dedistis, probatam ego habeo. Hoc quidem mendacium est. Cum autem ex mandato Josephi hæc dixerit, uterque mendacii reus est. Hebræus tantùm habet: *Pecunia vestra venit ad me.*

℣. 28. Adhuc vivit. Et incurvati sunt. Textus Samaritanus & Septuaginta: *Adhuc vivit. Et dixit: Benedictus sit homo ille Deo: & procumbentes adoraverunt.*

℣. 32. Illicitum est Ægyptiis comedere cum Hebræis. Intelligimus ex Herodoto (z); Ægyptios generatim se continuisse, ne cibos caperent cum extraneis; adeò verò abhorruisse à Græcis, ut vel renuerent communibus uti vasis fictilibus, lagenis, gladiis, osculo illos excipere, quin & tangere cibum, Græci alicujus cultro scissum.

Sed unde tantus horror penès Ægyptios adversùs gentes alias? Sunt qui causam referant in superstitionem, quòd scilicet Hebræi & gentes aliæ non abstinerent ab animalibus cultui propositis in Ægypto, sive quòd indiscriminatim cibis quibusdam uterentur, à quibus abhorrerent Ægyptii: factum inde ut Ægyptii pariter cæteras gentes veluti prophanas rejicerent.

Arridet hæc sententia Chaldæo & Interpretum pluribus. Malunt alii, contemptui habitos Hebræos ab Ægyptiis, quòd pastoritium exercerent vitæ genus, probrosissimum apud Ægyptios; cui interpretationi fidem adstruit caput XLVI, 34. Tandem alii (a) censent, Ægyptios in urbibus versantes, otiosoque vitæ generi addictos, nihil voluisse commune cum Ægyptiis pastoribus, gente bellicâ maximè & inquietâ.

℣. 33. Sederunt .... juxta primogenita sua. Mos erat tum apud Ægyptios, cùm apud Hebræos

(z) *Herodot. lib. 11, cap. 41. Et Charemon apud Porphyr. de Abstin. lib. iv.* Τῶν ἐξωτικῶν τῆς Σπονδῆς οὐδενὶ συνεβίουν. (a) *Cunaeus de Repub. Hebr. lib. 2, cap. 6. Vide Cleric. hîc.*

℣. 34. Sumptis partibus, quas ab eo acceperant; majorque pars venit Benjamin, ita ut quinque partibus excederet. Biberuntque, & inebriati sunt cum eo.

COMMENTARIUS.

bræos & Græcos pariter heroicorum temporum, ut cibos caperent non in lectis accumbendo, sed mensæ assidendo. Accumbendi exempla fermè non videntur in Scripturà, nisi post reditum e captivitate; Persarum enim erat consuetudo. Vide Esther I, 6, & VII, 8.

℣. 34. SUMPTIS PARTIBUS, QUAS AB EO ACCEPERANT. Ipse per se Joseph singulis seorsum portionem suam mittit, pro veteri more fercula convivis apponendi (d). Meliùs id exprimitur in Hebræo: *Tulit dona a facie suâ ad eos*, vel *Tulit fercula a facie suâ*. Appositas ante se dapes dividens, suas singulis fratribus misit. Apud Homerum Præfectus convivii per singulos convivas dividit distribuitque fercula.

MAJORQUE PARS VENIT BENJAMIN; ITA UT QUINQUE PARTIBUS EXCEDERET. In conviviis æquæ singulis partes distribuebantur; quare Homerus frequenter conviviis epitheton addit *æqualis*, δαῖτας ἴσας, quòd scilicet, ait Athenæus libro I, singulis æquæ darentur portiones. Honoratissimi tamen majoribus etiam portionibus inter cæteros distinguebantur, quod hìc factum spectamus. Hector exprobrat Diomedi coram se fugienti honorari illum a Græcis ἕδρῃ τε, κρέασίν τε, ἰδὲ πλείοις δεπάεσσι, *& sede* (in convivio dignissimâ) *& carnibus & plenis poculis*. Tradit Demetrius (e), Josephum, cùm quinque portiones fratri suo Benjamin assignaret, sibique duplicem retineret, ac tandem unicam daret fratribus, insinuare eo facto voluisse, tantumdem apud se valere duos filios Rachelis, ac septem Liæ.

BIBERUNT ET INEBRIATI SUNT CUM EO. Vox originalis שכר quæ sonat inebriari, leniùs interdum usurpatur, ut sit largiùs bibere, quantum sitis & necessitas postulat. Ita in Cantico V, I, Sponsa: *Bibite, amici, & inebriamini, carissimi.* Et Aggæus I, 6, ad Judæos: *Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis & non estis satiati, bibistis & non estis inebriati*: veluti insinuans, nec frumenti tantum nec vini collegisse illos, quantum satis est ad refertissimæ domûs abundantiam. Et Sapiens in Proverbiis XI, 25: *Qui inebriat, ipse quoque inebriabitur*; idest, qui largiùs donat, donabitur largiùs.

Solet Homerus claudere descriptionem conviviorum his vel similibus verbis [f]: Postquam pro voluntate biberunt & comederunt, post depulsam famem & sitim, secesserunt. Usurpatur interdum verbum *inebriare* sensu metaphorico apud sacros Scriptores (g): *Inebriabo sagittas meas sanguine.* Et Psalmo LXIV, II: *Rivos ejus inebria*; & Isaiæ XLIX, 26: *Cibabo hostes tuos carnibus suis, & quasi musto sanguine suo inebriabuntur*. Scribitur etiam inebriari dolore [h], vanitate &c. quæ omnia exprimunt sanguinis, pluviæ, & doloris redundantiam. Architriclinus in nuptiis Canæ ait ad Sponsum [i]: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est.* Quis profectò credat, Jesum Christum ebriis jam convivis prodigio vinum affudisse? Hîc profectò filii Jacobi caverunt, ne intemperanter ingurgitarentur vino; erant enim sub oculis viri gravissimi, quem fratrem suum adhuc non noverant, sed tanquam Principem reverebantur.

(d) *Vide Plutar. in Sympos. lib. II, quæst. ult.* (e) *Apud Euseb. Præp. lib. IX, c. 21.* (f) Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.
Et alibi. Αὐτὰρ ἐπεὶ σπεῖσάν τ' ἔπιόν θ' ὅσον ἤθελε θυμός.
(g) *Deut.* XXXII, 42. [h] *Isai.* LI, 21. (i) *Johan.* II, 10.

Digitized by Google

CAPUT XLIV.

Joseph abscondi jubet scyphum in sacco Benjamini; reductosque ad se fratres tanquam tentati furti reos agit. Judas offert se carceri loco Benjamini.

℣. 1. PRæcepit autem Joseph dispensatori domûs suæ, dicens:
Imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere; & pone pecuniam singulorum in summitate sacci.
℣. 2. Scyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit
tritici, pone in ore sacci junioris. Factumque est ita.
℣. 3. Et orto mane, dimissi sunt cum asinis suis.
℣. 4. Jamque urbe exierant, & processerant paululùm: tunc
Joseph accersito dispensatore domûs, Surge, inquit, & persequere viros; & apprehensis dicito: Quare reddidistis malum
pro bono?
℣. 5. Scyphus, quem furati estis, ipse est, in quo bibit dominus
meus, & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis.
℣. 6. Fecit ille, ut jusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est.
℣. 7. Qui responderunt: Quare sic loquitur dominus noster, ut
servi tui tantum flagitii commiserint?
℣. 8. Pecuniam, quam invênimus in summitate saccorum, reportavimus ad te de terrâ Chanaan: & quomodo consequens
est, ut furati simus de domo domini tui aurum, vel argentum?
℣. 9. Apud quemcumque fuerit inventum servorum tuorum,
quod quæris, moriatur, & nos erimus servi domini nostri.

COMMENTARIUS.

℣. 2. SCYPHUM. Septuaginta & Theodotion habent *Condy*, quod genus est scyphi libationibus destinati apud Persas. Æquabat decem cotylas. Nec apud Ægyptios ignotum erat vas, uti constat ex Nicomacho. Symmachus vertit Hebræum *Gabiah* (a) craterem, pateram. Diodorus [b] tradit, Condy significare calicem vulgarem.

℣. 5. IN QUO AUGURARI SOLET. Hebræum נחש *Nachasch* in deteriorem sensum usurpatur in Sacrâ Scripturâ, uti & Latinum *augurari*. Sed æquiora designari credit hìc Grotius; facilè enim Joseph hoc scypho utebatur, cùm se compararet ad interpretationem somniorum, libationes & sacrificia Deo priùs operatus. Latinum augurari non rarò designat tantùm per conjecturas divinare, vel futura prædicere, absque ullo superstitionis & magiæ vitio. Ita Textus, *In quo augurari solet*, non ita necessariò exponendus est, quasi divinationem præferat magicam & superstitiosam, de qua apud Veteres nonnullos, cùm scilicet scyphus aquâ vel alio liquore plenus, certo quodam ritu inclinatus qua parte ansulam habebat, liquorem illum effunderet; qua ex re futurorum auguria sumebantur (c).

Meminit Julius Sirenius scyphi divinatorii, cujus erat usus apud Assyrios, Chaldæos, & Ægyptios; aquâ plenus super impositam habebat laminam argenteam, vel gemmas aliquas, certis characteribus insculptas; tum obmurmuratis nonnullis verbis, Dæmon invocabatur, qui ex imo fundo aquæ sibilo quodam dabat responsa. Agit Plinius (d) de auguriis per aquam & pelvim. Vide Grotium hìc.

Arbitratur (e) S. Augustinus, nullo mendacio Josephum hæc dicenda mandasse œconomo suo; non enim seriò res agebatur. Voluit metum incutere fratribus, & voluntatem eorum erga fratrem suum Benjamin experimento intelligere. Censet S. Thomas (f), Josephum & œconomum locu-

(a) גביע *Aq.* Σκύφον. *Sym.* Φιάλην. *Septuag.* Κόνδυ. (b) *Diodor. in Caten. Gr.* Κόνδυ μὲν τὸ λεγόμενον ἁπλοποτήριον λέγει. (c) *Eustat. in Odyss. Jul. Firm. de fato, cap. 18 apud Perer.* (d) *Plin. lib.* XXX. *c.* 2. [e] *Aug. quæst.* 145 *in Genes.* (f) *Thom.* 2, 2, *quæst.* 195, *art.* 7.

℣. 10. Qui dixit eis: Fiat juxta vestram sententiam: apud quemcumque fuerit inventum, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii.

℣. 11. Itaque festinatò deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli.

℣. 12. Quos scrutatus, incipiens a majore, usque ad minimum, invênit scyphum in sacco Benjamin.

℣. 13. At illi, scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, reversi sunt in oppidum.

℣. 14. Primusque Judas cum fratribus ingressus est ad Joseph (necdum enim de loco abierat) omnesque ante eum pariter in terram corruerunt.

℣. 15. Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? an ignoratis, quòd non sit similis mei in augurandi scientiâ?

℣. 16. Cui Judas, Quid respondebimus, inquit, Domino meo? vel quid loquemur, aut justè poterimus obtendere? Deus invênit iniquitatem servorum tuorum: en omnes servi sumus domini mei, & nos, & apud quem inventus est scyphus.

℣. 17. Responditque Joseph: Absit a me ut sic agam: qui furatus est scyphum, ipse sit servus meus: vos autem abite liberi ad patrem vestrum.

℣. 18. Accedens autem propiùs Judas, confidenter ait: Oro, domine mi, loquatur servus tuus verbum in auribus tuis, & ne irascaris famulo tuo: tu es enim post Pharaonem

℣. 19. Dominus meus. Interrogasti priùs servos tuos: Habetis patrem, aut fratrem?

COMMENTARIUS.

cutos hìc juxta receptam apud Ægyptios opinionem, Josephum scilicet magicis superstitionibus initiatum fuisse.

Reddunt nonnulli: *Hic est scyphus, pro quo diligentissimè requisivit*, solicitè scilicet, seu *pro quo auguratus est*, vel *augures consuluit*: vel tandem: *Scyphus quem furati estis... ipse est, de quo certò auguratur*, auguratur nempe a vobis fuisse subreptum. Chaldæus: *Dominus meus quærens quæsivit eum*. Samaritanus (g) & Arabs: *Dominus meus vos tentavit per illum*. Reddi etiam posset, neglecto punctorum Massoreticorum ordine (h): *Nonne hic est scyphus Domini mei, quo bibit? & ipse auguratus est per illum malum quod fecistis.*

℣. 10. FIAT JUXTA VESTRAM SENTENTIAM. Acquiescere videtur propositæ a fratribus Josephi conditioni; re ipsâ tamen immutat omnia. Morte damnaverant illi virum, cujus in sacco furtum deprehenderetur, seque omnes spoponderant captivos Josephi; & œconomus his omnibus admissis, denunciat tantùm furem ducendum in carcerem, reliquos libertati permittendos. Aliter verti posset Textus, ut antilogia omnis submoveretur (i): Respondit: *Nunc quidem æquum esset, ut fieret vobiscum secundùm vestram sententiam: (sed) apud quemcumque fuerit furtum, ipse sit servus meus; vos autem eritis innoxii.*

℣. 15. AN IGNORATIS, QUOD NON SIT SIMILIS MEI &c. Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta: *Nesciebatis, quia investigans investigaret vir sicut ego?* nempe per divinos furem assequeretur.

℣. 16. DEUS INVENIT INIQUITATEM SERVORUM TUORUM. Recordatus est, detexit, tempus ultionis opportunum cœpit. Iniquitatis nomine hìc non incongruè designaretur sumpta de iniquitate ultio. Censet Bonfrerius, hanc iniquitatem designare furtum, cujus reus Benjamin credebatur. Plerique tamen de crimine venditi Josephi interpretantur.

℣. 17. QUI FURATUS EST, IPSE SIT SERVUS. Furtum hìc servitute punitur: an tamen constituta hæc furibus fuerit apud Ægyptios pœna, ignoratur.

℣. 18. TU ES POST PHARAONEM DOMINUS MEUS. Hebræus: *Tu sicut Pharao*; ita a nobis suspiceris, perinde ac Rex. ℣. 19. *Dominus meus interrogavit priùs servos suos.*

℣. 20.

[g] *In nov. edit. Hexapl.* Τὸ σαμαρειτικὸν, καὶ αὐτὸς πειράζει ἐν αὐτῷ.

גם עתה כדבריכם כן הוא (i) נחש ינחש בו הרעותם אשר עשיתם (h)

℣. 20. Et nos respondimus tibi domino meo: Est nobis pater senex, & puer parvulus, qui in senectute illius natus est; cujus uterinus frater mortuus est: & ipsum solum habet mater sua. Pater verò tenerè diligit eum.

℣. 21. Dixistique servis tuis: Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum.

℣. 22. Suggessimus domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit, morietur.

℣. 23. Et dixisti servis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis ampliùs faciem meam.

℣. 24. Cùm ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narravimus ei omnia quæ locutus est dominus meus.

℣. 25. Et dixit pater noster: Revertimini, & emite nobis parū tritici.

℣. 26. Cui diximus: Ire non possumus. Si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri.

℣. 27. Ad quæ ille respondit: Vos scitis, quòd duos genuerit mihi uxor mea.

℣. 28. Egressus est unus, & dixistis: Bestia devoravit eum: & hucusque non comparet.

℣. 29. Si tuleritis & istum, & aliquid ei in viâ contigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.

℣. 30. Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum, & puer defuerit (cùm anima illius ex hujus animâ pendeat)

℣. 31. Videritque eum non esse nobiscum, morietur, & deducent famuli tui canos ejus cum dolore ad inferos.

℣. 32. Ego propriè servus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens: Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore.

℣. 33. Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascendat cum fratribus suis.

℣. 34. Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero: ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

COMMENTARIUS.

℣. 20. IPSUM SOLUM HABET MATER SUA. Diu ante obierat Rachel; sed designatur hìc, ex duobus filiis ex illâ natis, Benjamin tantùm esse superstitem; seu nutricem Benjamin illum respicere, velut unicum filium Rachelis, ipsique esse in deliciis, veluti filium suum.

℣. 21. PONAM OCULOS MEOS SUPER ILLUM. Septuaginta: *Curam ejus geram*. Phrasis illa *oculos ponere super aliquem*, exprimit amicis oculis aliquem aspicere. Jeremias (k). *Ponam oculos meos super eos ad explicandum*. Observare hìc licet, I, hanc narrationem non prorsùs congruere cum alterâ, de quo cap. XLII, 13. &c. ex quo inferas, Scriptores sacros non semper in unum locum conferre rei gestæ circumstantias omnes; ut proinde nullum magni ponderis argumentum in re facti deducendum sit ex silentio Scripturarum. Neque etiam meritò inferendum, antilogias esse in duabus narrationibus, quòd in unâ circumstantiæ aliquæ exprimantur, in aliâ omissæ, dummodò nulla sit inter circumstantias illas repugnantia. II, Sacer Historicus, cùm loquentes inducit in suâ historiâ personas, non semper prolata ab illis verba recitat, contentus sensa & consilia omnia servasse; & cùm bis duobus in locis de eodem argumento loquentes aliquos affert, si sensus & res ipsæ congruunt, nihil est curandum, si verba varient, neque narratio antilogiæ, neque Historicus infidelitatis est arguendus. Idem est etiam judicium ferendum de additionibus, vel si quid deesse reprehendatur in variis Scripturæ Libris inter se comparatis. Sunt enim varii ejusdem rei Commentarii, quorum fusiores illi, strictiores isti, æqua tamen utrisque fides.

℣. 31. CUM VIDERIT EUM NON ESSE NOBISCUM. Deest *nobiscum* in Hebræo, at legitur in Chaldæo, Syriaco, & Samaritano.

CA-

(k) *Jerem.* XXXV, 6, & XXXIX, & XL, 4. & *Eccli.* XXXIV, 19.

CAPUT XLV.

Joseph noscendum se præbet fratribus; qui muneribus ditati regrediuntur ad Jacobum, ut illum unà cum familiâ reducant in Ægyptum.

℣. 1. NOn se poterat ultra cohibere Joseph multis coram astantibus: unde præcepit, ut egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ.

℣. 2. Elevavitque vocem cum fletu; quam audierunt Ægyptii, omnisque domus Pharaonis.

℣. 3. Et dixit fratribus suis: Ego sum Joseph: adhuc pater meus vivit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti.

℣. 4. Ad quos ille clementer, Accedite, inquit, ad me. Et cùm accessissent propè, Ego sum, ait, Joseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.

℣. 5. Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur, quòd vendidistis me in his regionibus; pro salute enim vestrâ misit me Deus ante vos in Ægyptum.

℣. 6. Biennium est enim, quòd cœpit fames esse in terrâ; & adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti.

℣. 7. Præmisitque me Deus, ut reservemini super terram, & escas ad vivendum habere possitis.

℣. 8. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum; qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum universæ domûs ejus, ac principem in omni terrâ Ægypti.

℣. 9. Festinate, & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Joseph: Deus fecit me dominum universæ terræ Ægypti: descende ad me, ne moreris,

℣. 10. Et habitabis in terrâ Gessen; erisque juxta me tu, & filii tui, & filii filiorum tuorum, oves tuæ, & armenta tua, & universa, quæ possides.

COMMENTARIUS.

℣. 5. NEQUE VOBIS DURUM ESSE VIDEATUR, QUOD VENDIDISTIS ME &c: Hebræus ad literam ואל יחר בעיניכם *Ne sit ira in oculis vestris*: ne vos ea res mœrore afficiat, ne mutuam inter vos charitatem hæc res turbet. Metuebat Joseph, ne fortè revocati in mentem criminis pudor ad regerendam alterum in alterum ejus rei culpam induceret, atque ad jurgia ac dissidium traheret. Spectare hìc licet quàm altè Joseph de providentiâ Dei sentiret, Dei scilicet, qui crimina hominum & impietatem consiliis suis servire jubet.

℣. 6. NEC ARARI POTERIT, NEC METI. Annis sterilitatis serebatur quidem agri aliquid, sed ita parum, ut tanquam nihil reportaretur. Intelligimus infra, capite XLVII, 19, Ægyptios sæviente adhuc sterilitate postulatum venisse a Josepho semina. *Præbe semina, ne pereunte cultore, redigatur terra in solitudinem.* Hæc igitur exaggeratione potiùs a Josepho dicta sunt.

℣. 8. FECIT ME QUASI PATREM PHARAONIS. Hebræus habet: *Posuit me in patrem Pharaoni.* Jam supra ad caput XLI, 43, observavimus, Patrem Regis nomen dignitatis esse in Aulâ Regum Ægypti. Nec ignotus est apud Phœnices, Persas, Arabes, & Romanos Patris titulus, certis quibusdam summisque Magistratibus additus. Ex literis Constantini ad Ablavium intelligimus, eo honoris elogio compellatos a Romanis Imperatoribus Præfectos Prætorio. Secundus a Rege patris titulo decorabatur apud Caliphos (*a*). In Libro Judicum XVII, 10, Michas ad juvenem Levitam: *Sis mihi in patrem.* Notat Diodorus (*b*), Reges Ægypti magistros & consiliarios habuisse regionis illius Sacerdotes: quo sensu facilè nomen patris hìc usurpatur.

℣. 10. HABITABIS IN TERRA GESSEN. Nomen *Gessen* accersit S. Hieronymus ex Hebræo

גשן

(a) *Hist. Sarac. lib. 11, c. 16.* (b) *Diodor. Sicul. lib. 1.* Ἐξηγητὰς ϗ διδασκάλους.

℣. 11. Ibique te pascam (adhuc enim quinque anni residui sunt
famis) ne tu pereas, & domus tua, & omnia, quæ possides.
℣. 12. En oculi vestri, & oculi fratris mei Benjamin vident,
quòd os meum loquatur ad vos.
℣. 13. Nuntiate patri meo universam gloriam meam, & cuncta,
quæ vidistis in Ægypto: festinate, & adducite eum ad me.
℣. 14. Cùmque amplexatus recidisset in collum Benjamin fratris
sui, flevit; illo quoque similiter flente super collum ejus.
℣. 15. Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, & ploravit su-
per singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum.
℣. 16. Auditumque est, & celebri sermone vulgatum in aulâ Re-
gis: Venerunt fratres Joseph: & gavisus est Pharao, atque
omnis familia ejus.
℣. 17. Dixitque ad Joseph, ut imperaret fratribus suis, dicens:
Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan,
℣. 18. Et tollite inde patrem vestrum, & cognationem, & veni-
te ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut come-
datis medullam terræ.
℣. 19. Præcipe etiam, ut tollant plaustra de terrâ Ægypti, ad
subvectionem parvulorum suorum, ac conjugum, & dicito:
Tollite patrem vestrum, & properate quantocyùs venientes.
℣. 20. Nec dimittatis quidquam de supellectili vestrâ, quia omnes
opes Ægypti vestræ erunt.

COMMENTARIUS.

גשם *Geschem, pluvia*, quòd, inquit, regio illa in viciniis esset Arabiæ, regionis pluviâ irriguæ, cùm cætera Ægypti loca nullus e Cœlo imber tangat. Exemplaria Septuaginta habent *Gesem Arabiæ*; erat enim regio Arabiæ. Additio illa ætate S. Hieronymi legebatur; sed ille, utpote in Hebræo nusquam apparentem, censuit rejiciendam.

Regio Gessen maximè omnium Orientalis est & Septentrionalis in Ægypto inferiori. Nomum Arabicum appellant Geographi regionem vicinioren Arabiæ, & Mari Rubio, Nomo Tanitico oppositam. Inter Urbes Gessen præerit Ramesses, ex qua regio universa nomen obtinet Terræ Ramesses, capite XLVII, 11. Autumavit Josephus, libro 2, c. 4, Israëlem ejusque filios moram traxisse in loco ubi Heliopolis sita est; in quam sententiam inclinasse videtur Arabs, cùm nomen *Ramessen* reddat *Ain semes* (c), *fons solis*, quod cum Heliopoli confunditur. Ita pariter interpretatur Geographus Arabs. Est autem Heliopolis apud Strabonem, *l.* 17, in eo Ægypti tractu, quem Arabicum nuncupant: ibique pariter constituitur Gessen a Septuaginta; a quibus in Exodo 1, 2, additur Urbs On vel Heliopolis urbibus Pithom & Ramesse. Vide Genesis XLVI, 28, 29.

℣. 11. IBI TE PASCAM .... NE PEREAS. Commodè etiam verteretur Hebræum כלכלתי, *Dabo tibi cibum in mensurâ, ne depauperetis tu, & domus tua, & omne quod tibi est.* Suppeditabo tibi eam annonæ mensuram, quæ datur militibus & domesticis: ita te pascam; quomodo paterfamiliâs domesticos suos; annonam tibi sufficiam ad certum dierum numerum. Eadem verborum phrasis recurrit capite XLVII, 12, ibidemque ℣. 22 exprimit Joseph, singulis Sacerdotibus cibos se suffecisse quotidie ad certam mensuram: ita pariter ab illo præstitum cum patre & fratribus suis non incongruè arbitraremur.

℣. 12. QUOD OS MEUM LOQUATUR AD VOS. Chaldæus veluti perspicuitatis gratiâ addit: *vestrâ linguâ*. Hebraicè vobis loquor, vel sincero corde, ut ex verbis intima animi mei sensa vobis pateant. Spectare hîc licet quàm bene animatus esset Joseph in suos. Tam longè aberat ab exprobrandâ fratribus perfidiâ, ut neque censuerit noto Ægyptiis sermone ejusdem criminis fieri mentionem. Quantum ex Scripturâ licet intelligere, nullum eâ de re fecerat verbum, sive cùm teneretur in carcere, sive cùm rebus afflictis premeretur, sive tandem cùm prosperis erectus esset.

℣. 17. ONERANTES JUMENTA. Hebræum ita reddunt nonnulli (d): *Stimulate jumenta.* LXX: Γεμίσατε τὰ φορεῖα, *Onerate vehicula.* Alia Exemplaria legebant φορτία, *onera*: Alia; Πορεία. *iter.*

℣. 18. MEDULLAM TERRÆ. Hebræus: חלב, *Pinguedinem*, vel *lac terræ.* Chaldæus: *Omnia bona Ægypti*, vel *optimam terram* Ægypti, vel unam ex optimis.

℣. 20. NEC DIMITTATIS QUICQUAM DE SUPEL-
LE-

(c) *Exod.* 1, 11. (d) טענו את בעירכם *Aq. & Sym.* τὰ κτήνη ὑμῶν.

℣. 21. Feceruntque filii Iſraël, ut eis mandatum fuerat. Quibus dedit Joſeph plauſtra ſecundùm Pharaonis imperium: & cibaria in itinere.

℣. 22. Singulis quoque proferri juſſit binas ſtolas: Benjamin verò dedit trecentos argenteos cum quinque ſtolis optimis:

℣. 23. Tantumdem pecuniæ, & veſtium mittens patri ſuo; addens & aſinos decem, qui ſubveherent ex omnibus divitiis Ægypti: & totidem aſinas, triticum in itinere, paneſque portantes.

℣. 24. Diviſit ergo fratres ſuos, & proficiſcentibus ait: Ne iraſcamini in viâ.

℣. 25. Qui aſcendentes ex Ægypto, venerunt in terram Chanaan ad patrem ſuum Jacob.

℣. 26. Et nuntiaverunt ei, dicentes: Joſeph filius tuus vivit: & ipſe dominatur in omni terrâ Ægypti. Quo audito Jacob, quaſi de gravi ſomno evigilans, tamen non credebat eis.

℣. 27. Illi e contra referebant omnem ordinem rei: Cùmque vidiſſet plauſtra, & univerſa quæ miſerât, revixit ſpiritus ejus.

℣. 28. Et ait: Sufficit mihi, ſi adhuc Joſeph filius meus vivit: vadam, & videbo illum, antequam moriar.

COMMENTARIUS.

SUPELLECTILI VESTRA. In hunc ſenſum reddi etiam poſſet Hebræus: *Nec parcat oculus veſter ſuper vaſa veſtra*; nec moleſtè feratis ſiquid deſerere cogamini: læto animo aliqua negligite; abundè enim omnia hic nanciſcemini. Hæc poſterior interpretatio præ cæteris nobis probatur (e). Illud *vaſa veſtra* de colonicis inſtrumentis explicant nonnulli, quorum nullus futurus eſſet in Ægypto uſus, ubi alia colendæ terræ ratio (f).

℣. 22. BINAS STOLAS. Hebræus, *Mutatorias veſtes* (g). Syriacus: *Par veſtium*. Veſtium munditiem ad ſuperſtitionem affectantes Ægyptii, veſtes ipſas mutabant frequenter. *Par veſtium* Joſeph fratribus ſingulis diſtribuit, ideſt, duplicem unicuique tunicam, ac pallia totidem; tunicâ enim & pallio vulgò utebantur, juxta Herodotum, ut pari utriuſque opus eſſet, quo veſtis immutaretur.

Sunt qui credant, *Mutatorias veſtes* deſignare veſtimenta ſolemnia: ſed nobis prior interpretatio arridet. Veſtium forma facilis neceſſitatem metiendæ hominum, quibus aptabantur, ſtaturæ auferebat. Pallia tunc, uti & adhuc in iis regionibus, ex integro erant panno, nullâ ſciſſurâ reformato: nec veſtiendi ritus variabat, quamobrem commodè veſtimenta plurima ad uſum futuri temporis parabantur. Ita porrò ſervatum conſtat apud Veteres, penès quos nihil frequentius, quàm confectæ veſtes dono datæ; quæ & in veſtiariis paratæ ingenti ſanè copiâ ſervabantur (h). Obtinet id pariter modò in Aulâ Regis Perſarum, & Turcarum Imperatoris. Lucullus v. M. palliorum uſui ſuo parata habebat (i).

Cæterùm vox *Stola*, quam e Septuaginta hic expreſſit Vulgata, & qua etiam utitur frequenter ad veſtem virilem deſignandam, apud Latinos maximè de muliebri amictu, ad talos uſque promiſſo, dicitur. *Ad talos demiſſa ſtolâ, & circumdata pallâ*. Matronarum veſtis erat, ait S. Iſidorus (k), caput & humeros tegens, deſcendenſque e dextro latere, in ſiniſtrum humerum reflexa. In uſu erat viris apud Orientales; nec proinde alter Textui Vulgatæ hic & alibi ſenſus tribuendus eſt.

TRECENTOS ARGENTEOS, ſiclos nempe, qui reddunt 488 libras & 8 ſolidos monetæ noſtratis. Septuaginta: *Trecentos aureos*. Subſtituerant illi aurum pro argento jam inde a capite XXXVII, 28. Syriacus in Catenis Græcis legit CC aureos nummos; ſed in editis cum Vulgatâ congruit.

℣. 23. TANTUMDEM PECUNIÆ ET VESTIUM MITTENS PATRI SUO, ADDENS ET ASINOS DECEM. Hebræus habet tantùm: *Miſit Patri ſuo ſicut hoc, decem aſinos*. Hæc omnia explicavit author Vulgatæ, habitâ præcedentium ratione; quod & a Syriaco factum eſt. Sed alii malunt miſſos ad patrem decem aſinos, omnis generis divitiis onuſtos.

TRITICUM IN ITINERE, PANESQUE PORTANTES. Hebræus: *Ferentes frumentum & panem & eſcam ad viam*. Poſtrema hæc vox originalis מזון deeſt in Septuaginta, & Vulgatâ. Chaldæus reddit cibos & alimenta. Et pro aſinis Septuaginta habent mulos, Ἡμιόνους.

℣. 24. NE IRASCAMINI. Chaldæus, & Syriacus reddunt, *Ne contendatis in viâ*. Reddi etiam poſſet Hebræus אל תרגזו *Ne timeatis*.

℣. 26. QUASI DE GRAVI SOMNO EVIGILANS, TAMEN NON CREDEBAT EIS. Vox originalis ויפג לבו, japhag

(e) *Confer Deut.* VII, 16; XIX, 13, 21. *Ezech.* VII, 4, 9. XVI, 5. (f) *Vide Diodor. l.* 1. *& Plin. l.* XVIII, *c.* 18. (g) חלפות שמלת (h) *Judic.* XIV, 12, 13; *& 4 Reg.* V, 5, 13. (i) *Horat. lib.* 1, *Satyr.* 2. (k) *Iſidor. lib.* XIX *Orig. cap.* 25.

japhag, exprimit potissimùm languorem, & animi defectum. Septuaginta reddunt: Ἐξέστη τῇ διανοίᾳ, *Obstupuit mente*. Chaldæus: *Et erant verba hæc vacillantia in corde suo, quia non credebat eis*. Insperatæ rei nuncio jucundè affectus Jacob, velut animis defecit; sed tandem persuasus aspectu munerum, quæ Joseph miserat, non vana sibi renunciari, *Revixit spiritus ejus*, novo gaudio animatus revixit, veluti cùm lampas olei defectu mox extinguendæ, subitâ liquoris affusione novo lumine subitò coruscat: ità textum explicat S. Chrysostomus (*l*); nec sanè meliùs exprimeretur sensus Septuaginta. Ejus spiritus restitutus est, veluti tunc primò incensa lampas.

Docent Hebræi, Spiritum Sanctum veluti languentem & in se ipso oppressum mansisse, quamdiu Jacob animi mœrore, & languore resolutus est; revixisse verò actutùm, cùm novo gaudio ille animatus est. Hæc sententia debetur interpretationi Onkelos, reddentis: *Spiritus Sanctus requievit super Jacob*. Porrò gaudium donum est & argumentum agentis intus Spiritûs Sancti (*m*).

C A P U T XLVI.

Jacob cum universâ familiâ in Ægyptum venit: quibus occurrens Joseph author est, ut fateantur coram Rege se omnes pastoritiam exercere.

℣. 1. PRofectusque Israël cum omnibus, quæ habebat, vênit
ad puteum juramenti: & mactatis ibi victimis Deo
patris sui Isaac,
℣. 2. Audivit eum per visionem noctis vocantem se, & dicen-
tem sibi: Jacob, Jacob. Cui respondit: Ecce adsum.
℣. 3. Ait illi Deus: Ego sum fortissimus Deus patris tui: noli ti-
mere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam
te tibi.
℣. 4. Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te re-
vertentem: Joseph quoque ponet manus suas super oculos tuos.
℣. 5. Surrexit autem Jacob a puteo juramenti: tuleruntque eum
filii cum parvulis, & uxoribus suis in plaustris, quæ miserat
Pharao ad portandum senem,
℣. 6. Et omnia, quæ possederat in terrâ Chanaan: vênitque in
Ægyptum cum omni semine suo,
℣. 7. Filii ejus, & nepotes, filiæ, & cuncta simul progenies.

COMMENTARIUS.

℣. 1. AD PUTEUM JURAMENTI. Ad Bersabee, Ægypto propiùs accedendo.

℣. 4. EGO INDE ADDUCAM TE REVERTENTEM. Septuaginta: *Ascendere te faciam in finem*, cùm scilicet præstitutum tempus advenerit. Illud: *In finem*, εἰς τέλος, exprimit diuturnum tempus & remotum. Hebræus: *Ascendere faciam te etiam ascendendo*, idest, re ipsâ vos reducam. Fides huic oraculo constitit, cùm posteri Jacobi ex Ægypto reversi sunt in Chanaan iidem; filii enim ex Ægypto discedentes unà secum transtulerunt lypsana Jacobi, in terrâ promissionis condenda.

JOSEPH PONET MANUS SUAS SUPER OCULOS TUOS. Veterum more, filii parentibus, cùm morerentur, oculos claudebant, quemadmodum & amici amicis. Penelope (*a*) de Telemacho agens cum Ulysse, rogat Deos, ut filium illum habeant extremâ sui horâ oculos amborum claudentem. Præstitum id officii a parentibus cum filiis (*b*); qua de re mœsta parens apud Virgilium Æneidos IX conqueritor:

... Nec tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi.

Genus erat ærumnæ, si quis in obitu suo careret homine, qui secum id officii præstaret (*c*).

Atque oculos morti clausuram quærere dextram.

Observat

[l] Ἀνεζωπύρησε τὸ πνεῦμα. (m) *Galat.* v, 22. *Rom.* XIV, 17.
(a) *Dis, precor, hoc jubeant, ut euntibus ordine fatis,*
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.
(b) *Homer. Iliad.* Λ. Ἆ δείλ' οὐ μὲν σοί γε πατὴρ, καὶ πότνια μήτηρ
Ὄσσε καθαιρήσουσι θανόντι περ &c.
Ah miser! haud illi genitor, venerandaque Mater,
Compressêre oculos.... (c) *Lucan. Pharsal.* V.

℣. 8. Hæc sunt autem nomina filiorum Israël, qui ingressi sunt in Ægyptum, ipse cum liberis suis. Primogenitus Ruben.

℣. 9. Filii Ruben: Henoch, & Phallu, & Hesron, & Charmi.

℣. 10. Filii Simeon: Jamuel, & Jamin, & Ahod, & Jachin, & Sohar, & Saül filius Chanaanitidis.

℣. 11. Filii Levi: Gerson, & Caath, & Merari.

℣. 12. Filii Juda: Her, & Onan, & Sela, & Phares, & Zara. Mortui sunt autem Her, & Onan in terrâ Chanaan. Natique sunt filii Phares: Hesron, & Hamul.

℣. 13. Filii Issachar: Thola, & Phua, & Job, & Semron.

℣. 14. Filii Zabulon: Sared, & Elon, & Jahelel.

℣. 15. Hi filii Liæ, quos genuit in Mesopotamiâ Syriæ, cum Dinâ filiâ suâ, omnes animæ filiorum ejus, & filiarum, triginta tres.

COMMENTARIUS.

Ohservat Plinius (*d*) oculos morientibus elausos in rogo iterum patefieri. *Morientibus oculos elaudere, rursusque in rogo patefaceee, Quiritium magno ritu sacrum erat. Ita more condito, ut neque ab homine supremùm eos spectaei fas sit, & cælo non ostendi nefas.*

Filiæ. Singulare hìc ponitur loco pluralis; unica etenim erat Jacobo filia. Legimus etiam ℣. 25, positum *filii* pro *filius*. Alii dictum malunt de filiabus, & neptibus Jacobi, quæ est Septuaginta interpretatio. Sara neptis Jacobi exprimitur ℣ 17. Reddi etiam posset Textus de uxoribus filiorum Jacobi, quas non incongruè filias ejus appellaremus (*e*).

℣. 8. Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum. Nonnulla in huoc Textum notanda. I, Censent aliqui, non omnes, qui in boc censu exprimuntur, natos re ipsâ jam fuisse, quo tempore Jacob in Ægyptum vènit, e. g. nondum editos fuisse ex filiis Benjamini & Phares nonnullos, quorum hìc nomina anticipatione quadam exprimuntur; verba autem illa, *Ingressi sunt in Ægyptum*, ita reddenda, veluti si exprimereot totum illud rempus, quo Jacob in Ægypto versatus est. Hanc solveodæ difficultatis rationem non semel proposuit S. Augustinus (*f*), quem alii plures Interpretes sequuntur, Tollatus, Pererius, Delrio, A Lapide, Lorinus. II, Discrepat in nonnullis Textus Hebraici & Vulgatæ hujus loci a Textu Numerorum XXVI, 12, & 1 Paral. XIV, 24; discrepat, inquam, in numero & nominibus hominum. Recedunt etiam Septuaginta ab Hebræo & Vulgatâ in utroque Textu duorum Librorum, quoad numerum & nomina. Quæ sanè nominum discrepantia minus facessit negocium; habemus enim persuasum, unum eumdemque hominem pluribus interdum nominibus appellari; quin & ipsum idemque nomen variè non rarò pronunciari. Sed quod in numero hominum ohservatur discrimen, Hebræum inter & Septuaginta, multò difficiliùs conciliatur: nec aliunde facilè repetendum est, quàm quòd Interpretes illi ex aliis Scripturæ Libris suppleodum censuerunt quod hìc a Moyse omittitur, hanc ineuntes rationem conciliandi repugnantia quædam, quæ inter varios Scripturæ Textus animadvertisse sibi videbantur.

III, Genealogiæ Judæ, Josephi, & Benjamini multò exactiùs & uberiùs referuntur, quàm cæterarum Tribuum reliquæ; tres enim illi Patriarchæ amplissimi præ cæteris habebaotur.

℣. 9. Hesron et Charmi. Persuasione receptum est, duos hosce postremos filios Rubeni nondum natos fuisse, cùm Jacob profectus est in Ægyptum; paulò enim antea Ruben dixerat Jacob: *Duos filios meos interfice, si non ceduxero illum tibi*. Obsides offert geminos, quos habet, liberos, ait Philo in Libro de Josepho.

℣. 10. Jamuel. Namuel appellantur in Numeris XXVI, 12, & 1 Par. IV, 24.

Ahod. In censu filiorum Simeonis nusquam nomen hujus viri legitur, præter quàm in Exodo VI, 15. Sine liberis obiisse suspicatur S. Hieronymus. *Jachin* appellatur *Jarid* 1 Par. IV, 24.

Sohar nuncupatur *Zare*, vel *Zara*, ibidem.

Saul Filius Chanaanitidis. Rabbinorum quidam censent, Chananæam hanc fœminam ipsam esse Dinam filiam Jacobi, quæ viro cuidam Chananæo nupta, transiit subinde in domum Simeonis adoptione, & tanquam ejusdem uxor habita est. Quorsum iste fabularum circuitus?

℣. 12. Nati sunt filii Phares: Hesron et Hamul. Hebræus habet tantùm: *Fuerunt filii Phares Hesron & Hamul*. Ideircò autem positum est a Septuaginta & Vulgatâ illud, *Nati sunt*, ut insinuarent natos illos in terrâ Ægypti.

℣. 13. Job. Jasub appellatur Num. XXVI, 23, & 1 Par. VII, 1. Septuaginta appellant *Asum*, Samaritanus *Jesob*, Syriacus *Ojab*.

Semron, *Semram*, *Simeeon* unum idemque sunt nomen.

℣. 14. Jahalel. Septuaginta *Achul*, vel *Achoël*; Syriacus, *Nabaleel*.

℣. 15. Hi filii Liæ, quos genuit in Mesopotamia Syriæ . . . . . triginta tres. Nonnisi XXVI hìc notantur in Chanaaoitide nati, quidam in Ægypto etiam. Verba illa, *In Mesopotamiâ Syriæ*, referenda sunt ad septem illos (*g*) Rubenum, Simeonem, Levi, Judam, Issacharem, Zabulonem, Dinam.

(d) *Plin. lib.* XI, *cap.* 37. (e) *Aug. quæst.* 149 *in Genes.* (f) *Aug. quæst.* 154, & 173 *in Genes.* & *lib.* VI *de Civit. cap.* 40. (g) *Vide Aug. quæst.* 173 *in Genes.*

℣. 16. Filii Gad: Sephion, & Haggi, & Suni, & Esebon, & Heri, & Arodi, & Areli.

℣. 17. Filii Aser: Jamne, & Jesua, & Jessui, & Beria; Sata quoque soror eorum. Filii Beria: Heber, & Melchiel.

℣. 18. Hi filii Zelphæ, quam dedit Laban Liæ filiæ suæ, & hos genuit Jacob, sedecim animas.

℣. 19. Filii Rachel uxoris Jacob: Joseph, & Benjamin.

℣. 20. Natique sunt Joseph filii in terrâ Ægypti, quos genuit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos: Manasses, & Ephraim.

℣. 21. Filii Benjamin: Bela, & Bechor, & Asbel, & Gera, & Naaman, & Echi, & Ros, & Mophim, & Ophim, & Ared.

℣. 22. Hi filii Rachel, quos genuit Jacob: omnes animæ, quatuordecim.

℣. 23. Filii Dan: Husim.

℣. 24. Filii Nephtali: Jasiel, & Guni, & Jeser, & Sallem.

℣. 25. Hi filii Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ suæ: & hos genuit Jacob: omnes animæ septem.

℣. 26. Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius, absque uxoribus filiorum ejus, sexaginta sex.

COMMENTARIUS.

Omnes animæ . . . . . triginta tres. Quo in numero continetur Jacob. Vel, juxta alios, Lia, seu pariter Jocabed mater Moysis. Excluduntur ab his Her, & Onan, quòd obierant in Chananitide.

℣. 16. Esebon appellatur *Ozni* in Numeris xxvi, 16.

Hari. Septuaginta: *Aëdes*, veluti si legissent *Hedi*.

℣. 17. Jamne. Aliter Jemna, Num. xxvi, 44.

Jesua. Omittitur in Numeris, sed legitur in Paralipomenis. *Bria*, aliter *Brie*, *Numer.* xxvi, 44.

℣. 18. Et hos genuit Jacob, sedecim animas; idest, duo filii, alter post alterum, Gad & Aser, & reliqui ab his nati. Vide supra ℣. 15, & infra ℣. 22.

℣. 20. Manassei et Ephraim. Hæc omnia addunt Septuaginta: *Filii Manasse, quos peperit ei concubina Syra, Machir; Machir autem genuit Galaad. Filii autem Ephrem fratris Manasse, Sutalaam & Taam; Filii autem Sutalaam, Edom.* Hæc omnia excerpta sunt ex Numeris xxvi, 29, &c.

℣. 21. Filii Benjamin, &c. Superiùs jam animadvertimus, suspicionem movisse Interpretes quosdam, decem istos filios Benjamini nondum editos in lucem, cùm Jacob proficisceretur in Ægyptum. Agebat tum Benjamin annos xxxiii ætatis, cùm ortus fuerit anno M. 2265; in Ægyptum verò ascenderit anno 2298. Septuaginta ita Textum hunc reddunt: *Filii Benjamin, Bala, & Bochor, & Asbel. Facti sunt autem filii Bala; Gera, & Noëman, & Anchis, & Ros, & Mamphim. Gera autem genuit Arad.* Constituunt illi, Benjaminum decem illos filios per se nequaquam genuisse; quæ pariter fuit Veterum, qui fidem Septuaginta secuti sunt, persuasio. Illos tamen deseruit contra morem suum Josephus, quem Recentiores plures imitati sunt. Juvat hìc pariter animadvertere, Septuaginta non decem, ut in Hebræo, sed novem tantùm posteros Benjamini recensere.

Hæc autem de filiis Benjamini apertè leguntur in Numeris xxvi, 38: *Filii Benjamin, Bela, Asbel, Achiram, Supham, Hupham: Filii Bela, Hered & Noëman.* Grotius post Capellium suspicatur, in Textu Genesis, de quo modò, duos viros in tres esse divisos, *Echi, Ros & Mophim*, qui tres ex duobus illis facti sunt *Ahiram & Supham.* Et quidem si lectio Genesis probetur, reputandum esset, nomen Ros in Libris Numerorum desiderari, & ex *Ahiram* factum *Echi*, sicut & ex *Supham*, sive, ut Hebræus, *Schephupham*, factum *Mophim*. Juvat etiam animadvertere, virum illum, qui hìc *Bechor*, in Numeris *Ahiram* appellari.

℣. 22. Animæ quatuordecim. Nonnisi undecim recenset Hebræus in familiâ Benjamini, & tres in familiâ Josephi, omnes simul quatuordecim. Verùm Septuaginta additis quinque viris familiæ Josephi, censum prorogant ad decem & octo, imò ad decem & novem, si quis suppleat *Ophim*, sextum filium Bela, ab illis omissum.

℣. 23. Husim. Septuaginta *Asom*: in Numeris xxvi, 42, *Suham*. In Exemplaribus quibusdam Latinis, *Usan*. Utrùm *Husim* viri sit peculiaris nomen, an posteris Dan commune, ignotum; *Husim* plurale est.

℣. 26. Cunctæ animæ, quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum . . . . . sexaginta sex. Desunt in hoc censu Jacob & Joseph cum geminis filiis, conficitur enim ex xxxii filiis Liæ, xvi posteris Zelphæ, xi Rachelis, vii Balæ. Sed cùm Moyses addit Jacobum, Josephum, & geminos ejus filios, ℣. 27, septuaginta viros enumerat. *Omnes animæ domûs Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta.* Idem numerus servatur Exodi, i, 5, Deut. x, 22, apud Josephum

(b), in

℣. 27. Filii autem Joseph, qui nati sunt ei in terrâ Ægypti, animæ duæ. Omnes animæ domûs Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere septuaginta.

℣. 28. Misit autem Judam ante se ad Joseph, ut nuntiaret ei, & occurreret in Gessen.

℣. 29. Quò cùm pervenisset, juncto Joseph curru suo, ascendit obviam patri suo ad eumdem locum: vidensque eum, irruit super collum ejus, & inter amplexus flevit.

℣. 30. Dixitque pater ad Joseph: Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.

℣. 31. At ille locutus est ad fratres suos, & ad omnem domum patris sui: Ascendam, & nuntiabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terrâ Chanaan, venerunt ad me:

℣. 32. Et sunt viri pastores ovium, curamque habent alendorum gregum: pecora sua, & armenta, & omnia, quæ habere potuerunt, adduxerunt secum.

℣. 33. Cùmque vocaverit vos, & dixerit: Quod est opus vestrum?

℣. 34. Respondebitis: Viri pastores sumus servi tui, ab infantiâ nostrâ usque in præsens, & nos, & patres nostri. Hæc autem dicetis, ut habitare possitis in terrâ Gessen: quia detestantur Ægyptii omnes pastores ovium.

COMMENTARIUS.

(*h*), in Ezechiele Poëtâ (*i*) apud Eusebium, & in S. Clemente Alexandrino (*k*).

Septuaginta pro *septuaginta viris* legunt *septuaginta quinque*, hîc & in Exodo I, itemque in pluribus Exemplaribus ad Deut. X, quamquam in Exemplari Romano, & in eo quod habebat ad manus S. Hieronymus, in Deuteronomii loco illo erat, *Septuaginta animæ*. S. Stephanus in Actis VII, 14, legit eum Septuaginta: *In animabus septuaginta quinque*. Hæc autem summa ab illis redditur ex vi additionis quinque virorum factæ ℣. 20, nimirum *Machir*, *Galaad*, *Sutalaam*, *Taam*, *Edem*. Authoritas S. Stephani pro numero LXXV animarum non utique prævalet fidei Textûs Hebraici & Vulgatæ; constituendumque, hasce LXXV animas, de quibus in Actis, eo sensu descendisse in Ægyptum perhiberi, quo asseritur a Septuaginta [*m*].

℣. 27. Animæ duæ. Septuaginta habent novem, sed mendo manifesto: non enim nisi octo conficit additio illa quinque virorum. Joseph, Ephraim, Manasse, cum quinque istis, octo tantùm reddunt.

℣. 28. Ut nuntiaret ei et occurreret in Gessen. Strictiùs Hebræus (*n*): *Ad annunciandum ante se in Gessen*; quibus veluti insinuatur, Josephum substitisse in Gessen, præmissumque ad eum a Jacobo Judam, ut de adventu patris faceret certiorem. Reddi etiam posset, *Ad præparandum* (locum) *in Gessen*, ut scilicet eò perveniens Jacob locum aptum haberet erigendis tentoriis ac familiæ & gregi. Samaritanus habet: *Judam misit ante se ad Josephum, ut videndum se præberet coram eo in Gessen*, seu renunciaret adventum suum: *& venit in terram Gessen*.

Septuaginta: *Misit Judam ante eum ad Joseph, ut occurreret ei ad urbem Heroum in terram Ramesse*. Vocem Hebræam *Horoth*, quæ hîc redditur *nuntiaret*, pro peculiari urbis nomine usurparunt; quam pariter urbem servant in proximè succedenti versu: & pro terrâ Gessen, uti est in Hebræo, substituere solent regionem Ramessem. Expresserunt illi facilè obtinentem suâ ætate traditionem, quæ ferebat, Israëlitas moram traxisse juxta urbem Heroum. Constat autem, regionem Gessen ipsissimam fuisse ac regionem Ramesse; quod intelligimus ex capite XLVII, 11. Urbs Heroum, apud Ptolemæum Heropolis, jacebat ad extremam oram Sinûs Arabici, ab illâ appellati Sinûs Heropolis. Hebræi apud S. Hieronymum confundendam censebant regionem Gessen cum Arsinoë in Thebaide. Quantæ verò in Geographiâ hominum ejusmodi tenebræ!

℣. 34. Viri pastores sumus servi tui. Quid fuerit in causâ, cur Joseph consilium istud dederit patri & fratribus suis, ut se pastores proderent, infra intelligemus: commodè sibi accidere judicabat, ut Hebræos inter & Ægyptios nihil esset commune; norat enim quanta essent Ægyptiorum flagitia; norat a Deo tandem reducendum e loco illo populum suum.

Quia detestantur Ægyptii pastores ovium. He-

[h] *Joseph. lib. 11 Antiquit. c. 4, & 5.* (i) *Lib. IX de Præp. c. 4.* (l) *Lib. 1 Strom.* (m) *Vide Hieron. in quæst. Hebr.* (n) להורות לפניו גשנה

Hebræum *Zon* צאן, quod Vulgata reddidit *oves*, est minorum animalium grex, ovium, capellarum. Nec Ægyptii a pastoribus æquè omnibus abhorrebant; non enim habebant invisos majorum gregum pastores, ut boum, vaccarum. Asserit Herodotus [o], pastores caprarum in honore fuisse in Nomo vel regione Mendeso, quod ibi divinis honoribus colerentur capellæ; vicissim autem custodes porcorum (p) tamquam prophanos reputatos a cæteris Ægyptiis. Ita profectò hominum illud genus habebant odiosum, ut sive illorum filias ducere, sive filias suas illis tradere in uxorem probri loco haberent, & ignominiæ; quare connubia illi inter se miscere cogebantur. Arcebantur ipsi pariter ab omnibus Ægypti templis.

In universâ Ægypto cultus erat ovium singularis (q); nullibi adhibebantur in sacrificium, nisi in unico Nomo Nitriæ, si Straboni libro 17, & Mendesi, si Herodoto libro 2, cap. 42, sit fides. In reliquo Ægypti tractu, si quis vaccam vel ovem occidisset, ingentis criminis reus habebatur; ex quo deduci potest, nunquam invisos fuisse Ægyptiis, qui id generis greges pascerent; quemadmodum & honori erant iisdem nominibus pastores caprarum in Nomo Mendeso. Nomus hic non longè aberat a Tani, ubi Pharao regnabat, cùm Josephum universæ Ægypto præfecit.

Alia planè erat sententiarum & morum consuetudo apud Hebræos; neque enim ducebant religioni eadem pecora & mactare & comedere; qua ex re odium Ægyptiorum in Hebræos repetenda est potiùs, quàm ex artis pastoritiæ conditione. Hanc pariter causam afferunt Veteres. Tacitus de Judæis: *Cæso ariete velut in contumeliam Ammonis; bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt.* Asserit Manetho, inter leges Moysis, quem virum *Orsasiph* appellat, non infimum tenuisse locum illam, qua a nullo ex animantibus in Ægypto consecratis abstinendum edicit. Nec immeritò crederemus, superstitiosam gentium illarum religionem ex eo tempore jam valuisse; & abstinentiam illam a certo quodam pecorum genere, appendicem esse cultûs brutis illis impensi. Idololatria utique in Ægypto regnabat, quo tempore Israëlitæ solum illum reliquêre. Regionis Idola coluisse Israëlitas, Prophetæ quidam exprobrant [r]. Nullo planè argumento demonstraretur, cultum illum nonnisi post Josephum cœpisse; profectò Sacerdotum Ægyptiorum privilegia ætate Josephi eadem fuisse, ac quæ sub Moyse perseverabant, ex infra dicendis constabit [s].

Refert Manetho [t], externorum hominum ex Oriente venientium exercitum in Ægyptum irruisse, eamque regionem minimè defectioni paratam nactos vi subegisse. Constabat exercitus ille ex obscurâ & vilissimâ gente, quos *Hycussos* appellabant, idest, Reges Pastores; suos autem habuit Reges in inferiori Ægypto, 511 circiter annis rerum potientes. Reges Thebaidis diuturno bello illos affligentes coëgerunt tandem ex Ægypto facessere.

Hanc genuinam censeo odii Ægyptiorum in pastores causam; neque enim ullo argumento, ut jam demonstravimus, evinci posset, invisos fuisse apud Ægyptios pastores ovium & caprarum, eâ tantùm de causâ, quòd pastoritiam exercerent; quin potiùs in honore erant apud incolas, dummodò eâdem e gente pastores. Verum alienigenæ illi pastores ex Arabiâ, Syriâ, Æthiopiâ, Africâ, &c. qui arte pastoritiâ unicè occupabantur; vagantes illi populi, qui in Ægypto pastorum nomine censebantur, invisi erant genti quàm maximè; nec immeritò quidem, cùm mala ab illis plurima tolerarent Ægyptii: ita quòd in Reges illos pastores, *Hycussos*, odium fovebant, in universos ejusdem professionis homines redundavit. Hanc pastorum irruptionem consignat Usserius, cujus sequimur Chronologiam, circa annum Mundi 1920, centum annis circiter ante natum Abrahamum.

Quamquam Ægyptii abstinebant ab esu & immolatione ovium, alebant tamen oves ad usum lactis & lanæ. Nec facilè aliâ ratione inducebantur, ut ab illis abstinerent manus; commodum enim ducebant sibi oves servare, bis singulis annis fœtas, e quibus pariter alia plurima beneficia referebant. Porrò certum est, gregis raritatem, & quæ e domesticis quibusdam animalibus commoda proveniunt, in causâ fuisse non rarò, ut latis legibus mactatio illorum vetaretur.

Varro in eam rem ita scribit: *Ab hoc antiqui ita manus abstineri voluerunt, ut capite sanxerint, si quis occidisset (bovem); qua in re testis Attica, testis Peloponnesus.* Servabantur olim in urbe Eleusi leges quædam Triptolemi, ligno insculptæ, quarum unâ cavebatur, ne pecora telluri colendæ apta mactarentur. Geminæ illæ leges diu vim suam obtinuerunt in Atticâ; & vestigia quædam illarum servata sunt in unâ e Solonicis legibus [u] sanciente, ut in Deorum honorem decimæ fructuum offerrentur. Procedente verò tempore, quæ communis utilitatis ex animalibus illis gratiâ constituta sunt, degenerarunt in superstitionem, consecratis loco Numinum iis, quæ Numinibus offerri prohibebantur.

CA-

(o) *Lib.* II, *c.* 46. (p) *Ibid. c.* 47. [q] *Diodor. lib.* I. (r) *Ezech.* XX, 7. *Amos* V, 26. (s) *Genes.* XLVII, 22, 26. (t) *Apud Joseph. lib.* I *contra Appion. & Euseb. lib.* X *de Præp. c.* 13.
(u) *Porphyr. de Abstin. lib.* IV, § 22., Θεοὺς Καρποῖς ἀγάλλειν, ζῶα μὴ σινεῖσθαι.

CAPUT XLVII.

Jacob cum familiâ veniens in Ægyptum, sistitur Regi: obtinet terram Gessen. Ægyptii cogente fame bona sua omnia Regi oppignerant. Jacob ægrotat.

℣. 1. INgressus ergo Joseph nuntiavit Pharaoni, dicens: Pater meus, & fratres, oves eorum, & armenta, & cuncta, quæ possident, venerunt de terrâ Chanaan: & ecce consistunt in terrâ Gessen.

℣. 2. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege:

℣. 3. Quos ille interrogavit: Quid habetis operis? Responderunt: Pastores ovium sumus servi tui, & nos, & patres nostri.

℣. 4. Ad peregrinandum in terrâ tuâ vênimus: quoniam non est herba gregibus servorum tuorum, ingravescente fame in terrâ Chanaan; petimusque, ut esse nos jubeas servos tuos in terrâ Gessen.

℣. 5. Dixit itaque rex ad Joseph: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te.

℣. 6. Terra Ægypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen. Quòd si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum.

℣. 7. Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad Regem; & statuit cum coram eo: qui benedicens illi,

℣. 8. Et interrogatus ab eo: Quot sunt dies annorum vitæ tuæ?

COMMENTARIUS.

℣. 2. EXTREMOS FRATRUM SUORUM QUINQUE VIROS CONSTITUIT CORAM REGE. Hebræus ad literam [a]: *De extremitate fratrum suorum;* quam loquendi phrasim sæpiùs in S. Scripturâ recurrentem [b] designare credunt aliqui [c] delectum quemdam rerum optimarum. Reputari igitur posset, Josephum selegisse inter fratres, qui & corporis formâ cæteris præstarent, & meliùs coram Rege gererent personam fratrum Josephi.

Contraria omnia placent Rabbinis, defendentibus selectos a Josepho inter fratres, qui corporis aspectu minùs valerent, vilioremque de se ideam ingererent aulicis Pharaonis; oblati sunt autem, inquiunt illi, Ruben, Simeon, Levi, Issachar, & Benjamin. Verebatur Joseph, ne, si Regi præstantiores viros obtulisset, suis illos servitiis retineret.

Sed optimi plerique Interpretes (d) censent, nullum in Textu delectum exprimi; & Josephum ex fratribus suis quinque, qui fortè primi occurrissent, destinasse Regi; quam sententiam insinuare videntur Septuaginta (e), Syriacus, & Arabs. Reddunt aliqui *quosdam de fratribus*. Verti etiam posset Hebræus [f]: *Assumpsit partem fratrum*, idest, *quinque viros, & obtulit Regi*.

℣. 6. TERRA ÆGYPTI IN CONSPECTU TUO EST. Terra Gessen Regii juris erat: hanc postulat Joseph pro fratribus, quòd scilicet & commodis esset pascuis, & ab Ægyptiorum commercio dissita. Respondit Pharao, quidquid ipse postularet, in ejus esse potestate; daret proinde quidquid commodum duceret [g]. Hic sensus illorum verborum: *Terra in conspectu tuo est*. Cùm Jacob vênit in Ægyptum, nondum populus pro alimoniâ latifundia Regi vendiderat; neque enim id præstitum nisi sub exitum sterilitatis.

VIROS INDUSTRIOS. Hebræus (h): *Viros roboris*, vel divites, viros corpore & spiritu valentes, quibus omnia suppetant Regiis gregibus curandis, supremâ quadam potestate.

℣. 7. BENEDICENS ILLI. Cùm verbum benedicere (i) ad Deum pertinet, significat laudare, agere

(a) מקצה אחיו (b) *Ludov. de Dieu.* (c) *Vide ad Isai.* XXVI, 15; *& Jud.* XVII, 2. (d) *Ita Vatab. Grot. Jun. Fag. &c.* (e) Α'πὸ δὲ τῶν ἀδελφῶν ἀυτȣ παρέλαβε. (f) מקצה *pars, vel* מקצה *ex parte, ex fine.* (g) *Vide Sup.* XIII, 9, XX, 15. (h) אנשי חיל (i) ברך *Barac, benedixit.*

℣. 9. Respondit: Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi, & mali, & non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt.

℣. 10. Et benedicto rege, egressus est foras.

℣. 11 Joseph verò patri, & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco, Ramesses, ut præceperat Pharao.

℣. 12. Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis:

℣. 13. In toto enim orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, maximè Ægypti, & Chanaan.

℣. 14. E quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti: & intulit eam in ærarium regis.

℣. 15. Cùmque defecisset temporibus pretium, vênit cuncta Ægyptus ad Joseph, dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te, deficiente pecuniâ?

℣. 16. Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis.

℣. 17. Quæ cùm adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, & ovibus, & bobus, & asinis: sustentavitque eos illo anno pro commutatione pecorum.

℣. 18. Venerunt quoque anno secundo, & dixerunt ei: Non celabimus dominum nostrum, quòd deficiente pecuniâ, pecora simul defecerunt; nec clam te est, quòd absque corporibus, & terrâ nihil habeamus.

COMMENTARIUS.

agere gratias, rogare; cùm ad homines refertur, exprimit plerumque desideria, & vota, quibus felicitatem illis imprecamur, gratiarum actiones, salutem dicere, & interdum bona illis conferre. Usurpatur etiam ad simplicem genuum flexionem designandam; ex quo factum esse suspicamur, ut adhibeatur pariter ad designandam eam genuum inflexionem, qua cameli requiem captant (*k*). Hic autem designat vota Jacobi pro diuturno, & felici Regno Pharaonis, firmâ ejus valetudine, & bonis omnibus cumulatâ.

℣. 9. Dias peregrinationis meæ parvi et mali. Vitam egerat Jacob erraticam prorsus; pererraverat enim varias regiones, in quibus subinde substiterat, Chanaanitidem, Mesopotamiam, Ægyptum. Vitam pariter egerat brevem, si eum longâ Patriarcharum, a quibus referebat originem, ætate conferatur; dies autem habuerat difficiles, & ærumnis plenissimos; *Parvos, & malos.*

℣. 11. In optimo terræ loco, Ramesses. Nomen Ramesses occurrit inter Reges Ægypti: quod nomen fuisse peculiare Principis illius, quo rerum potiente Israëlitæ venerunt in Ægyptum, censet Marshamus (*l*). Persuasum habetur, conditam ab illis in regione Gessen urbem Ramessem, vel conditam antea novis accessionibus illos auxisse. Sunt qui credant (*m*), urbem illam non priùs ædificatam, quàm cùm Israëlitæ servorum more detinerentur in Ægypto; Regemque, cujus tyrannide oppressi sunt, ipsum fuisse Ramessem.

℣. 12. Præbens cibaria singulis. Hebræus ad literam: *Aluit ad os parvuli*, לְפִי הַטַּף, nempe alimenta subministravit, quomodo solemus infantibus, quantum quisque poscit, quin illi aliud præstent quàm quòd petant; seu potiùs cibos suffecit pro numero hominum. Aquila: Κατὰ στόμα νηπίων, *juxta os puerorum*. Septuaginta: Κατὰ σῶμα, *secundùm corpus*, juxta numerum personarum. Vatablus & Exemplaria quædam: Præbuit cibaria omnibus, a minimo usque ad maximum.

℣. 13. In toto enim orba panis deerat. Hebræus: *Panis non erat in omni terrâ*; vel in universâ eâ regione panis deerat. Vide caput XLI, 30. Commodè Textus intelligeretur de Ægypto tantùm ac adjacentibus regionibus.

Et oppresserat fames terram. Hebræum Thelah תֵּלַהּ, hìc semel, iterumque in Proverbiis XVI, 18, tantùm legitur. Variè autem redditur. Septuaginta: Ἐξέλιπε, *Defecit autem Terra Ægypti, & terra Chanaan a fame*. Alii: *Affligebatur*, eversa erat, afflicta, & fame sæviente redacta in egestatem. Reddunt nonnulli (*n*): *Rabidâ fame laborabat*.

℣. 18. Venerunt anno secundo, ex quo gre-

(k) *Vide Genes.* XXIV, 11, & XLI, 43. (l) *Ad sæcul.* VII, *Can. Ægypt.* (m) *Vide Exod.* I, 11.
(n) *Kimchi. Vatab.*

Digitized by Google

℣. 19. Cur ergo moriemur te vidente? & nos, & terra nostra tui erimus: eme nos in servitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem.

℣. 20. Emit igitur Joseph omnem terram Ægypti vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subjecitque eam Pharaoni.

℣. 21. Et cunctos populos ejus, a novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus.

℣. 22. Præter terram Sacerdotum, quæ a Rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcircò non sunt compulsi vendere possessiones suas.

COMMENTARIUS.

greges suos vendiderant, anno nempè ab inceptâ fame quarto vel quinto. Non desunt qui septimum hunc & postremum sterilitatis annum reputent, cùm Ægyptii venientes semina postulent (o). Cùm Joseph in Regia æraria contulisset argentum omne & aurum, quo commercium detinebatur per Ægyptum, quod unicè supererat populo, greges primùm, dein hæreditatem suam omnem vendidit. Utrumque servavit Joseph ad postremum usque annum famis, tunc populo unà cum seminibus restituit. Has tamen præscripsit conditiones, ut quinta pars fructuum vel proventuum terræ Regi cederet; metuens verò, ne onus hoc novam seditionem causaret, opprimi se supra vires privatis quibusque querentibus, incolas unius urbis in aliam transmigrare coëgit, quo occasio omnis rebellandi præcideretur. Singulos Rex distribuit, misitque in terras suas, velut herus mancipia ad colendos agros suos dimittens.

Non celabimus Dominum nostrum. Hebræus: *Non abscondemus a Domino meo, quòd finita sit pecunia, & grex jumentorum ad Dominum meum* (est). *Non remansit coram Domino meo præterquàm corpus nostrum, & terra nostra.* Septuaginta ita loquentes illos inducunt: Μή ποτε ἐκτριβῶμεν, *Numquid fortè deleamur* (p) *a domino nostro? Si enim*, vel *siquidem defecit argentum nostrum, substantia & pecora ad te Dominum: & non remansit nobis coram Domino nostro nisi proprium corpus & terra nostra.*

℣. 19. Cur moriemur, te vidente? at nos et terra nostra tui erimus. Mutatâ Textûs interpunctione ita etiam legeretur. *Cur moriemur, te vidente, nos & terra nostra? Tui erimus.* Pares enim loquendi phrases occurrunt in optimis quibusque Scriptoribus: *Suburbanus ne moriatur ager,* ait Martialis. Vivere plantas & interire, consuetà phrasi dicimus. Seneca: *Sata .... & vivere & mori dicimus.* Mortua dicitur terra, quæ inculta manet & sterilis (q); sed nihil opus est, ut interpunctio ista inducatur.

Præbe semina. Enunciaverat capite xlv, 6, Joseph, integro septennio a cultu terræ & a seminibus fore abstinendum. Ut quid igitur Ægyptii semina postulant? Non inviti suspicaremur, cultos semper fuisse agros humore aliquo irriguos, & Nilo proximos, ut observat S. Augustinus (r). Nec desunt qui opinentur, initum tunc septimum sterilitatis annum, & cœpisse tunc semina pro succedentis anni messibus. Favet huic opinioni ℣. 23; ita enim loquitur Joseph: *Ut cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet. Accipite semina & serite agros.*

℣. 20. Emit omnem terram Ægypti, quæ scilicet privatorum erat, non quæ Sacerdotum, ℣. 22.

Subjecitque eam Pharaoni (21) et cunctos populos ejus a novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus. Textus Samaritanus & Septuaginta habent cum Vulgatâ subjectos Pharaoni populos veluti mancipia fuisse Regi העביר, Hebr. העביר, ne agrorum quidem, quos colerent, Dominos; quæ satis congruunt cum rebus a Manethone & Diodoro traditis; sed Hebræus nostræ ætatis, ℣. 21, Chaldæus, Syriacus, & Arabs habent: *Emit Joseph omnem terram Ægypti Pharaoni ..... & fuit terra Pharaoni: (21) Populum verò transtulit de civitate in civitatem ab extremitate terminorum Ægypti usque ad extremitatem ejus.* Quod sententiarum discrimen aliunde profectò, quàm a literulæ immutatione provenit.

Refert aliquid Herodotus *lib. 2, cap. 168*, ad rem hanc illustrandam maximè conducens. Refert igitur, Ægyptios milites alterum post alterum possedisse latifundia quædam a Rege sibi concessa, eâ tamen conditione, ut idem ager continuis duobus annis uni eidemque non maneret. Asserit Diodorus Siculus *lib. 1*, agros Ægypti in tres partes distribui: prima Sacerdotibus cedebat; secunda Regi: tertia militibus. Populus in tres classes dispescebatur, in Agricolas, Pastores, Opifices. Agricolæ conducebant sive a Rege, sive a Sacerdotibus, sive a militibus certam quamdam terræ portionem a se colendam, unde & sibi alimenta & Dominis conventam pensionem solverent. Pastores & Opifices suæ singuli arti exercendæ addicebantur; nec integrum filiis erat parentum suorum professionem deserere. Factum inde, ut in Ægypto nemo non professionem suam optimè calleret exerceretque: terra colebatur quàm diligentissimè, nec Reges novis vectigalibus populos opprimere cogebantur. Hæc ab invectâ sub Josepho politiâ deducta videntur: privatis nullum erat in terras & latifundia dominium.

℣. 22. Præter terram Sacerdotum. Curavit Rex, ut sæviente sterilitate alimenta sufficerentur Sacerdotibus, ne hæreditatem suam vende-

(o) ℣. 19. (p) *Legunt hi* נכחד, *Necached, pro* נכחד, *Niccached.* (q) *Vide Bochart. de Animal. sacr. part. 1, lib. 2.* (r) *Vide Aug. quæst. CLX in Genes.*

℣. 23. Dixit ergo Joseph ad populos: En, ut cernitis, & vos, & terram vestram Pharao possidet: accipite semina & serite agros,

℣. 24. Ut fruges habere possitis. Quintam partem Regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familiis & liberis vestris.

℣. 25. Qui responderunt: Salus nostra in manu tuâ est: respiciat nos tantùm dominus noster, & læti serviemus Regi.

℣. 26. Ex eo tempore usque in præsentem diem, in universâ terrâ Ægypti, Regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem, absque terrâ sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.

℣. 27. Habitavit ergo Israël in Ægypto, idest, in terrâ Gessen, & possedit eam, auctusque est, & multiplicatus nimis.

℣. 28. Et vixit in eâ decem & septem annis: factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum.

℣. 29. Cùmque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocavit filium suum Joseph, & dixit ad eum: Si invêni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo: & facies mihi misericordiam & veritatem, ut non sepelias me in Ægypto.

℣. 30. Sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terrâ hac, condasque in sepulchro majorum meorum. Cui respondit Joseph: Ego faciam quod jussisti.

℣. 31. Et ille, Jura ergo, inquit, mihi. Quo jurante, adoravit Israël Deum, conversus ad lectuli caput.

COMMENTARIUS.

re cogerentur. Author Vulgatæ perhibet, Pharaonem latifundia illa Sacerdotibus dono dedisse; qua de re nihil in Hebræo (*s*), qui tantummodò scribit, jussu Regis cibaria illis suppeditata fuisse. Diodorus Siculus *lib.* 1, *cap.* 2, asserit, Osiridem dono illis dedisse tertiam agrorum totius regionis partem, quorum fructus in sacrificia, cæteraque ad Deorum cultum necessaria impenderentur. Affirmat Herodotus *lib.* 2, *c.* 37, Sacerdotes Ægypti coctas quotidie dapes largas admodum sacrasque habere sibi concessas. Sed quotidiana hæc alimenta nonnisi Sacerdotibus, qui præsentibus Templi ministeriis tunc serviebant, dabantur; familias enim alebant proventibus, quos e suis latifundiis ii referebant; quod notat Diodorus jam sæpiùs laudatus. Censet Grotius, nomine Sacerdotum Ægypti hîc etiam designari Astrologos, Medicos, Physicos, Agrorum dimensores, Arithmeticos, Historicos.

℣. 25. SALUS NOSTRA IN MANU TUA EST: RESPICIAT NOS TANTUM DOMINUS NOSTER, ET LÆTI SERVIEMUS REGI. Reddi etiam posset Hebræus (*t*): *Vivificasti nos: inveniamus gratiam in oculis Domini mei, & servi erimus Pharaonis.* Subjecti Regibus Orientalibus populi perinde habebantur, ac mancipia, uti notant de Persis Græci Scriptores. Emerat Joseph corpora & agros Ægyptiorum: quare illud *servus* plus aliquid significat, quàm subjectum Regi populum. Quis enim Ægyptius non subjiciebatur Pharaoni? Non hîc pariter agitur de officii quadam significatione: servitus erat re ipsâ. Vide ℣. 21.

℣. 26. USQUE IN PRÆSENTEM DIEM. Quæ constituta est a Josepho in Ægypto politia, ætate Moysis & post illum etiam diutiùs perseveravit, ut intelligimus ex Herodoto, Diodoro Siculo, Josepho, & S. Clemente Alexandrino.

℣. 29. PONE MANUM TUAM SUB FEMORE MEO. Vide quæ contulimus ad Genesis XXIV, 2.

℣. 30. DORMIAM CUM PATRIBUS MEIS. De immortalitate animorum persuasus, & spe occupatus resurrectionis, mortuus est Jacob, optans in eodem sepulchro recondi cum Sarâ, Isaaco, & Abrahamo in monumento ad Hebron (*u*)

℣. 31. ADORAVIT . . . CONVERSUS AD LECTULI CAPUT. Tres occurrunt interpretationes hujus Textûs, quæ majoris momenti sunt: primam assignant Vulgata & Judæi, exponentes, Jacobum ad obitum decumbentem, conversum ad lectuli caput adorasse Deum. Addunt temerè prorsus Rab-

(*s*) כי חק לכהנים מאת פרעה ואכלו את חקם אשר נתן להם פרעה
Aq. ἀκρίβασμος γὰρ τοῖς ἱερεῦσι. *Sym.* σύνταξις γὰρ ἦν τοῖς ἱερεῦσι. *Septuag.* ἐν δόσει γὰρ ἔδωκε δόμα τοῖς ἱερεῦσι. *Aliter*, καὶ γὰρ μερὶς ἦν τοῖς ἱερεῦσι.

(*t*) החיתנו נמצא חן בעיני אדני והיינו עבדים לפרעה

(*u*) *Genes.* XXIII, 19, 20; & XLIX, 29.

Rabbini, ideò eo corporis habitu adorasse Jacobum, quòd haberet faciem conversam ad terram promissionis, quam Judæi precantes semper respiciunt. Vulgatam sequitur Aquila, Symmachus, Targum Jerosolymitanum, & Interpretum sanè plures; eodemque sensu David *Adoravit in lectulo suo* (x). Hebræus: *Incurvavit se*.

Alteram interpretationem inserunt Septuaginta & Patres Græci legentes in suis Exemplaribus: *Adoravit* ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ *Super summitatem virgæ vel sceptri ejus*. Author Epistolæ ad Hebræos XI, 21, & Syriacos autumarunt, Jacobum incurvasse se coram sceptro, quod Joseph insigne dignitatis suæ gestabat; ex quo sua fides mansit prophetico Josephi somnio [y], quod scilicet Jacob ipse interpretatus est de adoratione patris erga filium. Observat S. Augustinus, *q.* 162 *in Genesim*, commodè verba Septuaginta ad alium sensum referri, adorasse scilicet Deum, vel baculo suo, vel baculo Josephi innixum. Hunc sensum, non utique spernendum, non rejicit Græca syntaxis.

III. Recentiores quidam ita magis ad literam, ut ipsi quidem credunt, exponunt: *Inclinavit se ad caput lectuli*. Cùm Jacob lectulo suo assidens verba fecisset cum Josepho, recubuit iterum, caput reclinans in cervicali (z). Postremò Hebræi vox legi potest vel *Maste*, baculus, quod Septuaginta probarunt; vel *M·tta*, lectulus, quod lêgit S. Hieronymus, & Massoretarum Textus.

CAPUT XLVIII.

Joseph sistit coram Jacobo Ephraimum, & Manassem. Jacob in benedictione præfert Ephraimum natu minorem. In augmentum hæreditatis relinquit Jacob filio Josepho agrum prope Sichem.

℣. 1. HIS ita transactis, nuntiatum est Joseph quòd ægrotaret pater suus: qui, assumptis duobus filiis Manasse, & Ephraïm, ire perrexit.

℣. 2. Dictumque est seni: Ecce filius tuus Joseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo.

℣. 3. Et ingresso ad se ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luzâ, quæ est in terrâ Chanaan, benedixitque mihi,

℣. 4. Et ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum: daboque tibi terram hanc, & semini tuo post te in possessionem sempiternam.

℣. 5. Duo ergo filii tui, qui nati sunt tibi in terrâ Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraïm, & Manasses, sicut Ruben, & Simeon, reputabuntur mihi.

℣. 6. Reliquos autem, quos genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis.

℣. 7. Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamiâ, mortua est Rachel in terrâ Chanaan, in ipso itinere, eratque vernum tempus: & ingrediebar Ephratam, & sepelivi eam juxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. NUNTIATUM EST QUOD ÆGROTARET. Non ignorabat quidem Joseph, affectam patris sui valetudinem, sed invaluisse morbum ex eo nuncio intellexit.

℣. 4. IN POSSESSIONEM SEMPITERNAM. Posteritas Jacobi secundùm carnem terram Chanaanitidis possedit usque ad Messiam; posteritas verò secundùm Spiritum, per fidem & spem, certam habet possessionem terræ promissæ, idest Cœli; nec spe tantùm illam tenet, sed & re ipsâ in Beatis, qui hæreditate primorum natu fruuntur.

℣. 6. NOMINE FRATRUM SUORUM VOCABUNTUR

(x) 3 *Reg.* I, 47. (y) *Genes.* XXXVII, 9, 10. (z) וישתחו על־ראש המטה *Aq.* προσεκύνησεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τῆς κλίνης. *Sym.* ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς κλίνης.

℣. 8. Videns autem filios ejus, dixit ad eum: Qui sunt isti?
℣. 9. Respondit: Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis.
℣. 10. Oculi enim Israël caligabant præ nimiâ senectute, & clarè videre non poterat. Applicitosque ad se deosculatus, & circumplexus eos,
℣. 11. Dixit ad filium suum: Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum.
℣. 12. Cùmque tulisset eos Joseph de gremio patris, adoravit pronus in terram.
℣. 13. Et posuit Ephraim ad dexteram suam, idest, ad sinistram Israël: Manassen verò in sinistrâ suâ, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum.
℣. 14. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus.
℣. 15. Benedixitque Jacob filiis Joseph, & ait: Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei Abraham, & Isaac, Deus, qui pascit me ab adolescentiâ meâ usque in præsentem diem:

COMMENTARIUS.

IN POSSESSIONIBUS SUIS. Nulla erat majoribus natu peculiaris hæreditatis portio supra cæteros; hæc tamen cautio Jacobi effectu caruit; neque enim alios genuit liberos Joseph præter Ephraimum & Manassem: si quos tamen genuisset, illi certè perindè fuissent reputati quasi filii Josephi, nullam proinde distinctam Tribum constituentes, neque in jus hæreditatis venientes cum cæteris Patriarchis. Id volebat Jacob; ut illi, si qui nascerentur, jungerent se alterutri e fratribus, Ephraimo vel Manassi.

℣. 11. NON SUM FRAUDATUS ASPECTU TUO. Hebræus & Chaldæus: *Videre faciem tuam non putabam*, non sperabam. Alii: *Non precabar* פללתי, nunquam mihi blandiebar futurum, ut te unquam viderem; ea res vota mea omnia & preces superabat; impossibilis enim videbatur.

℣. 12. CUMQUE TULISSET EOS JOSEPH DE GREMIO PATRIS. Fusius hoc explicat Textus originalis: *Eduxit Joseph eos de genibus ejus*, מעם ברכיו qui erant inter genua ejus, vel quæ illi, amplectebantur; *& incurvavit se in faciem suam in terram. Et tulit Joseph ambos ipsos, Ephraim in dexteram suam a sinistrâ Israël, & Manasse in sinistram suam a dexterâ Israël.*

℣. 14. QUI EXTENDENS MANUM DEXTERAM, POSUIT SUPER CAPUT EPHRAIM. Spectate hic licet vetustatem moris, imponendi scilicet manus illis, cui munus aliquod committebatur. Servatum id semper apud Judæos, ex quibus Ecclesiæ Christianæ communicatum; ministros enim suos sacris initiat manuum impositione. Oblatis sibi pueris ad benedicendum Jesus Christus imposuit manus (*a*). Conferatur ritus, quo apud Israëlitas initiabantur Sacerdotes (*b*), & solemnis cæremonia qua Moyses in successorem suum Josue destinavit (*c*), cum solemni destinatione septem Diaconorum per Apostolos (*d*); & consecratione Timothei (*e*) per Ecclesiasticum Senatum, nempe per Episcopos.

COMMUTANS MANUS. Hebræus ad literam: שכל את ידיו *Intelligere fecit manus suas*. Chaldæus, אחכמנון, *Docuit, fecit manus suas sapientes*. Prudens sciensque dexteram manum suam imposuit puero ad lævam posito, sinistram verò alteri ad dexteram; quod præsciâ futuri mente & sapienter factum fuisse, reprobavit eventus. Sunt qui feliciter oppidò reddant (*f*): *Prudenter composuit manus suas*. Notant Veteres Patres, prælationem hanc pueri natu minoris ante majorem significare Christianorum supra Judæos privilegia; manusque Jacobi in formam crucis compositas, cùm benedictionem impartiret, typum fuisse & imaginem crucis Jesu Christi, cui adoptio nostra & felicitas omnis accepta referenda est. Juvat etiam animadvertere, natu minores plerumque natu majoribus præferri in Scripturâ, quasi scilicet Deus inculcaret, eâ figurarum multiplicitate, futuram Ecclesiæ suæ adoptionem. Abel Caïno præfertur, Sem cæteris fratribus, Isaac Ismaëli, Jacob Esaü, Joseph Rubeno, Phares ipsi Zaram, Moyses Aaroni, David fratribus suis.

℣. 15. BENEDIXIT JACOB FILIIS JOSEPH. Hebræus nostræ ætatis: *Benedixit ipsi Joseph*; patri nempe in duobus filiis benedixit.

℣. 16.

(a) *Matth.* xix, 13. (b) *Num.* viii, 10. (c) *Ib.* xxvii, 18. (d) *Act.* vi, 6.
(e) 1 *Timoth.* iv, 14. (f) *Tigur. Vat. Oleast.*

℣. 16. Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac; & crescant in multitudinem super terram.

℣. 17. Videns autem Joseph, quòd posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit: & apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse.

℣. 18. Dixitque ad patrem: Non ita convenit, pater; quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput ejus.

℣. 19. Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio: & iste quidem erit in populos, & multiplicabitur: sed frater ejus minor, major erit illo: & semen illius crescet in gentes.

℣. 20. Benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israël, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen.

COMMENTARIUS.

℣. 16. Angelus qui eruit me. Committuntur inter se Interpretes in assignandâ significatione, vel potiùs sensu Hebraei מלאך, *Malach*, quod hîc redditur *Angelus*. Derivatur ex *lach* לאך, quod sonat mittere, vel juxta significationem Æthiopicam, *servire*, ut satis accedat ad Græcum *Angelos*, & Latinum *Angelus*; quæ duo nomina Angelorum non naturam exprimunt, sed munus, fungendi scilicet a Deo legatione. Docent autem Interpretes quidam, imprecari hîc Jâcobum filio suo, & ex filio nepotibus, ut quem Deum ipse habuit ad idusque patronum, hic ope suâ illos protegere imposterum non desistat. Arridet hæc sententia S. Cyrillo [g], S. Athanasio (h), S. Hilario (i), aliisque plorimis (k). Nec rarò in Scripturâ Deus Angeli nomine appellatur; & Jacob munus hîc liberatoris Angelo tribuit, quod sanè peculiare est Deo.

Defendunt alii (l), Angeli nomine hîc signari Spiritum, cujus custodiæ Jacob creditus, eodemque comite & protectore ille usus fuerat opportunè in suis itineribus. Non equidem diffitendum, Angeli nomine in Scripturâ Deum interdum censeri, & vicissim Dei nomen adsciscere sibi non semel Angelos, cùm maximè ejus nomine, & authoritate agunt; sed cum semel nomen Angeli tribuitur cuipiam, qui antea Dei nomine appellatus est, tunc utique reputandum, exprimi potiùs in Scripturâ illius naturam, quàm munera; & cùm illi Dei nomen attribuitur, factum id tantùm ad captum & præjudicia populi, non rarò confundentis cum Deo quæ Dei potiùs sunt instrumenta, rebus supernaturalibus præstandis. Samaritanos pro *Malach*, Angelus, habet *Melech* מלך, Rex, veluti si Jacob optaret, ut Pharao, cui pluribus nominibus debebat, beneficiis cumulare Josephum non desisteret.

Invocetur super eos nomen meum. Adoptionc inter filios meos recipio, ut deinceps & filii Jacobi appellentur, & cum filiis ipsius portionem hæreditatis obtineant (m). Vide ℣. 6.

℣. 18. Non ita convenit, pater; manus tuas rectè disponito. Spectare hîc licet duos Vates, quorum contraria est, eâdem de re sententia. Deus non rarò uni revelat, quod alterum celat; sed contraria unâ eâdemque de re eodemq; tempore duobus Prophetis nunquam panderet. Non semper nec in omnibus Prophetis præsto est Dei intùs agentis inspiratio. Joseph hîc suo spiritu loquitur; Jacob operantis intus superioris spiritûs doctum sequitur.

℣. 19. Semen illius crescet in gentes, id est, *Crescet inter gentes*, vel *multiplicabitur in gentes*. Hebræus: *Semen illius erit plenitudo gentium*. Chaldæus: *Filii ejus erunt dominantes in populis*. Sua fides mansit oraculo. Tribus Ephraim inter florentissimas & potentissimas Israëlis, primas tenens, caput fuit in Regno decem Tribuum. Bellica Ephraimitarum virtus in Scripturâ celebratur. Phrasis illa, *Plenitudo gentium* (n) sonare potest populos omnes & gentes. Erit plenitudo gentium; flos erit populi, nihil desiderandum in se relinquens, non magnitudinem, non robur, non ingentis nominis famam. Hæc vis vocis *plenitudo*: *Domini est terra, & plenitudo ejus*, nempe quidquid in terrâ est, Domini est. *Plenitudo chomer* est mensura *Chomer* ad summum usque completa. *Plenitudo peccati*, summus peccandi excessus. *Plenitudo domûs*, quidquid est in domo.

℣. 20. In te benedicetur Israel. Sermo est ad Josephum. Hebræus Massoretarum: *In te benedicet Israël* (o): cùm Israëlitæ benedictionem imprecabuntur in aliquem, optabunt illi familiæ tuæ prosperitatem. Congerat in te Deus benedictiones, quibus Ephraimum & Manassem cumulavit. Septuaginta: *Israël benedicetur ἐν ὑμῖν in vobis*, in plurali, nempe in Ephraimo & Manasse.

℣. 21.

(g) *Cyrill. lib.* 5 11 *Thesauri, c.* 1. (h) *Athanas. Orat.* IV *contra Arian.* (i) *Hilar. de Trinit. lib.* IV, *n.* 23, 24. (k) *Tertull. de Baptismo*, c. 8. *Ambros. de Bened. Patriarch. c.* 1. *Aug. quæst.* 166 *in Genes. Theodoret. quæst.* 107. *Aug. in Psal.* LXXVII, *vers.* 9, *&c.* (l) *Jansen. Menoch. &c.*
(m) *Est. Menoch. Vatab.* (n) *Ludov. de Dieu.* (o) בך יברך ישראל

Digitized by Google

℣. 21. Et ait ad Joseph filium suum: En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum

℣. 22. Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.

COMMENTARIUS.

℣. 22. DO TIBI PARTEM UNAM EXTRA FRATRES TUOS. Hebræum *Sechem* (p) est ad literam *humerus*, & per tropum *pars*: nomen est etiam urbis Sichem, quemadmodum hic usurpatur a Septuaginta: *Do tibi Sicimam, præcipuam super fratres tuos*. Constanti traditione apud Judæos & Samaritanos, Jesu Christi ætate, tenebatur (q), hanc hæreditatis portionem agrum fuisse pretio emptum a filiis Hemor. Cùm Israëlitæ venerunt in terram Chanaan, filii Josephi patris sui ossa in loco hæreditatis, supremis tabulis Jacobi filio suo relictæ, sepelierunt (r). Porrò hanc hæreditatem *in arcu & gladio* vindicatam per se e manibus Amorrhæorum asserit Jacob; *quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*. Quicumque verba illa exponunt de urbe Sichem, reputant, Jacobum, quamquam vim illatam a Simeone & Levi in Sichimitas altè improbantem, tamen comparatam ab illis possessionem semper sibi retinuisse. Rei gestæ a filiis rationem & circumstantias criminatus est; rejiciendum tamen quod per iniquitatem illorum sibi provenerat lucri, nequaquam e re suâ judicavit. Absurdas hasce meditationes jam supra ad Genesis XXXIV, 30. refutavimus. Censet Grotius, virum sanctum præsciâ futuri mente hæc omnia pronunciasse, & tamquam præteritum exposuisse, quod præstandum suo tempore a filiis suis norat. Quare viribus & armis obtinuisse se dicit terram illam, quam obtinendam re ipsâ a posteris suis intelligebat. Sed his admissis, quid Jacob conferebat Josepho hæreditatis supra fratres suos? æquè enim omnes assignatam sibi in Chanaanitide regionem vi & armis adepturi erant; & plerisque etiam felicior cessura erat terræ portio, quam filiis Josephi.

S. Hieronymus in qq. Hebraicis ait, *arcum hic & gladium a Jacobo justitiam vocari, per quam meruit peregrinus & advena interfecto Sichem & Hemor, de periculo liberari*. Sed hæc expositio inter mysticas quidem, minimè inter literales valet. Addit, commodè hæc dicta usurpari posse de pecuniâ suâ, quâ assignatum Josepho agrum Jacob emerat. Porrò pecuniam illam robur suum appellat, partam scilicet summis laboribus & sudoribus.

Mysticè admodum rem explicat Onkelos: *Quam acquisivi oratione & deprecatione meâ*. Aliam proponit conjecturam Masius (s), quæ ad veri speciem satis accedit. Reputat ille, Jacobum post direptionem Sichimiticam, cùm ultionem Chananæorum metueret, aliò se recepisse, relictâ hæreditate, quam pretio emerat a filiis Hemor: confirmatum tandem animis rediisse iterum, vi & armis pulsis Amorrhæis, qui agrum illum per injuriam occupaverant. Nihil eâ expositione succurreret aptius, si quid haberet in historiâ fulcimenti; sed nihil etiam est, quo infirmetur.

DE MANU AMORRHÆI. Qui putant sermonem hic esse de emptione agri (t) a filiis Hemor, observant, Hemor ipsum Amorrhæum fuisse origine, quamquam inter Hevæos ortum; vel fortè nomen Amorrhæi commune esse omnibus Chananææ gentis: id quod multis e Scripturâ argumentis confirmatur.

CAPUT XLIX.

Postrema Jacobi morituri verba. Sua singulis filiis fata prædicit Jacob.

℣. 1. VOcavit autem Jacob filios suos, & ait eis: Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis.

℣. 2. Congregamini, & audite filii Jacob, audite Israël patrem vestrum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. IN DIEBUS NOVISSIMIS. Diu post obitum meum. Hebræus (a): *In venturis diebus*; futuro tempore, sive proximo sive remoto. In veteri Libro, Josephi nomine inscripto, legebatur (b): *Legi in Tabulis Cœli quæcumque accident vobis & filiis vestris*.

℣. 2. CONGREGAMINI. Solemne erat Patriarchis, cùm ad obitum decumberent, benedictionem

suis

(p) שכם אחד על אחיך אשר לקחתי מיד האמרי בחרבי ובקשתי
(q) *Johan.* IV, 5. (r) *Josue* XXIV, 32. (s) *Mas. in Josue ultim. & Brug. ad Joh.* IV, 5. *Ligfoot. hor. Talm.* 84. (t) *Genes.* XXXIII. 20. (a) באחרית הימים (b) *Eus. lib.* VI *Præp. e. ult. ex Origene.*

Digitized by Google

℣. 3. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, major in imperio.
℣. 4. Effusus es ficut aqua, non crefcas: quia afcendifti cubile patris tui, & maculafti ftratum ejus.
℣. 5. Simeon, & Levi fratres: vafa iniquitatis bellantia.

COMMENTARIUS.

familiaribus impertiri, & voluntatem fuam poftremam illis prodere. Excipiebantur hæc dicta velut poftremæ morientis tabulæ, ac religiosè obfervabantur; quin & cenfebant homines, propheticum illis inesse aliquid, a mente fupremo lumine illuftratâ profectum. Servavit Scriptura poftrema verba decedentis Ifaaci, Jacobi, Jofuë, Samuelis, Davidis, Tobiæ. Vulgatus erat olim (*c*), & adhuc manet, apocryphus Liber, infcriptus: *Teftamentum duodecim Patriarcharum*; in quo poftrema virorum fanctiffimorum verba recitantur. Ea pariter inerat Paganis perfuafio (*d*) de hominibus, quibus vitæ exitus imminebat; rebantur enim, animabus futurorum tunc occulta referari. Ita rem prodit Cyrus ad obitum decumbens; ita Socrates hauftâ jam cicutâ, Ego, ajebat, ad id temporis perveni, quo hominibus futurorum edere oracula datum eft.

℣. 3. TU FORTITUDO MEA, ET PRINCIPIUM DOLORIS MEI. Commode etiam redderetur Hebræus (*e*): *Tu fortitudo mea, & principium roboris mei*, id eft, tu natu prior inter liberos, filius juventutis meæ, & connubii mei primus fructus. Solent hæc ufurpari in Scripturâ, defignandis filiis natu primoribus. Vide *Deut.* XXI, 17. *Pfal.* LXXVII, 51. In hanc fententiam exponunt Septuaginta (*f*), & Interpretum plerique. Qui legunt: *Principium doloris mei*, exponunt Textum de conceptâ a Jacobo animi ægritudine, cùm novit, Rubenum Patris thorum, inceftu cum Balâ, violaffe. Aquila (*g*) & Symmachus (*h*) cum Vulgatâ congruunt.

PRIOR IN DONIS, MAJOR IN IMPERIO. Verbis hifce collatam a patre in Rubenum benedictionem cenfet Lyranus; cujus exitus tunc fpectatus eft, cùm Tribus Ruben omnium prima vadum Jordanis tentavit (*i*); vel cùm, Saüle regnante, Agarenos domuit (*k*). Vulgò tamen Textus exponitur: Tibi quidem afferenda fuiffent dona, cæteris infigniora; tibi ortûs prærogativâ fupra cæteros futura erat authoritas; tibi denique jura primoris natu vindicanda (*l*), duplex in fucceffione hæreditatis pars, Imperium fupra Tribus cæteras, & Sacerdotium; fed injuriæ in patrem tuum illatæ merito e privilegiis hifce omnibus excidifti. Duplex portio in Jofephum tranflata, Sacerdotium in Levi, imperium in Judam. Septuaginta ita reddunt (*m*): *Durus ad ferendum, & durus pervicax*. Commodè etiam verteretur Hebræus (*n*): Tu futurus eras *primus dignitate, & potior fortitudine*; id eft, quæ tua eft Tribus, cæteris præferenda erat dignitate, authoritate, numero hominum, & robore.

℣. 4. EFFUSUS ES SICUT AQUA. Loco hujus excellentiæ, florentis rerum tuarum fupra cæteras alias Tribus ftatûs, tu *effufus es ficut aqua*; fluxa tibi & humilia funt omnia. *Non crefces*, five numero, five dignitate, five robore. Nunquam equidem Tribus Ruben five hominum numero, five dignitate in Ifraële valuit. Moyfes poftremis hifce verbis ita affatur Rubenum (*o*): *Vivat Ruben & non moriatur, & fit parvus in numero*. Sunt qui Textum ita reddunt: *Tu effufus es ficut aqua*, id eft, in declive malæ habitudinis fluxu raperis; vitiis ita impotenter abriperis, ut nequicquam illa cohibeas. *Non crefcas*, diffipaberis fcilicet, velut effufa aqua, & velut extra lectum fuum ftagnans torrens. Septuaginta (*p*) reddunt: *Fecifti contumeliam: ficut aqua, non efferuefcas*. Aquila (*q*): *Obftupuifti, ficut aqua, non redundes*. Symmachus (*r*): *Efferbuifti, ficut aqua, non eris eximius* (*s*). Onkelus: *Quia fecutus es voluntatem tuam, ficut aqua effufa, non proficies, neque accipies portionem fuperexcrefcentem*. Hebræus ita verti poffet: פחז כמים אל תותר *Levitas* (inconftantia, rapiditas, feftinatio tua) *ficut aqua, ne excellas*, nunquam extolliaris. Aliter (*t*): Tu audacia erigeris: nunquam excellas, fed humi ferpas, ficut aqua. *Pachaz* Arabicè eft tumere audaciâ. S. Hieronymus in quæftionibus Hebraicis: *Effufus eft ficut aqua, ne adjicias*, id eft, ne crimini iterùm te committas.

ET MACULASTI STRATUM EJUS. Hebræus ad literam: *Tunc polluifti ftratum meum; afcendit*, feu ftratum illud elevatum eft, vel evanuit, id eft, juxta Rabbinos nonnullos, thorus meus rejectus eft, ut nunquam illum deinceps afcenderim; vel, juxta Vatablum, privilegium tuum majoris natu abrogatum eft. Vertendum ego maluerim: *Polluifti ftratum meum, afcendens*; ut *holeh* legatur pro *halah*, quod eft in Hebræo (*u*). S. Ambrofius (*x*), ratus hæc omnia a Jacobo filiis fuis dicta futurorum effe oracula, tuetur, verba illa, *Maculafti ftratum meum*, aliò utique fpectare, quam ad facinus Rubeni diu ante commiffum, de quo capite XXXV: cenfet prophetice a viro fanctiffimo enunciatam paffionem Servatoris noftri, & quæ illi toleranda erant a Judæis mala. *Durus*, inquit ille, *populus afcendit cubile patris, & thorum polluit*

(c) *Origen. homil.* XV *in Jofue*. (d) *Vide Ciceronem lib.* 2 *de Divinat. & Xenophon. in Cyropæd.*
(e) ראשית אוני (f) *Septuag.* Ἀρχὴ τῶν τέκνων μου. (g) *Aquil.* Κεφάλαιον λύπης.
(h) *Symm.* Ἀρχὴ ὀδύνης. (i) *Jofue* IV, 12. (k) 1 *Par.* V, 10. (l) *Ita Chald. Onkel. & Jerofol. Hieron. in quæft. Hebr. & Interpr. paffim.* (m) *Septuag.* Σκληρὸς φέρεσθαι, καὶ σκληρὸς αὐθάδης.
(n) יתר שאת ויתר עז (o) *Deut.* XXXIII, 6. (p) Ἐξύβρισας ὡς ὕδωρ, μὴ ἐκζέσῃς.
(q) Ἐθάμβευσας ὡς ὕδωρ, μὴ περισσεύσῃς. (r) Ὑπέρζεσας ὡς ὕδωρ, οὐκ ἔσῃ περισσότερος.
(s) Hæc Græcorum phrafis, *efferuefcere ficut aqua*, fonat *irafci* apud Ariftophanem & Paufaniam: & vox ὑπέρζεσας, qua Symmachus utitur, explicat liquorem efferuefcentem, ac e vafe fuo redundantem: quod de Rubeni incontinentiâ optimè dici poteft. (t) *Capell.*
(u) אז חללת יצועי עלה (x) *Ambrof. lib. de Bened. Patriarc. c.* 2.

℣. 6. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate suâ suffoderunt murum.

℣. 7. Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israël.

COMMENTARIUS.

luit sanctum, hoc est, carnem Domini Jesu conditoris nostri patibulo affigent crucis, in qua, velut in quodam cubili & petreo thoro, sancti ejus salutari refectione requiescunt. Sed hæc nihil est minus quàm literalis interpretatio.

℣. 5. SIMEON ET LEVI FRATRES, id est, vel Simeon & Levi duo fratres, vel ambo fratres sunt in crimine, affines in malo, & in sævitiâ fratres; fratrum enim nomen usurpatur interdum pro similibus (y).

VASA INIQUITATIS BELLANTIA. Septuaginta & Chaldæus legisse videntur in Hebræo *calu*, fecerunt, vel consummarunt, pro *celei*, vasa, quod legitur hodie. Ita ergo habent Septuaginta (z): *Simeon & Levi fratres consummaverunt iniquitatem propositi sui.* In laudem utriusque dictum vertit Chaldæus: *Simeon & Levi fratres: viri fortissimi in terrâ peregrinationis suæ fecerunt fortitudinem.* Versionibus hisce favens Samaritanus, habet *calu*; nec abs re arbitraremur, Symmachum & Theodotionem cum Septuaginta congruere, nulla enim variantia ex illis hìc adnotata sunt. Sed Aquila Vulgatæ cohæreos legebat (a): *Vasa iniquitatis.*

Ita nos vertendum Hebræum censemus (b): *Simeon & Levi fratres* (sunt in malo) *arma iniquitatis machæra eorum.* Deducimus *Mecroth* ex radice *cerat*, abscidit. Accesserunt alii (c) ex *Machar*, quod Chaldaicè est conciliare, polliceri: *Arma eorum promissiones iniquitatis*, injustæ, dolosæ. Spectatum hìc ad verba dolosa, quibus Sichimitas fefellere, suaque fallaciâ incautos duxerunt ad mortem. Vox *Mecroth* vel *Macroth* ex universâ Scripturâ hìc semel legitur; nec abs re arbitraremur, Græcum *Machæra* ex eo fonte deduci. Tradit Xenophon, ensem apud Persas Machæram appellari.

℣. 6. IN CONSILIUM EORUM NON VENIAT ANIMA MEA. Intelligimus hìc utique, Jacobum facinus Simeonis & Levi adversùs Sichimitis detestari. Reddi posset Hebræos (d): *In secretum eorum non venit*, seu *non veniet*, sivè *non veniat anima mea.* Septuaginta (e) *In consilium eorum non veniat anima mea; & in congregatione eorum non contendant viscera mea*: Hebræum *Cabed* est jecur, viscera, vel gloria. Veteres quidam (f) ita legerunt Septuaginta: *Jecur meum non stet, non adhæreat congregationi eorum.* Oleaster & Castalio hunc sensum tribuerunt Hebræo: *Secreto consilio eorum non tradam animam meam, nec gloriam meam congregationi eorum.* Minùs utique illis fido, quàm ut ipsis committam animam, seu vitam, vel gloriam, vel famam nominis mei. Censent plerique, secundum membrum hujus versûs idem inculcare ac prius, ut *gloria mea* idem sit ac anima mea. Vide Psal. XXIX, 13; & XV, 9; & VII, 6; ubi in Hebræo est *gloria mea* pro *anima mea.*

QUIA IN FURORE SUO OCCIDERUNT VIRUM. (seu viros). Sermo est semper de insigni injuriâ Sichimitis illatâ. Hebræum ita reddunt aliqui (g). Occiderunt homines in furore suo, & meditato consilio armenta eorum rapuerunt. Septuaginta: Ἐνευροκόπησαν ταῦρον, *subnervaverunt taurum.* Factum id sæpius in bellis, satis constat. Vide Josuë XI, 9. Non abs re arbitraremur, servatum id etiam ab utroque fratre in tauros Sichimitarum, quò usibus colonicis eos redderent ineptos. Prima pars hujus Textûs exponi potest de furore duorum fratrum in Sichimitas; altera de injuriâ utriusque in Josephum fratrem suum, designatum hìc nomine tauri, qui typus est roboris. Veteres quidam (h) nomine tauri designatum arbitrantur Jesum Christum, alienigenarum manibus permissum a Judæis, quorum symbolum exprimunt Simeon & Levi. Alii ita vertunt Hebræum: *Occiderunt hominem in furore, & in furore ultionis suæ perfoderunt murum.* Hebræum *Schor* (i) est taurus, & *Schur* murus; eædem utrioque literæ.

℣. 7. MALEDICTUS FUROR EORUM, &c. Textus Samaritanus (k) ita reddi posset: *Validus est furor eorum, quia fortis, & societas eorum, quia dura* (vel inflexibilis).

DIVIDAM EOS IN JACOB. Eorum nimiam consensionem puniam, sedibus disterminans, & in regione fratrum suorum illos disperdens. Constat utique, Tribum Levi dispersam fuisse per varias urbes, in sorte aliarum Tribuum illi assignatas; Simeoni obtigisse hæreditatem in angulo Tribûs Juda (l): cui facta est accessio quarumdam regionum, quas sibi procurare coacta est in montibus Sehir, & in deserto Gader (m).

Judæi, & Veteres quidam Patres censent, sicut Levi Sacerdotes dedit Israëli, ita Simeonem scribas & Legis Doctores dedisse. Utrumq; hominum genus æquè per universos regionis vicos dispergebatur. Hanc traditionem insinuant Targum Jerosolymitanum, Tertullianus (n), S. Ambrosius (o), & alii quidam.

Autumavit Menochius, maledicta illa, quibus Jacob utrumq; filiû persecutus est, intrà conditiones quasdam contineri; poterant enim illi intorta in se fulmina

(y) *Prov.* XVIII, 2; XIX, 7 (z) Συμεὼν καὶ Λευὶ, ἀδελφοὶ συνετέλεσαν ἀδικίαν ἐξαιρέσεως αὐτῶν. (a) *Aqu.* σκεύη ἀδικίας. *Hexapl. p* 672. (b) כלי חמס מכרותיהם (c) *Jun. Tremel. Rivet.* (d) בסדם אל תבא נפשי בקהלם אל תחד כבדי [e] *Septuag.* Ἐπὶ τῇ συστάσει αὐτῶν μὴ ἐρίσαι τὰ ἥπατά μου. (f) *Origenes, Tertullianus legebant*: μὴ ἐρείσαι. (g) *Targ. Hierosol. Kimchi & alii.* (h) *Origen. homil.* XVII *in Genes. Tertul. contra Judæos, c.* 10. (i) עקרו שור *Aquil. Sym.* ἐξερίζωσαν τεῖχος. (k) Habet אדיר *adir*, pro *aeur* ארור; & *ebakerat* חברת pro *haberat* עארת (l) *Josue* XIX, 1, & *seq.* (m) 1 *Paralip.* IV, 27, 39, 42. (n) *Tertull. contra Jud. cap.* 10. & *contra Marcion. lib.* III, *cap.* 18. [o] *Ambrof. de benedict. Patriarch. c.* 3.

Digitized by Google

℣. 8. Juda, te laudabunt fratres tui: Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui.

℣. 9. Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna: quis suscitabit eum?

℣. 10. Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.

COMMENTARIUS.

na a suo capite avertere, siqoidem contrariâ a priori incedere viâ satagerent. Id consilii, inquit, cœpit Levi in personis Sacerdotum, qui studii in Divinam Legem sui luculentum dederont exemplum in deserto (o). Hæsit verò maledictum in capite Simeonis, ob crimen Zambri (p): ita ex omnibus Tribubus una tantùm Simeonis Moysis decedentis benedictione caruit (q).

℣. 8. JUDA, TE LAUDABUNT. Rabbinorum quidam docent, Judam auditis maledictis, quibus pater incesserat Rubenum, Simeonem, & Levi, majores natu, efferre inde pedem voluisse, ne quid in se tale pronunciari audiret; sed cum id intellexisset Jacob, secedentem retinuisse, animisque confirmasse, his verbis: Tu re & nomine es *Juda*: laudaberis inter fratres tuos. Vox Hebræa הודה, unde nomen *Juda*, significat laudare, confiteri. Targum Jerosolymitanum: *Te laudabunt fratres tui; & Judas omnes de nomine tuo appellabantur*. Onkelos: *Confessus es, & non es confusus: te laudabunt fratres tui*. Sunt qui inoui credant a Paraph aste illo factam a Juda de incestu suo cum Thamare confessionem; laudatum alii malunt studium Judæ, quò ab interitu Josephum fratrem suum eriperet.

MANUS TUA IN CERVICIBUS INIMICORUM TUORUM. Insequêris illos, prælio vinces, habebis captivos, occîdes.

ADORABUNT TE FILII PATRIS TUI. Post obitum Isboseth filii Saülis, Tribus omnes Davidem in Regem salutaturæ venerunt. Veteres quidam explicant hæc omnia de Jesu Christo; plerique tamen priorem Oraculi hujus partem de Juda; quæ autem sequuntur, omnia de Jesu Christo intelligunt. Respiciebat peculiariter vaticinium illud Tribum Juda; sed Regnum & augusta Tribûs illius magnitudo typus erat adventûs & Regni Messiæ, de quo ℣. 10.

℣. 9. CATULUS LEONIS. Describit his verbis Jacob bellicam indolem, robur & virtutem ejus Tribûs. Hebræum hujus loci ita commodè redderetur: *Catulus leonis, Juda. A prædâ, fili mi, ascendisti: incurvavit se, cubavit sicut leo, & sicut leo major, quis suscitabit eum?* Depingit Vulgata leonem venantem prædam; Hebræus verò leonem in montes ad quietem secedentem, jam captâ prædâ exsaturatum (r). Hæc omnia dicta referunt ad Davidem & Salomonem. David bellicâ virtute pollens, non malè comparatur Leoni prædam venanti: Salomon Rex pacificus, æquè tamen potentiâ suâ hostibus metuendus, exprimit leonē prædâ voratâ exsaturatum, & in antro suo tutò dormientem. Septuaginta: *Catulus leonis Juda*, ἐκ βλαστοῦ ἀνέβης, *e germine* (e medio plantarum, sive herbarum germinantium) *ascendisti*. *Aquila*: *Ascendisti e capturâ*, ἀπὸ ἁλώσεως, spoliorum hostium. Symmachus: *Venisti e venatione*, ἐκ θηριαλώσεως.

℣. 10. NON AUFERETUR SCEPTRUM DE JUDA (s). Sceptrum est supremæ potestatis emblema. Septuaginta (t). *Non deficiet princeps ex Juda*. Aquila: *Sceptrum* (u): Symmachus (x): *Non auferetur potestas, authoritas, a Juda*. Recentiores quidam Rabbini: *Virga non levabitur desuper Juda*; quod exponunt de malis capiti gentis suæ inhærentibus, quibus hodie usque premuntur, levandi demum a Messiâ.

ET DUX DE FEMORE EJUS, &c. idest, Princeps, Imperator, ex ejus familiâ. Hebræum *Mechokek* (y) significare potest sive Legislatorem, sive Doctorem vel Scribam: quæ omnia Jesu Christo conveniunt. Scribarum munera non respiciebant tantùm Scripturam & populi institutionem, studium legis & cæremoniarum; sed etiam Aulæ & belli res tractabant Scribæ. Observabantur illi maximè sub Regibus Juda. Paraphrastæ Chaldæi, & Judæi plures Textum hunc interpretantur de Scribis, qui Regi sedenti in solio suo aderant, inquiunt, illius ad pedes: sed Hebræa originalis vox, quæ hìc legitur, alia est planè ab eâ, qua uti solet Scriptura, ut Scribam significet: certoque tenemus, vocem hanc referri ad *sceptrum*, quod legitur in priori membro hujus versiculi; exprimi verò utrâque summam potestatem & jus condendi leges & statuta.

DONEC VENIAT QUI MITTENDUS EST, Messias nempe, designatus sæpissimè in Scripturâ nomine Missi a Patre. Hebræus ad literam: *Usquequo veniat Siloh* (z), quæ postrema vox crucem figit Interpretibus S. Hieronymus legebat fortè שלוח *Schiloach*, cùm reddat, *Qui mittendus est*. Verùm Septuaginta legisse videntur, ut hodie pariter est in Hebræo. *Siloh*; reddunt enim (a): *Donec veniat ille, cui servatum est* (Regnum); vel juxta alia Exemplaria: *Donec veniant quæ reposita sunt ei*. Utramque lectionem laudant Veteres.

Hebræus ad literam: *Non recedet sceptrum de Juda, donec veniat is, cujus est*, legitimus nempe possessor. Reddunt nonnulli: Donec veniat *pacificus, pacificator*, prosperitas Hebræum *Schalah* שלה significat etiam felicem esse, & in prosperis. Alii: Non auferetur sceptrum de Juda, usquequo *nascatur filius* ex muliere viri experte; velut si innueretur Messiæ ortus e Virgine parente. A-

(o) *Num.* XXV, 11, 12.
(p) *Ibid.* XXV, 14. (q) *Deut.* XXXIII. (r) מטרף עלית (s) לא יסור שבט מיהודה
(t) *Septuag.* οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα. *Alibi vertunt* σκῆπτρον. *Zach.* X, 11. (u) *Aquil.* οὐκ ἀναστήσεται σκῆπτρον ἀπὸ Ἰούδα. (x) *Sym.* οὐ περιαιρεθήσεται ἐξουσία ἀπὸ Ἰούδα. (y) מחקק *Septuag.* ἡγούμενος. *Aq.* ἀκριβαζόμενος. (z) עד כי יבא שילה (a) Ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *sive* ᾧ ἀπόκειται. Hanc postremam esse omnium optimam lectionem LXX, fatetur S. Justinus in Dialogo cum Tryphone. (b) שליא *Secundina.* שיל *Arabicè, profluvium, fluxus; donec veniat semen ejus. Lud. de Dieu.*

liter (c): *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat finis ejus* (supple *Regni*). Malumus autem ita reddere (d): *Non recedet sceptrum de Juda, donec nascatur filius, qui ipsi succedet, & erit expectatio gentium.* Penès Judam summa manebit potestas tamdiu, quamdiu advenerit legitimus hæres, cujus in manus imperium remittet: ille verò patrum suorum Regno junget imperium in exteras nationes, quarum ille est expectatio & felicitas.

Veteres omnes, Christiani æquè & Judæi, conveniunt, apertissimum hoc esse de adventu Messiæ vaticinium: eademque est Onkelos, Jonathio, & Targum Jerosolymitani sententia. Profectò si horum Interpretum tanta est vetustas, quantam volunt Judæi, quos Jesu Christo antiquiores volunt, eorum confessio demonstrationis loco habenda est; non enim Ecclesiæ suæ sententiam ignorare poterant. Si verò Jesu Christo sunt recentiores, validius est argumentum; neque enim tanti momenti oraculum e Christianorum manibus eripere ausi sunt. Nonnisi post illos cœpit apud Judæos nobis de hoc loco lis intentari. Sed hodie pariter eâ de re inter se committuntur. Dissidium est etiam inter Christianos Scriptores de sensu verborum, quorum hic sententiæ sunt expendendæ.

Volunt nonnulli (e), Judæ nomine hìc designatam unicam Tribum Juda, in qua post Jacobum, vel post Davidem, nunquam defuisse Principes contendunt, ampliori interdum, minori etiam sæpe authoritate, rerum in illâ potientes. Censent alii (f), nomine Juda designari universam Judæorum gentem, & posteros omnes Jacobi, qui distinctam semper ab aliis populum constituerunt, suis subjectum Regibus, vel e gente ipsâ datis vel alienigenis, usque ad Jesum Christum; post cujus obitum exciderunt Judæi a prærogativâ constituendi unum singularem populum, habendique Reges e suâ gente datos. In hanc sententiam Veteres plerique Patres concesserunt: & facilius etiam supra cæteras omnes defenderetur, cum impleti oraculi fides ad sensum usque pateat. Prior tamen sententia magis cohærere literæ videtur, & aptior est ad magis magisq; revincendos Judæos; quare hanc fulcire in hoc opere conabimur.

Quod maximè demonstrat, sermonem hìc tantùm esse de Tribûs Juda singularibus prærogitivis, illud est, nimirum in hoc capite ℣. 8, scribi datam a viro sancto singulis filiis benedictionem peculiarem: *Benedixit singulis, benedictionibus propriis.* Profectò si hìc nomine Juda natio omnis Judæorum censetur, nullo negocio demonstrari posset, nihil peculiare precatum fuisse Jacobum in Tribum Juda, adversus initum ab ipso consilium. Et si in hoc Oraculo Judæ nomen non de peculiari Tribu, sed de universo Israële usurpatur; non erit, cur necessariò Messias e Tribu Juda ortus asseratur: quod maximè repugnat traditioni Judæorum & Christianorum, quæ nunquam non infert ex Oraculi hujus testimonio, Messiam e Tribu Juda nasciturum.

I. Non est hìc postulanda constans, & nunquam interrupta series Principum & Regum in Tribu Juda. In continuatâ tot annorum serie, nulla profectò temporis alicujus interruptionis ratio habenda est. Verba illa, *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat Messias*, humano more atque laxiori sensu intelligenda sunt.

II. Reputari non incongruè posset, Tribui Juda suos nunquam defuisse Reges, & in eâ familiâ mansisse semper sceptrum, sive quòd summam potestatem ipsa habuerit, sive quòd alios a se delectos Regno donaverit, vel illis ultro sese subdiderit; quemadmodum Romanorum Imperatores æquè omnes Imperii illius principes appellati sunt, cujusque essent gentis, & quacumque ratione Imperium sibi subjecissent.

III. Temporaria illa Judæorum servitus vel Babyloniis Regibus, vel Syriæ, Ægypti, Romanis, Herodibus, nihil obstitit, quominus aliqua saltem suprema potestas Tribui Juda maneret; erat enim penès illam jus cognoscendi de causis Religionis, cæterisque ad Legem pertinentibus. Erat hæc quidem angustis clausa limitibus, & ab alio accepta potestas: at satis erit nobis demonstrasse, nunquam non defuisse sceptrum in Tribu Juda, nec suos in illâ Principes, pro statu & fortunâ populi imperium moderantes. Et quidem siquis demonstrari a nobis exigat Reges & Principes io Juda, qui nullius unquam jugum subierint, utique ultra priores Reges Juda progrediendum non esset; inclinante enim in exitum Monarchiâ, ante Babylonicam captivitatem, postremi Reges tributa pendebant Regibus Babyloniæ & Assyriæ.

IV. Propheticorum oraculorum fides non tota statim & unico momento impletur; neque augmentum & eversio Imperiorum & gentium unius diei molimen est. Difficilè utique demonstraretur, oraculorum complementum certo aliquo tempore contigisse. Quædam sunt in Scripturâ, quorum certa dies & anni designantur; quædam pariter minùs exactè, & vagè quodammodo, quod ad tempus spectat, expressa. Oraculo pronunciat Jacob futurum, ut sceptrum perseveret in Juda usque ad adventum *Siloh*. Non est utique reputandum, eodem temporis articulo & nasciturum Siloh, & sceptrum Judæ subducendum: sed nunquam illud auferetur e Juda, quin simul venerit Messias; & cùm sceptrum e Tribu Juda translatum perpetuò videbitur, tunc certò tenendum erit venisse Messiam. In captivitatibus, in temporariis illis populi servitutibus, cùm ille animis desponderet, faciebant spem pronunciata oracula de futurâ in libertatem & in Regnum restitutione. Sed Prophetiæ omnes adventu Jesu Christi & eversione Jerosolymæ sublatæ sunt.

V. Tribui Juda potior fuit supra cæteras honoris prærogativa. Cùm castra in deserto locabantur (g), peculiari semper ratione observata est. Cùm oblationes Tabernaculo sistebantur, omnium prima veniebat (h). Sub Josue hæreditatis sortem ante cæteras obtinuit (i). Sub Judicibus (k) selectus a Deo est Judas, ut populo in Chananæos armato præesset. Quæ decora merito virtutis suæ, potentiæ & numeri copiarum sibi vindicavit.

David electus fuit & consecratus in Regem, super-

(c) *Le Clerc.* שרה *vel* שאל Arabicè sonat, *destructus est, cessavit* (d) *Hic* שילה *ponitur pro* שלו
(e) *Quidam apud Origen. homil.* XVII *in Genes. Cyrill. l.* VIII *contra Julian. Hieronym. in* 2 *caput Sophon.* (f) *Justin. Martyr in Dialogo cum Tryphone*; *Euseb. Cæsar. demonst. lib.* II, *cap.* 2; *& lib.* VIII, *c.* 1; *& lib.* 1 *historia Eccles. c.* 6. *Ambros. de benedict. Patriarch. c.* 4. *Aug. lib.* XVIII *de Civit. c.* 45. *Theodoret. quæst. ultim. in Genes. Rupert. lib.* IX *in Genes.* (g) *Num.* X, 14; *&* II, 3. (h) *Num.* VII, 12. (i) *Josue* XVI, 1. (k) *Jud.* I, 2.

Digitized by Google

superstite adhuc Saüle. Post Davidem adusque Sedeciam & captivitatem Babylonicam, non interruptam Principum successionem dedit Tribus Juda. Premente captivitate, constitutos ex illâ Reges intelligimus ex historiâ Susannæ (*l*). Post solutam captivitatem, primum adeò locum obtinuit Tribus Juda, ut populus ex eâ captivitate redux non alio nomine, quàm Judæorum appellaretur. Si penès summos Sacerdotes suprema mansit authoritas, illis concessam quòd ferrent sceptrum Juda; summam enim authoritatem ab eâ Tribu acceptam tenebant. Nihil hîc moror quæ narrat Scriptura de Jechoniâ ab Evilmerodacho supra cæteros Aulæ suæ Reges posito; nec de Salathiele, quem imperasse dicunt Judæis captivis post Jechoniam. Prætereo etiam Zorobabelem e familiâ Davidis, & Tribu Juda principem. Quid Nehemias? nonne eâ Tribu oatum plures censent? Nonnulla in hac opinione ardua sunt: at nos nihil hîc nisi exploratissimum afferendum censemus.

Parcendum nobis etiam ducimus a labore quærendi Principes Juda in Sanhedrio. Non utique affirmandum credimus, datos semper ex Juda amplissimo cœtui Principes. Ultrò fatemur, summos Sacerdotes rerum moderatos fuisse post captivitatem usque ad Macchabæos; Macchabæos verò e Tribu Levi summam retinuisse potestatem adusque Herodem. Non est utique laborandum, ut concilientur hæc omnia cum oraculo Jacobi, nec eò confugiendum cum nonnullis, ut probemus, Asmonæos maternum saltem genus retulisse ex Juda. Satis enim nobis fuerit demonstrasse ex Juda constitutos Principes, quibus se tota ea Tribus subderet, principes agnitos sub nomine Principum Judæorum, ejusdem cum Judæis Religionis, qui factas Judæ a Jacobo promissiones expectarent, haberentque se velut hæredes & successores illius Patriarchæ. Hæc utique spectata sunt in omnibus, qui Tribui Juda dederunt jura post solutam captivitatem usque ad Jesu Christi adventum.

Post obitum *Siloh*, idest, Jesu Christi, eversâ penitus Judæorum Republicâ, ablatoque sceptro Juda, ab unius singularis populi prærogativâ excidit; deletique characteres omnes sunt, quibus promissionum factarum Judæ hæres agnosceretur. Novum Regnum in Ecclesiâ Jesu Christi constitutum est, coalescens ex Judæis & gentibus initiatis Baptismate; quibus commodum illud contigit recipiendi Messiam, de quo Jacob pronunciavit futurum, ut esset expectatio gentium, vel, juxta Hebræum, cui debebatur *obedientia populorum*.

Luculentissimâ ejus oraculi authoritate convicti veteres & e recentioribus Rabbinis nonnulli (*m*) fatentur, agi hîc de Messiâ: ut tamen eludant Christianorum argumenta, quæ impletum in Jesu Christo oraculum demonstrant, negocium sibi sumunt quærendi principes Juda & sceptrum in eâ Tribu, regnante, juxta alios, in ignoto quodam & dissito terræ tractu, alii in Bagdad, ultra Euphratem. Ejusmodi commentorum vetustas constat ex Origene (*n*), & Scriptoribus aliis (*o*), qui illa refutare conati sunt. Sed potestas illa data per Califos Principibus captivitatis Judæorum, cùm jam inde ab anno 1309 desierit, Messiæ adventum ulteriùs differre apta non est.

Judæorum alii docuerunt, de alio, quam de Messia, agi verbis illis: *Non auferetur sceptrum de Juda &c.* Ita igitur illa explicant nonnulli: Sceptrum, de Juda non tolletur post eversionem Urbis Silo, idest, postquam Arcam remiserint Philisthæi, & Tabernaculum Silo destituetur, penès Tribum Juda summa erit semper potestas. Sed hæc pluribus nominibus falsitatis arguuntur. I, Nullo argumento demonstraretur eversio Urbis Silo. Asserit quidem Propheta (*p*), Deum deseruisse Silo, nec elegisse Ephraim, sed unicam Tribum Juda; noluisse scilicet, Arcam ulteriùs retineri in Silo, urbe Tribûs Ephraim, sed constituisse in Cariat-jarim in Tribu Juda. II, Tribui Juda non statim a restitutâ Arcâ collata est summa potestas. Samuel longum tenuit imperium, & post illum regnavit Saül; quo rerum potiente, electus David. Tandem explicationi illi minùs favet Textus, obvium alium sensum exhibens; exprimit enim adventum *Siloh*, velut exitum & non velut exordium rerum in Juda florentium.

Rabbinorum aliis ea sedet sententia, Siloh nomine hîc designari Moysem, aliis Davidem, aliis Saülem, Jeroboamum, Nabuchodonosorem, vel tandem Herodem. Sed res Juda cœperunt sub Davide, non exierunt; Saüli & Moysi nihil commune fuit cum eâ Tribu, a qua alieni erant genere; nihil pariter Jeroboamo, sub quo diminutæ, non deletæ opes ejus Tribûs. Nabuchodonosor quidem Regnum illud evertit, sed non destruxit Tribum Juda, quæ diu etiam post illum stetit: tandem Herodes sceptrum non abstulit Judæ; & siquis statuat sub hoc Rege impletam ejus oraculi fidem, non id utique causâ illius factum est, sed Jesu Christi, qui sub exitum Regni ejus inter homines apparuit.

Sunt (*q*) qui explicent verba, *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat Siloh*, in hunc sensum: Firma semper manebit apud Tribum Juda spes edendi e Gentilibus suis Messiam, spectandique sceptrum & Regnum Messiæ constitutum: & oppressam licèt eam Tribum, cujus res accisæ videantur, nunquam tamen spe casuram effundendi e sinu suo Messiæ; quo edito, nihil illi ad prosperitatem & gloriam esset defuturum. Sed I, Tribus Juda modò in unum cum cæteris Tribubus coaluit, neque unicam ac peculiarem gentem constituit. II, Inauditum est, sceptrum usurpari pro spe sceptri; & juxta hanc hypothesim reputandum esset, sceptrum auferendum e Juda, cùm maximè illi conferretur: cessat enim spes cùm res sperata possidetur.

ET IPSE ERIT EXPECTATIO GENTIUM. Aggæus Propheta II, 8, Messiam designat nomine *Desideratus cunctis gentibus*. Affirmandum utique, erectum fuisse universum orbem in expectationem futuri Liberatoris, quem tamen venientem rari tantùm ex hominibus agnoverunt. Summis votis illum exposcebant Judæi: alacri studio semel anunciatum exceperunt Ethnici; & qua tenebatur Orbis universus, hujus Divini Servatoris necessitas efflagitatio erat quædam, Cœlum pulsans. Commodè ita redderetur Hebræus (*r*): *Cœtus populorum erit ipsi*, ut se illi subdant; vel a *Obedientia populorum erit ei* (*s*). Alii: *Ipse erit protectio gentium*.

Rata hæc omnia & asserta in Tribu Juda, & in Jesu Christo. Israëlitæ & gentes exteræ coluerunt

(*l*) *Daniel.* XIII, 41. (*m*) *Kimchi*, *Abenezra*, *Jarchi*, *Rab. Joseph*, *&c.* (*n*) *Origen. lib.* VI *de Princip. c.* 1. (*o*) *Fulbert. Carnot. ser.* 1 *&* 3 *in Judæos.* (*p*) *Psal.* LXXVII, 60. (*q*) *Cajet.* (*r*) ולו יקהת עמים (*s*) *Arab. obedientia* קוה

℣. 11. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum.

℣. 12. Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.

COMMENTARIUS.

luerunt Davidem, Salomonem, & cæteros Reges Juda. Post solutam captivitatem, quæ inanserant reliquiæ Israëlitarum dispersæ, in Tribum Juda coaluerunt, quæ tutum illis effugium & patrocinium exhibuit. Tandem ex universo Orbe gentes coluerunt Jesum Christum, de cujus ope salutem sibi quæsierunt. Ex dotibus ejus non infima erat paupertas (t); argumentum, venisse illum ad evangelizandum pauperibus: fulcimentum est, patrocinium & robur miserorũ, atq; imbecillium.

℣. 11. LIGANS AD VINEAM PULLUM SUUM. Dicitur ad exprimendas vinearum & pascuorum divitias in eâ Tribu. Vineæ Engaddi celebrantur in Scripturâ (u). Samaritanus habet: *Ligatus est ad vitem civitas ejus, & ad palmitem filii roboris ejus, ejus urbes junctæ sunt vineis.* Hic legit ירבי pro עירה. Jesus Christus comparans se vineæ, Discipulos suos palmitibus, & Patrem suum vinitori (x), alligari se permisit cruci, veluti palmitem palo; sanguinem suum, veluti fracta sub torculari uva, effudit. Ita volgò Patres.

LAVABIT IN VINO STOLAM SUAM. Copia erit vini in Juda, adeò ut eo laventur vestes, quæ alibi lavantur aquâ. In Apocalypsi VII, 14, Martyres induuntur vestibus, agni sanguine lotis. Phœnices vinum designabant nomine sanguinis uvæ; quæ pariter phrasis est hîc in Scripturâ: *Et in sanguine uvæ pallium suum.* Utitur hoc Textu S. Justinus in Dialogo, ut demonstret, Jesum Christum e Virginis sanguine coaluisse; sanguis autem ille comparatur vino, quòd consuetâ naturæ ratione fuerit minimè suppeditatus. Onkelos Textum hunc vertit de vestibus purpureis, quorum fortè usus in Juda. SS. Ambrosius & Augustinus (y) legebant olim in suis Exemplaribus: *Ligans ad vitem asinam suam, & cilicio pullum asinæ.* S. Cyprianus (z): *Deligans ad vitem pullum suum, & ad helicem pullum asinæ suæ.*

℣. 12. PULCHRIORES SUNT OCULI EJUS VINO. Nigricantes oculi & ardentes placent maximè (a). Sponsa in Cantico, V, 12, oculos Sponsi comparat oculis columbæ, ardentibus maximè & rubicundis; & ibidem IV, 2, candidas sponsæ dentes Sponsus similes esse dicit gregi ovium recèns tonso & loto. Ita etiam redderetur Hebræus: *Oculi ejus rubicundi ex vino, & dentes albi ex lacte.*

En novam alteram & literalem Textûs expositionem, quæ ardua omnia subducit, in aliis Interpretationibus ægrè vitanda (b). Ita igitur reddi posset Hebræus: *Non auferetur sceptrum ex Juda, donec ex ejus sanguine veniat Siloh, qui est expectatio gentium. Ligabit ad vineam asinum suum, & ad palmitem asinam; lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum; pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.*

Ita redditum Oraculum quatuor continet promissa a Deo posteris Juda; I, nunquam a Deo Judam fore deserendum; qui potius illum semper Regem, Legislatorem, & Pastorem usque ad adventum Messiæ habiturus est. *Sceptrum*, seu virga *nunquam auferetur de Juda, nec Legislator* (illum destituet). II, Venturum Messiam e genere Juda; *donec ex ejus sanguine* (ad literam, *de inter pedes ejus*) *veniat Siloh*. III, Messiam ex Juda futurum *Expectationem gentium*, vel, juxta aliam Versionem, *Aggregationem gentium*, in unam nempe Ecclesiam collectarum Nationum, & Ecclesiæ Christianæ futurum Principem. IV, Spes facta est Judæ possidendi fertilem adeò regionem, ut vinum perinde habeatur ac aqua: *Ligabit asinum suum ad vitem, & lavabit stolam suam vino*; possidebit autem hanc regionem usque ad adventum Siloh.

In hac interpretatione separatur *Dux* ab illo, *De femore ejus*, ut postrema hæc verba jungantur his, *Donec veniat Siloh*. Unum hoc agnoscimus incommodum in hac expositione, cùm cætera omnia sub manu sint & perspicua. Hebraicæ utique syntaxi minus cohærere videtur illud: *De femoribus ejus donec veniat Siloh*. Rarum id maximè: at fortè non unicum, stilo maximè poëtico, quo hîc usus est Jacob. Simile fermè exemplum occurrit mihi in Numeris XXIV, 19: *De Jacob erit qui dominetur, & perdat reliquias civitatis.* Sed hac etiam separatione, arduâ certè, omissâ, ita commodè Textus reddi posset: *Nunquam auferetur sceptrum de Juda*, id est, nunquam ea Tribus deseretur a Deo, semper habebit *e medio filiorum suorum duces, Ducem*, vel *Legislatorem de medio femorum*, seu *vexillorum ejus*.

Ut fides hujus Oraculi ita redditi constet, minimè opus est seriem non interruptam Regum, vel Principum è Tribu Juda, despoticam authoritatem gerentium adusque Messiam, exhibere. Satis erit ad propositum demonstrasse, eam Tribum ante Christi adventum ita in Terrâ Sanctâ perseverasse, ut nec dissipata, nec confusa in unam cum aliis Tribubus gentem coaluerit, a Deo derelicta, certis ejus patrocinii argumentis destituta; demonstrasse, inquam, suos fuisse illi Doctores ad institutionem populi, Magistratus ad gerendam Rempublicam, a gente suâ sibi datos. Pendente captivitate Babylonicâ, prostratis maximè Reipublicæ Judaicæ rebus, Deus non obscuris argumentis demonstravit, habere se aliquam ejus populi curam. Oraculo pronunciari voluit & imminentia mala, & gentis pœnitudinem, ac tandem restitutionem in libertatem. Consolabatur afflictos per Prophetas; suscitabat illis Liberatores. Sed post obitum J. C. penitùs eversa omnia: nunquam res hujus Tribûs ab aliis cæteris discretæ: ita Deus terga illis vertit, ut eo tantùm consilio reliquias populi servare videatur, quò lucu-

(t) *Matth.* XI, 6. *Luc.* IV, 18. (u) *Cant.* I, 13. (x) *Joann.* XV, 1, 2. (y) *Ambros. de benedict. Patriarch.* c. 4; *& Aug. lib.* 12 *contra Faust.* c. 42. (z) *Testimon. lib.* 1, c. 21. (a) חכלילי *Septuag.* χαροποι, *gratiosi; alius*, καθαροί, πυρροί, διάπυροι, φοβεροί, *puri, rutili, ardentes, terribiles.*
(b) Eclaircissement sur la prophétie de Jacob, par le Pere Tournemine, dans les Journaux de Trévoux.

℣. 13. Zabulon in littore maris habitabit, & in statione navium pertingens usque ad Sidonem.

℣. 14. Issachar asinus fortis accubans inter terminos.

℣. 15. Vidit requiem, quòd esset bona: & terram, quòd optima: & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens.

℣. 16. Dan judicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israël.

℣. 17. Fiat Dan coluber in viâ, cerastes in semitâ, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrò.

COMMENTARIUS.

luculentiora furoris sui documenta in illis exhibeat.

Phrases quædam occurrunt in Evangelio, in quibus habuisse præ oculis Christus videtur oraculum illud hoc sensu explicatum. *Matth.* XXI, 43. *Auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ex eo*, idest, cessabit Deus esse populi Legislator & Princeps. *Joan.* X, 16: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; illas oportet me adducere; & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor*; tunc utique fiet ut virga tollatur e Juda.

℣. 13. ZABULON IN LITORE MARIS. Quàm exacta, Deus bone, vaticinia! Jacob CC annis ante occupatam Chananæidem, quem potissimum terræ tractum Posteri sui essent habituri, ita designat, ut non oculis melius. Moyses hæc scribit in deserto, antequam populus vel palmum terræ possideret in eâ regione jam ante plurima sæcula sibi promissâ. Obtigit Zabuloni terræ tractus, qui extremam occidentalem oram habebat ad Mediterraneum, Orientalem ad mare Tiberiadis. Cur Zabulon ante Issacharem, majorem licèt natu, benedictionem obtinuerit, ignotum.

PERTINGENS USQUE AD SIDONEM. Sors utique Zabulonis ad Urbem Sidonem non porrigebatur, sed illam Phœnicia definiebat; hanc tamen provinciam designat interdum Scriptura (c) nomine Sidonis, quæ Metropolis erat regionis; sicut & Phœnices Sidoniorum nomine appellantur (d). Ante conditam vel auctam Tyrum, Sidon in totâ Phœniciâ *imperabat*. Familiare est Scripturæ, ut de nomine Metropolis tota Provincia appelletur; Babylon usurpatur pro Chaldæâ, Ninive pro Assyriâ, Samaria pro Regno decem Tribuum, Sidon pro regione cognomine, & pro Phœniciâ. Hebræus habet: ירכתו על צידן *Latus ejus super Sidon*; vel, juxta alios: *Mali ejus super* (versùs) *Sidonem*; commercium cum Urbibus illis detinebit; eò vertet proras suas. An eâ ætate mali & carbasa obtinerent, prorsus ignoro; vertendum tamen maluerim, *ejus remi*, *& transtra* pertingent usque ad Sidonem.

℣. 14. ISSACHAR ASINUS FORTIS. Comparat Jacob ferè omnes filios suos brutis, e quorum indole vaticiniorum deducit argumenta. Familiare id Veteribus, uti constat e fabulis & apologis: nec deducta Issacharis cum asino similitudo pedestris reputanda est: apud Homerum, observes licet heroës, & Principes ejus generis animantibus comparatos (e). Hebræus: *Asinus osseus*, idest, validus & robustus.

Designat hìc Jacob indolem Tribûs Issachar, laboriosæ maximè; contenta enim illa sorte suâ, maluit domesticum solum colere, duris laboribus sese exercere, pendere tributa, quàm bellicis instructam exercitiis, inferre & repellere injuriam. Hæc omnia graphicè depingit asini emblema. Alii nomine *asini ossei* emunctum & exsanguem asinum intelligunt, cui præter pellem & ossa nihil est. Samaritanus ita vertit: *Issachar asinus peregrinationum, duabus sarcinis onustus*. Syriacus: *Vir gigas accubans inter semitas*, qui injuriâ afficit transeuntes. Septuaginta: Καλὸν ἐπεθύμησεν, *Issachar desideravit bonum, requiescens inter medios cleros*. His autem fortassis exprimitur prudentia Issacharis, qui in medio finitimorum suorum, optima consilia elegit: laudatur in 1 Paralipomenon XII, 32, ea Tribus, quòd rebus suis optimè consuluerit. Septuaginta legerunt in Hebræo חמד *Chamad*, desideravit, pro חמר *Camor*, asinus. Sunt qui reddant: *Issachar asinus fortis in medio gregum*, vel *in medio vinearum pastoritiarum*.

℣. 15. VIDIT REQUIEM QUOD ESSET BONA &c. Segnem hujus Tribûs torporem designasse videtur Jacob, maluit enim illa in opimâ regione considere otiosa, contenta servire, ac tributa pendere hostibus, quàm armis excutere a se jugum, & pristinam recipere libertatem. Chaldæus aliter planè legit ac Hebræus, & illum sequuntur Judæi: *Issachar vidit partem suam, quòd erat bona, & terram, quia fructifera, & subjiciet provincias populorum, & disperdet habitatores earum: Et qui relicti fuerint in eis, erunt ei servientes & tributarii*. Septuaginta (f): Issachar *videns requiem, quia bona est, & terram quia pinguis, supposuit humerum suum ad laborandum: Et factus est vir agricola*.

Chaldæi, & Judæorum opinionem hanc probasse videtur Grotius, ratus ita commodè explicari Hebræum: *Obtulit humeros ad ferendum* (arma) *&* (*Chananæi*) *fuerunt illi tributarii*. Bellicam ejus Tribûs virtutem commendat Scriptura (g); & Davidis ætate (h) hominum XXII M strenuitate suâ insignium spectabantur. Fertilitate verò, & amœnitate loci omnibus præcelluisse in universâ Galilæâ, satis constat.

℣. 16. DAN JUDICABIT POPULUM SUUM, &c. Spectatur hìc nomen *Dan*, quod est judicare, quamquam ea Tribus amplitudine minùs inclyta habetur, quamquam Dan filius est ancillæ, Judices tamen & Duces Israëlis suppeditabit. Vulgò hæc referuntur ad Samsonem, ex eâ Tribu datum in Judicem populi.

℣. 17. FIAT DAN COLUBER IN VIA, CERASTES IN SEMITA. Hebræum שפיפן *Schephiphon*, quod Vul-

(c) *Isai.* XXIII, 2. (d) *Deut.* III, 9. (e) *Iliad.* XI. *Ajax comparatur asino, roboris & patientiæ causâ:*
Ὡς δ' ὅτ' ὄνος παρ' ἄρουραν ἰὼν ἐβιήσατο παῖδας
Νωθὴς, ᾧ δὴ πολλὰ περὶ ῥόπαλ' ἀμφὶς ἐάγη, &c.

(f) ויהי למס עבד *Aqu. Sym.* Καὶ ἔσται γεωργὸς ὑπηρετῶν. *Septuag.* καὶ ἐγενήθη ἀνὴρ γεωργός. *Alius* ἄνθρωπος εἰς φόρον δουλεύων. (g) *Judic.* V, 15. (h) 1 *Paralip.* VII, 2.

℣. 18. Salutare tuum expectabo, Domine.
℣. 19. Gad, accinctus præliabitur ante eum: & ipse accingetur retrorsum.
℣. 20. Aser, pinguis panis ejus, & præbebit delicias regibus.
℣. 21. Nephtali, cervus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.

COMMENTARIUS.

Vulgata reddit *Cerastes*, exprimit, juxta alios, aspidem; malunt alii, basiliscum; Bochartos, Cerastem defendit. Septuaginta aliter: *Dan serpens in viâ, sedens in semitâ*, ἐγκαθήμενος ἐπὶ τρίβου. Explicat hæc omnia Onkelos de Samsone, qui bello afflixit Philisthæos, dolo potiùs colubri, quàm apertâ vi. Illum sequuntur plerique e Veteribus æquè ac novis Interpretibus. Sunt (*i*) serpentis nomine designatam credant Dalilam, dejicientem equitem, idest Samsonem. E veteribus Patribus plures prænunciari credunt hìc Antichristum, quem, inquiunt, Tribus Dan e se natum exhibebit mundo, ante exitum ipsius. Laudantur in hanc sententiam (*k*) S. Irenæus, S. Hippolytus, Sanctus Ambrosius, Sanctus Augustinus, Theodoretus, S. Gregorius magnus, & alii plures: & nos illam discutiemus in Dissertatione de Antichristo. Observat Theodoretus, persuasum fuisse nonnullis, designatam hìc a Jacobo rationem, quia Danitæ Urbem Lais occuparunt.

Est autem cerastes anguis, qui arenæ colore similis, latet in arenâ, reptat occultè, & reptando sibilat. Quatuor instrui cornubus asserit Solinus; unde nomen *Cerastes*, quod Græcè est *cornutus*. Cum latet in arenâ, nonnisi cornua eminent, quorum motu, reliquo corpore occultato, solicitat ad se aves, ratas carnem esse, ipsæque fiunt anguis præda.

℣. 18. Salutare tuum expectabo, Domine. Aspiratio est Jacobi inter loquendum, exprimens, salutem & libertatem populi sui expectare se non a Gedeone, & Samsone, sed a Messiâ; ita enim interpretantur Onkelos, Targum Jerosolymitanum, & alii plures. Dictum alii malunt de Samsone, qui agnoscit unicè sibi a Deo expectandam salutem. Habent alii persuasum, spectari hìc a viro sancto mala & ærumnas Tribûs Dan, quibus a Deo tantum occurrendum expectat.

℣. 19. Gad accinctus præliabitur. Author Vulgatæ exprimere hìc videtur, quæ legimus in Numeris xxii, 17, de Tribu Gad, Ruben, & dimidiâ Manasse, quibus cum sors assignata esset in Transjordanis, fidem tamen illæ suam obligarunt, se, transmisso flumine, in capite fratrum suorum, subjiciendæ Chananitidi opem illis præstituros: addit Jacob, futurum, ut redeant spoliis onusti. Onkelos in hanc sententiam interpretatus est. Reddi tamen posset Hebræus: *Gad, exercitus turmatim conveniet adversùs eum: & ipse turmatim conveniet ad eos persequendos*. Perpetua est allusio nominis *Gad*, quod est turma, acies: גד גדוד יגודנו והוא יגד עקב, *Gad gedud jegudena, vehu jaggud akeb.*

Sunt qui impletam hujus oraculi fidem credant in Judicibus. Regio Galaad in sortem concessa Gaditis, sub jugum vênit Ammonitarum, quibus servivit xviii annis. Tandem Jephte habuit liberatorem (*l*). S. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis ita Textum originalem exponit: *Gad, latrunculus latrocinabitur eum, & ipse latrocinabitur plantam*. Septuag. (*m*): *Tentatio tentabit eum*, vel aggredietur: *& ipse tentabit eum secùs pedes*, aggredietur hostes suos in pedibus, retro, vel incautos. Bellica virtus Gaditarum celebratur in 1 Paralipomenon v, 18: direptionibus patebat Syrorum, Moabitarum, Ammonitarum, de quibus frequentissimè Scriptura. Ipsa pariter Tribus latrocinium exercebat. Oseas vi, 8, 9, hunc locum spectasse videtur, cùm hujus Tribûs latrocinia & homicidia reprehendit.

℣. 20. Aser, pinguis panis ejus. Regione Aser assignatâ nihil habet tota Palæstina fertilius. Nonnisi de optimâ frugum ipsius qualitate agit hìc Jacob; sed opimam oleo alibi significat Moyses (*n*) phrasibus illis: *Tinget in oleo pedem suum*: scitum est etiam, exquisito vino excelluisse (*o*). Exprimit Jacob, panem Aser pinguem esse, & futurum pollicetur, ut Regibus delicias exhibeat, ideò fortasse, quòd exquisito oleo abundans aliò transmittat. Oleo quidem farina in placentas subigebatur; oleo pariter placentulæ illæ frixæ, facilè phrasi illâ *panis pinguis* significantur: nihil enim erat magis in deliciis, nihil Regum convivio dignius. Moyses (*p*) mannam describens, confectas ex illâ dicit tortulas, sapore non absimiles placentulis oleo subactis.

Chaldæus ita: *Terra Aser optima erit; et ipse enutrietur deliciis Regum*. Syntaxis Hebraica negocium aliquod facessit Interpretibus. *Ex Aser oleum panis ejus, & dabit delicias Regi* (*q*), quod variè reddi posset: Aser e suâ regione exprimet oleum, quo se nutriet, exhibebitque Regibus fructus delicatos; vel, Aser habebit in optimâ regione suâ (opimâ scilicet & fertili) alimentum suum, suppeditabitque Regibus thymiamata eximia & delicatas dapes. Commodè etiam, quantum sapio, sensus iste exprimeretur: *Ex Aser oleum (vel pinguedo) panis ejus (Regis) & ipse præbebit delicias Regi* (*r*).

℣. 21. Nephtali cervus emissus &c. Rabbinorum plerique cum Interpretibus nonnullis (*s*), Textum exponunt de Barach, viro e Tribu Nephtali, qui primùm timiditatem cervi referens, committere se cum Chananæis recusavit, nisi unâ secum

(i) *Cornel. a Lapide.* (k) *Iren. lib. v, c. 30 nov. Edit. Ambros. de benedictionib. Patriarch. c. 7. Aug. qu. 22 in Josue. Greg. in lib. xxx Moral. c. 24. Theodoret. quæst. ultimâ in Genes. Prosper, Haimo, Rupertus. Vide & Jerem. viii, 16.* (l) *Judic. x, xi.* (m) Γὰδ πειρατήριον πειρατεύσει αὐτόν. αὐτὸς δὲ πειρατεύσει αὐτῶν κατὰ πόδας. *Aqu.* Γὰδ εὔζωνος. *Accinctus. Sym.* λόχος, *Cohors.* (n) *Deut. xxxiii, 24.* (o) *Vide Brocard. Descript. Terræ Sanctæ, &c.* (p) *Num. 11, 8.* (q) מאשר שמנה לחמו והוא יתן מעדני מלך *Alia suppetunt exempla in quibus relativum post antecedens ponitur.* (r) *Confer 2 Paral. xv, 16.* (s) *Cajet. Lipom. &c.*

℣. 22. Filius accrescens Joseph, filius accrescens, & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum.

℣. 23. Sed exasperaverunt eum, & jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula.

℣. 24. Sedit in forti arcus ejus, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Jacob: inde pastor egressus est, lapis Israël.

COMMENTARIUS.

cum Debora Prophetis veniret in expeditionem (t); tum verò bellicam virtutem suam maximoperè commendavit, pernicitatem cervi studio suo in hostibus insequendis æmulatus. Quæ addit Jacob, *dans eloquia pulchritudinis*, spectant eximium illud Canticum, quo Debora & Barach gratias de relatâ ex Jabim victoriâ egerunt.

Malunt alii, verbis illis, *Cervus emissus*, seu *liberatus*, exprimi amorem, quo Tribus illa libertatis suæ tenebatur. Sed designatum potiùs pacis & quietis ac humanitatis studium censet Vatablus; alienam enim habet cervus a bello indolem. S. Hieronymus in quæstionibus Hebraicis ita Textum reddit: *Nephtalim ager irriguus, dans eloquia pulchritudinis*; significatas autem credit prioribus illis verbis thermas ejus Tribûs, situmque ad mare Tiberiadis & Jordanem; postremis autem, Urbem Tiberiadis, ubi Legis Mosaicæ Academia erat: quod & Hebræis pariter visum est.

Ita verò solet reddi Hebræus (u). *Nephtali cerva dimissa, eloquii habet donum*; sed quid cervæ cum eloquentiâ? Septuaginta aliter (x): *Nephtali, arbor (truncus) emittens nova germina, dans in germine pulchritudinem*. In hanc sententiam ferè exponit Bochartus: *Nephtali, arbor plura bona germina emittens*; porrò germina illa significare possunt ingentem hominum numerum ejus Tribûs. Cùm descendit in Ægyptum Nephtali (y), quatuor tantùm habebat liberos; ex quibus spatio ccxv annorum tantus hominum crevit numerus, ut aptos ad arma milites daret eo supra LIII M. (z). De fertilitate regionis Nephtali explicat Textus Chaldæus. Masius [a] ita locum explicat paraphrasticè: Ut cervus emissus exsilit luditque in fertili & virenti solo; ita etiam Nephtali in optimâ regione lætabitur.

℣. 22. FILIUS ACCRESCENS JOSAPH. Allusio est nominis Joseph, quod est augmentum. Crescebat autem in dies ille virtute, virtutisque merito, nominis famâ & authoritate proficiens in Ægypto. Ejus Tribus, seu potiùs gemina ex utroque filio ipsius Tribus, magnis incrementis aucta est; Ephraimitica maxime, quæ secundum tenebat locum quà robore, quà virtute bellicâ, quà hominum numero in universo Israële. Addit Jacob, insignem filii sui elegantiam oculos in se convertisse filiarum Ægypti, quæ cùm egredi e domibus suis non possent, super tecta & muros constitutæ, illius aspectu fruebantur.

Ita reddi posses Hebræus: *Joseph filius ubertatis super oculos* (vel *super oculum*); ex quo facilè Septuaginta vertendum censuerunt: Υἱὸς ηὐξημένος ζηλωτός, *Filius auctus, amabilis*; & S. Hieronymus: *Decorus aspectu*, idest, eâ pulchritudine, ut oculos capiat. Proprior etiam sensus non incongruè Textui daretur [b]: *Joseph*, velut arboris ramus *fructescens*, velut ramus arboris *crescens super fontem*; spectant hæc virum, qui altum illum fortunæ gradum tenuit. Quæ sequuntur, posteris ejus congruunt: *Rami ejus, sicut arbuscula* quæ crescunt *super* vel secundum *muros*, uti hedera, hyssopus, & alia hujus generis per muros reptantia. De arbusculis illis agit Scriptura (c), cùm narrat, Salomonem disputasse de omnibus, *a cedro usque ad hyssopum quæ egreditur de pariete*, idest, de arboribus omnibus, a maximâ usque ad minimam. Optimi nostrates Interpretes vocem *filius* hìc usurpatam credunt de ramo, & *filia* de surculis sive ramis. Onkelos & Targum Jerosolymitanum eamdem facilè interpretationem habuerunt præ oculis; notant enim, Josephum ceu vitem esse plantatam ad aquas fontis. Profectò comparatio Josephi cum ramo arborum plurimum habet dignitatis. Homerus (d) donat interdum Heroas epitheto ramorum vel surculorum Martis.

℣. 23. SED EXASPERAVERUNT EUM. Ita commodè redderetur Hebræus: Sed hi bellatores, jaculatores, & jaculandi arte periti (ita enim per indignationem appellat filios illos suos, qui Josephum pretio vendiderant) exasperaverunt eum (e); contenderunt (f), vel, juxta aliam significationem, illum jaculis suis impetierunt (g); vel tandem odio illum sunt prosequuti (h), & livore, struxerunt insidias (i). Varia hæc patiuntur voces originales.

℣. 24. STETIT IN FORTI ARCUS EJUS; non est confractus nec lassatus; Joseph, veluti strenuus miles, dedere arma nequaquam voluit, & adversæ fortunæ casum toleravit impavidè. Reddi etiam posses Hebræus: *Stetit in loco forti* (inaccessibili, prærupto) *arcus ejus*. Veluti jaculator in tuto & eminenti loco constitutus, e superiore illo dimicat, securus contra adversarios suos, ab eorum jaculis tutus; ita pariter Joseph adversùs fratrum suorum molimina, adversùs heræ calumnias dimicavit impavidè. Hebræum *Ethan* (k), quod hìc est *fortis*, usurpatur plerumque de prærupto loco, inculto, & accessu difficili. Vix crederem, sermonem hìc esse de Deo, veluti si Jacob diceret; Ejus arcus & fiducia omnis in Deo fortissimo

(t) *Judic.* IV, 5. (u) נפתלי אילה שלחה הנתן אמרי שפר (x) Νεφθαλὶ στέλεχος ἀνειμένον, ἐπιδιδοὺς ἐν τῷ γεννήματι κάλλος. (y) *Genes.* XLVI, 24. (z) *Num.* I, 41, 42. (a) *Mas. in Josue* XIX. (b) בן פרת יוסף בן פרת עלי עין בנות צעדה עלי שור (c) 3 *Reg.* IV, 33. (d) Ὄζος Ἄρηος. (e) מררהו (f) רבו ex רוב (g) *Vel ex* רבב *Jaculari.* (h) *Septuag.* Ἐλοιδόρουν, *convitiati sunt.* (i) ישטמהו *Septuag.* Ἐνεῖχον αὐτῷ κύριοι τοξευμάτων. (k) תשב באיתן קשתו ויפזו זרעי ידיו *Ducimus* תשב *ex* שוב *Regredi.*

℣. 25. Deus patris tui erit adjutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi jacentis deorsum, benedictionibus uberum, & vulvæ.

℣. 26. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum ejus: donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Joseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.

COMMENTARIUS.

tissimo, quemadmodum plerique interpretati sunt.

ET DISSOLUTA SUNT BRACHIA EJUS. Docet hìc Scriptura sive captivitatem sive manumissionem Josephi; æquè enim utrumque Textus iste designare potest. Hebræus non minùs ambiguus est, quàm Vulgata: in utrumque sensum valet. Reddunt nonnulli: *Brachia ejus sunt dejecta*; alii, juxta Rabbinos, *Brachia ejus confirmata sunt* seu *roborata*: certa Hebrææ vocis significatio latet. Chaldæus, aliique nonnulli: *Positum est aurum super brachia ejus*, idest, aureæ armillæ. Deducunt illi Hebræum *Japhessu* ex *phaz* vel *uphaz*, quod est aurum, vel auri genus quoddam, quod credimus esse aurum Phasidis vel Phisonis. Si quis prius versiculi membrum exponat de virtute & constantiâ Josephi, illi pariter & secundum membrum eodem sensu usurpandum est: *Brachia ejus confirmata sunt*. Sed aliter planè reddunt Syriacus & Arabs: *Retortus est arcus ejus, & dissipata sunt brachia manuum ejus*: quem sensum magis pronum & naturalem credimus. Confer 2 *Reg.* I, 21, & Psal. LXXVII, 57. Agit de Josepho pretio vendito a fratribus, qui violentiæ illorum succubuit *a manibus Robustissimi Jacob, & a nomine pastoris lapidis Israël*, scilicet arcano omnipotentis consilio, id permittentis. Septuaginta (l), Textum interpretati sunt de fratribus Josephi, in plurali usurpantes quod in singulari est in Hebræo, veluti si hìc ex unâ personâ ad alias fieret transitus, quod familiare est in Libris Poëticis: *Intendebant in eum domini sagittationum. Et contriti sunt cum potentiâ arcus eorum: & dissoluti sunt nervi brachiorum manûs eorum per manum potentis Jacob*. Quæ sanè interpretatio minimè contemnenda.

PER MANUM POTENTIS (Dei) JACOB &c. Restitit Joseph adversariis suis, confirmatus auxilio Dei Jacob, & protectus nomine (m) Pastoris, qui robur est (petra) Israëlis. Nihil familiarius occurrit in Scripturâ, quàm Deus scopuli & petræ refugii nomine designatus; in scopulis enim & petris tutum refugium ab hostibus quærebatur. Alii ita reddunt Hebræum: *Joseph liberatus est per manum potentis (Dei) Jacob; & inde* (egressus est) *pastor & lapis Israël*, idest, Messias filius Dei Jacob. Aliter: *Joseph* e manibus fratrum suorum ope Dei Jacob liberatus, venit inde in Ægyptum ut esset *pastor & lapis Israël*, vel *pastor lapidis Israël*, idest, ut aleret Jacobum, qui veluti lapidicina est, unde excisi Israëlitæ. Prior sensus a nobis propositus congruere magis literæ videtur.

℣. 25. ET OMNIPOTENS BENEDICAT TIBI. Quatuor hìc benedictionum genera ponuntur: I, Pluviarum & roris Cœli; II, Scaturiginum aquarum, puteorum, fluminum, fontium, quæ omnia appellat *benedictiones abyssi jacentis deorsum*, in eâ hypothesi; quæ aquarum fontes omnes e mari deductos, ac terram super aquas constitutam docet; III, Lactis & butyri ubertatem, *benedictionibus uberum*; IV, tandem filiorum & gregum copiam. His contenta veterum Patriarcharum ambitio erat; utpote qui agrestem agebant vitam, pascendis gregibus occupatam.

℣. 26. BENEDICTIONES PATRIS TUI CONFORTATÆ SUNT, &c. Benedictiones in Josephum congestas claudit Jacob, imprecatus prospera omnia, quæ sibi a patribus suis fuerant impetrata, addito etiam plurium aliarum incremento; rogatque Deum, ut perseverent illa, *donec veniat desiderium collium æternorum*, idest, Messias, vel, juxta alios, exitus mundi, cujus duratio duratione montium exprimitur.

Sed factâ Textûs hujus collatione cum altero parallelo, quo exprimitur collata a Moyse in Josephum benedictio, *Deut.* XXXIII, 15, satis intelligimus, aliam esse interpretandi rationem ineundam. *Benedictiones Patris tui prævalent super benedictiones montium*; vel *elevantur supra benedictiones montium*; vel *supra desiderium collium æternorum*, idest, opto, ut collatæ a me benedictiones tantam tibi largitatem conferant bonorum, tam uberes divitias fructuum vini & olei, quot suppeditant antiqui illi & fœcundissimi montes, amœni oppidò & desiderabiles. *Desiderium collium*, idest, colles amabiles & fertiles. Palæstinæ montes insigni elogio sæpe celebrat Moyses (n): *Transibo, & videbo terram hanc optimam & montem istum egregium, & Libanum*. Reddi etiam posset Hebræus (o): *Benedictiones patris tui* (a patre tuo tibi collatæ) *superent benedictiones montium, eant usque ad desiderium collium æternorum*. Tanta sit eorum largitas, quanta est ubertas fructuum, quibus colles luxuriantur. Altiùs eleventur, quàm celsa montium culmina.

Vir ille sanctus votorum suorum granditatem significaturus, œstro quodam amoris in filium raptus, desideria illa sua æquare dicit culmina montium; expressurus verò cumulum benedictionum, quas filio desiderat, earum copiam comparat omnium bonorum ubertati, qua fertilissimi colles pinguescunt. Desiderium collium, idest, quidquid desideratissimum est & pulcherrimum in collibus. Phrasis illa, Vota ingentia ut montes, hyperbolica est utique, sed non caret similibus exemplis Scriptura. Isaias VII, 11, proponit Regi Achaz: *Pete tibi signum in profundum Inferni, sive in excelsum supra*, idest, postula magna vel minima. Psalmus XXXV, 6, 7: *Domine in Cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes; ju-*

sti

(l) *Septuag.* συνετρίβη μετὰ κράτους τὰ τόξα αὐτῶν. καὶ ἐξελύθη τὰ νεῦρα βραχιόνων αὐτῶν.

(m) Lego משם *Mischem* pro *Mischam*. (n) *Deut.* III, 5.

(o) ברכת אביך גברו על ברכת הורי עד תאות גבעת עלם

℣. 27. Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespe-
re dividet spolia.
℣. 28. Omnes hi in tribubus Israël duodecim: hæc locutus est eis
pater suus, benedixitque singulis, benedictionibus propriis.
℣. 29. Et præcepit eis dicens: Ego congregor ad populum meum:
sepelite me cum patribus meis in speluncâ duplici, quæ est in
agro Ephron Hethæi,
℣. 30. Contra Mambre in terrâ Chanaan, quam êmit Abraham
cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulchri.
℣. 31. Ibi sepelierunt eum, & Saram uxorem ejus: ibi sepultus est
Isaac cum Rebeccâ conjuge suâ: ibi & Lia condita jacet.
℣. 32. Finitisque mandatis, quibus filios instruebat, collegit pe-
des suos super lectulum, & obiit: appositusque est ad populum
suum.

COMMENTARIUS.

stitia tua, sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa.

Samaritanus & Septuagiota legunt: *Benedictio patris tui & matris tuæ prævaluit, &c.* cùm Hebræus babeat tantùm: *Benedictiones patris tui.* Hebræum *Horim*, quod nos montes, reddunt plerique senes, patres, quod posterius habent Septuaginta. Utromque sensum nos tenemus. Colles æterni proverbiali quadam apud Hebræos phrasi designant vetustos montes. Paria recurruot in Deutoronomio XXXIII, 15.

Tandem totus bic versiculus ita commodè redderetur: *Benedictiones patris tui*, quæ superant, *prævaluerunt super colles*, & perveniunt *usque ad desiderium collium æternorum, erunt ad* (super) *caput Joseph, & in verticem nazaræi* (qui veluti Nazaræus est, distinctus, segregatus, bonoratus, coronatus, selectus) *fratrum ejus.* Hebræum נזיר, *Nazir*, significat coronam vel coronatum, selectum, segregatum. In Oriente (p) *Nezir* nomen est dignitatis, nempe œconomi Regiæ domûs apud Persas. *Nazir* inter supremos Aulæ Principes primus est Magistratus, maximus Imperii, domûs Regiæ & ærarii œconomus. Sub manu illius sunt ministri domûs Regiæ, mensa, custodia, impensæ, &c. Idem exercet fermè munus, quod apud veteres Persas *Oculi Regis* (q). In Deutcronomio XXXIII, 16, Moyses Josephum donat titulo *Nazir*; quod Septuaginta hìc reddunt *caput*, & in Deutoronomio, δοξασθεὶς, *qui honoratus est.*

℣. 27. BENJAMIN LUPUS RAPAX, &c. Exprimunt verba hæc ingenium Beojamini, vel filiorum ipsius, in violentiam & prædationes inclinatum. Lupus est, cui nunquam deest præda; manè rapit, vespere raptum dividit. Hebræus (r): *Benjamin* (est) *lupus* (qui) *rapiet* (prædam suam) *in diluculo, & comedet etiam, & in vesperâ dividet spolia*; vel Benjamin est lupus rapax, qui etiam mane vorat prædam, & adbuc superest quod dividat vespere. In Scripturâ vespere & manè usurpatur pro nocte & die, vel totâ die. Ferè omnes Latini Patres [s], & Græci etiam nonnulli, oraculum explicant de S. Paulo, e Tribu Benjamini nato; primò enim veluti lupus sævit in nascentem Ecclesiam, *manè comedet prædam*; sed tandem resipiscens, spoliis ex inimicis Jesu Christi captis ditavit Ecclesiam, *Vespere dividet spolia.*

Dictum alii malunt de crimine Benjamitarum, atque injuriâ in uxorem Levitæ irrogatâ (t). Alii referuut ad Saülem, vel Estherem, vel Mardochæum, vel etiam Aodum, secundum Israëlis Judicem, quorum omnium genus e Tribu Benjamini. Hebræi, teste S. Hieronymo in qq. Hebraicis, explicant de Altari bolocaustorum Templi Jerosolymitani, io hæreditate Benjamioi constructo: boc quidem altare non malè refert lupum, devorantem vespere & mane victimas. Chaldæus docet, Sacerdotes vespere & mane offerre oblationes in Templo Domini, ædificato io Tribu Benjamini; vespere autem singulorum dierum oblationes illas inter se dividere. Gesta Benjamitarum in uxorem Levitæ, & molimen illud, quo crimen suum defenderunt, specimen est, quantum capio, luculentissimum indolis violentæ, audacis & bellicæ bominum ejus Tribûs; impletque horoscopum a Jacobo de illâ formatum.

℣. 28. BENEDIXIT SINGULIS. Nullæ beoedictiones io Rubenum, Simeonem, & Levi collatæ. Porrò *benedicere* est bìc significare postremos obeuntis patris in filios sensus.

℣. 32. COLLEGIT PEDES SUOS SUPER LECTULUM SUUM, ET OBIIT. Lecto assidens, & pedes habens io anteriorem partem porrectos, verba faciebat Jacob ad filios suos. Sermone absoluto, recubuit iterum, reductisque super lectulum pedibus, obiit, vel *expiravit*, juxta vim Hebraici vocabuli יגוע; ex quo Rabbini quidam insulsissimè inferunt, non obiisse illum, sed expirasse, veluti

(p) Chardio Gouvernement des Perses, c. 5, p. 236. (q) *Xenophon l. 8 Cyropæd. Apula. lib. de mundo. Aristophan. Acharn. Dio Chrysostom. 3 de Regno:* ὁ μὲν πέρσης ἵνα τινὰ ἔχειν ὀφθαλμὸν βασιλέως λεγόμενος (r) בנימן זאב יטרף בבקר יאכל עד *Septuag.* Ἔδεται ἔτι, *comedet adhuc*; alii *comedet prædam*, עד sonat *prædam*. *Isai.* XXXIII, 23. *Sophon.* III, 8. (s) *Tertull. lib.* V, *c.* 1 *contra Marcion. Hieron. quæst. Hebr. Ambros. in benedict. Patriarch. c.* 12. *Alcuin. libello de benedict. Jacob Patriarch. apud Aug. Append. tom.* III. *Greg. lib.* XVIII *moral. c.* 16, *nov. edit. Origen. homil.* IV *in Ezech.*
(t) *Judic.* XIX, XX.

veluti si expirare non eamdem haberet significationem, ac obire.

Durum & laboriosum vitæ genus, quo Jacob exercitus est, quas a Fratre suo toleravit, persecutiones, ejus fuga in Mesopotamiam, Labani in illum fraudes, quò debitâ ejus laboribus mercede ipsum frustraretur, quæ in familiâ suâ passus est adversa, filiorum iniquitate, prolixa viri patientia, Spiritus ille fidei & sapientiæ, quo nunquam destitutus est, dolor sanè diuturnus, ex creditâ Josephi filii sui nece conceptus; hæc, inquam, omnia formant virum sanctum in effigiem Jesu Christi, ejusque actæ in laboribus vitæ, typumque reddunt admirabilem illius, qui *Vir erat dolorum & sciens infirmitatem* (u). Jacob nunquam non sapiens, modestus, dicto obsequens, fidelis, prædilectus Deo, qui vel nondum natis fratribus, se prætulisse Jacobum fratri Esaü profitetur: & cùm tantus vir esset, nequaquam tamen a persecutionibus & injuriis immunis; exemplar est justorum & prædestinatorum omnium, inter homines ita viventium, tanquam extranei in alienâ regione.

Jacob fide plenus nequaquam decipi se permisit fucatâ illâ honoris & dignitatis specie, quam Joseph filium suum in Ægypto exhibere spectavit. Suam insuper familiam in optimâ Ægypti regione constitutam alieno planè animo vidit; altè enim spe promissionum Domini, sibi & Patribus suis factarum, occupatus, de alterâ nimirùm regione, atque alterâ prosperitate, vel corpus suum sepulturam obtinere in Ægypto vetat, distribuit filiis suis regionem, quam ipse deseruerat, possidebantque populi potentissimi æquè, & sibi iniquissimi; atque ità distribuit, veluti si quietum haberet illius dominium. Quàm luculentum profectò argumentum fidei & fiduciæ Jacobi, qua divinas promissiones expectabat!

(u) *Isai.* LIII, 3.

C A P U T L.

Joseph aromatibus condiri patris sui cadaver jubet: cui sepulturæ mandando in Chanaanitide in monumento Patrum suorum, factâ sibi a Rege facultate, vênit. Funus Jacobi. Joseph fratres suos timore perterritos confirmat: obit.

℣. 1. QUod cernens Joseph, ruit super faciem patris flens, & deosculans eum.

℣. 2. Præcepitque servis suis medicis, ut aromatibus condirent patrem.

COMMENTARIUS.

℣. 2. PRÆCEPITQUE SERVIS SUIS MEDICIS, UT AROMATIBUS CONDIRENT PATRAM. Septuaginta (*a*) habent, Josephum præcepisse servis suis, quibus condiendi cadavera erat scientia, Ægyptiis genere, ut cadaveri patris sui supremum hoc officium impenderent; quod factum est. Medicorum רפאים nomen hìc usurpatur de viris condiendi cadavera peritis, quibus demandata erat cura sepeliendi eadem, & obvolvendi: id autem muneris spectasse ad Medicos in Ægypto videtur. Observat Herodotus l. 2, c. 84, Medicis universam regionem scatere, quod singulis morbis sui essent peculiares: suos habebant medicos oculi, suos caput, dentes item, & alvus, singulæ demum corporis partes singulos. Uno verbo asserit Homerus (*b*), Ægyptios medicinam nosse omnes. Singulare aliquid eâ de re tradit Diodorus Siculus, l. 2, c. 3 in fine, quicumque scilicet medicinam profitebantur, coactos fuisse præscriptas a veteribus Medicis leges sequi, quorum Medicorum remedia descripta erant in Sacris Libris Ægyptiorum. Si servatis iis regulis morbi curatio non successisset, Medicus nullius criminis reus erat: vicissim si, neglectis illis, valetudinem restituissent ægroto, capitali damnabantur supplicio.

Veteri apud Ægyptios more receptum asserit Strabo, ut ægrotos in foro constituerent, quò transeuntes omnes si, quod nossent, remedium suggererent. Eadem obtinebat apud Veteres Iberos & Gallos, quemadmodum & Babylonios, si Straboni fides (*c*).

Inventæ medicinæ honorem Isidi tribuebant Ægyptii, cui potissimùm referebant acceptum pharmacum immortalitatis (*d*), quo illa & valetudinem, & immortalitatem contulit filio suo Oro. Fallor? an pharmacum illud immortalitatis ipsissima est ars condiendi corpora; qua, remotâ corruptione, immortalitatis quoddam genus defunctis tribuebatur? Porrò mos iste condiendi cadavera & vetustissimus in Ægypto & necessarius etiam habitus est ob inundantes Nili aquas (*e*); illius enim

---

(a) Παισὶν αὐτοῦ τοῖς ἐνταφιαςαῖς, ἐνταφιάσαι τὸν πατέρα αὐτοῦ, καὶ ἐνεταφίασαν οἱ ἐνταφιαςαὶ τὸν Ἰσραήλ.
(b) *Odyss.* Δ. Ἰητρὸς δὲ ἕκαςος, ἐπιςάμενος περὶ πάντων ἀνθρώπων.
(c) *Lib.* XVI, *p.* 508. Τοὺς δ' ἀρρώςους εἰς τὰς τριόδους ἐκτιθέντες, πυνθάνονται τῶν παριόντων εἴτις τι ἔχοι λέγειν τοῦ πάθους ἄκος. οὐδείς τέ ἐςιν οὕτω κακὸς τῶν παριόντων, ὃς οὐκ ἐντυχὼν εἴ τι φρονεῖ σωτήριον ὑποτίθεται. (d) *Manetho apud Euseb. lib.* II *Præp.* Τὸ τῆς Ἀθανασίας φάρμακον. Clem. Alexand. lib. I. Strom. hujus inventionem adscribit Apidi, antequam Io in Ægyptum veniret. Hanc artem Æsculapius perfecit. (e) *Cassian. Collat.* XV, *cap.* 3, *& Cicer. Tuscul. quæst. lib.* 2.

enim aquæ totam regionis faciem tenent spatio duorum mensium, quo tempore sepeliendi cadavera facultas omnis aufertur: quare vel servabantur in domibus, vel recondebantur in tumulis seu cellulis, excisis in sublimi aliquo scopulo. Asserunt pariter, inundantibus amnis aquis, adeò intimè terram subeuntibus illis penetrari, ut siquod cadaver antea humo reconditum fuisset, rejiceretur statim super terram, sive quòd levius esset arenoso regionis illius solo, sive quòd sabulum minùs aptè inter se colligaretur, ut in sinu suo retinere cadavera illa posset contra vim aquarum, a quibus super terram repellerentur.

In condiendis autem cadaveribus hæc servata tradunt Herodotus (*f*), & Diodorus Siculus (*g*). Vix aliquis decessit, statim cadaver ad fabros quosdam feretra fabricantes defertur. Hi exemplaria mortuorum habent lignea, pingendo assimilata. Eorum unum accuratissimè fabrefactum est, cujus nomen nuncupare nefas esse sibi ducit Herodotus: alterum illo inferius, ac vilioris pretii; tertium vilissimi. De pretio cum opificibus convenitur; exhibent autem illi in anteriore feretri parte cælatam imaginem illius, qui in feretro recondendus est. Post notatas opportunas dimensiones, cadaver iis traditur, qui condiendorum cadaverum artem profitentur.

Itaque hi de sumptu conveniunt cum necessariis defuncti, varia enim condiendi corpora est ratio pro sumptûs ratione. In primâ talentum argenti exponunt, in secundâ viginti minas, in tertiâ parum quid sumptûs erogant. Talentum Ægyptium reddebat monetæ nostratis 1688 libras. Tum accitus is, qui Scriba appellatur, posito humi corpore, circa illa describit quantum a sinistrâ parte incidatur. Deinde qui dicitur Scissor, habens lapidem Æthiopicum acutissimum, quantum lex finit, latus aperit: subitoque cursu, persequentibus qui adstant, lapidesque in eum, velut impium, cum execratione jacientibus, fugit. Succedunt Curatores corporum, quos Salitores vocant, habentque honore summo ac existimatione dignos. Hi ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quamque partem educentes, ita locum ejus medicamentis adstringentibus explentes. Tum ubi per scissuram lateris interiora corporis illuc protracta repurgarunt, ac vino palmeo eluerunt, rursus aliis odoribus acribus penetrantibusque contusis proluunt: deinde corpus totum primùm ex cedro cum aliis pretiosis unguentis ungunt dies ampliùs triginta: myrrhâ deinceps ac cinnamomo cæterisque rebus liniunt; quæ non solùm id servare diutinè, sed odoriferum reddere queant. Servatur autem adeò, ut ne palpebrarum quidem, superciliorumque pili tabescant. His actis, in sale vel nitro per XL dies conditur; quare totum opus spatio LXX dierum perficitur, uti Herodotus notat, & Moyses innuit, qui Jacobi funus ab Ægyptiis per LXX dies defletum narrat, quamdiù scilicet in eo condiendo elaboratum est.

Exactis LXX diebus, cadaver ubi abluerunt, lineis loris myrrhâ madidis totum corpus involvunt, gummi quodam illinentes, quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur. Ita curatum cadaver cognatis tradunt defuncti, qui in eo feretro, quod descripsimus, recondunt; atque apud se honesto in loco, vel in sepulcbris omnino propriis reponunt. Silius Italicus.

Claudit odorato post funus stantia saxo
Corpora, & a mensis exanguem haud separat umbram.

Eos autem, qui mediocria volunt, nimium fugientes sumptum, ita apparant: Clysterem unguine, quod e cedro gignitur, complent: deinde ex hoc alvum mortui, ipsam neque scindentes, neque extrahentes, sed per secessum, prehenso viæ posterioris hiatu, inserciunt, & tot, quot diximus, diebus, sale ex nitro conditum tenent, quorum dierum ultimo cedrinum unguen, quod priùs ingesserant, ex alvo egerunt: quod tantam habet vim, ut unà secum alvum atque intestina exsiccata educat. Nitrum autem carnes exsiccat ac tabefacit, mortuique tantùm cutis inhærens ossibus relinquitur.

Qui tenuiori sunt fortunâ, ita condiunt: Ablutionibus ventrem abstergunt, arefaciuntque sale per LXX dies; nec majori molimine utuntur. Lucanus Pompeji caput ita conditum Cæsari a Ptolemæo ostendendum narrans, paucis ferè totam rem prosequitur.

. . . . Tunc arte nefandâ
Submota est capiti tabes, raptoque cerebro
Adsiccata cutis, putrisque effluxit ab alvo
Humor, & infuso facies solidata veneno est.

℣. 3. Transierunt quadraginta dies - - - flevitque Ægyptus septuaginta diebus. Hebræus ad literam: *Et completi sunt ei quadraginta dies, quia sic complentur dies balsamatorum; fleveruntque eum Ægyptii septuaginta diebus.* Curatores cadaverum intra dies triginta cadaver pararunt: tum per XL dies in nitro ad exsiccandas carnes servarunt; ita funus solidis LXX diebus protractum est: funus planè Regium, ita enim Regibus Ægyptii parentabatur, quemadmodum statim demonstramus.

Quibuscumque aliquis in Ægypto ex domesticis decessit, homo alicujus momenti (*h*), ibi omnes fœminæ illius familiæ caput & vultum oblinunt luto (*i*): deinde per totam urbem vagantes se plangunt, succinctæ, nudatis mamillis, & cum eis proximæ quæque. Alterâ ex parte viri, & ipsi nudo pectore se verberant, magno ejulatu, atque mortui desiderio. Lugubris ca cæremonia tamdiu perseverat, quamdiu cadaver in feretro non reconditur. Toto eo tempore arcentur balnea, solemnes vestes ac splendidæ; cibus vulgaris, nullus vini usus.

Cùm Rex obit, populus universus in luctu scindit vestes, templa frequentat; loca cœtuum deserta, publica festa cessant, totisque LXXII diebus obliti luto caput succinctique lineo infra mamillas incedunt; eo habitu discurrunt per turmas CC vel CCC hominum per vias singulis diebus bis; lugubribus cantilenis defuncti laudes ingeminantes. Toto eo tempore nefas uti carnibus, rebusque aliis igne coctis, vino dapibusque arte paratis; amota pariter balnea, unguenta, in lectis cubare vetitum; uno verbo, quidquid voluptate fovet corpora. Docet autem Herodotus (*k*), eodem ritu, ac in Ægypto, celebrari funera apud Babylonios.

Lamentationes illæ lugubres plerumque stylum Poëticum, tristesque cantilenas referebant; quas aptis identidem repetitionibus intermiscebant viri per suas turmas, & fœminæ seorsum ab il-

(f) *Herodot. lib. II, cap. 86.* Τῶ οὐκ ὅσιον ποιεῦμαι τὸ οὔνομα ἐπὶ τοιούτῳ πρήγματι ὀνομάζειν.
(g) *Diodor. Sicul. lib. II, c. 5.* (h) *Herod. l. II, c. 85, 86. Diodor. l. II, c. 5.* (i) *Mela, lib. I, c. 9. Mortuos fimo obliti plangunt.* (k) *Herodot. lib. I, c. 198.*

℣. 3. Quibus justa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadaverum conditorum: flevitque eum Ægyptus septuaginta diebus.

℣. 4. Et expleto planctûs tempore, locutus est Joseph ad familiam Pharaonis: Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis:

℣. 5. Eò quòd pater meus adjuraverit me, dicens: En morior: in sepulchro meo, quod fodi mihi in terrâ Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur, & sepeliam patrem meum, ac revertar.

℣. 6. Dixitque ei Pharao: Ascende, & sepeli patrem tuum, sicut adjuratus es.

℣. 7. Quo ascendente, ierunt cum eo omnes senes domûs Pharaonis, cunctique majores natu terræ Ægypti:

℣. 8. Domus Joseph cum fratribus suis, absque parvulis, & gregibus, atque armentis, quæ dereliquerant in terra Gessen.

℣. 9. Habuit quoque in comitatu currus, & equites: & facta est turba non modica.

℣. 10. Veneruntque ad Aream Atad, quæ sita est trans Jordanem: ubi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi, impleverunt septem dies.

COMMENTARIUS.

lis item per turmas (l). *Planget terra, familia & familia seorsum - - - Domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum.* Hisce cantilenis designandis utitur Scriptura verbo *respondeo*; alternatis enim cantilenis respondebant. Quicumque cantantes audiebant, veluti invitantibus illis & ipsi vicissim suo loco cantabant. Spectavit hæc Jesus Christus illis verbis, *Luc.* VII, 32. *Lamentavimus, & non ploristis.*

Antequam defuncti corpus sepulturæ inferretur, palam pronunciabantur illius laudes, canticis quibusdam, vel funebribus elogiis. Unicuique in Ægypto facultas erat (m) bona vel mala defuncti Regis, antequam cadaver sepulturæ mandaretur, palam edicendi; nec rari in eâ regione Principes sepulturæ honore privati sunt, quòd populum iniquè & inhumaniter habuerint. David in obitu Saülis & Jonathæ lugubrem cantilenam digessit, appellatam Arcum (n), qua utriusque Principis elogium texuit. Eo honore pariter cumulavit Abnerum (o), a Joabo interfectum. De lamentationibus in obitu Josiæ, sermo est 2 Par. XXXV, 25. Idem mos apud Græcos fuit. Lamentationes in honorem Hectoris ab Achille occisi, refert Homerus, Iliados 23.

℣. 4. LOQUIMINI IN AURIBUS PHARAONIS. Quamquam præscriptum funeri Jacobi tempus elapsum fuisset, *expleto planctûs tempore*, qua erat in Regem reverentiâ, Joseph ausus non est coram illo se sistere, facilè ut consuetudini obediret: postulat autem concedi sibi facultatem deferendi in Chanaanitidem patris cadaver, sepulturæ ibi inferendum. Funebres vestes luctumque nondum dimiserat, quæ non priùs erat positurus quàm patrem sepeliret. Porrò atratum coram Rege quemquam venire, nefas erat (p).

℣. 5. IN SEPULCHRO MEO, QUOD FODI MIHI. Onkelos & Grotius & alii vertunt: *In sepulchro quod emi mihi* (q). Emerat enim Abraham ex Hemor Hethæo, & jure hæreditatis ad Jacobum devolutum erat. Scribunt nonnulli, Jacobum emisse sibi pretio ab Esaü portionem illius in patrio illo sepulchro: sed cui bono Vulgatæ sensus deferatur? Excidit Jacob sibi cellulam vel sepulchrum in eâdem petrâ, in qua jam excisa erant monumenta Abrahami & Isaaci.

℣. 7. OMNES SENES DOMUS PHARAONIS, idest, qui primas in ejus Aulâ tenebant, & seniores domestici. Porrò *Senex* nomen est potiùs dignitatis, quàm ætatis: ita superiùs XXIV, 2, Eliezer senior est domûs Abrahami; & seniores Aulæ Davidis ac Salomonis habes in Libris Regum II *Reg.* XII, 17; & III *Reg.* XII, 6.

℣. 10. AD AREAM ATAD; vel, juxta alios, *Ad aream spinarum*; idest, in areâ sub dio, excutiendis frumentis destinatâ, cui fortè nomen ex veprium sepe, qua clauderetur, vel quòd fortè spinarum esset plurimum eo in loco. S. Hieronymo in locis, & Brocardo (r) est duobus leucis a Jericho, versùs mare mortuum, leucâ infra Jordanem, *Betagla* locus, ubi defletum Jacobum ferunt: an ipsa sit area Atad, incertum. Eusebius in Locis situm areæ Atad non docet; atque agens de Betaglâ, minimè significat, eo loci sitam fuisse aream Atad; quæque eâ de re obtinet traditio, nullam habet a vetustate fidem. S. Augustinus Sanctum Hieronymum secutus videtur (s), cùm tradit, aream illam ampliùs L M passuum ab-
fuisse

(l) *Zach.* XII, 12, 13. *Vide & Jerem.* XLVIII, 31, 32, 34. (m) *Diodor. Sicul. lib.* 1. (n) 2 *Reg.* 1, 18. (o) 2 *Reg.* III, 33. (p) *Vide ad cap.* XLI, 17. (q) אשר כריתי Verbum כרת significat *emere. Deut.* II, 6, & *Osee* III, 2. (r) *Brocard. Descriptio Terræ sanctæ, pag.* 170. (s) *Aug. quæst.* 172 *in Genes.*

℣. 11. Quod cùm vidissent habitatores terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus est iste Ægyptiis. Et idcircò vocatum est nomen loci illius, Planctus Ægypti.

℣. 12. Fecerunt ergo filii Jacob sicut præceperat eis.

℣. 13. Et portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in speluncâ duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre.

℣. 14. Reversusque est Joseph in Ægyptum cum fratribus suis, & omni comitatu, sepulto patre.

℣. 15. Quo mortuo, timentes fratres ejus, & mutuò colloquentes: Ne fortè memor sit injuriæ, quam passus est, & reddat nobis omne malum, quod fecimus,

℣. 16. Mandaverunt ei dicentes: Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur,

℣. 17. Ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus, ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis, flevit Joseph.

℣. 18. Veneruntque ad eum fratres sui: & proni adorantes in terram dixerunt: Servi tui sumus.

℣. 19. Quibus ille respondit: Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati?

℣. 20. Vos cogitastis de me malum: sed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, sicut in præsentiarum cernitis, & salvos faceret multos populos.

℣. 21. Nolite timere: ego pascam vos, & parvulos vestros; consolatusque est eos, & blande, ac leniter est locutus.

℣. 22. Et habitavit in Ægypto cum omni domo patris sui; vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. Filii quoque Machir filii Manasse nati sunt in genibus Joseph.

℣. 23. Quibus transactis, locutus est fratribus suis: Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos faciet de terrâ istâ ad terram, quam juravit Abraham, Isaac, & Jacob.

COMMENTARIUS.

fuisse ab Hebrone.

QUÆ SITA EST TRANS JORDANEM; idest, ad Occidentalem ripam amnis. S. Augustinus, Menochius, Valtonus, aliique plures censent, Josephum, quique illum secuti sunt ad parentandum patri, non breviori itinere profectos in Hebronem, sed longo circuitu retro post mare mortuum, & regionem Moabitarum, ad ea fermè se reddidisse Jordanis vada, quæ postea transitum dederunt Israëlitis sub Josue: sed argumenta in hanc rem minùs valida afferuntur; nihilque occurrit apud Moysem, quod huic opinioni faveat.

℣. 11. PLANCTUS ÆGYPTI. Hebræus: אבל מצרים *Abel Misraim trans Jordanem*. Reddunt nonnulli: *Planities Ægyptiorum trans Jordanem*. Porrò *Abel* est aliquando planities; sed rerum circumstantiæ hic exprimi eâ voce luctum docent.

℣. 16. MANDAVERUNT EI. Hebræus: ויצוו *Præceperunt ei*, seu potius *renunciari ei fecerunt*. Septuaginta: *Accedentes dixerunt*. Mendacio illi asseruisse creduntur, jussu patris morituri verba hæc se loqui ad fratrem.

℣. 19. NUM DEI POSSUMUS RESISTERE VOLUNTATI? Hebræus (1): *Nonne ego Deo subjectus sum?* vel, juxta alios, *An ego sum vice Dei?* ut me scilicet ejus voluntati & jussionibus opponam. Chaldæus: *Ne timeatis: quoniam ego Deum timeo.* Septuaginta; *Dei sum ego.*

℣. 23. IN GENIBUS JOSEPH. Vide quæ de hac dicendi phrasi contulimus in Caput XXX, 33. Samaritanus:

(1) התחת אלהים אני

℣. 24. Cùmque adjuraſſet eos, atque dixiſſet: Deus viſitabit vos: aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto:.

℣. 25. Mortuus eſt, expletis centum decem vitæ ſuæ annis. Et conditus aromatibus, repoſitus eſt in loculo in Ægypto.

COMMENTARIUS.

maritanus: *In diebus Joſephi*.

℣. 25. Mortuus est (Joseph) expletis centum decem vitæ suæ annis. Joſeph meritò ſibi locum vindicat inter ſummos viros, identidem a Deo excitatos, in quibus gratiarum ſuarum divitias omnes explicat; exhibet miracula potentiæ ſuæ; & quos infinitæ ſapientiæ ſuæ & altiſſimorum conſiliorum conſtituit adminiſtros. In rebus ab eo geſtis ſpectanda eſt mira illa rerum mutatio, qua Creatoris æquitas ejuſque providentia probatur, nunquam non intenta ut opem ferat iis qui ſpem ſuam omnem in ſe collocant. Nihil magis abſolutum, quàm illuſtrem hunc virum exhibet Vetus Teſtamentum. Joſeph patri ſuo ſupra reliquos fratres charus, merito præcocis ſapientiæ ſuæ, qua ætate ſolent homines minùs res animadvertere, recipit a Patre ſuo, viro juſtiſſimo meritorum æſtimatore, æqui rectique amantiſſimo, argumenta non obſcura dilectionis & æſtimationis, quibus in ſe livorem & invidiam fratrum ſuorum concitavit. Porrò illi metuentes, ne fortè contingeret, ut fratri ſubjicerentur, inferendæ fratri necis conſilium ineunt.; alienigenis traduot; mancipii loco venditum. Sed hiſce omnibus magis magiſque viri meritum, & Dei in illum conſilia promota ſunt. Jeſus Chriſtus, Patri ſuo eximiè charus, invidiam ſuſtinens & livorem Phariſæorum, iniquè ferentium Dei ſibi nomen illum arrogare, a Judâ Apoſtolo manibus ſæviſſimorum hoſtium traditur. Permittitur a Judæis in manus Romanorum occidendus; ſed ſuâ ille morte promeretur gloriam ſuam; ipsâque gloriâ reſurrectionis ſuæ deſperatione pariter & mœrore adverſarios ſuos conficit.

Joſeph inimicorum ſuorum invidorumque, ac totius Ægypti præſidium eſt ac refugium: Jeſus Chriſtus Judæorum, Gentium, & mundi ſalus.

Joſeph moriturus futuram prænunciat populi ſui libertatem; rogat ut corpus ſuum ſervetur in ſpem reſurrectionis, transferaturque in terram promiſſionis, quo tempore Dominus populum ſuum eſſet viſitaturus. Ita, juxta phraſim Eccleſiaſtici xlix, 18. etiam poſt obitum prophetavit, futuram nempe populi ſui manumiſſionem, & reſurrectionem. Jeſus Chriſtus nonniſi reſurrecturus moritur, ut a jugo mortis nos liberet, veramque libertatem mortalibus afferat.

Conditus aromatibus, repositus est in loculo in Ægypto, ideſt, pro more Ægyptiorum, de quo nos ſuperiùs, agentes de Jacobo. Servantur corpora condita in Ægypto loculis ligneis & lapideis interdum incluſa. Appellantur hæc *momia*, ſeu *mumia*, voce Perſicâ, exprimente cadavera areſacta. Narrat Thevenotius, ſe harum videndarum cupiditate deductum, ad puteum quadratum, optimis fabricatum lapidibus, duabus vel tribus perticis profundum. & ſabulo oppletum veniſſe. A Mauris illis, quos habuit aſſignatos a domino Momiarum, ut arcani eruerent, demiſſus eſt, alligatâ circum corpus fune, in puteum: ibi ſubiit cellulam quamdam exiguam, cujus parietes & concameratus fornix erat ex lapide; tria vel quatuor cadavera invênit, ſed unicum tantùm integrum, reliqua confracta. Porrò cadaver illud procerum erat & latum, in loculo ligneo bene compacto, & ſolertiſſimè undique clauſo. Lignum illud e ſicomoro genuinâ tabem nullam contraxerat, cælatumque referebat vultum hominis, quod in arcâ condebatur. Effractâ vi arcâ integrum cadaver ita diſpoſitum vidit: Vultum habebat tectum lineâ veluti galeâ, gypſo compactâ, in qua auro efficta ad vivum effigies hominis: galeâ illâ ſublatâ nulla vultûs veſtigia remanſere. Reliqua corporis membra perpetuis parviſque faſciis lineis ſcitè paratis continebantur; quarum faſciarum is erat mæander, ut mille ulnas ſuperarent. Supra pectus poſita erat in longum, ſed faſciis inferioribus adhærens, faſcia altera linea, tribus digitis lata, & pede & ſemis longa, pluribus aureis hieroglyphicis inſcripta. Proximè ad eam cellulam aliæ erant plures cadaveribus plenæ.

Petrus della Valle ex his momiis unam deſcribit, divitiis & pulchritudine cæteras ſuperantem. Amplum quoddam linteum ſupra momiam poſitum erat, referens imaginem hominis talari lineâque veſte, auro perpetuiſque emblematibus hieroglyphicis a capite aduſque pedes ornatâ. Porrò caput diſtinguebant aurum & gemmæ, pretium augentes nigræ & criſpantis comæ. Barba item nigra & criſpata, ſed breviſſima. Aureus torques pendebat e collo, ſuſtinens numiſma cælatam referens imaginem avis Ibidis, alioſque characteres, ampliſſimæ alicujus dignitatis a viro geſtæ indicia. Tenebat dexterâ manu auream pateram rubro quodam liquore olim plenam; in ſiniſtrâ fructum quemdam, ceu malum: aureus annulus in pollice, & alter pariter in minimo digito: ſandaliis infimæ tantùm pedum baſes tectæ, vinciebantur autem productis ſuperiùs corrigiis. Legebatur in faſciâ, quæ zonæ adhærebat, vox illa Græca *Eutyche*, ideſt felicitas.

Latus ejus tegebat altera momia, fœminam referens, multò ſplendidiùs ornatam; nam præter emblemata plura & characteres hieroglyphicos, offerebant ſe duæ aves & duo leones ſuper laminas aureas, & paulo infra bos exhibens imaginem Apidis vel Iſidis. Inſculptum Solem exhibebat lamina ex torque pendens in pectore. Gemmæ ornabant aures, brachia armillæ, & crura ſui in ſingulis digitis annuli: dexteram manum aureus ſcyphus, & ſiniſtram annulus cum faſciculo ditiſſimorum ornamentorum. Porrò momiæ illæ tam ſolidâ duritie concreverunt, ut vix malleorum ictibus fruſtula decerpantur. Vulgares momiæ inſtitis tantùm vinciuntur; condiuntur aſphalto vel bitumine mero, nullo addito ornamento.

Fuſiùs ſingula hæc proſequuti ſumus, ad illuſtrandos plures Scripturæ Textus, de quibus, noſtrum Commentarium proſequentes, agemus. Juvant autem, ut intelligamus, qua ratione cadaver Joſephi ſervatum fuerit uſque ad tempus ſeceſſionis ex Ægypto.

Antequam manus reducamus a Joſepho, animadvertere juvat, eâ perſuaſione teneri Interpretes

Digitized by Google

pretes quosdam, nempe Josephum post obitum ab Ægyptiis consecratum fuisse. Author *de Mirabilibus Sacræ Scripturæ* (*u*) narrat, Ægyptios erecto vituli simulacro juxtà ejus sepulchrum, divinos honores impendisse; quorum imitatione Hebræos in deserto vituli imaginem adorandam erexerint. Addit, Josephum, cùm prænosceret futurum, ut ab Ægyptiis post obitum coleretur, jussisse cadaver suum ex Ægypto transferri; frustrà tamen, cùm semel consecratum Numen Ægyptii nequaquam abjecerint.

Volunt alii, cultum fuisse Josephum sub nomine Serapidis; cujus opinionis has proferunt conjecturas: I, Serapis vel Apis circa eadem tempora ac Joseph floruit. II, Asserunt, Serapidem merito liberatæ Ægypti a sæviente fame, divinos sibi honores promeruisse. III, Propositum ad cultum Numen illud sub bovis imagine, agriculturæ & fertilitatis symbolo. IV, Pingebatur sub specie imberbis adolescentis, ferentis supra caput modium vel calathum, qui typus erat frumenti, & rationis illius parandi, cuius inventæ honor Osiridi tribuitur. V, Asserit Plutarchus, Serapidis alterum nomen fuisse Osiridem, vel Arsaphem, quod postremum radicem continet nominis *Joseph*. VI, Osiris juxta etymon Ægyptiacum sonat, uti ferunt, multioculum; quod satis congruit cum scientiâ futurorum, inter præclaras Josephi dotes præclarissimâ. VII, Nomen Serapis derivatur ex Hebræo שור *Schor*, bos, & אביר *Abir*, fortis, mutatâ literâ R in S, & B in P, ut fit Serapis pro Ser-abir. Porrò hæc literarum mutatio ex ingenio est linguarum omnium; & si Joseph tauro comparatur, nihil est in hac similitudine indignum.

Sed hæc opinio, mutans Josephum in Numen quoddam Ægyptium, fidem suam debet incertis quibusdam etymologiis, & ex rerum convenientiâ levibus quibusdam petitis conjecturis, imparibus prorsus ad rem tanti momenti adstruendam. Isis & Osiris, sub imagine bovis Apidis & Mnevidis culti, multò vetustiores sunt in Ægypto quàm Serapis. Quæ veri species, Ægyptios divinis honoribus coluisse Josephum, qui alienum haberent animum & ab Judæis, & ab Judæorum religione? tum maximè cùm novus in Ægypto Rex, qui Josephum minimè norat, Hebræos durâ servitute opprimeret. Quo pacto permisissent Ægyptii, servari ab Hebræis lypsana Serapidis sui, ac transferri ex Ægypto? Ægyptiorum religio tota jam ætate Josephi constabat, uti supra animadversum est; nihil autem in illâ vetustius quàm cultus Apidis; quem sub imagine tauri expressum esse Deum aliis de causis ajunt Ægyptii, quàm quas supra retulimus.

Quod attinet ad etymologias Serapidis & Osiridis, ita planè derivari possunt, ut nihil habeant affinitatis cum Josepho & cum tauro Apidis. *Osiri* אצרי Hebraicè est *thesaurus meus*; *Sar-Abi*, שר אבי, *pater meus Princeps* est; vel Sar-Abir Princeps fortis. Quid hæc ad apotheosin Josephi? Porrò Serapidem recens fuisse in Ægypto Numen, affirmant Historici, consecratum a Naucratitis. Origenes sermonem eâ de re habens (*x*) asserit, recens esse Numen, cujus historia prolixior fidei est suspectæ; famam illi conciliante & cultum mendaciis suis Ptolemæo. Hanc Historiam translati Numinis e Sinope Urbe Ponti Alexandriam operâ Ptolemæi I, habes relatam a Tacito *Hist. l.* 4, in qua nihil occurrit, quod faveat opinioni, quæ Josephum Ægyptiis altaribus consecrat. Serapis omnium ferè, qui de illo egerunt, sententiâ, ipsissimus est Pluto (*y*).

(u) *Auth. de mirabilib. c.* 15, *tom.* 5 *nov. Edit. S. Aug. Append. p.* 9, 10. (x) *Origen. lib.* v *contra Cels. p.* 257. (y) *Vide Plutarc. lib. de Iside & Osiride, Clem. Alexandr. in Protreptico, &c.*

FINIS GENESEOS.

IN EXODUM
PROLEGOMENON.

Liber, quem Græcâ voce Exodum, egressum scilicet, appellamus, ex historiâ exitûs Israëlitarum ab Ægypto, nomen obinuit. Apud Hebræos ואלה שמות *Veelle Schemoth* inscribitur; quòd scilicet voces illæ primæ in Hebræo Libri textu legantur. Historiam complectitur 145 annorum; quot scilicet ab obitu Joseph ad erectionem usque Tabernaculi ad radices Sinai decurrerunt. In ipso historiæ limine, Moyses motæ in Israëlitas a Regibus Ægypti persecutionis causas & occasionem edisserit (*a*); dein lata in gentem edicta, maribus eorum a partu extinguendis (quanquam obstetricum pietas impiis Ægyptiorum conaribus intercesserit) persequitur. Post hæc omnia, nuptiæ Jacobed cum Amram sequuntur, quibus parentibus ortus Moyses in amnis ripa expositus, & a Filiâ Pharaonis inventus, matrem suam habuit nutricem. Ab eâ in spem regiæ domus educatus, relictâ tandem Aulâ, atque spe omni Principatûs abjectâ, ad fratres suos invisendos, injuriasque ab illis depellendas se contulit; quare de vitâ periclitatus, præsentissimum declinaturus periculum, in Arabiam secessit. Ibi in domo Jethronis manens, filiam ipsius sibi despondit. Cùm autem pascendis ovibus soceri sui occuparetur (*b*), a Deo per visionem sollicitatus, ad relevandum a populo suo Ægyptiacæ tyrannidis jugum, divini nominis cognitione, atque patrandorum miraculorum virtute auctus, missus est. Secedens igitur Moyses, Sephoram uxorem suam, duosque filios secum adducit; quos tamen deinde, Angeli in necem Eliezeri irruentis visione territus, ad socerum remisit. Occurrerat venienti Aaron; & cùm ambo fratres ad montem Sinai venissent, legatione pro se fungi iterum a Deo jussi sunt. In Ægyptum igitur sese contulerunt (*c*), ibique expositâ Israëlitis Dei voluntate, dein coram Pharaone se sistentes, dimissionem pro populo requisierunt. Rex detrectare primùm, deinde & populum novis oneribus opprimere; Moyses vicissim iterum in Aulam, atque Divinæ virtutis, cujus nomine dimissionem Hebræorum petebat, potentiam ostensurus, statim projectam virgam in anguem transmutavit (*d*). Verum prodigium non absimili præstigio Ægyptiorum Magis eludentibus, factum est, ut pervicax Regis animus Hebræorum petitionibus non acquiesceret. Ad plagas igitur ventum est, novarumque novis accessione nihil tamen a Rege potuit impetrari. Ita aquæ Nili in sanguinem transmutatæ sunt; ranis primùm; deinde muscis parvis, atque vulgaribus tota latè regio ebulliit, ut homines, & jumenta omnia ac pecudes desolarentur [*e*]. Tot malis urentia ulcera in pecudibus, & jumentis successerunt (*f*); sata omnia ruens grando depasta est; undique verò discurrentia fulmina, atque reboantia tonitrua terrorem inferebant. Sub hæc, locustis infesta omnia (*g*), densisque tenebris horrida. Nihil tamen de pristinâ obstinatione recedente Regis animo, Divinæ ultionis gladius tandem in necem omnium primogenitorum Ægypti discurrit; cùm interim apud Hebræos, atque in terrâ Gessen, ubi populi sedes, salva essent omnia.

a Cap. I.
b Cap. III, 4.
c Cap. V, & VI.
d Cap. VII.
e Cap. VIII.
f Cap. IX.
g Cap. X & XI.

Ante hæc omnia, segregate sibi agnum, ut qua nocte secessio facienda erat, cibus suppeteret populo, Moyses jusserat. Quibus autem cæremoniis victima immolanda atque in cibum adhibenda esset omnibus deinde succedentibus generationibus, cap. XII, persequitur. Post illatam ab Angelo Dei in omnes Ægyptiorum primogenitos necem, divinâ jussione sacros Domino offerre omnes Primogenitos, tam hominum, quam brutorum, Hebræis injunctum est (*h*). Post hæc discessione factâ ab Ægypto, populus Ramessen primùm, deinde Socoth, ac tandem Etham venerunt. Exinde iter prosequentibus ignea columna, noctis tenebras suâ luce depellens, solis verò calorem umbrâ suâ temperans, viam monstravit.

h Cap. XIII.

Sub hæc, Pharao indulgentiæ suæ in populum pœnitens, tumultuario exercitu coacto, abeuntium viam insistens, castrametantes in Beelsephon ad Mare rubrum assecutus est (*i*). Actum fuisset de populo, nisi Moyses, elatâ virgâ prodigiosâ, in medio pelagi sinu viam Israëlitis fugientibus in adversam ripam aperuisset. Ægyptii statim abeuntes urgere, audacter & ipsi petentem in mari viam ingredi; vix tamen ingressos, recurrentes undæ, omnes, ne uno quidem excepto, absorbuerunt.

i Cap. XIV.

Moyses e præsentissimo periculo liberatus, solemnes gratiarum actiones, novo adornato cantico, Domino persolvit [*l*]. Post emensum tridui itinere desertum Sur, popu-

l Cap. XV.

populo in Mara castrametanti, amaricantes loci aquas Moyses miraculo potabiles exhibuit. Hinc motis castris, Elim primum, deinde in desertum Sin ventum est (*m*); qui sanè locus & mannæ pluentis, & coturnicum in escam populi volitantium prodigio celebratur. Altera statio ad Raphidim succedit (*n*), ubi Moyses aquas è silice eduxit, atque insignem de Amalecitis victoriam Josue reportavit. De adventu Jethro in castra Israëlitarum, atque præscriptâ ab illo politiæ disciplinâ historiam legimus in cap. XVIII, quanquam seriùs contigisse, post erectum scilicet Tabernaculum, facilè intelligimus. Succedens tandem ad Sinai populus, in spem ineundi cum Domino fœderis, ipso Domino invitante, erectus (*o*), post tridui expectationem, insidentem montis vertici Dei Majestatem spectavit. Quare Moyses, conscenso Monte, Decalogum, nempe totius Legis summam, ipso Deo tradente, accepit (*p*). Alia etiam nonnulla, quæ capp. XXI, & XXII, & XXIII, referuntur, eâ occasione præcepta sunt; quæ Moyses ad populum deinde referens, ineundi fœderis, immolatarum in eam rem victimarum sanguine, author fuit. His peractis, iterum Moyses ad Deum, a quo totius Tabernaculi mox fabricandi ideam, qualis latè capp. XXV, & XXVI, & XXVII, & XXVIII, & XXIX, & XXX, & XXXI, describitur, accepit. Cùm tamen vir sanctus longiorem in Sinai moram traheret (*q*), populus ejus rei fastidio tandem in idololatriam, aureo vitulo erecto, prolapsus est.

m Cap. XVI.
n Cap. XVII.
o Cap. XIX.
p Cap. XX.
q Cap. XXXII.

Quod cum Moyses, relicto tandem monte, intellexisset, rei dolore tabulas lapideas, quas deferebat, in terram allisit; statimque ad vitulum convolans, dejecit, comminuitque, in prævaricatores verò stricto gladio, adjuvantibus inter Levitas, qui in fide permanserant, impium scelus 23000 cæsorum sanguine expiavit. Succedens deinde in monte, veniam, pristinamque in Hebræos Dei providentiam (*r*) impetrat. Jussus verò novas parare lapideas Tabulas, atque solitarius iterum ascendere montem, omnibus actutum executioni mandatis, post divinum 40 dierum alloquium, tandem novas Legis Tabulas ad populum contulit. Sed cum novâ coruscans luce intuentium oculos perstringeret, haud alacri animo occurrentem populum adhortatione primùm confirmat, dein ad opus Tabernaculi spontaneam oblationem offerant, singulos hortatur (*s*). Duos intereà Opifices *Beseleel & Hooliab* peritissimos, novâ divinitus sapientiâ instructos, Deus operi moliendo pares comparaverat (*t*). Quibus usus Moyses perfectum tandem Tabernaculum primâ die primi mensis, anno ab egressu Ægypti secundo (*u*), erexit. Hæc historiæ hujus Libri summa.

r Cap. XXXIII.
s Cap. XXXV.
t Cap. XXXVI, &c.
u Cap. XL.

Quod in hac Opere Lectores intentos potissimùm detinet, fœdus est a Deo cum Israëlitis initum, & politiæ genus in Republicâ Hebræorum constitutum. Sapientissimis legibus sancitis, tota Reipublicæ, & Religionis administratio directa est. Deus Legislatoris sibi, Patroni, Regis, Patris, Dei tandem Hebræorum munus vindicat; vix autem in Regem agnitus, atque fœderis instrumentum solemni cæremoniâ firmatum est, statim Deus dignitatem hanc suam exerens, toto majestatis apparatu edicta rogat, atque exemplo Regum Orientalium insigne sibi Tabernaculum in medio populi constituit. Ibi numeroso, regioque satellitio stipatus, e penetralibus Tabernaculi commissa Moysi famulo suo jussa populo edici præcipiebat. Nec alibi oracula de futuris eventibus rebusque occultis reddebantur, quàm e mediâ veluti ejus loci caligine, quæ Numen occultans, majestatem, & terrorem augebat. Hanc Numinis tremendam majestatem in medio castrorum Israëlis Balaam respiciens, ait, [*x*]: *Non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israël. Dominus Deus ejus cum eo est, & clangor victoriæ Regis cum illo.*

x Cap. XXIII, 21.

Ea verò constituta est a Deo populo regendo politia, ut a Deo ejusque jussionibus omnia penderent. Ille bellum indicit; ille castrametari jubet in deserto, movendaque jussu clangentis buccinæ imperat. Hebræorum Reipublicæ, quam Scriptor quidam jure *Theocratiam* sive divinam politiam appellavit (*y*), Hebræorum, inquam, Reipublicæ subjecti omnes tribus per annum vicibus coram Rege Deoque suo sistere jubebantur, ut scilicet spontè se illi subjectos, munerum oblatione [vacuum enim coram Deo apparere nefas] profiterentur. Omnes primores natu tam hominum, quàm brutorum, sicut & primitiæ, ac decimæ non fructuum tantum atque messium, sed & decimæ pariter temporis, indictis in eam rem Festis solemnibusque diebus, de jure Regis Deique censebantur. Quod scilicet exemplo Regum Orientalium, paria in suâ ditione exigentium, sancitum est (*z*), annonas enim & necessaria omnia usibus domesticis atque exercitui, subjecti quilibet populi suis singuli Regibus sufficiebant. Ita pariter Deus omnia hæc deferri jussit ad Templum, ut in usum Altaris, Sacerdotum, & Levitarum, quibus tanquam domesticis & aulicis utebatur, impenderentur. Scitè quidem observat Philo (*) Sacerdotes in Lege Regibus & Principibus comparari, si honor

y *Joseph. l. 2, contr. Appion.* Θεοκρατίαν ἀπέδειξε τὸ πολίτευμα, Θεῷ τὴν ἀρχὴν καὶ τὸ κράτος ἀναθείς.
z 1. Reg. VIII, 15.
* *Philo lib. de Sacerdotum honoribus.*

nor illis præscriptus spectetur: deserri enim ad illos sancivit ab universa gente tributa, decimas nempe & primitias tam fructuum omnium, quàm gregum. Studio autem atque voluntati, qua populus singula conferebat, nihil erat reliquum; cùm oblationes illas inter solemnes gratiarum actiones, faustasque acclamariones ita offeret, ut quæ Ministri Dei ab illis acciperent, ipsi recipere sibi viderentur.

Commissa in Legem crimina præ Tabernaculi foribus victimarum mactatione expiabantur; quo scilicet cruoris indicio reos se capitalis criminis atque subeundæ mortis, Deo vitæ authori profitebantur (a). Mactatas eâ occasione victimas vel degustare quidem nefas, sed partim Altaris igne consumpræ, partim in esum Sacerdoti sacrificium offerenti cedebant; quasi scilicet reus indignum se, qui de mensa Dei sui participaret, agnosceret. In sacrificiis pacificis, & eucharisticis hostiæ portio coram Domino degustanda, sacrificium procuranti cedebar; altera verò portio Sacerdotibus reservabatur, ut nempè signum esset Dei cum populo fœderis, pro recepto apud populos varios more, ut scilicet post inita fœdera uni simul omnes mensæ, pacis & conjunctionis argumentum, assiderent. Ita Isaac cum Abimeleco [b], Jacob cum Labano (c), Josue cum Gabaonitis [d] cibus degustarunt; sicut vicissim, morem illum spectans S. Paulus, ab idolotitis fideles abstinere præcepit (e).

a *Vide Euseb. Demonst. lib. 1, c. 10, Theodoret. q. 61, in Exod.*
b *Gen.* xxvi, 28.
c *Gen.* xxxii, 46.
d *Josue* ix, 14, 15.
e 1. *Cor.* x, 20, *vide Outram de sacrif. l.* 1, 16, *& Grotium ad Deut.* xxviii, 1

Summum Sacerdotem in domo sua Principem Dominus constituit, cui in Sanctuarium aditus uni patebat; nonnisi tamen solemnibus adhibitis cæremoniis, aliisque observatis religionibus, quibus obsequium & religio loco sancto conciliaretur. Solemnes hujus Ministri vestes, a Domino præscripræ, tantæ dignitatis argumentum sunt & emblema. Super humeros & pectus nomina 12 Tribuum Israël insculpta deferebat; quippe quòd cura omnis, & administratio populi ad Sacerdotem pertineret; agenduinque illi esset cum Deo de universi populi rebus, a quo vulgaris populus majestatis timore absterrebatur. Laminam auream fronti imposita gestabat, in qua insculptis literis legebatur: *Sanctum Domino*, quòd scilicet, ait Moyses *Exod.* xxviii, 36, 38, commissa a populo in sanctitatem loci, in oblationibus, & sacrificiis crimina expiare ad Sacerdotem pertineat. In rebus arduis Summum Sacerdotem consulendum Dominus edicit, jussum proinde in Rationali *Urim*, & *Tummim*, nempe doctrinam, & veritatem, seu, ut illa Moyses appellat *judicium filiorum Israël* (f) gestare, quod est supremi populi Dei Judicis insigne. Porrò ex *Urim* virtus reddendi oraculi petebatur, ita disponente Deo, ut in judiciis Summi Sacerdotis sententias pronunciantis pondus oraculi agnosceretur. Deformes viros a Sacerdotio absterret [g]; quare vitio aliquo corporis infirmos, sive contemptibiles homunciones rejicit. Parem etiam apud Reges Persarum consuetudinem obtinuisse in historiâ Danielis legimus [h].

f *Exod.* xxviii, 30.
g *Levit.* xxi, 17, 18.
h *Dan.* 1, 4.

Subjectis sibi populis imperio dispotico uti, atque unicè in illos regnare Principum est. Deus itaque, populi sui libertati studens, alienis perpetuo mancipio servire neminem patitur (i); quare mancipia omnia Hebræa Sabbatico sive Jubilæi anno manumitti præcipit; avitas hæreditates distrahere vetat, quippe qui nec vitæ suæ, neque bonorum, quorum usum tantum a Deo haberent, domini essent. Operum, & quietis tempus dirigens Deus, anni ineuntis atque mensis exordium, quò scilicet ad nutum ejus penderent omnia, determinat. Sacerdotes, & Levitæ, veluti domûs Dei servitiis addicti, peculiares deferre vestes jussit; de mensâ Domini participant, de victimis scilicet, quorum tantùm adeps & sanguis Domino libantur, & de pane in Altari ipsius apposito. Ita, legimus in historiis, apud Reges Persarum obtinuisse, ut omnia, quæ ministris deinde regiæ domûs distribuerentur, mensæ priùs regiæ imposita essent; nemo enim, qui Regi serviret, nisi de cibo Regi apposito alebatur (k). Peculiaris erat pariter mensa Genio Regis, dapibus aliisque necessariis, instar regiæ mensæ, instructa. Ita & Deus in parata sibi mensa panes propositionis perpetuos apponi, vino adjecto, præcepit: quemadmodum & holocausta matutina, & vespertina quotidie in limine Tabernaculi offerenda.

i *Exod.* xxi, & *Levit.* xxv.
k *Athen. l.* 6. c. 14.

Quò autem altam de Sanctitate sua, rerumque sacrarum religione Hebræis inderet existimarionem; vel ipsas, quæ invitis obrepserant, maculas statis sacrificiis & precibus eluendas præscribit. His verò legalibus maculis si quis pollueretur, continuò a sacris tractandis arcebatur, atque si quis prudens Tabernaculi religionem legali aliquâ maculâ violasset, huic capitali supplicio crimen eluendum erat. Populus universus eâ disciplinâ in castris Tabernaculo circumfusis derinebatur, quasi scilicet in aula sui Principis, vel sub ipsis Regis oculis positus esset. Nec sanè ejus disciplinæ aliam assignat causam Deus, quàm quòd ipsius Dei oculis subjicerentur: *Sancti estote*, ait, (l) *quia ego Sanctus sum; nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis. Docebitis filios Israël*, ait Deus ad Moysem, *ut caveant im-*

l *Levit.* xi, 43, 44, & xxv, 31.

munditiam, & non moriantur in fordibus fuis, cùm polluerint Tabernaculum meum, quod eft inter eos. Jubet etiam, fingulis annis, die folemnis Expiationis, expiari *Sanctuarium ab immunditiis filiorum Ifraël* [*m*]. Hæc itaque plurium legalium cæremoniarum unica ratio occurrit, quarum alioquin plurimæ futiles effent, & vanæ, nifi grandioribus hifce divinis ideis fervirent. Quid enim aliud tanto rerum tetrore, & apparatu infinuavit Legiflator, quàm ut per externas fignificationes intimam puræ mentis fanctitatem magis magifque commendaret?

m *Levit.* xvi, 16.

Illud etiam animadverfione dignum eft, eundem, qui legem ad populum tulit, Dominum, æquè fe Deum ac Regem exhibuiffe. Cùm enim abfolutiffimas & æquisfimas morales leges ftatueret; cùm legis naturalis præcepta evolveret, atque mortalium in Deum officia explicaret omnia; cùm latentium criminum ultionem in fe reciperet; cùm impunè apud homines peccantes fibi pœnas daturos profiteretur, quid nifi Divinam exerit authoritatem? Regiâ verò poteftate politiam univerfam dirigit, Leges ad Reipublicæ adminiftrationem aptas ita præfcribit, ut ne minima quidem, ad fubditorum captum & imbecillitatem fefe accommodans, negligat. Cave tamen eas leges nihil ad perfectionem reliqui habuiffe credas; non enim omnem, quæ Deum decebat, perfectionem, fed omnem pro imbecilli populo difcretionem præferunt. Plura fanè tanquam Princeps & Rex Hebræorum tolerat, quæ Deus & Judex reprobat atque condemnat; uti ufuras in alienigenas, polygamiam, divortium, quæ fcilicet omnia nova lege interdicuntur. Nonnumquam etiam pro datâ occafione, prava quædam infinuare videtur, uti cùm Hebræos commodatò fibi Ægyptiorum res pofcere, eafque abducere præcipit. Qua tamen in re, juxtà ac Vir fummus obfervat (*n*), jus Dei, mortalium omnium Regis, quod ille aliquandò jus per homines exercet, a jure hominum inter fe diftinguamus oportet. Quare fi populus, proprio ufus jure, Ægyptiorum res fubripuiffet, meritò quidem violatæ juftitiæ reus habereetur; ab omni autem crimine jurè eft abfolvendus, quòd fcilicet nonnifi Dei præcipientis juffa exequutioni mandarit. Deo enim præcipiente, nec furtum nec crimen eft. Paria de præcepto Divino in Chananæorum exterminio philofophari licet, quamquam enim nullâ ab iis gentibus acceptâ injuriâ Hebræi in bellum provocarentur, Deus tamen pro fuo in Orbem univerfum jure, illos ad Chananæorum exterminium, quorum ftatuerat exitium, ultionis fuæ illos miniftros armavit.

n *Grot. Proleg. in lib. de jure belli & pac. Diftinguamus accuratè jus Dei, quod Deus per homines aliquando exequitur, & jus hominum inter fe. Idem l. 1, c. 1, Si Deus res alicui auferri præcipiat, non licitum fiet furtum; quæ vox vitium involvit; fed non erit furtum, quod rerum fupremo Domino authore fit.*

Interdum majeftatem fuam Deus ad Leges quafdam demittit, quas feorfim fpectatas, vix dignas, ut unum corpus cùm cæteris Dei legibus conftituant, judicaremus; eas tamen, fi unà cùm cæteris conjunctas infpiciamus, integrum quoddam, & coftans juris fyftema conftituunt, præ cæteris eò ufque ab hominibus latis abfolutiffimum. Plures etiam ex iis legibus alio quàm literali atque obvio fenfu explicandæ funt, cùm abditum atque allegoricam fignificationem fubeo verborum involucro Legislator occultaverit, quò vitia quædam cautiùs redarguerentur, atque vetarentur. In hunc fenfum muliebre indumentum viris, & viciffim virile fœminis interdicitur; vetitum etiam agrum ferere diverfo femine, atque contextam lino lanâque fimul veftem geftare &c. Paria in præceptis quibufdam tradendis obfervaffe Philofophos quofdam, ambagibus aliquando atque myfteriis fententias fuas obvolventes, fcimus.

Quod autem latas a Deo leges, & Legiflatorem ipfum cæteris præfert, illud eft, nimirum Legiflatores cæteros politiam tantùm, atque Rempublicam fpectaffe; de Religione nihil curantes, nifi fi quid paci, atque felicitati Reipublicæ conferre animadvertiffent. Accidit etiam non raro, ut populos in rebus omnibus Religionis rudes omninò reliquerint, evellere avitos de naturâ Divinâ ejufque cultu errores, confultò negligentes: quafi fcilicet error & fuperftitio continendis in fidem populis, quam veri Dei cognitio & veritatum ipfius exercitium, plus contuliffent. Plato Dei occulta myfteria populo detegere e re effe non cenfuit (*o*). Oppofitâ planè ratione latæ a Deo leges nihil habent antiquius, quàm ut de Religione decernant, cætera habent acceffioria; in unum Deum omnia referunt. In eo populi totiufque Reipublicæ felicitas, in eo univerfi Regni robur conftituitur; fi ea, quæ ad veram Religionem pertinent, falva fint, omnia funt falva.

o *Apud Jofeph. l. 2 contr. Appion.* Τὴν ἀληθῆ περὶ τοῦ Θεοῦ δόξαν εἰς τὴν τῶν ὄχλων ἄγνοιαν οὐκ ἦν ἀσφαλὲς ἐξενεγκεῖν.

Alterum, in quo planè Legiflatoris prophani & Hebraicus diffentiunt, illud eft, nimirum Legiflatores humanas leges tradidiffe, quibus ad perfectionem reliqui effet plurimùm; ut proinde ab implendo Legiflatoris munere plurimùm abfuerint. Moyfes verò, five Deus Moyfis minifterio, omnes Legiflatores numero explet; quippè qui abfolutiffimum legum corpus tradiderit.

Docendi morum fcientiam, atque præfcribendarum difciplinæ regularum duplex eft

est ratio; per præcepta scilicet, & per exercitationem, cùm ad normam traditæ legis subditi exercentur. Alterutrum ex his docendi genus cæteri Legislatores selegerunt; nemo utrumque junxit, ait Josephus [p]. Lacedæmones, & Cretenses moralem doctrinam exercitatione docentes, præcepta negligebant; Athenienses, & Græci omnia ad præcepta, nihil ad exercitationem deferebant. Moyses utrumque junxit; legibus namque, & præceptis ita mores direxit, ut generales leges ad singulorum etiam mores adtemperarit, quæ cuique peculiaria essent, nullâ re eorum arbitrio relictâ, decernens. Suæ de ciborum qualitate leges; suæ de quiete, & labore, suæ tandem de omnibus, ut maternâ quâdam charitate de minimis quibusque filiorum, & domesticorum indigentiis lex providisse videatur. Ne quis autem ignorantiam causetur, cautum est ut singulis septimanis unâ saltem die ad studium legis, & ad ejus lectionem in cœtibus Religiosis auscultandam se conferant. Factum inde, ait idem Scriptor, ut alta illa de legibus, officiisque suis oblivio, quæ universas latè gentes tenet, nulla sit apud Judæos; una apud illos, & costans de Divinitate sententia, qua in re cæteræ inter se gentes committuntur. Hinc etiam constans illa morum observantia, de qua nobis apud cæteros invidia creatur. Cùm enim latam a nobis Deo authore legem teneri persuasum habeamus, ne lato quidem ungue ab eâ recedere patimur. Quid equidem potuisset? In eo tota Religionis, Legumque nostrarum ratio versatur, ut Deum agnoscat summè perfectum, beatissimum, omnia continentem, sibi sufficientem, qui principium sit, medium, omniumque rerum finis; bonorum item fons, atque prodigiorum author. Is porrò Deus, quamquam alioqui in operibus suis non obscurè agnitus, hominum tamen captum nimis excedit, quippè qui naturâ, & Majestate suâ inscrutabilis habeatur. Hujus autem imaginem nihil, quod sensibus subjiciatur, exprimere, nulla cogitantis idea exhibere valet. Huic, cui nihil sanctitate & bonitate par, inhærendum, committendumque, ut virtutum exercitio oculis ipsius placeamus. Hæc purissima, hæc unicè vera Religio, Cultus exterior, & sacrificia in Lege præscripta, pura sunt omnia, nihilque cùm sceleftis Paganorum sacris habeant commune. Vota Deo nuncupari non bonorum postulandorum necessitas jubet; Deus est enim naturâ munificus, sed ne illis fortasse abutamur, votorum nuncupatione postulamus. Nihil est, quod ad legum Mosaicarum æquitatem desideremus in iis, quæ de nuptiis præscribit; sicut & de mutuis parentum cum liberis, Conjugum, Dominorum cum Famulis, subditorum tum inter se cùm etiam in Principem officiis; quæ planè omnia Deum Legum authorem demonstrant.

p Contr. Appion. l. 2.

Quantò verò Lex Mosaica prophanis cæteris præest, tanto novæ per Jesum Christum & Apostolos latæ concedit. Licèt enim plura sint in utràque Lege consona, neque altera alteri repugnare, sive cùm aliquid præcipiunt, sive cùm interdicunt, convincantur; fateamur tamen oportet, Jesu Christi Legem id perfectionis attingere, ut ei plurimùm Lex Mosaica concedat: quæ scilicet Moyses levi tantùm brachio molitus fuerat, hæc Jesus numeris omnibus absolvit. Hinc plurima in Lege permissa, in Evangelio prohibentur; plura etiam, quæ sive Moyses evellere non valuit, sive Hebræorum Doctores detortis Legis verbis plantaverant, unà Evangelii Lege præciduntur; vana etiam nonnulla, melioribus substitutis, loco cedere jussa sunt. Sacerdotium, Sacrificia, & cæremoniæ legales abrogantur, quò scilicet & augustius Sacerdotium, & præstantiora Sacramenta, & cæremoniæ sanctiores, & efficacius Sacrificium constituerentur. Figuras tandem, & umbras veritati concessisse par erat. Mosaica Lex, ad Jesum Christum veluti pædagogus deducens [q], in illo sistebat. Quidquid justum, bonum, perfectum in Lege Mosaicâ sancitum est, illud in Evangelicâ perficitur atque explicatur, quidquid etiam mali, charitati & rationi repugnans per Moysem interdictum est, illud etiam per Jesum Christum gravioribus verbis, pœnis, strictiorique præcepto prohibetur; quidquid tandem in illâ mali, necessitatis obtentu, vel saltem quidquid minùs boni toleratur, in hanc planè succiditur. Quare nullum in lege Christi divortium, nulla polygamia, lex talionis, atque in alienigenas usura nulla. Frigida illa distinctio domestici, & alienigenæ exulare jubetur. Nec ultra Deus bonitatis atque misericordiæ suæ largitatem cæteris denegans, in unam tantùm gentem atque Regnum profundit; omnes æquè gentes eodem simul fœdere eâdemque Ecclesiâ censentur. Idem amicitiæ, atque fraternæ charitatis vinculum mortales omnes colligat, quippè qui ad eandem omnes familiam sub uno patre, eodemque communi fratre Jesu Christo, cujus sanguine redempti sunt, cujus morte gratiæ & salutis capaces effecti sunt, pertineant.

q Galat. III, 25. et Rom. X, 5.

Tantarum veritatum veluti semina jecerat olim Moyses; sed literæ cortice obvoluta latebant. Lumina erant sub modio, & in obscuro quodam loco ardentes faces.

ces. Crassum quoddam velum, super Mosaicos libros oppansum, Israëlitas carnales arcebat. Spectabatur Lex a Judæis, veluti litera quædam mortua, veluti lex imperfecta, importabile jugum, præcepta non bona, imbecilliora mandata, & frustranea, ideo tandem rejecta, quòd in criminum mortem prolapsis opem vitamque conferre non possent (r). Is Mosaycæ Legis status, Jesum Christum respiciens ; is etiam dum Hebræos spectat ; Hebræos, inquam, qui ad novum fœdus, neque cordis habitudine, neque fidei & spei vividioris affinitate pertinebant.

In examen modò revocanda est agitata jam inter multos quæstio ; an scilicet Lex Judæorum ad Ægyptiarum imitationem expressa sit ; seu potiùs Ægyptiarum ad Judaicam.

Fixum itaque ratumque habendum est, apud utriusque Gentis populos, plures olim fuisse leges & cæremonias mutuâ affinitate conjunctissimas: nec defuerunt inter Veteres, qui ex Hebræis Ægyptiisque unum eundemque populum conficerent ; rati Hebræos origine, non secùs ac moribus Ægyptios esse. Ita Pagani Judaicam & Ægyptiam superstitionem nunquam non jungunt. Cùm superstitiones omnes externas Româ pellere visum est, eodem simul decreto Judæi atque Ægyptii obvolvuntur : *Cæremonias externas Ægyptios, Judaicosque ritus* [s]. Tacitus pariter Annal. 2: *Des sacris Ægyptiis Judaicisque Urbe pellendis*. Viri plures, Antiquitatum Ægyptiacarum peritissimi, nihil magis affine in rebus spectasse se unquam professi sunt, quàm utriusque hujus populi disciplinam: *Tantam habent ad ritus, sacrificia, cæremonias, sacrasque disciplinas Ægyptiorum affinitatem*, ait Kircherius in Propyl. c. 2, *ut vel Ægyptios Hebraisantes, vel Hebræos Ægyptisantes fuisse dicas*. Marshamus *Can. Ægypt. sæc. 9*, & Spencerus *de legib. Heber. ritual.* aliam, planè contrariam, & fortè etiam aliquanto exorbitantem a recto, tenentes viam, defenderunt, Judaicorum cæremoniarum plerasque ex Ægyiptiis esse repetendas.

Nemo planè dixerit, tantam inter infensas alioquin gentes religionis affinitatem fortuito casui deberi; quanquam fateamur oportet, in ea de moribus utriusque gentis disquisitione, hanc utriusque populi simultatem pariter, & in legibus cæremoniisque affinitatem, negocii plurimum facessere. Protestatur non semel Deus, reducturum se electum populum suum a moribus & superstitionibus Ægyptiorum ; sive imitatione [t], sive commercio, & fœdere (u) cum illis conjungi vetat; præcipit insuper, ut eâ, quibus Ægyptii cultum impendunt, sibi immolent in sacrificium [x]. His ergo consiliis suis repugnasset Deus, si paria invexisset inter Judæos, quæ jam apud Ægyptios servarentur.

Nec minor erat Ægyptiorum a Judæis aversio, in tantùm ut ne mensâ quidem, Josephi Patriarchæ ætate, illos dignarentur (y); creveritque deinde in dies odium, ex quo porissimùm Moyses Israëlem, tanto Ægyptiorum dispendio, e captivitate reduxit. Infestos inter se utrosque populos diffidere Josephus (z) non diffitetur; nec ab eâ re abludit Herodotus [a] reitatus, legibus suis Ægyptios ita inhærere, ut alias aliarum gentium admittere non paterentur; quin & commercium illos cum exteris omnibus respuere, ne quid alienæ superstitionis recipere cogantur, testatur Chæremo apud Porphyr. *de abstin. l.* 4. Quis ergo fieri potuisse crediderit, ut Religionis & superstitionis a se inventæ, itemque existimationis suæ tenax adeo populus, aliena facilè, & maximè Hebraica, quæ nonnisi odio & contemptu prosequebatur, admitteret?

Israëlitarum verò erga alias gentes habitudo alia planè erat, ac Ægyptiorum ; quanquam enim odio & contemptu cæteros aversarentur, suisque inhærerent moribus; insitâ tamen voluntatis propensione in idololatriam, & finitimarum sibi gentium superstitiones ferebantur. Nihil eâ re frequentius in S. Scripturâ, cujus Libri, & maximè Prophetici, crebras exhibent in Idololatras Judæos invectivas. Sed, quod mirum est, ipsos, quos imitabantur Judæi, populos incircumcisorum nomine per summum contemptum traducebant. Judæos tanquam insociabilem, & a cæterorum commerciis alienam gentem describunt Historici. Hæc de illis Tacitus lib. 5 hist. *Moses, quo sibi in posterùm gentem firmaret, novos ritus contrariosque cæteris mortalibus indidit. Prophana illis omnia, quæ nos sacra: rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta..... Hi ritus, quoquomodo inducti, antiquitate defenduntur*. Hæc sententiarum consiliorumque repugnantia, ritus planè diversos repugnantesque, Baal pariter & veri Dei in Hebræos invexit ; coëgitque invitos pariter & volentes, superstitionis communione cum infensis alioqui, & despectis a se gentibus conjungi. Quibus ita se habentibus, ex Ægyptiis potiùs expressæ Judaicæ cæremoniæ reputari potuissent; quippè quæ, semel in populum invectæ, cùm excindi non possent, in sacros usus traducerentur.

r Hebr. VII, 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex. Ezech. XX, 25: Dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent.* Hebr. VII, 18: *Reprobatio fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem.*

s *Sueton. in Tiber. c.* 36.

t *Levit.* XVIII, 2, 3.

u *Deut.* XXI, 30; 31.

x *Exod.* VIII, 26.

y *Gen.* XLIII, 32.

z *Joseph. l.* 1 *contra Appion.* Φαίνονται μάλιστα πρὸς ἡμᾶς δυσμενῶς διατεθέντες κοινῇ μὲν ἅπαντες Αἰγύπτιοι.

a *Herod. l.* 2 *c.* 78. Πατρίοισι δὲ χρεώμενοι νόμοισι ἄλλον οὐδένα ἐπικτέονται.

Si quis tamen has inter utrumque populum affinitatem pariter & simultatem, aliâ planè ratione spectare voluerit, viam facilè inibit, ut repugnantes in speciem difficultates conciliet. Vera itaque secernantur a falsis, certa ab incertis, quæ jactabunda Ægyptiorum vanitas, sivè stulta Græcorum credulitas in Historias Ægyptiorum, & Hebræorum invexit commenta, ab iis, quæ in Historiâ Sacrâ Deo authore referuntur; statimque, versâ controversiæ facie, Judæos quidem pauca ab Ægyptiis, Ægyptios verò a Judæis plura derivasse intelligemus. Factum etiam deprehendemus non rarò, ut leges utrimque repugnantes de industriâ, & æmulationis zelo rogarentur; quin & accidisse aliquando, ut moribus & sententiis fortuito casu convenirent. Quæ quidem omnia ut planiùs assequamur, utriusque gentis affines inter se leges percurrendæ sunt; simulque curandum, ut sedulò tempora & momenta omnia, quæ utriusque Reipublicæ statum & politiam immutarunt, distinguantur.

Latæ a Moyse leges omnes sivè morales sunt, sivè judiciales, sivè cæremoniales. Moralibus sanciendis unicè spectatum rationis dictamen, sicut & insita illa boni malique, & Dei, ac sui ipsius generalis notio. Populos autem inter se moribus & genio licèt infestissimos, in communibus tamen erga Deum & proximum officiis convenisse, quis jure miretur?

Leges judiciales ex ratione derivatæ, ad Reipublicæ politiam, atque universi populi felicitatem collimant. Quare nullo negocio fieri potuisse credimus, ut duo Legislatores eundem sibi finem boni publici præstituentes, sive contraria inter se, sivè affinia duabus dissitis gentibus pro variis condendarum legum circumstantiis, edixerint, quamquam alioqui, neque de similibus, neque de repugnantibus legibus præscribendis vel semel quidem cogitaverint. Sivè igitur judiciales Hebræorum leges ad Ægyptias accesserint, sivè longo recesserint intervallo, Moysem, tamen ad illas sivè imitandas, sivè aversandas respexisse (nisi si quando contrariam planè sanctionem pravis quibusdam corruprisque Ægyptiorum moribus opponit) immeritò deduceremus.

Cæremoniales denique Leges circa Religionem versantes, ita reputandæ sunt, quasi ex arbitrio & voluntate Legislatoris unicè dependeant, Legislatoris; inquam, non temerè illas quidem, sed ad præstitutum generalem finem omnes dirigentis [*b*]; singulas verò ita præscribentis, ut rationem cur hæc potius, quàm illa præscripserit, nemini reddere teneatur.

Itaque si Moyses novæ constituendæ Religionis consilio cœtus indixit, & solemnitates; si cæremonias item, & sacrificia, sicut & Sanctuarium ad cultum Domini præscripsit; si tandem Sacerdotes statuit & Altare; sique in rebus omnibus cum cæteris Legislatoribus paria molientibus, sine quibus homines in unum Religionis corpus vix coirent, convenisse deprehendatur, quis rogo inter prodigia deputaverit? Ex quibus planè nemo jure deduxit, omnes illos Legislatores, dum politiam quisque suam molirentur, alterum alterius imitationem affectasse. Siqua tamen non in Religione universâ constituendâ, sed in singulis cæremoniis & ritibus peculiaribus affinitas & oppositio deprehendatur; aliter tunc fanè de illis philosophandum, atque ita constituendum, ut de industriâ planè, non fortuitò casu ita factum esse judicetur. Si affectata igitur quædam similitudo vel oppositio in Hebræorum & Ægyptiorum singulis cæremoniis appareat, utì cùm de Sacrificiis agitur, de vestibus Sacerdotum, de sexu, vellere, ætate, cæterisque victimarum conditionibus; sicut & de formâ ac structurâ Altaris, aliisque, ab unico Legislatoris arbitrio dependentibus; hæc planè omnia datâ operâ atque consilio invecta censenda sunt. Cùm enim in legibus illis sanciendis sola steterit pro ratione Legislatoris voluntas, cur illæ potius, quàm aliæ sancitæ fuerint, non alia fanè ratio, quàm in Legislatoris voluntate quærenda est. Si quid igitur ejusmodi aliquando occurrat, atque inter duas gentes varietas sive affinitas cæremoniarum observetur, id totum sivè ex Legislatoris, sive ex populi electione repetendum est. Tota modò difficultatis vis in eo vertitur, uter ex his populis in his cæremoniis servandis jure vetustatis alteri præscripserit. Scitum ex Scripturâ (*c*), Judæos in Ægypto ad Idola declinasse, quam fæcem neque ab Ægypto fecedentes, neque iter per desertum facientes abjecerant [*d*]. Porrò fictam hanc Numinum religionem jam inde ante Israelitas in eâ provinciâ obtinuisse (*e*), ubi omnibus succedentibus sæculis regnavit, atque ab iis superstitionibus populum suum Dominum removere voluisse (*f*) nullus dubito. Quæ cùm ita fint, continuò fateamur oportet, cæremonias illas & ritus inter utrosque populos diametro oppositas, non alio apud Israelitas consilio invectas fuisse, quàm ut Ægyptiacis moribus adversarentur.

Quod ad ritus apud utramque gentem affines attinet, unà Patres conveniunt (*g*) Diabolo illos authore, quem Divinitatis simiam appellant, in Paganos ex Hebræis

b *Vide S. Thom.* 2 2, *q.* 102, *a cap.* 2 *usque ad* 3, & *Rab. Maim. par.* 3.

c *Josu.* XXIV, 14, *Auferte Deos, quibus servierunt Patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto.*

d *Amos* V, 26, *Ezech.* XXIII. *Exod.* XXXII, 4.

e *Vide ad Genes.* XLIII, 16.

f *Exod.* XX, 23.

g *Tertull. de Præscript. A Diabolo scilicet, cujus sunt partes intervertendi veritatem, qui ipsas quoque res divinorum Sacramentorum, in Idolorum mysteriis æmulatur. Vide & S. Aug. Epist.* 102 *nov. Edit. q.* 3, *num.* 18, & 10.

is derivatos fuisse. Sed quo bono Satanas sacras Dei cæremonias in Ægyptum invexerit? quo insuper consilio Ægyptii infensæ sibi gentis mores adoptassent? Quid quòd Ægyptiorum Religio vetustate Hebræam superat? Nonne insuper Hrebræi ante egressum ex Ægypto ad Ægyptias superstitiones declinaverant, quas etiam ab eâ provinciâ remori nondum penitus abjecerunt? Hebræi itaque Ægyptiorum potiùs quàm Ægyptii Hebræorum plagiarii accusantur. Excipiamus tamen ritus nonnullos oportet, quos Hebræi secum in Ægyptum invexerunt, ut circumcisionem, quam ex Hebræis in eas gentes derivatam supra demostravimus. [*b*].

b Differt. de vetustate Circumcis.

DISSERTATIO
DE VERIS FICTISQUE PRODIGIIS,
ac Dæmonum & Angelorum in corpora Potestate.

NIhil in vulgari sermone frequentius, quàm de prodigiis, atque bonorum malorumque Spirituum in corpora operationibus; nihil est etiam, cujus minùs claræ, atque fictæ omninò ideæ, quàm de his omnibus rebus supperunt. Viri quidam acti, ut ipsi quidem censent, ingenio, ac minimè trepido, omnia, quæ de Angelorum potestate, & apparitionibus feruntur, sicut & de præstigiis, quibus sensus hominum fallunt, Dæmonum in corpora infestationibus, subirisque tandem per illos aëris, cæterarumque rerum immutationibus; ea, inquam, omnia tanquam vana muliercularum terriculamenta reputantes, qui credulam hisce rebus mentem addixerint, eos pietate & miseratione prosequuntur. Alii contrariis planè studiis exorbitantes, omnes Dæmonum, Magorum, Veneficarum fabellas probant. Nihil illis in prodigiis, historiis de apparitionibus Spirituum, atque Dæmonum corpora obsidentium suspectum. Alii tandem, pravâ sanè & noxiâ spiritûs babitudine, quæ de prodigiis, Angelis, Spiritibus &c. ferunrur, omnia eo argumento rejiciunt, quòd scilicet plura vulgata sint prodigia vel ficta omninò, vel naturalibus quibusdam insuetisque causis, sed latentibus, tribuenda.

Hanc itaque quæstionem occasione eorum, quæ de prodigiis Magorum Pharaonis, de Spiritu Samuëlis Sauli exhibito leguntur, nos examinandam assumimus. Quæ ut ordine procedant, dicendum priùs a nobis de naturâ, potestate atque charactere prodigiorum; dein de Angelorum bonorum malorumque ad prodigia patranda facultate.

Verum prodigium, juxtà insitam nobis ideam, res est regulas naturæ consuetas transcendens. Vir super aquas gradiens, iu aëra suspensus, ignotas linguas subirò callens, virgæ in anguem subirò transformatæ verum prodigium referunt. Fictum autem prodigium illud concipimus, quod naturæ leges in speciem tantummodò superat; uti coma subitò concepto igne deflagrans, quòd pingui aliquo humote fortè delibura esset, (uti de comâ Juli aliorumque ferunt) ignem illum intactos relinquere crines &c.; nullo hæc prodigio fieri potuisse constat; cùm in lineo panno vini spiritu imbuto, quotidie observamus, ignem absumpto liquore, linum relinquere. Plura sanè hisce similia occurrunt, quibus latens & occulta causa prodigii apud nos famam conciliat.

Scitè etiam observat S. Augustinus ea, quæ nobis prodigia jure meritoque creduntur, naturalia simul esse & supra naturam; naturalia quidem, cùm eandem Dei voluntatem, in qua tota naturæ ratio, habeant aurhorem; supra naturam verò, quòd a consuetis naturæ legibus exorbitent. Addit insuper: *Nec* [*a*] *enim ista cùm fiunt, contra naturam fiunt, nisi nobis, quibus aliter naturæ cursus innotuit, non autem Deo, cui hoc est natura, quod fecerit*. Et alibi (*b*): *Quomodo est contra naturam, quod Dei fit voluntate, cùm voluntas tanti utique Conditoris, conditæ cujusque rei natura sit? Portentum ergo fit, non contra naturam, sed contra quam est nota natura*. Satis profectò constat hoc Augustini dictum: *Voluntas Dei est cujusque rei natura*, de rebus tanrùm naturalibus intelligendum esse; cùm alioqui alia sit moralium ratio; quanquam in moralibus æquè ac in physicis omnia possit Deus. Sed in moralibus agenti gratiæ non inerti quodam modo obsequitur voluntas hominis, sicuti materia animâ & libertate destituta, Creatori.

a De Gen. ad lit. lib. 6. cap. 13.
b De Civ. Dei l. 21, c. 8.

Spinosa nunquam prodigia fieri posse demonstrarurus, naturæ cursum præverti unquam posse, hoc argumento negat: Naturæ leges ipsissima sunt Dei volentis decreta

ereta, quæ si immutari unquam contingeret, ipse immutabilis Deus mutaretur. Stent ergo, ait, ab immoto Deo immotæ naturæ leges; & prodigia, quæ naturæ prævertunt leges, facessant (*c*). e *Spin. Tract. Theol. polit. c.* 6.

Hujus Scriptoribus de summo Deo sententia eò tendit, ut eodem semper tenore, absoluto, necessario, atque generali agere illum constituat; ex quo illud consequitur, naturæ cursus & effectus, qui a Deo disponente unicè pendent, invariabiles esse & immotos; nec fieri unquam posse, ut illis vel minimò exorbitantibus, de ratione summæ illius Providentiæ sapientissimæ, immobilis, sibique semper constantis aliquid non decesserit.

Hoc Authoris systema, magnificum primo aspectu, & Dei, sibi semper constantis, ideam omnem implens; re tamen æquam summi illius liberi, sapientissimi atque potentissimi ideam penitùs destruit. Ejus enim voluntas, quæ fœcunditatem potentiâ metitur, neque ab eventibus pendere, vel rebus ab ipsâ productis servire unquam cogitur; semper quin potiùs libera, & semper sibi constans, decreta sua solo regit arbitrio. Tempus omne, eventus, rerumque circumstantiæ, motus, quin etiam creatæ voluntatis quicumque Divinis ab ævo obtutibus exhibentur, ut eorum quæ priùs, quæ modò, quæque in futurum accidere unquam contigerit, nihil ipsi fuerit impervium, nihil occultum. Nihil insuper præter Deum Authorem in mundo, nullus in corpore motus agitur; quanquam ita rebus omnibus manum admovet, ut in agentibus singulis eorum foveat libertatem. Cùm autem novi aliquid in Mundo acciderit, non ita constituendum de ipso, quasi rem aliquam antehac occultam tunc primò cognoscens, novum de illâ decretum rogaverit. Semel ille omnia ab æterno ita statuit, ut ipsa rerum mutatio ab immutabili illo consilio ab ævo decreta, æternum manserit. *Opera mutat, consilia non mutat* [*d*]. De singulis creaturis pro arbitrio citra dispendium naturæ disponit, cùm non alia sit rerum natura, quàm ipsa Dei disponentis voluntas (*e*). Causarum secundarum connexio, earum ad generales motuum leges subordinatio, partium Universi inter se dispositio, singula hæc sibi certè adeò fixa & constantia sunt, ut ab uno tamen summè libero, cui inexploratum nihil, dirigantur; ab uno illo corpora omnia pendent, & motus; & cùm maximè a consuetis atque præscriptis sibi in rerum gubernatione legibus recidit, tunc potissimùm libera illa suæ voluntatis decreta fixa ab æterno & rata exequitur. Maneat ergo, prodigia Dei providentis alto consilio disponi, ipsamque rerum œconomiam fovere potiùs, quàm pervertere. d *Aug. Conf. l.* 5. e *Cont. Faust. l.* 26, *c.* 3.

Angustam prorsùs Spinosa Divinæ voluntatis ideam sibi præscripsit, dum constantiæ illius ita consuluit, ut libertatem negarit. Ludit profectò de nomine *Legis naturæ*, quasi scilicet aliud quàm Dei voluntatem designaret, vel prodigia naturæ leges destruerent; cùm tamen Dei voluntatem ipsissimam esse rerum naturam, jam ostendimus. Prodigia verò liberæ quidem Dei voluntaris sunt opus; non voluntaris quidem, generales atque consuetas naturæ leges dirigentis, sed peculiaris, quæ sibi pro suâ libertate agenda quædam insueta reservat. Hæc vera prodigii notio.

Ex his planè colligi posse arbitror, prodigiorum facultatem soli Deo reservari, ut ejus privilegii communionem neque Angeli, neque Dæmones, neque animæ a corpore secretæ, venire unquam possint. Quamquam eorum precibus aliquando, sicut & eorum ministerio atque instrumento factum est, ut Deus prodigia patraverit; sicuti de Angelis, & Prophetis in V. T. de Apostolis in Novo legimus.

Verùm de malis Spiritibus non ita facilè intelligimus, qui tantùm valuerint, ut prodigia patrarent; neque enim sive vi suâ illa operari, sivè a Deo precibus impetrare potuerint. Quare Deum illis ultionis suæ administris usum in prodigiis exhibendis credimus; nisi fortè nullum a Dæmonibus verum prodigium factum unquam, sed omnia ad præstigia & ad occultam aliquam, sed naturalem causam deputare maluerimus. De hoc igitur in præsentiarum agendum.

Magi Pharaonis, narrante Scripturâ, virgas in angues, aquas in sanguinem, Mosaica prodigia æmulaturi, transmutarunt [*f*]. Ab his Magorum prodigiis ita Moses cavendum monet, ut simul a Dæmone patrari illa non ambiguè suadeat (*g*). *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum; & evenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus & sequamur Deos alienos.... non audies verba Prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentavit vos Dominus Deus vester*. Dæmonis Beelsebub potestate in pellendis malis Spiritibus usum Jesum Christum exprobrantibus Pharisæis, objectam calumniam ipse Christus diluens, hanc quidem in prodigiis patrandis potestatem Dæmoniis non negat; sed vix fieri potuisse dicit, ut Satan Christo adversario suo obsequens, secum ipse pugnaret f *Exod.* v, *&c.* g *Deut.* XIII, 2.

ret (*h*). Alibi etiam cavendum nos monet a prodigiis Pseudo-prophetarum [*i*]. Antichristi signa & portenta omnia Apostolus persequitur [*k*]; docet insuper, Satan in Angelum lucis aliquandò se transformare. Plures tandem ex Patribus Magos Pharaonis virgas suas in angues verè transmutasse censuerunt; quod quidem sine vero prodigio fieri potuisse, vix in animum inducimus.

h Matth. xx, 34, & xxi, 24.
i Matt. xxiv, 14.
k 2. Thessal. ii, 9.

Origenes pari ferè prodigio utrimque contigisse, ut Moysis nimirum & Magorum virgæ in angues transmutarentur, luculenter asseruit (*l*), quanquam angues in virgas restituere Dæmon frustrà tentaverit; quippè quòd: *Contraria virtus malè quidem facere aliquid potest, sed restituere in integrum non potest*. Theodoretus calumnias eorum diluens, qui Moysis prodigia Magiæ accusabant (*m*), nihil habet in promptu nisi Magorum Pharaonis de prodigiis illis genuinam confessionem: *Digitus Dei est hic*. Tandem, ait, si Moyses præstigiis tantùm intuentes fefellisset, Magi, aliis objectis præstigiis, impostorem arguere potuissent.

l Orig. hom. 13, in Num. Efficit similiter contraria virtus virgam serpentem, sicut fecerat virtus Dei &c.
m Theod. q. 18. Εἰ γὰρ φαντασία ἦν τὸ παρ' αὐτῶ δρώμενον, ἔδει κἀκείνους φαντάσαι, καὶ τὸν ὁμότεχνον διελέγξαι.

S. Augustinus hac sibi propositâ quæstione [*n*], an scilicet virgæ Magorum nomen tantum & inanes anguium figuræ, seu veri essent colubri; respondet, ex ipsâ Scripturæ phrasi par utrinque, & in Moyse, & in Magis, prodigium satis designari. Quid ergo, ait, Dæmones pari cum Deo creandi virtute pollent? Neque enim aliter tam prompta rerum mutatio fieri unquam potuit. Minimè illi quidem, sequitur Augustinus, sed sementinum aliquod rerum corporearum principium per omnia latè elementa diffunditur, quod apta offendens agentia, res singulas producit. Si quæ autem eâ occasione res novæ producantur, non creari quidem; non enim è nihilo prodeunte; sed procreari tantùm, & e materno causarum suarum sinu educi censendæ sunt.

n Quæst. 21, in Exod. Deus verò solus verus Creator est, qui causas ipsas & rationes seminarias rebus inseruit.

Ita fieri potuisse censet S. Augustinus, ut projectæ a Magis virgæ momento in angues transmutarentur; dictò enim citiùs Dæmones solutæ virgarum materiæ aptas causas anguibus procreandis applicarunt. Qui verò causas & principium illud e nihilo produxerit, solum Deum idem Vir Sanctus agnoscit. Paria repetit in suis Libris de Trinitate (*o*); sicut & de Civitate Dei [*p*], ubi probat Dæmones sinè peculiari Dei auxilio vim suam exercere non posse; omnem insuper potestatem novas producendi creaturas illis abjudicans, solam immutandi creatas a Deo species virtutem permittit; quare, ait, non tantùm immutare animarum naturas frustra conarentur, sed nec in corpus hominis valent adeò, ut in belluam redigere possint. Tandem in Epistola ad Deogratias [*q*], *Quamvis*, ait, *& Dæmones nonnulla faciant Angelis sanctis similia, non veritate sed specie; non sapientiâ, sed planè fallaciâ*. Quæ facilè de prodigiis Paganorum ab Augustino dicta sunt, non de iis, de quibus S. Scriptura tanquam de veris ac minime fucatis prodigiis narrat.

o De Trinit. l. 3, c. 8.
p De Civ. Dei, l. 18, c. 18.
q Ep. 102, nov. Edit. q. 16, n. 32.

S. Thomas Augustini argumenta & sententiam adoptans [*r*], omnes a Dæmonibus inductas rerum immutationes naturæ legibus consonas ostendit, novis enim, ait, motibus, vel novâ formâ certæ substantiæ inditâ, novas stare res Dæmones jubent; quæ verò, pergit, aliquando Dæmonum prodigia supra naturam apparent, hæc sanè præstigia censenda sunt.

r 1 par. q. 104, art. 4.

Plerique ex Commentatoribus in eandem sententiam abierunt, cujus tota difficultas in eo versatur, an solâ causæ naturalis applicatione fieri potuerit, ut ex virgarum materiâ nova substantia promptè compingeretur. Tostatus rem esse impossibilem judicans, fieri potuisse censet ut Dæmon, pro eâ, qua plurimùm valet, agendi dexteritate, subductis clam virgis, veros angues substituerit [*s*]. Alii malum Dæmonem, cui Moysis consilium, jam ab ipso Moyse populo revelatum, innotuerat, virgas ante paulatim præparasse malunt, ut opportuno tempore in angues transmutarentur (*t*).

s Tostat. in Exod. vi, q. 20.
t Cajet. & Barradius & Jans. in Exod.

Utcumque tamen res contigerit, Patres, & Interpretes nullum intercessisse in eâ re prodigium satis conveniunt. Miram illi quidem & singularem metamorphosim, naturæ tamen legibus consonam, fatentur; sed neque in Scripturâ unquam Demonum & Pseudo-prophetarum prodigia, veri prodigii elogio donata animadvertunt. Nunquam etiam malos Spiritus liberâ & independenti potestate usos, ex eadem Scripturâ novimus. Apostolos quin etiam Antichristi signa ita describit [*u*]: *Cujus est adventus secundùm operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis in iis, qui pereunt*. Si quando in S. Scripturâ Dæmonis prodigia aliqua referuntur, statim a Deo ita permittente, atque malis Spiritibus ultionis suæ ministris uso facta dicuntur. In narratione plagarum Ægypti legimus, Deum Magorum virgas in angues, Nili aquas, iisdem Magis authoribus, in sanguinem transmutari sivisse; sciniphes verò, Deo renuente, producere illos nequicquam

u 2, Thessal. ii, 9, 10.

Digitized by Google

quam tentasse (*x*). Quid, quòd eodem cum cæteris Ægyptiis fato iisdem plagis Magi illi affecti sunt? Deo ita disponente, ut pro ejus arbitrio & virtutem illi suam exeri, & in ordine contineri faterentur.

S. Augustinus veros quidem angues e virgis Magorum prodiisse consentit; sed, ait, *non fuerint tamen creatores Draconum nec Magi, nec Angeli mali, quibus ministris illa operabantur* (*y*). Satanæ quidem datum est, ut occasionem & causas instruat rerum productioni aptas; at nova creare uni Deo, a quo singulis naturalibus agentibus accepta virtus, reservatur.

Alibi verò docet (*z*), totam malorum Spirituum potestatem in eo sitam esse, ut malos Deo permittente puniant; bonos exerceant: *Nec ideo*, sequitur, *putandum est istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed soli Deo.* Paria de virgis in colubros transmutatis docens S. Thomas [*a*], addit deinde: *Non verè habent rationem miraculi, quæ fiunt virtute aliquarum naturalium causarum.* Si ergo SS. Augustino, & Thomæ fides habeatur, veri patrandi miraculi potestas nulli prorsùs creaturæ, sed Deo tantùm conceditur.

Reliqui ex Patribus in iis, quæ ad prodigia spectant, malis Spiritibus minus concedunt; quippe qui virgas Magorum mero præstigio angues spectantium oculis exhibuisse sustineant. Tradit Philo, Magos illos omnibus artis suæ conatibus eludendis veris Moysis prodigiis laborasse, quanquam, ait, alios decipere moliti, suis ipsi artibus decepti sunt; id agente Numine, ut virga Aaronis Magorum angues voraret (*b*). Licet verò alibi idem Scriptor veros angues ex Magorum virgis productos pro certo constituere videatur; addit tamen, virgam Moysis serpentes a Magis productos, & denuo in pristinam virgæ naturam restitutos vorasse; quo Deus prodigio, ait, iniquos rei æstimatores docuit, ea, quæ a Moyse portenta patrata sunt, non callidi alicujus veteratoris dolos æstimari debere, sed Divinæ operationis, cui nihil impossibile, vera & genuina miracula [*c*]. Quo sane dicto satis Author insinuat, Magorum virgas artis tantùm præstigio, serpentis speciem, non rem exhibuisse.

Josephus loquentem inducit Moysem ad Pharaonem in eam sententiam; transmutare scilicet se virgam suam in anguem, non mero tantùm præstigio, simplicioribus fallendis, uti a Magis factum fuerat, sed vero prodigio Divinâ virtute patrato (*d*). Pseudo Justinus totum hoc Magorum opus malo Spiritui imputat, qui spectatorum oculos præstigio fallens, anguium & ranarum speciem inanem & vacuam exhibuit [*e*]. S. Justinus ea Magorum miracula in eodem censu habet cum prodigiis Paganorum, quibus Dæmon simplicioribus imponit [*f*]. Quid autem hæc sunt, nisi præstigia? Tertullianus de hoc argumento ita disserit: *Corpora videbantur Pharaoni & Ægyptiis Magicarum virgarum dracones; sed Mosis veritas mendacium devoravit* [*g*].

Hæc Tertulliani verba præ oculis habuisse Hieronymus videtur, de Antichristi miraculis in hanc sententiam locutus (*h*). *Quomodo enim signis Dei quæ operabatur per Moysen, Magi suis restitêre mendaciis, & virga Moysi devoravit virgas eorum; ita mendacium Antichristi veritas devoravit.* S. Gregorius Nyssenus [*i*], S. Prosper (*k*), Ambrosiaster [*l*], Rupertus Abbas(*m*), aliique ficta omnia, & mera præstigia in prodigiis Magorum agnoscunt.

At enim sine prodigio fieri non potuit, ut Magorum virgæ sive occulto & subtili Dæmonum artificio novam induerent anguium figuram, sive adstantium oculis induisse viderentur, quamvis alioqui virgarum naturam in se retinerent. 2, Si Deus fallentes iis dolis Dæmones, suæ voluntatis arbitrio dirigit, commissi cum illis criminis reus habendus esset, quippè qui mali hominibus irrogandi adjutorem sese præbuisset. 3, Si genuina illa prodigia censenda sunt, quæ & certas naturæ leges, & agentis naturales vires excedunt, vera a fictis miraculis discernendi ratio difficilis hominum plerisque continget; quare satis certum a miraculis argumentum vix erit quod deducatur; quis enim naturæ leges omnes discusserit?

Hisce ergo difficultatibus singulis ista reponemus. 1, Quæ singulis Angelis, Dæmonibus, animabus a corpore secretis, naturalis vis insit, quidque proindè in corpora valeant, ut naturalia a supernaturalibus discernantur, vix est quòd a nobis determinetur. Subtili quadam corporis materiâ, aurâ tenujori, Angelos, Dæmones, & animas constare Veterum nonnulli autumarunt [*n*], quare inquiunt, Dæmones sacrificiorum nidoribus(*o*), cantilenis, sanguine victimarum, muliebri coitu delectantur; sicut & certis adstringuntur temporibus, locis, & ædificiis. Quod autem bonos a malis Angelis apud illos distinguebat, pronum erat & obstinatum in deteriora studium, quo mali Angeli, ejusdem alioquin cum bonis naturæ, detinebantur. Ita planè duos oculos vel aures ex vitio alterutrius distinctos diceremus (*p*). Subtilium istorum corporum dotem esse immortalitatem rati, crassiori resoluto corpore, tenue illud, quo ani-

x Exod. VIII, 18, & IX, 10.
y In Exod. q. 21.
z De Trin. l. 3.
a 2. 2, quæst. 178. ar. 1 ad 2.
b De Migrat. Abraham.
c Philo l. 1, de vita Mos. Ὡς μηκέτι νομίζειν ἀνθρώπων σοφίσματα καὶ τέχνας εἶναι τὰ γινόμενα. πεπλασμένα πρὸς ἀπάτην. Ἀλλὰ δύναμιν θειοτάτην τὴν τούτων αἰτίαν, ᾗ πάντα δρᾶν εὐμαρές.
d Antiq. l. 2, c. 5.
e Quæst. ad Orthod. q. 22.
f in Dialog. cum Tryphon.
g De Anim. c. 57.
h Hieron. Algasia c. 2, ad finem.
i De Vita Moysis.
k De promiss. part. 2, cap. 5.
l In 2, Timoth. cap. 3.
m in Exod.
n Vide Orig. in proœm. l. 1, de prin.
o Idem cont. Cels. l. 7. & l. 8. Vide Spencer. not. in hunc lib.
p Orig. t. 23, in Jo.

anima constat, & instar corporis crassiotis efformatum erat, manere censebant. Hoc autem animæ corpus, ab altero crassiori secretum, Veteribus nonnullis Αὐγοειδὲς *fulgori simile*, ἀστροειδὲς *astris simile* [q], dicebatur; atque ex luce nonnunquam circa sepulchra micante, argumentum de animæ immortalitate, de figuræ illius cum corpore affinitate, iisdemque servatis, quas olim in corpore habebant, inclinationibus trahebant. Laudatur etiam in eam rem historia divitis improbi, & Lazari; tum illud S. Thomæ: *Nisi videro in pedibus ejus & manibus fixuram clavorum, non credam*. Persuasum enim habebat Apostolus, ait Origenes, fieri potuisse, ut animæ Jesu Christi ea esset cum corpore similitudo, qua Apostoli facilè deciperentur.

q *Orig. cont. Cels. Iren. l. 2, c. 62. & 63, Vide Porph. de abstin. animal. l. 2, pag. 212, 213, edit. Lugd. 1620.*

Cum tamen alia jam obtinuerit de Angelis sententia, aliter proinde nobis de Spirituum in corpora operationibus philosophandum. Si Veterum illa opinio admitteretur, facilè profectò intelligeremus, qui fieri potuisset, ut tenue illud Angelorum corpus immutandis organis animalium, & elementis valeret. Cùm enim corporum nostrorum structuram, atque cætera naturæ arcana perspecta habeant, quæ potissimùm commoveant organa, quasve impellant causas secundas, occultà quadam & subtili vi, corpore tenuissimo instructi agentes, quibus nec ingenium deest nec sapientia, nosse equidem potuissent. Quare mira licèt & præter fidem agere viderentur; nihil tamen præter notas naturæ leges factum intelligeremus. Quidni enim corpus sibi non absimile corpus aliud moverit? Quòd autem tenue sit & subtile, in corpora facilè irrepens, penitiora omnia pervadit; cùm interim crassum aliud corpus in ipso veluti limine subsistere cogatur.

Alia est igitur nobis via disputationibus tenenda. Spiritus, cui, præter intelligendi & volendi facultatem, omnia desunt, cur in corpora naturaliter agat, nihil est; nihilque illi cum materià commune, ut ei disponendæ per se veluti manus possit admovere. Quare vel Dæmon aptam ad anguem compingendum materiam in virgis Magorum per se disposuisse dicatur; vel intuentium oculos præstigio aliquo ita fascinavisse, ut intueri se anguem crederent (quod vel ipsos aspicientium oculos perstringendo, vel inane spectrum ante obtutum offerendo præstari potuisset): hæc tamen omnia naturæ purè putèque intellectualis vim omnem superant. Hæc tantùm de Spiritibus ratione magistrà discimus. Si verò Divinam revelationem consulimus, ineunda nobis superest ratio, cur sine prodigio fieri illa potuisse exponamus.

Historiæ non infrequentes in S. Scripturà leguntur, Dæmoni tantummodò authori imputandæ; uti inflicta Jobo mala; energumeni quamplures in Evangelio; tentatio Jesu Christi per Diabolum, quo vehente ipse Jesus primò in verticem excelsi montis, dein in pinnaculum Templi translatus est. In his planè concessam Dæmoni patrandorum prodigiorum facultatem ab ipso Deo malis illius consiliis opem præstante, quis non impius & blasphemus crediderit? Nonne doli tunc & impietatis, quam Satanas meditabatur, reum Numen ageretur, si fallere eà ratione homines, atque perdere volenti prodigiis suis serviret? Ne igitur malòrum author dicatur Deus, insitam sibi vim eà occasione, Deo permittente, exercuisse Dæmonem fateamur oportet, quam scilicet Numinis permissionem obtinuisse, cùm Jobum affligeret, cùm malorum Spirituum legio hominem in Evangelio infestaret, liquidò constat.

Quæ verò bonis Angelis authoribus in Scripturà gesta leguntur, sicut & animarum extra corpus per visum oblatæ species, ea quoque citra prodigium facta esse non raró suspicamur; quòd, & in corpora agendi, & elementa subigendi insita sit spiritibus virtus. Profectò si quid erit in eà re prodigii, id planè reputandum est, quòd Deus raró ea præstare Angelos permittat; cùm interim familiarem & assiduam illam, quam Angeli, & Dæmones in corpora, sensus, phantasiam, atque in cætera, quæ nos circumstant, potestatem exercent, [quamvis nobis aliò intentis & imprudentibus] vix aliquis fuerit, qui inter miracula adscribat. Cùm itaque Angeli deducere nos, atque pericula omnia a nobis subducere curaverint; cùm pias imagines phantasiæ subjecerint, quemadmodum impiè a Dæmonibus exhibentur; cùm motus ab iisdem Dæmonibus pravi in corpore excitantur; cùm, inquam, hæc omnia facta novimus, nonnisi naturalem Spirituum vim agnoscimus. Difficiliora planè ista non sunt iis, quæ de tentatione Christi in Scripturà narrantur. Nos quidem latenti seductore tentamur; Christus sensibili specie coram se Dæmonem vidit: res cæteroqui congruit: neque enim quòd nobis invisibilis Dæmon insidietur, minùs in nostro corpore humores & phantasiam concitat.

Explicandum modò, quo fieri possit artificio, ut spititus a corpore secretus in corpus agat. Cùm Dei voluntatem omnium esse rerum naturam supra constituerimus; si quando de motione corporum a Spiritibus in Scripturà legerimus, Deum id voluis-

fuisse, ut scilicet Spiritus corpora moveret, inferamus oportet. At enim Spiritum in corpora acturum ad corpora sese applicare necesse est; quod sanè de rebus nullâ proportione conjunctis vix concipimus. Nihil planè in eâ re novi. Nonne corpori movendo anima adjungitur? Porrò anima sanguinem, spiritus animales, totum denique corpus commovere potest; quemadmodum vicissim sanguinis totiusque corporis, atque objectorum sensibilium excitationibus certæ quædam respondent in animâ perceptiones & affectus; doloris videlicet, lætitiæ &c. Quid igitur animæ corpus movere pronum erit; Angelis verò, & Dæmonibus non erit?

Ipsâ quidem experientiâ doceri nos fateor de mutuo, quo Deus animam & corpus vinculo alligari voluit; ut scilicet animæ & corporis affectiones affinitate quadam jungerentur: quam sanè experientiam de Angelis & Dæmonibus nullam habemus. Sed eam, quæ corpus animæ jungit, dependentiam, ipsâ Dei voluntate inductam fuisse, hac nobis ratiocinatione innotescit: Nullum naturale vinculum corpus & animam inter se alligare posset, nisi Divinæ voluntati id totum tribuatur; hanc igitur voluntatem intercessisse oportuit. Paria ergo de Angelis, & Dæmonibus philosophari planum est; solo nimirum illos Divinæ voluntatis glutine conjungi posse materiæ. Conjunguntur autem reipsâ? voluit ergo Deus ut jungerentur; ita scilicet ut ad spirituum voluntatem variam variis corpora motionibus agitarentur. Ea est igitur spirituum natura, seu potiùs hæc est Dei voluntas, quæ totam actionem spirituum in corpora ita constituit, ut naturalis aliquando sit, nec semper prodigium referat.

Quod huic nostræ sententiæ difficultatem aliquam faciat, illud est; nimirum Deum malorum & tentationum, quæ probos viros exercent, authorem futurum: siquidem ille voluntate suâ volenti Dæmoni obsequatur. Hanc planè difficultatem anticipatione quadam jam occupavimus; quemadmodum enim Deus malis improborum consiliis pravas in corpore motiones succedere, ipso quidem Deo reapse movente, citra sanctitatis suæ dispendium sinit; ità plane de concursu Dei occasione spiritum philosophamur. Deus itaque impium aliquod factum ita causat, ut non in crimine, sed in actione ipsâ participet; voluntate etenim crimen concipiente, Deus ejus occasione materiam movet, quemadmodum occasione probi cujusdam consilii, quod voluntas justorum statuit, aptum ad id motum in corpore excitat; omnia iuxta leges firmati inter corpus & animam fœderis. Non est igitur, cur Deus malorum author propterea accusetur.

Majoris momenti aliud contra eamdem nostram sententiam objiciunt; nempè inter verum & falsum prodigium ægrè prorsus discrimen aliquod, rudioribus satis exploratum, constitui posse. Fateor quidem ultra vulgatium captum rem esse; nec inde tamen sequitur, quod ex prodigiis deducitur, argumentum futile esse & inane; sed illud potiùs, noscendorum prodigiorum judicium non omnibus vulgò permitti. Facilè enim in eâ re decipi populum compertum est, ut speciem tantummodò prodigii pro re incautus usurpet.

Prodigia tamen nonnulla suppetunt adeò aperta & explorata, ut imperitissimi quique de populo tutò de illis judicare permittantur. Ita planè Moyses elatâ virgâ pelagum pro arbitrio diffidit, restituitque; cùm e silice percussâ aquarum venas eduxit, terramque subitò hiscere absorbendis seditiosis præcepit; cùm Jesus Christus Lazarum defunctum quatriduanum vivum stare jussit, ipsumque se tandem resuscitavit; nemo sanè in his omnibus miraculum diffitebitur. Nec Philosophum sanè, nec doctum aliquem vitum consuluisse oportet, ut hæc in prodigiorum censum referamus. Si verò Moyses & Jesus Christus uno saltem vero prodigio, quod nullâ possit pervicaciâ labefactari, claruerunt; ex illo sanè cæteris omnibus eorum prodigiis minùs apertis & exploratis, ab iisdem Scriptoribus relatis, & confirmandis iisdem veritatibus præjudicatum est.

Profectò si vir literarum rudis certos Angelicæ, Dæmoniacæ, & Magicæ virtutis limites ignoret, si quousque valeant circulatorum artibus fallaces quidam homines, non satis assequatur; habet tamen persuasum fieri nunquam posse, ut naturalis quicumque agens ipse se revocet ad vitam, Solem currentem virtute suâ remoretur, procellas compescat. Quamvis enim cætera omnia spirituum ignorarem, hæc tamen facultatem eorum superare planè non dubito: ut enim corpora materiam subigant, ut rerum non leves mutationes inducant, tempore opus & apparatu; certæ motûs leges observandæ, eaque omnia negligere solius est agentis summi, cui prodigia dicto citius obsequuntur. Duo hæc sedulò distinguenda sunt: Rudiores æquè ac literati viri leges naturæ omnes non callent; Simplices pariter ac docti rem aliquam naturæ vires transcendere planè ignorare non possunt. Quid ego non valeam, novi equidem;
quous-

quousque suppetant vires, ignoro; non enim sum adeo hebes crassusque, quin noverim sagittam, valido excussam nervo, nunquam posse me currendo pertingere; quanquam quid valeam in cursu, nunquam habuerim exploratum.

Est etiam, cùm de prodigiis agitur, inter varios hominum gradus sedulò distinguendum. Vir enim a Religione Christianâ alienus, propositæ sibi doctrinæ, quam prodigia confirmant, acquiescere tunc cogitur, si nihil & in doctrinâ lumini naturæ repugnans, & in prodigiis fictum ac suspiciosum offenderit. Cui si forte jam credenti, secundus alius miraculorum patrator superveniens, priorem illam doctrinam novâ alterâ & oppositâ convellar, judicium ille suspendens, in examen utramque revocabit. Hæc Paganus; Christianus verò, jam instructus, si forte prodigia patrantes duos inter se oppositos offenderit, sedulò confert, 1, uter ab Ecclesiâ probetur; 2, uter majoribus signis commendetur; 3, uter saniora & sinceriora præferat; statimque eo rejecto, cui Ecclesia & Iesu Christi doctrina repugnat, alteri sibi adhærendum judicabit.

At enim ratiocinationis quodam circulo eâ in re utimur. Dum enim certa aliqua nota veris syncerisque prodigiis distinguendis exigitur, statim ea esse syncera statuimus, quæ veram synceramque doctrinam confirmant. Si quis autem momenta quæsierit veræ doctrinæ inter duos illos Religionum oppositarum assertores, statim miracula promuntur, quorum indicio alter alteri præferendus sit; si verò signis claruerit uterque, Ecclesiæ judicio standum est; & si vicinum inter duas oppositas Ecclesias ambigamus, facto iterum ad prodigia recursu, ea dicitur præferenda, quam doctrina & prodigia commendant. En circulus.

Verum hisce reponimus, totius nostræ ratiocinationis fundamentum in eo positum esse, quòd Deus, summa illa & inconcussa veritas, neque fallere unquam, neque deceptores & mendacia, prodigiorum suorum authoritate confirmare, sicut neque promissam semel Ecclesiæ suæ infallibilitatem negare vel semel potest. His certò positis, quippe quæ in ipsâ Divinæ naturæ ideâ continentur, illud statim rectâ consecutione deducitur, inter varia & opposita prodigia sive ad examen doctrinæ sive ad Ecclesiæ authoritatem recurrendum esse, cum vel Deus fallere unquam non possit, vel Ecclesiæ judicium aliter habendum non sit, quàm S. Spiritûs judicantis oraculum. Ecclesia igitur promissionibus Jesu Christi unicè nititur, undè & prodigia pariter & doctrina petuntur; ex quo nexus quidem & catena argumentorum sibi innexorum, & invicti roboris deducitur.

Magos, Pseudo-Prophetas, Antichristum miris quibusdam & in speciem prodigia Jesu Christi & Apostolorum referentibus signis clarere posse, nullus dubito; Magos verò, aliosque similis farinæ, tantam miraculorum frequentiam, longâ serie continuatam, totque circumstantiis distinctam jactasse unquam, non credimus. Frustra apud illos parem quæras in prodigiis authoritatem, & celeritatem; frustra patrandorum miraculorum prædictiones. An illi cœpta prodigia pro arbitrio abruperunt unquam? an signa in adjumentum doctrinæ Divinitus datæ, atque veritatis, ad eversionem idololatriæ, superstitionis, mendacii, ad gloriam Dei promovendam vocarunt? Opus fuit Christum prodigia patrare ijs paria, quæ veteres Prophetæ, ejus prænunciis, gesserunt, ait S. Augustinus (r), uti eorundem Deus ac Dominus, ne incongruum videretur, quæ alii gesserant, ipsum minimè gessisse. Is verò quædam miracula operatus est, quem nemo unquam vel fecit, vel facere potuit, ut se cæteris miraculorum auctoribus, cujuscumque vel conditionis, vel qualitatis ea forent, superiorem probaret: hæc verò sunt, nasci ex virgine, propriâ virtute resurgere a mortuis, ad Cælos ascendere. Hisce prodigiis nisi satis ejus Divinitas comprobatur, nihil profectò satis illum probabit.

r Aug. Ep. 137, ad Volusian. cap. 4, n. 13, nov. Edit.

Numinum Paganorum miracula veris Jesu Christi prodigiis olim Celsus opponebat (f); cui reponens Origenes, quid inter Christi moralem solidamque doctrinam, & impias atque absurdas Numinum superstitiones intersit, planè depingit. Quis, inquit, morum correctionem præstigiis accepto retulerit? Cui bono prodigia sua Dæmon, moribus hominum corrigendis, impendisset? Arnobius Paganos provocat, ut paria Deorum prodigia proferant, qualia a Jesu Christo, solo prolato verbo, vel nutu patrata constanti famâ ferebantur. Longâ atque perenni miraculorum serie ne mortales fallantur unquam, Divina Providentia intercedit; quæ quidem de mortalibus bonæ fidei maximè valent, non de illis, quibus veritatis contemptus & errandi studiosa voluntas tenebras offundunt.

f Orig. con. Cels. l. 1, circa fin. l. 2, pag. 89, &c. & l. 3, pag. 126, &c.

Magi Pharaonis virgas quidem in angues transmutarunt, quod sanè prodigii speciem aliquam præferebat; sed statim Deus immissâ in angues Mosaicâ virgâ & vorari illos, & fraudem indicari voluit. Cùm verò Mosaicum prodigium æmularul

Magi

Digitized by Google

Magi illi sciniphes educere conarentur, re frustra tentatâ, tandem Divinâ virtute valere Moysem professi sunt. Quid quòd ulcerum plaga in Egyptios sæviens, nec Magis pepercit? Quòd nihil illi incommodi Israëlitis inferre unquam valuerunt, qui etiam inter tot mala, per Ægyptum grassantia, altâ semper pace fruebantur?

Conferat planè, si quis velit, Jesu Christi, Moysis, & Apostolorum, cum prodigiis Magorum Pharaonis, Apollonii Thyanei, & Numinum paganorum; immanè quantùm discrepent inter se illa omnia intelliget. Factum ne unquam a Dæmone legimus, ut amnium cursum suspenderet, pelagum diffinderet, amaricantes corrigeret aquas, potabilesque educeret e silice, futura è plurium causarum concursu pendentia diù antea prædiceret, defunctos post plures sepulturæ dies revocaret ad vitam? An de Magis vulgatum est unquam, quòd stratis in undis graderentur, cœcos illuminarent, gibbos, mutosque a primis crepundiis solo nutu restituerent? Ea verò, quæcumque fuerint, Magorum atque Idolorum prodigia quis retulit? Integrâ ne fide viri, coævi, testes oculati, qui earum rerum veritatem sanguine & vitâ testati sunt?

Tota Dæmonis vis in obsidendis divexandisque corporibus, morbis incutiendis, probis viris tentandis impenditur. Christo videndum se præbuit, quò scilicet ab illo imprudente & incauto cultum extorqueret. Potestatem suam ad malum tantummodo injuriamque inferendam habet expeditam; nunquam non mendacii, superstitionis, & impietatis patrem se probans. Sermones cum Evâ miscet; cui bono, nisi ut dictis illa Dei pervicaciùs obsistat? Vim omnem suam in Jobum exerit; quò scilicet de firmissimâ patientiæ arce in barathrum desperationis miserum deturbet. In impietatem tandem atque calamitatem redigendis hominibus, potentiæ suæ nervos omnes Dæmon ejusque ministri intendunt.

Angeli itaque tenebrarum pro libito in Angelos sese lucis transforment; Beelsebub malis depellendis spiritibus interdum laboret; Pseudo-prophetæ sub dolosis prodigiorum muscipulis vel electis ipsis moliantur insidias; semper tamen veritatis a mendacio discernendæ ratio erit explorata: gesta ipsa filiorum mundi & tenebrarum, dogmata, doctrina, fides facem præferent, ne errare contingat. Rudiores quique ex Fidelibus, judicio atque sanctionibus Ecclesiæ, ut par est, inhærentes, a fictorum prodigiorum dolis minimè sibi timebunt. Ecclesiæ est enim de missione atque bonorum malorumque Apostolorum meritis judicium. Simonem damnat? prodigiis licèt supra fidem coruscanti, Cœli alta petenti, anathema continuò dicimus. Miracula doctrinam, & doctrina miracula fulcit; mutuò illa sibi juncta atque compacta in unum coalescunt. Quare populo judicium, quemadmodum de doctrinâ, ita de prodigiis interdicitur; utrumque enim amplexa eorum fides, & doctrinæ, quam miracula fulciunt, & miraculis, quibus subnexa doctrina, cæco illos obsequio colla submittere jubet. Deductum a miraculis, Ecclesiæ judicio probatis, argumentum, firmum semper quà rudioribus, quà doctis Fidelibus ratumque manet; utrique enim in prodigiis Divinæ potentiæ, atque authoritatis Ecclesiæ, miracula probantis, non obscurum characterem agnoscimus, atque suspicimus.

Veri itaque miraculi characteres sunt, 1, vires agentis omnes naturales notas [t], ignoratasque excedat: 2, ad Deum & Jesum Christum dirigat: 3, ne quid in veram doctrinam, pietatem, & Ecclesiam, labis admittat. Rectam hanc miraculorum ideam habuisse Pharisæi, Jesu Christi ætate, videntur; ex qua scilicet illi argumentum in eundem Jesum Christum prætendentes, omnes ab illo & doctrinæ & morum characteres abesse contendebant. Legem illi eâ occasione proferentes in medium, cautum Judæis dicebant, ne prodigiorum fulgore perstricti, doctrinam contra Legem aliquam subrepere paterentur; omnia quin potius Sacerdotum judicio, de Prophetis decernentium, fore reservanda. Singula autem hæc in Christum urgebant; eum Legis prævaricatorem, damnatam jam Sacerdotum judicio doctrinam spargentem arguebant. Quid igitur Jesu Christo absolvendo apud populum supererat? Quis e populo jure meritoque ab ejus consuetudine non se continuisset? Nec tamen Jesus immunes a culpâ Judæos, doctrinam suam non recipientes, pronunciat; ait enim: *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* (u). Erat igitur cur ex miraculis doctrinæ argumentum caperent; nec Judæi immunes erant a culpâ, si tantâ miraculorum gloriâ coruscantem Christum non agnoscerent. Rectà planè Nicodemus philosophatus est illis ad Christum verbis (x): *Scimus quòd a Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*

Nec planè aliud quærendum est nobis argumentum, ut aliquis a Deo missus demonstretur, si certis miraculorum signis claruerit; ipsis enim impressis a Deo & veritate characteribus distinguitur adeò, ut quamvis suspectam doctrinam ferere videatur

t *Vide* Pensèes de Pascal, art. des Miracles.

u *Jo.* xv, 24.

x *Jo.* III, 2

tur

tur, [quam de Christo suspicione facilè Nicodemus admittere poterat, quippè qui Pharisæorum traditiones credebatur evertere) omnes tamen dubitationum tenebras nitens miraculorum fulgor depellit; neque enim Deus in errorem unquam inducere credendus est. Induxisse autem in errorem oporteret, si corruptæ doctrinæ disseminatoribus prodigia servirent; nisi tamen ea esset doctrina, quæ ipsa se falsitatis apertissimè argueret; vel saltem ab alio, clarioribus patratis prodigiis, non argueretur. Quid enim alioqui in Ecclesiâ constaret? Si nimirum Ariani, Scripturas prætendentes, dogmatum suorum stipendiaria haberent prodigia; eaque vicissim prodigia nulla suissent apud Catholicos, iisdem alioqui Scripturis inhærentes; tum sanè prodigiis inspectis ad pravam Arianorum doctrinam vel inviti pertraheremur. Hanc igitur invidiam, deducendi scilicet in errrorem mortales, subiisset Deus (quod planè ab illo, sanctitatis & justitiæ normâ, alienum est) si id unquam committeret, ut in ancipiti atque obscurâ quæstione miracula in deteriorem partem judicii lancem inclinarent. Si verò utrimque miracula pugnent, tunc ad regulas supra a nobis præscriptas foret recurrendum; nempè ad examen doctrinæ, ad miraculorum characterem; spectandi mores illius, qui prodigiis claret; consulenda Ecclesiæ authoritas, & preces in primis adhibendæ, ut ab omni præsumptione, atque immodico votorum æstu libera mens, errorem facilè a veritate discernat.

Singulare etiam aliquid in hoc argumento observat Tertullianus *Contra Marcionem l. III.* Deductum a prodigiis argumentum, ait, extenuasse Dei Filius visus est, cùm illam veritatis dotem etiam mendacio, & Pseudo-prophetis communem fieri permiserit: *Temerariam signorum atque virtutum fidem ostendit, ut etiam apud Pseudo-Christos facillimarum.* Quæ cùm ita sint, addit Tertullianus, undenam Christus authoritatem prodigio vindicat, ejusque recipiendum præcipit testimonium, cùm eodem interim privilegio patrata a Pseudo-Prophetis miracula excluderet? undenam, inquam, nisi quòd cum primus ipse venisset, verique miraculi characteres omnes explicasset, ipse sibi fidem conciliavit, atque sibi cordium dominium asseruit? Quemadmodum enim primus ad balnea ingrediens, vacuam tenens sedem, occlusis foribus, locum occupat solus; ita pariter Jesus Christus *fidem occupavit, posteris quibusque præripuit*; puta venturos Pseudo-Christos prædicens, atque depingens, fidem illis omnem abrogavit.

Donatistis Pontii cujusdam miraculum jactitantibus, factamque divinitùs vocem Donato, dum preces funderet, narrantibus, S. Augustinus hæc reponit [y], I, Hæreticos semetipsos decepisse, fabellis fidem adjicientes; quibus si minus ipsi crederent, illud saltem commisisse, ut nos eadem imponendo deciperent. II, Esto, ait, miracula penès Donatistas fuerint, charitas tamen hæreticis deest, sine qua fides vel ipsos montes transferens, nihil est. Charitas autem nulla est, ubi unitas scinditur. III, *Contra istos mirabiliarios cautum me fecit Deus meus, dicens: In novissimis diebus exurgent Pseudo-Prophetæ, facientes signa, & portenta, ut in errorem inducant, si fieri potest, etiam electos.* Miles, qui castra deseruit, rudioribus agricolis terrorem potest inducere; qui verò agere fidentiùs volunt, observant diligenter, num castra & socios miles ille sequatur, num militari ille privilegio fruatur adhuc. Si enim a reliquo militum corpore avulsus, nihil sibi de sociis promittere possit, minas in cassum intorquet. Eamdem comparationem in medium adducit alibi etiam S. Augustinus (z), cùm Magorum, & Sanctorum miracula ex fine ab utrisque intento, & patrandorum miraculorum authoritate distinguit. Magi enim gloriam sibi, Sancti verò Deo tantummodò procurant; illi certâ quadam angustiis limitibus præscriptâ virtute utuntur, Sanctis verò publica collata facultas ex Cæli terræque Domino derivata conceditur.

y *In Joann. tract. 13.*

z *Lib. 83, qq. q. 79, art. 4, Item. serm. 90, & Chrysost. in Matth. VII, 22 & alios PP. in eundem locum.*

Latiùs hucusque de veris, falsisque prodigiis deducta in summam redigentes, asserimus, I, Patrandorum miraculorum authoritatem penès Deum unicè manere; quippè qui contra præscriptas, atque vulgares naturæ regulas manum suam, qua cuncta dirigit, pro arbitrio retrahere unus potest. II, Hominibus, Angelis, malisque spiritibus idem aliquando permittit, Deo ita disponente, ut creaturis suis justitiæ ac misericordiæ suæ ministris utatur. III, Spiritus a corpore liberos, in corpore naturaliter agere posse. IV, Prodigia illa de Magis Pharaonis relata, mera Dæmonis præstigia reputanda. V, Veris miraculis authoritatem externam conciliari tum a populo, tum a doctrinâ, moribusque illius cui referuntur acceptâ, ac tandem ab Ecclesiæ approbantis authoritate.

DISSERTATIO
De Transfretatione Erythræi Per Hebræos.

INter ea quæ in Sacris Scripturis referuntur prodigia, plura sunt, quorum magnum adeò ad Religionem momentum est, ut illis à licentiosorum cavillis, falsis imperitorum hypothesibus, vanisque ratiocinationibus incredulorum liberandis, nunquam satis laboraretur. In horum planè censum transitus maris Rubri habendus est, cujus Scriptores Sacri memoriam non semel Hebræis refricandam censuerunt; quippè quòd pro veritate Religionis, atque potentiæ Numinis monumentum esset inconcussum. Nullum sanè lapidem non movit Spiritus mendacii, ut omni ætate tenebras apertissimæ luci offunderet; sivè insinuans, ut miraculi vis ad naturæ leges reducta, ab impiis eluderetur; sivè fabellis aliquibus anilibus veritati admixtis, eò superstitiosi quidam adducerentur, ut specie Religionis prodigii authoritatem & veritatem imminuerent. Utrique planè veritati opponuntur; quæ scilicet veritas ingenuo nitore contenta a fucis omnibus abhorret, tenebrasque depellit. Nos igitur nudam prodigii veritatem aperiemus, dicta in adversum omnia simul refutare conati.

Transfretati Erythræi memoria non apud Hebræos, Sacrosque eorum Libros tantùm, sed apud profanos quoque, ipsosque Populi adversarios mansit. Diodorus Siculus (a) de Ichtyophagis circa extremam occidentalemque oram Maris Rubri incolentibus, refert receptum apud illos ferri, pelagum immodici cujusdam æstûs impetu in duas partes discissum, imum fundum arentem herbisque vestitum exhibuisse, refluentes tandem aquas hiatum æquasse; quæ scilicet aliud, quàm in Hebræorum transitu, prodigium, spectare vix credimus. Sacerdotum Heliopolis in Ægypto eà de re traditio ad Mosaicam narrationem prorsùs accedit [b]. Moyses, ait Trogus, pulsus ex Ægypto Hebræis Ducem se præbens, ejus Regionis Idola una secum abstulit; *quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt* [c]; quin potius improviso maris refluxu omnes unà cum Rege oppresso, ex S. Historiæ testimonio discimus.

a *Bibl. III, c. 3.*
b *Artapan. apud Eus. Prap. l. 4, c. 27.*
c *Just. l. 36.*

Inter eos, qui de prodigii hujus fide minùs aliquantò meriti sunt, Josephus haberi inter primos potest; postquam enim divisum pelagum vix elatâ Moysis virgâ, simulque incolumem trajecisse populum, duce itineris Moyse, periisse verò recurrentibus aquis Ægyptios narravit; addit deinde (d): *Hæc ego, ut in Sacris codicibus inveni, ita singula conscripsi. Nemo autem mirari debet tanquam incredibilia, si priscis hominibus, salute periclitantibus, via per mare patuit, sivè Dei voluntate, sivè naturæ sponte; quandoquidem heri, & nudiustertius, Alexandri ductu, Macedonibus Pamphilium mare cessit, id quod omnes testantur, qui res gestas illius Regis scripto prodiderunt.* Hactenus Josephus, qui ad eam de transitu Erythræi historiam perinde esse censuit, sive quis Divinæ Providentiæ consilio, sivè naturæ sponte contigisse crediderit. Hoc autem in Historico, veritati, & religioni unicè studente, indignissimum esse quis neget?

d *Antiq. l. 2, c. ult.*

Quæ verò ille de transitu Alexandri per mare Pamphylium narrat, aliter prorsùs contigisse ex Strabone intelligimus (e). Narrat enim Regem illum Pamphyliæ oras intempestivo tempore tenentem, cùm arduum per montes transitum offendisset, secundùm regionis latera, captatâ æstûs maris opportunitate, exercitum deduxisse; quamquam, inquit, milites per aquam ad pectus usque iter habere integrâ die cogerentur. Eamdem rem paulò aliter apud Arrianum relatam legimus (f). Cùm, inquit, Alexander e Phaselide movisset; partem exercitûs per montes ad Urbem Pergen penetrare, breviori quidem, sed difficillimo itinere jussit; reliquam verò copiarum partem ipse secundùm litus ducere per viam, si quando auster flaret, imperviam constituit. Illud autem commodi accidit, quòd, averso vento insperatò quiescente, secundior alter succederet, non sine Numinum consilio, facile iter Macedonibus parantium.

e *Strab. l. 14.*
f *Expedit. Alexand. l. 1.*

Porrò longè aliud est, partem exercitûs, qui planè universus 35000 virorum non excederet, secundùm maris litus, captatâ fluentis pelagi, flaminis secundi, fluctuum & aquarum refluentium impetum remorantis opportunitate, per viam planè pacatam plenâ die deducere, quod ab Alexandro factum legimus; aliud autem per dissectum pelagi sinum coram ipsis hostibus a tergo instantibus, noctisque terrorem augentibus ultra 1000000 hominum traducere, quibus & impedimenta universi populi aliò migrantis cum familiâ universâ & gregibus, adjicienda sunt; quod de Moyse in Sacrâ Historiâ refertur.

Inter Veteres nonnulli apud Gregorium Turonensem (g), S. Thomas (h), To-

g *Hist. l. 1, c. 10.*
h *In 1 ad Corinth. cap. 1.*

flatus (*i*), Paulus Burgensis (*k*), Genebrardus (*l*), Grotius [*m*], Vatablus (*n*), Abenezra, aliique ex Rabbinis apud Fagium, in eâ fuerunt opinione, Hebræos non quidem in adversam maris ripam evasisse; sed descripto veluti in alveo femicirculo, ad superiora ejusdem litoris contendisse. Prodigium illi quidem non negant, nec in aliam a communi sententiâ deduci se passi sunt, nisi difficultatibus evitandis, quas vulgari opinioni plures apponunt.

Primò enim notant, Hebræos vix pelago egressos Deserta Etham, unde præcedenti die moverant, excepisse; iis verò tridui itinere transgressis, Maram venerunt (*o*). Porrò Desertum illud secundùm latus occidentale Erythræi protensum nunquam decurrere potuissent Hebræi, nisi citrà Erythræum se continentes, ad superiora tantùm ejusdem litoris contendissent.

Verùm urbis Etham certo situ designato, difficultas tota dissolvitur. Eam igitur Urbem, [*Buthum* ipse appellat, quemadmodum & Septuaginta *Buthan*] Herodotus in Asiâ (*p*) constituit, ad locum scilicet ubi montes Arabiæ facto divortio vastam ad latera Ægypti planitiem mediam excipiunt. Fuit proinde Etham urbs Arabiæ ad extremam maris Rubri oram, viæ inter Ramessem & Sinai adjacens. Eò Moyses cùm venisset, nihil sibi a Pharaone imminere prævidens, iter suum prosequi cogitabat, cùm subitò viam relegere *Phihahiroth* contendere a Deo jussus est. Ibi transfretato cum exercitu Erythræo, in desertum Arabiæ, quod 7, vel 8 leucis infra Etham jacens repetebat ex Urbe nomen, evasit. Nec sane novum videri debet, si in regione desertâ, ubi Urbes raræ, loca inculta & squallentia, nomina ex Urbibus ibidem sitis derivarentur. Quarè Israëlitas litus tantùm rasisse, seque in latere occidentali Erythræi continuisse fateri non cogimur, cum Desertum Etham secundum orientalem plagam potiùs quàm occidentalem protenderetur. Quia, quòd e Phihahiroth, sive Beelsephon ad Sinai, transfretato Erythræo, via ultra 20 leucas expeditior erat, quam si per extremam freti oram exercitus circumduceretur.

Addunt insuper ad eam, quam oppugnamus, sententiam asserendam, Israëlitas ex alveo reductos cadaveribus a fluctibus rejectis disseminatum litus spectasse; quòd nonnisi in latere Ægypto proximo stantibus pronum fuisset, fluctibus semper ad propinquum litus cadavera rejicientibus. Sed utri propinquiores litori demersi fuerint Ægyptii quis facilè divinaverit? At, inquiunt, in caput Ægyptiorum recentes aquæ, atque inter ipsos & Israëlitas iter intercludentes, suo delatæ cursu in adversam ab Israëlitis ripam (si Israëlitæ mare fuissent transgressi) cadavera protrusissent.

Verùm hanc illorum objectionem Moyses antea occupavit, prodens (*q*): *Cùmque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ.* Ruentibus igitur super Ægyptios aquis, atque e latere Ægyptum versùs primùm refluere incipientibus, demersa virorum cadavera ante ipsos Hebræos projicienda potiùs, quàm in adversum ipsis litus excutienda fuerant.

Hæc igitur sententia, quæ Erythræum transfretasse Hebræos negat, nullo satis firmo innixa fundamento, ideo potissimùm obtinuit, quòd desertum Etham ad occidentem ejusdem freti malè constitueretur. Cæterum vetustissimis Hebræorum Josepho, Philoni, aliisque, quemadmodum & omnibus veteribus Ecclesiæ Patribus, non alia sedit opinio, quam quæ Hebræos per medium fretum in adversum litus deducit.

Iidem Rabbini, quibus Patrum nonnulli, uti Origenes, Eusebius, & S. Epiphanius (*r*) suffragantur & Recentiores quidam, ut Tostatus, & Genebrardus [*s*] non dissentiunt, duodecim in mari vias pro numero Tribuum patuisse ex illo Psalmi conjiciunt: *Qui divisit mare rubrum in divisiones* (*t*). Verùm hæc commodè de bifidâ aquarum divisione explicantur, quemadmodum & S. Hieronymo, Theodoreto, Euthymio ac plerisque Recentiorum visum est (*u*). Porrò hi omnes Patres atque Interpretes hanc in duodecim vias Rabbinicam divisionem appellant. Abrahamo divisas victimas altari imposuerat, cùm subitò ignis, de Cœlo lapsus, *transiit inter divisiones illas* [*x*]. Quid inde; an ne plures inter eas victimas divisiones statuimus? His omnibus silentium Moysis addidisse juvat, qui sanè hanc circumstantiam posteritati commendasset.

R. Samuel de Maro (*y*) in eâ fuit opinione, aquas scilicet transeuntibus Hebræis substratas solidum obsequium præbuisse, in quam rem Pseudo Tertullianus consentiens cecinit:
Calcavit fluctus, hostes demersit in undis.
Sed hæc narrationi Mosaicæ planè opposita feriam nullam refutationem merentur.

Fatemur quidem Judith V, 12, nescio quid de aquis in murum utrimque solidatis legi: *Ita ut aquæ hinc inde quasi murus solidarentur.* Quod cum Versione Septuaginta (*z*) consentit ad Exodi xv, 8: *Divisa est aqua, compactæ sunt tanquam murus aquæ*; sive, juxta antiquam interpretationem: *Coagulatæ sunt undæ in medio mari.*

i In Exod. xiv, quæst. 19.
k In Exod. xiv.
l In Chron. ad an. 2239.
m In Exod. xv, 19.
n In Exod. xiv.
o Num. xxxiii, 8. *Transierunt per medium mare in solitudinem, & ambulaverunt tribus diebus per desertum Etham.*
p lib. 2, c. 75.
q Exod. xiv, 27.
r Orig. hom. 5, in Exod. Euseb. in Psal. 135. Epiphan. hær. 64.
s Tost. in Exod. Geneb. in Ps. 135.
t Ps. cxxxv, 13.
u Hier. in Ose. xi, 12. Theod. in Exod. q. 2, & in Ps. cxxxv, Euthym in eundem.
x Gen. xv, 10.
y Lib. de adven. Messiæ. c. 15.
z Διέστη τὸ ὕδωρ. ἐπάγη ὡσεὶ τεῖχος τὰ ὕδατα. ἐπάγη καὶ τὰ κύματα ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης.

mari. Chaldæus [a] legit: *In verbo oris tui sapienter congregatæ sunt aquæ; steterunt fluentes sicuti murus, coagulatæ sunt abyssi in corde maris.* Textus Originalis ad literam reddi potest: *Coacervatæ sunt aquæ, steterunt sicut acervi fluenta, condensatæ*, seu coagulatæ, *sunt* [b] *abyssi in corde maris.*

Erunt, qui eas phrases figurato & poetico sensu usurpatas contendant, ut re quidem nil significent aliud, quàm quòd aquæ utrinque veluti glacie concretæ substiterint: sed nihil obstat quominus ad literam sumantur; constat enim voces illas Hebræas pro lacte coagulato (c), & aquâ glacie concretâ usurpari consuevisse [d]. Quare doctissimi interpretes (e) substitisse aquas, in glaciem concretas, ad utrumque Hebræorum pertranseuntium latus arbitrati sunt, quorum sanè opinio plurimum ab alterâ de itinere Hebræorum super solidas substratasque pelagi undas discrepat. Sacerdotes Mempheos, referente Artapano (f), in transitu Hebræorum per Erythræum prodigium intercessisse negabant; quanquam, ajebant, rudi & imperito populo prodigio simile videretur pelagus pedestre iter habentibus pervius. Moyses itaque, dicebant, cùm diutinâ ejusdem maris observatione certum fluentium, & refluentium aquarum articulum, & naturam explorasset, captatâ recedentium aquarum opportunitate, vadum transeuntibus ita monstravit, ut deinde eandem viam tentantes Ægyptios aquæ refluentes demergerent.

Hæc Sacerdotum Ægyptiorum commenta vehementer quibusdam arriserunt, quibus omnis prodigiorum authoritas, utpote omni vulgari credulitate superioribus, gravissimè accidit. Sæpe illi quidem ejus sententiæ patrocinium resumentes, quæ pro illâ afferuntur rationum monumenta validiùs inculcarunt. Nostrâ etiam ætate non desunt, qui de prodigio quidem dubii, maturiùs rem totam examinari postulant; quò tandem appareat, inquiunt, an Divino prodigio, vel tantùm solerti in observando maris æstu Moysis providentiæ tota ea res tribuatur.

D. Clericus, qui de hoc argumento disseruit (g), utramque sententiam, uti credimus, conciliaturus, eorum nempè, qui æstum a Moyse observatum, & eorum, qui prodigio Divino rem totam adscribunt, verum quidem prodigium eâ occasione factum agnoscit. Sed quale illud? Deum scilicet opportunum subitumque ventum excitasse, qui & æstum augeret, & imum maris fundum latiùs recluderet, simulque aquas, ne diffluerent, diutiùs contineret. Eo vento flante, facilis Hebræis in adversum litus trajectio parata est, quibus tamen in extremo maris Rubri angulo versantibus, brevior erat per fretum via decurrenda.

Verùm si Textum Mosaicum paulò diligentiùs consideremus, atque cætera Scripturæ loca ejusdem argumenti conferantur, simulque systema illud de trajectione Erythræi, fluentium aquarum opportunitate captatâ, spectetur; facilè inde intelligemus, insigne in eâ trajectione, si usquam alibi, prodigium contigisse, cujus veritati tota de æstu maris hypothesis apertissimè repugnat.

Vix in conspectum maris venerunt Hebræi, obsideri se hinc Pharaonis castris è regione locatis, inde verò inaccessis montibus saxisque præruptis, ac tandem quem in fronte habebant pelagum animadvertentes, deficere animis, atque omnem de salute spem abjicere cœperunt [h]. Sublato proinde in Ducem murmure, atque Duce ipso ad Dominum confugiente (i), Deus, factâ spe promptæ liberationis, bono esse animo jussit; addens insuper, nunquam exinde commissurum, ut in conspectum populi venirent Egyptii, se enim cum illis pugnaturum, Hebræis interim quiescentibus.

Nec mora; jussu Dei elatâ a Moyse virgâ pelagus in duas partes divisus est (k), stratisque hinc inde aquis, trajicientibus Israëlitis via per alveum patuit: *Erat enim aqua quasi murus a dextrâ eorum & lævâ.* Trajecit itaque populus, ait Moyses, per viam fluctibus, utrumque latus munientibus, septam, quod quidem ab illo semel, atque iterum in historiâ descriptum est, quasi de re magni momenti, olim in controversiam revocandâ, ageretur. In Cantico verò, quod post illud memorabile factum cecinit, rem totam vividiùs depingit (l): *Stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.* Totam igitur Moysis historiam negemus, vel prodigium illud, nulli inter cætera Veteris Testamenti secundum habeamus oportet.

Cæteri Sacri Scriptores, cùm eâ de re agendum esset, nunquam nisi similes phrases usurpant, quemadmodum & in Textu Judith supra observavimus, & in Psalmis non rarò occurrit: *Interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in utre* [m]. Alibi etiam canit, recessisse mare ante conspectum Dei (n); Deum sibi viam in pelago aperuisse, super aquas obambulasse, ne gradientibus vestigia ulla superessent. Nec humiliori stilo utitur Isaias (o): *Ubi est, qui eduxit eos de mari, cum pastoribus gregis sui? Scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum? Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem.* Habacuc eâ de re obstupescens, ita lo-

a נערמו מים נצבו כמו נד נזלים קפאו תהומת בלב ים:

b *Ita* Junius *Piscat. Vatab.*

c *Job.* x, 10.

d *Zach.* xiv, 6.

e *Barrad. Iter Israelit.* xiv *Exod. art.* 4 *Vide* L'Harmonie Analytique de Dom Jean Markanay c. 2.

f *Apud Euf. prep. l.* 4, *cap.* 17.

g *In dissert. de traject. maris Idumæi.*

h *Exod.* xiv, 10, 11.

i *V.* 15. *Quid clamas ad me?*

k *Exod.* xiv, 16. *Eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud. Vide & V.* 21, & 29.

l *Exod.* xv, 8.

m *Psal.* LXXVII.

n *Psal.* CXIII, 3, 5: *Mare vidit & fugit, &c.*

o *Isai.* LXIII, 11.

Digitized by Google

loquitur [p]: *Nunquid in fluminibus iratus est Domine, vel in mari indignatio tua?.... Viderunt te & doluerunt montes, gurges aquarum transiit, dedit abyssus vocem suam ..... viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum.* Hæcne, rogo, ideam ingerunt æstus observati, atque captatæ fluentium aquarum occasionis? At enim poetica sunt hæc, & per exaggerationem dicta. Esto; vera sunt tamen, nec nisi exprimendæ Mosaicæ narrationi, quæ certè nec poetica est, nec mendicatis phrasibus expressa, conducunt. Porrò hac Moysis narratione nihil planius, nihil magis cohærens, nihil præsefert ad genium viri, populi sui decora efferentis, nihil ad exaggerationem expressum; ut ejus stilus historicum vera prodentem non obscurè demonstret. Quando, rogo, epithetum ullum sivè laudis, sivè vituperationis adjecit unquam? quando augendæ, sivè imminuendæ virorum, sivè rerum, de quibus agit, ideæ aliquid subjicit? Author tandem Libri Sapientiæ contrariam de æstu maris captato sententiam penitus evertit, cùm & in partes subitò recessisse aquas, & utrimque stetisse perhibeat; non enim in æstu maris omnia momento peraguntur. Ait igitur Author (q): *Deduxit illos in viâ mirabili, & transtulit illos per Rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam:* ait insuper: *Ex aquâ, quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari Rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio* [r].

Hæ sanè phrases ubique apud Authores Sacros constantes, cum eorum opinione, qui a trajectione maris Idumæi omne abesse prodigium volunt, prorsùs non quadrant. Apertiora S. Spiritus ipse per se prodit, vim totam prodigii nimis roborat, magisque tandem nostram eâ de re admirationem extorquet, quàm ut quicquam de prodigio suspicemur. Quis enim sibi in animum induxerit unquam, in nostram deceptionem, atque fictum prodigium persuadendum Scripturas omnes ità conspirasse? Si verò prodigium fateamur oportet, quinam fieri potest, ut, levibus innixi conjecturis, ejus gloriam imminuamus? quis Deo plenam ejus rei gloriam, relatione Mosaicâ ad literam acceptâ, inviderit?

Eja verò hanc hypotesim de æstu maris observato contra prodigii veritatem funditùs, si fieri unquam possit, evertamus. Neque in eam rem Erythræi æstum omnem, quemadmodum a nonnullis factum est [s], negabimus; neque cum Diodoro Siculo (t) ejusdem æstûs statam singulis diebus periodum, tertiâ nempè, & nonâ horâ [scilicet nonâ matutinâ horâ, & tertiâ post meridiem in æquinoctio) asseremus. Quæ si vera essent, porrò æstus opportunitatem, cum noctu fretum trajecerit, captare Moyses non potuit. Ulrò igitur fatemur, iisdem, quibus maria cætera Oceano juncta, Erythræum æstibus agitari: quemadmodum & veterum Geographorum, atque Historicorum, tum & recentiorum Itinerantium consensu certum est; quare in examen revocandum superest, an fluentium aquarum opportunitate captâ Moyses exercitum trajecerit.

Intumescere sensim in æstu pelagum, atque litori toto spatio sex horarum minacem imminere neminem arbitror ignorare. Dein per quartam horæ partem quiescit; aversoque deinde cursu & detumescere sensim, & a litore recedere pari horarum spatio vel ipsis oculis cernitur. Huic, quem refluxum appellant, quies per quartam horæ partem succedit; post quietem novus iterum fluxus & refluxus, ut singulis diebus, eodem semper tenore, quanquam non eodem temporis articulo [seriùs semper tribus horæ quadrantibus ac minutis quibusdam] bis aquæ tumescant, detumescantque. Hæc de maris æstu animadvertisse juvat.

Quod ad Erythræi æstum spectat, qui rem sedulò examinarunt, Viri eruditi produnt (u), ejus aquas cùm maximè in æstu refluunt, 250, vel 300 circiter passibus a litore recedere, ita ut imus fundus appareat; atque in extremâ freti orâ Suez versùs, deficiente eâ occasione aquâ, naves in portu subsidunt, & peditibus vadari facilis est tractus, uti a pluribus, qui ea loca petierunt, factum legimus [x]. Cæterùm medius alvei sinus, aquis vel maximè refluentibus, arescit nunquam, ut Julius Scaliger [y] observat. Ex quo, inquit idem Scaliger, vir oppidò neque facilis neque credulus, colligimus sacrarum Literarum adversarios captam a Moyse æstûs occasionem in trajectione ejusdem freti per summam prorsus impudentiam asseruisse.

At enim Moyses, ubi in angustum fretum agitur, ad portum Suex, transfretare potuit, ejus enim oræ alveus commodi amnis latitudinem non excedit [z]. Diodorus Siculus [a] ad 17 stadia prorogat; Petrus della Valle (b) tantam esse inter duo litora intercapedinem asserit, quanta inter pilas Neapolitani portûs & Pausilipum; Bellonio verò non amplior alveus, quàm Sequanæ inter Harfleur, & Honfleur fluentis [c]. Eja igitur, num captatâ æstus occasione hunc freti tractum transvadare exercitus Israëlitarum unius noctis spatio potuerit, examinemus.

Ne quid autem pro contrariâ sententia dissimulasse videamur, adnotare operæ pretium

p Habacuc III, 8.
q Sapient. X, 17, 18.
r Sap. XIX, 5.
s Genebr. Chronic. ad an. 2239.
t Diod. l. 4, c. 3, init.
u Bernier lettre a M. de Chaumont Eveque d'Acqs; & Moriz. Voyage du Mont Sinai l. 1, c 4.
x Thevenot Voyage du Levant ch. 25, pag. 311. *testatur sicco pede se extremam illam maris oram trajecisse.*
y *Apud Drus. in Exod.* XX, 4.
z *Vide Strab. l.* 16.
a *Diod. l.* 3, *c.* 3.
b *Epist.* 11.
c *Bellon. Obser. l.* 2, 58.

pretium fuerit, Hebræis iter suum circa vernum æquinoctium instituentibus, atque post triduum mare transvadantibus, æstum maris eâ tempestate maximum facilè contigisse. Neque prætereundum, ex Ægypto die decimaquintâ mensis primi egressis, facilè nocturnum iter, lunâ micante, in medio freti alveo paruisse; si tamen menses eo tempore ad lunæ normam dirigebantur. Quanquam, si Moysi fides, columnâ lucis iter habentibus præeunte, frustra lunæ jubar exquiratur.

Pro universa freti hujus latitudine, quà maximè alveus cogitur, 300 tantummodo passus assignemus; neque tamen brevem hunc tractum transvadare exercitum potuisse credimus eo temporis spatio, quod inter fluentes, refluentesque undas intercedit. Neque hic mihi iterum commemorandum censeo, quantùm adversariorum illud de æstu maris systema relationi Mosaicæ, ipsique planè rationi repugnet, quæ quidem meliùs infra examinanda recurrent. Animadvertendum potiùs diligenter, totum hunc 300 passuum tractum, quem in æstu maris pervium iter habentibus concessimus, vix per quartam horæ partem vadum exhibere potuisse: sex enim subsequentibus horis fensim aquæ ad litus succedunt. Porrò cùm primò aquæ recesserint, in udâ arenâ iter habere arduum est, tunc maximè cùm arena subsidens gressum fallit, quod de alveo Erythræi, quà in extremâ orâ in arctum cogitur, Diodorus Siculus asseruisse videtur. Quare 200, vel si quis maluerit 150 passibus in maximo aquarum recessu perviis 6, vel 8 horarum spatio assignatis, nullum credo angustiorem tractum jure quis a nobis exegerit, ut certum & rotundum calculum, augmentationibus omnibus, & immutationibus detractis, quæ in eâ supputatione occurrunt frequentes, habeamus.

His ita constitutis, turba, ut minimùm, 1000000, & facilè etiam 2000000 hominum, adjectis impedimentis, gregibus, totâque gentis, aliò migrantis, supellectili, divitias omnes Ægypti juxta Scripturæ phrasim asportantis; turba, inquam, hominum immensa, quinam fieri potuisse credimus, ut sex horarum spatio alveum 200 passibus, ut minimùm, patentem transvadarit? Neque si tractus ille mediâ sui longitudine contraheretur, ac tempus, quo totum iter confici deberet, duplo prorogaretur, facilè tanta hominum multitudo traduceretur.

Quò verò de Israelitarum numero justam concipiamus ideam, illud animadvertisse operæ pretium duximus, in censu populi post exactum a trajectione Erythræi annum ad 603550 militum capita censa fuisse (*d*); quibus omnibus adjiciendi sunt 22000 Levitarum unius mensis ætate majorum (*e*), fœminæ omnes, pueri, senes grandævi, mancipia, & calonum immensa turba, tum & Ægyptii cum Hebræis egressi (*f*). Constat autem, ipsâ docente experientiâ, singulis virorum chiliadibus supra vigesimum ætatis annum [quæ hominum ætas ferendis armis idonea habebatur (*g*)] fœminarum, puerorum, & senum duplo majorem turbam respondere; ex quo, calculo exactè deducto, 600000 viri ad arma idonei, 1200000 imbellium turbam inferebant; quin & auctior multò is numerus reddebatur, tum ex polygamiâ, & connubiis, a quibus apud Hebræos nemo abstinebat, cùm ex Levitis, alienigenis, & mancipiis; ut facilè quisque per se initâ ratione intelligere possit, an nos 2000000 virorum recensentes, exaggeratione aliquâ usi, populi numerum plus nimiò provexerimus. Animum modò quis advertat, quàm latum agri tractum exercitus 20000, vel 50000, seu 100000 virorum occupet, eamque deinde ideam ad exercitum vigesies majorem transferat; suum quin etiam locum gregibus, carris, & impedimentis assignet; tantum reputet festinationis, tumultûs, & horroris, quantum subitus & inopinatus casus periculoso, & assueto servituti populo ingesserat: tum demum sierine unquam potuerit recogitet, ut instabilis & arenosi soli 200 circiter passus tanta populi turba 6, vel 8 horarum spatio tranaverit.

d Num. I, 46.
e Num. III, 39.
f Exod. XII, 38.
g Exod. XXX, 14.

Hæc planè omnia contra opinionem de captâ æstûs maris occasione fusiùs deducta, iis etiam repugnant, qui non transfretasse quidem Moysem putant, sed litus tantummodò rasisse, ut ex inferiori loco ad superiora ejusdem plagæ contenderet. Porrò tantum spatii eâ temporis periodo, quæ inter fluentes refluentesque undas intercedit, confecisse populum crediderit nemo. Quare frustra ad rei fidem adstruendam æstus maris adducitur.

Quod autem penitus systema evertit, illud est, nimirum maris Erythræi æstum notiorem Israelitis, & Ægyptiis fuisse, quam ut transitus, eâ occasione captatâ a Moyse prodigii loco a Judæis haberi potuisset. Neque Ægyptii commisissent unquam, ut in alveum sese insinuantes, refluentibus aquis opprimendos se traderent. Poterant autem, cùm primùm refluentes easdem aquas animadvertissent (facilè enim aquarum motus prope litus deprehenditur) ab imminenti periculo se subducere. Quid, quòd juxta hanc hypotesim, Hebræis noctis silentio alveum subeuntibus, cùm scilicet aquæ recessissent, Ægyptii adversariis insi-

insistentes, nonnisi subeunte mane, aquis fermè reductis, in viam dare se debuissent? Quis, rogo, crediderit unquam, sive Egypti Regem, sive alium quempiam ex Ducibus, vel militibus ad maris regionem suam abluentis æstum nunquam animum advertisse? Esto autem ignoraverint, cùm tamen absorptam jam exercitûs partem animadvertissent, quid cæteri morabantur, neque cautâ secessione saluti suæ consulebant?

Ad hæc, transfretandi Isdraelitis consilium pro datâ subitò occasione, non præmeditato animo, acceptum fuit. Moyses enim exercitum ex Gessen ad montem Sinai deducturus, per litus ad extremam oram Maris Rubri, & ad eum fermè montem deducens, viam planè tritam, iter facere statuerat. Hanc ipse viam tenuerat, cum ex Ægypto recessisset; hanc Aaron decurrit, cùm regredienti fratri obviam ad montem Domini venit. Eo consilio ad Etham usque, urbem in finibus Arabiæ, processerat; neque in animum inducere unquam poterat, Ægyptios, quibus urgentibus ad secessionem compulsi fuerant Israelitæ, & plura Hebræorum occasione mala subierant, recedentes illos reductum venturos. Deus tamen, cui consilia Pharaonis omnia exploratissima fuerant, flectere subitò iter ad meridiem jussit, atque secundùm maris litus Beelsephon, & Phihahirot versùs procederent, ne indicatâ quidem viæ mutandæ ratione, præcepit. Vix autem Beelsephon venerunt, in locum nempè montibus ad latera, & Mari in fronte clausum, neque regrediendi uspiam, neque procedendi potestatem ullam sibi reliquam esse senserunt.

Quod verò Hebræis maximè fuerat eâ occasione timendum, id illis inopinatò contigit, populo nempè in angustiis clauso Pharaonem cum exercitu superventurum. Eo vix conspecto, subitus Israelitarum animos terror invasit (*h*). Pharao datam sibi occasionem & delendi populi, & relatis ex eo spoliis Ægyptios ditandi secum tacitus reputabat [*i*]. Quis porro crediderit, in eas angustias populum consultò sese immisisse? Quis ducem ipsorum eò deduxisse exercitum sibi persuaserit, spontè nullâque inductum necessitate; eò, inquam, deduxisse, unde, nisi transvadato mari, evadere unquam potuisset? Si Pharao in turbatum subitò populum copias immisisset, quid tota Moysis solertia valuisset, quid ejus consilia, captatæ scilicet æstûs maris traducendo populo opportunitatis, valuissent? Nec sanè spondere sibi quispiam potuisset futurum, ut Ægyptii ab armis se se eâ sibi datâ occasione continuissent. Quid? Sub ipsum ne ineuntis noctis momentum, ut suo nempè consilio faverent, recessuras aquas Moyses spondere potuit, Ægyptios verò tempus permissuros, sivè ut noctis favore castra moverent Hebræi, sivè ut impunè recederent, absque eo quòd abeuntibus graves instarent? Si enim aliter res contigisset, in quas, rogo, angustias incauta Moysis consilia populum redegissent? Si audacter a Moyse factum id, & nonnisi cogente necessitate, contendamus, cui prosper eventus fortuito casu responderit; qua demum ille fronte sibi de totius rei successu spondere, atque populo suam eâ de re fidem vadari ausus esset (*k*)? Pollicitus est enim Deum populo suo in Ægyptios suppetias laturum, decertaturum pro illis præscutissimis miraculis, quin & adjecit mox Ægyptios omnes ex eorum oculis in perpetuum fore subducendos. Porro quicumque historicum aliquod systema invehere, atque Sacrorum Scriptorum narrationem carpere audent, id saltem committere debent, ut juxta prudentiæ regulas egisse hominem solertissimum, atque gubernandi arte instructissimum demonstrent.

h Exod. xiv, 10.
i Exod. xv, 9 & xiv, 3.
k Exod. xiv, 13, 14.

Neque hic demonstrare immoror, eam, quam huc usque refutavi opinionem, cum totâ Moysis narratione pugnare. Vix enim crediderim futurum, ut ejus assertores sivè Mosaycæ narrationi, sive Veterum fidei eâ in re deferre aliquid velint. Illi planè Mosaico præcepto, atque prodigiosæ virgæ nutui morigeras aquas, facto statim inter se divortio, patentem in alveo viam populo reliquisse negabunt. Sed in animum induxisse quis poterit, ingenuum hominem, & planè non rudem, qualem fuisse Moysem novimus, fabellam populo, veritatem non ignoranti, persuadere voluisse? An ne oculatis rei testibus prodigium Divinum eâ occasione obtrudere potuisset unquam, vel ausus fuisset? Et si autem maris æstum ignorasse populum dixerimus, nonne postea secundùm litus iter habentes, & rem totam poterant deprehendere, & Moysem malæ fidei hominem arguere; quippè qui naturalem eventum veluti prodigium ingerere voluisset? Quomodo etiam 2000000 virorum in animum induxissent unquam, recedentium aquarum pigrum lentumque motum & subitò & promptè jussu ac precibus viri contigisse? Hæc sanè ex eo systemate spontè deducta absurda, qui seriò defendere aggrediatur, neminem fore arbitror.

Post refutatas eas opiniones, quas relationi Mosaicæ contrarias censuimus, modò ad explicationem obviam, & literalem textus Mosaici animum adjicere, atque Hebræos post mora a Ramesse castra usque ad locum transfretationis deducere optimum factu credimus.

Gessen, populo sedes, regio erat inferioris Ægypti Bersabee inter & Thanim,

uti

uti ex itinere Jacob colligimus, qui Bersabee Urbe Palæstinæ relictâ in regionem Gessen venit, unde adventus sui nuntios ad Josephum, facilè Tani inferioris Ægypti Metropoli, commorantem misit. Regi Ægypti parebat, cujus assensu Jacob, ejusque familiæ pro collatis a Josepho in Regnum officiis, sedes assignata est. Nomen *Gessen*, quod pluviam sonat, facilè regioni collatum est, quòd a Mediterraneo non longè abesset; hæc enim loca pluviis interdum irrigantur; cùm meridionaliores cæteræ Ægypti Urbes nunquam imbribus madeant. Apud Septuaginta eo nomine regio quædam Arabica censetur.

Ramesses Urbs est Israelitatum laboribus sivè condita, vel saltem novis accessionibus aucta [l]: eò autem omnes Hebræorum copiæ ante secessionem ex Ægypto reductæ sunt. Porrò Urbs illa cæteris facilè Urbibus regionis Gessen meridionalior fuerat, quanquam certus ejus situs, silentibus omnibus vetustis monumentis, ignoretur. Non longè tamen a Nilo constitutam, cui præcipuæ ejusdem Regionis Urbes omnes proximè accedebant, facilè credimus. Bidui igitur itinere illam ab Erythræo removemus.

l Exod. I, 11.

E Ramesse moventes Hebræi, regiâ viâ ex Ægypto inferiori ad Sinai deducente in *Socoth* venerunt. Porrò nomen illud *Socoth* Hebraicè sonat *tentoria*; quare non longè constitutum locum censemus ab urbe *Scenæ Veteranorum* apud Geographos.

Socoth relictâ, Etham ascenderunt *in extremis finibus solitudinis* (m) in extremâ scilicet orâ deserti, Arabiam Petræam, & Ægyptum interjacentis, quam sanè vastissimam esse solitudinem Geographi omnes conveniunt. Hanc Urbem ipsissimam esse *Buthum* Herodoti (n) nullus dubito; ejus autem situm idem Historicus oculatus testis descripsit, quippè qui exuviis alatorum anguium inspiciendis eò se contulerat. Septuaginta *Buthan* appellare consueverunt. Nos de illâ supra. Vicus est ad latus Arabiæ apud Diodorum Siculum, Antea nomine, facilè cum Etham confundendus. Ibi autem castra habentibus Israelitis, Moyses iter relegere, atque Phibahirot tendere a Deo jussus est (o). Id verò eo consilio præceperat Deus, quòd Pharaonem, ejusque clientes utile sibi Israelitatum contubernium sentientes, concessæ illis abeundi veniæ pœnituerat; quare recedentes persequi viribus omnibus constituerant. Nihil tamen eâ de re Deus Moysi prodidit, cùm fidei ipsius & Israelitarum omnium, sicut & obedientiæ specimen exhiberi sibi constituisset.

m Exod. XIII, 20 בקצה המדבר

n Herod. l. 2, cap. 75.

o Exod. XIV, 2: *Reversi, castrametentur è regione Phibahirot.*

Ventum est igitur Phibahirot, *quæ est inter Magdalum, & Mare contra Beelsephon*. Castra tamen eo loci non Israelitas quidem, sed Pharaonem habuisse legimus [p]: *Currus Pharaonis, & omnis exercitus erant in Phihahirot, contra Beelsephon.* Alium Israelitæ locum tenebant ad Beelsephon, contra Hirot, e regione Magdoli, sivè Magdali, quemadmodum ex illo intelligimus (q): *Ex Etham egressi venerunt contra Phihahirot, quæ respicit Beelsephon, & castrametati sunt Magdalum; profectique de Phihahirot transierunt per medium mare.* Quare Pharaonis castra ad Hirot, Israelitarum verò ad Beelsephon constituimus; quemadmodum & Migdol ad Septemtrionem Hirot & Beelsephon collocamus; ut proinde Urbs Beelsephon hinc haberet mare ad orientem, Hirot ad accidentalem plagam, & Magdalum ad septemtrionalem. Quibus ita constitutis, unius tantum ex istis locis certus situs quærendus est, ut aliorum colligamus.

p Exod. XIV, 9.

q Num. XXXIII, 7, 8.

Phihahirot, sivè tantùm *Hirot*, ut in Libro Numerorum, & apud Eusebium, & S. Hieronymum appellatur, situm habet variis diversorum conjecturis incertum. In Commentario nostro sententiam quorundam adduximus, qui confundendam censent cum urbe Heroum, ad extremam oram sinûs Arabici, apud veteres Geographos notissimâ; quemadmodum & aliorum sententiam laudavimus, qui ipsissimam credunt cum *Phagrortopoli*, Metropoli regionis ejusdem nominis, & in eâdem, ac superior urbs, plagâ sita (r). Septuaginta vertunt: (s) *Et castrametati sunt ad os vici*; Syriacus: *Ad ostia fossæ*; alii *Ad ostia faucium*. Hanc versionem confirmant verba Pharaonis (t): *Coarctati sunt in terrâ, conclusit eos desertum*. Arabs vertit: *Porta Bebelah*, quod facilè de Babylone Ægypti, sivè Magnâ Cairo dictum est; e regione etenim ejus Urbis vasta porrigitur via ad mare Rubrum. Ex pluribus autem Intinerariis constat, ab extremâ maris orâ usque ad eum locum nullam patere viam exercitui deducendo, ut proinde Israelitæ facilè eo loci mare tranasse credendi sint.

r Strab. l. 17.

s Ἀπέναντι τῆς ἐπαύλεως. Facilè legerunt עירית irot *Urbes*, pro חירית hirot *fossa*.

t Exod. XIV, 3.

Magdalum, e cujus Urbis regione posita Judæorum castra memorantur, nomen est loci non longè a Phihahirot. Nomen illud Hebraicè sonat *turris*. Urbs Magdolum, sivè Magdalum in Ægypto celebratissima, sæpius in Sacrâ Scripturâ memoratur; cùm tamen inferioris Ægypti fuisse Urbem constet (u), aliam quæramus Urbem cognominem oportet non longè ab Erythræo, & in extremâ ejusdem maris orâ ad meridiem sitam. In Itinerario Antonini urbs Magdolum 12 milliar. a Pelusio constituitur; sed nihil hæc ad nostram, quæ 7, vel 8 leucis ab Etham ad meridiem ascendentibus occurrere debuerat. Facilè turris erat, juxta ac nominis significatione denotatur, ut proinde nulla Urbis eo loci vestigia supersint. Beelse-

u Vide Jerem. XLIV, 1, 14. Ezec. XXIX, 10.

Digitized by Google

Beelsephon solâ Moysis relatione nota Urbs, nihil habet sivè in Scripturâ, sivè apud Authores profanos, quo de ejus situ quidquam innotescat. Grotius, Rabbinorum fidem sequutus, Idolum in finibus Ægypti tutandæ regionis gratiâ constitutum designari eo nomine censet. Addunt Hebræi eo loci Talismannum, sivè Magicam quandam imaginem consecratam fuisse, canem ex ære conflatum referentem; hujus autem canis latratu, inquiunt, Israelitarum fuga prodita fuit. Sed quæ fides Hebræorum fabellis? Nomen Beelsephon reddi potest, *Deus abditus*, *Deus vigilans*, *Deus Septemtrionis*, *Deus Oraculi*? Porrò *Beel*, & *Baal* nomina sunt æquè Diis omnibus utriusque sexûs communia; & *Zephon*, sivè *Zaphon* omnia illa, quæ jam innuimus, commodè significant. Hinc Pharao nomen Josephn imposuit ex *Zaphonat*, & *Pa-anab* conflatum, sonans virum abdita quæque revelantem [*x*]. Potuit igitur urbi Beelsephnn oraculum ibidem constitutum nomen indidisse.

Plura fuisse in Ægypto Oracula Herodoti relatione discimus (*y*), uti Herculis, Apollinis, Minervæ, Dianæ, Martis, Jovis, ac potissimùm Latonæ. Nomen autem Beelsephon plurimùm ad Persephonem, sivè Proserpinam accedit; quam sanè Deam sub Dianæ nomine ab Ægyptiis cultam, quemadmodnm & sub Isidis nomine Cererem, Herodotus testatur (*z*). Huic Cereri Dianam filiam tribuebant, ut proinde facile hujus Dianæ, sive Persephones oraculo urbs Beelsephon dedicari potuerit. Id quidem nos conjecturæ loco dicimus, maturius rei examen aliis relinquentes. Nec est cur nomen Beel sivè Baal fœminæ tributum, negocium in eâ re facessat; cùm in Paganorum Theologiâ frequentissimè nomen Dei omnibus æquè Numinibus utriusque sexus, ac potissimum Lunæ, & Dianæ tribui consuevisset. Quod ad nomen *Persephones* attinet, alterius est a Græcâ originis; quin & omnia fermè Deorum Græcorum nomina ex Ægypto derivari Herodotus animadvertit (*a*).

Sed quid hæc ad certum urbis Beelsephon situm investigandum? Urbs illa sita est ad Clysma apud Eusebium [*b*]; in versione suâ S. Hieronymus nomen Clysma omittit. Eam vocem in Textu Eusebii redundare autumat Bonfrerius, nec illam planè assecuti sunt Operum S. Hieronymi recentissimi Editores. Cùm tamen recepta apud Antiquos traditio ferat, Hebræos ad Clysma Erythræum transfretasse, certum ejusdem loci situm operæ pretium erit investigare. Eusebius ad Erythræum collocat, ubi verò potissimum, silet; S. Athanasius in Arabiâ (*c*), in plagâ scilicet Erythræi occidentali, quam Veteres non rarò Arabiæ nomine appellant, ut R. P. D. Bernardus Montfaucon ejusdem S. Doctoris mentem scitè interpretatus demonstrat. Rubrum mare ita describit Philostorgius *lib. 3, c. 6: In duos sinus dividitur, quorum unus desinit in Clysma, undè & nomen sortitur. Altera verò pars in urbe Elam. Ad Clysma Israelita sicco pede aquas transiit*. S. Gregorio Turonensi Clysma urbs est ad eundem locum, nempè ad extremam oram sinus Suez (*d*). Cosmas Ægyptius Monachus, cujus Opera non ita pridem edita sunt, transfretasse Hebræos ad Clysma testatur, cujus rei fidem, ait, vestigia curruum & rotarum intra alveum longiùs excurrentia, quæ adhuc manent, apertissimè confirmant; porrò locus iste, addit, euntibus ad Sinai dexter occurrit [*e*]. Exactè ille quidem, sed exactior in designandâ plagâ ejusdem maris ulteriori sive citeriori desideraretur. In Tabulis Peutingeri ad litus occidentale Sinus illius pertinet; sed apud Ptolemæum, Itinerarium Antonini, & optimas Tabulas Geographicas, plagam occidentalem sinûs Arabici inter *Suez* & *Crondel* tenet. Ipsissima esse creditur cum *Colzuma*, ex qua oræ occidentali maris Rubri nomen inditum, quin & mare ipsum hodie *Bahar el Colsum* appellatur (*f*). Junior Thevenot Itinere. p. 2, c. 33, ad extremam oram borealis Erythræi sinus Clysma collocat, addit insuper se quindecim solidis diebus per litus ejus freti iter habentem ad montem Sinai, nunquam tamen ampliorem alvei sinum, quàm 8, vel 9 milliariûm observasse. Monasterium S. Antonii hodie usque ad Clysma visitur. Transfretatunt igitur Hebræi unâ vel dimidiâ leucâ infra extremam Erythræi oram, multò supra Tor ad vadum Crondel, quem locum alii Israelitis mare trajicientibus assignant (*g*).

Porrò visa olim ad Clysma vestigia currnum & rotarum fragmenta Paulus Orosius, Gregorius Turonensis, & Cosmas Monachus supra laudatus testatur. Suâ etiam ætate mansisse rotarum vestigia non in litore tantùm, sed in imo quoque pelagi fundo, quantùm oculus persequi posset, scribit Orosius l. 1, c. 10: Si quis autem, ait, sive curiositate aliquâ, sive aliâ quacunque de causâ arenam turbasset, vestigia tamen illa continuò ventis, fluctibusque reparabantur. Paria certissimorum testium fide, Gregorius Turonensis refert (*h*). Quare etsi fidem superare res illa videatur, post tales tamen tantosque Scriptores ac testes, temerè prorsus rejiceretur. Eam opinionem confirmat quod ex plurium oculatorum testium relatione compertum est [*i*], solum nimirum ejus oræ facilè corporibus quibuscunque crustam lapideam inducere, ut non rari occur-

x *Gen.* XLI, 45.

y *Herod. l.* 2, *cap.* 83.

z *Herodot. l.* 2, *cc.* 56, & 69.

a *Herod. l.* 2, *c.* 50. Σχεδὸν δὲ καὶ πάντα τὰ οὐνόματα τῶν Θεῶν ἐξ Αἰγύπτου ἐλήλυθε ἐς τὴν Ἑλλάδα.

b *Euseb. in locis* Διὰ τῶ Κλύσματος παρὰ τὴν θάλασσαν.

c *Hist. Arian. ad Monach.* t, 1. *pag.* 385.

d *Greg. Tur. l.* 1, *c.* 10, *in hujus stagni seu brachii capite Clysma civitas ædificata est.*

e *Cosm. l.* 5. *pag.* 194 *Vide Præfat. in eund. c.* 5, § 2.

f *Vide Golium in not. ad Alfergan. pag.* 144.

g *Joan. de Barros apud Torniel. an. M.* 2544, *art.* 25.

h *Loc. cit.*

i L'Abbé Rousseau, Morizon, Voyage l. 2, cap. 24.

occurrant arbores, cymbæ, angues, fructus, cadavera in lapidem rigescentia. An fortè idem accidisse contigit rideribus curruum Pharaonis, quæ scilicet in lapidem solidata usque ad quintum, & sextum sæculum rei gestæ monumenta servare potuerint? Sed ad Israëlitas regrediamur.

Vix illi, subeunte vespere, Beelsephon ad Erythræum pervenerant, cùm Pharaonis castra, in conspectu posita ad Hirot, non conspexerunt tantùm, sed etiam in prælium mane alterius diei parata exhorruerunt. Eo aspectu rigere subito horrore Hebræi, mox in murmur, & querelas contra Moysem conversi sunt. Nihil tamen ille his omnibus permotus, fidem suam obstrinxit futurum, ut quantocius a præsentissimo periculo liberarentur, simulque precibus initio tantùm, uti quidem credimus, mentis affectu Deo oblatis, Deum ipsum actutum jubentem audivit, porrigere manum, atque per medium pelagi alveum, divisis utrinque aquis populum traducere. Sub hæc nubes, quæ in fronte exercitûs hucusque iter monstraverat, inter castra Ægyptiorum, & Israëlitarum mediam se collocans, diem Israëlitis, Ægyptiis verò noctem obscuram adeò reddebat, ut ab Hebræorum exercitu Pharao prorsus absterreretur. Tum Moyses elatâ virgâ, factoque aquarum divortio patentem sanè viam inter medium pelagum aperuit. Quò verò iter per illam facilè Hebræis pararetur, validus a Deo immissus ventus imum maris fundum dicto citiùs siccavit. Eâ occasione aquas utrinque veluti in glaciem concrevisse ex pluribus Sacrorum Librorum phrasibus supra significavimus. In libro Sapientiæ legimus [k] *In mari Rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo, per quem omnis natio transivit ...... Tanquam enim equi depaverunt escam, & tanquam agni exultaverunt, magnificantes te Domine.*

k *Sap.* xix, 7. 8.

Fatemur quidem, hæc Sacræ Scripturæ verba ad sensum allegoricum facilè detorqueri potuisse, quasi scilicet illis exultantis ad prodigium populi gaudium explicaretur [l]. Sed nullam Interpretes metaphoram agnoscentes, subitò quidem germinasse Divino prodigio in imo maris fundo herbas defendunt; alii (m) verò, pluribus Authoribus profanis laudatis [n], demonstrant, Erythræi alveum, qua maximè ad litus accedit, herbis, & juncis virescere, unde pelago illi ab Hebræis nomen inditum, *mare Suph*, seu *mare Juncorum*: quin & apud Plinium imus ejus pelagi fundus virentibus arboribus, lauris, olivis fructibus onustis, tribus saltem cubitis proceris consitus est (o). Tandem Interpretum alii (p) volunt lapideam crustam arenæ per eam occasionem inditam fuisse, quò Israëlitarum gressus paterentur:

Sicca peregrinas stupuerunt marmora plantas [q].

Quid? Eò pervenerunt alii, ut stravisse viam Deum crediderint submotis arbustis, dejectis scopulis, atque foveis æquaris. Sed prodigia ne gratis coacerventur; & cùm unum hoc satis admirari homines non possint, quid nova quærantur in Scripturâ prorsus incognita?

l *Ita Hugo Card. Lyr. Dion. Carth. alii plures.*
m *Leonar. Mar. art.* 67.
n *Diodor. l.* 3, *c.* 3.
o *Plin. l.* 13, *cap.* 25.
p *Phil. de vit. Mos. l.* 3.
q *Sedulius.*

Castra deserentes Israëlitas & pelagum subeuntes, nubes consequebatur, ut exercitu transfretante, & illa tandem transfretarit. Interim Ægyptii sub vigiliam matutinam circiter (r), trajecisse Hebræos tunc primò sentientes, & ipsi confestim fugientibus instare, ne animadverso quidem itineris periculo, cœperunt. Vix aliquantò processerant, cùm subito terrore affecti turbare ordines, & se invicem confundere. Tum Deus immissis in illos fulminibus, atque subitis fragoribus intonans horrendum, turbatos antea adeò perculit, ut mutuò se in fugam urgentes verba illa ingeminarent: *Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Hujus fugæ tumultus terrorem auxit, & desperationem, nihilque ad ultimas angustias redactis supererat, quam ut in adversam ripam evaderent. Sed frustra illi; nam resolutæ jam aquæ, opprere primùm viam, litus quò tendebant respicientem; deinde verò super eorum capita recidentes, omnes oppresserunt. Hæc e Scripturâ didicimus, quæ diversam planè ideam ingerunt, ac quam recentiores quidam Critici eâ de re obtrudunt.

r *Nempè sub ortum auroræ, circa quartam horam matutinam.*

DISSERTATIO

De Poesi Veterum Hebræorum.

EA, quæ ad Poësim Librorum Sacrorum pertinet, inexplorata hucusque Scriptoribus, atque impervia fuisse variæ diversorum hac unâ de re opiniones, quin & errores satis ostendunt. Omnium vetustissimi peritissimique Scriptores argumentum illud tractantes, occurrunt Josephus, Origenes, Eusebius, S. Hieronymus, viri oppidò doctissimi, quorum authoritas plerosque ferè subsequentes Scriptores in suam sententiam pertraxit. His ergo viris doctissimis authoribus, Moysis Cantica carmine exarata esse constat, carmine heroico, uti Josephus non rarò testatur [a]. Paria apud Oti-

a *Antiq. l.* 2, *cap. ult. & l.* 4, *cap. ult. & l.* 7, *cap.* 12.

Origenem, & Eusebium legas [b], quibus illud adjiciendum censuit Hieronymus (c), nimirum carminibus iambicis, alcaicis, & saphicis, instar Pindaricorum, & Horatianorum, totum Psalterium digestum esse. Cantica verò, ait, Deuteronomii (d), & Isaiæ, quemadmodum & liber Job & Salomonis, hexametris, pentametrisque versibus instruuntur. Alibi tamen sentit Cantica Deuteronomii (e) iambis tetrametris adornari; quemadmodum & Pss. 118, & 144, trimetris verò constare Psalmos 110, & 111. Saphicis tandem aliisque carminibus trimetris Jeremiæ lamentationes. Tandem ea, quæ de libro Job alibi scripserat, iterum in præfatione ad eumdem librum repetens, sanctè testatur, post illa verba, *Pereat dies in qua natus sum*, omnia hexametris, dactylis & spondæis constantibus, digeri: quamquam interdum, ait, *propter linguæ idioma crebrò recipiant tales pedes, non earumdem syllabarum, sed eorundem temporum. Interdum quoque rythmus ipse dulcis & tinnulus fertur, numeris pedum solutis; quod Metrici magis, quàm simplex Lector intelligunt*. De libro etiam Psalmorum lyricis carminibus concinnato, instar Pindari, Alcæi, Horatii, Catulli, & Sereni, plures testimonium repetit [f].

Sancti Viri eruditionem, quem veluti Ecclesiæ Doctorem venerari par est, meritò quidem omnes suspicimus: fateamur tamen oporter, plures esse Hebraicæ linguæ peritissimos viros, qui neque in Psalmis nostrâ ætate, neque in aliis Hebræorum poëticis scriptis quidquam subodorantur de metris & numeris, quales olim S. Hieronymus sibi comperisse visus est. Quare S. Doctoris studiosissimi viri, ejus in eâ re mentem explicantes, contendunt, non illum quidem vera hexametra & pentametra carmina in libro Job deprehendisse, sed, inquiunt, *similitudinem quandam heroicorum versuum intelligere debes, & sic in cæteris metrorum generibus* (g).

Philo de Essenis agens, servata apud illos tradit veterum Poëtarum sectæ ipsorum carmina, [nempè Authorum Sacrorum poëtica scripta] hæc autem carmina, inquit, variis metris, & numeris costant; alia sunt enim (h) trimetra, in religiosi Templi visitationibus inter eundum canenda. Alia hymnos referunt, ante Aram in ipsis Sacrificiorum, & libationum oblationibus recitanda; alia tandem quietum exigunt, & immotum cantorem; alia choreis, & choris apta.

Scaliger nullam numeri legem in hisce veterum Hebræorum carminibus agnoscit: *Nam*, ait, *ut in Hebraico, Syriaco, Arabico, & Abyssino idiomate ulla metri species concipi possit, nemo efficere potest; quia id natura sermonis non patitur* (i). Addit autem de Psalterio, aliisque: *De Psalterio magis miror, cùm neque in eo, neque in Threnis ullum Canticum sit metricis legibus adstrictum, sed merè soluta oratio charactere poëtico animata*.

Eadem Augustino Eugubino visa sunt: *Carmen Hebraicum*, ait, *non idem est, atque Græcorum, & Latinorum; Hebraicum nulla tempora, sed numerum dumtaxat observat. Itaque neque heroicum carmen apud Hebræos extat, neque jambicum, aliaque genera; sed simile quiddam, quale Barbari diversis ritibus canunt*. Hoc poëseos genus maximè ad naturam accedens, majestatis plus habet, & dignitatis, quàm poësis certis legibus veluti compedibus revincta, vix sensis, Deo hominibus inspiratis, exprimendis apta; dum enim metri legibus servire Poëtæ student, vix fieri potest, quin aliquid de grandioribus sensis ideisque detrahant.

Scaligerum peritissimi Critici secuti sunt, uti Augustinus Eugubinus, Ludovicus Capella, Martinius, Samuel Bohlius, Vasmutth, Pfeifferius &c. Addendus & Grotius (k), addendus, inquam, iis qui Poësim Hebræorum nec rythmicam, nec numeris adstrictam arbitrantur, neque ab eâ recessuros Lectores nostros arbitramur, post lectam Disquisitionem D. Abbatis Fleury & nostram hanc Dissertationem. Est igitur nobis in præsentiâ res cum Authoribus illis, qui in Hebræorum Poësi simile quid cum Græcis, sivè Latinis, aliisque linguis hodie obtinentibus, deprehendisse sibi visi sunt; eamque opinionem non ex aliorum authoritate, sed productis de suo argumentis sustinuerunt. Omittendos autem eos duximus, qui nihil se eâ de re assecutos, vel assequi umquam posse, scripserunt. Referendi tamen quibus novam aliquod in eo systema visum fuit proponendum.

Mercerus in cap. 3 Jobi ex aliorum relatione audivisse se tradit, Franciscum Vatablum veram methodum carminum libri Job, & Psalterii non invenisse tantùm, sed etiam digestis regulis aliis perviam fecisse. Vatabli quidem eruditionem neminem arbitror ignorare; ac Mercerus sperare se dixit futurum tandem, ut eximii illius viri scripta de eodem argumento publicæ expectationi traderentur; sed eâ de re actum est jam, nec spes tantùm Vatabli scripta umquam videndi intercidit; ambigitur quin etiam num Vatablus vel scripserit numquam in idem argumentum, vel saltem absolutum aliquid reliquerit.

Theodorus Herbertus reperisse se tandem blandiebatur in Sacris libris carmina nostris simillima, metris nempè, & cæsuris, nonnullis, quas ipse præscribit, regulis adstricta. Ex his carminibus quædam, ait, occurrunt in Pss. VI, 2; VIII, 5; CV, 20; CVI, 5; CXVI-

7.

b Euseb. Præp. l. 2, cap. 3.
c Præfat. in Chron. Euseb.
d Deut. XXXII.
e Epist. ad Paulam Urbicam.
f Epist. ad Paulin. & l. 9, Comment. in cap. 30. Ezech. Ferrand sur les Pseaumes, Preface ch. XI, p. 95 autumat nec dactylos, nec spondæos in Psalmis deesse, quemadmodum sunt etiam in Homero. Spondæis etiam carminibus constitisse ferunt Epitaphium R. Isaac Alpheli, qui sæculo undecimo florebat. Vide Zemath David p. 134.
g Vide Proleg. in Divin. Bibliot. S. Hieron. nov. edit. art. 5.
h Μέτρα γὰρ καὶ μέλη καταλελοίπασι ποιηταὶ τῶν τριμέτρων, προσοδίων ὕμνων, παρασπονδείων, παραβωμίων, στασίμων, χορικῶν στροφαῖς πολυστρόφοις εὐδιαμεμετρημένων. Philo, de vitâ contemplativâ, ad finem
i Scalig. in Chron. Euseb.
k Grot. in Luc. 1, 46: Erant enim rythmi sive numeri Hebræorum non emmetri, sed lege soluti, cujusmodi etiam erant, & nunc quoque sunt eorum saltationes.

Digitized by Google

7. CXVIII, 25; CXIX, 30; CXLVI, 7; & Job XXI, 4, Proverb. XXV, 19. Sed quorsum hæc? An ne Poesim artificialem apud Hebræos sub Josue, Job, & Davide innotuisse, jure ex eo inferremus? Facile profectò vel prosâ scripta oratio rara quædam carmina exhibere potest.

Doctores quidam Hebræi contendunt rythmicum illud Poeseos genus, hodie Hebræis familiare, vetustissimum esse, utpotè ætate Patrum suorum in Palæstinâ obtinens; quam in rem epitaphium quoddam Hebraicum & rythmicum laudant, olim in tumulo cujusdam Præfecti Amasiæ Regis Juda in Regno Valentiæ legendum (*l*); sed hæc fabulosa, nec digna, ut veritatis studiosos viros detineant.

l R. Moses Ben Charis. Darbenoam.

Meibomius, ætatis nostræ scriptor, se unum jactitat, qui post 2000 annos secretum Poesis Hebraicæ tenuerit, eoque instructus ipse totum originalem Scripturæ Textum corrigere ausus est. Ego, ait ipse in suâ ad Reges omnes, & Principes Christianos totius Europæ epistolâ, novam adornavi Librorum Sacrorum versionem, cùm explicatione difficillimorum locorum, cujus ego laboris vobis in præsentiarum specimen exhibeo. Quod si pro meritis agnoscetis, reliquum Veteris Testamenti sperare vos jubeo, quemadmodum & carminum legem, quibus opus contextum est.

In Præfatione gloriatur se in Sacro Textu ultra 3000 errores correxisse, qui sensum corruperant; deprehendisse autem se illos profitetur infuso divinitus lumine, sicut & ope regularum Hebraicæ Poesis; quæ sanè regulæ post Jeremiæ, & Danielis ætatem occultæ, Aggæum, & Esdram latuerant.

Addit insuper, ipsos Veteres Judæorum Doctores, si redire in mundum contingeret, grande illud donum, sibi divinitùs collatum, admiraturos; Septuaginta verò Seniores frustra se operam suam collocasse professuros ingenuè, sicut & Origenem, relictis Hexaplis, unà cum S. Hieronymo, totos se in ejus laudibus occupaturos, qui reliquos omnes Latinos Sacræ Scripturæ Interpretes superasset, pro eâ, qua præstabat, Poesis Hebraicæ ac Linguæ Sanctæ peritiâ.

Scriptor ille novo suo de Poesi Hebræorum arcano totam turbat Scripturam, quin parte tantùm minimâ totius systematis revelatâ, clavem ipsam nobis invidit. Facilè vulgatum illud specimen Publico non attisit, cùm Meibomius huc usque finem suam liberare distulerit.

Franciscus Gomarus, scripto Libro, cui titulum fecit *Davidis Lyra*, carmina Librorum sacrorum paribus adstringi legibus cum Græcis, & Latinis demonstrare conatur; nihilque author ille non molitur, ut regulas, pedes ac carminum genera omnia in Sacro Textu edisserat. Bipertitus est liber, cujus pars prior regulas pro syllabis Hebraicis dimetiendis assignat; tum varia prosequitur Hebræorum carmina pro Græcorum, & Latinorum diversitate, altera verò, constitutis jam regulis, carmina Scripturæ diducit, analysim format, profert exempla, quæ regulis suis & principiis quadrent. Opus illud summorum Virorum laudes primo attecutum est, veluti Buxtorfii, Ludovici de Dieu, Constantini l' Empereur, Heinsii, Hottingeri; mox veò Ludovici Capellii eruditionem in se concitavit. Observat igitur Cappellius duo ab Authore principia constituta esse, quæ vix, ac ne vix quidem probaret; primò Hebraica puncta non recens esse Hebræorum inventum, sed ex ipsis Sacris Authoribus derivata; alterum, Sacros Scripturæ Libros nullam prorsus passos fuisse, sivè oscitantiâ amanuensium, sive temporis diuturnitate, corruptionem.

Solemne Gomari principium illud est: *Scheva non vocalis est, sed illius sub consonante mobili absentiæ nota*. Hoc Authoris axioma refutaturus Capellius authoritatem plurium Grammaticorum adducit, quibus Scheva vocalis brevis loco habetur. II, Gomari regulâ semel admissâ, ait Capellius, plures Hebraicæ voces, vel ab ipsis Barbaris, ne pronunciari quidem possent, e. g. יברכו *Jebarku*; quin & plurimæ voces vere trisyllabæ in dissyllabas migrare cogerentur.

III, Gomari principium alteri Hebraicæ Syntaxis repugnat: *Scheva sub litera, cui adjectum Dages, pronunciatur*. Ita ex voce *Pakkedu* sive Dages subducendum est, sive ratio ineunda, ut quiescente Scheva in pronunciatione exprimatur.

IV. Tandem, juxta ac Cappellius animadvertit, quo loco nos Scheva legimus, veteres, veluti Septuaginta, & S. Hieronymus, modò unam, modò alteram vocalem legebant; quare non est, uti quidem Gomarus contendit, quòd huic puncto vocali tantopere serviamus; quin & sæpiùs contingit, ut in pronunciatione exprimatur.

Alterum Gomari principium est: In Hebræo Syllabas omnes longas esse, vel breves, ancipitem nullam, neque fieri unquam posse, ut breves in longas per positionem transmutentur, quemadmodum Syllabis Græcorum, & Latinorum frequenter accidere satis constat. Egregie ille quidem, si lingua Hebræorum eadem cum Gallicâ, atque vernaculâ omnium fermè Europæ gentium indole, nullam in suis carminibus syllabarum dimensionis haberet rationem; cùm verò, juxta Authoris mentem, linguæ He-

Digitized by Google

Hebraicæ genius idem ferè sit ac Latinæ & Græcæ, ac plurima inter carmina omnium illarum gentium intit similitudo; qui, togo, fieri potest, ut iisdem ac gentes illæ regulis non serviat? Neque constitutis a se regulis Gomarus felicissimè semper utitur, sæpè enim barbarismi criminationem, & objectam in se totiès difficultatem pronunciandi instaurat. Vix etiam fieri posse ostendit Capellius, ut certa Hebraicarum syllabarum mensura determinetur, quandiù de verâ earum pronunciatione non constabit; neque faciliori negocio, ait, versus Hebraici legerentur, si regulas pronunciationis ab Authore traditas servemus. Ipso enim Gomaro fatente, constitutæ ab illo regulæ vix ultra tres versus ordine succedentes patiuntur. Ex quo illud consequi animadvertit Capellius, certas de Poësi Hebræorum regulas frustra assignari; quemadmodum & frustraneo labore torqueremur in regulis poëseos Græcæ, & Latinæ assignandis, nisi eandem regulam, & methodum servantes plures apud illos carmine scriptos Libros haberemus. Nonne ridenda planè esset viri illius confidentia, qui vagis quibusdam & irregularibus carminibus sparsim in Libris Sophoclis & Pindari animadversis regulas illorum certas præscribendas susciperet?

Quare dum Gomarus ultrò fatetur *varia* esse inter se Hebræorum carmina, *promiscua*, & *ataĉta*, idest nullo sibi invicem ordine succedentia, neque ejusdem metri plura simul continuari, ipse sibi imprudens sui Operis fundamenta suffudit; cùm incertæ adeò & vagantis poëseos certa & costantia principia nulla esse potuerint. Scitè etiam animadvertit Capellius, adversarium suum tantam carminum farraginem irregularium, & regularium in uno eodemque Scripturæ Cantico inserre debuisse, ut nullo negocio similes versus in totâ pariter Scripturâ inveniri potuissent, eodemque labore, quo in Psalterio carmina rimatus fuit, eodem & in universâ Scripturâ investigasse. Neque in Scripturâ tantùm, sed orationes omnes Ciceronis, & Demosthenis, T. Livii, & Thucididis Historias, non prosâ oratione, sed carmine scriptas fuisse ex Gomari methodo probaremus. Pfeifferius ejusdem Gomari carmina vel in ipso *Pater noster* se adiventurum confidit; nec frustra ille; namque ne immutata quidem Sacræ orationis verba variis ejusdem Scriptoris carminibus servire facto ipso ostendit (*m*).

Aliud ejusdem Poësis systema Author Bibliothecæ universalis invexit, rythmo scilicet adstricta fuisse carmina his potissimum argumentis demostrans: I, Ea est Hebraicæ linguæ, quemadmodum & Gallicæ, indoles, ut verborum contextum inverti nunquam patiatur; quam sanè verborum inversionem Græcis & Latinis tam prosâ orationę quàm carmine scribentibus familiarem esse novimus: II, Hebræorum voces eandem servant in omnibus casibus utrinsque numeri terminationem; masculinæ nempè in plurali habent *im*, fœmininæ *oth*; ex quo illud consequitur, tam pronum esse rythmicis versibus sermonem, quàm metricis Græcorum & Latinorum more ineptum: III, Pro numero longarum syllabarum rarissimæ sunt breves apud Hebræos, ut vix in numeros iisdem, quibus Græcæ ac Latinæ, legibus adstringi potuerint; quòd autem inter scribendum ryrhmi evitentur, vix unquam contingir: IV, Frustrà tamen satis limatum, exactumque carmen aliquod apud veteres Hebræos quæri Author animadvertit, cùm in artem nondum apud illos redactam fuisse Poësim facilè suspicetur. Quare nec rytbmis semper felicibus uti illos animadvertit, negligere sæpè; solâ enim concinnâ modulatione contenti, vix cætera curasse videntur: V, Rythmorum numerus vagus est, & incertus, ut non plures ordine succedentes rythmos unius generis, pauci interdum alterius ordinis excipiant; variat etiam ordo & carminum structura, ur ea omnia neglexisse Hebræi videantur: VI, Potior apud illos ratio consonantiæ, atque modulationis verborum, quàm literarum, & syllabarum affinitatis: VII, Neque apud Hebræos deest, quemadmodum apud Græcos, & Latinos, extra præscriptas poesis leges divagandi licentia; affinium quin etiam linguarum Chaldaicæ scilicet, & Arabicæ opem admittunt, si fortè Hebræorum voces rythmis impares, externæ verò pares fuerint: VIII, Quod maximè rythmicæ poësis systema confirmat, illud est, nimirum nullo negocio fieri posse, ut Cantica, ac cætera Scripturæ Opera carmine scripta, rythmis adstringantur.

Porrò Author totum Moysis Canticum rythmicis versibus tradidit; nec minori successu parem in Psalterio impendisse operam profitetur; rythmos etiam in Pœnulo Plauti, ubi prolixum Punicum fragmentum extat, deprehendit. Hoc sanè postremum optimum est argumentum, quod in patrocinium ejus controversiæ adducatur. Si enim in operibus Hebræorum carmine scriptis rythmi regnasse deprehenderentur, nihil esset, cur rythmicæ poësis leges innotuisse Hebræis negaremus. Cùm tamen ad rythmos exprimendos in Psalmis, & Canticis Scripturæ, Textum Sacrum mirè Author distorqueat, modò sententias producens, modò fœdè detruncans, nullâ sibi propositâ methodo, sivè regulâ; non est sanè cur eâdem arte rytbmos ex ipsis Ciceronis Orationibus non eliceremus.

(*m*) Differt. de Poesi Hebr.

Negare

Negare tamen non ausim, rythmos interdum & deditâ operâ conquisitos in Psalmis, & Libris Scripturæ carmine scriptis, recurrere; ex quibus tamen præposterè sanè colligeremus, veteres illos Hebræos rythmicâ poësi uti consuevisse. Porro ut de rythmis judicium ferretur, versus notæ terminationis produci opporteret, ne detruncare, sive producere ad libitum sententias, rythmi quærendi gratiâ, accusaremur. Appositè igitur ad eam rem Psalmus 118, succurrit, qui acrosticè concinnatus, ubi potissimùm desinant, undè exordiantur versus, designat. Psalmus iste prolixus est adeo, ut versuum indolem facilè demonstret, si quis maximè illos inter se comparaverit. Plures igitur in illo rythmi occurrunt, quos tamen darâ operâ conquisitos fuisse affirmare auderet nemo; neque enim certâ methodo, & lege sibi invicem succedunt. Interdum IV vel V ordine sequuntur, dein II sive III, quos III vel IV, versus soluti omnes excipiunt; vel saltem, si non omnes, unus tantùm rythmum habet. Quis, rogo, Psalmum illum rythmicæ poëseos lege contextum fuisse affirmaret? Lamentationes Jeremiæ, acrosticis & ipsæ versibus digestæ, nullos habent uniformes & constanti lege succedentes rythmos, quibus artificium aliquod satis probaretur. Quare si fortè contingat, ut duo rythmi sibi respondeant, id casu evenisse, non deditâ operâ credendum est.

Ejus rei veritas, si unquam alibi, certè in cap. III Lamentationum, cujus singuli versus per singulas alphabeti literas elementario ordine exordiuntur, maximè apparet; Prima enim duo ejus Operis capita, sicut & quartum, versuum terminationem non ita habent exploratam, quòd plus quàm duobus simul versibus ab unâ & eâdem literâ incipientibus, litera tamen nonnisi in capite prioris adscribitur. Recurrunt etiam quandoque in Cantico Canticorum rythmi & concinna quædam verborum harmonia, deditâ facilè operâ procuratæ, sed non certâ methodo continuatæ, neque uniformes, sicut neque in toto opere regnantes. Porrò Hebraice scribentibus rythmi, etiam non deditâ operâ conquisiti, vix evitarentur. Periculum loquendi faciat si quis maximè voluerit, & licet evitare rythmos de industriâ studuerit, numquam tamen, nisi fortè affectatâ verborum circumlocutione utatur, committet ut invito etiam quandoque rythmi non excidant, sivè ex articulorum copiâ, sive ex affinium vocum affluentiâ subrepentes. Idem pro nobis argumentum instaurant Pss. 110, & 111, acrosticè quidem scripti, sed incertis & vagantibus sinè lege rythmis. Quarum etiam lucubrationum collocatione illud appositè ad rem observandum contingit, variam esse versuum Hebræorum mensuram; carmina enim Psalmi 118, & Lamentationum cap. 3, duplò longiora sunt, quàm posteriorum Psalmorum; fieri quin etiam potuit, ut genus quoddam acrosticorum versuum apud Hebræos obtineret, quorum prior pars usque ad cæsuram ab unâ alphabeti literâ, secunda verò ab alterâ proximè succedente exordiretur.

Postrema hæc sententia ad rem magis congruere videtur, cùm sensus usque ad cæsuram pendens, nonnisi cum alterâ versus parte claudatur. Quæcumque tamen versuum terminatio statuatur, nunquam certum rythmum fixumque exhibebit, ex quo aliquid pro rythimicâ Hebræorum poësi jure deducatur.

Post latè discussas variorum de hoc argumento opiniones, nostra tandem promenda est. Nobis igitur tota Poësis Hebraicæ ratio in eo constituta videtur, si loquendi genere utantur vividiori, fervido, pathetico, audacioribus, & longe repetitis figuris ornato. Neque enim sola carminum struendorum scientia Poëtas facit, quemadmodum nec numeris adstricta oratio poësim. Ex veterum testimonio Plato, Florus, aliique nonnulli prosâ oratione poësim scripserunt; atque ipso de se fatente Horatio, ejus lucubrationes, carmine licet scriptæ, ad prosam tamen accedebant: *Sermoni propiora*; & Quintiliani judicio Lucanus *magis est Oratoribus, quàm Poetis annumerandus*.

Duo sunt poësis genera, artificialis nempè, & naturalis, quarum sanè postrema parem cum hominibus natalem sortita fuisse credenda est. Tranquillus, & rationabilis sermo simplex est, nec circumlocutionem affectat; jactatus passionibus animus vivido, & fervente sermone proditur. Quam igitur poësim naturalem appello, cui artificialis & methodica ortum debet, ignei sermonis vis, orationis figuræ, & pro argumenti modo sublimiores conceptus efficiunt. Hæc verò duplex poësis, naturalis scilicet, & artificialis, passiones, & intimos animi sensus ad vivum, & pateticâ oratione depingit; illa quidem, naturalis scilicet, subito, & tumultuario sermone usa; hæc verò, artificialis nempè, selectis ac datâ operâ conquisitis vocibus, numero etiam atque concinnâ modulatione adstrictis. Quare methodica poësis ars est exprimendarum passionum, studio & industriâ elaborata; naturalis verò tantundem sine artificio, tumultuario opere præstat.

Est sanè singulis gentibus, regionibus, & climatibus, sicut passiones suæ, sic sua quoque rethorica, naturalis poësis; nunquam enim iræ, furoris, gaudii, tristitiæ, odii, amoris passiones nisi fervore quodam & energiâ exprimuntur: secundis curis ars &

regulæ

regulæ successerunt. Natura siquidem prima semper ducit lineamenta eorum, quæ arte, & industriâ perficiuntur. Cum verò poësis nunquam apud Veteres a musicâ disjungeretur, ifque Musicus esset, qui & Poëta, quin & cantare idem esset ac pangere versus, sicut & versus ipsi cantilenæ dicerentur; hinc facilè paria de musicâ, ac de poësi statuamus oportet. Naturâ magistrâ musica primitus inventa est, quam artificialis, naturalem imitata, excepit: ambæ verò illæ eumdem sibi finem præstituentes, intimos animi sensus & voce, & sententiis exprimere satagunt; quæ quidem vox & sententiæ & Musici ipsius animi motus, & eos, quos ille in auditoribus excitare nititur, sensus exhibeant, ac repræsentent.

Veteris hujus naturalis poësis ante ipsam Moysis ætatem, specimen exhibetur in verbis Lamech ad uxores suas (n), quemadmodum & in benedictionibus Noë in Semum & Japhetum, cum diris Chanaan [o] devoveret; cùm Jacob ad mortem decumbens, filios suos affatus est [p], ac tandem in libro Job, si ante Moysem scriptus credatur. Hæc, scilicet, omnia stilum referunt poëticum, & veteris hujus naturalis poësis æternum monumentum manent. Hæc inquam, naturalis poësis stilo solùm, non pedum numero, efficitur; unicè in illâ ratio habebatur figurati, sublimis, & sententiis gravis sermonis, quo eadem plerumque, variâ tamen verborum circumlocutione, repeterentur; nec rarò in geminis ejusdem sententiæ membris rythmi quoddam & harmoniæ genus, naturaliter tamen fluens, nec invitâ minervâ expressum, sentiebatur.

Hæc est Veterum naturalis poësis, artificiali & methodicæ præludens; cujus apud Græcos, Hesiodi & Homeri ætate inferiores, sapor aliquis mansit. Demosthenes [q] aperto satis discrimine distinguit Poëtas, regulas artis sequutos, a reliquis *adomenas* cantilenas scribentibus. Eo verò nomine Diogenes Laërtius appellare maluit [r] veteres illas primorum Græciæ Sapientum sententias, quam proinde Casaubonus reliquias esse vetustissimæ ante Homerum poëseos non incongruè arbitratur. S. Clemens Alexandrinus (ſ) Psalmos Hebræorum, quantum ad stilum & numeros attinet, cum iis Græcorum cantilenis comparat, quas *Scolia* appellare, & in conviviis cantitare consueverunt. Porrò versus erant nullâ metri, sive numerorum lege adstricti, quibus vividâ & concisâ verborum periodo intimi animi sensus exprimebantur. Hujus solutæ, & liberæ poësis fragmenta quædam apud Athenæum servantur (t), sed temporis successu certis & illa legibus servire coacta est.

Hæc igitur, meâ quidem sententiâ, vetus apud Hebræos poësis ratio obtinebat, libera scilicet, & nullius artis regulis serviens, sed unius naturæ magisterio intimos animi sensus & passiones exprimere edocta, eò res vividiùs pingebat, quò verborum exquisito studio averti animus minùs cogebatur. In omni orationum genere, poëmatibus, narrationibus, invectivis, adhortationibus, cantilenis, nihil apud illos affectatum atque emendicatum apparet; hinc vivo semper, naturali, atque ingenuo sermone animum afficiunt.

His moribus nihil temporum successione detractum fuisse ex eo apparet, cùm idem semper poësis gustum sub Davide, Isaiâ, Jeremiâ, Daniele, qui olim sub Moyse, regnasse videatur. Quis in animum induxerit unquam fieri potuisse, ut eædem semper methodicæ poësis regulæ, idem scribendi artificium & gustus mille annorum spatio inviolata maneret?

Quo tempore Moyses scribebat, nulla sanè fuit, quantùm scimus, ullibi gentium poëticæ ars tradita. Chaldæi, & Ægyptii, qui literas omnium primi excoluerunt, ne novisse quidem unquam illud poëseos genus videntur, quod certæ syllabarum dimensioni, sivè certis rythmis & harmoniæ servire Poëtas jubet.

Ex Orientalium carminibus omnium vetustissima, quæ ad nos usque pervenerint, Arabes habent Authores. Illa sanè, quorum nonnulla ipsam Mahumedis ætatem superant, ad nostros quidem rythmos accedunt; de syllabarum verò dimensione nihil. Memoriæ proditum legimus, Harmonium filium Bardesanis, secundo Ecclesiæ sæculo, musicas quasdam cantilenas, & carmina Syriaca ad Græcas leges adornasse. Sed quid hæc ad Moysis ætatem? Antiquius apud Græcos Poëma Homeri, & Hesiodi carminibus nullum est; quæ sanè 600 annis Mosaicis scriptis recentiora sunt. Quis, rogo, post hæc Hebræorum Legislatorem, Jobum, & Davidem methodicam, & artificialem poësim sequutos fuisse affirmaverit? Quis poëticas regulas pluribus apud Hebræos sæculis in ipso perfectionis culmine obtinuisse, antequàm apud cæteras nationes innotuissent, satis confidenter asseruerit?

Porrò si quid in pangendis carminibus artis apud veteres Hebræos fuisset, id sanè post excultum adeò diligenter studium linguarum Orientalium nostrâ ætate tandem innotuisset. Heroica si quæ carmina manerent in Moyse, Jobo, & Psalterio, cur nobis, æquè ac Authoribus, qui illa se deprehendisse arbitrati sunt, non se produnt? Versus-

n *Gen.* IV, 23.
o *Gen.* IX, 25, 26. 27.
p *Gen.* XLIX.
q *Apud Casaub. in Laert. l. 1.*
r *In Vit. Sept. Sapient.*
ſ *Pædagog. l. 2.*
t *Dipnosoph. l. 10, c. 24.*

Verfufne eandem fervantes methodum, leges, numerum, harmoniam, rythmum, tot alioquin oculatiffimos viros fugerunt? An voces hujus artis peculiares nullæ nunquam Authoribus Sacris excidiffent; vel faltem in fronte Pfalmi, feu Cantici, carminis genus & menfuram nunquam adnotare fuccurrerat iis, qui vel Mufici, & inftrumenti nomen tam fæpè adfcripferunt?

Occafio etiam paugendorum Canticorum argumento eft apertiffimo, quo ars omnis & methodus ex Hebræorum poëfi abfuiffe demonftretur. Subitaria enim carmina funt, quæ pro re natâ fubito œftro abrepti Sacri Scriptores effuderant; ut vix ad regulas & artem advertere valuiffent.

Poëtas quidem vivæ quædam in phantafiâ excitatæ imagines, (œftrum appellant) ad carmina impellunt; fed igneus ille, quo feruntur, motus folam carminum materiam, & conceptus inftruit, arte verò & otio opus eft, quò apto verba ordine digerantur. Omne illud otium & ftudium Sacris Scriptoribus, extemporaria carmina in ipfo populorum tumultu fundentibus, deerant. Moyfes vix transfretato Erythræo Canticum illud creavit, cujus occafione hanc nos Differtationem fcripfimus. David in ipfo rerum fuarum difcrimine, in ipfâ negotiorum agitatione, cùm fcilicet vix, ac ne vix quidem, colligere fe tantùm nunquam valuiffet, quantùm poëfis artificiofæ occupatio exigeret, plures Pfalmos effudit.

Cantica etiam illa fœminas non rarò, vel faltem viros nullo excultos ftudio habent authores, quorum lingua Divini tantummodo Spiritûs organum fuit. An illi fortè fubitò Poëtæ evafiffe, atque exacta ad rythmos & numeros carmina ftatim procudiffe credendi funt? Anna mater Samuelis, Debora, Judith, Tobias, SS. Virgo, Zacharias, Simeon extemporanea carmina finè ftudio planè & arte effuderunt; folâ enim naturali poëfi inftructos illos credi par eft; quamquam fi ad S. Spiritum eorum carminum anthorem attendimus, genus illud effet poëfis fupernaturalis, ipfafque adeo artis humanæ regulas tranfcendentis. Demonftrent planè mihi, quicumque potuerint, quid Cantica ifta, ab illiteratis Authoribus adornata, ab iis differant, quæ Moyfem, Davidem, Ifaiam, viros artis præceptis, fi aliqua fuiffent, excultiffimos, habent Scriptores. Quæ fi fruftrà diverfitas exquiratur, fateamur neceffe eft, omnem Hebræorum poëfim naturâ tantùm magiftrâ fluxiffe, quam fcilicet naturam S. Spiritus in hominis illapfus fervare femper confuevit. Semper enim S. Spiritus in homines illabens peculiare fingulorum ingenium fervat, velut in eloquentibus eloquentiam, in illiteratis primigeniam omnino ruditatem, ut nihil in illis artis, ejufdem Spiritûs magifterio refultet.

Cùm verò de ftilo emphatico, figuris inftructo grandioribus agitur, nihil eft a viris, nullo quidem ftudio atque arte excultis, Divino tamen œftro agitatis, alienum. Cùm enim ftilus ille valdè Orientalibus arrideat, atque naturæ ipfius inclinatione eò propendeant; nihil eft, quominùs ad ejus leges verba fundere extemplo, totumque demum Opus fcribere potuerint.

Metrica etiam poëfis coacta eft, nec fpontè fluens; eâ enim, qua tenetur, legibus fuis ferviendi neceffitate, frequenter adigitur, ut voces tranfponat, epitheta invita etiam accumulet, loquendi phrafes & voces quotidiano fermone minùs ufitatas ufurpet, periodos inflet tunc maximè, cùm otio atque meditatione deftituta ad opus accedit. Hanc autem vocum transpofitionem nec voluerunt unquam Hebræi, neque, fi voluiffent, eorum lingua pateretur, epitheta rariora funt, quam ut turgentia carmina inferciant; phrafes etiam ampullofo verborum ambitu, quas apud Græcos & Latinos poëticarum regularum neceffitas invexit, abeffe apud illos jubentur. Si quæ rara & minùs ufitata vox interdum offendatur, fervire illa reputanda eft vivido, fublimi, & pathetico Pfalmorum & Canticorum ftilo ad pompam fimul & fententiarum gravitatem. Facilè etiam in eâ re non quidem Carminis numerus, fed harmoniæ & muficæ leges fpectatæ funt.

Si Hebræorum poëfis Græcam imitaretur, non effet cur ars ejus, & præcepta a Scriptoribus fubticerentur. Vix enim credimus, quin ars non minimi certè momenti, Scriptorem aliquem nacta fuiffet, qui curiofitate aliquâ, utilitate, vel faltem genio ad idem argumentum illuftrandum, regulafque tradendas animum non adjeciffet. Verùm ne verbum quidem ullum five in fermone, fivè in hiftoriâ Hebræorum occurrit, quo poëticæ profeffores aliquos apud illos fuiffe infinuetur. Non defuerunt quidem apud illos Cantica etiam poft invectam apud Græcos artem poëticam fcripta, fed illa ejufdem omninò artificii videntur, ac Moyfis & Davidis carmina. Utraque muficæ ferviunt, quemadmodum & omnis apud veteres Græcos & Latinos poëfis; eo tamen difcrimine, quòd Græcorum carmina pro vario metro harmoniam determinabant: Hebræorum verò Cantica ad modos quofcumque accommodari poterant; quemadmodum in cantu Ecclefiaftico variis pro libito tonis idem Pfalmus effertur. Quæ verò apud Judæos

dæos obtinet cantilenæ ratio, dum Sacrum Textum in Synagogis recitant, vetustissimam esse ex eo credimus, quòd notæ in Textum adscriptæ, tollendam vocem sive deprimendam designantes, remotissimæ antiquitatis indicium sunt apertissimum. Idem etiam innuat Hebræorum in ritibus suis maximè paratu facilioribus tenacitas. Cùm autem musica illa, non versibus tantummodo numerosis, sed etiam sine methodo & regulâ scriptis, ipsique adeò solutæ orationi convenire possit, nihil fanè ex illâ pro contrariâ opinione de carminibus Hebraicis, numero adstrictis, deducitur.

Est igitur cur credamus stili, atque conceptuum granditatem tantummodo in causâ fuisse, cur apud Veteres Hebræos Poëtæ ab Oratoribus distinguerentur. Accedebant audaciores phrases, vivus & patheticus, intercisus verò & brevis, floridus & fervens stilus, qui rem veluti sub oculis vividiùs, quàm in vulgari sermone, poneret. Quare eorum Poemata felicis cujusdam ingenii fœtus sunt, quod Dei Spiritus animabat, atque pro eo, quo agitabatur œstro, conceptus suos poetico & sublimiori stilo, nunquam tamen legibus, & regulis coactos, effundebat. Hebræis fanè nunquam non invisa novitas, neque adeò delicato, ut Græci & Romani, gustu præstiterunt; quare acceptâ ab Antiquis poësi gravi, seriâ, patheticâ, jucundâ, cujus nonnisi fermè in rebus Religionis usus, contenti, omne methodicæ poësi, & musicæ studium neglexerunt.

CHRONOLOGIA IN EXODUM

Anno Mundi.

2369 JOseph Moritur. *Genes.* L, 15.

2385 Levi annos natus 137 moritur.

Post Josephi mortem Acenchres filia Ori in Ægypto regnat Ann. 12, mens. 1. *Manetho*.

Rathotis, Acenchris frater, regnat A. 9. *Id.*

Acencheres, Rathotis fil. regnat A. 12, m. 5.

Acencheres alius A. 12, & m. 3. *Id.*

Armais regnat A. 4, m. 1. *Id.*

Ramesses A. 1. m. 4. *Id.*

2427 Ramesses Miamûn regnat A. 66, m. 2. Hic est Rex ille, qui non agnoscebat Josephum.

2430 Aaron tribus ante Moysem annis nascitur.

2431 Hebræorum masculi infantes publico edicto immaturæ morti destinantur. *Exod.* I, 15, 16.

2433 Moyses nascitur. *Exod.* II, 1. 2. A parentibus ad Nili ripam expositus, & a Thermuti Pharaonis filia inventus, Jocabedæ infantis matri alendus conceditur. *Exod.* II, 3, 9.

2473 Moyses annos natus 40 suos fratres invisit; Ægyptium occidit; in Arabiam confugit, & Sephoram Jethro filiam ducit. *Exod.* II, 2 . . . 21.

2474 Nascitur Caleb, filius Jephone, 40 ann. antequam mitteretur ad invisendam terram Chanaam.

2513 Deus in rubo ardenti Moysi apparet. *Exod.* III, 2. Moyses in Ægyptum regreditur. *Exod.* IV, 18, 19. Semel atque iterum Dei præcepta Pharaoni exponit. Tertiò virgam in serpentem vertit, *Exod.* VII, 10, decem plagæ imminent.

Prima Ægypti plaga: Aquæ in Sanguinem transmutantur. *Exod.* VII, 19. Hoc Ægyptii patiuntur die 18 sexti mensis (qui fuit deinde 13 anni Sancti)

II Plaga: Ranæ. III, Plaga: Cyniphes sive Culices, vel saltem pediculi. IV, Muscæ omnis generis. V, Pestis hominum, & brutorum. VI, Ulcera. VII, Grando, & Tonitrua. VIII, Locustæ Ægyptios agros vastantes die 8, Moyses die 9 depellit *Exod.* X, 4.

Paschatis celebritatem instituit, atque decimâ mensis primi die segregandos jubet agnos, bædosque, quatuor post dies comedendos. *Exod.* XII, 3.

IX, Tenebræ palpabiles in tres dies, *Exod.* X. 22. X, Mors primorum natu, nocte 14. seu 15, quæ fuit conjuncta cum quarto Lunæ die Maji. Eâdem nocte primum Pascha celebratur. *Exod.* XII, 11, 12, 19.

Israëlitæ de Ægypto egrediuntur 15 primi mensis die, qui convenit cum 5 Martis die mensis Maji. Eâdem die se conferunt *Ramesse*; unde 16 discedentes *Socboth* usque perveniunt. Inde *Etham* 17 post diem. & 18 *Beel-Sephon* tenent.

Quarto itineris die Mare Rubrum transeunt, ubi Pharao cum suis mergitur. Israëlitæ ad maris ripam unum diem morantur & tres post itineris dies *Marah* deveniunt.

Sexta Castrametatio fuit in *Elim*. VII, ad *Mare Rubrum*. VIII, in *deserto Sin*, ubi Deus Coturnices, & Mannam elargitur, die 15 secundi mensis anni Sancti. IX, in *Daphca*. X, in *Aluth*. XI, ad *Raphidim*, ubi Moyses ex rupe Horeb aquam deducit. Hic Amalecitæ Israëlitas aggrediuntur. *Exod.* XVII. XII, ad *Sinain*. Illuc devenêre tertii mensis die 3, qui fuit Junii 22 dies Lunæ. Ibique annum morati sunt.

Moysi, montem Sinai conscenso, Deus significat ineundo cum Israëlitis fœdere præsto se esse, eâ conditione ut populus in obsequio maneret; qui ad recipiendam legem biduo disponitur. Montem iterum ascendit Moyses, ubi Deus Decalogum, aliasque leges illi profert. Descendit Moyses ad Montis radices ubi altare excitat. Sacra fiunt. Fœderis conditiones leguntur, eas solemni ritu ratas esse jubet. *Exod.* XXIV.

Moyses tertiò Montem superat, & ibi cum Josue 40 dies & totidem noctes moratur. Postea Deus Moysi tradit Decalogum, lapideis tabulis insculptum: & populum reum commissæ in vitulum aureum idololatriæ prænunciat. Moyses descendit, iratus legales tabulas frangit. *Exod.* XXXII, 1, 19. Ad montem reverso Deus promittit populi Ducem Angelum missurum. Levitarum gladio 3000 Idololatræ perimuntur. *Exod.* XXXII, & XXXIII. Moyses populi gratiam sibi conciliat. *Exod.* XXXII, 12, 18, 31. Dei nutu novas tabulas comparat, & mane alterius diei montem repetens gloriæ Dei visione recreatur *Exod.* XXXIV.

Moyses iterum 40 dies, & totidem noctes in monte moratur. Descendit radiantem intuitu Dei faciem referre ignorans.

Populus censetur I die 6 mensis post egressum ab Ægypto.

Arca construitur, & singula ejus ornamenta pa- 2514
rantur. Moyses Tabernaculum erigit I die primi mensis anni secundi ab egressu ex Ægypto. Post hunc egressum primum Pascha celebratur. *Exod.* XL, 2.


Finis Chronologiæ in Exodum, continentis annos 2514.

COM-

Digitized by Google


Mensa Panum Propositionum


Candelabrũ Aureum


Altare Holocaustorum


TABULA
Itineris
ISRAELITARUM
per desertum
ab exitu de Ægypto ad
usque vada Jordanis
Ephrata
Jericho
Hebron
TERRA CHANAAN
Bersabea
Acrabatene
MARE MORTUUM
MADIANITAE
MOABITÆ
AMORRHÆI
Esebon
Moab
Aroer
Arnon Fluvius
Bamot Arnon
Nahaliel
Matana
Zared
Lebna
Ressa
Rethma
Cades-barne
IDUMÆI
Desertum Zin
Hor Mons
Haseroth
Desertum Pharan
Pharan
M. Sehir
Moseroth seu Mosera
Gadgad
Salmona
Phunon
Oboth seu Obodas
ARABIA PETREA
Jetabata
Hebrona
Incensio seu Tabera
Asiongaber
Elath
Sinus Elaniticus
Madian


Atrium et Tabernaculum


Tabernaculum cum suis Velaminibus

COMMENTARIUS LITERALIS IN EXODUM.

CAPUT I.

Census Israëlitarum, qui in Ægyptum cum Jacobo descenderunt. Mirè augentur. Rex novus populum affligit. Obstetrices Ægyptiæ præmio donantur, quòd jussionibus Regis de occidendis infantibus Hebræorum non paruerint.

℣. 1. HÆc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum cum Jacob: singuli cum domibus suis introierunt:

℣. 2. Ruben, Simeon, Levi, Judas,

℣. 3. Issachar, Zabulon, & Benjamin,

℣. 4. Dan, & Nephtali, Gad, & Aser.

℣. 5. Erant igitur omnes animæ eorum, qui egressi sunt de femore Jacob, septuaginta: Joseph autem in Ægypto erat.

℣. 6. Quo mortuo, & universis fratribus ejus, omnique cognatione illâ,

℣. 7. Filii Israël creverunt, & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis, impleverunt terram.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HÆc sunt nomina. Hebræus: *Et hæc &c.* quæ conjunctio *Et* (a) in exordio libri designat, res in eo descriptas unâ constanti serie conjungi cum rebus narratis in Genesi; ut Exodus ac Genesis unus sint idemque liber, nonnisi post Moysem discretus.

℣. 5. Erant igitur omnes - - - - septuaginta. Quo in numero continentur utique Jacob, Joseph, & duo ejus filii; sed excipiuntur vicissim uxores Jacobi, & filiorum ipsius, quòd genus haberent a Jacobo alienum.

Septuaginta, quos sequitur S. Stephanus in Actis VII, 14, & Græci Patres hìc, uti etiam in Genesi XLVI, 27, legunt septuaginta quinque, supputatis, uti creditur, filio & nepote Manassis, & duobus filiis & nepote Ephraimi. Iidem pariter Interpretes hæc substituunt in capite versiculi 5: *Joseph autem erat in Ægypto*; quod in Vulgatâ & in Hebræo est in fine ejusdem versiculi.

℣. 6. Quo mortuo omnique cognatione illa. Exemplaria quædam Latina mendosè habent, *generatione suâ*. Reddi posset Hebræus: *Mortuo Josepho, & omni generatione illâ* (b), omnibus ejus ætatis hominibus, id est, omnibus Ægyptiis, qui norant Josephum, & quæ ab illo acceperant beneficia. Hoc proœmium spectat ad Regnum novi illius Principis, de quo est sermo versu 8; & cujus pariter exordium determinandum est circiter LVIII annis ab obitu Josephi.

℣. 7. Creverunt, et quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati sunt. Moyses

(a) ואלה שמות *Veelle Schemoth*, Nomen libro ab Hebræis inditum. (b) דור sonat potiùs generationem, quam familiam, posteritatem. *Vatabl. Piscator.*

℣. 8. Surrexit intereà Rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph.

COMMENTARIUS.

hic & in Deuteronomio x, 22, exprimit incrementum istud populi veluti novum aliquid ac prodigiosum; nec ambigit S. Augustinus (c) accepto hæc referri oportere supernaturali Dei benedictioni, quæ laboribus confectos Israëlitas adeò auxit. Hæc quidem Israëlitarum oppressio rem efficit prodigio dignam neque enim florentibus Israëlitarum rebus prodigio reputanda esset eorum fœcunditas, cùm de fœcunditate mulierum in Ægypto mira narrentur. Asserit Aristoteles (d) rem esse familiarem in eâ regione, ut uno partu quatuor vel quinque liberi effundantur: septem etiam spectatos aliquando affirmat Plinius (e); eadem ex Trogo narrat Solinus (f). Nec alibi faciliùs alebantur infantes, quàm in Ægypto, quòd commoda esset ibi temperies aëris, & ad victum necessaria abundè suppeterent (g).

Accuratissimâ quin etiam supputatione demonstrare conatus est Bonfrerius, juxta rerum ordinem naturalem fieri potuisse, ut ex LXX hominibus, qui in Ægyptum cum Jacobo descenderunt, tot homines nascerentur, quot etiam superarent Hebræorum numerum, qui ex Ægypto secesserunt. Ponit ille, ex hisce septuaginta nonnisi quinquaginta tantùm ætatem habuisse gignendis liberis parem etiam decennio post quàm venerunt in regionem. Demonstrat autem, quinquaginta illos viros non prius, quàm ab anno XX ætatis, nec post annum XL gignentes liberos, quorum etiam non plures quàm tres habuerint integro decennio, adeò tamen in immensum multiplicari potuisse, spatio CC annorum, ut redderent 2952450 liberos, majorem sanè turbam, quàm 600000 virorum arma ferentium, quot numerat Scriptura, quo tempore Israëlitæ secesserunt ex Ægypto. Reddi posset Hebræus (h): *Fructificaverunt* (veluti arbor), *& produxerunt se* (veluti pisces), *multiplicati sunt, ac roborati valdè valdè.*

REPLEVERUNT TERRAM. Septuaginta (i): *Terra multiplicabat illos*; veluti insinuarent, factum id terræ benignitate; vel incrementum illorum novum adeò fuisse, ut veluti e terræ sinu effusi viderentur. Reddi posset Hebræus (k): *Terra repleta est eis*; vel, *Terra replevit eos.*

℣. 8. SURREXIT REX NOVUS. Septuaginta (l): *Rex alienigena*, vel *alius Rex*. Censet Josephus, devolutum Ægypti Regnum ad alterius familiæ principes. Veteres Ægypti Reges eligebat populus, ait Diodorus Siculus (m), nullo inspecto jure familiæ, sed virtutis tantùm merito. Quicumque Reipublicæ utilissimam navassent operam, quicumque rei alicujus ad vitam necessariæ inventione publicæ utilitati consuluissent, illi salutabantur in Reges, sive quòd eam sibi promeruissent gratiam apud populos, sive quòd sacri Libri ita mandarent. Minimè igitur mirum, si Regnum Ægypti occupavit alterius familiæ Princeps, qui de beneficiis Josephi non eadem sentiret, ac Princeps aliquis ejusdem familiæ cum illo, qui ad summam dignitatem olim Josephum evexerat.

Censet Cajetanus, alienigenam hunc Regem Assyrium fuisse genere, quòd de adventu Israëlitarum in Ægyptum legatur in Isaiâ LII, 4: *In Ægyptum descendit populus meus in principio, & Assur absque ullâ causâ calumniatus est eum.* Sed hæc aliò planè spectant, quàm quò censet Cajetanus. Significat enim Deus, minoris esse culpæ reos Ægyptios quàm Assyrios: priores enim illi Hebræos veluti alienigenas in Ægypto oppresserunt; Assyrii verò immeritò prorsus arma in illos intulerunt, in Judæam supervenientes, falsa & frivola causati.

Censent alii, Regem hunc alienigenam (n) esse *Salatim*, primum Regem pastorum, qui sibi inferiorem Ægyptum subegerunt, tenueruntque eam regionem spatio DXI annorum. Hæc autem de Regibus Pastorum narrat Manetho Sacerdos Ægyptius sub Ptolemæo Philadelpho, scribens quæcumque hauserat e Sacris Libris, qui in insignibus Ægypti templis servabantur (o). „ Fuit
„ nobis Rex, Timaüs nomine. Sub hoc nescio
„ quomodo Deus iratus fuit: & præter spem ex
„ partibus Orientalibus homines, genere ignobi-
„ les, adeptâ fiduciâ, in provinciâ castra metati
„ sunt. Et facilè ac sine bello eam potenterque
„ ceperunt (p): & principes ejus alligantes, de cæ-
„ tero civitates crudeliter incendêre: & Deorum
„ Templa evertêre. Erga omnes verò provincia-
„ les inimicissimè se gesserunt, alios quidem pe-
„ rimentes, aliorum verò & filios, & conjuges
„ in servitutem redigentes: novissimè verò &
„ unum ex se fecêre regem, cui nomen Salatis.

„ Hic enim Memphidem veniens, super iore,
„ inferioreque provinciâ tributariâ factâ, præsi-
„ dia relinquens opportunis locis, maximè par-
„ tes munivit Orientales, prospiciens quòd Assy-
„ rii aliquanto potentiores, erant desideraturi re-
„ gnum ejus invadere. Inveniens autem in præ-
„ fecturâ Saite civitatem opportunissimam, posi-
„ tam ad Orientem Bubastis fluminis, quæ ap-
„ pellabatur a quadam antiquâ Theologiâ Avaris,
„ hanc fabricatus est, & muris maximis commu-
„ nivit, collocans ibi multitudinem armatorum,
„ usque ad ducenta quadraginta millia virorum
„ eam custodientium.

„ Hic autem messis tempore veniebat, tam
„ ut frumenta meteret & mercedes exsolveret,
„ quàm

(c) *Lib. 18 de Civit. c. 7.* (d) *Arist. l. VII, c. 4 Hist. Animal. Vide & Gell. Noct. Attic. l. X, c. 6.*
(e) *Plin. l. VII, c. 3.* (f) *Solin. Polyhist. c. 3.* (g) *Diodor. l. 1, c. 3.*
(h) פרו וישרצו וירבו ויעצמו במאד מאד *Aquil. Th.* Ἐξήρπυσαν. *Prorepserunt. Sym.* Ἐξῆρψαν. *Repserunt. Septuag.* χύδαιοι ἐγένοντο. *Effusi sunt. Alii* Ἐπληθύνθησαν. (i) Ἐπλήθυνε δὲ ἡ γῆ αὐτούς. (k) ותמלא הארץ אתם (l) Βασιλεὺς ἕτερος. *Ita S. Stephan. Act. VII, 18.* מלך חדש *Rex novus. Aqu. Th.* Βασιλεὺς καινός. (m) *Diodor. l. 1, c. 2.* Διὸ καὶ τὸ παλαιὸν παραδίδοσθαι τὰς βασιλείας μὴ τοῖς ἐκγόνοις τῶν ἀρξάντων, ἀλλὰ τοῖς πλεῖστα καὶ μέγιστα τὸ πλῆθος εὐεργετοῦσι. Εἴτε προσκαλουμένων τῶν ἀνθρώπων τοὺς ἐφ᾽ ἑαυτῶν βασιλεῖς ἐπὶ τὴν κοινὴν εὐεργεσίαν, εἴτε καὶ κατ᾽ ἀλήθειαν ἐν ταῖς ἱεραῖς ἀναγραφαῖς οὕτω παρειληφότων. (n) *Marsham. le Clerc, &c.*
(o) *Manetho lib. 2 Ægyptiacorum, apud Joseph. lib. 1 contra Appion. p. 1042.*
(p) Καὶ ῥᾳδίως ἀμαχητὶ ταύτην κατὰ κράτος εἷλον.

„ quàm ut armatos ad terrorem extraneorum diligenter exerceret. Qui cùm regnasset decemnovem annis, vitâ privatus est. Post huoc autem regnavit alter quatuor & quadraginta anois, Bæoo nomine. Post quem alius Apachnas, sex & triginta annis, & mensibus septem. Deinde Apochis uonm & sexaginta, & Janias quinquaginta & mense uno. Post omnes autem Assis novem & quadraginta, & mensibus duobus. Et isti quidem sex apud eos fuère primi reges, debellantes semper, & maximè Ægypti radicem amputare cupientes (*q*).

„ Vocabatur autem gens eorum Hycsos, hoc est, reges pastores. Hyc enim secundùm sacram linguam regem significat: Sos verò pastorem sive pastores, secundùm communem dialectum: & ita compositum invenitur Hycsos; quidam verò dicunt eos Arabas esse. In aliis autem exemplaribus non reges significari comperi per appellationem Hyc, sed e diverso captivos declarari pastores: Hyc enim Ægyptiacâ linguâ, & hac quando denso sono profertur, captivos apertè significat: & hoc potiùs verisimile mihi videtur, & bistoriæ antiquæ conveniens.

Narrat igitur Manetho, Reges illos Pastorum tenuisse Ægypti Regnum spatio DXI annorum, donec scilicet Reges Thebaidis, & reliquæ Ægypti arma io Pastores moventes, diutino violento, que bello illos oppresserunt.

Sub Rege *Alis Fragmuthosi* victi pastores, atque acquisitâ Ægypti regione expoliati, redacti sunt in angustum terræ tractum, non ampliùs X M jugerum, cui nomen *Avaris*. Munierant Pastores locum structis validissimis mœnibus, ut ab iosidiis adversariorum & se & prædam tuereotur.

Themosis filios *Alidis Fragmuthosis* illos obsedit, ducto exercitu CCLXXX M virorum; sed cùm expugnare illos non posset, convênit inter partes, ut pastoribus copia fieret recipiendi se quocumque voluissent. Egressi sunt ex Ægypto, receperuntque se in Judæam, ubi condiderunt urbem Jerusalem, tantæ populi multitudini continendæ parem. Eò venerunt per deserta Syriæ, metuentes potentiam Assyriorum Asiam tunc tenentium.

Censet Josephus, pastores illos ipsissimos fuisse Israëlitas, in Ægyptum descendentes sub Josepho Patriarchâ (*r*), cujus opinionis veri species est plurima; constat enim, Hebræos pastores se coram Pharaone professos fuisse (*s*). Pastores Ægypti Regnum occupantes venerant ex Arabiâ, juxtà Manethonem, vel ex Phœniciâ, juxta Africanum (*t*). Addit Manethon, Alienigenas illos, numero hominum CCXL M, coactos fuisse a Themosi Rege Ægypti facessere e Regione; secedentesque in Judæam ibi Jerusalem condidisse. His conjecturis Josephus aliique plures post ipsum suspicati sunt, Pastorum nomine posteros Israëlis designari.

Sed bistoriæ circomstantiæ omnes cæteræ persuasioni illi repugnare videntur. I. Asserit Manetho, Pastores regnasse in Ægypto DXI anois, cùm ne unico quidem regnasse in Ægypto posteros Jacobi iosinuet Scriptura: versatos autem Israëlitas in eâ regione constat nonnisi CCXV annis circiter. Et quamquam moram illam prorogassent adusque 430 annos, ut insinuatur ab Exodo XII, 40; quid hoc ad DXI annos? Fatemur equidem, Josephum parem fermè Regi authoritatem tenoisse in Ægypto: sed scimus sex viros e Pastoribus Regiam authoritatem in inferiori Ægypto succedentes sibi invicem obtinuisse, cùm interim authoritas Josephi ad posteros non transierit. Tradit Manetho, Pastoribus adversarios fuisse Reges Thebaidis & superioris Ægypti; a quibus post diutinum bellum tandem victi, coactique recipere se in angustias loci, non ampliùs X M jugeribus patentis, validis mœnibus muniti. Obsidione illos pressit Themosis; & cùm vi expugnare non posset, consensit, ut quocumque vellent, abirent.

Hæc planè aliena sunt ab iis, quæ Moyses de Israëlitis in Ægypto narrat. Damus tamen non inviti, confusa fuisse a Manethone quædam de secessione Israëlitarum ex Ægypto, cum iis, quæ ferebantur de Pastoribus; quorum ex eâ regione digressionem consignat Usserius circa A. M. 2179, ante ingressum Jacobi in eam regionem annis circiter CXIX. Porrò Usserius, cujus tenemus Chronologiam, Regem hunc, qui Israëlitas oppressit, appellat *Ramessem Miamum*. Eusebius, Pererius, Torniellos, aliique *Amenophim*.

Boivinius Senior, qui in hunc Manethonis Textum laboravit, ejusque restituendam censet periodum annorum CCXXX moræ Hebræorum in Ægypto, de qua Exodus XII, 40. En ejus systema: Hebræorum res perseverarunt io tranquillo LXXI annis sub Jacobo & Josepho, rerum potientibus Pharaonibus, qui Josephum ejusque familiam protegebant. Successit deinde Regnum CELIX annorum & X mensium sub Ephraimo, filio & successore Josephi, sub Beriâ, Raphâ, Reseph, Thale, Thaan, ejus filiis, de quibus I Par. VII, 23, 25, 26, 27, quique appellantur io historiâ sacrâ Ægyptiorum apud Manethonem, Salathis, Bæon, Apachnas, Apochis, Jaoias, Assis. Tandem excepit servitus XCIX annorum & duorum mensium, sub Pharaonibus populi adversariis, ætate Ephraimitarum Laudan, Ammiud, Elisamæ. Postremus hic unà cum filio suo Nun XLIII annis jam adulto egressus est ex Ægypto.

Status Israëlitarum in Ægypto ter mutatus est. Primò Pastores erant, tum Reges, tandem captivi. Prior ille & postremus hic utique certa sunt; demonstrandus superest medius ille status, nempe Regum. Silet enim eam rem Scriptura; sed vicissim quædam affert, quæ dispoticam Regiamque authoritatem, juxta nostrum Authorem, planè exhibeant.

Ponit autem ille, in obitu Josephi vice quadam Dynastiarum in Regno Ægypti factum fuisse, ut Pharaones Israëlitis faventes deturbarentur a Vahebo, cujus nomen legitur in Libro Bellorum Domini (*u*), appellaturque Timaus in Libris Ægyptiorum. Novus iste Pharao, *qui ignorabat Joseph*, metuens nequid sinistri contingeret Regno, auctis nimiùm Israëlitis, restituendam suscepit Idolatriam in terrâ Gessen. Ephraim filius & successor Josephi impiis conatibus restitit, conatus pariter charos Israëlitis veteres Pharaones ulcisci; sed infelici successu. In priori enim expeditione suâ adversùs urbem Geth amisit novem ex filiis, videlicet (*x*) Suthalam I, Bared, Thalath I, Eladaio, Thalath II, Zabad, Suthalam II, Ezer, Elad.

Reliqui filii Ephraimi patrem consolaturi venerunt (*y*), statuentes pariter fratrum suorum ultionem prosequi. Ephraim igitur cum Pasto-

(*q*) Ποθῦντες δὴ καὶ μᾶλλον τῆς Αἰγύπτου ἐξᾶραι τὴν ῥίζαν. (*r*) *Vide Manethon. apud Josephum, l. 1, c. 9 contra Appion. & Euseb. in Chronico.* (*s*) *Genes.* XLVI, 32, 33. (*t*) *African. apud Syncell.* (*u*) *Num.* XXI, 14. (*x*) 1 *Par.* VII, 20, 21. (*y*) 1 *Par.* VII, 22.

℣. 9. Et ait ad populum suum: Ecce, populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est.

℣. 10. Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terrâ.

℣. 11. Præposuit itaque eis magistros operum, ut affligerent eos oneribus: ædificaruntque urbes tabernaculorum Pharaoni, Phitom, & Ramesses.

℣. 12. Quantòque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & crescebant.

COMMENTARIUS.

rum copiis, iis scilicet omnibus veri Dei cultoribus, quà Hebræis genere, quà proselytis, arma movit in Ægyptios. In eo bello spectata prodigia in Campo Taneos, de quibus Psalmus LXXII, 12. 43. Vaheb igneo turbine absorptus est, uti legitur in libro bellorum Domini (z); & Sol & Luna cursum steterunt suum, cùm justorum gens ulcisceretur se de hostibus suis, ut habet Liber Justorum laudatus ab Josue x, 13. Tunc Ephraim, alio nomine Salaris, Regium sibi titulum adscivit.

Post Regnum CCLIX annorum & x mensium, Ephraimitæ altâ Dei oblivione correpti degenerarunt, pronique ruerunt in Idololatriam, uti refert Josue XXIV, 14. Deo permittente hostium manibus traditi sunt, ingenti prælio fusi, de quo Psalmus LXXVII, 9, 10, 11, 12, 42, 43. Ita jugum Ægyptiorum subire coacti, perseverarunt in servitute spatio XCIX annorum, & duorum mensium, usque ad egressum ab Ægypto sub Moyse.

Censet autem Boivinius, historiæ seriem interrumpi in Scripturâ ab obitu Josephi, quo clauditur Genesis, ad usque ortum Moysis, unde Exodus incipit. Contendit autem, intermediam illam historiam exhibuisse veteres Libros, qui penitùs interciderunt, exceptâ operum inscriptione & fragmentis quibusdam apud sacros Scriptores: ejusmodi sunt *Liber Bellorum Domini* (a), *Canticorum Proverbialium* (b), *& Liber Justorum* (c). Gratum accidet Lectoribus breve hoc specimen systematis, suo tandem tempore in publicum promendi, deducti fusiùs, suisque argumentis discussi.

QUI NON NOVERAT JOSEPH; non enim noverat quanta Joseph Reipublicæ contulisset; vel certè non cogitavit, vel tandem nullâ se de præstito beneficio obligatione teneri erga fratres illius & viri memoriam rebatur. Onkelos: *Rex qui non confirmabat decreta Joseph*, qui novas leges novamque politiam invexit. Veteri proverbio ferebatur: *Novus Rex, nova lex*. Vetera beneficia, ait Pindarus, veluti dormiunt (d); non secùs ac mortui excidunt e memoriâ.

℣. 9. FORTIOR NOBIS EST. Ad literam vera fortassè reputavit Pharao; facilè enim Hebræi numero hominum superabant Ægyptios Regi Taneos subditos, quorum fortè ditio arctioribus finibus continebatur. Psalmus CIV, 24. Textum usurpat ad literam: *Firmavit eum super inimicos ejus*. Verùm si Pharao in universam Ægyptum regnabat, ægrè persuaderemur, Hebræos potentiâ Ægyptios superasse. Per hyperbolem igitur locutus est Rex Ægypti: quomodo enim alioqui Hebræos viribus potiores Ægyptii servitute oppressissent?

℣. 10. SAPIENTER OPPRIMAMUS EOS. Sapientiæ nomen in utramque partem usurpat Scriptura (e); est enim virtutis nomen, est politiæ etiam fucatæ, & ad fallendum solertiæ. Septuaginta (f): *Circumveniamus eos*, seu potiùs ut imbecilliores illos reddamus, ne quid moliantur in nos, vel e nostris manibus dilabantur.

NE FORTE ... EGREDIATUR DE TERRA. Quòd Hebræos haberent in ditione suâ Reges Taneos, utilissimum Regibus illis erat, ex præstitis ab eâ gente servitiis, operibusque, quæ Reges exigebant. Increbuerat per Ægyptum futurum, ut illi solum verterent, quod Oraculo suo Joseph ante obitum prædixerat. Id ne fieret, nullum non movit lapidem Pharao; suspicatusque ne vi sibi effugium perrumperent, incremento gentis occurrendum censuit. Clam id primò tentat: mandat obstetricibus, exceptos e partu pueros opprimant; dein mares omnes pueros Hebræorum exponi jubet ac mergi.

℣. 11. PRÆPOSUIT EIS MAGISTROS OPERUM. Hebræus: שרי מסים: *Principes Tributorum*, Septuaginta; *Præfectos operum* ἐπιστάτας τῶν ἔργων. Symmachus: Ἐργοδιώκτας, *qui laborantes urgent*. Pensum Israëlitis impositum erant opera laterum & tegularum; foveas eruere, aggeres opponere aquis, colere agros, urbes condere, laborare in fodinis, haurire e Nilo aquas ad humum rigandam, ferre pondera. Grotius credit, conditas etiam ab illis pyramides. Porrò tributorum loco imperabantur olim a Principibus opera in ipsorum commodum præstita, vel res quædam collatæ. Ait Ezechiel XXIII, 8, &c. Israëlitas oppressos fuisse merito Idololatriæ scelerumque, quibus se in eâ regione corruperant.

Quàm durâ servitute opprimerentur Judæi, demonstrant phrases, quibus id narrat subinde Scriptura. Legimus, eduxisse Deum Israëlitas de *fornace ferreâ Ægypti* (g); quibus verbis significatur, ita illos in eâ regione vexatos fuisse, velut in succensâ fornace, laboribus & ærumnis. Perseveratum est in servitute LXXXVI annis circiter.

UT AFFLIGERENT EOS ONERIBUS, idest, vel impositis operibus, vel, quod ego maluerim, oneribus ferendis supra vires, quibus veluti opprime-

(z) *Num.* XXI, 14. (a) *Num.* XXI, 14. (b) *Num.* XXI, 27. (c) *Josue* X, 13. 2 *Reg.* I, 18.
(d) Παλαιὰ γὰρ εὕδει χάρις ἀναμνάμονες δὲ βροτοί. (e) נתחכמה לו (f) Κατασοφισώμεθα αὐτούς. (g) *Deut.* IV, 20. 3 *Reg.* VIII, 51. *Jerem.* XI, 4.

℣. 13. Oderantq; filios Ifraël Ægyptii, & affligebant illudentes eis.
℣. 14. Atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.
℣. 15. Dixit autem Rex Ægypti obftetricibus Hebræorum: quarum una vocabatur Sephora, altera Phua,

COMMENTARIUS.

primerentur (h). Ita porrò utebantur Judæis, veluti onerariis jumentis. Notant Veteres, Ægyptiorum operas valuiffe in ædificiis, ferendis maximè oneribus. Ariftophanes *in Avibus*, appellat πλινθοφόρους, *laterum portitores*. Plurium annorum operam contulerunt Hebræi ædificandis Urbibus, de quibus infra; quibus in ædificiis viliffima quæque & laboriofa illis imperabantur, ad colligendam nempe parandam ferendamque ftruem cæmentariam miffi.

ÆDIFICAVERUNT URBES TABERNACULORUM (i). Septuaginta (k): *Urbes munitas*, arces, Urbes mœnibus vallatas. Chaldæus (l), quem RR. & Interpretes plures (m) fequuntur, *Urbes thefaurorum*, nempe annonis continendis e totâ regione collectis, deftinatas, ut tritico, oleo, vino, &c. Syriacus & Arabs: *Civitates, horrea Pharaoni*. Vatablus: *Urbes, quæ effent repofitoria*. Aliam conjecturam in hunc Textum propofuimus ad Exodi XII, 37, reddentes: *Ædificaverunt Urbes*, fcilicet *Mifchemot* vel *Tabernacula*.

PHITOM. Eadem eft facilè Urbs, ac *Pathumos*, quam Arabiæ tribuit Herodotus (n), non longè pofitam ab Erythræo, adjacebat enim canali ducto a Regibus Necho & Dario ex Nilo ufque ad illud fretum. Cellario (o) eft Pathumos ad extremam oram maris rubri, confundendamque cenfet eum Heroopoli vel Heroo. Laudat in eam rem verfionem Cophticam e Septuaginta adornatam, in qua Phitom ponitur loco Heroopolis. In vetuftis Geographis occurrit ramus quidam Nili, cujus nomen maximè accedit ad Phitom. Ptolemæus appellat *Pathmeticum*, Diodorus *Phatmicum*, Strabo & Scylax *Phatnicum*, Plinius *Phatniticum*: ex quo conjectura oritur, urbem Phitom huic Nili ramo adjacuiffe. Marfamus (p) ipfiffimam effe cenfet Pelufium, in Hebræo *Sin*; fed opinionis fuæ nulla fatis valida promit argumenta. Afferit Brocardus in defcriptione Terræ Sanctæ, geminas urbes Phitom & Rameffes jacêre quinque leucis fupra Nili divortium, ultra amnem. Conftat utique, regionem, in qua Hebræorum fedes erat, Arabicam fuiffe, notam apud Veteres appellatione *Nomi Arabici*.

Addunt hic Septuaginta, urbem *On*, alio nomine Heliopolim, quod etiam fervant Patres Græci: fed tertia hæc urbs defideratur in Hebræo cæterifque Verfionibus.

RAMESSES. Poft Sefoftrim Ægypti Regem regnavit ejus filius Rameffes. Verùm fi poftremus hic tempore captæ Trojæ rerum potiebatur, uti Plinius l. 36, cap. 8, fcribit, de ejus nomine urbem hanc appellatam fuiffe nequaquam reputandum eft. Eufebius regnantem illum in Ægypto conftituit, cùm Ifraëlitæ iter haberent in deferto: fed quid prohibet Regnum illius aliquibus annis promovere? Targum Jerofolymitanum appellat urbes Phitom & Rameffes Tanim & Pelufium. Ramifi & Patami, quos Plinius lib. 6, cap. 28, jungit Arabibus, e latere Ægypti, ipfiffimi funt Rameffes & Phitom incolæ. Facilè urbs & Regio *Papremis*, de qua Herodotus (q), nomen fuum debet Rameffi, cui additus eft Ægyptiacus articulus *Pa*. Vide Exodum XII, 37.

℣. 13. ODERANTQUE FILIOS ISRAEL ÆGYPTII. Chaldæus ועקת למצראי *Affligebantur Ægyptii propter Ifraëlitas*. Septuaginta (r): *Abhorrebant Ægyptii a filiis Ifraël*. Reddi poffet Hebræus (s): *Ægyptii anguftiabantur* (livore & dolore afficiebantur) *propter filios Ifraël*.

AFFLIGEBANT ILLUDENTES EIS. Plerique vertunt Hebræum (t): *Oppreſſerunt illos durâ fervitute*, vel *fubjiciebant durè*. LXX: Κατεδυναστεύοντο ... βίᾳ, *violentiâ*, crudeliter excipiebant in exigendis operibus. Symmachus & Theodotion: Ἐμπαίγματι, *illufione*, vel derifione excipiebant. Item Aquila: Ἐντρυφήματι.

℣. 14. OPERIBUS DURIS LUTI ET LATERIS. Cogebant illos terram conterere & affusâ aquâ fubigere ad lateres compingendos. Singulare id eft Ægyptiis, ait Herodotus (u), ut terram affusâ manibus aquâ irrigent fubigantque; farinam verò ad panem fubigant pedibus. Id pariter fervatum videtur ab Hebræis. Vide *Eccli.* XXXIII, 33, & XXXVIII. 33.

OMNIQUE FAMULATU, QUO IN TERRÆ OPERIBUS PREMEBANTUR. Hebræus (x): *Amarificaverunt vitam eorum in fervitute durâ in luto, & in lateribus, & in omni fervitute in agro; cum omni opere eorum, quibus operati funt in eis in duritiâ*. Porrò ruralia minifteria minùs dura funt in Ægypto, quàm alibi (y). Non rarò jactis tantùm in terram feminibus, immittebantur in agrum greges, ut pedibus fuis illa proculcantes intra terram premerent; vel leviori tantùm operâ ducebatur vomer, quo jacta illa femina terrâ utcumque tegerentur. Narrat Herodotus, lib. 2, c. 14, induci in femina porcorum greges, quorum pedibus grana premerentur folo, Nili aquis humenti. Sed rigare agros in locis maximè fublimibus & ab amne remotis, id verò operofiffimum erat. Vide quæ contulimus ad Deuteronomium XI, 10.

℣. 15. DIXIT REX ÆGYPTI OBSTETRICIBUS HE-

(h) בסבלתם *Aqu. Sym.* Ἐν τοῖς βαστάγμασι. *Septuag.* Ἐν τοῖς ἔργοις. (i) S. Hieronymus légit ערי משכנות pro ערי מסכנות *Urbes thefaurorum. Vatab.* (k) Πόλεις ὀχυράς. *Aqu. Sym.* Πόλεις σκηνωμάτων. (l) קרוי בית אוצריא (m) *Oleaſt. Cajet.* (n) *Lib.* 2. Πάτουμον τὴν Ἀραβίην πόλιν. (o) *Cellar. Afric. c.* 1. (p) *Can. Ægypt. ſæcul.* VIII, *p.* 105 (q) *Lib.* 2. 59, 71, & 165.
(r) Ἐβδελύσσοντο οἱ Αἰγύπτιοι ἀπὸ τῶν υἱῶν Ἰσραήλ. (s) ויקצו מפני בני ישראל *Aquil.* Ἐσικχαίνοντο, *Tædio afficiebantur. Sym. Affligebantur*, ἐθλίβοντο. (t) יעבדו.... בפרך (u) *Herodot. l.* 2, *c.* 36. *Strab. l.* 17. (x) בכל עבדה בשדה את כל עבדתם אשר עבדו בהם בפרך
(y) *Diod. lib.* 1, *c.* 3.

℣. 16. Præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræas, & partûs tempus advenerit: si masculus fuerit, interficite eum: si fœmina fuerit, reservate.

℣. 17. Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti; sed conservabant mares.

℣. 18. Quibus ad se accersitis, Rex ait: Quidnam est hoc, quod facere voluistis, ut pueros servaretis?

℣. 19. Quæ responderunt: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.

℣. 20. Bene ergo fecit Deus obstetricibus: & crevit populus, confortatusque est nimis.

℣. 21. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.

COMMENTARIUS.

Hebræorum. Josephus (z), quem Interpretum plures sequuntur, autumavit obstetrices illas Ægyptias fuisse genere; Judæas censet cum Hebræis S. Augustinus (a). Abhorrebant utique plurimùm Ægyptii ab Hebræis: obstetricum ejusmodi nomina Hebraica erant: metuebant fœminæ illæ Deum, a quo pariter mortali quodam præmio donatæ sunt; quibus planè omnibus Hebraicum genus retulisse illas persuademur. Duas ex illis suo nomine memorat Scriptura, idest *Sephoram* & *Phuam*, non quòd tanto populo duæ tantùm sufficerent, sed quòd illæ fortè omnium primas dignitate & famâ tenerent. Inter obstetrices pariter legunt DD. Hebræi Jocabedam Moysis matrem, & Mariam Moysis sororem.

℣. 16. Quando obstetricabitis Hebræas, et partus tempus advenerit. Pro, *Et partûs tempus advenerit*, habet Hebræus: *Cùm videritis illas super sellas*; ad literam, *super duos lapides*, אָבְנַיִם. Eâdem phrasi significat Jeremias (b) gestum corporis figuli ad opus suum intenti. Censet Josephus (c), necandi infantes mares Hebræorum in causâ fuisse Regi Ægypti, quòd nasciturum ex illis puerum intellexisset, a quo multiplici flagello cædenda erat Ægyptus: sed nihil eâ de re Moyses, narrans tantummodò eam rationem inivisse Regem, ut Hebræorum incremento, &, quam metuebat, nimiæ illorum potentiæ obstaret.

℣. 19. Ipsæ enim obstetricandi habent scientiam. Hebræum חיות *Chajoth* significat obstetrices Chaldaico sermone, ut Drusius demonstrat: quo pariter sensu usurpant Syriacus, Septuaginta, Symmachus Μαῖαι γάρ εἰσι, & Vulgata. Theodotion: Ζωογονοῦσι αὐται, *Ipsæ pariunt filios vitâ*, vi *plenos*. Hebræa vox exprimere potest seu *vitam* seu *feroces belluas*: *Sunt feroces belluæ*; quam posteriorem interpretationem sequutos Veteres asserit Drusius. Hebrææ mulieres tam facilè enituntur quàm feræ. Alii: *Adeò sunt vivaces*, ut nullâ in pariendo obstetricis ope indigeant. Asserit Ludolfus (d), in Æthiopiâ fœminas in genua flexas parere tantâ felicitate, ut rarò indigeant obstetricibus: nullâ pariter ejusmodi ope sive mulierum, sive virorum opus habere fœminas in Perside cæterisque ferventibus Orientis regionibus, asserit Chardinus (e). Plerumque ibi laborem sentiunt pariendi nullum, enitentibusque manum admovere solet tantùm aliqua e fœminis necessariis ætate & maturitate gravissima.

Quare non incongruè reputaretur, verum asseruisse obstetrices, saltem de aliquibus fœminis Israëlitarum; quamquam erga omnes idem asserere nonnisi mendacio potuerint. Constanter affirmat S. Augustinus (f), meliùs fuisse utique, ut filii Hebræorum perirent omnes, quàm e discrimine eximerentur mendacio. Optimo licèt consilio id præstarent mulieres illæ, nunquam tamen mendacium suum excusabant. Addit, Deum quidem præmio donasse *non iniquitatem mendacii, sed benignitatem mentis*. Cùm in eâ regione mulieres rarò prodeant in publicum, nullo negocio fieri poterat, ut ventris tumorem, indicium futuri partûs celarent; ex quo satis intelligimus, quî fieri potuerit, ut parentes Moysis natum puerum tribus mensibus celarent.

℣. 21. Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos. Phrasis hæc *ædificare domos*, significat sæpè liberos tribuere (g). Exemplaria quædam Septuaginta habent: Ἐποίησαν ἑαυταῖς οἰκίας, *fecerunt sibi domos*, idest, familias habuerunt optimè constitutas; sed alia Exemplaria scribunt Deum fecisse illis domos. Paulus Fagius & Muis putarunt, Pharaonem ædificasse obstetricibus illis peculiares domos, ut unâ omnes habitarent; uxores verò Hebræorum, partu instante, eò se conferre coactas, ut coram arbitris fœtus emitterent, exploraturis num mas esset an fœmina. In Textu Hebræo Vulgato pronomen *eis* refertur ad Hebræos, non ad obstetrices, ut sit sensus: Timentibus Deum obstetricibus, Hebræi multiplicati sunt, & domus eorum constitutæ. Non desunt (h), qui verbis illis designari credant

(z) *Antiq. lib. 2, c. 5. Cartus. Abul. Lyran. Alii.* (a) *Contra mendac. c. 15.* (b) *Jerem. XVIII, 3; & XXX, 6; & 1 Reg. IV, 19.* (c) *Lib. 2 Antiq. c. 5.* (d) *Ludolf. Hist. Æth. l. 1, c. 14. Vide & 1 Reg. IV, 19. Incurvavit se, & peperit.* (e) Chardin, Voyage de Perse, t. 2. Gouvernement politique, &c. p. 279. (f) *Cap. 15 contra mendacium. Remunerata est benevolentia, non fallacia; benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Vide & Greg. lib. XVIII Moral. c. 3.* (g) *Vide Genes. XXX, 3; Deut. XXV, 9; 2 Reg. VII, 27; Psal. CXXX, 2.* (h) *Lyran.*

Digitized by Google

℣. 22. Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexùs natum fuerit, in flumen projicite: quidquid fœminini, reservate.

COMMENTARIUS.

dant, mulieres illas ad Hebræorum religionem transisse.

℣. 22. Præcapit ergo Pharao omni populo suo. Vel hoc edictum ad Hebræos tantùm spectare eredeodum est; vel reputandum, imperasse Regem Ægyptiis, ut Nili aquis mergerent Hebræorum infantes mates, siquidem parentes illorum renuissent. Lacedæmones perimebant infantes mancipiorum suorum, ne aliquando nimiùm crescerent. Sævissima hæc Regis lex nonnisi post natum Aaronem lata est; ille enim nutritus est a parentibus, prohibente nemine; & facilè (*i*) edictum illud, vel idem ipse qui tulerat, vel post obitum ejus Successor, aliquandiù post natum Moysem revocavit: si enim perstitisset longo LXXXVI annorum spatio servitutis, undenam tanta Israëlitarum multitudo ferendis armis par, cùm populum ex Ægypto Moyses reduxit? Nonnisi senes tunc eduxisset.

(*i*) *Barrad.*

CAPUT II.

Ortus, & educatio Moysis. Bene de fratribus meretur. Fugâ se recipit in Madian. Ducit Sephoram. Israëlitæ clamant ad Deum.

℣. 1. EGressus est post hæc vir de domo Levi: & accepit uxorem stirpis suæ.

℣. 2. Quæ concepit, & peperit filium: & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus.

℣. 3. Cùmque eum celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & linivit eam bitumine, ac pice: posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. EGressus est post hæc vir de domo Levi. Illud *post hæc* deest in Hebræo: & quidem nuptiæ Amrami filii Caath & nepotis Levi, cum Jocabedâ amitâ suâ, filiâ Levi avi sui (*a*), conciliatæ sunt ante excitatam in Hebræos persecutionem, cùm Aaron frater Moysis natu major educatus fuerit a parentibus, prohibente nemine. Nondum autem obtinebat lex vetans nuptias nepotis cum amitâ, uti docent Hebræi, Tostatus, Usserius, aliique nonnulli. Sed e nostris Interpretibus plures defendunt, Jocabedam consobrinam tantùm fuisse Amrami, filiam nempe unius e fratribus Caath, & neptem Levi. Septuaginta in hanc sententiam reddiderunt in capite VI, 20, hujus Libri. Hæc autem hujus opinionis fundamenta. I, Decrepitam sanè egisset ætatem Jocabed, si Levi habuisset patrem; discrimenque longè maximum intercessisset ætatis inter illam & virum suum Amramum nepotem suum. II, Nulla ratio persuadet, nepotis cum amitâ nuptias ante Legem permissas fuisse. III, Certò utique constat, in Scripturâ filiæ nomen usurpari interdum pro nepte, vel neptis aut nepotis filiâ, vel tantùm pro aliquâ ex posteris. Amram itaque & Jocabed facilè consobrini erant inter se.

℣. 2. Quæ concepit et peperit filium. Insinuare Textus hìc videtur, nullos ex Jocabedâ natos esse filios ante Moysem: constat tamen, Aaronem editum a matre triennio ante Moysem, & facilè etiam ante motam in Judæos persecutionem.

Abscondit tribos mensibus. In Hebræo pro tribus mensibus est *tribus Lunis* שלשה ירחים; ex quo inferunt nonnulli, ad Lunæ cursum dimetiri consuevisse tunc Judæos menses suos; quod sanè non congruit cum iis, quæ in Dissertatione de Chronologiâ illorum disputavimus. Verùm licèt menses nomine lunæ appellentur, quòd per singulos menses luna renovetur, non ideò tamen infertur, supputari ad lunæ cursum menses consuevisse; neque enim mera verborum phrasis præponderat tot a nobis congestis argumentis, demonstrantibus, apud Hebræos obtinuisse solares annos, & triginta dierum menses.

℣. 3. Cumque jam celare non posset: ex quo intelligimus, certos constitutos fuisse in Ægy-

pto

(*a*) *Ita Hebræus hìc, & Exod.* VI, 20; *& Num.* XXVI, 59.

℣. 4. Stante procul forore ejus, & confiderante eventum rei.

℣. 5. Ecce autem defcendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine: & puellæ ejus gradiebantur per crepidinem alvei. Quæ cùm vidiffet fifcellam in papyrione, mifit unam e famulabus fuis; & allatam

℣. 6. Aperiens, cernenfque in ea parvulum vagientem, mifertta ejus, ait: De infantibus Hebræorum eft hic

℣. 7. Cui foror pueri: Vis, inquit, ut vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire poffit infantulum?

℣. 8. Refpondit: Vade. Perrexit puella, & vocavit matrem fuam.

℣. 9. Ad quam locuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum iftum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Sufcepit mulier, & nutrivit puerum: adultumque tradidit filiæ Pharaonis.

℣. 10. Quem illa adoptavit in locum filii, vocavitque nomen ejus Moyfes, dicens; quia de aqua tuli eum.

COMMENTARIUS.

pto viros, qui fingulis tribus menfibus Hebræorum ædes fcrutarentur: nam ad id ufque perfeveravit Amram retinens filium fuum; tum intelligens tandem fruftrà agere fe, exponendum cenfuit Nili aquis. Sed hæc non neceffarià confecutione inferuntur.

Sumpsit fiscellam scirpeam, et linivit eam bitumine. Difcrimen eft non leve inter Exemplaria Septuaginta. In editione Compiutenfi habent tantùm impofitum infantem in thecâ θήκην, qua ex materià, filent. In aliis Editionibus habent θῖβιν *thibin Scirpeam*, vel θάβην feu θίβην. Porrò *thibis* pofita eft fortè ex Hebræo תיבת *Thebath*, quod hic ponitur: & facilè ab Amanuenfibus, adfcribentibus Græcum *Theben* pro *Theken*, non fatis animadverfum eft, fervari frequenter a Septuaginta originales, & maximè Ægyptiacas voces. Verifimilius credimus, ætate adhuc illorum Interpretum Ægyptiaco fermone obtinuiffe vocem *Thebath*, qua defignarentur angufti quidam lintres, Nili aquas fulcantes, de quibus mentio apud Hiftoricos Veteres [*b*], & fermo pariter non obfcurè in Ifaia XVIII, 2. Alii demùm habent *ftitin*: quibus de variantibus vide noviffimam Editionem Hexaplorum. Hanc fifcellam, in qua Moyfes expofitus eft, πλέγμα βίβλινον, textum e papyro appellat Jofephus in Antiquitatibus l. 2, cap. 9; quòd papyrus genus effet fcirpi in Ægypto.

In carecto ripæ fluminis, ideft, *in junceo* בסוף, unde facilè educi poffet, & ab aquis illæfus perfeveraret diutiùs. Curarunt fedulò, ne ad profluentem exponeretur. Septuaginta: Εἰς τὸ ἕλος παρὰ τὸν ποταμόν, *In palude fecùs amnem.* Aquila: Ἐν τῷ παπυρεῶνι, in junceto. Cenfet Cajetanus, Hebræos expofuiffe tantùm in ripâ fluminis filios fuos, non aquis demerfiffe; ex quo deinde pueri illi educti nutriebantur, vel Regis ufibus vel publico commodo deftinati, nempe vel ad militiam, vel ad publica opera.

S. Stephanus in Actis VII, 19. infinuare videtur, Regem Ægypti coëgiffe Hebræos, ἐκάκωσε τοὺς πατέρας ἡμῶν, τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν, *afflixit patres noftros, ut exponerent infantes fuos.* Sed verbis illis fignificat tantum, Regem latà de mergendis pueris illis lege, coëgiffe parentes vel exponere fervituti filios, & permittere fortunæ omnibus eventibus potiùs quàm illis manus inferrent. Expofitis faltem id obtinebant, ut vitam illis fervarent. Scitum eft, quid Rabbini comminifcantur, fpargentes in vulgus, Deum reclufiffe terræ finum, ut pueros illos celaret; tum & ad eam rem propè illos conftituiffe duos lapides, quorum ex altero fugerent mel, ex altero lac. Adultos porrò emerfiffe e tellure, ac fe reftituiffe parentibus.

℣. 5. Descendebat filia Pharaonis, ut lavaretur in flumine. Reddi poffet Hebræum תרד ... לרחץ על היאר *ad lavandum* [*linfea*] *ad flumen*; quemadmodum & memoriæ traditum eft de Naufica [*c*] filiâ Alcinoi, quæ cum ancillis fuis lotum veniens lintea in mari, incidit in Ulyffem. Cenfent tamen plerique ad fe lavandum veniffe illam, vel ad luftrationes ritu patrio faciendas. In Ægypto enim univerfâ Nilus unicus eft amnis.

Fœminam illam principem appellat Jofephus *Thermuthim* [*d*], Artapanus *Merim* [*e*]. Chronicon Alexandrinum *Myrrhinam*. Sterilis erat mulier, juxta veteres nonnullos; idcircò Moyfem adoptare in filium decrevit.

℣. 6. De infantibus Hebræorum est hic. Hoc mulier reputavit, five quòd nofceret perfecutionem in Hebræos commotam, five ex indicio circumcifionis, quam infantulus præferebat [*f*].

℣. 10. Vocavit nomen ejus Moyses, dicens: quia de aqua tuli eum [*g*]. Ipfe per fe Moyfes docere videtur, etymon nominis fui derivari oportere ex Hebræo *mafcha*, educere, fervare;
quam

(b) *Diod. l. 3. Lucan. l. 4. Plin. l. VII, c. 56; & XIII, c. 11. Theophraft. l. 4 Hift.* (c) *Odyff. Z.*
(d) *Antiq. l. 2. c. 9.* (e) *Apud Eufeb. l. 9, c. 4.* (f) *Theodoret. qu. 2 in Exod.*
(g) משה ... כי מן המים משיתהו

quam pariter significationem facilè tunc obtinebat in vernaculo Ægyptiorum sermone. Vel id tantùm spectavit sacer Historicus, ut alluderet ad nomen Moysis, quod ipse obtinuit in Ægypto. Constat utique, nomen illud, si ex Hebræo deducatur, non significare servatum ex aquis, sed eductum tantummodò. Accersit illud Josephus *l. 1 contra Appionem*, ex Ægyptio *Mo* vel *Moy*, idest aqua, & *Tses*, servatus: sed hoc etymon est maximè suspectum; licèt enim *Moy* Ægyptiis sit aqua, *Tses* tamen nequaquam exprimit servatum. Hebræus quidam Scriptor, laudatus a Gaulminio in suis Notis ad librum vitæ Moysis cap. 3, asserit, Moysis nomen Ægyptium fuisse *Monios*. Est autem Ægyptiis *Mo* aqua, & *ni* usurpatur pro *de*, ut *monios* sit eductus ex aquâ. S. Clemens Alexandrinus *lib. 1 Stromatum*, Philo *de vitâ Moysis, lib. 1*, Suidas *in voce Moy*, agnoscunt quidem, *Mo* vel *Moy* apud Ægyptios esse aquam, quæ sanè vox accedit maximè ad Hebræum *Maim*, ad Chaldæum *Moi*, vel *Mohi*, ad Syriacum *Mato*, eadem significantia. Musarum nomen ex eâdem radice ducitur, ac Moyses. Vindicant autem Reginni suæ Theologi Ægyptii novem illas Musas [*h*], & principem illarum Apollinem; contendentes insuper, Musas in comitatu fuisse Bacchi, ad suas expeditiones proficiscentis [*i*]. Alibi demonstrabimus, rerum a Baccho gestatum plerasque Moysi convenite. An fortè etiam duo amnes in Europâ celeberrimi *Mosa* & *Mosella* ex eodem *Moy* vel *Moi* derivantur?

S. Clemens Alexandrinus *libro 1 Stromatum* narrat, Moysem, cùm a patre suo initiaretur circumcisione, appellatum *Joakim*; in Cœlo obtinere nomen *Melchi*, Rex meus. A filiâ Pharaonis nuncupatum *Moysem* tradunt Rabbini [*k*]; ab Amramo patre suo *Cheber*, a matre *Jekuthiel*; a sorore *Jether*; a fratribus *Abizenoath*; a Caath *Abigedur*; ab Israële *Semeiam filium Nathanaëlis*. Collatum etiam illi nomen *Tobia* vel *Sopher*. Chæremo apud Josephum [*l*] perhibet, Ægyptium Moysis nomen fuisse *Tisithem*: Manethoni est *Orsasiph*, Artapano est *Hermen*, unde nomen urbi *Hermopoli*.

QUEM ILLA ADOPTAVIT IN LOCUM FILII SUI. Narrat Philo [*m*], fœminam illam decepisse Pharaonem, quasi ventrem gereret, ut scilicet Moysem pro filio suo obtruderet. Insinuat Apostolus [*n*], fœminam illam principem haberi se voluisse tamquam matrem Moysis, cùm narrat Moysem negasse esse se filium filiæ Pharaonis. Negavit ille, spectare se ad mulierem, noluitque adoptionis commodo proficere.

Porrò Moyses apud parentes suos eruditus est avito sermone, historiâ, traditione, & religione Hebræorum: didicit pariter rerum suarum historiam, neque enim nisi adultus redditus est filiæ Pharaonis.

S. Stephanus in Actis vii, 22, observat, Moysem curante filiâ Regis scientias omnes Ægypti calluisse; quod e vetustis & parum cognitis Libris didicisse sanctum illum Martyrem censet, nec immeritò, Origenes [*o*]. Refert S. Clemens Alexandrinus [*p*], Ægyptios reserasse Moysi arcana Arithmeticæ, Geometriæ, Medicinæ, Musicæ, & occultæ Philosophiæ, nec celasse pariter Hieroglyphicorum mysteria. Addit Philo, excultum illum a Græcis [*q*] omnibus artium suarum disciplinis; regiam denique educationem habuisse. Addit pariter, communicasse illi Astronomiam, & Chaldæorum Assyrias literas: sed hæc omnia simul ægrè crederentur, ea maximè quæ narrat de disciplinis Græcorum. Author QQ. ad Orthodoxos, *quæst.* 25, nonnisi hieroglyphicis eruditum illum censet. Porrò scientiæ cæteræ, quas enumeravimus, vulgares erant, & minùs in honore apud Ægyptios: omnium instar una erat & singularis scientia Hieroglyphicorum. Hæc Author.

Scriptores plurimi [*r*] vindicarunt Moysi inventionem literarum Hebraicarum, quemadmodum Abrahamo Syriacarum & Chaldaicarum, Isidi Ægyptiarum, Nicostratæ Latinarum, Phœnicibus Græcarum, Ulphilæ Goticarum. Hæc omnia singillatim ferentes versiculi vulgati sunt [*s*]: qui cùm nomen Ulphilæ ferant, satis demonstrant, quarto sæculo se esse recentiores. Porrò Moysem usum esse literis tunc in Ægypto obtinentibus, nec aliis facilè a Phœniciis, credimus.

Nec commodum est adamussim definire, quid tunc ferret literatura Ægyptiorum. Vulgò creditum est, delectatos illos potissimùm Astronomiâ & Astrologiâ, quam vocant, judiciariâ. Nihil a se alienum censebant in superstitionibus, divinationibus, & magicis artibus. Magi qui Moysi restiterunt; Sapientes, qui insomnia explicare Josephi ætate norant; Sacerdotes, qui Hieroglyphicorum & scientiæ mysticæ arcana reserabant, illi omnes Sapientum nomine audiebant in Ægypto. Absit ut credamus, Moysem vanis hisce & superstitiosis bonas horas impendisse; vicissim autem nihil est, quo ab hac opinione retrahamur, didicisse scilicet illum Religionem & scientias Ægyptiorum, non quidem ut se ad illas sequendas compararet, sed ut adversùs illos & falsam Religionem accepta ex illis arma converteret. E Sapientibus hisce quidquid optimum norat, in suum succum derivare potuit, reliqua noxia detegere, ut adversùs eorum superstitionem & fucatam sapientiam Israëlitas præmuniret.

Historiam Moysis, plurimis adjectis rerum ab illo gestarum historiolis, de quibus silet Scriptura, ornavit plurimum Josephus [*t*]. Narrat illata ab illo in Æthiopes arma; quam expeditionem tantâ solertiâ & virtute egit, ut commoda & quidem maxima referret; cœpit enim urbem Sabam, appellatam postea Meroëm, arte filiæ Regis Æthiopiæ, quæ in ejus manus urbem tradidit, pacta cum eo nuptias. Stetit Moyses condi-

(h) *Manetho apud Euseb. Præp. l. 2, c. 1.* (i) *Ibid. l. 2, s. 2, & apud Diod.* [k] *Gedalias Catena Cabbala* (l) *Joseph l. 1, p. 1037, contra Appionem.* (m) *Philo de vitâ Mos. l. 1, p. 605.* Τὸν ποιῆσαι, τὰ περὶ τὸν ὄγκον τῆς γαστρὸς τεχνάσασα πρότερον, ἵνα γνήσιος, ἀλλὰ μὴ ὑποβολιμαῖος νομισθῇ.
(n) *Heb. xi, 24.* (o) *Lib. 3 contra Celsum, p. 139.* (p) *Lib. 1 Stromat. Ita & Philo l. 1 de vitâ Mos.*
(q) *Philo de vita Mos l. 1, p. 605.* (r) *Petr. Crinit. l. 17 de honestâ disciplinâ. Lilius Gyrald. Dialog. de Hist. Poëtar.* Jaquelot, Dissertation de l'existence de Dieu, ch. 23.
(s) *Primus Hebraas Moses exaravit litteras:*
Mente Phanices sagaci condiderunt Atticas:
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata:
Abraham Syras, & idem reperit Chaldaicas:
Isis arte non minore protulit Ægyptias:
Gulphila prompsit Getarum, quas videmus, literas. (t) *Joseph. Antiq. l. 2, c. 3.*

℣. 11. In diebus illis postquam creverat Moyses egressus est ad fratres suos: viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus suis.

℣. 12. Cùmque circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo.

℣. 13. Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes: dixitque ei, qui faciebat injuriam: Quare percutis proximum tuum?

℣. 14. Qui respondit: Quis te constituit principem, & judicem super nos? Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, & ait: Quomodo palam factum est verbum istud?

COMMENTARIUS.

tioni; atque ita Æthiopica expeditio absoluta est.

Sunt qui universam hanc historiam veluti fabellam a Josepho per lusum confictam rejiciant [u]. Censent alii, hæc omnia didicisse Josephum e vetustis quibusdam Ægyptiorum monumentis. Contendit pariter Usserius, Æthiopes illos, quos bello afflixit Moyses, ex iis fuisse, qui coloniam duxerant ad meridiem Ægypti XLIV annis circiter ante natum Moysem. Artapanus apud Eusebium [x] bellorum ejusmodi meminit, quemadmodum & Chronicon Alexandrinum; censet autem Marshamus [y], Moysem præfuisse copiis Regum superioris Ægypti ductis in Pastores, jam amplius centum annis inferiorem Ægyptum occupantibus. Tradit Manetho [z], diutinum bellum sævisse inter Reges Thebarum & Pastores: eâ occasione Moyses claruit, ait Marshamus.

Sed qui hæc conveniant cum iis, quæ ab eodem Authore asseruntur (a), Salatim nempe, qui persecutionem in Israëlitas primus movit, primum fuisse Regem Pastorum, inferiorem Ægyptum, ubi erant Israëlitæ, tenentium? Constat utique, Moysem in inferiori Ægypto nutritum, adoptatumque a filiâ unius ex Regibus illic rerum potientibus, opprimentibusque Hebræos. Quomodo ergo tulisset in Reges Pastorum arma pro Regibus Thebaidis, cùm ipse, juxta Marshamum, & in aulâ, & in familiâ unius ex Regibus Pastorum in inferiori Ægypto viveret?

℣. 11. In diebus illis, postquam creverat Moyses, egressus est ad fratres suos. Restitutus Moyses Thermuti filiæ Regis, apud illam mansit adusque ætatem XL annorum, ut observat S. Stephanus *in Actis* VII, 23. Tandem fide illustratus, & animatus Divino Spiritu, gloriæ filii adoptivi fœminæ illius Principis renuncians, desertâ aulâ contulit se ad Israëlitas fratres suos: *Fide Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem* (b).

℣. 12. Percussum Ægyptium abscondit sabulo. Factum hoc Moysis excusare videtur S. Stephanus *in Actis* VII, 25, occisum ab illo dicens Ægyptium ad ulciscendam injuriam Israëlitæ illatam; nec id consilii cœpisse illum, nisi quòd persuaderetur, satis nosse Hebræos, se ad servandum populum a Deo esse destinatum; sed agnoscens continuò, nihil eâ de re nosse illos, promptâ fugâ recepit se ex Ægypto. Implendis igitur Dei consiliis, Moyses necem intulit Ægyptio; nec aliud planè succurrit SS. Augustino, & Thomæ (c), ut virum a crimine purgent. Inclinatur tamen potiùs S. Augustinus (d) ad eum damnandum, cùm ponat nullâ illum sive a Deo, sive ab hominibus receptâ authoritate virum, licèt injustum, occidisse. Comparat factum hoc Moysis cum altero S. Petri, cujus de illatâ in Malchum injuriâ studium Jesus Christus improbavit. Sed tenenda est sententia, quam idem Sanctus tenuit in quæstionibus suis in Exodum *q.* 2; aliam enim viam instruit philosophandi, statuens singularem quamdam Spiritûs Sancti inspirationem, quam etiam insinuat in Actis S. Stephanus. In universâ hac re nihil nisi justum spectarunt S. Basilius [e], & S. Ambrosius (f), quamquam nihil attendentes extraordinariam illam viri Sancti missionem: *Priusquàm ad munus liberandi populi vocaretur, naturalis æquitatis judicio provocatus, quemdam de suis popularibus accipientem injuriam ultus est.* Commentatores nostrates (g) post S. Thomam, defendunt naturalis æquitatis jure integrum viro fuisse, ut fratrem suum injuriâ affectum defendens, aggressorem occideret, *cum moderamine inculpatæ tutelæ.*

Ægyptiis legibus ferebatur (h), ut quicumque alterum injuriâ affici videret, opem illi ferre, & a discrimine liberare cogeretur; & si quis imparem se viribus sentiret, rem statim deferret ad Magistratus. Plus multò præstitit Moyses, quàm lex jubebat, hominem enim interfecit; qui facilè injuriâ Israëlitam afficiens, manus inferre in ejus vitam tentabat; neque quidquam erat, quòd Moyses ex re ipsâ præstitâ speraret sibi patrocinii a Magistratibus; nec Moyses fortè vim vi repellere valuisset, nisi Ægyptio interfecto. Autumavit Philo (i), Ægyptium illum unum fuisse e Præfectis, qui operibus Israëlitarum præerant. S. Clemens Alexandrinus (k) ex veteri traditione

(u) *Theodoret. quæst.* 22 *in Numer. & alii.* (x) *Præp. lib.* 9, *c.* 4. (y) *Can. Ægypt. sæcul.* 9, *p.* 147. (z) *Manetho apud Joseph. lib.* 1 *contra Appion.* (a) *Sæcul.* VIII, *p.* 106, 107. (b) *Hebr.* XI, 25. (c) *S. Thom.* 2 2, *qu.* 60, *art.* 6 *ad* 2. (d) *Aug. l.* 22, *contra Faust. c.* 70. (e) *In Hexaëm. homil.* 1. (f) *Lib.* 1 *Hexaëm. c.* 2. (g) *Vide Rupert. Hugon. Lyran. Tost. Perer. &c.* (h) *Diod. lib.* 1. (i) *In vitâ Mos. l.* 1. *p.* 609. (k) *Lib.* 1 *Strom.* Φασὶ δὲ οἱ μύσται λόγῳ μόνῳ ἀνελεῖν τὸν Αἰγύπτιον, ὥσπερ ὕστερον Πέτρος ἐν ταῖς πράξεσι φέρεται τοὺς νοσφισαμένους τῆς τιμῆς τοῦ χωρίου, καὶ ψευσαμένους λόγῳ ἀποκτεῖναι.

℣. 15. Audivitque Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſen: qui fugiens de conſpectu ejus, moratus eſt in terrâ Madian, & ſedit juxta puteum.

℣. 16. Erant autem Sacerdoti Madian ſeptem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam: & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui.

℣. 17. Supervenêre paſtores, & ejecerunt eas: Surrexitque Moyſes, & defenſis puellis, adaquavit oves earum.

℣. 18. Quæ cùm revertiſſent ad Raguel patrem ſuum, dixit ad eas: Cur velociùs veniſtis ſolito?

℣. 19. Reſponderunt: Vir Ægyptius liberavit nos de manu paſtorum: inſuper & hauſit aquam nobiſcum, potumque dedit ovibus.

℣. 20. At ille: Ubi eſt? inquit. Quare dimiſiſtis hominem? Vocate eum, ut comedat panem.

COMMENTARIUS.

ditione refert, Moyſem vocis ſuæ unins ſono virum interfeciſſe, ita fermè, uti S. Petrus fraudis & mendacij arguens Ananiam & Saphiram verborum pondere illos oppreſſit. Putant Rabbini (l), Moyſem prolato terribili nomine *Jehovah*, quaſi fulmine correptum, actutum Ægyptium interfeciſſe.

ABSCONDIT SABULO, in ſabuloſâ Ægypti humo; operuit quamcitiſſimè.

℣. 15. MORATUS EST IN TERRA MADIAN. Joſephus (m), & poſt illum Interpretes plures cum pleriſque Geographis, regionem Madian, quò ſe Moyſes recepit, conſtituunt in Arabiâ Petræâ ad litus Orientale Erythræi, non longè a Sinai; appellant adhuc Regionem Madian ſive Jethro Arabes. Occurrebant e Madianitis quidam in Arabiâ Petræâ ad meridiem Juda, ut ex pluribus Scripturæ locis intelligimus (n). Acciti inde Cinæi, e quibus Jethro, ejuſque poſteri (o). Si autem Cinæi originem referunt ex Madianitis, & ſi utrique authorem habent Chus; quomodo Sephoræ uxori Moyſis vitio vertitur, Chuſitidem eſſe genere (p)? & ſi Cinæi inter gentes habentur anathemati devotas, quorum regio promiſſa ſit poſteris Abrahami (q); ſequitur inde, genus illos referre ex Cham per Chus unum ex ejus filiis (r), adeoque differre plurimùm a Madianitis, ex Abrahamo & Cethurâ poſteris (s), ſedem habentibus ad orientem maris mortui, ubi ætate Euſebii & S. Hieronymi ſpectabantur rudera urbis Madian ad Arnon in viciniis Ar ſive Areopolis (t). Iidem pariter Euſebius & S. Hieronymus cenſent, eò ſe recepiſſe Moyſem; quorum ne ſequamur ſententiam, prohibent adductæ modò rationes.

Demetrio apud Euſebium (u) eſt Jethro Madianita ex Abraham & Cethurâ per Jecſan natus, in hunc modum. Abrahami, Jecſan, Dadan, Raguel, Jethro. Nos tamen nequaquam perſuademur, Jethro genus retuliſſe ex Abrahamo ſive per Jecſan, ſive per Madian; alioqui enim vix erat, cur originis vitium exprobrarent Sephoræ filiæ Jethro Maria & Aaron; vitio enim dederunt, Chuſitidem fuiſſe (x), a genere Abrahami alienam.

℣. 16. ERANT AUTEM SACERDOTI MADIAN SEPTEM FILIÆ. Artapanus, Ezechiel poëta (y), Onkelos, aliique plures cenſent, Jethro Sacerdotis pariter & Regis urbis Madian dignitates in ſe conciliaſſe. Hebræum כֹּהֵן, *cohen* eſt interdum princeps, quo ſenſu uſurpatum eſt de filiis Davidis (z). Volunt autem ſemper principem deſignare, cùm nomini alicujus loci jungitur, ut hìc. Eſt aliis Jethro vir unicè *Sacerdos*; aliis Sacerdos Numinum (a); vulgò tamen creditur Sacerdotium geſſiſſe veri Dei, uti Melchiſedeh, Job, & Patriarchæ. Erat olim Sacerdotium dignitas Regem & patres familiâs ſequens. Inofficioſa planè ratio, quâ Paſtores Madian deturbarunt filias Jethro, ſuſpicionem ingerit, ipſum urbis Regnum non obtinuiſſe; viciſſim autem veri Dei cultorem ejuſque Sacerdotio functum ideò credimus, quòd Moyſes non tantùm illi adhæſerit, ſed cum ejus familiâ junxerit connubia; ac tandem Jethro, ut venit in caſtra Iſraëlitarum, obtulerit Domino ſacrificia (b).

℣. 18. QUÆ CUM REVERTISSENT AD RAGUEL PATREM SUUM. Vulgò ferunt, Raguelem quatuor nominibus inſtructum fuiſſe, *Raguel*, *Hobab*, *Ceni*, *& Jethro*. Hìc *Raguel* appellatur; inferiùs XVIII, 1, *Jethro*; in Numeris X, 2, *Hobab*; in Judicibus 1, 16, *Ceni*. Addunt Rabbini etiam nomina *Jether*, *Phutiel*, *Cheber*. Putant nonnulli (c), Raguelem patrem fuiſſe Jethro; & puellas, de quibus hìc, rem detuliſſe non ad patrem ſuum Jethro, ſed ad Raguelem avum ſuum. Fidem adſtruit huic opinioni illud ex Numeris ſupra laudatum, quo Hobab appellatur filius Raguelis & ſocer Moyſis. Malunt tandem alii, Hobab non ſocerum

(l) *Rab. Salom. & alii Rabb. Vide vit. Moſis.* (m) *Joſeph. Antiq. l. 2, c. 11.* (n) 3 *Reg.* XI, 18. *Habac.* III, 7. (o) *Num.* XXIV, 21. *Judith* 1, 16; 1 *Reg.* XV, 6. (p) *Num.* II, 1. (q) *Geneſ.* XV, 19. (r) *Geneſ.* X, 6. (s) *Geneſ.* XXV, 3. [t] *Euſeb. & Hieronym. in locis.* (u) *Euſeb. l. 9 Præparat. c. 23.* (x) *Num.* XII, 1. (y) *Apud Euſeb. Præpar. l. 9, c. 4.* (z) 2 *Reg.* VIII, 18. (a) *Kimchi apud Munſter.* (b) *Exod.* XVIII, 11, 12. (c) *Ita Vatab. Clarius, Grot. alii plures.*

℣. 21. Juravit ergo Moyses quod habitaret cum eo: accepitque Sephoram filiam ejus uxorem.

℣. 22. Quæ peperit ei filium, quem vocavit Gersam, dicens: Advena fui in terrâ alienâ. Alterum verò peperit, quem vocavit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis.

℣. 23. Post multum verò temporis mortuus est Rex Ægypti: & ingemiscentes filii Israël, propter opera vociferati sunt; ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.

℣. 24. Et audivit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Jacob.

℣. 25. Et respexit Dominus filios Israël, & cognovit eos.

COMMENTARIUS.

cerum fuisse Moysis, sed fratrem Sephoræ, adeoque Moysi levirum. Singulæ ex his sententiis suos habent assertores; sed fieri planè non posse judicamus, ut peremptoria sententia eâ de re feratur, omnesque nodi solvantur, cùm certa lateat significatio Hebrææ vocis חותן *choten*, quam legimus in Numeris x, 29, ad exprimendum necessitudinis gradum, Moysem inter & Hobab; & in Exodo XVIII, 5, 27, eàdem significatione, Moysem inter & Jethro. Profectò si vox illa tam latè usurpatur, quàm accipitur a S. Hieronymo, qui reddit *cognatum*, nihil ad solvendum nodum valet; atque si socerum exprimit, fateamur utique oportet, Jethro & Hobab unum esse virum, quemadmodum & Raguelem, qui hîc ℣. 21 filiam suam Sephoram nuptum Moysi donat (*d*).

℣. 21. JURAVIT ERGO MOYSES, QUOD HABITARET CUM EO. Hebræum ויואל ita vulgò redditur: *Voluit*, gratum sibi esse significavit eum illo manere. Neglexerunt hanc vocem Septuaginta, reddentes tantùm: Κατῳκίσθη, *Habitavit apud hominem*. Symmachus: Ὥρκισε δὲ Μωυσῆν, ὥστε οἰκῆσαι, *Jurejurando adstrinxit Moysem, adeò ut secum habitaret* (*e*). Theodotion: Ἤρξατο Μωυσῆς κατοικεῖν, *Moyses cœpit habitare* (*f*).

℣. 22. ALTERUM VERO PEPERIT, QUEM VOCAVIT ELIEZER, DICENS: DEUS ENIM PATRIS MEI ADJUTOR MEUS ERIPUIT ME DE MANU PHARAONIS. Desunt hæc omnia in Hebræo & Chaldæo; vicissim autem leguntur in Septuaginta Editionis Complutensis, & in veteri Ms. Bibliothecæ Coislinianæ, sed asterisco notata, indicio defuisse illa in Hexaplis Origenis. Nec abs re putaremus, Textum hunc mancum esse vel expunctum in Textu originali hujus loci; suppletus est autem ex capite XVIII, 4 hujus Libri.

℣. 23. MORTUUS EST REX ÆGYPTI, qui Usserio est *Ramesses Miamum*, cujus obitum ille consignat ad A. M. 2494. Successorem habuit Amenophim, aquis maris rubri demersum ab hinc XIX annis, cùm Israëlitas insequeretur.

℣. 25. ET COGNOVIT EOS. Agnovit in populum suum; mala, quibus premebantur, spectavit. Hebræus: וידע אלהים *Et Deus cognovit*, nempe injustitiam Ægyptiorum cognovit. Septuaginta: Ἐγνώσθη αὐτοῖς, *Innotuit illis*. Exemplaria quædam Latina: *Et liberavit eos*.

CAPUT III.

Deus, manifestans se Moysi, mittit illum ad reducendos ex Ægypto Hebræos, aperitque illis nomen suum. Moyses ab eo munere se excusat.

℣. 1. MOyses autem pascebat oves Jetro soceri sui sacerdotis Madian: cùmque minasset gregem ad interiora deserti, vênit ad montem Dei Horeb.

COMMENTARIUS.

℣. 1. AD MONTEM DEI HOREB. Mons est in Arabiâ Petræâ, Sinai proximus. Est vicissim Sinai ad orientem Horebi, adeò ut Sole exoriente Sinai umbra totum Horebum contegat. Mon-

(d) *Vide Exod.* XVIII, 1; & *Num.* X, 2. (e) *Veluti derivatum ex* אלה (f) *Ductum ex* יאל

℣. 2. Apparuitque ei Dominus in flammâ ignis de medio rubi: & videbat quòd rubus arderet, & non combureretur.

℣. 3. Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.

℣. 4. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses? Qui respondit: Adsum.

℣. 5. At ille, Ne appropies, inquit, huc: solve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.

℣. 6. Et ait: Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.

℣. 7. Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi propter duritiam eorum, qui præsunt operibus.

COMMENTARIUS.

Montem Sinai nonnisi pluviæ irrigant; Horeb foecundatur duobus vel tribus amœnissimis fontibus, ejusque vertex luxuriat pomiferis arboribus consitus. Mons iste appellatur hìc *mons Dei*, sive eximiæ celsitudinis gratiâ, sive anticipatione quadam, quòd ibi spectandum se Deus Moysi obtulerit, ut statim legimus.

℣. 2. Apparuit ei Dominus. Agebat tunc Moyses annos LXXX ætatis (*a*). Hebræus (*b*) & Septuaginta (*c*): Angelus Jehova apparuit illi. S. Stephanus (*d*) appellat pariter Angelum Domini; asseritque etiam Apostolus (*e*) Legem *ordinatam esse per Angelos*. Angelus ergo Domini, infinitam ejus majestatem referens, videndum se obtulit: quam sententiam tenet S. Augustinus, hanc pariter regulam generalem ponens [*f*]: *Illa omnia, quæ Patribus visa sunt, cùm Deus illis secundùm suam dispensationem temporibus congruam præsentaretur, per Creaturam facta esse manifestum est. Et si nos latet, quomodo ea ministris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse facta, non ex nostro sensu dicimus, sed sapimus & credimus.* Asserit pariter S. Hieronymus (*g*), in universo Veteri Testamento cùm Scriptura priùs Angelum per visum apparentem narrat, tum loquentem inducit Angelum Dei ipsius verbis ac personâ, agnosci oportere verum hunc esse Dei ministrum, in quo Mediator homines alloquitur. S. Gregorius Magnus (*h*): *Modò Angeli, modò Dominus vocantur, quia Angelorum vocabulo exprimuntur, qui exteriùs ministrabant, & appellatione Domini ostenditur, qui eis interiùs præerat.*

Fateamur tamen necesse est, Veteres plerosque putasse, Dei filium & ipsum eumdem Deum in rubo ardenti a Moyse fuisse spectatum. Hanc sententiam confirmant; I, Quòd filius Dei appellatur Angelus vel missus a Domino in Scripturâ [*i*]. II, Quòd Angelus ille nomen hìc sibi arrogat, Deique authoritatem; ad hæc, vindicat sibi naturam ipsam Divinam, ejusque nomine incommunicabile. III, Precatur Moyses Josepho benedictionem illius, qui sibi apparuit in rubo ardenti. (*k*); non rogasset autem benedictionem nisi Dei. Tertullianus (*l*), S. Justinus (*m*), S. Irenæus [*n*], S. Basilius (*o*), S. Hilarius [*p*], Eusebius (*q*), Theodoretus [*r*] hanc sententiam tuentur. S. Augustinus, cujus verba supra dedimus, utramque opinionem veluti probabilem notat in suis Quæstionibus in Exodum, & de Trinitate lib. 2, cap. 13, & Sermone 6, cap. 2, & sermone 7, n. 3, novæ Editionis. *Duæ sunt sententiæ, quarum qualibet vera sit, ambæ secundùm fidem sunt.*

In flamma ignis. Reddi posset Hebræus (*s*): *In corde ignis*. Moyses alibi docet, Deum ignem esse devorantem (*t*). Coram universo Israële in Sinai spectandum se præbuit, ingentis ignis specie (*u*). Graditur ignis ante Dominum (*x*); ejusque ministri perinde sunt veluti flamma ignis. Grotius recitat antiquum Græcum versiculum, quo Deus interdum sub specie ignis apparere dicitur (*y*).

℣. 5. Solve calceamentum de pedibus tuis. Nudipedium in actibus Religioois solemne erat apud Ægyptios & Arabes. Creditur Pythagoras dogma illud suum ex Ægyptiis didicisse: *Adora, & sacrifica nudis pedibus* (*z*). Manet id hodie usque apud Turcas, qui nunquam in Moschæas, nisi soleis detractis, ingrediuntur. Servatum id pariter obsequii genus apud Christianos Æthiopes cum Templis suis, & apud Bracmanos Indiarum cum Pagodis. *Ædem Dianæ Cretensis, præterquam nudus vestigio, nullus licitè ingreditur*, ait Solinus c. 19.

(a) *Vide Exod.* VII, 7; *& Act.* VII, 23, 29, 30. (b) וירא מלאך יהוה (c) Ὤφθη δὲ αὐτῷ Ἄγγελος Κυρίου (d) *Act.* VII, 30. (e) *Galat.* III, 18. (f) *Lib. 3 de Trin. c.* 11. *Vide & Tract. 3 in Joan. n.* 17, *&* 18. (g) *Hieron. in Epist. ad Galat. c.* 3. (h) *Greg. l.* XXVIII. *Moral. c.* 1.
(i) *Malach.* III, 1. (k) *Deut.* XXXIII, 16. (l) *Tertull. contra Judæos, & lib. 2 contra Marcion. n.* 27; *& lib. advers. Praxeam.* (m) *Just. Dialog. cum Tryph.* (n) *Iren. l.* 4 *adversùs hæres. c.* 26. (o) *Basil. l.* 2, *& 4 contra Eunom.* (p) *Hilar. lib.* 4, *& 5 de Trinit. & in Psalm.* LXVII, *&* LXVIII. (q) *Euseb. in Psalm.* LXVII, LXXVI, *&* LXXVII. (r) *Theodoret. in quæst.* 1 *in Exod.* (s) בלבת אש *ubi* לבת *est pro* להבת *Flamma.* (t) *Deut.* IV, 24. (u) *Exod.* XXIV, 17. (x) *Psal.* XCVI, 3.
(y) Οὐκ οἶσθα δ' ἄυλον, ποτὲ μὲν ὡς πῦρ φαίνεται. (z) Ἀνυπόδητος θῦε καὶ προσκύνει. *Apud Jamblic. in ejus vita.*

Digitized by Google

℣. 8. Et sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terrâ illâ in terram bonam, & spatiosam, in terram, quæ fluit lacte, & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi.

℣. 9. Clamor ergo filiorum Israël vênit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur.

℣. 10. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum, filios Israël, de Ægypto.

℣. 11. Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?

℣. 12. Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habebis signum, quòd miserim te: Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.

COMMENTARIUS.

19. Idem asserit Theodoretus de Sacerdotibus Templi Jerosolymitani; quod satis apparet ex præcepto Domini jubentis (a), lotis priùs pedibus, & manibus ingredi in Sanctum. Juvenalis Satyrâ sextâ, de Judæis ætatis suæ:

Exercent ubi festa mero pede Sabbatha Reges.

Pagani imbres a Jove impetraturi, nudis pedibus accedebant (b). Hæreticos nudis pedibus incedentes, imitatione Moysis, & Josue, memorat S. Augustinus (c). Porrò id factum a Moyse arbitratur Origenes (d) præfiguratione quadam futuri, quasi scilicet typo illo exprimeretur futurum, *ut acciperet alius sponsam, & illa* (Synagoga) *vocaretur Domus discalceati*, cùm Jesus Christus illam sibi desponderet.

℣. 6. ABSCONDIT MOYSES FACIEM SUAM. Pallio nempe totum caput & vultum obvolvit, metûs & reverentiæ significatione. Avertit Moyses faciem suam, ἀπέστρεψε πρόσωπον, scribunt Septuaginta. Inclinavit vultum כבש Onkelos. Porrò si nudipedium animi obsequentis erat indicium, ejus pariter rei argumentum præbebat obvolutio illa oris: texisse autem faciem suam videtur metu videndi Deum, ex cujus aspectu mortem sibi inducendam timeret (e).

℣. 8. IN TERRAM BONAM, ET SPATIOSAM. Regio utique Chanaanitidis amœnitate suâ & amplitudine multò superabat Gessen, assignatam Hebræis in Ægypto regionem, in qua auctus in immensum populus arctissimè habitabat. Patebat Chanaanitis in longum circiter LXX leucis, in latum XX vel XXV, juxta Brocardum. S. Hieronymus a Dan adusque Bersabee numerat CLX M. passuum, & XLVI M latitudinis intervallum. Judæos ter decies centena millia jugerum optimæ terræ possidere, affirmat Hecatæus.

IN TERRAM, QUÆ FLUIT LACTE ET MELLE. Dicta hæc per hyperbolem ad exprimendum solum exquisitis optimisque fructibus fœcundum, & culturæ facilis. Hæc optimæ terræ felicitas fusiùs describitur in Deuteronomio VIII, 7: *Dominus*, ait Moyses, *introducet te in terram bonam, terram rivorum, aquarumque & fontium, in cujus campis & montibus erumpunt fluviorum abyssi: terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus & malogranata, & oliveta nascantur; terram olei, & mellis &c. . . . . Cujus lapides ferrum sunt, & de montibus ejus æris metalla fodiuntur &c.* Et ibidem XXXII, 13: *Constituit eum Dominus super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum, ut sugeret mel de petrâ, oleumque de saxo durissimo. Butyrum de armento, & lac de ovibus cum adipe agnorum, & arietum, & hircos cum medullâ tritici, & sanguinem uvæ meracissimum.* Hæc pinguis soli felicitas. Tandem Rabsaces (f) a Rege Assyriorum ad Judæos missus, ut dederent se Regi, nihil aliud pollicetur, quàm terram regioni ejus populi non dissimilem, fertilem, panis & vini feracem, terram vinearum, & olivarum, terram olei, & mellis. Homerus (g) pari ratione Argivam humum appellat *terræ uber*. Et Virgilius Æneidos III:

. . . . . . Tellus eadem vos ubere læto
Excipiet reduces: antiquam exquirite matrem.

Comminiscebantur poëtæ (h), Bacchum rivos mellis, aquæ, & vini effudisse; quod ab illis assertum est, quòd in unum confuderint in his & aliis Bacchum & Moysem. Porrò mel & lac affluere in Palæstinâ (i) asserunt Scriptores, ut cibus sit quotidianus & familiaris, & dapum omnium vulgare condimentum.

IN TERRAM CHANANÆI. Septuaginta ponunt *Gergesæos* post *Hevæos*, & Samaritanus post *Pheresæos*; sed in Hebræo cæterisque Versionibus non leguntur hìc & ℣. 17. Porrò gentium Chananæarum catalogus in Scripturâ mancus est sæpè.

℣. 12. HOC HABEBIS SIGNUM, QUOD MISERIM TE

(a) *Exod.* XXX, 19. (b) *Tertull. de Jejunio; Cùm stupet Cœlum, & aret annus, nudipedalia denunciantur.* (c) *Aug. de Hæresib. Hæres.* 67. (d) *Origen. Homil.* XII *in Exod.* (e) *Vide Genes.* XVI, 13.
(f) 4 *Reg.* XVIII, 32. (g) *Iliad.* I. Εἰ δέ κεν Ἄργος ἱκοίμεθ' Ἀχαιϊκὸν οὖθαρ ἀρούρης.
(h) *Eurip. Bacchis.* Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον,
Ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν
Νέκταρι.
Philostrat. Εἰκόν. *in Semele de Baccho.* Ἥ γε καὶ συμβακχεύουσα αὐτῷ καὶ οἶνον ἀφύσσειν ἐκ τῶν γάλα οἷον ἀπὸ μαζῶν ἕλκειν, τὸ μὲν ἐκ βώλου, τὸ δὲ ἐκ πέτρας. (i) Eugéne Roger, liv. 5, ch. 2.

Digitized by Google

℣. 13. Ait Moyses ad Deum : Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis : Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi : Quod est nomen ejus ? quid dicam eis?

℣. 14. Dixit Deus ad Moysen : Ego sum qui sum. Ait : Sic dices filiis Israël : Qui est misit me ad vos.

COMMENTARIUS.

12. Ut homines inducat Deus ad arduum aliquid suscipiendum, solet interdum editis signis animum præmunire. Sed hìc Deus pollicetur Moysi, signum missionis suæ post eventum fore exhibendum. Profectò ad asserendam rei præsentis fidem satis erat, quam præ oculis habebat, visio; sed cùm cœptum illud impossibile videri posset Moysi, ac de eventu facilè desperasset, ut alacri animo rem suscipiat, hortatur Deus, prosperum rei eventum exhibens tamquam argumentum veritatis missionis suæ; addens pariter futurum, ut cùm populus e servitute liberatus pervenerit ad Sinai, offerantur ab illis sacrificia; quorum documento intelligent per orbem gentes, re ipsâ Moysem a Deo missum fuisse.

Porrò genus hoc promissionum, futuri scilicet rerum eventûs ad res præcedentes confirmandas, frequentissimum est, si quod aliud, in Scripturâ: e. g. Isaiæ xii, 13, &c. Messiæ ex Virgine parente natalis annunciatur Regi Achaz, veluti certum argumentum liberationis ejusdem Regis. Et cùm idem Propheta Ezechiam erigit in spem liberationis ex oppressione Regum Assyriorum, fidem adstruit verbis suis eo signo exhibito (k): *Comede hoc anno quæ repereris; in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur; porrò in tertio anno seminate & metite; plantate vineas & comedite fructum earum.* Interim arctâ obsidione tum vallabat Jerosolymam Sennacherib, ejusque copiæ nocte ipsius diei, quo hæc prænunciabantur, dissipatæ sunt. Imminentis ergo liberationis signum exhibet messem & agrorum cultum triennio pòst eventurum. Eodem ductus principio Gamaliel in concilio Optimatum Judæorum, prædixit futurum, ut an Christi religio ex Deo esset, nec ne, rei eventus demonstraret (l).

Sunt qui hunc Textum alio sensu exponant: *Ego ero tecum, & hoc habebis signum:* Præsentia mea, exhibendum a me patrocinium, prodigia meo nomine a te patranda, veritatem missionis tuæ testatam facient apud omnes; cùm verò populum meum liberaveris, huc veniens offeres sacrificia. Vel aliter: Hoc quod videndum tibi exhibetur in rubo ardenti & illæso, signum erit & indicium tuæ a Deo missionis.

℣. 13. Quod est nomen ejus? Moyses & Israëlitæ Deum patrum suorum norant nomine Dei Omnipotentis, Dei Creatoris, Dei Abraham, timoris Isaac; sed peculiari & incommunicabili suo nomine illum minimè adhuc norant; Deus enim nondum se revelasse illud Patriarchis, inferiùs vi, 3, declarat. Nomen ejus quærit hìc Moyses, ut scilicet ejus nomine verba faciens Israëlitis, non vana se loqui & parum asserta videatur; sed interrogantibus, quis esset Deus ille, possit nomine ejus indicato certam ejus rei fidem exhibere.

Veteres quidam Patres (m) docuerunt, peculiari nomine carere Deum. *Deo nomen non est,* ait Lactantius, *quia solus est; nec opus est proprio vocabulo, nisi cùm discrimen exigit multitudo, ut unamquamque personam suâ notâ & appellatione designes: Deo autem, quia semper unus est, proprium nomen est Deus.* Et quidem nonnisi absurdissimè nomen peculiare & singulare tribueretur Deo, veluti si ab aliis Diis distinguendus esset. Nonnisi post auctos in immensum Deos, Paganis ipsis succurrit, ut nominibus propriis singulos Deos distinguerent. Jactitant Ægyptii, se tamquam mortalium omnium primos nomina Diis tribuisse. Deos suos peculiari nomine distinguere diu apud Græcos inusitatum fuit (n); nullumque nomen Deo tribuendum Philosophi plures censuerunt; quam sententiam defendenti Celso Origenes libro vi contra ipsum reponit, nullo quidem vocabulo Dei naturam & dotes exprimi: defendit autem plura esse nomina, quibus nonnullas Numinis dotes cognoscimus. Omnium maximè Deo congruit nomen *Jehovah*, hìc Moysi revelatum; exprimit enim summum illud actu existens, creaturisque, ut sint, de se participans.

℣. 14. Ego sum qui sum. Hebræus אהיה אשר אהיה *Ego ero (qui) erit;* seu potius *Eheieh qui (est) Ehejeh* (o). Et infra: אהיה שלחני אליכם *Ehejeh misit me ad vos.* Vocabulum *Ehejeh* prima est persona futuri *Hajah*, sum; veluti si Deus insinuaret: Ego ero is qui erit vobiscum; vel, Ego ipse ero vobis comes; ego præstabo opem & libertatem populo. Deinceps Deus solet se nomine יהוה *Jehovah* designare; est autem ex verbo *Havah, existo*, & tertia est persona futuri. Nomen illud *Jehovah* reddi posset ad literam, *Qui dat*, seu *dabit* rebus ut sint.

Interpretes quidam (p) & Grammatici in vocabulo *Jehovah* & *Ehejeh* deprehendisse visi sibi sunt characteres præsentis temporis in י, præteriti in ו, & futuri in ה; quasi scilicet Deus significaret, omnia se tempora æternitate suâ complecti. Sed ad veritatem hanc asserendam non opus est utique frivola Grammaticorum exquirere. S. Joannes in Apocalypsi i, 4, Dei majestatem designat his verbis: Ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *Qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Author carminum Orphei vel Onomacritæ nomine inscriptorum, eadem reputabat, cùm scriberet, Legislatorem eductum, vel egressum ex aquis, ita designat Moysem, scripsisse in suâ duplici Lege, idest, in geminis Tabulis Legis, Deum esse

(k) *Vide 4 Reg. xix, 29, & seq.* (l) *Act. v, 38.* (m) *Lact. Instit. divin. l. 1, c. 6. Philo de nomin. commut. l. 6 de Legat. Justin. Mart. exhort. ad Græcos. Clem. Alex. Strom. l. 1. Nyssen. l. xii contra Eunom.* (n) *Herodot. l. 2, c. 52.* (o) אהיה אשר אהיה *Aqu. Theod.* Ἔσομαι Ἔσομαι, *Ero, Ero. Septuag.* Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, *Ego sum qui sum.* (p) *Perer. Zanch. Buxtorf.*

Digitized by Google

℣. 15. Dixitque iterum Deus ad Moysen: Hæc dices filiis Israël: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem.

℣. 16. Vade, & congrega seniores Israël, & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, dicens: Visitans visitavi vos, & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto.

℣. 17. Et dixi, ut educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Hevæi, & Jebusæi, ad terram fluentem lacte, & melle.

COMMENTARIUS.

esse, qui in se uno continet initium, medium & finem (q). Satis alibi observavimus, in nominibus propriis sæpè futurum poni loco præsentis. Ita dicitur Isaac, Ismaël, Jacob, Israël, &c. quæ ad literam significant *videbit*, *Dominus auscultabit*, *supplantabit*, *contra Deum prævalebit*.

Oleaster nomen *Jehovah* accersit ex verbo insusitato *hovah*, destruere, miserum reddere (r), veluti si exprimeret Deus appellatione illâ potestatem suam, virtutem dotemque Dei ultoris & terribilis. Moyses in Cantico quod cecinit post transitum maris rubri (s), *Jehovah quasi vir pugnator*, *Omnipotens* (*Jehovah*) *nomen ejus*. Et in Deuteronomio xxviii, 58: *Nomen ejus gloriosum & terribile Jehovah Dominum Deum tuum.* Tandem nomen *Jehovah* jungitur sæpè (t) vocabulo *Sabaoth*, exercituum. Sed hæc argumenta non satis habere virium credimus, ut vulgarem opinionem cogant deserere, quæ hoc nomen ex verbo *havah* deducit, quo luculentiùs exprimitur munus Creatoris.

℣. 15. DOMINUS DEUS PATRUM VESTRORUM. Hebræus יהוה אלה אבתיכם, *Jehovah Elohim patrum vestrorum*. Viri plures docti tuentur, vulgarem rationem pronunciandi, qua efferimus *Jehovah*, nec satis probatam esse, nec vetustam nominis incommunicabilis expressionem. Aliter quidem illud exprimunt Veteres. Sanchoniaton (u) scribit *jevo*. Diodorus Siculus *lib.* 2, Macrobius *lib.* 1, *cap.* 18, S. Clemens Alexandrinus *Strom. lib.* 5, S. Hieronymus *in Psalmum* viii, Origenes *contra Celsum libro* 6, pronunciant *Jao*. S. Epiphanius *hæresi* 40, Theodoretus *quæstione* 15 *in Exodum*, & Samaritani, *Jabe* vel *Jave*. Apud veteres etiam legitur *Jahoh*, *Javo*, *Jaod*, *Jaou*. Ludovicus Capellius, *Javo*; Drusius, *Jave*; Mercerus, *Jehova*; Hottingerus *Jehva*. Mauri Deum suum appellant *Jubam* (x), quem aliqui eumdem credunt ac *Jova*. Carmina quædam magica adversùs morbum articularem refert Trallianus, in quibus legitur *Jae* vel *Jaoth*. Non immeritò reputaremus, nomen *Jovis* vel *Jovis-piter* deduci ex *Javo* vel *Jehovah*.

Judæi post Templi eversionem a pronunciando nomine incommunicabili se continent; & cùm in Textu occurrit, ejus loco legunt *Adonai*. Docent, Sacri ejus nominis virtute Moysem tot prodigiis claruisse; cùm enim, inquiunt, obmurmorasset illud in auribus Nechephris Regis Ægypti, concidit ille statim exanimis, ait Artapanus apud S. Clementem Alexandrinum, *Strom. lib* 5. Uti illo in suis adjurationibus pellendisque morbis Paganos, affirmat Origenes *libro* 1 *contra Celsum*. Ægyptii illi, quibus aditus in Templum Solis permissus, scriptum circa se ferebant nomen *Jaou* (y). Judæi per summam impudentiam affirmant, Jesum Christum miracula patrasse sacri ejus nominis virtute.

HOC MEMORIALE MEUM IN GENERATIONEM, &c. Futuris posthac temporibus agnoscar sub nomine *Jehovah*; tamdiù manebit nominis hujus memoria, quamdiu mei. Ex Hebræo *Seker* (z) facilè deductum latinum *Sacer*, *Sacrum*, quòd Dei nomen pronuncietur in operatione sacrorum, & in sacramentis præstandis.

℣. 16. CONGREGA SENIORES ISRAEL. Grotius (a) & Bertramus (b) autumant, seniores illos Senatum quemdam constituisse LXX Patrum ex universis Tribubus delectorum, quorum arbitrium rebus Israëliticis moderaretur, secundariâ tamen a Regibus Ægypti authoritate. Scitum est, seniorum nomen dignitatis esse frequenter potiùs quàm ætatis. Eo titulo distinguebantur Magistratus apud Carthaginenses (c). Reipublicæ Optimates apud Romanos Senatorum nomine, quod a Senioribus petitum est, audiebant. Viri etiam amplissimi apud Græcos, Senes appellantur ab Homero (d). Sui pariter erant Senes apud Lacedæmones & Cretenses. Hic tamen credimus, faciliè eo nomine designari tantum Principes Tribuum & viros Principes in populo, quibus erat fortasse authoritas aliqua in familias, nulla tamen in populum

(q) Α'ρχὴν αὐτὸς ἔχων, ἅμα ϗ μέσον, ἠδὲ τελευτὴν,
Ω'ς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογένης διέταξε
Ε'κ Θεόθεν γνώμαισι λαβὼν κατὰ δίπλακα Θεσμὸν.

[r] *Vide Isai.* xlvii, 11. *Ezech.* vii, 26. *Mich.* vii, 1. *Job* vi, 2. *Proverb.* xi, 6. *Psal.* lvi, 2.
[s] *Exod.* xv, 3. [t] *Psal.* xxiii, 10. *Isa.* i, 9, 24; & iii, 1, &c. (u) *Apud Euseb. Præp. l.* x, *c.* 9.
(x) *Minut. Felix Vide & Lact. l.* 1, *c.* 25 *Inst. Divin.* (y) *Clem. Alex. l.* 5 *Strom.*
(z) זה זכרי לדור דיר *Sym.* Α'νάμνησίς μυ. *Septuag.* Μνημόσυνον. (a) *Grot. in cap.* iv *Exodi* ℣. 29.
(b) *Bertram. de Rep. Heb.* (c) *Arist. Politic.* 2, *c.* 9. (d) *Homer. Iliad.* B, I, Σ.

Digitized by Google

℣. 18. Et audient vocem tuam: ingredierisque tu, & seniores Israël ad Regem Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocavit nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro.

℣. 19. Sed ego scio, quòd non dimittet vos Rex Ægypti, ut eatis, nisi per manum validam.

℣. 20. Extendam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum: post hæc dimittet vos.

℣. 21. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis: & cùm egrediemini, non exibitis vacui;

℣. 22. Sed postulabit mulier a vicinâ suâ, & ab hospitâ suâ, vasa argentea, & aurea, ac vestes: ponetisque eas super filios, & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.

COMMENTARIUS.

lum universum.

VISITANS VISITAVI VOS. Angelus sermonem habens ad Moysem significat, contulisse se datâ operâ in Ægyptum, oculis suis spectaturus, an injuriæ Ægyptiorum in Hebræos tales essent, quales a clamoribus Hebræorum exprimerentur: Impletam hîc licet agnoscere fidem oraculi Josephi morituri: *Post mortem meam Deus visitabit vos* [e]. Deus more hominum loquitur; conferre se dicit in loca, ubi testis oculatus ea inspiciat, quæ sibi narrantur. Gemina habes in Genesi XVIII, 21.

℣. 18. DEUS HEBRÆORUM VOCAVIT NOS. Textus Originalis נקרה עלינו reddi posset: *Deus Hebræorum invocatus est super nos*. Nos ad ipsum confugimus, veluti gens illi specialiter addicta; vel nos famuli sumus Dei Hebræorum; habuit nos ille in populum suum, quemadmodum nos illum in Deum nostrum agnoscimus. Reddunt nonnulli: *Occurrit super nos*; apparuit nobis.

IBIMUS VIAM TRIUM DIERUM. E Gessen ad Sinai rectà euntibus iter esse trium dierum, vulgò affirmant (*f*). Hunc montem collocat Benjamin in suo Itinerario *pag.* 20, diurno itinere ab Erythræo. Majus temporis spatium in eo itinere impenderunt Israëlitæ, nempe XLVIII dies; per varias enim viarum ambages lentoque gradu illos deduxit Moyses.

℣. 19. NON DIMITTET VOS - - - - NISI PER MANUM VALIDAM. Obfirmabitur Rex ille animo; quare extundendam ejus pervicaciam aggrediar flagellis & suppliciis, validâ nempe brachii mei virtute. Aliter: Numquam acquiescet Pharao, ut libens volensque dimittat vos: numquam postulata vobis æquo animo concedet; sed, eo licèt invito, ego vos educam, vobisque liberandis tam validè adnitar, ut ille resistere non possit. Reddi posset Hebræus (*g*): *Non dabit vos ut abeatis, neque in manu forti*; ne cæsus quidem ærumnis dimittet, contra supplicium suum obfirmabitur animo. Interdum manus valida est instructissimus exercitus; quo sensu redderetur Textus: Non dimittet vos, nisi omnes uno exercitu collectos; cogeturque permittere vobis ut abeatis, velut exercitum magnum componentibus. Vide Exodum VI, 1, & Numeros XX. Onkelos: דחיליה תקיף; Non dimittet vos nisi ingenti metu coactus: quæ sanè interpretatiò a Vulgatâ non abludens, pronior est & simplicior.

℣. 22. POSTULABIT MULIER A VICINA SUA. Occasione festi, quod mulieres celebraturæ in honorem Dei sui iter ad Arabiæ deserta pararent, commodari sibi a proximis suis postularunt ornamenta, & mundum muliebrem omnem, & quidquid maximè solemnitatem deceret. Samaritanus: *Petet vir a proximo suo, & mulier a proximâ suâ*.

Quæritur, utrùm Deus sive jubeat vel saltem author sit Israëlitis, ut furti crimen committant, monens ut commodati loco petant ab Ægyptiis vasa aurea & argentea, quin de restitutione quidquam cogitent. Reponunt, Deum eâ occasione exemisse Hebræos a lege furtum vetante; seu potiùs veluti despoticum rerum omnium Dominum transtulisse in Hebræos jus & dominium bonorum omnium, quæ ad Ægyptios pertinerent. Addi posset cum Melchiore Cano (*h*), Ægyptios per summam injuriam oppressisse Israëlitas; quare illi ut se levarent indemnes, ac sibi ipsis de mercede compensarent, quæ Ægyptiorum essent retinuere apud se, cùm maximè juris sui prosequendi nulla spes superesset. Postremum hoc authoritate suâ fulcit Author Libri Sapientiæ X, 17: *Reddidit Deus justis mercedem laborum suorum*. Idem Scriptor, seu potiùs Spiritus Sanctus per illum loquens, aliam suppeditat excusandis Hebræis rationem: *Justi tu erunt spolia impiorum*. Reputanda sunt bona illa tamquam captæ ex hostibus justo bello manubiæ. Ægyptii hostes erant Dei æquè ac populi ipsius. Magister Sententiarum excusat a crimine Israëlitas, quòd simplici animo & nihil ulteriùs attendentes manus in res alienas injecerunt; qui verò pravo animi consilio pronoque in furtum affectu eò delati sunt, excusandos utique non censet: neque accusandum Deum arbitratur, quasi illos in malum impulerit; Deus enim tunc nihil mandavit Israëlitis, permisit tantùm ut calliditate illâ uterentur ingentem, quæ sibi in pœnam criminum & scelerum suorum, ut in eas angustias ac bonorum omnium spo-

[e] *Genes.* L, 23. (f) *Perer. Bonfr. Est. ad Exodi* V, 3. (g) לא יתן ...להלך ולא ביד חזקה
[h] *Canus de Locis Theolog. l.* 2, *c.* 4.

spoliationem induceretur, promeruerat,

Quid verò sentiant Patres, accipe S. Iren. „ libro 4, capite 49: Ægyptii populi erant debitores non solùm rerum, sed & vitæ suæ, propter Patriarchæ Joseph præcedentem benignitatem, . . Adhuc populus pessimam servitutem serviebat Ægyptiis, Quemadmodum Scriptura ait: Et cum vi potestatem exercebant Ægyptii in filios Israël, & in odium eis adducebant vitam in operibus duris luto & latere . . . & ædificaverunt eis civitates munitas, multum laborantes, & augentes eorum substantias annis multis, & per omnem modum servitutis, cùm illi non solùm ingrati essent adversùs eos, verùm & universos eos perdere vellent. Quid igitur injustè gestum est, si ex multis pauca sumpserunt; & qui potuerunt multas substantias suas habere, si non servissent eis, & divites abire, paucissimam mercedem pro magnâ servitute accipientes, inopes abierunt? Quemadmodum si quis liber abductus ab aliquo per vim, & serviens ei annis multis, & augens substantiam ejus, post inde aliquod adminiculum consecutus, putetur quidem modica ejus habere, reverà autem ex multis laboribus suis, & ex acquisitione magnâ pauca percipiens discedat, & ex hoc ab aliquo imputetur ei, quasi non rectè fecerit; ipse magis injustus judex apparebit ei, qui per vim in servitium fuerit deductus, Sic ergo sunt hujusmodi, qui imputant populo pauca de multis laboribus accipienti sibi,

Tertullianus libro 2 contra Marcionem capite 20: „ Age, infelicissime Hæretice, te ipsum expostulo arbitrum; Cognosce in utramque gentem priùs, & ita de Authore præcepti judicabis, Reposcunt Ægyptii de Hebræis vasa aurea & argentea. Contra Hebræi mutuas petitiones instituunt, allegantes sibi quoque eorumdem Patrum nomine ex eodem Scripturæ instrumento mercedes restitui oportere illius operariæ servitutis, pro laterinis deductis, pro civitatibus & villis ædificatis, Quid judicabis optimi Dei elector? Hebræos agnoscere fraudem debere, an Ægyptios compensationem? Nam & ajunt ita actum per legatos utrinque, Ægyptiorum quidem repetentium vasa, Judæorum verò reposcentium operas suas, & tandem vasis istis renuntiaverunt sibi Ægyptii.

Spectasse videtur Tertullianus veterem apud Judæos traditionem (*i*), quæ ferebat dictam ab Ægyptiis diem Hebræis coram Alexandro, reposcentibus illis vasa sua aurea & argentea a patribus suis olim Hebræis commodatis; petentibus istis vicissim debitam operibus suis mercedem. Ægyptii victi a petitione cessarunt. Prosequitur Tertullianus; „ Hodie adversùs Marcionitas ampliùs adlegant Hebræi, negantes compensationis satis esse quantumvis illi auri & argenti, si sexcentorum millium operæ per tot annos vel singulis nummis diurnis æstimentur, Quæ autem pars major, repetentium vasa, an incolentium villas & urbes? Ut solùm injuriarum judicio Hebræi Ægyptios repercuterent, liberi homines in ergastulo subacti; ut solas scapulas suas Scribæ eorum apud subsellia sua ostenderent, flagellorum contumeliosâ acerbitate laceratas: non paucis lancibus & scyphis, pauciorum utique divitum ubique, sed totis & ipsorum facultatibus, & popularium omnium collationibus satisfaciendum Hebræis pronuntiasset. Planè Deus minus exigi jussit: Hebræis enim etiam filios Ægyptii restituere debuerant.

S. Augustinus contra Faustum libro 2, capite 71: „ Moyses usque adeò non peccavit, ut non faciendo peccaret. Deus enim jusserat, qui utique novit non solùm secundùm facta, verùm etiam secundùm cor hominis, quid unusquisque vel per quem perpeti debeat. Prosecutus disputationem hanc suam vir sanctus, reputare se utique significat, Judæos crimine immunes non fuisse. „ Carnalis adhuc, inquit, ille populus erat, & rerum terrenarum cupiditate occupatus; Ægyptii verò sacrilegi & iniqui. Nam & auro illo, hoc est, Dei creaturâ male utentes, ad Creatoris injuriam suis Idolis serviebant; & homines peregrinos labore gratuito injustè ac vehementer afflixerant. Digni ergo erant & isti, quibus talia juberentur, & illi qui talia paterentur.

Israëlitas a crimine defendit Theodoretus, quæstione 23 in Exodum. „ Deua, inquit, illis laborum mercedem rependere voluit: proinde ista præcepit. Et ne quis putet esse iniquum, ab Ægyptiis mercedem reposcere, quum Pharao populum afflixerit. Nam Ægyptii quoque ejusdem iniquitatis erant socii, sævitiam Regis secuti, Gemina reputavit S. Alcimus Viennensis.

. . . . Portantur avari
Sic Pharaonis opes, quem tunc mercede solutâ
Servitii longum credis taxasse laborem.

Muneris locu concessa illa ab Ægyptiis docet Josephus (*k*); aliis largientibus, ut ad egressum illos urgerent, aliis amicitiæ causâ: sed hæc in Josepho quidem, non in Scripturâ legas.

S. Clemens Alexandrinus libro 1 Stromatum paucis omnia prosequitur, quæ ad excusandos Hebræos valent: „ Exeuntes Hebræi magnâ Ægyptiorum prædâ exportatâ recesserunt. Non propter avaritiam, ut dicunt accusatores. Neque enim Deus eis aliena persuasit concupiscere, sed primum quidem, quas omni tempore Ægyptiis præbuerunt, operarum ac servitiorum necessariam mercedem referentes. Deinde etiam se quodammodò ulti sunt, Ægyptiis ut avaris par pari referentes prædæ exportatione, sicut illi Hebræis priùs molestiam attulerant, redigendo eos in servitutem. Sive ergo ut in bello quis hoc factum esse dixerit: res hostium victoriæ jure auferre volebant, ut potentiores inferiorum. Belli autem justa erat causa. Supplices propter famem Hebræi venerunt ad Ægyptios, Illi autem hospites redactos in servitutem, instar mancipiorum servire coëgerunt, ne mercedem quidem eis solventes. Sive ut in pace; mercedem prædam ab invitis acceperunt, qui longo tempore non solvebant, sed ipsos eâ privabant. Eadem argumenta legas apud Philonem libro 1 de Vitâ Moysis.

CA-

(i) *Vide Abraham Zaccuth in Sopher Jochasim, & Gemarr. Babylon. ad titul. Sanhedrin, cap. 11, apud Selden. de jure nat. & gent. l. 3, c. 8.* (k) *Lib. 2 Antiq. c. 8.*

Digitized by Google

CAPUT IV.

Moyses, ne mittatur in Ægyptum, excusationem suam prosequitur. Prodigia, quibus missio illi suadetur. Iter in Ægyptum suscipit. Angelus minitatur occidere Eliezerum filium Moysis; quem filium Sephora a discrimine eximit, obsignans circumcisione. Aaron obviam venit Moysi ad montem Sinai.

℣. 1. RESpondens Moyses ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.

℣. 2. Dixit ergo ad eum: Quid est quod tenes in manu tuâ? Respondit: Virga.

℣. 3. Dixitque Dominus: Projice eam in terram. Projecit, & versa est in colubrum, ita ut fugeret Moyses.

℣. 4. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam ejus. Extendit, & tenuit, versaque est in virgam.

℣. 5. Ut credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.

℣. 6. Dixitque Dominus rursum: Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar nivis.

℣. 7. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ.

℣. 8. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis.

℣. 9. Quòd si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam: sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam; & quidquid hauseris de fluvio, vertetur in sanguinem.

℣. 10. Ait Moyses: Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius: & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. NON CREDENT MIHI. Sed si credere mihi recusaverint? Vel: Agnosco futurum, ut solo verbo affirmanti non credant: quo tunc illis miraculo persuadebo? Non ambigit Moyses de veritate divinarum promissionum, de quibus capite III, 18: rogat tantùm, quo tandem signo persuadebit, & quam inibit rationem populum illum liberandi? Demissi, non diffidentis animi sensus hîc exprimuntur.

℣. 6. PROTULIT LEPROSAM [& albicantem] MANUM INSTAR NIVIS. Lepræ albæ genus quoddam agnoscunt medicinæ periti, quo cutis pallens albescit asperaturque. Vide quæ de variis Lepræ generibus disputabimus ad Levitici capita XIII, & XIV.

℣. 9. SUME AQUAM FLUMINIS. An ibi prodigium illud factum est? Affirmat Josephus (a); tradit enim desumptam ex rivo non longè fluenti aquam effudisse coram Domino. Sed in Ægypto e Nili aquis factum, majori veri specie, Philo reputavit.

℣. 10. NON SUM ELOQUENS AB HERI ET NUDIUSTERTIUS. Verba illa, *ab heri & nudiustertius*, usurpantur plerumque pro modico post tempore

(a) *Joseph. Antiq.* l. 2, c. 12.

℣. 11. Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum & surdum, videntem & cæcum? nonne ego?

℣. 12. Perge igitur, & ego ero in ore tuo: doceboque te, quid loquaris.

℣. 13. At ille, Obsecro, Domine, inquit, mitte, quem missurus es.

℣. 14. Iratus Dominus in Moysen, ait: Aaron frater tuus Levites, scio, quòd eloquens sit: ecce ipse egreditur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde.

℣. 15. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore ejus: & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis, quid agere debeatis.

COMMENTARIUS.

pore (*b*): sed interdum valent etiam pro longo post tempore [*c*]. Ita Moyses inferiùs XXI, 29, decernit, si bos petulcus cornibus suis *ab heri & nudius tertius* insultet fortè occurrentibus, eâque de re herus fuerit præmonitus, si occiderit virum aut mulierem, tunc lapidibus bos obruetur. Commodè ergo Moyses hìc verbis illis *ab heri & nudius tertius* designasse videtur vitium aliquod jam inde a primâ juventâ contractum: commodè etiam designasse crederetur tardiloquium quoddam, paucis post diebus nescio quo casu inductum. Hebræus (*d*): *Obsecro, Domine, non sum vir verborum ab heri & nudius tertius; sed & ex quo locutus es ad servum tuum, quoniam ore gravis & linguâ gravis sum.* Quibus verbis insinuare videtur, tardiloquentiam illam naturalem fuisse auctam, ex quo verba habuerat cum Deo; vel totam eloquentiam suam perinde reputasse ac battologiam, ex quo cum immensâ Dei Sapientiâ, ac granditate illâ muneris, cui destinabatur, illam conferebat (*e*). Septuaginta: *Obsecro, Domine non sum eloquens (f), nec antea, nec ex quo cœpisti loqui famulo tuo* (nosti difficultatem illam meam in loquendo, quam minimè tu abstulisti, cùm mecum loquereris) *gracili voce, & tardâ linguâ ego sum* [*g*]. Docent ex Rabbinis quidam, battologiam illam Moysis inde petitam, quòd cùm trimulus puer Regi Ægypti oblatus esset, pronunciarentque arioli futurum, ut infantis ejus vita fatalis esset regioni, consilium illud cœptum est, oblatis puero gemma & incenso carbone, spectare, utrum eligeret; isque si manum extendisset ad gemmam, interficeretur illicò, si ad carbonem, servaretur incolumis. Rei periculum factum est; cumque Moyses gemmam præferret, Angelus protensam jam manum direxit ad carbonem, coëgitque apprehensum ferre ad os; cujus ardore ambustâ linguâ vitium in loquendo inductum est. Apage fabulas!

Animadvertere licet in Ezechiele III, 5, phrasim illam, *gravis linguæ*, perinde valere ac ignotum audientibus sermonem; *Non enim ad populum profundi sermonis* [Hebr. *gravis linguæ*] *& ignotæ linguæ tu mitteris; ad domum Israël.* Commodè ergo verborum Mosaicorum sensus hìc redderetur: Obsecro, Domine, ut e destinato mihi munere me removeas; neque enim sermone loquor satis noto Ægyptiis æquè & Israëlitis: ex ductâ enim morâ in Madianitide, ab Ægyptiaco & Hebraico desuevi (*h*); nec, ut olim, duas illas linguas calleo. Ante quadraginta annos exierat ab Ægypto.

℣. 13. MITTE QUEM MISSURUS ES. Postulari hìc Messiam, nomine Missi, sæpiùs in Scripturâ designatum, censuerunt veteres Patres. Adjutorem sibi aliquem a Moyse quæri credunt Rabbini (*i*), ut v. g. Josue. Designari Aaronem fratrem suum, censet cum Lyrano Tostatus. Onkelos: *Mitte, Domine, per manum illius, qui dignus est ut mittatur.* Septuaginta (*k*): *Elige alium qui possit, quem mittes.* Hebræus ad literam (*l*): *Domine, mitte, quæso per manum* (ejus quem) *tu mittes.* Mitte virum, cui parem tanto muneri authoritatem dabis. Manus interdum ponitur pro authoritate. Vel: Mitte per ministerium ejus, quem mittes. Est enim interdum manus idem ac ministerium. Commodè etiam redderetur Hebræus: *Obsecro, Domine, mittens mittes me cum tantâ authoritate, vel ad tantum opus?* Fiet ne, ut tantum mihi munus committas? *Quæso, Domine, mittens in manu mittes?*

Sunt (*m*) qui credant, hanc Moysis causationem, cunctationemque divinis jussionibus parendi, crimine vacuam non fuisse; quod insinuare videtur Scriptura, scribens Deum ægriùs id tulisse. Sed Patres hunc ex modesti animi demissione excusant (*n*), laudantque viri prudentiam; & cùm Scriptura iratum Dominum narrat ℣. 14, locutam credunt humano more; sicuti cùm pater autho-

(b) *Genes.* XXXI, 2, 5; *& Deut.* XIX, 4. *&c.* (c) *Vide Dan.* XIII, 15; *& 1 Macc.* IX, 44.
(d) בי ארני לא איש דברים אנכי גם מתמול גם מ׳של שם גם מאז דברך אל עבדך כי כבד פה וכבד לשון אנכי *Aq.* Οὐκ ἀνὴρ ῥημάτων.
(e) *Greg. Homil.* 8 *in Ezech. Origen. Homil.* 3. *in Exod.* (f) Εὔλογος. Syriacus, Εὔλαλος. Editio Romana, Ἱκανός. *Sym. Th.* Μογιλάλος. *Difficulter loquens.* (g) Ἰσχνόφωνος καὶ βραδύγλωσσος ἐγώ εἰμι. (h) *Hugo Victor. Barrad.* [i] *Rabb. Salom.* (k) Προχείρισαι δυνάμενον ἄλλον, ὃν ἀποστελεῖς. [l] שלח נא ביד תשלח (m) *Rabb. Salom. Abulens. Cajet.* [n] *Basil. in Isa.* VI *Greg. l.* XXXV *Moral. c.* 2. *Hieron. ad Damas.*

℣. 16. Ipſe loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.

℣. 17. Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna.

℣. 18. Abiit Moyſes, & reverſus eſt ad Jethro ſocerum ſuum, dixitque ei: Vadam, & revertar ad fratres meos in Ægyptum; ut videam, ſi adhuc vivant. Cui ait Jethro: Vade in pace.

℣. 19. Dixit ergo Dominus ad Moyſen in Madian: Vade, & revertere in Ægyptum: Mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.

℣. 20. Tulit ergo Moyſes uxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, reverſuſque eſt in Ægyptum, portans virgam Dei in manu ſua.

℣. 21. Dixitque ei Dominus revertenti in Ægyptum: Vide, ut omnia oſtenta, quæ poſui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor ejus, & non dimittet populum;

COMMENTARIUS.

authoritate ſuâ modeſtiam reluctantis filii, ne quid ſuſcipiat ſupra vires, expugnat.

℣. 16. IPSE ERIT OS TUUM. Ore illius tu loquêris, & ille ſenſus tuos interpretabitur. Ita Deus ad Jeremiam XV, 19: *Quaſi os meum eris tu.* Preſsiùs Hebræus: *Aaron erit tibi pro ore, & tu eris illi pro Deo.* Idem repetit capite VII, 1: *Conſtitui te Deum Pharaonis; & Aaron frater tuus erit Propheta tuus:* tu in illum habebis authoritatem, ille juſſiones tuas recipiet, & ſenſus animi tui explicabit; loquêris ad illum tu meo nomine; audiet ille te perinde ac Deum loquentem, nec aliud referet quàm quæ a te accipiet: *Interpres erit tuus* (o), *& tu eris ei in Principem*, ejus Doctor vel Magiſter. Jus ſanguinis erit tibi ſuper eum, ait Grotius. Porrò vox *Elohim* ſupremam authoritatem exprimit.

℣. 17. VIRGAM QUOQUE HANC SUME IN MANU TUA. Moyſes veluti paſtoritium inſigne ſemper in manu ſuâ gerebat baculum. Circe baculum gerens Magicis excantationibus exercendis exhibetur a Poëtis. Mercurius nunquam non gerit virgam, qua animas edocat ex inferno. *Æneidos* IV.

Tum virgam capit: hac animas ille evocat Orco.

Bacchus nunquam thyrſum ſuum ponit. Utriuſque Pagani Numinis fabulæ e Moyſis hiſtoriâ expreſſæ ſunt. Dæmon fictam veri Dei perſonam gerit.

℣. 18. VADE IN PACE. Addunt Septuaginta: *Poſt dies autem multos illos, mortuus eſt Rex Ægypti*; quæ pariter leguntur in Philone & Joſepho. Rege illo Ægypti, quo rerum potiente Moyſes receperat ſe ex Ægypto, fatis functo, ſe reſtituit in Ægyptum.

℣. 20. IMPOSUIT EOS SUPER ASINUM, Sephoram nempe & Eliezerum. Septuaginta: Ἐπὶ τὰ ὑποζύγια, *ſuper ſubjugalia*, ſuper aſinos. Porrò Eliezer primâ adhuc erat joventâ, cùm nondum circumciſione eſſet initiatus, nec enim id de Gerſam legitur. Superiùs II, 22, Hebræus ſolius meminit Gerſam, nihil habet de Eliezero.

VIRGAM DEI. Virgam, qua Moyſes veluti inſtrumento miracula patravit juſſu Dei; virgam, quam Deus ſecum afferre juſſerat.

℣. 21. INDURABO COR PHARAONIS. Ut animum ſuum obfirmet malitiâ, permittam; ipſum in corruptione ſuâ relinquam. Porrò *Non obdurat Deus*, ait S. Auguſtinus, Epiſtolâ 194 ad Sixtum, *impartiendo malitiam, ſed non impartiendo miſericordiam.* Negat interdum Deus gratiam ſuam illis, qui conceſſas ab ſe antea vel recuſarunt vel abjecerunt. Si Pharao animo obfirmatur in malitiâ, ipſe ſuæ pervicacitatis author eſt, qui ſecreta Dei monita rejicit, tenebras amat, lucem odit, maledictionem eligit. *Non operatur Deus in homine ipſam duritiam cordis, ſed indurare eum dicitur, quem mollire noluerit; ſic etiam excæcare, quem illuminare noluerit, & repellere eum, quem noluerit vocare* (p). Quæ Deus permittit tantùm, ſeu fieri non prohibet, hæc ſæpe tamquam a Deo facta narrantur in Scripturâ (q).

Hanc Pharaonis obdurationem ita exponunt, poſt Origenem (r), Græci Patres (s), dicentes, Deum indulgentiâ & lenitate ſuâ velut occaſionem præbuiſſe, ut in iniquitate Regis animus confirmaretur; veluti cùm ſolet interdum herus pervicaci & immorigero mancipio exprobrare: Ego ſum tuæ cauſa impudentiæ; abuſus es enim meâ benignitate. S. verò Auguſtinus ita interpretatur (t): Obduravit Deus cor Pharaonis, providentiâ ſuâ plura fieri ſinens, quæ poterat prohibere; e. g. præſtigia Magorum Ægypti, brevitatem ſuppliciorum, quibus Ægyptum afflixit. His igitur Pharao obduratus eſt.

℣. 22.

(o) *Chald. uterque.* [p] *Author operis de Præd. & Gratiâ, c. 4, in Appendice t. 10 Oper. D. Aug. Vide Auguſt. de Grat. & liber. arbitr. c. 20, 21, 22, 23. & Greg. Mag. l. 29 Moral. c. 30.*
(q) *Geneſ.* XXIV, 27. *Exod.* I, 18. *Deut.* XX, 16. *Job* II, 3; *&* IX, 25; *&* 1 *Reg.* XXVII, 11, *&c.*
(r) *Origen. Philocal. c. 20.* [s] *Theodoret. in Rom.* IX, 17. *Baſil. Scolion in Rom.* IX, 18. Ἐσκλήρυνε ὁ Θεὸς τὸν Φαραὼ τῇ μακροθυμίᾳ, καὶ τῇ τιμωρίας ἀναβολῇ ἐπιτείνων αὐτοῦ τὴν κακίαν, *&c.*
(t) *Aug. qu. 18 in Exod.*

℣. 22. Dicesque ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israël.

℣. 23. Dixi tibi: Dimitte filium meum, ut serviat mihi: & noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.

℣. 24. Cùmque esset in itinere, in diversorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.

℣. 25. Tulit illicò Sephora acutissimam petram, & circumcîdit præputium filii sui, tetigitque pedes ejus, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es.

COMMENTARIUS.

℣. 22. FILIUS MEUS PRIMOGENITUS ISRAEL. Gentes omnes meæ sunt, qui earum Creator sum ac pater: Israël tamen major nato est mihi, promissionum mearum hæres, & inter charos charissimus.

℣. 23. FILIUM MEUM. Septuaginta: *Populum meum.*

℣. 24. OCCURRIT ET DOMINUS. Septuaginta: *Angelus Domini*; idem scilicet, qui antea in rubo ardenti spectandum se præbuerat, vel Angelus Israëlitis adversarius, juxta Origenem (*u*), qui in solos valebat Israëlitas incircumcisos. *Volebat occidere eum.* Sunt qui τὸ *eum* referant ad Moysem (*x*), quem scilicet Angelus occidere tentasset reum sive nimiùm dilatæ filii sui circumcisionis, sive quòd de potestate Dei minùs se fidere significasset. Alii (*y*) dictum malunt de Eliezero filio Moysis, quem Angelus stricto gladio percutere minatus est, quòd circumcisione initiatus non esset. Inter quæstiones in utramque partem agitandas hanc recenset S. Augustinus (*z*); æquè enim commodè de Moyse ac Eliezero Textum exponi posse credit. Neuter in præcedentibus versiculis perspicuè exprimitur; nec quæ proximè consequuntur, satis apertè unum alteri præferunt. Verisimiliùs tamen ad Eliezerum referendum censerem; cùm enim in præcedenti versiculo positum sit nomen *filius*, & *filius primogenitus*, supervacaneum reputavit Moyses iterum idem repetere. Quæ subsequuntur in Textu, favent huic expositioni. Sephora enim solicitè Eliezerum circumcîdit, statim ac præsentem Angelum habuit: facilè quòd unum Eliezerum in discrimine positum cerneret. Fabulantur Judæi (*a*) Angelum Gabrielem monstrosi serpentis exuviis indutum, Moysem adusque medium corporis deglutiisse; quo viso, Sephora solicitè filium suum obsignavit circumcisione.

℣. 25. TULIT ILLICO SEPHORA ACUTISSIMAM PETRAM, ET CIRCUMCIDIT PRÆPUTIUM FILII SUI. Reputans mulier, Angelum necem filio suo moliri, quòd circumcisione obsignatus non esset, quidquid fortè occurrit sciodendo aptum capiens, puerum abscidit. In eam igitur rem usa est acuto lapide (*b*), veluti nigro tectorum saxo, seu marmore, vel silice. Porrò familiarissimus est in Ægypto usus lapidis acuti; eo enim utuntur cadaverum Conditores ad secanda & purganda ab extis corpora (*c*); acutis & in cuspidem desinentibus lapidibus armabantur in Æthiopiâ sagittæ (*d*). Catullus de Athy (*e*) se ipsum evirante: *Devolvit acutâ sibi pondera silice.* Et Plinius (*f*) post Cœlium scribit: *Samiâ testâ matris Deum Sacerdotes, qui Galli vocabantur, virilitatem amputabant, nec aliter citra perniciem.* Eadem notat Ovidius (*g*). Vide quæ conscripsimus ad Josue v, ubi idem usus lapidum in circumcisionem spectatur. Nullum certum instrumentum pro Circumcisione præscriptum est in Lege. Orientales Judæi hodie utuntur in eam rem cultris lapideis; Occidentales verò vulgaribus gladiis, seu novaculis. Censent illi, Sephoram jussu Moysis filium circumcîdisse, quam rem silet Textus, qui potiùs contrarium suadet; videtur enim Sephora per se raptimque initiasse Sacramento filium. Addunt eâdem prorsus temeritate, Moysem tum in gravem morbum incidisse.

TETIGITQUE PEDES EJUS, ET AIT: SPONSUS SANGUINUM TU MIHI ES (*h*). Hunc Textum & præcedentes ita exponit Chaldæus: *Tulitque Sephora petram, & circumcîdit præputium filii sui, & obtulit coram illo* (coram Angelo) *& ait: Propter sanguinem circumcisionis hujus, detur nobis* [incolumis servetur] *sponsus meus. Et cùm dimisisset eum* (Angelus) *tunc dixit* (Sephora): *Nisi propter sanguinem circumcisionis hujus, condemnatus erat ad mortem sponsus meus.* Ita etiam commodè redderetur Hebræus; Sephora projecto præputio Eliezeri ante pedes Moysis, tanquam exprobrans objecit: Sponsus sanguinis tu mihi es; cogis me effundere sanguinem filii mei, ut te servem incolumem: en quanti stat mihi sponsum Hebræum duxisse; pretio sanguinis filii mei illum mihi comparavi. Exponunt alii Textum in hunc sensum: Cùm Sephora filium suum circumcidisset, ante pedes Moysis cadens rogavit, ut ad patrem suum unà cum duobus filiis se reverti pateretur, ne quid novi discriminis incideret in itinere. Vel aliter: Reputans mulier, Angelum necem filio mini-

(u) *Lib. 5 contra Celsum.* [x] *Vatab.* (y) *Tertull. l. contra Judæos, c. 3. & Rabbini quidam, & Arab.* (z) *Aug. q. 11 in Exod.* [a] *Vide Zohar. & Jarchi ad Exod. iv.* (b) *Hebræus habet solùm* petram צור, *vel, juxta alios*, acutum gladium. *Jun. Tremell. Ainsvort. Pisc.* (c) *Herod. l. 2, c. 86* (d) *Idem l. 7, c. 69.* (e) *Catull. carm. de Berecint. & Athy.* (f) *Plin. xxxv, 12.* (g) *Fast. iv.*

Sæpe Palæstinas jurat adesse Deas.
Ille etiam saxo corpus laniavit acuto.
Sic pereant partes, quæ nocuère mihi,

(h) חגע לרגליו

℣. 26. Et dimisit eum, postquam dixerat: Sponsus sanguinum ob circumcisionem.

℣. 27. Dixit autem Dominus ad Aaron: vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obviam ei in montem Dei, & osculatus est eum.

℣. 28. Narravitque Moyses Aaron omnia verba Domini, quibus miserat eum, & signa, quæ mandaverat.

℣. 29. Veneruntque simul, & congregaverunt cunctos seniores filiorum Israel.

COMMENTARIUS.

minitatum fuisse, quòd circumcisione minimè initiatum spectaret, raptim assumpto acuto lapide, puerum suis manibus abscidit; tum genua Moysis amplexa, ait: Sponsus sanguinis tu mihi es; nunquam excidat e memoriâ conciliatum inter nos fœdus, quod sanguine filii mei obsignatum est & confirmatum.

Duplici sensu reddi potest Textus Septuaginta (*i*). I. Sephora post circumcisum filium, procidens ante pedes Angeli, dixit: Sanguis circumcisionis filii mei stetit; & Angelus postquam stetisse sanguinem pueri intellexit, evanuit. Commodè etiam Textus redderetur: Procidens mulier ante pedes Moysis dixit: Sanguis circumcisionis filii mei jam stetit; statimque post hæc recessit a Moyse: veluti si insinuaretur, Moysem aliquo temporis spatio ibi perseverare coactum fuisse, donec scilicet puer a vulnere convalesceret: illo restituto, Sephora procidens ad viri pedes, reditum deprecabatur, quòd mortis discrimini puer jam esset ereptus. Posterior hæc interpretatio literæ magis congruere videtur, & facilè etiam præfertur a Symmacho, & Theodotione.

Totam hanc historiam omittunt Josephus & Philo; ex quo suspicio mihi inducitur, sensum Septuaginta minimè illos esse assecutos; & quidem Interpretum ejusmodi versio obscura est maximè. Eorum Textum ita reddi posse censet Bonfrerius: *Stetit sanguis*, idest, Redêmi sanguine filii mei viri mortem; sed hæc expositio coacta videtur; nec magis prona alia Sanctii in Isaiam VI: *Tetigit pedes, idest, verenda ejus* [*filii sui*], circumcîdit scilicet. Porrò non semel in Scripturâ pedes usurpantur pro verendis (*k*). Sunt ex Hebræis qui credant, Sephoram verba illa, *Sponsus sanguinum tu mihi es*, ad Eliezerum circumcisione initiatum direxisse; ex quo obtinuit ut Judææ matres filios suos post circumcisionem *Sponsos* appellent.

En novam aliam conjecturam in hunc Textum. Præ oculis habuisse Sephoram reputarem cæremonias in connubiis ineundis solemnes. Potuit utique gloriari mulier, quasi scilicet pretio sanguinis filii sui sibi Sponsum emisset; vel exprobrare Moysi, esse sibi sponsum sanguinarium, quòd religionem profiteretur jubentem effundere sanguinem filii sui sævo adeò & molesto ritu. Porrò scitum est, in Scripturâ *hominem Sanguinis* poni pro homine sanguinario, & homicidâ, extremis suppliciis digno. Mos quidam invaluerat apud Arabes (*l*), ex quo verbis Sephoræ lucis aliquid affunditur. Cùm duo homines fœdus inter se conciliare volebant, tertius quidam sive testis sive intermedius eligebatur, qui ex utriusque manu, lapide acuto vulneratâ, sanguinem educebat; tum lanæ aliquos floccos ex utriusque vestibus eruebat, quibus in vulneris cruore immersis, ex eodem pariter sanguine aspergebat septem lapides in medio utriusque positos. Hoc ritu fœdus firmabatur. Sephora igitur Moysi significare potuit, cruore Eliezeri æternum inter ipsos conciliari fœdus & amicitiam. Elamitæ in connubiis suis mutuâ sanguinis, ex utriusque digito cordi respondente, eductione fidem mutuam obligabant.

℣. 26. Et dimisit eum. Utrùm Angelus dimiserit Moysem, an Eliezerum, ignoratur; nihil enim lucis Hebræus affundit (*m*). Angelum illum dimisso Moyse abiisse, defendunt Hebræi; adduntque Virum eo morbo, quo correptus fuerat, statim convaluisse. Textus Samaritanus (*n*), & Exemplaria quædam Septuaginta (*o*) habent (Angelus vel Moyses) *recessit ab eâ* (a Sephorâ); adduntque subdidisse statim Sephoram: *Sponsus sanguinis tu mihi es*. Sed alii exponunt de Moyse, qui discrimine illo superato, ab uxore recesserit; verùm Chaldæus & pleraque Exemplaria Septuaginta id totum referunt ad Angelum, qui ab Eliezero sive Moyse ita recessit, ut ab intentanda morte cessaret. Hebræum *recessit* ירף masculino servit, & ad literam sonat cedere, remittere se, cessare, non, dimittere alterum vel relinquere.

℣. 27. Perrexit obviam ei in montem Dei. Monitus a Deo Aaron, in occursum venientis processit usque ad montem Horeb; quò simul eodemque temporis articulo pervênit & Moyses. Uterque novis Dei mandatis oneratus est. Porrò Sephora virum dimiserat, antequam ille obvium haberet Aaronem.

℣. 29. Seniores. Vide Caput XII, 26.

℣. 30

(i) Περιέτεμε τὴν ἀκροβυστίαν τοῦ υἱοῦ αὐτῆς, καὶ προσέπεσε πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ εἶπεν, Ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου. Καὶ ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ, διότι εἶπεν, Ἔστη τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς τοῦ παιδίου μου. *Quidam legunt*: Ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ Ἄγγελος. *Abiit Angelus; abiit scilicet relicto Moyse, vel Eliezero. Cessavit ab intentandâ nece.* (k) *Isai.* VII, 20; & XXXVI, 12. (l) *Herodot. l.* 3, c. 8. (m) וירף ממנו או אמרה [n] ממנה (o) Ἀπ' αὐτῆς, *alii plures*, ἀπ' αὐτοῦ.

℣. 30. Locutusque est Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moysen: & fecit signa coram populo.

℣. 31. Et credidit populus. Audieruntque, quòd visitasset Dominus filios Israël, & quòd respexisset afflictionem illorum, & proni adoraverunt.

COMMENTARIUS.

℣. 30. FECIT SIGNA CORAM POPULO. Veritatem missionis suæ probavit palam mutatâ in anguem virgâ, subitâ manûs leprâ, versisque in sanguinem Nili aquis; quæ tria ad persuadendum populo palam exhiberi mandaverat Deus. Vide suprà ℣. 4, 6, 9. Septuaginta. *Fecit verba*, ῥήματα, vel res coram populo. Alius: Σημεῖα, *signa*.

CAPUT V.

Moyses & Aaron coram Pharaone Dei mandata exponunt. Rex novis oneribus opprimit Israëlitas. Populi in Moysem & Aaronem querela.

℣. 1. POst hæc ingressi sunt Moyses, & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto.

℣. 2. At ille respondit: Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israël? nescio Dominum, & Israël non dimittam.

℣. 3. Dixeruntque: Deus Hebræorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne fortè accidat nobis pestis, aut gladius.

℣. 4. Ait ad eos rex Ægypti: Quare, Moyses & Aaron solicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra.

COMMENTARIUS.

℣. 1. POST HÆC INGRESSI SUNT MOYSES ET AARON. Rex, qui tum tunc in Ægypto dabat, appellatur *Ancusis* vel *Amasis* ab Appione filio Posidonii, Grammaticorum exactissimo, & a Ptolemæo Mendesio, Ægyptiorum Historico (*a*). Eusebius in Chronico vocat *Chenchren*, & Usserius *Amenophim*. Interpretum nonnulli censent, Seniores populi simul cum Moyse & Aarone contulisse se ad Regem, quòd respondens Pharao dixerit ℣. 4: *Ite ad onera vestra*. Neque enim hæc Moysi congruebant, qui jam inde a quadraginta annis abstinuerat ab Ægypto. Verùm reputari posset, Pharaonem, cùm nihil nosset de absentiâ Moysis, ita cum illo egisse, uti cum cæteris Hebræis. Et quidem sermonis contextus nunquam exhibet cum Rege agentes primo illo congressu, nisi Moysem & Aaronem.

UT SACRIFICET. Septuaginta, Onkelos, Syriacus, Arabs: *Ut Festa mihi celebret*. Porrò plus aliquid exprimit vox originalis ויחגו לי quàm sacrificare tantùm; sonat enim totius populi cœtum, festum aliquod, sacrificia, & totum magnæ solemnitatis apparatum.

℣. 3. DEUS HEBRÆORUM VOCAVIT NOS (*b*). Commodè verteretur נקרא עלינו: Deus Hebræorum obviam fuit, apparuit nobis; seu potius, *Invocatus est super nos*, nos scilicet populi ipsius rem & nomen usurpamus; ille autem vicissim nos agnoscit in suos. Vide Caput XLI, 18.

NE FORTE ACCIDAT NOBIS PESTIS AUT GLADIUS. Ut avertamus hæc mala sacrificiis nostris, litare Deo cupimus. Metuimus enim, nequid ex his malis nos tangat, nisi jubenti pareamus. Porrò veram egrediendi causam dissimulant. Rabbinorum nonnulli censent, Moysem officii gratiâ celasse Regem, Regis ipsius capiti mala hæc omnia imminere, si Hebræos vi retinuisset. Hebræus ad literam בדבר או בחרב: *Ne fortè* (Deus) *occurrat nobis cum peste vel gladio*. Septuaginta; Ne

(*a*) *Apud Euseb. Præp. l. x, c. 3.* (*b*) *Septuag.* Προσκέκληται ἡμᾶς. *Alius*, Ἐπικέκληται ἡμῖν.

℣. 5. Dixitque Pharao: Multus est populus terræ: videtis, quòd turba succreverit: quantò magis si dederitis eis requiem ab operibus?

℣. 6. Præcepit ergo in die illo præfectis operum, & exactoribus populi, dicens:

℣. 7. Nequaquam ultrà dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut priùs: sed ipsi vadant, & colligant stipulas.

℣. 8. Et mensuram laterum, quam priùs faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quidquam: vacant enim, & idcircò vociferantur, dicentes: Eamus, & sacrificemus Deo nostro.

℣. 9. Opprimantur operibus, & expleant ea: ut non acquiescant verbis mendacibus.

℣. 10. Igitur egressi præfecti operum, & exactores ad populum, dixerunt: Sic dicit Pharao: Non do vobis paleas:

℣. 11. Ite, & colligite sicubi invenire poteritis, nec minuetur quidquam de opere vestro.

℣. 12. Dispersusque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.

℣. 13. Præfecti quoque operum instabant, dicentes: Complete opus vestrum quotidie, ut priùs facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ.

COMMENTARIUS.

Ne fortè occurrat nobis mors vel gladius, θάνατος ἢ φόνος.

℣. 5. Multus est populus terræ: videtis quod turba succreverit, &c. Hebræus ita ad literam: רבים עתה עם הארץ, *Dixit Pharao: Ecce multi nunc populus terræ, & vos fecistis eos cessare ab oneribus suis.* Septuaginta: *Valde multiplicatur populus: non igitur cessationem illi demus ab operibus.* Samaritanus optimè: רבים מעם הארץ, *Hebræi nunc plures sunt, quàm populus terræ, & cessare facitis ab oneribus suis.*

℣. 6. Præcepit Præfectis operum, et Exactoribus populi, dicens. Primam originalis vocem נגשים reddunt Septuaginta ἐργοδιώκτας *Præfectos urgendis operibus destinatos*; Aquila, Τὰς ἀπαιτοῦντας, *exactores*. Secundam, nempe שטרים *Soterim*, *Scribas*, γραμματεῦσι, vel Præfectos, qui censum habent populi. Autumat Bertramus [c], *Soterim* doctissimos esse judices in cœtibus Veterum, quorum erat munus curare ut latæ sententiæ executioni mandarentur; obtinebant autem maximam inter Hebræos in Ægypto authoritatem. Quod ex hoc Capite intelligimus, qui erant Præfecti a Rege constituti super opifices publicis operibus laborantes; Regios autem illos Præfectos habuisse sub se Ministros ex Hebræis, qui certo numero operariorum præessent. De primi ordinis Præfectis sermo est in præsenti. De cæteris ℣. 14.

℣. 7. Nequaquam ultra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius. Paleæ illæ vel in pabulum ignis sufficiebantur ad succendendas fornaces excoquendis lateribus, uti voluit S. Bernardus, Sermone brevi 34; seu cum luto admixtæ id valebant, ut firmiores lateres compingerentur. Porrò exsiccabantur lateres Soli expositi passim in Oriente; nec rara erant ædificia e lateribus illis Sole excoctis fabricata. Porrò lateres & lutum compingebantur ex humo pedibus subactâ, contritâque simul minutissimâ paleâ (d).

℣. 9. Opprimantur operibus. Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta hunc sensum referunt: *Aggraventur opera hominum horum, & curent hæc, & non ponant curam in sermonibus vanis*, id est, otiosis sermocinationibus, & inutilibus tempus non insumant.

℣. 12. Ad colligendas paleas. Hebræus: לקשש קש לתבן, *Ut colligeret stipulam* (in agro relictam) *pro paleâ* (quæ antea sufficiebatur). Septuaginta: *Dispersus est populus* συναγαγεῖν καλάμην εἰς ἄχυρα, *ad colligendam stipulam* (quæ post messem relinquitur) *pro paleis*. Per agros igitur dispersi adigebantur colligere minutas paleas neglectas, ac vento dispersas. Hebræum *Kasch* exprimit paleam in excutiendo grano huc illuc exsufflatam. Porrò in eâ regione nec integræ paleæ servabantur, nec triticum cum paleis recondebatur in horreis. Terebantur, excutie-

(c) *Bertram. de Rep. Jud. c.* 5. (d) *Vide Ezech.* XIII, 11, 14, 15, XXII, 28; & Chardin Voyage de Perse t. 2, p. 78.

℣. 14. Flagellatique sunt, qui præerant operibus filiorum Israël,
ab exactoribus Pharaonis, dicentibus : Quare non impletis
mensuram laterum sicut priùs, nec heri, nec hodie ?
℣. 15. Veneruntque præpositi filiorum Israël, & vociferati sunt ad
Pharaonem, dicentes: Cur ita agis contra servos tuos?
℣. 16 Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en
famuli tui flagellis cædimur,& injuste agitur contra populū tuum.
℣. 17. Qui ait: Vacatis otio, & idcircò dicitis: Eamus, & sacrificemus Domino.
℣. 18. Ite ergo, & operamini : paleæ non dabuntur vobis, &
reddetis consuetum numerum laterum.
℣. 19. Videbantq; se præpositi filiorum Israël in malo,eò quòd diceretur eis : Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies.
℣. 20. Occurreruntque Moysi & Aaron, qui stabant ex adverso,
egredientibus a Pharaone :
℣. 21. Et dixerunt ad eos: Videat Dominus, & judicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & servis ejus, & præbuistis ei gladium, ut occideret nos.
℣. 22. Reversusque est Moyses ad Dominum, & ait: Domine,
cur afflixisti populum istum? quare misisti me ?
℣. 23. Ex eo enim, quo ingressus sum ad Pharaonem, ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum: & non liberasti eos.

COMMENTARIUS.

cutiebantur, purgabanturque frumenta in agro.

℣. 14. FLAGELLATIQUE SUNT QUI PRÆERANT OPERIBUS FILIORUM ISRAEL. Apertius Hebræus: *Et cæsi sunt præfecti filiorum Israël, quos posuerunt super eos exactores*. Quod Textus habet *Cæsi sunt* ויכו ; fustigatio seu virgarum ictus sub pedum plantis, familiaris est in Oriente animadversio in reos, mortis supplicio impares.

AB EXACTORIBUS PHARAONIS. Præfecti a Rege super opera Israëlitarum constituti נגשי פרעה certum exigebant laterum pensum, de quo responderent Hebræi operum exactores, si quid deesset.

℣. 16. FLAGELLIS CÆDIMUR. Hebræus (*e*) habet tantum; *Cædimur*; sed virgas exprimunt Septuaginta, Aquila, & Theodotion.

INJUSTE AGITUR CONTRA POPULUM TUUM. Hebræus : חטאת עמך, *En peccatum populi tui*; seu: *Et populus tuus peccat*; quod est Hebraismus exprimens : Accusatur populus tuus, quasi muneri suo desit; punitur veluti reus; durè habentur famuli tui; & populus tuus injuste habitus, peccati reus est. Porrò officii gratiâ abstinent ab exprobrando accusandoque Pharaone injustitiæ, quippe qui hæc præstantes Præfectos suos foveret (*f*).

℣. 19. VIDEBANTQUE SE IN MALO. Reddi etiam posset Hebræus: *Videbant illos malo oculo*; sed præferenda est prior interpretatio.

℣. 20. OCCURRERUNT MOYSI ET AARON, QUI STABANT EX ADVERSO, EGREDIENTIBUS A PHARAONE. Exemplaria quædam (*g*) habent, *Egredientes*, eodem tamen sensu. Hebræus ad literam: Israëlitæ super fratres suos præpositi *occurrerunt ipsi Moysi & Aaron, stantes in occursum eorum, quando egrediebantur a Pharaone*. Non satis constat ex literâ, Moyses ne & Aaron essent egressuri, an exactores. Insinuare videtur Textus certum fuisse locum, quò simul convenirent, cum a Rege egrederentur.

℣. 21. FOETERE FECISTIS. Odiosos nos reddidistis Regi & populo; nos enim abominantur & horrent. Simili verborum phrasi Jacob ad filios suos *Genes.* XXXIV, 30 : *Odiosum me fecistis Chananæis*. Et 1 *Reg.* XIII, 4: *Universus Israël male oluit Philisthiim* : & 1 *Reg.* XXVII, 12, Achis de Davide : *Multa mala operatus est* (Hebræus, fœtidus factus est). Contrario sensu Apostolus 2 *Cor.* II, 15: *Christi bonus odor sumus Deo*.

℣. 22. REVERSUSQUE EST MOYSES AD DOMINUM. Sensum Textûs וישב אל יהוה optimè reddiderunt Septuaginta : Ἐπέστρεψε πρὸς κύριον, *Convertit se ad Deum*. Artapanus apud Eusebium *Præpar. lib.* 9, *c.* 27, tradit, Moysem, ut primum in Aulâ Pharaonis fuit, in carcerem conjectum fuisse a Rege; at noctu dilapsum constituisse se iterum coram Principe, patentibus subito prodigio & carceris, & Aulæ foribus. Quæsivit igitur Pharao, quis esset Deus, cujus nomine libertatem Hebræis peteret : cum autem nomen illud terribile in auribus illi obmurmurasset Moyses, corruit Rex statim exanimis. Lapsum erexit actutum Moyses, restituitque vitæ; tum nomen Dei pugillaribus scripsit, quæ sigillo obsignavit. Cùm Sacerdos quidam nescio quid hujus nominis in pugillaribus animadvertisset, subitâ nervorum contra-

(*e*) הנה עבדיך מכים. *Septuag.* Οἱ παῖδές σου μεμαστίγωνται. *Ita* Μεμαστιγωμένοι *& Theodot. Sym.*
(*f*) *Grot.* (*g*) *Bibl. Polyglot. Antuerp. & Paris.*

Digitized by Google

traditione intercluso spiritu obiit. Harum traditionum vetustas quam illis concilict fidem, ignoro. Ita verò agit hìc cum Deo Moyses, ut ejus verba nostro sermone relata debito creaturæ in Creatorem obsequio minùs congruere viderentur.

CAPUT VI.

Deus Moysem confirmat, solaturque Israëlitas. Genealogia Rubeni, Simeonis & Levi.

℣. 1. Dixitque Dominus ad Moysen: Nunc videbis, quæ facturus sim Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robustâ ejiciet illos de terrâ suâ.

℣. 2. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Ego Dominus,

℣. 3. Qui apparui Abraham, & Isaac, & Jacob, in Deo omnipotente: & nomen meum Adonai non indicavi eis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Per manum fortem. Vide Caput III, 19.

℣. 3. Qui apparui Abraham ..... in Deo omnipotente, et nomen meum Adonai non indicavi eis. Hebræus: *Et visus sum Abraham, ad Isaac, & ad Jacob, in Deo Sadai: & nomine meo Jehovah non cognitus sum eis*; idest, ita videndum me illis obtuli, ut ideam ingererem Dei Omnipotentis, qui sibi sufficit solus, & nullius Creaturæ indiget, Ἐν τῷ θεῷ ἱκανῷ: sed nemini hominum hucusque nomen meum *Jehovah* indicavi: quid possim, nullo satis digno argumento, quale hodie tibi exhibeo, demonstravi. Vel aliter: Revelavi quidem eis nomen meum *Sadai*, sed celavi nomen incommunicabile & ineffabile *Jehovah*. Septuaginta vertunt: *Apparui ad Abraham, & Isaac, & Jacob, Deus existens eorum: & nomen meum, Dominus, non indicavi eis*. Commodè etiam sic exponeretur: Noverunt me illi quidem, sed non absolutissimè. In Scripturâ nomine suo aliquem cognoscere est penitus habere exploratum, & in numerum amicorum aliquem referre. *Novi te ex nomine*, ait Deus ad Moysem, Exodi XXXIII, 12, 17, idest, in intimam mei amicitiam excepi.

Sed quomodo hìc Deus negat se revelasse nomen suum *Jehovah* Veteribus Patriarchis, cùm in Genesi IV, 26, de posteris Seth legamus: *Ipse cœpit invocare nomen Domini*. Hebræus: *Tunc cœptum est invocari in nomine Jehovah*; & ibidem XIV, 22, Abraham dicat: *Levo manum meam ad Dominum*, Hebræus, *ad nomen Jehovah*. Ac tandem ibidem XV, 7, Deus ad Abrahamum: *Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum*. Hebræus: *Ego Deus Jehovah*.

Ut nodum solvant, Textum hujus loci ita reddunt nonnulli (a). *Ego apparui Abraham, Isaac, & Jacob, & nonne revelavi eis nomen meum Jehovah?* Huic expositioni faveot exemplaria quædam Septuaginta. *Ego manifestavi nomen meum, Dominus*. Porrò negans particula perinde ac interrogandi nota interdum usurpatur. Sed Interpretum plerique hac etiam solutione neglectâ, ita rem exponunt: ideò nomen Jehovah in Genesi occurrere, quòd Liber ille scriptus sit post revelatum a Deo Moysi nomen ineffabile. Usus est Sacer Historicus eâ voce in Genesi, tanquam ætate suâ familiari, licèt inauditâ ætate Patriarcharum.

Author Vulgatæ substituit hìc nomen *Adonai* pro *Jehovah*. Septuaginta habent *Kyrios*, *Dominus*; ab eo etiam abstinuere venerationis & obsequii gratiâ Orientales Versiones. Hujus moris, abstinendi nempe a sacro nomine, vetustas spectatur apud Josephum (b), & Philonem de vitâ Mosis libro 3. Post solutam captivitatem tanta erat nominis hujus, quod ineffabile appellat S. Hieronymus, veneratio, ut nefas reputaretur illud pronunciari alibi quàm in Templo, solâque die solemnis jejunii, coram selecto discipulorum numero, quibus audire sacram illam vocem fas erat (c). Addit Philo, capitali pœnâ vetitum fuisse, extra Templum nomen illud pronunciare. Judæi nostræ ætatis nomen Dei pronunciare [d], sive mandata ejus memoriâ versare in loco sordido nunquam audent; sed nomen sacrum *Jehovah* pronunciare quocumque in loco nequaquam sibi licere putant. Post Templi eversionem, pronunciatio illa penitùs cessavit, unde genuina illius nominis voce explicandi ratio intercidit, uti animadvertimus ad Caput III, 14: & cùm legimus *Jehovah*, turbam sequimur, quamquam constat aliam fuisse ejus pronunciationem; puncta verò, quæ Massoretæ sub literis nominis *Jehovah* adnotarunt, ipsissima sunt nominis Adonai, quod loco ineffabilis illius pronunciant. Crasso profectò errore Græci quidam olim legebant *Pipi* (e), quòd literæ Hebraicæ nominis יְהוָה similitudinis

[a] *Vers. Arab. Dorschaus Differt. de nomine* Jehovah, *sect. 7. Gataker. advers. Miscell. c. 18. Colomiez Observ. sacr. p. 24.* (b) *Joseph Antiq. l. 2, c. 12.* (c) *Maimonid.* (d) *Buxtorf. Synagog. Jud. c. 4.*
(e) *Hieron. Epist. ad Marcellam. Vide nov. Edit. Hieron. t. 2, p. 270, 271, 275, 276.*

℣. 4. Pepigique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt advenæ.

℣. 5. Ego audivi gemitum filiorum Iſraël, quo Ægyptii oppreſſerunt eos: & recordatus ſum pacti mei.

℣. 6. Ideò dic filiis Iſraël: Ego Dominus, qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſervitute: ac redimam in brachio excelſo, & judiciis magnis.

℣. 7. Et aſſumam vos mihi in populum, & ero veſter Deus: & ſcietis, quòd ego ſum Dominus Deus veſter, qui eduxerim vos de ergaſtulo Ægyptiorum:

℣. 8. Et induxerim in terram, ſuper quam levavi manum meam, ut darem eam Abraham, Iſaac, & Jacob: daboque illam vobis poſſidendam, ego Dominus.

℣. 9. Narravit ergo Moyſes omnia filiis Iſraël: qui non acquieverunt ei, propter anguſtiam ſpiritûs, & opus duriſſimum.

℣. 10. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens:

℣. 11. Ingredere, & loquere ad Pharaonem regem Ægypti, ut dimittat filios Iſraël de terrâ ſuâ.

℣. 12. Reſpondit Moyſes coram Domino: Ecce filii Iſraël non audiunt me: & quo modo audiet Pharao, præſertim cùm incircumciſus ſim labiis?

℣. 13. Locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron, & dedit mandatum ad filios Iſraël, & ad Pharaonem regem Ægypti, ut educerent filios Iſraël de terrâ Ægypti.

℣. 14. Iſti ſunt principes domorum per familias ſuas. Filii Ruben primogeniti Iſraëlis: Henoch & Phallu, Heſron & Charmi.

℣. 15. Hæ cognationes Ruben. Filii Simeon: Jamuel, & Jamin, & Ahod, & Jachin, & Soar, & Saur filius Chanaanitidis. Hæ progenies Simeon.

℣. 16. Et hæc nomina filiorum Levi per cognationes ſuas: Gerſon, & Caath, & Merari: Anni autem vitæ Levi fuerunt centum triginta ſeptem.

COMMENTARIUS.

nis aliquid habere viderentur cum Græcis ΠΙΠΙ. Affirmat Theodoretus, Samaritanos pronunciaſſe nomen Dei per *Jabe* vel *Jave*, & Hebræos per *Aja*. Alii per *Jao*, vel *Jaou*; ſive *Jeou*.

℣. 6. EDUCAM VOS DE ERGASTULO. Hebræus [*f*]: *Redimam vos de ſub oneribus*, quibus eſtis oppreſſi. Vide ſuperiùs 1, 2.

JUDICIIS MAGNIS, ideſt, animadverſionibus; ſive: Exeram ego juſtitiam meam, judiciorum meorum argumenta exhibens terribilia.

℣. 8. LEVAVI MANUM MEAM. Cùm quis juraret, ritu in Scripturâ familiari manum elevabat (*g*).

℣. 9. PROPTER ANGUSTIAM SPIRITUS. Septuaginta: *Propter defectionem animi*. Exprimit Textus oppreſſionem, quæ ſpiritum ipſum ſuffocet [*h*].

℣. 12. PRÆSERTIM CUM INCIRCUMCISUS SIM LABIIS. Septuaginta (*i*) & Philo (*k*): *Eloquentiâ deficiam*. Symmachus: *Non ſum purus ſermone* Οὐκ εἰμὶ καθαρὸς τῷ φθέγματι. Non rarò in Scripturâ incircumciſi corde, labiis, ore, auribus &c. ſignificant homines imperfectum aliquid & impurum referentes in iis corporis membris, ſive impurum illud naturale ſit, ſive morale. Syriacus & Arabs cenſent ſignificari hîc a Moyſe vitium linguæ, de quo ſuperiùs IV, 10. Onkelos & Jonathan, יַקִּיר מַמְלַל, *ſum gravis loquela*, ideſt, tardus loquendo.

℣. 14. ISTI SUNT PRINCIPES DOMORUM PER FAMILIAS SUAS. Genealogiam ſuam hîc deducit Moyſes, ut hiſtoriæ perſpicuitati ſerviat; obiter autem attingit etiam Genealogias Rubeni & Simeonis, fratrum Levi natu majorum. Porrò

quidquid

(f) מתחת סבלת מצרים (g) *Vide Geneſ.* XIV, 22; & 2 *Eſdr.* IV, 25. (h) מקצר רוח *Aqu.* Ἀπὸ κολοβώσεως πνεύματος. (i) Ἄλογος. *Hieron. Irrationalis*, *l.* 2 *in Habacuc*, *c.* 3. (k) Ἀλόγιος.

℣. 17. Filii Gerson: Lobni, & Semei per cognationes suas.

℣. 18. Filii Caath, Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel: anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres.

℣. 19. Filii Merari: Moholi, & Musi. Hæ cognationes Levi per familias suas.

℣. 20. Accepit autem Amram uxorem Jochabed patruelem suam: quæ peperit ei Aaron, & Moysen. Fueruntque anni vitæ Amram, centum triginta septem.

℣. 21. Filii quoque Isaar: Core, & Nepheg, & Zechri.

℣. 22. Filii quoque Oziel: Misaël, & Elisaphan, & Sethri.

℣. 23. Accepit autem Aaron uxorem Elisabeth, filiam Aminadab, sororem Naasson, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar.

℣. 24. Filii quoque Core: Aser, & Elcana, & Abiasaph. Hæ sunt cognationes Coritarum.

℣. 25. At verò Eleazar filius Aaron accepit uxorem de filiabus Phutiel: quæ peperit ei Phinees. Hi sunt Principes familiarum Leviticarum per cognationes suas.

℣. 26. Iste est Aaron, & Moyses, quibus præcepit Dominus, ut educerent filios Israël de terrâ Ægypti per turmas suas.

℣. 27. Hi sunt, qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti, ut educant filios Israël de Ægypto: iste est Moyses, & Aaron,

℣. 28. In die, qua locutus est Dominus ad Moysen in terrâ Ægypti.

℣. 29. Et locutus est Dominus ad Moysen: dicens: Ego Dominus: loquere ad Pharaonem regem Ægypti omnia, quæ ego loquor tibi.

℣. 30. Et ait Moyses coram Domino: En incircumcisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao?

COMMENTARIUS.

quidquid ponitur hîc a versu 14, usque ad 26, parergon est, & veluti per parenthesim scriptum: quæ verò continuantur a versu 26, ad usque exitum capitis, epilogus sunt eorum, quæ in præcedentibus capitibus leguntur.

℣. 20. Patruelem. Hebræum דודתו *Dodath* non semper eumdem necessitudinis seu consuetudinis gradum exprimit, uti constat ex collatis inter se variis Textibus, ubi hæc vox legitur. Chaldæus habet, Jocabedam parentem habuisse sororem patris Amrami; & Septuaginta filiam volunt fratris patris Amrami. Syriacus favet Septuaginta, & Arabs Chaldæo. Omnes porrò conveniunt, consobrinam fuisse germanam Amrami, quippe quæ nata esset sive ex patruo sive ex amitâ Amrami. Sed opinio, quæ mulierem illam constituit amitam Amrami, non est utique rejicienda, uti vidimus superiùs II, 1.

℣. 26. Per turmas suas. Septuaginta: Σὺν δυνάμει αὐτῶν, *cum virtute eorum*, cum viribus suis. Reddi posset Hebræum על צבאתם, *Secundùm ordinem suum*, sive *Secundùm exercitus suos*; ita enim procedebant, sicut acies instructa. Vide infra XIII, 18.

CA-

CAPUT VII.

Prodigium virgæ Mosaicæ in anguem, & aquæ Nili in sanguinem versæ. Idem præstant Magi. Pharao obduratur.

℣. 1. Dixitque Dominus ad Moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit propheta tuus.

℣. 2. Tu loquêris ei omnia, quæ mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonem, ut dimittat filios Israël de terrâ suâ.

℣. 3. Sed ego indurabo cor ejus, & multiplicabo signa, & ostenta mea in terrâ Ægypti.

℣. 4. Et non audiet vos: immittamque manum meam super Ægyptum, & educam exercitum, & populum meum filios Israël de terrâ Ægypti per judicia maxima.

℣. 5. Et scient Ægyptii, quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum, & eduxerim filios Israël de medio eorum.

℣. 6. Fecit itaque Moyses, & Aaron, sicut præceperat Dominus: ita egerunt.

℣. 7. Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem.

℣. 8. Dixitque Dominus ad Moysen, & Aaron:

℣. 9. Cùm dixerit vobis Pharao: Ostendite signa: dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & projice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.

℣. 10. Ingressi itaque Moyses, & Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & servis ejus, quæ versa est in colubrum.

℣. 11. Vocavit autem Pharao sapientes, & maleficos: & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas, & arcana quædam similiter.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Ecce constitui te Deum Pharaonis, אלהים לפרעה, Potestatem meam tibi committo, quam in Pharaonem exerceas. Chaldæus: *Constitui te Dominum* (רב, Principem Judicem) *Pharaonis*. Jonathan: *Terrorem Pharaonis*. Eodem etiam sensu Deus superiùs IV, 16 Moysem constituerat Deum Aaronis. Ego te mitto, ut meo nomine fungaris legatione coram Pharaone; ille te metuet perinde ac Deum: loquere illi authoritate meâ, omnemque Domini, ac Judicis potestatem super illum exerceto. Artapanus ab Eusebio relatus (*a*), & S. Cyrillus affirmant, Ægyptios fato jam functum Moysem inter Numina consecrasse.

Aaron erit Propheta tuus. Quemadmodum Prophetæ nonnisi Deo inspirante jubenteque loquuntur, ita pariter & Aaron nihil loquetur, nisi quæ tu præceperis, & veluti dictaveris. Prophetæ nomen usurpatur interdum pro Interprete, seu quocumque Dei verbum annunciante. Hebræum *Nabi* נבי vertunt plerique *Interpretem*.

℣. 9. Tolle virgam tuam; virgam prodigiosam, appellatam virgam Dei capite IV, 20; qua cùm Moyses pariter & Aaron in operatione miraculorum uterentur, eadem indiscriminatim tribuitur Moysi pariter & Aaroni.

℣. 11. Vocavit Pharao sapientes, et maleficos. Vocum Originalis significatio non satis explorata est: duas tantùm refert Vulgata e tribus, quæ leguntur in Textu: tertiam fortè synonimam censuit secundæ. Ita verò reddi solet Hebræus: *Vocavit & Pharao* הכמים *Chachamim, & Magos* (מכשפים *Mecaschephim*) *Ægypti; & Excantatores* (הרטמים *Chartumim*); *& fecerunt etiam*

(a) *Euseb. Præpar. l. 9; & Cyrill. contra Julian.*

℣. 12. Projeceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed devoravit virga Aaron virgas eorum.

℣. 13. Induratumque est cor Pharaonis, & non audivit eos, sicut præceperat Dominus.

℣. 14. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingravatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum.

℣. 15. Vade ad eum manè, ecce egredietur ad aquas: & stabis in occursum ejus super ripam fluminis; & virgam, quæ conversa est in draconem, tolles in manu tuâ.

℣. 16. Dicesque ad eum: Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto: & usque ad præsens audire noluisti.

COMMENTARIUS.

etiam ipsi incantationibus suis (*b*). Prima Textûs vox usurpatur plerumque pro Sapientibus; quod tamen nomen in utramque partem valet; exhibet enim vel synceram sapientiam, vel dolosam & fallacem perniciosamque calliditatem. *Mecasphim* exprimere potest Divinos, Genethliacos, somniorum Interpretes, prosperos futurorum eventus prædicentes. *Caschaph* nunquam non exprimit in Scripturâ (*c*) genus quoddam divinationis & revelationis rerum abditarum. Quid potissimùm designet *Chartumim*, explicare conati sumus ad Genesis XLI, 8. Postrema Textûs hujus vox (*d*), quæ reddi solet, *incantationibus eorum*, deducitur commodè ex לוט, seu לאט *celare*. Onkelos reddit, *susurrationibus suis*; alii, *mysteriis & fascinationibus*, quibus phantasticas, seu veras metamorphoses ope Dæmonis inducerent.

FECERUNT ETIAM IPSI . . . . SIMILITER. Committuntur inter se veteres Patres, recentioresque Interpretes in hujus Textûs explicatione. Defendunt quidam (*e*), hanc virgarum in angues transmutationem nonnisi præstigio inductam a Magis Pharaonis, intuentium oculos fascinantibus: censent alii, nihil hîc intercessisse fucatum, quemadmodum in re præstitâ a Moyse, ita etiam a Magis. Nos seorsum id totum discutiemus in Dissertatione de veris fictisque prodigiis. Rabbini in Vitâ Mosis, vulgatâ a Gaulminio A. 5629, tradunt, Balaamum, cùm spectasset Moysis virgam in colubrum versam vorasse virgas suas, ac sociorum in angues item conversas, asseruisse, nullo id prodigio factum; esse enim anguem naturâ voracem, & carnivorum: proposuisse proinde, ut Moyses exhiberet virgam ligneam, virgæ naturâ & specie, quæ nihilo seciùs Magorum virgas voraret. Conditionem accepit Moyses; projectâque virgâ, hæc projectas Magorum absumpsit.

Ex Magis Pharaonis duorum inter principes nomina servavit Apostolus (*f*), *Jannes*, & *Mambre*. Leguntur etiam eorum nomina in duplici paraphrasi Chaldæâ, in Talmud, in Gemarrâ, in aliis Hebræorum libris, in quibus appellantur filii Pseudo-prophetæ Balaami. Magi Pharaonis nominantur ab Orientalibus *Sabour* & *Gadour*, & natale illis solum assignant Thebaidem. Cùm illi ad sepulchrum patris sui post ejus obitum de rebus futuris consulturi venissent, pronunciantem audierunt, caverent utrùm virga Moysis & Aaronis dormientibus ipsis in anguem verteretur. Cùm pervenissent Memphim, intellexerunt re ipsâ virgam illam verti in draconem, Moysis & Aaronis custodiæ vigilantem, cùm ipsi dormirent.

Alii duo Magi *Giaath*, & *Morsa* cum ingenti comitum turbâ coram Pharaone steterunt; nec minorem secum duxit Simeon Princeps & Summus Sacerdos Ægyptiorum, ad Regem pariter se conferens.

Magi illi visâ Moysis virgâ in anguem versâ, projecerunt ipsi quoque virgas suas, & funiculos litargyrio intimè penetratos; qui cùm solis radiis incalescentes motum aliquem concipere viderentur, non male anguis speciem exhibebant: sed virga Moysis irruens statim super illas, actutum voravit. Sabour & Gadour fidei nomen dedere, ac jubente Pharaone necati (*g*). Docebant Persæ, Moysem in omnibus Ægyptiorum scientiis præceptores habuisse Jamnem & Mambrem (*h*). Vide quæ contulimus ad 2 Timoth. III, 8.

Hanc historiam subodoratus Plinius, *lib.* 30, *cap.* 1, scripsit: *Est & alia Magices factio, a Mose & Jamne & Jotape* [idest facilè *Josepho*] *Judæis pendens*. Numenius Philosophus Pythagoricus (*i*) Magos istos appellat Jamnem & Jambrem: & Origenes (*k*) insinuare videtur, Numenium nomina eorum & res gestas e nostris Scripturis didicisse; quod ejus dictum referendum ad Librum Apocryphum, inscriptum *Jamnes & Mambres*, cujus ille meminit in Tractatu XXXV in S. Matthæum. Palladius (*l*) ex ore loquentis Macarii Ægyptii se audivisse refert, cùm vir ille sanctus aliquanto longiùs a sede suâ in desertum excurrisset, inspecturus sepulchra duorum fratrum Magorum Jamnes & Jambres, occurrisse illi sepulchra ista in imo deserti, & in horto arboribus consito, ubi puteus effossus erat.

℣. 13. ET NON AUDIVIT EOS, SICUT PRÆCEPERAT

(b) *Septuag. Sym. Th.* Ἐπαοιδοί. *Aqu.* Κρυφιαστaí. (c) *Deut.* XVIII, 10; 2 *Paral.* XXXIII, 6; *Jerem.* XXVII, 8; *Dan.* II, 2; *Malach.* III, 6. (d) בלהטיהם *Septuag. Th.* Φαρμακείαις. *Aq.* Διὰ τῶν ἀποκρύφων. (e) *Tertull. Justin. Ambr. Hieron. Greg. Nyss. Rupert. &c. Apud Bonfr. &c.* (f) 2 *Timot.* III, 8. (g) Biblioteque Orientale de M. d'Herbelot. (h) Chardin, voyage de Perse, tome 3, p. 207. *Ita Abulfarag. hist. Dynast. p.* 17. (i) *Apud Euseb. Præp. l.* IX, *c.* 27. (k) *Orig. contra Celsum l.* 4. (l) *Pallad. hist. Laus. cap.* 19.

℣. 17. Hæc igitur dicit Dominus: In hoc ſcies, quòd ſim Dominus: ecce percutiam virgâ, quæ in manu meâ eſt, aquam fluminis, & vertetur in ſanguinem.

℣. 18. Piſces quoque, qui ſunt in fluvio, morientur, & computreſcent aquæ, & affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis.

℣. 19. Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum tuam ſuper aquas Ægypti,& ſuper fluvios eorum, & rivos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, ut revertantur in ſanguinem: & ſit cruor in omni terrâ Ægypti, tam in ligneis vaſis quàm in ſaxeis.

℣. 20. Feceruntque Moyſes, & Aaron, ſicut præceperat Dominus: & elevans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone, & ſervis ejus; quæ verſa eſt in ſanguinem.

℣. 21. Et piſces, qui erant in flumine, mortui ſunt; computruitque fluvius, & non poterant Ægyptii bibere aquam fluminis, & fuit ſanguis in totâ terrâ Ægypti.

℣. 22. Feceruntque ſimiliter malefici Ægyptiorum incantationibus ſuis, & induratum eſt cor Pharaonis, nec audivit eos, ſicut præceperat Dominus.

℣. 23. Avertitque ſe, & ingreſſus eſt domum ſuam, nec appoſuit cor etiam hac vice.

℣. 24. Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam, ut biberent: non enim poterant bibere de aquâ fluminis.

COMMENTARIUS.

PERAT DOMINUS. Hebræus hujus loci commmodè etiam & magis ad literam, æquiorique ſenſu redderetur: *Sicut prædixerat Dominus*. Hæc loquendi phraſis recurrit ſæpè & in præſenti capite, & in ſequentibus.

℣. 17. PERCUTIAM VIRGA AQUAM FLUMINIS. Intelligimus ex ſequentibus, non fluminis tantum, ſed & ciſternarum, puteorum, rivulorum, canalium, lacuum, quin & contentas in vaſis lapideis & ligneis, omnes denique aquas in ſanguinem fuiſſe transmutatas: *Pro fonte ſempiterni fluminis humanum ſanguinem dediſti injuſtis* (m). Factum inde ut interirent piſces, & nihil aquæ ſuppeteret hominibus atque brutis in potum. Hoc intelligendum eſt ab oſtio Nili in Mediterraneum influentis adusque fines Æthiopiæ, ait Philo libro 1 de vitâ Moſis. Addit ille pariter, puteos recèns effoſſos ad detegendas potabilium aquarum venas, actutum ſanguinem exhibuiſſe; atque hoc per ſeptem dies perſeveraſſe. Sed ℣. 24 inſinuatur, Ægyptios potabiles aquas non fruſtra ſibi quæſiviſſe in locis circa Nilum: *Foderunt autem in circuitu fluminis aquam ut biberent, non enim poterant bibere de aquâ fluminis*. Hanc ſententiam præfert Pſeudo Juſtinus in Quæſtionibus ad Orthodoxos, *quæſt.* 26. Verùm S. Auguſtinus in Pſalmum LXXVII, favet Philoni: *Foderunt Ægyptii, & ſanguinem pro aquis invenerunt*. Porrò Ægyptiis familiarem potum exhibent Nili aquæ, ad eam rem aptiſſimæ, teſtibus iis, qui ea loca excurrerunt. Narrat Artapanus, vix tactas Nili aquas a Moyſe iotumuiſſe actutum, & omnia inundaſſe arva regionis; quod deinde ſtatis anni temporibus tamquam perpetuâ lege ab amne ſervatum eſt. Ad hæc, fluminis aquæ efferbuerunt adeò, ut calore ſuffocarent piſces, lethalemque ſitim hominibus provocarent (n). Papæ fabulas!

℣. 18. AFFLIGENTUR ÆGYPTII BIBENTES AQUAM FLUMINIS: Reddi poſſet Hebræus ונלאו מצרים *Ægrè bibent Ægyptii aquam fluminis*; vel, *Laborabunt*, ægrè invenient aquam potabilem, ideoque ſiti angentur. Samaritanus addit in fine hujus verſûs hæc, quæ totidem verbis repeteruntur ex verſiculis 16, 17, 18. *Iveruntque Moyſes & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei: Dominus Deus Hebræorum miſit nos ad te, &c.* Deſiderantur hæc autem in cæteris omnibus Verſionibus. Similes repetitiones occurrunt in Capitibus VIII, 4, 23, & IX, 5, 19, & X, 16. Vide quæ eâ de re diſputabimus ad Caput XI, 7. Septuaginta reddunt: *Non poterunt bibere aquam de flumine*.

℣. 19. TAM IN LIGNEIS VASIS, QUAM IN SAXEIS. Hebræus habet tantum: *Et in lignis & in lapidibus*. Omnes ſcilicet aquæ quà in vaſis ligneis lapideisve, quà in ciſternis ligno vel ſaxo munitis. De lagenis lapideis ſermo eſt in Evangelio; ſervaturque ſingularis quædam e pulcherrimo marmore hodie uſque Pariſiis. Lagenas itidem lapideas legas apud Homerum (o).

℣. 22. FECERUNTQUE SIMILITER. Aquæ ob idipſum quæſitæ, ſive e Mediterraneo (p), ſive e regione Geſſen, cujus aquæ naturam priſtinam

(m) *Sap.* II, 7. (n) *Apud Euſeb. Præp. l.* 9, *c.* 27. (o) *Odyſſ. N.* Ἐν δὲ κρητῆρές τε, καὶ ἀμφιφορῆες ἔασιν λάινοι. (p) *Author Quæſt. ad Orthodox. quæſt.* 26. *Theodoret. quæſt.* 20 *in Exod.*

℣. 25. Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluvium.

COMMENTARIUS.

nam retinuerunt, teste Sapientiâ XI, 5, & S. Augustino quæstione XXIII, & XXVI in Exodum; sive tandem ex puteis circa Nilum effossis. Vide superiùs ℣. 17.

CAPUT VIII.

Secunda Ægypti plaga: ranæ ebulliunt. Tertia plaga: Sciniphes. Quarta: muscæ. Pharao inania pollicetur.

℣. 1. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.

℣. 2. Sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis.

℣. 3. Et ebulliet fluvius ranas, quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos servorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum;

℣. 4. Et ad te, & ad populum tuum, & ad omnes servos tuos intrabunt ranæ.

℣. 5. Dixitque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Extende manum tuam super fluvios, ac super rivos, & paludes, & educ ranas super terram Ægypti.

℣. 6. Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.

℣. 7. Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter; eduxeruntque ranas super terram Ægypti.

℣. 8. Vocavit autem Pharao Moysen, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, ut auferat ranas a me, & a populo meo: & dimittam populum, ut sacrificet Domino.

COMMENTARIUS.

℣. 3. EBULLIET FLUVIUS RANAS (a). Nullâ necessitate fateri cogimur, sive novas a Deo creatas ranas, vel subitò e terrâ vel e limo natas compactasque. Fieri enim potuit, ut subito prodigio ranarum ova, per aquas & paludes Ægypti exclusa, protinus darent ranas; quorum ovorum pars absque prodigio disperiisset.

IN FURNOS TUOS ET IN RELIQUIAS CIBORUM TUORUM. Hebræum ובמשארותיך, quod hîc redditur *reliquias ciborum tuorum*, plerumque vertitur a recentioribus Interpretibus, *in tuas conspersiones*, subactam farinam. Maluerim ego reddere: *In annonam tuam*. Vide quæ contulimus in hanc vocem ad Caput XII, 34. Porrò furnorum Ægyptiacorum structura, quam in Genesi XVIII, 6 descripsimus, satis indicat, quò potissimùm evaserint intentatæ a Moyse minæ. Græcus vetusque Interpres legit: *In puteos tuos*.

℣. 5. EXTENDE MANUM TUAM SUPER FLUVIOS. Hebræus & Versiones: *Extende manum tuam cum virgâ tuâ super fluvios, &c.* Nilus in inferiori Ægypto in septem ramos, idest, totidem fluvios dispescitur. Hi verò rami variis rivulis intersecantur. Sunt tandem lacus & stagna, retinendis Nili aquis destinata, teste Herodoto *lib.* 2, *cap.* 149, 150.

℣. 6. ASCENDERUNT RANÆ, OPERUERUNTQUE TERRAM ÆGYPTI. Producunt Commentatores exempla quædam populorum, qui subitâ ranarum infestatione

a) *Heb.* צפרדע *Sephardea.* Abenezra putat significari crocodilos.

℣. 9. Dixitque Moyses ad Pharaonem: Constitue mihi, quando deprecer pro te, & pro servis tuis, & pro populo tuo, ut abigantur ranæ a te, & a domo tuâ, & a servis tuis, & a populo tuo: & tantùm in flumine remaneant.

℣. 10. Qui respondit: Cras. At ille, Juxta, inquit, verbum tuum faciam: ut scias, quoniam non est sicut Dominus Deus noster.

℣. 11. Et recedent ranæ a te, & a domo tuâ, & a servis tuis, & a populo tuo: & tantùm in flumine remanebunt.

℣. 12. Egressique sunt Moyses, & Aaron a Pharaone: & clamavit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni.

℣. 13. Fecitque Dominus juxta verbum Moysi: & mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris.

℣. 14. Congregaveruntque eas in immensos aggeres, & computruit terra.

℣. 15. Videns autem Pharao, quòd data esset requies, ingravavit cor suum, & non audivit eos, sicut præceperat Dominus.

℣. 16. Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ: & sint sciniphes in universâ terrâ Ægypti.

℣. 17. Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens: percussitque pulverem terræ, & facti sunt sciniphes in hominibus, & in jumentis; omnis pulvis terræ versus est in sciniphes per totam terram Ægypti.

COMMENTARIUS.

festatione regiones suas deserere coacti sunt. Ita de Abderitis refert Orosius *l. 3, c. 23*; eademque traduut de Pæoniâ, & Dardaniâ (*b*), e quibus incolæ fugerunt, pluentibus e Cœlo ranis; quæ cùm ædes infestarent, corrumperent cibos & aquas, ac tandem putrescentes aërem redderent gravissimum, id effecerunt, ut regio habitatoribus destitueretur.

℣. 9. Constitue mihi quando deprecer pro te. Ut potestatem Dei exterminantis pro arbitrio ranas demonstraret Moyses, Pharaoni indixit, ut certam diem ad eas interimendas destinaret: quod ab illo factum est pariter, ne Magi sibi gloriam usurparent, virtute suâ se bestias illas subduxisse; vel spargerent in vulgus, sponte interiisse. Interpretes quidam ita reddunt Hebræum (*c*): *Gloriare super me, quando deprecer pro te*, idest, ut certâ die deprecer pro te: sed simplexus est hujus interpretationis sensus. Chaldæus: *Pete tibi portentum, & constitue tibi tempus, quando deprecer pro te*. Sunt qui credant, hoc proposuisse Moysem, ut persuaderet Pharaoni, nullis se uti sive magiæ superstitionibus sive regulis Astronomiæ, quæ sanè tempora observant, astra, & loca.

℣. 10. Ut scias quoniam non est sicut Dominus. Septuaginta: *Quia non est alius (Deus) præter Dominum*, nulla Deo similis potestas in Cœlo & in terrâ: Magorum Dæmones nunquam adversùs Deum prævalebunt; regionis Numina valent nihil.

℣. 13. De domibus, de villis, et de agris. Reddi posset Hebræus (*d*): *De ædibus, de atriis, de agris*. Septuaginta (*e*): *De domibus, ædibusque agrestibus, & de agris*.

℣. 14. Congregaveruntque eas in immensos aggeres. Post inductam in ranas necem a Deo, in aggeres coactæ sunt; computrescentesque odoris gravitate aërem totum infecerunt. E ranarum corruptione ortæ varii generis muscæ, & insecta plurima, quibus tertia in Ægyptum plaga a Deo inflicta: quamvis enim hæ plagæ prodigio deputandæ sint, & a causâ repetantur supra naturam, itidemque magis quàm naturali ratione productæ sint; in illis tamen inducendis Deus usus est aptâ naturæ & causarum secundarum habitudine, has ad suæ voluntatis legem ita determinans, ut prodigiosis effectibus servirent.

℣. 16. Sint sciniphes. Hebræum כִּנִּים *Kinnim* (*g*) genus quoddam muscarum exprimere

(b) *Athenæus l. 8 c. 3, Eustath. in Iliad. A. Vide & Plin. l. 8. c. 29.* (c) Le Clerc *putat* התפאר עלי *esse pro* התבאר *Indica mihi*. (d) מן הבתים מן החצרת ומן השדת (e) Ἐκ τῶν οἰκιῶν, καὶ ἐκ τῶν ἐπαύλεων, καὶ ἐκ τῶν ἀγρῶν. (f) *Philo de vitâ Mos. & Joseph. l. 2 Ant. c. 14.* (g) *Septuag.* Σκνῖφες. *Alius*, φθεῖρες.

℣. 18. Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, ut educerent sciniphes, & non potuerunt: erantque sciniphes tam in hominibus quàm in jumentis.

℣. 19. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hîc: induratumque est cor Pharaonis, & non audivit eos, sicut præceperat Dominus.

℣. 20. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Consurge diluculò, & sta coram Pharaone: egredietur enim ad aquas, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.

℣. 21. Quòd si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, & in servos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, omne genus muscarum, & implebuntur domus Ægyptiorum muscis diversi generis, & universa terra, in qua fuerint.

COMMENTARIUS.

re, opinati sunt Veterum plerique: sed Bochartus vermes seu pediculos significare contendit; ipsumque sequuntur Interpretes plures, & Rabbini omnes, cum Chaldæo, Josepho, Pagnino, Aria Montano, Vatablo, & Vetere Græco Interprete, &c. Censent alii (*h*), Sciniphes esse *culices*. Porrò insecti genus illud familiare esse in Ægypto, & maximè infestum, tradit Herodotus *lib.* 2, *cap.* 95. Tutum adversùs illos effugium præbent alicubi turres, neque enim altiùs per aëra ascendunt. Sciniphem ita describit Origenes, homiliâ 4 in Exodum: *Hoc animal pennis suspenditur, per aërem volitans; sed ita subtile est, & minutum, ut oculi visum, nisi acutè cernentis, effugiat. Corpus tamen cùm insederit, acerrimo terebrat stimulo.* Addit Philo, minuta illa animalia insinuare sese in nares, aures, oculos, & ulteriùs etiam penetrare.

℣. 18. Feceruntque similiter malefici, at non potuerunt. Tantumdem præstare conati sunt, sed frustra. Pulverem virgâ percusserunt, magicas excantationes, & Dæmonum invocationes ingeminarunt, at inani conatu. Non rarò in Scripturâ similes phrases occurrunt, in quibus fieri dicitur, quod fieri tentatum est (*i*). Aliter explicat Syriacus: *Fecerunt sic quoque; at non potuerunt expellere pediculum.* Eodem sensu reddi posset Hebræus (*k*): *Fecerunt sic . . . ad ejiciendum pediculum; sed non potuerunt.* Potior Vulgatæ interpretatio.

℣. 19. Digitus Dei est hic. Veteres quidam Patres [*l*] hìc designari credunt Spiritum Sanctum, *Digitum Dei* appellatum in S. Lucâ (*m*). Aliis est *Virtus Dei*, non semel per digitum manûs ipsius descripta in Scripturâ (*n*). Chaldæus: *Plaga a facie Dei est.* Creaturæ virtus huc usque non pertingit, sive quòd potestatem in eâ re Dæmonis coërcuerit Deus, sive quòd causarum secundarum vis, a Dæmone licèt directa, impar fuerit effectibus illis producendis. Persuaderi eò usque potuerant Magi Ægyptiorum, Moysem præstantiori excantandi arte valuisse; agnoscunt nunc tandem, plus aliquid viro inesse, quàm magices scientiam, ac Dei ope valere.

℣. 20. Egredietur ad aquas. Sive ut lavet, sive recreandi animi gratiâ, sive tandem ad actum aliquem religionis; colebant enim veteres Ægyptii Nilum (*o*); sive tandem ad magicas aliquas superstitiones, Nili aquas hausturus (*p*); erant enim ex illis, utì ferunt, quos Græci appellant *Hydromantas*, quorum erant munus occulta prædicere aquarum inspectione. Apage fabulas. Refert Diodorus *lib.* 2, *cap.* 3, in moribus positum apud Ægypti Reges, ut mane singulorum dierum, ante oblata sacrificia Diis, lotum venirent; ideò fortasse mane Pharao ad aquas venturus expectabatur: videtur enim id quotidie a Rege servatum.

℣. 21. Immittam in te omne genus muscarum. Hebræum הערב *Haarob* variè redditur. Septuaginta habent κυνόμυιαν *cynomyiam*, muscæ genus stimuli acutissimi & vehementis, quo maximè vexantur canes; unde nomen apud Græcos, exprimens muscas caninas. Aquila: Καμμυίαν, *Muscarum genus omne*; quo eodem sensu usurpasse Septuaginta vocem Κοινόμυιαν *cœnomyiam*, sentire visus est S. Hieronymus in Epistolâ ad Suniam. Verùm exemplaria omnia Septuaginta, & veteres Græci Patres legerunt *cynomyiam*; & ex ℣. 31 satis constat, agi hìc de certo genere aliquo muscarum, non de muscis simul omnibus, seu de noxiis aliis animalibus, παντοίων θηρίων, utì sentit Josephus (*q*) & Chaldæus: *Mixturam bestiarum noxiarum.* Aben-Ezra habet leones, lupos, pardos: R. Salomon serpentes, & scorpiones; Vatablus insecti genus omne. Author Libri Sapientiæ (*r*) in hac bestiarum illuvie re-

(h) *Clarius.* (i) *Genes.* XXXVII, 21, 22. *Ezech.* XXIV, 13: *Mundare te volui, & non es mundata. Heb. Mundavi te, & non es mundata.* (k) להוציא את הכינים (l) *Author Disputat. contra Arium, sub nomine S. Athanasii*; *Aug. qu.* 25 *in Exod. Hieron. ad Matt.* XII. (m) *Luc.* XI, 20, *collatam cum Matth.* XII, 28. (n) *Vide Isa.* XL, 12. *Psal.* VIII, 4. *Num.* XI, 23. (o) *Vide Boch. de Animal. sacr. t.* 2, *l.* 4, *c.* 15. (p) *Hebræi apud Lyran. & Boch.* (q) *Joseph. l.* 2 *Antiq. c.* 13. (r) *Sap. lib.* XI, 16, 18. *Quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias supervacuas: immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, &c. Immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, &c.*

℣. 22. Faciamque mirabilem in die illâ terram Gessem, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ; & scias, quoniam ego Dominus in medio terræ.

℣. 23. Ponamque divisionem inter populum meum & populum tuum: cras erit signum istud.

℣. 24. Fecitque Dominus ita. Et venit musca gravissima in domos Pharaonis, & servorum ejus, & in omnem terram Ægypti: corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis.

℣. 25. Vocavitque Pharao Moysen, & Aaron, & ait eis: Ite, & sacrificate Deo vestro in terrâ hac.

℣. 26. Et ait Moyses: Non potest ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro? quòd si mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii, coram eis, lapidibus nos obruent.

℣. 27. Viam trium dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis.

℣. 28. Dixitque Pharao: Ego dimittam vos, ut sacrificetis Domino Deo vestro in deserto: verumtamen longiùs ne abeatis, rogate pro me.

COMMENTARIUS.

censet ursos, leones & aliorum generum animalia, quæ colebant Ægyptii, ut scilicet iisdem punirentur, quibus usi sunt ad crimen. Scholiastes notat, Samaritanum habere *corvum*; nec sanè diffitemur, *Erob* eâdem significatione interdum reddi. Legitur apud S. Augustinum (s) *locusta*. Ezechiel Poëta (t) inter animalia Ægyptum infestantia locustas memorat. Hebræum ארבא, *Arbe*, sonans locustam, maximè accedit ad *Hareb*, quamquam hæc duo nomina discrepantibus planè literis scribuntur. Communior est sententia, præferens muscas generatim.

Porrò ea insecta non semel integras gentes ingenti molestiâ affecerunt. Pagani colebant Jovem & Herculem cognomento Ἀπομυίες *Venatores muscarum*. Hac pariter virtute pellendi insecta illa præstitisse Beelsebub Deus Accaronitarum creditur. Vide nostrum Commentarium in 4 Regum I, 2. Datam narrat Homerus a Minervâ Menelao audaciam seu virtutem muscæ (u); quod satis exprimit molestiam & temeritatem hujus insecti.

℣. 22. Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen. Septuaginta; Παρδοξάσω, *Faciam gloriosam*, distinguam terram Gessen a reliquâ Ægypto. Sed plerique reddunt Hebræum, הפליתי, *Dividam* ambas illas regiones; aliter & aliter agam cum illis. Sunt qui credant, hucusque terram Gessen communes sensisse cum Ægypto plagas; sed illos refutat S. Augustinus *quæstione 27 in Exodum*.

℣. 23. Ponamque divisionem. Hebræum שמתי פדת redditur: *Ponam redemptionem*, eximam populum meum a communi cæterorum fato.

℣. 24. Musca gravissima. Reddi posset Hebræum ערב כבר: *Ingens muscarum vis*, sive immanes muscæ.

Corruptaque est terra. Non malè redderetur: *Corrumpebatur terra*, vastatione scilicet insectorum, molestiam afferentium gravissimam tum hominibus tum brutis. Psalmista canit (x), muscas vorasse Ægyptios; & Author Libri Sapientiæ (y) insinuare videtur, letbifero illos morsu læsisse.

℣. 26. Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino. Immolandi sunt Deo nostro Dii Ægyptiorum, animalia scilicet ab Ægyptiis consecrata, quorum cædem perinde ac abominationem & crimen ducunt (z). Ad seditionem usque progressi est interdum Ægyptus, ut punirentur animalium ejusmodi interfectores etiam imprudentes nolentesque; uti si qui occiderunt felem, vel canem. Non sunt utique dicta Moysis ita accipienda, quasi scilicet insinuaret, immolandas esse a Judæis Domino res horrori habitas apud Ægyptios; colebant enim potiùs Ægyptii animalia in sacrificium ab Hebræis adhibita. Sunt qui interrogationem addant: *An immolabimus in Ægypto abominationes* (Deos) *Ægyptiorum*? Seu: An sacrificabimus hìc ritu Ægyptiorum? Seu tandem: Objiciemur ne furori Ægyptiorum, coram illis sacrificia operantes, quæ ipsi abominationi habent & horrori?

Colebant Ægyptii generatim astra, planetas, amnes, & omnis generis animalia, ab homine usque ad vilissimas bestias; sed animalium cultus non idem obtinebat ubique. In Nomo vel regione Thebarum, capellæ immolationi, oves cultui desti.

(s) *Quæst. 19 in Exod.* (t) *Apud Euseb. Præp. l. 9, c. 29.* (u) *Iliad.* P. Καί οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν. (x) *Psal.* LXXVII, 45: *Misit in eos cœnomyiam, & comedit eos.* (y) *Sap.* XVI, 9: *Illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus.* (z) Ita Onkelos.

℣. 29. Et ait Moyses: Egressus a te, orabo Dominum: & recedet musca a Pharaone, & a servis suis, & a populo ejus cras; verumtamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum sacrificare Domino.
℣. 30. Egressusque Moyses a Pharaone, oravit Dominum.
℣. 31. Qui fecit juxta verbum illius: & abstulit muscas a Pharaone, & a servis suis, & a populo ejus: non superfuit ne una quidem.
℣. 32. Et ingravatum est cor Pharaonis, ita ut nec hac quidem vice dimitteret populum.

COMMENTARIUS.

destinatæ; vicissim autem in Mendeso, capellæ in aris, oves in focis (a). Sues tantùm, boves, vituli, & anseres immolaotur ubique.

Quid causæ esset, cur animalia colerentur in Ægypto, assignat Cicero libro 1 de Naturâ Deorum: *Ipsi qui irridentur Ægyptii, nullam belluam, nisi ob aliquam utilitatem, quam ex eâ caperent, consecraverunt.* Hanc cum aliis nonnullis causam affert Eusebius (b); addens pariter, in illato a mortalibus adversùs Deos bello, Deos illos, ut ab hominum furore sese subducerent, coactos fuisse latebras quærere in corporibus animalium, quæ deinde Numinibus illis consecrata sunt. Ita Jupiter in corpus arietis confugit, Apollo corvi, Bacchus hirci, Juno vaccæ, & sic de cæteris, uti ex his Ovidii carminibus *Metam. 5, Fabulâ 5.*

Duxque gregis fit Jupiter.
Delius in Corvo; proles Semeleja capro;
Fele Soror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ.
Pisce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis.

Censent alii, religionis Ægyptiacæ fontem repetendum esse a dogmate Metempsychoseos; abstinuisse illos proinde ab animantibus, ne fortè impias, imprudentesque manus inferrent in necessarios suos & propinquos, cùm brutum interimerent.

Vix utique credula mens addiceretur Horo, testanti apud Macrobium (c), veteres Ægyptios nullam spirantem victimam Diis immolasse, moremque contrarium cœpisse post occasum Alexandri Magni: tunc coactos admittere in censum Deorum Saturnum, consuetasque illi victimas offerre; ne verò Urbes suas, & Templa cæterorum Deorum contaminarent, Numini illi & Serapidi Templa extra urbes excitasse: *Nunquam fas fuit Ægyptiis pecudibus aut sanguine, sed precibus & thure solo placare Deos.* Memorat Porphyrius & Theophrastus veterem simplicitatem sacrificiorum Ægypti, & quantum illic abhorreretur a sanguine. Sed vetustatem cruentorum sacrificiorum apud Ægyptios, restaotur Scriptura, vetustioresque Theophrasto, Porphyrio, & Macrobio Scriptores: quare si Authorum illorum de vetustis Ægyptiorum Sacrificiis testimonia admittaotur, id utique referendum ad priora illa sæcula, antequam idololatria & superstitio inundaret per Ægyptum aliasque regiones. Vide quæ diximus in Genesim XLIII, 16, XLVI, 34; & Herodotum *l. 2, c. 39, 40.*

CAPUT IX.

Quinta plaga, pestis animalium; sexta, ulcera; septima, grando, & tonitrua. Israëlitæ ab his omnibus intacti.

℣. 1. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.
℣. 2. Quòd si adhuc renuis, & retines eos;
℣. 3. Ecce manus mea erit super agros tuos, & super equos, & asinos, & camelos, & boves, & oves, pestis valdè gravis.

COMMENTARIUS.

℣. 3. Ecce manus mea erit super agros tuos. Aoimadvertere juvat, in quiotâ, quartâ, & postremâ plagâ nihil contulisse operis sive Moysem sive Aaronem, veluti si hisce de-

(a) *Herod. l. II, c. 41, 42.* (b) *De Præp. l. 2, c. 1, p. 46, B.* (c) *Macrob. Saturn. l. 1, c. 7.*

℣. 4. Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israël, & possessiones Ægyptiorum, ut nihil omninò pereat ex his, quæ pertinent ad filios Israël.

℣. 5. Constituitque Dominus tempus, dicens: Cras faciet Dominus verbum istud in terrâ.

℣. 6. Fecit ergo Dominus verbum hoc alterâ die: mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus vero filiorum Israël nihil omninò periit.

℣. 7. Et misit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his, quæ possidebat Israël. Ingravatumque est cor Pharaonis, & non dimisit populum.

℣. 8. Et dixit Dominus ad Moysen, & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum coram Pharaone.

℣. 9. Sitque pulvis super omnem terram Ægypti; erunt enim in hominibus, & jumentis ulcera, & vesicæ turgentes in universâ terrâ Ægypti.

℣. 10. Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cœlum, factaque sunt ulcera vesicarum turgentium in hominibus, & jumentis.

℣. 11. Nec poterant malefici stare coram Moyse propter ulcera, quæ in illis erant, & in omni terrâ Ægypti.

℣. 12. Induravitque Dominus cor Pharaonis, & non audivit eos, sicut locutus est Dominus ad Moysen.

COMMENTARIUS.

demonstraret Deus Pharaoni, hæc omnia minimè referri oportere sive ad Moysis præstigia, sive ad peculiarem viri illius virtutem.

SUPER AGROS TUOS ET SUPER EQUOS. Hebræus (a): *In pecudibus tuis, qui in agro, in equis, in asinis &c.*

PESTIS VALDE GRAVIS. Septuaginta, & Syriacus: *Mors gravissima* (b).

℣. 4. FACIET DEUS MIRABILE. Reddi posset Hebræum: הפלה, *Dividet*, discrimen ponet &c. Vide Caput VIII, 22.

℣. 6. OMNIA ANIMANTIA, quæ fortè erant sub dio, nec commodum habebant in caulas refugium, oppressa sunt. Quid sua esset Religio, ostensum est Ægyptiis, qui colerent animalia Dei manu percussa.

℣. 7. MISIT PHARAO AD VIDENDUM, NEC ERAT QUIDQUAM MORTUUM. Expugnaturum utique videbatur hoc prodigium animum Pharaonis; sed Scriptura nihilo seciùs narrat restitisse illum pervicaciùs. Reputabat, damna se reparaturum, gregibus Israëlitarum usurpatis; vel fortè putavit, minora esse quàm quæ ferrentur, damna Ægyptiorum: seu tandem odii & pervicacitatis causam inde sumpsit, quòd nihil amisisse Hebræos cerneret.

℣. 8. TOLLITE PLENAS MANUS CINERIS DE CAMINO, idest, e fornace vel e clibano; neque enim *caminus* est hic, quemadmodum nostrâ ætate vox illa usurpatur. Exprimit Hebræum פיח כבשן fornacem, qualis usui fabri ferrarii servit. Porrò caminos, quales nostrâ ætate sunt, nullos fuisse tunc in Ægypto credo, sed focos tantùm.

℣. 9. ULCERA & VESICÆ TURGENTES. Reddi potest Hebræus (c): *Ulcus germinans inflationes*, sive inflammatio inducens pustulas (d). Septuaginta: Ἕλκη φλυκτίδες ἀναζέουσαι, *Ulcera, vesicæ effervescentes*. Symmachus, *Pustula* ἐξανθοῦσαι *dehiscentes*, ad literam, *florentes*. Aquila: Pustulæ πεταζόμεναι *extensæ*, diffusæ. Designari hic videntur tumores pestis, vel pustulæ urentes, toto corpore disseminatæ.

℣. 11. NEC POTERANT MALEFICI STARE CORAM MOYSE, PROPTER ULCERA. Noluit Deus Dæmonem hanc sibi gloriam usurpare, ut præstigiis suis ex æquo pugnaret adversùs authoritatem ac pondus prodigiorum Mosaicorum. Causationem omnem subducere voluit Pharaoni, Magis, & universæ Ægypto, Dæmonis potestate frænatâ primùm in productione muscarum, iterumque in plagâ ulcerum.

℣. 14.

(a) במקנך אשר בשדה בסוסים (b) דבר כבד מאד *Septuag.* Θάνατος μέγας σφόδρα.
(c) לשחין פרח אבעבעת (d) *Clericus derivat Hebræum* שחין *ex Chaldæo* שחן, *calescere, calefieri.*

℣. 13. Dixitque Dominus ad Moysen: Mane consurge, & sta coram Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.

℣. 14. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super servos tuos, & super populum tuum, ut scias, quòd non sit similis mei in omni terrâ.

℣. 15. Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribisque de terrâ.

℣. 16. Idcircò autem posui te, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terrâ.

℣. 17. Adhuc retines populum meum, & non vis dimittere eum?

℣. 18. En pluam cras hac ipsâ horâ grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, a die, qua fundata est, usque in præsens tempus.

℣. 19. Mitte ergo jam nunc, & congrega jumenta tua, & omnia, quæ habes in agro: homines enim, & jumenta, & universa, quæ inventa fuerint foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando, morientur.

℣. 20. Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos, et jumenta in domos.

℣. 21. Qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit servos suos, et jumenta in agris.

℣. 22. Et dixit Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in Cœlum, ut fiat grando in universâ terrâ Aegypti.

COMMENTARIUS.

℣. 14. MITTAM OMNES PLAGAS MEAS SUPER COR TUUM. Altè cor tuum sauciabitur visis suppliciis, quibus te & populum tuum affligam. Ita etiam reddi potest Hebræum: *Mittam omnes plagas meas su cor tuum* אל לבך, in medium tui; usurpant enim Hebræi cor pro medio: at hìc sensus minùs in præsenti mihi probatur. *Omnes plagas* hìc habet pro grandine, tonitrubus, fulminibus, fulgure, imbribus, igne, de quibus ℣. 23.

℣. 15. PERCUTIAM TE, ET POPULUM TUUM PESTE. Iotorserat jam Moyses in Pharaonem pestis futuræ minas ℣. 3, quarum effectum habes ℣. 6: hìc iterum pestem minitatur. Ut hæc in speciem repugnantia concilientur, reputandum est, versiculis 3 & 6 sermonem esse de lue animalium, & versu 15 de lue hominum. Credit Menochius, *pestem*, de qua ℣. 15, designare plagas simul omnes, & quæcumque in Ægyptum ingruebant mala. Sed Chaldæus aliique plures Interpretes aliter vertunt. *Quum jam miserim plagam fortitudinis meæ, æquum erat ut percuterem te & populum tuum morte, & perderem te e terrâ. Verùm profectò conservavi te, ut videre faciam te robur meum; & ut narretur nomen sanctum meum in universâ terrâ.* Pestis nomine locustæ intelligi possunt, de quibus Capite x, 13.

PERIBISQUE DE TERRA. Hac, quam Moyses minitatur, plagâ non equidem periit Pharao, sed aquis maris rubri demersus interiit. Itaque commodè retineretur sensus ille, superiùs a nobis insinuatus: Valuissem ego quidem immissâ lue te & populum tuum perdere: sed reservare te malui ad exhibendum ultionis meæ specimen illustre.

℣. 16. POSUI TE. Hebræus: העמדתיך *Suscitavi te*, in dignitatem te extuli, *stare feci te*, subsistere. Chaldæus: *Sustinui te.* Septuaginta: Διετηρήθης, *conservatus es.* S. Paulus *Rom.* IX, 17: *Excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam.* Porrò Deus *malarum voluntatum justissimus est ordinator, ut bene utatur etiam voluntatibus malis*, ait S. Augustinus *l.* XI, *c.* 17, *de Civ. Dei.*

℣. 17. ADHUC RETINES POPULUM MEUM. Hebræus: מסתולל בעמי, *Adhuc tu elevas te in populum meum*, vel subditum illum, ac pedibus proculcatum tenes. Septuaginta: Ἐμποιῇ τοῦ λαοῦ μου, *Insultas populo meo*, vel te veluti aggerem opponis egressioni populi mei.

℣. 18. A DIE, QUA FUNDATA EST. Ex quo habitatoribus frequentata est, ad hanc usque diem; ex quo Ægyptus fuit, nunquam similis grando ejus arva vastavit. Censuerunt ex Veteribus quidam (e), Ægypti solum, illud saltem quod infra Thebaidem patet, concrevisse ex collectâ humo limòque, post Nili inundationes subsidentibus. Reputari utique posset, Moysem huic opinioni favisse; sed contraria non obscurè præfert, cùm

(e) *Herodot. l.* 2, *c.* 5.

℣. 23. Extenditque Moyses virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitque Dominus grandinem super terram Ægypti.

℣. 24. Et grando, & ignis mista pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta antè numquam apparuit in universâ terrâ Ægypti, ex quo gens illa condita est.

℣. 25. Et percussit grando in omni terrâ Ægypti cuncta, quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum: cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit.

℣. 26. Tantùm in terrâ Gessen, ubi erant filii Israël, grando non cecidit.

℣. 27. Misitque Pharao, & vocavit Moysen, & Aaron, dicens ad eos: Peccavi etiam nunc: Dominus justus; ego, & populus meus, impii:

℣. 28. Orate Dominum, ut desinant tonitrua Dei, & grando: ut dimittam vos, & nequaquam hìc ultra maneatis.

℣. 29. Ait Moyses: Cùm egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit: ut scias quia Domini est terra.

℣. 30. Novi autem, quòd & tu, & servi tui necdum timeatis Dominum Deum.

COMMENTARIUS.

cùm narrat, Cham filiom Noë ejusque posteros sedes habuisse in Ægypto, qua ætate, si vera prodant Scriptores illi, stagnantibus aquis in Ægypto omnia tenebantur.

℣. 23. DOMINUS DEDIT TONITRUA AT GRANDINEM, ET DISCURRENTIA FULGURA SUPER TERRAM. Author Libri Sapientiæ (*f*) observat, prodigia tunc mira & supra fidem spectata, mixtum scilicet inter aquas ignem, quæ utraque elementa mutuis adjumentis fovebantur. Non desunt qui credant, grandinem illam conditum intra se tenuisse ignem, illâque in terram ruente, ignem omnia vastasse. Hebræus ad literam: *Dedit Dominus* קלת *voces* (*g*), (tonitrua) *& grandinem; & ambulavit ignis super terram, & pluit Dominus grandinem super terram.* Ignis nomine hìc designatur vel fulgura vel dilapsus e Cœlo ignis, qui obvia quæcumque vastavit atque ussit. Id num obscurè docent Psalmi LXXVII, 48, & CIV, 32: *Tradidit grandini jumenta eorum, & possessionem eorum igni. Posuit pluvias eorum grandinem, ignem comburentem in Terrâ ipsorum.* Inferioris Ægypti solum, quà proximum est Mari, ubi sedes habebant Israëlitæ, modicis nec frequentibus pluviis irrigatur, juxta Philonem (*h*): largis frequentibusque, asserunt alii (*i*); Imbres in urbe Tani legas apud Moysem ℣. 18. In Cairo adjacentibusque locis imbres nec frequentes nec largos desiderari affirmat Vanslebius (*k*). Prosper Alpinus (*l*) tradit, pluviam ibi cadere in modum roris, rarissimèque spectari grandinem, nivem, glaciem; sed superiorem Ægyptum supra Memphim, regionem esse nullis imbribus irriguam. Ex relatione Sacerdotum Thebarum didicisse se refert Herodotus (*m*), nullas in eâ regione pluvias umquam auditas, nisi sub regno Psammetichi. Asserit Philo (*n*), sub Moyse in universâ Ægypto videri contigisse, quod numquam aliàs, idest, pluvias, grandinem, tonitrua. De pluviâ nulla hìc mentio, sed legitur ℣. 33, 34.

℣. 28. ORATE DOMINUM, UT DESINANT TONITRUA DEI. Reddi posset Hebræus; *Orate ad Dominum, & multum, ne fiat voces Dei*, tonitrua. Chaldæus: *Orate coram Domino, ut sit a facie ejus refrigerium multum, & non sint super nos tonitrua maledictionis Domini*, Reddi etiam posset Hebræus; *Orate Dominum; satis est enim* (ad nostram animadversionem; arduum nimis est hæc tonitrua pati) *ut cessare hæc faciat; & vos dimittam.*

℣. 29. CESSABUNT TONITRUA. Addunt hìc Septuaginta pluviam, quæ ℣. 33 nominatur.

UT SCIAS, QUIA DOMINI EST TERRA. Persuasum habebant Pagani, sua singulis regionibus fuisse Numina, quorum auctoritas cum regione illâ definiretur. Declarat hìc Moyses, Hebræorum Deum super universam latè Terram, super elementa

(f) *Sap. XVI, 16, 17: Quod enim mirabile erat, in aquâ, qua omnia extinguit, plus ignis valebat.* (g) *Septuag.* Φωνὰς, *voces. Alius,* ἀνέμων ἦχος, *ventorum sonitus. Alius,* Βροντὰς. (h) *Philo de vitâ Mos. l. 1; Thevet. in Cosmogr.* (i) *Prosper Alpin. de medic. Ægypt. l. 1, c. 7.* (k) Vansleb, Rélat. d'Egypte, p. 37, & 354. (l) *Prosp. Alpin. l. 1, c. 7, de medic. Ægypt.* (m) *Herodot. l. 3, c. 10.* [n] *Philo de vitâ Mos. lib. 2.*

℣. 31. Linum ergo, & hordeum læſum eſt, eò quòd hordeum eſſet virens, & linum jam folliculos germinaret.

℣. 32. Triticum autem, & far non ſunt læſa; quia ſerotina erant.

℣. 33. Egreſſuſque Moyſes a Pharaone ex urbe, tetendit manus ad Dominum: & ceſſaverunt tonitrua, & grando, nec ultra ſtillavit pluvia ſuper terram.

℣. 34. Videns autem Pharao quòd ceſſaſſet pluvia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum.

℣. 35. Et ingravatum eſt cor ejus, & ſervorum illius, & induratum nimis: nec dimiſit filios Iſraël, ſicut præceperat Dominus per manum Moyſi.

COMMENTARIUS.

menta, & ſuper Ægyptum maximè regnare; exhibuerat enim prodigia ſua ſuper aëra, ſuper aquas, ſuper Terram, ſuper homines, ſuper bruta. Vide ℣. 10 & 22 capitis VIII, ubi eadem phraſis recurrit.

℣. 31. EO QUOD HORDEUM ESSET VIRENS, ET LINUM JAM FOLLICULOS GERMINARET. Hebræus (o): *Hordeum erat viride, & linum in calamo*; vel: *hordeum habebat viridem ſpicam, & linum producebat ſemen ſuum*. Formari jam cœperat ſemen, & hordei ſpica nondum maturitatem attigerat. In eâ regione ſerebatur hordeum & linum, ipſumque frumentum ante hyemem, ibi ſanè mitiſſimam (p). Idem & in Italiâ ſervari asſerit Columella, libro 2, capite 10. Meſſis hordeacea inibat ſtatim poſt Feſtum Paſchatis in Palæſtinâ; ergo & in Ægypto (q), quæ nihilo inferior erat ſive fœcunditate ſoli, ſive aëris temperie: ita hordeum tunc ſpicam formaverat, & jam flaveſcebat.

Opponit hìc Moyſes adultas haſce meſſes & meſſi proximas, aliis magis ſerotinis, uti frumentaceæ, cujus ſecandæ exordium in Palæſtinâ ducebatur poſt meſſem hordeaceam; quin & ſuſpicantur nonnulli, falcem in frumentum immitti primùm poſt Pentecoſtem [r]. Sed contrarium inſinuatur in Scripturâ; conſtat enim primitias hujus meſſis oblatas in Templo, ipſo Pentecoſtes Feſto; ex quo intelligimus, meſſem illam jam abſolutam. Vide Exodum XXIII, 16; & XXXIV, 22. Cùm Nili aquæ exundent in Ægypto ſub exordium Caniculæ, oportebat utique, meſſes omnes tunc collectas fuiſſe. Optimè demonſtrat Bonfrerius, ejus regionis meſſem iniſſe circa exordium Aprilis; abſolutam verò labente Majo circiter (s). Aſſerit Ariſtophanes [t], Phœnicios & Ægyptios Cuculo cantum incipiente meſſem exordiri.

℣. 32. TRITICUM AUTEM ET FAR. Septuaginta: *Frumentum & olyra*, genus eſt frumenti, e tritico & hordeo participans. Victitabant Ægyptii genere quodam frumenti, quod Latini *ſpeltam*, Galli *epautre*, Græci *Zean* appellant. Alicubi in Galliâ naſcitur; teriturque molaribus, veluti hordeum ſcoriâ mundatum, ac lacte excoquitur. Aſſerit Herodotus (u) Ægyptios abſtinuiſſe a frumento & hordeo, cæteriſque cibis ex eo confectis. Legas apud Scriptores (x) triticum quoddam Ægypti, cui nomen *Corſium*, ac alterum, cui nomen *cicus*; ſicut & panis genus, appellatum *cacen*, vel *Kolleſten*. Certa ſignificatio Hebræarum vocum חטה *chitta*, & כסמת *Cuſſemet*, ignoratur; nec minùs incertum, quod genus frumenti vel tritici illis deſignetur. Docet S. Hieronymus [y], eſſe nonnullis *cuſſemet* viciam, aliis avenam, aliis ſiliginem, vel ſpeltam.

℣. 33. NEC ULTRA STILLAVIT PLUVIA. Chaldæus ſcribit, *pluviam quæ deſcendebat*, virtute Dei *non* perveniſſe *in terram*. Hunc facilè ſenſum pateretur Hebræus ומטר לא נתך ארצה, niſi illi repugnaret proximè ſuccedens verſiculus, & alia Scripturæ teſtimonia (z), quibus aſſeritur grandinem ſimul cum pluviâ mixtam corruiſſe; vel pluviam ipſam non aliam fuiſſe, quàm grandinem: *Poſuit pluvias eorum grandinem*.

(o) השערה אביב והפשתה גבעל (p) *Plin. l.* 18, *c.* 7: *In Ægypto hordeum ſexto a ſatu menſe, frumenta ſeptimo metuntur. Vide dicta ad Agg.* II, 20. (q) *Proſper Alpin. l.* 1 *de medic. Ægypt. c.* 7. (r) *Ita docent Buxtorf. Synagog. Jud. cap.* 15. *Maldonat. in Matt.* XII, 1. *Vide Comment. noſtrum ad Exod.* XXIII, 16. (s) *Plin.* XVIII, 18. *Leo Afric. l.* 8, *c.* 4. *Caſſian. collat.* XV, *c.* 4. *Joſeph. l.* 3 *Antiq. c.* 10. *Joſue* III, 15. (t) *Ariſtoph. in Avibus, p.* 565. (u) *Herodot. l.* 2, *c.* 16. (x) *Strab. l.* 7, *p.* 555. (y) *Hieron. in Ezech.* IV, *Septuag.* Ὀλύραι. *Aqu.* Ζέα. (z) *Vide* ℣. 23, *& Pſal.* CIV, 32.

CAPUT X.

Octava plaga, locusta; nona, tenebræ. Pharao obduratur, nec sinit Israëlitas greges suos secum ducere.

℣. 1 ET dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem: ego enim induravi cor ejus, & servorum illius: ut faciam signa mea hæc in eo,
℣. 2. Et narres in auribus filii tui, & nepotum tuorum, quoties contriverim Ægyptios, & signa mea fecerim in eis: & sciatis, quia ego Dominus.
℣. 3. Introierunt ergo Moyses & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Usquequò non vis subjici mihi? dimitte populum meum, ut sacrificet mihi.
℣. 4. Sin autem resistis, & non vis dimittere eum, ecce ego inducam cras locustam in fines tuos,
℣. 5. Quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, sed comedatur, quod residuum fuerit grandini: corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris.
℣. 6. Et implebunt domos tuas, & servorum tuorum, & omnium Ægyptiorum: quantam non viderunt patres tui, & avi, ex quo orti sunt super terram, usque in præsentem diem. Avertitque se, & egressus est a Pharaone.
℣. 7. Dixerunt autem servi Pharaonis ad eum: Usquequò patiemur hoc scandalum? dimitte homines, ut sacrificent Domino Deo suo. Nonne vides quòd perierit Ægyptus?
℣. 8. Revocaveruntque Moysen, & Aaron ad Pharaonem, qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro: quinam sunt, qui ituri sunt?
℣. 9. Ait Moyses: Cum parvulis nostris, & senioribus pergemus, cum filiis, & filiabus, cum ovibus, & armentis: est enim solemnitas Domini Dei nostri.

COMMENTARIUS.

℣. 2. QUOTIES CONTRIVERIM ÆGYPTIOS. Hebræus; התעללתי במצרים *Quæ feci in Ægypto*. Septuaginta: Ὅσα ἐμπέπαιχα τοῖς Αἰγυπτίοις, *Quanta illusi Ægyptiis*.

℣. 3. USQUEQUO NON VIS SUBJICI MIHI? Hebræus: *Usquequo renuis humiliari coram me?* לענת מפני: te pœnitere, mitior fieri, affligi coram me. Septuaginta: *Usquequo non vis revereri me?* Ἐντραπῆναί με.

℣. 5. NE QUIDQUAM EJUS APPAREAT. Totam terræ faciem locustarum multitudo operiet celabitque. Onkelos: *Locustæ operient terram; ita ut solis radii non possint ad eam pervenire*; obscurabunt enim volando aërem. Porrò de his locustarum nubibus legas ℣. 13.

℣. 7. USQUEQUO PATIEMUR HOC SCANDALUM? Reddi posset Hebræum (a): *Usquequo hic homo erit nobis in laqueum, sive in lapidem offendiculi* (b)? Quousque affliget nos iste? quousque gravis insistet, ceu venator prædam insequens, ut retibus suis & laqueis illam implicet? Nonne videris, Ægyptum universam in excidium ruisse? Hoc *scandalum* referri potest sive ad Israëlitas, quorum occasione super Ægyptiorum caput hæc mala excussa sunt, sive ad mala ipsa, quibus affligebantur, sive ad Moysem & Aaronem, Dei ministros in eâ ultione inferendâ.

℣. 9. CUM PARVULIS NOSTRIS ET SENIORIBUS PER-

(a) עד מתי יהיה יה לנו למוקש (b) *Septuag.* Ἔσαι τοῦτο ἡμῖν σκῶλον. *Aquil. Sym.* Πρόσκομμα *Scandalum. Samar.* Εἰς αἰτίας. *In noxas.*

Digitized by Google

℣. 10. Et respondit Pharao: Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, & parvulos vestros: cui dubium est, quòd pessimè cogitetis?
℣. 11. Non fiet ita, sed ite tantùm viri, & sacrificate Domino: hoc enim & ipsi petistis. Statimque ejecti sunt de conspectu Pharaonis.
℣. 12. Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super terram Ægypti ad locustam, ut ascendat super eam, & devoret omnem herbam, quæ residua fuerit grandini.
℣. 13. Et extendit Moyses virgam super terram Ægypti, & Dominus induxit ventum urentem totâ die illâ, & nocte: & manè facto, ventus urens levavit locustas.

COMMENTARIUS.

PERGEMUS. Ad cœtus istos religiosos confluebant omnes viri, mulieres, pueri, uno verbo omnes, quos domi sive morbus sive domesticæ necessitates noo retinerent. Crebrò ea solemnia in Ægypto recurrebant; sibique eorum inventionem Ægyptii vindicabant (c). Describit Herodotus, quo apparatu Ægyptii Bubasten, Festum quoddam celebraturi, proficiscerentur: eò autem petebant fluviali per Nilum itinere, unà cum uxoribus omnibus & filiis. Asserit eò convenisse ad LXX M virorum fœminarumque, præter parvulos. Affirmat Moyses oportere, ut simul omnes, ne brutis quidem exceptis, eant: homines, ad festum celebrandum; bruta, ut, quascumque maluisset Deus, victimas sufficerent.

℣. 10. SIC DOMINUS SIT VOBISCUM. Imprecans, & per ironiam loquitur: Ita Deus sit vobiscum, quemadmodum propositum est mihi vos remittendi: sicut ergo nulla mihi voluntas dimittendi vos, ita Deum rogo, ut ipse vos deserat. Sæpè eùm aliquid mali imprecamur, contraria consiliis oostris verba concipimus. Ita accusatur Naboth, quòd *benedixerit Deum & Regem* (d), idest utrique maledixerit.

CUI OUBIUM EST QUOO PESSIME COGITETIS? Hebræus (e): *Videte quia malum est coram vobis*: seu: *Videte quia malum est contra facies vestras*. Oculi vestri & oris aspectus malum, quod agitatis, consilium produnt. Commodè etiam redderetur juxta Septuaginta [f]: *Videte quia malignitas proposita est vobis*, Cavete ne vobis vertatur io malum; vel: Satis constat, prava vos agitare consilia. Chaldæus: *Videte, quomodo malum, quod vos putatis facere, contra faciem vestram stat*; Cavete ne quod molimini malum, recidat super vos. Syriacus ita interpretatur, quasi si postulatis acquiesceret Pharao; *Dixit eis: Fiat ita: Dominus vobiscum sit: Cùm dimisero vos & supellectilem vestram, videte quaso ne fortè malum occurrat faciebus vestris*.

PARVULOS VESTROS. Septuaginta: Τὴν ἀποσκευὴν ὑμῶν, *Suppellectilem vestram*. Symmachus: Ὄχλον ὑμῶν, *Turbam vestram*. Hebræus את טפכם. Aquila: Τὰ τέκνα ὑμῶν, *filios vestros*.

℣. 11. HOC ENIM ET IPSI PETISTIS. Nequaquam postulaverat Moyses, ut viros tantùm duceret, relictis fœminis & filiis. De illis enim mentem suam nondum prodiderat; postulaverat autem solummodò permitti Hebræis, ut tridui itinere contenderent in locum, ubi Festum Deo suo celebrarent. Textus ad literam: *Ite nunc viri, & servite Domino, hoc enim vos postulastis*.

℣. 13. INOUXIT VENTUM URENTEM. Vox קדים *Kadim* redditur plerumq; *ventus orientalis*; (g) *Notum* νότον malunt Septuaginta & Philo; Aquila & Symmachus cum Vulgatâ cohærent, καύσωνα, *ventum urentem*. Nullus apud Ægyptios ventus iosestior, quàm meridianus, quem hodie appellaot *merisi*; incommodo enim calore spiritum suffocat. Furit adeò, ut palearum & arenarum turbinem elevet, quo aër obfuscatur; est autem adeò subtilis agitata illa a vento arena, ut oon solùm optimè clausas arcas penetret, sed & ova ipsa intacta & integra. Corrumpit frumenta simul & fructus, ac morborum immensam infert segetem. Eodem nomine appellantur orientales venti, qui perniciosi maximè sunt (h). Nihil est ergo cur admiremur, si Philo & Septuaginta pro vento orientali habent Notum, duo enim sunt venti, effectus unus in Ægypto.

Qui fidem Septuaginta sequuti reddunt Notum (i), censent pariter, locustas in Ægyptum vectas a vento flante ex Æthiopiâ, regione locustis maximè obnoxiâ. Porrò de locustis Æthiopiæ legas historiam ejus regionis, per Ludolfum scriptam. Itinerantes quidam sermonem habent de insueto quodam vento flante in Arabiâ e Perside; est autem urens maximè & exsiccans, obvia quæque calore comburens, ut vel corium ipsum contrahat, exsiccet os & manus, easdemque in corpore notas imprimat, quas ignis amburens. Hunc facilè ventum Moyses frequenter appellat *ventum Kadim*, & Vulgata *ventum urentem*. Repetitur ille e regionibus, nomine *Kadim* vel orientis in Scripturâ designatis. Vide Genesim XLI, 6.

Docet Plinius libro XI, capite 29, locustas plerumque ova parere autumno, vere excludenda. Ex unâ interdum in alteram regionem, cibos sibi quæsituræ, migrant; voratisque omnibus, interdum pascua alia sibi procuraturæ vel maria trajicere visæ sunt. Ex quo non ægrè persuaderemur, ex Arabiâ in Ægyptum transfretato Erythræo migrasse. In Cyrenaicâ, Ægypto proxi-

(c) *Herodot. l.* 2, *c.* 58. 59. (d) 3 *Reg.* XXI, 10: *Benedixit Deum & Regem, &c.*
(e) ראו כי רעה נגד פניכם (f) Ἴδετε ὅτι πονηρία πρόκειται ὑμῖν. (g) *Munst. Fag. Vatabl. Bonfr. Drus. &c.* (h) Vansleb. voyage d'Egypte, p. 36, 39, 40. (i) *Eugub. Ludov. de Dieu, Boch.*

℣. 14. Quæ ascenderunt super universam terram Ægypti: & se-
derunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales
ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt.
℣. 15. Operueruntq; universam superficiem terræ, vastantes omnia.
Devorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in ar-
boribus fuit, quæ grando dimiserat: nihilque omninò virens
relictum est in lignis, & in herbis terræ, in cunctâ Ægypto.
℣. 16. Quam ob rem festinus Pharao vocavit Moysen, & Aaron,
& dixit eis: Peccavi in Dominum Deum vestrum, & in vos.
℣. 17. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & roga-
te Dominum Deum vestrum, ut auferat a me mortem istam.
℣. 18. Egressusq; Moyses de conspectu Pharaonis, oravit Dominum.
℣. 19. Qui flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum, &
arreptam locustam projecit in mare rubrum: non remansit ne
una quidem in cunctis finibus Ægypti.
℣. 20. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios
Israël.

COMMENTARIUS.

mâ, tribus per annum vicibus bellum in locustas instauratur. Primò earum ova exterminant, tum pullos, tandem adultas totis viribus insequuntur. Siquis in expeditione istâ desit, veluti transfuga habetur. Non dissimili cautione malo huic occurritur in Insulâ Lemno, & in Syriâ. Perinde ac ultionis divinæ immissa pestis habentur: *Deorum ira pestis intelligitur*. Moyses de illis hic ℣. 17: *Auferat a me mortem istam*. Ingenti interdum nube aërem infestantes, longo terrarum tractui solares radios intercipiunt; quique volantes illas per aërem spectant, sollicitì sunt, ne in arva sua terribili procellâ exonerentur: *Solemque obumbrant, sollicitè spectantibus populis, ne suas operiant terras*. Alicubi in Oriente magnitudine nostras non mediocriter superant; observatque Plinius, interdum anguium collo inhærentes, illos occidere. Author libri Sapientiæ xvi, 9, scribit, locustas illas Ægypti lethiferis morsibus miseros enecasse: *Illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus*. Tandem *gregatim* interdum *sublata vento in maria aut stagna decidunt*. Hoc etiam fato locustæ ex Arabiâ in Ægyptum orientali vento delatæ, contrario flante vento, ex occidente in septemtrionem, in mare rubrum depulsæ sunt. Vide ℣. 19.

℣. 14. QUALES ANTE ILLUD TEMPUS NON FUERUNT. De locustis ætate suâ Judæam desolantibus paria refert Joël (k). Utitur interdum Scriptura phrasibus hisce justo majoribus, quo se ad nostram concipiendi rationem accommodet. Cùm rarum aliquid, insuetum maximè & terribile occurrerit, nihil nos simile spectasse dicimus; & quidem nulli rerum eventus adeò aliis similes sunt ut in multis non differant.

℣. 15. QUIDQUID POMORUM. Hebræus: *Omnem fructum arborum, quem reliquerat grando*. Flores & arborum gemmæ, ex quibus fructus expectabantur, quin & confirmati jam fructus grandini superstites; provectiores enim jam esse poterant fructus in eâ regione, in qua messis hordeacea mense Martio colligebatur.

℣. 19. FLARE FECIT VENTUM AB OCCIDENTE. Hebræus (l), & Septuaginta (m): *Vertit Dominus ventum maris fortissimum*; seu: *Surgere fecit e mari* mediterraneo *ventum fortissimum, assumpsitque locustam, & projecit eam in mare rubrum*. Reputandum est, insecta illa universam latè inferiorem Ægyptum infestasse: quare illis subducendis opus erat vento e mediterraneo, seu ex Occidente & Septemtrione flante; spectatur enim mare illud ab Ægypto, non illi ad Occidentem oppositum, sed ad septemtrionem occidentalem. Cùm S. Hieronymus Hebræum ferentem *ventum maris* reddidit ventum occidentalem, præ oculis habebat plures Scripturæ Textus, in quibus mare ponitur loco Occidentis; Occidentale est enim Palæstinæ mediterraneum. Verùm cum hic agat Moyses de Ægypto, cui mare rubrum ad orientem, & mediterraneum ad septemtrionem occidentalem jacet, præstitisset utique servari Hebræum, legentem *ventum maris*.

Mare rubrum appellatur in Scripturâ *mare Suph*, vel *mare algosum*, vel herbarum, vel juncorum, quòd algâ imus ejus fundus & ripæ omnes virescant. Hæc ad Alexandrum magnum retulere qui ab eo illuc missi, litora ejus maris lustrarunt: asseruerunt enim, in imo ejus fundo apparere herbas similes algæ marinæ colore (n). Diodorus Siculus (o) tradit, virenti colore aquas ejus infici ex aquis & herbis in ejus alveo crescentibus. Lobo in suâ Narratione, paginâ 7, 8, affirmat, alicubi

(k) *Joël* 1, 2; *&* 11, 2: *Populus multus & fortis*; *similis ei non fuit a principio, & post eum non erit usque in annos generationis & generationis*.
(l) ויהפך רוח ים חזק מאד וישא את הארבה ויתקעהו ימה סוף
(m) Καὶ μετέβαλε Κύριος ἄνεμον ἀπὸ θαλάσσης σφοδρὸν, καὶ ἀνέλαβε τὴν ἀκρίδα, καὶ ἐνέβαλεν αὐτὴν εἰς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν. (n) Χρῶμα ἔχειν ὅμοιον τοῖς φυκίοις. (o) *Diod. Biblioth. lib.* 3. Τὴν χρόαν παντελῶς ὑπάρχειν χλωράν.

℣. 21. Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cœlum: & sint tenebræ super terram Ægypti, tam densæ, ut palpari queant.

℣. 22. Extenditque Moyses manum in cœlum: & factæ sunt tenebræ horribiles in universâ terrâ Ægypti tribus diebus.

℣. 23. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat: ubicumque autem habitabant filii Israël, lux erat.

℣. 24. Vocavitque Pharao Moysen, & Aaron, & dixit eis: Ite, sacrificate Domino: oves tantùm vestræ, & armenta remaneant, parvuli vestri eant vobiscum.

℣. 25. Ait Moyses: Hostias quoque, & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro.

℣. 26. Cuncti greges pergent nobiscum: non remanebit ex eis ungula: quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri: præsertim cùm ignoremus, quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perveniamus.

℣. 27. Induravit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos.

℣. 28. Dixitque Pharao ad Moysen: Recede a me, & cave, ne ultra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris.

COMMENTARIUS.

cubi maculas quasdam rubras apparere in Erythræo, provenientes ex algis in imo ejus fundo putrescentibus. Hanc herbam appellant Æthiopes *suofo*; familiaris est autem maximè in Indiâ aliisque Asiaticis regionibus. *Sufo* est etiam semen ejus plantæ, & flos, croco non dissimilis. Hodie pariter mari Rubro servatum nomen *Babr-Suf*.

Nomẽ maris rubri nullibi legitur in Textu Hebræo Veteris Testamenti; an ab Ægyptiis, sive a Phœnicibus provenerit, incertum. Multò tamen verosimilius credimus, acceptum ex Edom filio Isaaci, cujus sedes adusque latera ejus maris protendebantur. Scitum est, Edom significare rubrum, vel rufum; idemque creditur Edom ac Rex *Erythros*, de quo propbant, & nos aliquid ad Genesim xxxvi, 43. Hodie pariter mare illud appellatur *Barb-Suf*, & crescens ibi herba, *Sufo*. Falsò aliqui opinantur, hanc vocem in Hebræo significare rubrum.

Itinerantes alii, qui mare illud adnavigarunt, observant, alicubi maris ejus aquas rubras apparere ex areoâ ejus coloris, quæ aquis bumilioribus eumdem colorem communicat. D. Joannes de Castro Civis Lusitanus affirmat, se, cùm aquas illas in speciem rubras excepisset in vitro, limpidas comperisse; cùm autem nautas quosdam ad imum ejus fundum demisisset, retulerunt illi ex fundo rubrum quiddam, veluti coralii ramos, pelliculâ quadam subrubrâ tectum. Maculæ illæ crebriores spectantur in eo tractu maris, qui a Suaqueo adusque portum Cossir, spatio cxxx leucarum protenditur; sed nihil rubrum apparet a Tor usque Sues. Alicubi etiam in eo mari viridibus maculis inficiuntur aquæ, ex albenti coralio, viridi quadam pelliculâ tecto, in imo fundo crescente. Alicubi albas maculas exhibet ejus coloris arena: ita ubique, ubi humiliores sunt aquæ, imi fundi color in aquæ superficie redditur.

℣. 21. Tenebræ tam densæ, ut palpari queant. Atra nox inducta ex humido crassoque aëre, nebulis ac vaporibus tetro, adeò ut, si vera prodit Philo, nec accendi ignis valeret, nec servari lumen in domibus Ægyptiorum. Exhibet Textus crassas adeò tenebras, ut palpari manibus possent. Lyranus, Tostatus, Cajetanus censent, Deum vel retinuisse, vel aliò divertisse solares radios, illustrandæ Ægypto directos. Verùm Paulus Burgensis autumat, densam illam caliginem solares radios perrumpere non valuisse. Affirmat Diodorus (p), in finibus Ægypti, quà Troglodytidem spectant, pleno interdum meridie terram adeò noctem subitò offundi, ut ne spectari quidem proximè stantes homines valeant: quod e crasso aëre ex immodico æstu orto repetitur. Chaldæus: *Sint tenebræ super terram Ægypti, etiam postquam recesserit obscuritas noctis*. Alii vertunt Hebræum (q): *Sint tenebræ* (adeò densæ) *ut pellant* quodammodo *noctem*; vel sint tenebræ per universam faciem Ægypti, ut manibus tentetur gressus præ obscuritate. Hæc posterior interpretatio mentem Scriptoris attigisse mibi videtur (r).

℣. 23. Nemo vidit fratrem suum. Alter alterum cernere non poterat. Author Libri Sapientiæ xvii, 4 observat, nocte illâ perseverante obversata præ oculis spectra terrifica, & fulgura identidem maligno fulgore terruisse. Eadem facilè insinuatur in Psalmo lxxvii, 49: *Indignationem, & iram, & tribulationem; immissiones per Angelos malos*; hæc facilè de plagâ tenebrarum dicta sunt

(p) *Diod. Sicul. l. 4, p. 230, edit. Gryph.* (q) ויהיך השׁ וימשׁ חשׁך (r) *Vide Deut.* xxxi 17, 29; *& Job* v, 14; xii, 25.

Digitized by Google

℣. 29. Respondit Moyses: Ita fiet ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam.

COMMENTARIUS.

sunt, de qua nihil hìc aliud, ubi de reliquis nonnulla.

℣. 29. NON VIDEBO ULTRA FACIEM TUAM. Fortè hìc subintelligitur: Nisi me accitum mittas. Fidem re ipsâ servavit; accivit enim Pharao Moysen, & Aaronem, abeundi illis & populo facultatem concessurus. Eventum Moyses divinâ revelatione jam norat. Vide caput XI, 1.

CAPUT XI.

Decima plaga: cædes primorum natu. Quâ ratione egressuri sint ex Ægypto Hebræi, prædicitur.

℣. 1 ET dixit Dominus ad Moysen: Adhuc unâ plagâ tangam Pharaonem & Ægyptum, & post hæc dimittet vos, & exire compellet.

℣. 2. Dices ergo omni plebi, ut postulet vir ab amico suo, & mulier a vicinâ suâ vasa argentea, & aurea.

℣. 3. Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis. Fuitque Moyses vir magnus valde in terrâ Ægypti, coram servis Pharaonis, & omni populo.

℣. 4. Et ait: Hæc dicit Dominus: Mediâ nocte ingrediar in Ægyptum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DIXIT DOMINUS AD MOYSEN. Si quis conferat ℣. 9 hujus capitis, *Exivit* (Moyses) *a Pharaone iratus nimis*, cum illo capitis præcedentis, *Non videbo ultra faciem tuam*, intelliget profectò, Deum revelasse Moysi, egredienti a Pharaone, quæ adnotantur hìc per octo continuatos versiculos: præstat tamen tres priores hujus capitis versus per plusquam perfectum interpretari, & parenthesi claudere, ut series orationis resumatur a ℣. 4 in hunc planè modum (*a*): *Respondit Moyses: Ita fiet, ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam* (*b*) (*hæc enim dixerat Dominus: Mediâ nocte ingrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum &c.*) *Et Moyses confestim exivit a Pharaone iratus nimis.* Quæ leguntur in exordio hujus capitis, audiverat Moyses per visum primùm in Horeb (*c*), tum etiam postea ante inductam nonam plagam tenebrarum, quæ cœpit die decimâ Nisan, novem diebus ante egressum ab Ægypto (*d*).

DIMITTET VOS, ET EXIRE COMPELLET. Hebræus: *Dimittet vos hinc*; exitum permittet omnibus, quin & ad exeundum compellet.

℣. 2. VASA ARGENTEA ET AUREA. Addunt 70: καὶ ἱματισμὸν, & vestes. Qualenam judicium ferendum sit de furto isto Hebræorum, satis in Caput III, 22, agitatum est, argumentisque pluribus demonstratum, nullum hìc furti crimen intercessisse. Congestis ibi rationibus addendum succurrit (*e*), *Apud veteres Ægyptios furta omnia fuisse licita & impunita*; quod se didicisse referet Aulus Gellius ex Libro Aristonis Jurisconsulti. Singulare etiam aliquid de furto refert Diodorus *l.* 1, *c.* 3, apud eas gentes servatum. Quicumque furem optat profiteri, dat nomen Principi prædonum, fidemque suam obligat allaturum se omnia, quæ furto subduxerit; quibus peractis, integrum illi est munus exercere suum juxta præscriptas leges. Cui verò aliquid furto subductum est, si res suas recuperare voluerit, confert se statim ad Principem latronum, exponens, quæ sibi subducta sunt omnia, quo loco, die, & horâ: tum illi quartam ejus rei partem concedit; idque satis est, ut res suas repetat. Constat ex his omnibus, Ægyptiis aliam fuisse de furto, quàm nostræ Religionis hominibus, mentem; quare minori utique religione tangebantur Hebræi, ne eâ fraude uterentur adversus gentem, quæ inter se agi fraude nec iniquum ducebat nec irreligiosum. Aliam rationem Judæis excusandis inivisse Patres, notavimus ad caput III, 22.

℣. 4. ET AIT. Tota narrationis series demonstrat, hæc locutum Moysem cum Pharaone, antequam ab ipso digrederetur (*f*).

MEDIA

(a) *Cap.* VIII, 29. (b) *Cap.* IX, ℣. 4, *&c.* (c) *Exod.* III, 22. (d) *Vide Cap.* XIII, 3.
(e) *Aul. Gell. Noct. Attic. l.* XI, *c.* 18. (f) *Cap.* X, ℣. *ultimo.*

℣. 5. Et morietur omne primogenitum in terrâ Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio ejus, uſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam, & omnia primogenita jumentorum.

℣. 6. Eritque clamor magnus in universâ terrâ Ægypti, qualis nec ante fuit, nec poſtea futurus eſt.

℣. 7. Apud omnes autem filios Iſraël non mutiet canis, ab homine uſque ad pecus: ut ſciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios, & Iſraël.

COMMENTARIUS.

Media nocte ingrediar in Ægyptum. In expoſitione hujus Textûs Patres & Interpretes inter ſe committuntur. Aliis enim perſuadetur, Deum immiſiſſe Angelos malos in cædem primorum natu. Fidem huic ſententiæ conciliat illud Pſalmi LXXVII, 49: *Immiſſiones per Angelos malos.* Tuentur illam Origenes, libro VIII contra Celſum, S. Auguſtinus in Pſalmum LXXVII, S. Juſtinus in Dialogo, Rupertus, Lyranus, Toſtatus, & alii plures. Contraria tamen ſententia non minori authoritatum, nec rationum pondere fulcitur. Exponit hic tantùm Deus quidquid continget in Ægypto, ſeſeque exterminaturum primores natu. Eadem denuntiat capite XII, 12, 13. Author Libri Sapientiæ XVIII, 14, inſinuare videtur, Verbum ipſum divinum armaſſe ſe in cædem. *Cùm ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus de Cælo a Regalibus ſedibus durus debellator in mediam exterminii terram proſilivit; & replevit omnia morte.* Suppetunt in ſacrâ hiſtoriâ exempla quædam ultionis Dei, proborum Angelorum miniſterio. Illis everſoribus Sodoma, & Gomorrha exterminatæ ſunt (*g*); bonus Angelus Pharaonem ejuſque exercitum Erythræi aquis merſit (*h*). Sub Davide bonus Angelus ſtricto gladio LXX M hominum trucidavit, ob cenſum ab eo Rege indictum (*i*) ſupplicium exigens acerbiſſimum. Nec niſi a bono Angelo exterminatus creditur exercitus Sennacheribi (*k*); ſicut & ejuſdem naturæ reputantur duo juvenes illi, qui in Templo Jeroſolymitano malè Heliodorum excepêre (*l*).

Qui rem totam bono Angelo deputent, laudantur inter Patres S. Baſilius in Pſalmum LXXVII, S. Chryſoſtomus in Acta, Homiliâ 43, Theodoretus, Euthymius: inter Commentatores, Cajetanus, Pererius, A Lapide, Lorinus, Barradius, plures. Ad Textum illum Pſalmi quod attinet, prono ac naturali ſenſu ita exponitur in Hebræo: *Immiſſiones per miniſtros malorum inferendorum.*

℣. 5. Usque ad primogenitum ancillæ, quæ est ad molam. Multiplici Scripturæ (*m*) & prophanorum teſtimonio conſtat, viliſſimorum hoc fuiſſe mancipiorum munus, torquendi nempe truſatiles molas, dum vincti detinebantur in carcere. Moyſes, Exodi XII, 29: *Primogenitum captivæ quæ erat in carcere;* quod poſitum eſt pro, *quæ erat ad molam.* Piſtrina iſta carceris loco erant captivis, detinebantur enim incluſi, ac vinculis adſtricti.

℣. 7. Non mutiet canis. Proverbialis eſt formula, exprimens quàm beatâ tranquillitate fruituri ſint Hebræi, cùm interim Ægyptus omnis clamoribus & ejulatibus reſonuerit. Vividiùs Hebræus: לא יחרץ כלב; *Non movebit canis linguam ſuam* (*n*). Chaldæus: *Non latrabit.* Eamdem loquendi phraſim alio ſenſu uſurpatam habes in Judith XI, 5. Invicta hæc mulier denunciavit Holopherni, redacturum illum ſub jugum Iſraëlitas, *Et*, ait, *non latrabit vel unus canis contra te.*

Ut sciatis quanto miraculo dividat Dominus Ægyptios et Israël. Poſt hæc verba Textus Samaritanus hoc additamentum ponit: *Vir etiam ille Moſes magnus erat valdè in terrâ Ægypti, in oculis ſervorum Pharaonis, & in oculis populi. Et dixit Moſes Pharaoni: Sic dicit Dominus: Filius meus, primogenitus meus eſt Iſraël; dico autem tibi: Dimitte filium meum, ut ſerviat mihi. Si autem renueris dimittere eum, ecce Dominus occidet filium tuum, primogenitum tuum. Et dixit Moſes: Sic loquitur Dominus: Circa mediam noctem ego egrediar in medium terræ Ægypti, morieturque omnis primogenitus in terrâ Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui ſedet ſuper thronum ejus, & uſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt poſt molas, & uſque ad primogenitum omnis beſtiæ. Ideò clamor magnus in Ægypto, qualis non fuit, & qualis non erit iterum. Sed in omnibus filiis Iſraël non movebit canis linguam ſuam, ab homine uſque ad beſtiam, ut ſcias quòd ſeparavit Dominus inter Ægyptios, & inter Iſraëlem.*

Alibi etiam interdum animadvertuntur in Textu Samaritano aliqua, quæ fruſtra in Hebræo Judæorum quæras. Ex his quædam expoſitiones ſunt, & veluti ſupplementa, decerpta ex Deuteronomio, vel aliquo ex ſacris Libris. Hujus generis quiddam occurrit capite XX, poſt ℣. 17. Spectatur enim affectata quædam ſuperſtitio ſubſtituendi montem Garizim, quo loco Hebræus Judæorum legit montem Hebal. In aliis ejus generis additamentis præcedentia tantùm repetita ſunt, vel fuſiùs explicata, quæ ſtrictiùs erant in Textu; uti conſtat ex additamento hìc relato, & altero Capitis XX, 19. Utrùm hæc Samaritanis Authoribus debeantur, an Amanuenſes Hebræi, cæterique, qui libros Judæorum characteribus Chaldaicis primi exceperunt, crebras nimis vel prolixas repetitiones illas & expoſitiones ſubduxerint; ſeu potiùs fucum illis fecerint ipſiſſimæ voces ſæpiùs in Textibus illis recurrentes, ut periodos aliquas imprudentes omiſerint, dum alteram

(g) *Geneſ.* XIX. (h) *Exod.* XIV, 24. (i) 1 *Paral.* XXI. [k] 4 *Reg.* XIX. (l) 2 *Macc.* III, 26.
(m) *Vide Judic.* XVI, 21. *Iſai.* XLVII, 1, 2. *Matt.* XXIV, 41. (n) *Septuag.* Οὐ γρύξει κύων. *Alius*, οὐκ ἀποφθέγξεται κύων.

℣. 8. Descendentque omnes servi tui isti ad me, & adorabunt me, dicentes: Egredere tu, & omnis populus, qui subjectus est tibi: post hæc egrediemur.

℣. 9. Et exivit a Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen: Non audiet vos Pharao, ut multa signa fiant in terrâ Ægypti.

℣. 10. Moyses autem, & Aaron fecerunt omnia ostenta, quæ scripta sunt, coram Pharaone. Et induravit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israël.

COMMENTARIUS.

sam ex illis vocibus pro alterâ acciperent, ignoratur.

Reputarem ego quidem, Textum Samaritanum hìc seriem exhibere narrationis magis constantem: I enim in eo, quem versamus, Textu versiculus octavus nullo naturali nexu cohæret in Hebræo cum versiculo septimo, cùm vicissim duo iidem optimè sibi invicem constent in Samaritano. Juxta Hebræum Judæorum nostræ ætatis, Moyses in versu septimo repetit Israelitis, quæ a Deo annuncianda illis acceperat, & versu octavo exhibetur tanquam prosequens orationem suam ad Pharaonem, cùm nec ejus exordium nec occasio ejus habendæ præmoneatur.

Desultorius hic transitus ex unâ in alteram orationem, nec stylum sapit, nec ingenium Moysis, & minùs etiam cohæret exactæ sacri Scriptoris religioni, nunquam non narrantis orationum omnium initia. II, Non satis intelligitur, quid causæ fuerit, cur Samaritani hæc omnia de suo in sacris Libris substituerint, siquidem hæc omnia in autographis ab exordio desiderabantur; præjudiciis enim gentis adversùs Judæos ne minimum quidem favent. III, Quæ hìc leguntur, ex aliis accepta Libris nunquam apparent; non enim naturalem ordinem turbant, nihil alienâ manu adjectum sentitur; quin potiùs si detrahatur additamentum illud, deesse aliquid statim suspicamur. IV, In his omnibus nihil non cohæret stylo Mosaico, cui repetitiones & expositiones sunt familiares. Descriptio Tabernaculi & vasorum in ejus usum usque tertiò repetitur in hoc Libro Exodi.

℣. 8. POPULUS, QUI SUBJECTUS EST TIBI. Hebræus (o): *Populus qui est ad pedes tuos*. Septuaginta: *Populus, quem ducis*. Reddi posset: *Populus, qui te ducem sequitur*.

POST HÆC EGREDIEMUR; ET EXIVIT. Hebræus & Septuaginta; *Postea egrediar; & egressus est*.

CAPUT XII.

Celebrati primùm Paschatis ritus. Cædes primorum natu Ægyptiorum. Israëlitæ pedem efferunt ex Ægypto.

℣. 1. Dixit quoque Dominus ad Moysen & Aaron in terrâ Ægypti.

℣. 2. Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni.

COMMENTARIUS.

℣. 2. MENSIS ISTE VOBIS PRINCIPIUM MENSIUM. Hebræi, ut diximus in Dissertatione de Chronologiâ in Genesim, civilis anni exordium ducebant ab Autumno, mense Tizri. Ex eo pariter initium capiebant anni Sabbatici, & Jubilæi, etiam post Moysis ætatem: sed anni sancti initiû, ad cujus scilicet normam dirigebantur solemnitates & cœtus Religiosi, fuit in mense Abib vel Nisan, quo eodem egressi sunt Judæi ex Ægypto. Sermo est etiam apud Judæos de aliis duobus annorum generibus, quorum alterum a Januario, alterum ab Augusto inibat. Postremum hoc ad altilia animalia spectabat, quorum ætas a Kalendis Augusti numerabatur, ut suo tempore eorum decimæ solverentur. Ad normam pariter ejus mensis ducebantur ætates arborum, ut definitum esset illis tempus, quo adhuc impuræ haberentur, sive absolverentur. Arbor e. g. mense Junio sata, ineunte dein Augusto arbor unius anni censebatur. Tum a Kalendis Septembribus ejusdem anni secundus arboris annus incipiebatur; atque ita triennio incircumcisa & impura habebatur ex Lege (p). Quarti succedentis anni fructus in oblationem Domino cedebant: de quinti fru-

(o) העם אשר ברגליך (p) *Levit.* XIX, 23, 24.

℣. 3. Loquimini ad universum cœtum filiorum Israël, & dicite eis: Decimâ die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias, & domos suas.

℣. 4. Sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui junctus est domui suæ, juxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni.

℣. 5. Erit autem agnus absque maculâ, masculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis & hœdum.

COMMENTARIUS.

fructibus nihil præceptom est. Mensis Januarius erat primus mensis arborum & fructuum ex iis natorum. Nulla pendebatur decima fructuum, quorum gemmæ protuberarent ante diem xv Januarii, sed eorum tantùm, qui post illud tempus. Ita numquam non permissus cibus dactylorum, citrcorum, quòd fructus & gemmas nullo non tempore ferentes nulli decimarum oneri subjicerentur. Cæteri fructus non antea in cibum permissi, quàm post solutam decimam (*q*). Obiinebat apud Ægyptios, non secùs ac apud Hebræos, civilis annus ab autumno ductus; & sacer itidem annus, cujus caput incertis sedibus vagabatur. Vide animadversiones nostras in Chronologiam.

℣. 3. Decima die mensis hujus. Quæcumque hìc leguntur, usque ad ℣. 28, præcesserunt decimam diem Nisan, & plagam tenebrarum. Sunt qui credant (*r*), præscriptas hìc regulas præparationis agni Paschalis, quatriduo antequam immolaretur, spectare non ad primum modò illud Festum, quo transmigratio re ipsâ ab Ægypto contigit; sed ad recurrentia pariter deinceps per annos siogulos festa Paschalia. Verùm sententiam hanc falsi arguunt Interpretes plerique, docentes satis esse tantùm parari Agnum Paschalem die xiii ejusdem mensis. Hanc sententiam non obscurè præfert Jonatban: *Decima mensis hujus tempus ejus* (Festi) *præfixum est hoc tempore, non per ætates*, non in posterum. Judæi post eversionem Templi per Romanos, ab agni Paschalis sacrificio cessarunt, rati præceptum illud unicè spectasse tempus, quo in Chanaanitide subsisterent. Servant tantummodò ritum azymorum, eâ cæremoniâ, quam describunt Authores, de ritibus Hebræorum scribentes.

Tollet unusquisque agnum. Hebræum שה *Seh*, quod plerumque redditur agnus, est etiam hœdus. Ad ritum Paschalem perinde valebat sive agnus sive hœdus, utì satis exprimitur ℣. 13. *Juxta quem ritum tolletis & hœdum*. Libentiùs tamen & frequentiùs agnus hœdo præferebatur (*s*); quin & defendit Paulus Burgensis, nunquam adhibitum hœdum: quæ tamen viri docti opinio non satis observatur. Ezechiel Poëta putavit, integrum pariter fuisse sumere vitulos; quod satis congruere videtur cum Deuteronomio xvi, 2: *Immolabis Phase Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus*. Hunc Textum suo loco discutiemus. Mos obtinebat de agno, hœdo tamen non excluso.

Agnum per familias et domos suas. Hebræus (*t*) & Septuaginta ad literam: *Agnum per domos patrum* (vel per familias) *Agnum per domum*; idest, sive familia universa, sive necessarii omnes in unam simul domum convenirent, sive per varias distribuerentur domos, singulis mensis singuli agni apponendi. Cùm tamen hominum in eâdem domo frequentia minor esset, vel major, nec eadem semper, addit:

℣. 4. Sin autem minor est numerus. Cùm cæremonia illa solemnis esset & publica, lege præceptum erat, ut si infrequens esset familia, alii ad comestionem agni convivæ accerserentur. Nullum commensalium numerum determinat Moyses; sed consuetudine inductum fuerat, ut nec pauciores quàm decem essent, nec plures quàm viginti. Constat id ex Paraphraste Jonathan, & Josepho. Hic (*u*) narrat, Cestium Judææ præsidem, ut de viribus Judæorum certior fieret, quò ad Neronem referret, quæsivisse a Sacrificulis, quot numero homines ad Festum Paschatis convenissent. Illi ut Præsidi satisfacerent, numerarunt victimas Paschales in pervigilio Paschatis immolatas a nonâ horâ diei usque ad undecimam, idest post tres ante meridiem horas usque ad quintam vespertinam. Redditus est autem numerus hostiarum DC supra CCL M. Cùm autem a decem hominibus usque ad viginti in agnos singulos censerentur, reddebantur inde vicies septies centena millia hominum, qui festo Paschatis præsentes adfuerunt. E numero illo decem & viginti convivarum exceptas fœminas & pueros arbitratur Menochius.

Juvat autem hìc animadvertere, Hebræos Ægyptiorum Numina vel animalia ab illis culta immolasse, quo eodem tempore Angelus exterminii discurrens primoribus natu Ægyptiorum inferebat necem. Tacitus *libro* v *Historiarum* ait, Judæos *cædere arietem veluti in contumeliam Ammonis*. Vide statim ℣. 12.

℣. 5. Erit autem agnus sine macula, masculus, anniculus. Illud *sine maculâ* non ita profectò accipiendum est, ut unicolorem victimam exprimat; qui erat Ægyptiorum mos, nonnisi unicolorem victimam in sacrificiis immolantium (*x*). Hebræum תמים *Tammim* (*y*) est *perfectum*

[q] *Buxtorf. Synag. Judaic. c.* 12. *Vide Exodum* xxii, 29, 30. (r) *Epiph. hæres.* 50. *Bonfr. Cornel. a Lapide in* ℣. 13. (s) *Theodoret. qu.* xxiv *in Exod. Aug. qu.* 42 *in Exod.*
(t) שה לבית אבת שה לבית Πρόβατον κατ' οἴκους πατριῶν, ἕκαστος πρόβατον κατ' οἰκίαν.
(u) *Lib.* vii *de Bello Jud. c.* 16. (x) *Charemon apud Porphyr.* Ὅσα δίδυμα, ἢ κατάστικτα, ἢ ἑτερόχροα, ἢ παραλλάσσοντα τῇ μορφῇ. (y) *Septuag.* Τέλειον. *Alius*, ἄμωμον.

℣. 6. Et servabitis eum usque ad quartam decimam mensis hujus: immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam.

COMMENTARIUS.

ctum, absolutum, absque vitio, non gibbum, non claudum, non scabiosum. Porrò lex illa de singulis in sacrificium mactandis animalibus præscripta est, uti observabitur in Levitico (z). Scholiastes Aristophanis (a) tradit, apud Græcos repudiatas ex mutilis animalibus seù membro aliquo carentibus ac tandem vitiatas victimas. Solertissimè curabant Veteres (b), ut immolandæ Diis victimæ omnibus essent numeris absolutæ, nullamque haberent labem, qua impar sanctitati Numinis sacrificium offerretur.

Masculus. E masculis animalibus plerumque apud Hebræos victimæ; interdum tamen etiam ex Lege fœmellæ offerebantur, ut in Festo Expiationis solemnis, in quo e vaccâ rufâ sacrificium. Holocausta tamen nonnisi e masculis licita (c). Exprobrat Malachias I, 14 Hebræis: *Maledictus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile* (deterius) *Domino*. Apud Prophanos libentiùs fœmellæ immolabantur (d). In sacrificiis si immolatæ victimæ omen erat infaustum, ejus loco substituebatur hostia fœmella: verùm si prior hostia e fœmellâ itidem oblata erat, alteram ejus loco substituere nefas.

Anniculos; agnus scilicet vel hœdus *anni*. Ita Hebræus (e). Vetitum ex Levitico intelligimus (f), ne offerrentur victimæ minores octo dierum ætate. Plerumque eligebantur agnus vel hœdus brumali seu verno ejus anni tempore nati. Inter viventes nequaquam referenda censebantur a Veteribus animalia ante octavam ab ortu diem; exinde pura, antea impura reputata.

Apostoli (g), & Patres Ecclesiæ non semel sub oculos exhibuerunt, quanta spectaretur rerum affinitas inter agnum Paschalem & Jesum Christum, oblatam saluti nostræ victimam, qui sanguine suo e servitute & morte nos liberavit. Agnus Paschalis selectus & illibatus neci traditus, veru confixus, assatus igne, voratusque, nonne imaginem exprimit Jesu Christi, qui cruci affixus mortem tolerat, seque in cibum Fidelibus præbet? Præscriptum in lege erat, ut, capite & ventre agni absumptis, caverent, ne quidquam ex ossibus comminueretur; quod emblema est ineffabilis illius mysterii, quo exhibetur Dominus Jesus Christus cibum se præbens Fidelibus, intacto interim nec comminuto corpore suo, atque integrâ ipsius substantiâ.

Juxta quem ritum tolletis et hœdum. Censent nonnulli apud Valtonum, hœdum hunc vel hircum aliam esse a priori illâ victimam; ut ex legis præscripto parari ad sacrificium jubeantur hœdus vel hircus simul cum agno. Huic opinioni fidem conciliare videretur Textus Hebræus, nisi totam detraheret servata apud Hebræos consuetudo. Legit enim Hebræus (h): *Ex agnis & ex capris accipietis*. Ita pariter legunt Septuaginta, Chaldæus, Syriacus, & Arabs: sed commodè cum disjungendi particulâ Textus ille acciperetur in hunc sensum: *Tolletis agnum vel hœdum*; victimam ex alterutris unam.

℣. 6. Servabitis eum usque ad quartamdecimam diem. Agnus iste, prior Paschatis victima destinata, servabatur a die x Nisan, usque ad xiv ejusdem. Habemus autem persuasum, Hebræos dies suos, quà in usus sacros, quà in civiles, duxisse *a vesperâ in vesperam* (i). Agnus igitur iste immolandus erat vespere diei xiv, comedendusque ineunte nocte diei xv. Hebræus (k) pro *ad vesperam*, habet *inter duas vesperas*; Chaldæus: *Inter duos soles*. De significatione hujus, *Inter duas vesperas*, non satis convenit inter Scriptores. Interpretantur nonnulli (l) totam diem xiv mensis ductam a primâ vesperâ primæ noctis, usque ad vesperam secundam secundæ noctis, quæ duæ vesperæ intervallum excipiunt xxiv horarum. Sed hæc tantùm a veritate abhorrent, quantùm a fide Scripturarum; non obscurè enim in Deuteronomio xvi, 6, Pascha immolatum legitur ad occasum solis, quo tempore Israelitæ ex Ægypto egressi sunt: *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto*.

Rabbinorum nonnullis (m) tempus *inter duas vesperas* designat illud, quod fluit a meridie adusque occasum solis, idest tempus, quo sol vergitur in occidentem. Cùm sol descendere incipit in Occasum, tunc prima est vespera; cùm occidit, init secunda. Doctissimi inter Christianos, & Hebræos Interpretes huic opinioni suffragantur. & reipsà quidem constat, apud veteres Orientales, Græcos, Romanosque duas vesperas innotuisse, quarum prior paulò post meridiem exordiebatur. Describens S. Matthæus xiv, 15, prodigium multiplicatorum quinque panum habet: *Vespere facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Dimitte turbas, ut euntes in castellum emant sibi escas* (nondum planè occiderat sol, namque) *cùm jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus benedixit, & fregit, & dedit Discipulis suis, discipuli autem turbis. Manducantium numerus fuit quinque millia virorum, & tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos. Et dimissâ turbâ statim compulit Jesus discipulos descendere in naviculam; ipse verò ascendit* in

(z) *Levit.* xxii, 22. *Deut.* xv, 21, & xvii, 1. (a) *Apud Grot. in hunc locum*. (b) *Lucian. de Sacrif. Aristot. in Sympos. apud Athena. l.* xv, *c.* 5: Οὐδὲν κολοβὸν προσφέρομεν πρὸς τοὺς Θεοὺς, ἀλλὰ τέλεια καὶ ὅλα. (c) *Levit.* 1, 3. 10. (d) *Servius in Æneid.* viii: *In omnibus sacris fœminini generis plus valent victimæ; denique si marem litare non possent, succidanea dabatur fœmina; si autem per fœminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat*. (e) בן שנה *Filius anni. Vide* 1 *Reg.* xiii, 1. (f) *Levit.* xxii, 27: *Bos, ovis, aut capra.... septem diebus erunt sub ubere matris suæ: die autem octavo, & deinceps, offerri poterunt Domino*. (g) *Joban.* xix, 36; 1 *Cor.* v, 7.
(h) מן הכבשים ומן העזים תקחו (i) *Vide nostram Differt. in Chronologiam*. [k] בין ערבים
(l) M. Ferrand, Reflexions l. 1. [m] *Misna Cod. Pesachim, c.* 5, *n.* 3. *Philo de Septenario*. Κατὰ μεσημβρίαν ἑσπέρα. *Kimchi, Rambam, Salomon*, quos citat Doctor quidam Sorbonicus in Tractatu de Paschate, Parisiis, 1695, p. 17, 18.

℣. 7. Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.

COMMENTARIUS.

in montem. Post hæc prosequitur Evangelista: *Vespere autem facto, solus erat ibi.* Habes hic duas vesperas longo inter se dissitas intervallo; primam ante auctos prodigio panes, aliquanto post meridiem; alteram post dimissas turbas, cùm Jesus ad preces solitarius se contulit. Veteres Græci, qui moribus suis plura ex Orientalibus expresserant, habebant pariter duas vesperas (n); priorem scilicet appellatam *Deilen proian*, quæ tempus statim post meridiem erat; alteram, *Deilen opsian*, a Sole occidente cœptam (o). Varro pariter in Satyrâ Menippæâ visus est distinguere *serum vesperum* ab altero vespero minùs adulto: *Nescis quid serus vesper trahat.*

Doctores Judæi (p) in utroque Talmud contendunt, *inter duas vesperas*, sivè, ut illi scribunt, *inter duos soles*, tempus esse, quo pars orientalis Cœli pallescere incipit; quod tunc fieri arbitratur, cùm Sol occidentem versùs progreditur, postremis illis horis, quibus emicat supra nostrum Horizontem. Sacrificium quotidianum vespertinum, a Moyse præscriptum (q), componebatur cum nonâ horâ diei, idest, tertiâ circiter post meridiem; utì constat ex Josepho (r), & Misnâ (s). Porrò sacrificium illud offerendum erat *inter duas vesperas*, quemadmodum & de Paschali præscriptum est. His ergo tempus denotatur a tertiâ pomeridianâ in Æquinoctio usque ad sextam vespertinam; & vicissim aliis succedentibus anni tempestatibus, datâ proportione, juxta horarum inæqualitatem, a nonâ usque ad undecimam. Disertè hæc habes in Josepho (t), qui eas cæremonias & oculatus testis spectavit, & præstitit ipse non raro: hæc etiam tamquam certa posuerunt Patres, qui scripserunt, eâdem ipsâ horâ immolatum Pascha, quo Jesus Christus in cruce exspiravit; obiit autem ille horâ nonâ. Hanc sententiam suffragio suo firmant plures Interpretes doctissimi.

Alii quidam, utì Abenezra, & Oleaster, censent *inter duas* vesperas esse tempus occasûs solis & initii noctis, nempe crepusculum vespertinum. Hanc opinionem confirmare videntur loca quædam S. Scripturæ, in quibus est *vespere* veluti synonymum τὸ *inter duas vesperas*. Ita in Exodo xvi, 12, daturum se Deus pollicetur coturnices *inter duas vesperas*; & statim ℣. 13, fidem suam liberat *vespere*. Imperatur hìc ℣. 6, ut immoletur Pascha *ad vesperam*; cujus loco in Hebræo בין הערבים *inter duas vesperas*: & in Deuteronomio præcipit Deus, ut idem Pascha immoletur *Vespere, ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.*

Hæ potissimæ in eam rem sententiæ, quarum singulæ nihil habent cum Textu repugnans; certoque semper constat, Pascha immolandum fuisse die xiv Nisan, ante noctem diei decimæquintæ præcedentem. Porrò Festi Paschalis celebrandi exordium ponebatur in agni comestione. Vide inferiùs ℣. 8.

IMMOLABIT EUM UNIVERSA MULTITUDO FILIORUM ISRAEL. Immolationi huic præstandæ destinati sunt Patresfamilias, sive primores natu; neque enim adhuc constituti erant Sacerdotes, quibus sacrificandi munus committeretur. Successu verò temporis jus illud unicis Sacerdotibus cessit; quorum erat excipere cruorem victimarum in pateris, & fundere vel super altare, vel ad basim ejusdem; supraque illud integram victimam ponere in holocaustis; vel adipem cæterasque animalis portiones, in Lege præscriptas, in aliis sacrificiis. Hæc omnia peculiaria erant Sacerdotum, non in victimis tantùm Paschalibus, sed in cæteris etiam omnibus sacrificiis. Privatis quibusque jus erat mactandi a se oblatas victimas, excoriandi, concidendi, exta lavandi, non modò in solemnitate Paschali, sed in cæteris aliis omnibus. Constat id ex Levitico [u]. Hæc omnia, ad solemnitatem Paschalem spectantia, disertè habemus in Philone (x): *Per eos solemnitatis dies jubet Lex omnem gentem victimas immolare, & suis quemque manibus sacrificare.* Sed hæc, ut observat S. Justinus in Dialogo, ea erant, quæ nonnisi in Templo præstari possent. Quare si narrentur interdum in Scripturâ immolatæ a Sacerdotibus Paschales victimæ, utì sub Ezechiâ (y), & sub Esdrâ (z), dicta illa ita accipienda sunt, ut Sacerdotes quidquid sui muneris erat, præstiterint, oblato sanguine victimarum super altare; vel inusitatus tunc ritus inductus fuerit, amplioris solemnitatis gratiâ, quod utique absque prævaricatione legis fieri potuisset [a]. Vulgò tamen mactare victimas atque excoriare munus erat Levitarum; offerre illas super altare juris erat Sacerdotalis.

℣. 7. PONENT SUPER UTRUMQUE POSTEM, ET IN SUPERLIMINARIBUS DOMORUM. Septuaginta (b): *Super duos postes, & super limen in domibus, in quibus manducabunt* Pascha. Syriacus: *Super ambas parastades* (postes) *& super limina, & super domos*; veluti si e sanguine illo liniendum esset limen domûs, & area illa quæ tectorum loco ædibus supersternebatur. Voces, quibus utuntur Septuaginta, exprimunt postes domorum ex duobus lateribus & superliminari. Interdum usurpantur pro ornamento quodam, fabrili operâ foribus adjecto, tum ad latus utrumque januæ, tum in superiori ejus parte: sæpè etiam pro ipso januæ lapide. Usurpatur quoque interdum pro atrio seu vestibulo; & vox Hebræa (c) *Masebkopb* derivatur e radice, quæ sonat respicere. Designare itaque potest foramen in medio januæ, explorandis iis, qui fores exteriùs pulsant. Aquila inter-

(n) Δειλὴ γὰρ κατὰ παλαιοὺς ἡ δείλη. ἡ μὲν γὰρ ὀψία δείλη, τὸ τελευταῖον φασὶ τῆς δείλης μέχρις τὸ περὶ ἡλίου δυσμάς. ἑτέρα δὲ δείλη πρωΐα, τὸ πρῶτον φασὶ τῆς δείλης τὸ εὐθὺς ἐκ μεσημβρίας. *Eustat. in Odyss.* 17 (o) *Hesych. & Suidas.* (p) *Apud Bochart. de animal. sac. t. 1, l. 2, c. 50.* (q) *Exod.* xxix, 38; *& Num.* xxviii, 3, 4. (r) *L. 14 Antiq. c. 8.* Περὶ ἐνάτην ὥραν. (s) *Tractat. Pesach, c. 5, n. 1.* (t) *Joseph. de Bello Jud. l. 7, c. 17:* Ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἐνδεκάτης. (u) *Levit.* 1, 2, 3, 4, 5, 10; & iii, 3; & iv, 24. [x] *Lib. 3 de vitâ Mos. & lib. de Decalogo.* (y) 2 *Par.* xxx, 17. (z) 1 *Esdr.* vi, 20. (a) *Vide Boch. de animal. sacr. t. 1, l. 2, c. 50.* (b) Ἐπὶ τῶν δύο σταθμῶν, καὶ ἐπὶ τὴν φλιὰν, ἐν τοῖς οἴκοις, (c) על שתי המזוזות ועל המשקוף על הבתים

℣. 8. Et edent carnes nocte illâ assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.

℣. 9. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed tantùm assum igni: caput cum pedibus ejus, & intestinis vorabitis.

℣. 10. Non remanebit quidquam ex eo usque manè: si quid residuum fuerit igne comburetis.

COMMENTARIUS.

terpretatur ὑπέρθυρον, superliminare.

Tradit S. Epiphanius, hæresi XIX, Ægyptios ineunte vere, circa tempus illud quo Hebræi solum verterunt, rubrum nescio quid imponere consuevisse gregibus, arboribusque, dictitantes colorem illum amuletum esse præsentissimum adversùs ignem, quo olim per eos dies terram universam vastatam esse narrabant. Non est utique reputandum, cruorem agni datam a naturâ vim habere pellendi Dæmones; neque Angelos sive bonos sive malos eo signo indiguisse (*d*), ut Hebræorum domos distinguerent ab Ægyptiis; sed hæc utique necessaria erant, ut altius imprimerentur Hebræorum menti, docerenturque ipsi domos suas Deo protegente servari. Insinuare videtur S. Hieronymus (*e*) impressum sanguine illo crucis signum; sed majori fide assereretur, sanguine illo veluti emblemate exprimi sanguinem Jesu Christi, cujus virtute a potestate Angeli exterminatoris eximimur, atque ab ultione Dei defendimur (*f*).

℣. 8. Et edent carnes nocte illa assas igni. Victimarum carnes plerumque elixabant Hebræi, uti constat ex I Regum II, 13, 14. ubi filii Heli narrantur in lebetibus capientes quamcumque vellent victimarum portionem, nequaquam patientes, ut sibi pars tribueretur, quæ ad ipsos attinebat. Sed in agno Paschali mos communis non servabatur. Id non obscurè innuitur in Paralipomenis (*g*): *Assaverunt Phase super ignem, juxta quod in Lege scriptum est, pacifi as verò hostias coxerunt in lebetibus, & cacabis & ollis &c.*

Azymos panes. Azymorum esûs cum agno Paschali initium ducebatur a priori vesperâ diei XV Nisan. Exinde per septem continuos Paschales dies azyma illa obtinebant, idest, a primâ initi Festi die, usque ad exitum septimæ, quæ cum die XXI mensis componebatur. Postrema hæc dies claudebatur vespere, quemadmodum a vespere ducebatur dies decima quinta, Festi prima. Vespere diei XIV sedulò tota domus excutiebatur, ne quid fermenti, vel fermentati panis remaneret apud Israëlitas, cùm Pascha immolaretur. Constat id ex Exodo (*h*): *Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ:* & ex recepto Judæorum more, abstinendi scilicet a fermentato a meridie diei XIV. Eò superstitionis apud Judæos nostrates eâ in re ventum est, ut contineant se vel a nominando *pane*, לחם, *Lechem*, veriti ne fermentati idea animo occurrat (*i*); & cùm non satis accuratè nosse se credant, quænam reputanda sit dies decima quarta, per duos succedentes dies Festum illud continuant, nequid in re tanti momenti desint: quam pariter consuetudinem servant in cæteris majoribus per annum solemnitatibus (*k*). Panis ille azymus in eo Festo imperatus, revocabat in memoriam populi præcipitem de Ægypto fugam. Emblema id esse pariter notat Apostolus (*l*) sinceritatis & sanctitatis morum. Apud Paganos, ait Servius apud Grotium, *Flaminibus farinam fermentatam contingere non licebat.*

Cum lactucis agrestibus. Hebræus: על מררים *Cum amaritudinibus*, vel *cum felle*. Æthiopes, qui plura servant e Veteribus Ægyptiis accepta (*m*), carnem crudam vaccæ amant, condiuntque pipere & sale; cùmque condimentum additur e felle vaccæ, Regii muneris id loco habent. Id fortè in causâ fuit, cur Moyses crudas agni Paschales carnes comedi vetuerit, atque addi jusserit fel vel aliquid amarum.

Septuaginta & Interpretum plerique Textum exponunt de lactucis illis, quas *picrides* vocant: ἐπὶ πικρίδων. Hanc vocem servans S. Cyprianus legit: *Cum picridibus edent*. Est autem *picris* cicorea quædam vel lactuca. De hac Plinius (*n*): *Pessimum genus eum exprobratione amaritudinis appellavere picrida*. Dictum id nonnulli exponunt de endiviâ, alii de lactucâ, alii de cicoreâ sylvestri. Amaris hisce rebus amara Judæorum in Ægypti servitus significatur. Herbarum amaricantium quinque genera recenseot Hebræi, quorum usus in agni comestione conceditur; sed illæ omnes referrentur commodè ad varia genera lactucæ, & cicoreæ tam sylvestris, quàm sativæ.

℣. 9. Non comedes ex eo crudum. Hebræum נא *Na*, quod hic *crudum* vertitur, semel tantum legitur in S. Scripturâ, atque inexploratam habet significationem. Versioni Vulgatæ favent Septuaginta, Chaldæus, Syriacus, & Rabbinorum doctissimi. Oleaster vertit fractum, vel dissectum, neque enim persuaderi sibi posse dicit, vetitam fuisse carnis crudæ comestionem. Censet Bochartus (*o*) Hebræam illam vocem exprimere (quemadmodum & in Arabico ני *Nei* vel נא *Na*) *semicoctum*. Sed nihil cogit nos deserere Vulgatam; receptum enim constat apud Veteres morem carnem crudam vorandi. Vide nostrum Commentarium in Genesim IX, 4; neque ex eo sequitur vulgò obtinuisse consuetudinem, carnem crudam gustandi, quòd hìc jubeantur Judæi carnes certâ aliquâ ratione coquere.

Caput cum pedibus ejus et intestinis vorabitis. Hebræus (*p*): *Caput cum genibus ejus, atque*

(d) *Theodoret. qu.* 24. (e) *In Isa.* LXVI, 19. (f) *Vide Aug. l.* XII *contra Faust. c.* 30; *& tract.* 50 *in Joannem*. (g) 2 *Paral.* XXXV, 13. (h) *Exod.* XXXIV, 25. *Vide & Chald. Paraphr. in eum locum*. (i) *Cunaus de Rep. Hebr. l.* 2, *c. ult.* (k) Buxtorf. *Synag. Jud. c.*12. (l) I *Corinth.* V, 7. (m) Alméida, Hist. de la haute Ethiopie, p. 8. (n) *Plin. l.* 19, *c.* 8. (o) *De animal. facr. t.* I, *l.* 2, *c.* 50. (p) ראשו על כרעיו ועל קרבו

℣. 11. Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, &
calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter: est enim Phase [idest transitus]
Domini.
℣. 12. Et transibo per terram Ægypti nocte illâ, percutiamque
omne primogenitum in terrâ Ægypti, ab homine usque ad pecus, & in cunctis Diis Ægypti faciam judicia, ego Dominus.
℣. 13. Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus, in quibus
eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti.

COMMENTARIUS.

atque intestinis ejus: deest illud *vorabitis* in Textu & in Septuaginta. Suppleri posset: Coquetis, vel assabitis, vel totum comedetis caput, pedes, intestina; ita tamen ut edentes caput cum pedibus *os non comminuatis ex eo*. Notant id Septuaginta (*q*) & Syriacus ℣. 10, quamquam non exprimitur hìc in Hebræo, nec in Samaritano, nec in Versionibus. Legitur tamen ℣. 46, & in Numeris IX, 12.

Vetitum sibi putant Hebræi, sive abrodere ossa, sive cartilagines agni hujus vorare, imperatumque, ut cerebri medullam e foramine illo calvariæ, onde medulla ejusdem cerebri in spinam dorsi porrigitur, deducant, intacto ejusdem calvariæ pariete. Ossa simul omnia, & quidquid reliquum supererat carnis, igne absumebatur, ante exitum ejusdem noctis. Observat Grotius, sacrificium illud Paschale genus esse qooddam sacrificii Eucharistici, in quo igne traduntur omnia; ut nihil in alteram diem reservetur (*r*). Apud Paganos sua erant sacrificia, ante iter offerenda [*s*]; unde nomen apud Latinos *Propter viam*. Obtinebat pariter, ut quidquid reliquum erat, absumeretor igne; in quam rem narrat Macrobius, *cùm Albidius quidam sua bona comedisset, & novissimè demum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidisset, Catonem per jocum dicere solitum, hunc propter viam fecisse: quod comesse non potuerit, id combussisse*. Caput victimarum in cibum adhibere nefas apud Ægyptios (*t*).

℣. 11. RENES VESTROS ACCINGETIS. Vestes & habitus Itinerantium præscribuntur.

CALCEAMENTA HABEBITIS IN PEDIBUS. Nudis plerumque pedibus (*u*) Ægyptii versabantur, maximè io domibus; at soleas, seu potiùs sandalia extra domos habebant, tom & in agro, & cùm maximè iter aliquod susciperetur. Præcepta illa, utì & alterum oblinendi sanguioe postes & superliminaria, ac tandem cautio, de qua ℣. 22, ne domo nocte illâ egrediaotur; hæc, inquam, omnia nonnisi ad Pascha in Ægypto celebratum pertinent. Nunquam ulteriùs eadem præcipit Moyses, cùm alibi describit servandos in Paschate legali ritus; nihilque in terrâ Promissionis servatum est. An Paschalis Agnus comedendus esset stantibus, vel assidentibus convivis, hìc siletur; & rem esse in medio positam affirmant Thalmudistæ (*x*); vulgò tamen stantes Pascha comedisse creduntur. Docet id Philo in Libro de Caio & Abel; ritumque comedendi stantibus Pascha obtinuisse adusque captivitatem Babylonicam, notant Rituales Judæorum Libri. Jesus Christus in convivio illo discubuit. Porrò stabant priore illo Paschate Judæi, quòd renes haberent accinctos, baculum ferrent in manibus, calceamenta in pedibus, veluti homines ad ineundum iter parati.

EST ENIM PHASE, ID EST, TRANSITUS DOMINI. Hebræum: פסח *Pesach*, & Chaldæum פסחא *Pascha* sonat *transitum*. Falluntur illi (*y*) apertissimè, qui Pascha deducunt ex Græco πάσχω, *pascho*, patior. Græci Interpretes jungunt simul hæc: Μετὰ σπουδῆς πάσχα ἐστὶ, *cum festinatione pascha est*. Aquila; Ε'ν θαμβῷ ὑπέρβασις ἐστὶ, *cum admiratione transitus est*. Symmachus: Ε'ν ἐπείξει ὑπερμάχησις ἐστὶ, *cum festinatione propugnatio est*. Valtoniani tamen Septuagiota optimè distinguunt.

℣. 12. PERCUTIAM OMNE PRIMOGENITUM IN TERRA ÆGYPTI. Vox *Primogenitus* non de majori taotùm natu usurpatur, sed generatim etiam de primo, & potissimo inter cæteros dilecto, & distincto; quo sensu Jesus Christus dictus est (*z*) *Primogenitus omnis creaturæ*; & alibi, *Primogenitus in fratribus* (*a*); ac in Apocalypsi I, 5: *Primogenitus mortuorum*. Ita etiam Sapientia ex ore Creatoris se prodiisse gloriatur *Primogenitam ante omnem creaturam*; nec aliò spectavit Deus, cùm Israëlem *Primogenitum suum* appellavit (*b*), sive cùm eodem elogio donavit Ephraimum (*c*). Paria observant Prophani. Virgilius: *Juvenum primos tot miserit Orco*; & Homerus, Iliados Γ: Α'ρνῶν πρωτογόνων ῥέζε κλειτὴν ἑκατόμβην, *Sacrificavit Hecatomben illustrem agnorum primogenitorum*. Contrario etiam sensu cùm Primogeoitus jungitur voci alicui, malum exprimenti, malum extremum designat. *Primogeniti pauperum* apud Isaiam XIV, 30, sunt egenorum egentissimi; *Primogenita mors* in Job XVIII, 13, est interitus omnium miserrimus; ac tandem in eo, quem versamus, loco, *primogenitus ancillæ* est mancipiorum omnium infelicissimum, ex ancillâ matre natum, cujus proinde servitus, nullâ superstite libertatis spe, est operosissima. Abacuc III, 13, ageos de Primotibus natu Ægyptiorum habet:

Per-

[q] Ὀστοῦν οὐ συντρίψετε ἀπ' αὐτοῦ. *Alius* οὐχ ὑπολείψετε. *Non relinquetis*. (r) *Levit.* VII, 15, & XXII, 30. (s) *Apud Macrob. Saturn. l.* 2, *c.* 2, *apud Grot.* (t) *Herodot. l.* 2, *c.* 39.
(u) *Diod. l.* 1. (x) *Vide Jansen. hic*. (y) *Ita Iren. l.* 4 *contra Jud. c.* 10. *Lact. l.* 4 *Instit. c.* 26. *&c.*
(z) *Coloss.* I, 15. (a) *Rom.* VIII, 29. [b] *Vide Exod.* IV, 22. *Mich.* VI, 7. *Zach.* XII, 10. *Heb.* XII, 23. [c] *Jerem.* XXXI, 9.

Digitized by Google

℣. 14. Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eam ſolemnem Domino in generationibus veſtris culto ſempiterno.

℣. 15. Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus veſtris. Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſraël, a primo die uſque ad diem ſeptimum.

COMMENTARIUS.

Percuſſiſti caput de domo impii; ideſt, principem Familiæ, & ex primoribus aulæ præfectis: & inferiùs ℣. 14, de fracto exercitu Pharaonis Hebræos inſequente: *Maledixiſti ſceptris ejus, capiti bellatorum ejus.* Author Sapientiæ XVIII, 12, inducit Deum per Ægyptiorum domos diſcurrentem, cùm *uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata eſt.* Cùm Deus ſe collaturum Davidi pollicetur gloriam & potentiam ſupra cæteros ætatis ſuæ principes, *Ego*, ait, *primogenitum ponam illum, excelſum præ Regibus terræ* (a). Moyſes ad Joſephum (b): *Quaſi primogeniti tauri pulchritudo ejus.* Nihil eſt ergo, quo jubeamur nomen Primogeniti hìc accipere ſtrictim de primoribus natu; commodè enim exponeretur etiam de potiſſimo ſingularum Familiarum, de maximè caro, ac conſpicuo. Adde, Moyſem ℣. 30 adnotaſſe: *Nec erat domus, in qua non jaceret mortuus*; quod vix ad literam acciperetur de primoribus natu; quis enim non reputaret, plures fuiſſe domos primogenitis eo ſenſu acceptis carentes? Sed nulla viciſſim occurrebat, vel principe viro, vel aliquo inter cæteros conſpicuo deſtituta. Non me utique fugit, Interpretibus nonnullis perſuaſum eſſe, cecidiſſe Deum non viros tantùm primores natu, ſed & fœminas; & cùm ætatis ordine nemo eſſet in domo natu primus, ultionem ruiſſe in caput ejus, qui juribus, & privilegiis primoris natu ſucceſſiſſet (c). Sed nulla nos neceſſitas eò deducit: maluerim enim potius nomen primogeniti, uti inſinuavimus, latè uſurpare de viro quocumque inclyto in familiâ, quem Deus diſcurrens per Ægyptum interemerit, cùm in eâdem familiâ nullum offendit, quem perimeret, natu majorem.

In cunctis Diis Ægypti faciam judicia. Veteri traditione vulgatum eſt, quo tempore Hebræi egreſſi ſunt ab Ægypto, Deum vindicem gladium exeruiſſe in Numina ejus regionis. Eâ nocte Dei nutu concuſſa Templa & ſtatuas Numinum Ægyptiorum, narrant Judæi (d); Idola lignea, inquiunt (e), putruerunt; lapidea confracta ſunt; quæ ex metallo, eliquata. Ingenti terræ concuſſione ruiſſe plurima Templa, refert Artapanus apud Euſebium (f); refert & Trogus (g), Hebræos unà ſecum abſtuliſſe Ægyptiorum Numina. Reputat Bochartus (h), ea, quæ apud Ægyptios de bello Typhonis in Deos ferebantur, ex veteri hac traditione repetenda eſſe. Porrò Numina in eo bello, ut ab impotentiâ tanti hoſtis ſeſe tuerentur, intra variorum animalium corpora latuiſſe. Moyſem Typhonem appellabant. Maluerim ego tamen ex Origenis ſententiâ (i) reputare, Deum furorem ſuum exeruiſſe in ſacra Ægyptiorum animalia, ſive illis gladio Angeli exterminatoris peremptis, ſive pœnas exigens e Dæmonibus, quos Ægyptii colebant. Commodè etiam exponeretur de Principibus & ampliſſimis in Ægypto viris, hìc, ſicuti in Scripturâ, *Diis* appellatis: Exeruit Dominus ultionem ſuam, quà in illos, quà in primores natu, exterminatis omnibus eodem ipſo tempore, quo Iſraëlitæ ſolum verterunt. Fruſtra hìc demonſtraremus, Hebræum *Elohim* & Latinum *Dii* in Scripturâ de Principibus vel Judicibus ſæpè uſurpari. Quæ verò ferunt de Idolis ac Templis eâ occaſione dejectis, tanquam nutanti traditione accepta, rejecimus.

℣. 14. Habebitis hanc diem in monumentum (veſtræ libertatis) .... cultu sempiterno. Horum verborum proximus & immediatus ſcopus eſt Paſcha Chriſtianorum, quod nos celebramus cultu rituque ad finem uſque mundi perſeveraturo (k). Noſtrum eſt innovare memoriam Agni ſine maculâ, a quo mundi crimina deleta ſunt, Feſtumque celebrare acceptæ e tyrannide Dæmonis libertatis, virtute ſanguinis ipſius pro nobis effuſi. Alendis nobis non ſufficitur vetus illud fermentum, ſed *azyma ſynceritatis & veritatis.*

Rabbini quidam apud Fagium docebant, ita redimendos die decimâ quintâ Niſan a Meſſiâ Iſraëlitas, quemadmodum factum eſt, ut eâdem die Patres eorum educerentur ab Ægypto. Quod quidem re ipsâ præſtitum eſt a Jeſu Chriſto in crucem ſublato, qua die Feſtum Paſchale Judæorum inibat.

℣. 15. Quicomque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel. Adverſùs Iſraëlitas in legis ſanctiones quaſdam refractarios XXXVI vicibus pœna illa, *Peribit de populo*, denunciatur. Quid illa potiſſimùm minaretur, quæſtio eſt. Plures de morte violentâ in transgreſſores earum legum interpretantur (l); malunt alii (m) præmaturam mortem, infligendam a Deo in refractarios. Majori veri ſpecie alii (n) cenſent, phraſibus illis, *Peribit anima illa de Iſraël*, ſeu, *de cœtu Iſraël*, ut legitur hìc ℣. 19, ſignificari, transgreſſores e numero Iſraëlitarum expungendos, habendoſque proinde velut alienigenas, excidenteſque a jure obtinendæ promiſſionis fœderis, ac de cæteris fidelium Iſraëlitarum prærogativis. De genere illo pœnarum egimus ad Geneſis XVII, 14.

Ita

(a) *Pſal.* LXXXVIII, 27. [b] *Deut.* XXXIII, 17. (c) *Ita Abulenſ. qu.* 44, *hic*; *Cajet. Genebr. in Pſalm.* LXXXIII. *Perer. hic. Cantacuſen. Theodoret. apud Leonard. Mar. in cap.* XI *Exod. art.* 8.
(d) *Hieron. Ep. ad Fabiol.* (e) *Rabb. apud Lyran.* [f] *Præp. l.* IX, *c. ult.* (g) *Lib.* 36.
(h) *De animal. ſacr. t.* 1, *l.* 2, *c.* 34. [i] *Homil.* XXVIII *in Numer.* (k) 1 *Cor.* V, 7. (l) *Oleaſt. Cornel. a Lap. Rivet. Piſc. Bonfr.* (m) *Grotius.* [n] *Vatab.*

℣. 16. Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eâdem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent.

COMMENTARIUS.

Ità verò sontes exterminio vel excisione puniendos distinguunt Judæi (o): alii corpore tantùm separantur, alii animâ, alii animâ simul & corpore; idest, pœnam *kerith*, vel exterminii, in corpore tantùm vel tantùm in animam vel in utrumque infligi. Exterminium corporum est mors immatura. Hanc autem verbis illis designat Scriptura: *Exterminabitur homo ille de medio populi sui*; nec aliam habuit præ oculis Psalmus LIV, 24, verbis illis: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Sex criminum genera pœnæ illi subdebantur. I, Si quis consulat Magos (p). II, Si extra castra sacrificet (q). III, Si hostias suas præ foribus Tabernaculi non sistat (r). IV, Si oleum sacrum in usum suum vel alterius paret (s). V, Si in eumdem usum thymiama conficiat (t). VI, Si oleum unctionis effundat (u).

Pœna exterminii in animam, significat æternum animæ interitum, & beatæ vitæ, qua Justorum animæ hinc migrantes fruuntur, privationem. Non desunt inter Rabbinos, qui, falsò licèt, sibi persuadeant, interire animas, in nihilum redactas vi hujus pœnæ excisionis, quamquam corpus nullo præmaturo interitu moriatur. Pœnam hanc exprimit Scriptura verbis illis (x): *Omnis anima &c. peribit de medio populi sui*. Hæc crimina eo supplicio puniuntur. I, Sabbati violatio (y). II, Rerum sacrarum esus, tempore legalis maculæ contractæ (z). III, Pollutum in Templo (a) versari. IV, Adipis comestio (b); V, & sanguinis pariter (c); VI, & eorum quæ supersunt e sacrificio, post triduum ab immolatione (d). VII, Esus pariter reliquiarum sacrificii extra locum præscriptum (e). VIII, Fermentati usus, perseverante Festo Paschali (f). IX, Esus rei cujuspiam die Expiationis solemnis (g). X, Si quis die festo Expiationis aliquid operetur (h). XI, Si negligat Festi Paschalis observantiam (i). XII, si circumcisionem non recipiat (k).

Tandem pœna kerith in corpus & in animam simul lata, mors est prævatura & animæ destructio. Exprimit illam Scriptura (l) his phrasibus: *Delebitur, & portabit iniquitatem suam.* Tribus hisce criminibus adhibetur: I, Blasphemiæ (m); II, Idololatriæ (n); III, filiorum Oblationi Moloch (o).

Rabbinica hæc fortè videbuntur, & impietatis, nec immeritò, plenum quod illi comminiscuntur de redactâ in nihilum animâ. Damnant hæc veteres Hebræi æquè ac Recentiorum plerique. Tenent illi nobiscum dogma de animæ immortalitate, futuramque expectant bonorum ac malorum resurrectionem. Crimina hæc universa dimitti sibi credunt singulis annis, dummodo per confessionem & pœnitudinem Deo fiat satis, & illatæ hominibus injuriæ reparentur. Æquè tamen verissimum est, Maimonidem clari nominis Rabbinum aliosque nonnullos commenta hæc de redactâ in nihilum animâ non obscurè docuisse.

Porrò segregationis inter Hebræos pœna ipsissima videtur, ac inter nos excommunicatio, qua ab Ecclesiæ communione, a precibus communibus, cæterisque privilegiis Fidelium cœtui concessis quis removetur. Et quemadmodum apud Christianos conciliari potest semel abrupta societas, & ad Ecclesiæ communionem restitui, præstitâ antea Deo & hominibus satisfactione; ita pariter & apud Judæos datur, ut fœdus concilietur cum Deo, admittanturque sontes in societatem populi, factâ priùs exomologesi, cæterisque expletis, quæ in lege præscripta sunt adversùs præceptorum ejusmodi violatores. Animadvertere insuper juvat, leges illas & minas ab implendis in futurum conditionibus pendêre; atque in id tempus spectare, quo Judæis commoda Legis observatio, & Chanaanitidis possessio minimè dubia esset ac turbata. Quamquam enim Israëlitæ nullam e. g. habuerint per desertum circumcisionem; non idcircò exterminii in se pœnam provocarunt: arduum enim erat rem illam in deserto præstare. Fusiùs hìc aliquanto rem totam prosequuti sumus, ut semel hìc dictum pro omnibus in posterum valeat.

A PRIMO DIE USQUE AD DIEM SEPTIMUM. Septem succedentibus diebus, Paschali Festo sacris, a fermentato prorsus abstinendum erat; quamquam non ita præcipiebantur azyma, ut a rebus cæteris abstinendum esset. Permissa docent Rabbini (p) orizam, milium, farinam hordei exsiccati vel elixi, fructus &c. Vetitum autem panem quemcumque, nisi azymum, toto quidem perseverante Festo, sed maximè in convivio agni Paschalis, nocte diei XV Nisan.

℣. 16. DIES PRIMA ERIT SANCTA ATQUE SOLEMNIS. Festum Paschatis septem continuis diebus perseverabat; sed prima tantùm & postrema dies feriabantur. Hebræus: מקרא קדש *Dies prima convocatio sanctitatis*. Conveniebant omnes eâ die in Templum, singulari celebritate Festum acturi. Docent nonnulli (q), solemnitate die XV Nisan indictam fuisse ad recolendam memoriam libertatis ab Ægypto; alterâ verò die XXI ejusdem mensis, ac inter Paschales postremâ, beneficium deleti eâ die exercitûs Pharaonis.

EX-

(o) *Rabb. Bechai apud Seld. de jure natur. & gent. l. 7, c. 9, & de Syned. l. 1, c. 6,* ubi Maimonidem citat pro sententiâ destructionis animæ. (p) *Levit.* XX, 6. (q) *Ibid.* XVII, 4. (r) *Ibid.* XVII, 9. (s) *Exod.* XXX, 33. (t) *Exod.* XXX, 38. (u) *Ibid.* XXX, 33. (x) *Levit.* XVIII, 29. (y) *Exod.* XXXI, 14. (z) *Levit.* VII, 20. (a) *Numer.* XIX, 13. (b) *Levit.* VII, 25. (c) *Ibid.* ℣. 27. [d] *Levit.* XIX, 6, 7. (e) *Levit.* XIX, 7. (f) *Exod.* XII, 15. (g) *Levit.* XXIII, 29. [h] *Ibid.* ℣. 30. (i) *Num.* IX, 13. (k) *Genes.* XVII, 14. (l) *Num.* XV, 31. (m) *Num.* XV, 30, 31. (n) *Ibid.* [o] *Levit.* XVIII, 21, & XX, 3. [p] *Maimonid. tract. de Ferment. & Azyme. R. Salomon, &c. apud Boch. de anim. sac. t. 5, l. 2, c. 50.* (q) *Vide Jun. Bochart.*

℣. 17. Et observabitis azyma: in eâdem enim ipsâ die educam
exercitum vestrum de terrâ Ægypti; & custodietis diem istum
in generationes vestras ritu perpetuo.
℣. 18. Primo mense, quartâdecimâ die mensis ad vesperam, comedetis azyma, usque ad diem vigesimam primam ejusdem
mensis ad vesperam.
℣. 19. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris. Qui comederit fermentatum, peribit anima ejus de cœtu Israël, tam de advenis, quàm de indigenis terræ.
℣. 20. Omne fermentatum non comedetis: in cunctis habitaculis
vestris edetis azyma.

COMMENTARIUS.

Exceptis his, quæ ad vescendum pertinent. Ad opera quod attinet, Paschalis Festi observantia minus aliquid exigebat quàm Sabbati religio; vetitum enim Sabbato vel cibos parare (r). Insinuare quin etiam videtur Textus (s), integrum fuisse non hominibus tantùm, sed & domesticis quibusque animalibus instruere cibos: *Tantùm quod comeditur ab omni animâ, illud solùm fiet vobis*. Valent hæc, ut jam animadvertimus, de primâ & postremâ die Solemnitatis; quæ enim interjacent quinque dies, nihil habebant operis interdictum, non iter, non cætera quæcumque. Majori Religione servabant Hebræi requiem festorum dierum, quàm gentes reliquæ, vel saltem Latini (t), apud quos licebat plura sive in Domibus sive in agris operari. Hebræis omnia penitus interdicta. Hebræis accommodabantur maximè Ægyptii, apud quos plures erant generales solemnitates, ad quas celebrandas simul coibant; cùm autem festa illa celebrarentur in variis urbibus, maximè dissitis a loco, ubi ad illa confluentes morabantur, fieri utique non poterat, quin ferias agerent prorsus inviolatas.

℣. 17. Observabitis azyma. Hebræus legit מצות *Mizoth*, quod est panis azymus. Samaritanus מצוה *Misevah*, præceptum: *Observabitis præceptum*; quod etiam legerunt Septuaginta, ἐντολήν. Æquior hæc lectio videtur, quàm Massoretica; atque habitâ solius Textûs ratione, discriminis illius causa intelligitur.

In eadem enim ipsa die. Vulgò redditur Hebræum: בעצם היום, *In corpore, in osse, in soliditate ejus diei ego eduxi*, vel *ego educam &c.* quo Hebraismo designari mane, notavimus in Genesim VII, 13.

℣. 18. Quarta decima die mensis. Exordiebantur azyma exeunte die decimâ quartâ, uti jam notavimus, vel primis diei decimæ quintæ vesperis; ex quo factum est, ut vesperæ illæ, dies decima quarta æquè ac decima quinta appellentur. Nec aliud voluit Josephus (u) cùm azymorum solemnitati octo dies assignat; inibat enim exeunte die XIV, atque cum die XXI claudebatur.

℣. 19. Tam de advenis, quam de indigenis terræ. Ut verus Textûs sensus eliciatur, unà simul jungendi sunt versus 43, 44, 45. Privilegium illud, vel, si mavis, præceptum celebrandi Paschatis, azymorumque, non nisi ad obsignatos circumcisione Fideles, religionem Judaicam profitentes, sive illi originem referrent ex Israëlitis, sive ex alienigenis, spectabat. *Omnis alienigena non comedet ex eo* (℣. 43). *Et advena & mercenarius non edent ex eo* (℣. 44). Quicumque verò circumcisione obsignatus esset, sive alienigena, licèt ingenuus, aut servus, sub præscriptâ hìc pœnâ præcepto tenebatur, utì constat ex versu 48. Advenam appellat Moyses, qui alienam refert ab Hebræis originem. Hebræum verò genere, per *indigenam* designat.

Interdictum erat mancipiis, ne cum heris suis celebrarent Pascha, nisi admissâ priùs circumcisione, ad quam tamen recipiendam illos adigere heris non licebat, siquidem mancipia illa jure belli vel emptionis provenissent. Datum tamen illis, circumcisione obsignare filios mancipiorum suorum, in servitute nascentes; plus enim illi ad Dominum quàm ad patrem suum pertinebant.

Sua etiam mulieribus pars in Festo agni Paschalis; Scriptum est enim: *Omnis cœtus filiorum Israël*, cujus cœtùs portio utique habebantur & fœminæ. Usu hoc receptum satis constat. Elcana pater Samuëlis geminas uxores suas Annam & Phenenoâ quotannis ducebat ad Tabernaculum, ut sacrificium offerret (x); immolatarumque victimarum partem utrique suam dabat. Maria Deipara singulis annis cum S. Josepho ad Templum, ut Festum Paschatis celebraret, se conferebat (y). Tandem David mulieribus non secùs ac viris (z) distribuit panem & carnem hostiarum, e sacrificiis oblatis in solemni deductione Arcæ ad Tabernaculum Sion. Nihil utique habebat Sacrificium Paschale sive magis sanctum, sive magis sacrum, quàm cætera sacrificia eucharistica; a quibus si fœminæ non excludebantur, ad hoc pariter eas admitti par erat.

Præter incircumcisos, interdictum etiam Pascha legali aliquâ maculâ pollutis, ut leprosis, & qui cadaver tetigissent. Pro illis, qui celebrare primum Pascha non potuerant, secundum aliud instaurabatur die XIV secundi mensis (a). Quicumque, in loco versantes a Templo & Tabernaculo omniùm dissito, eò convenire non poterant, ad

(r) *Exod.* XVI, 23. (s) אך אשר יאכל לכל נפש הוא לבדו יעשה לכם (t) *Vide Virgil. Georgic. l.* 1. *Columel. de re rustic. l.* 2, *c.* 22. *Macrob. Saturn. l.* 1, *c.* 16. (u) *Joseph. l.* 2 *Antiq. c.* 5. (x) 1 *Reg.* 1, 3, 4. (y) *Luc.* 11, 14. (z) 2 *Reg.* VI, 19: *Partitus est universæ multitudini, tam viro quàm mulieri, singulis collyridam, &c.* (a) *Vide Num.* IX, 6, 10.

Digitized by Google

℣. 21. Vocavit autem Moyses omnes seniores filiorum Israël, & dixit ad eos: Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase.

℣. 22. Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & utrumque postem: nullus vestrùm egrediatur ostium domùs suæ, usque manè.

℣. 23. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios; cùmque viderit sanguinem in superliminari, & in utroque poste, transcendet ostium domûs, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.

℣. 24. Custodi verbum istud legitimum tibi, & filiis tuis usque in æternum.

℣. 25. Cùmque introjeritis terram, quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis cæremonias istas

℣. 26. Et cùm dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio?

COMMENTARIUS.

ad certam diem xiv Nisan, immunes erant a præcepto Festi celebraodi, ad sacrificium agni quod attinet, non verò ad cæteras ejusdem solemnitatis cæremonias. Ne convenirent ad cœtum generalem populi, excusatos pronunciant Author Misnæ (*b*) & Maimonides [*c*], quicumque xv M passuum distarent. Sed brevior videtur hæc itineris mensura; eâ etenim admissâ, vel tertia pars terræ promissionis eximeretur. Eos tantùm excusat Philo (*d*), qui in remotis a Judæâ regioonibus versabantur.

℣. 21. Vocavit Moyses omnes seniores. Facta sunt hæc die xiv Nisan in pervigilio egressûs ab Ægypto.

Tollentes animal. Hebræus (*e*), & Septuaginta habent *ovem*; sed accipiendum esse de agno, vel de hædo, superiùs animadvertimus (*f*).

℣. 22. Fasciculum hyssopi tingite in sanguine qui est in limine. Hebræus & Interpretum plerique vertunt: *Tingetis hyssopum in sanguine, qui est in pelvi* (*g*). Excipiebatur in pelvim fluens ex agno cruor; tum pelvis illa ad fores deferebatur, intinctoque eo sanguine fasciculo hyssopi, aspergebantur portæ utrumque latus, & superliminare. Vide superiùs ℣. 7. Septuaginta & Vulgata ferre videntur, effusum agni cruorem in limine domûs, tum hyssopum tingi; vel potiùs (*h*) sanguinem illum in suâ pelvi positum super limen; quamquam de vase nihil habet Textus Vulgatæ. Criticorum nonnulli redduot Hebræum *Esob*, quod est Vulgatæ *hyssopus*, *rorem marinum* (*i*), vel *mentham* (*k*), vel *muscum* (*l*), vel *origanum* (*m*) vel parietariam, majoranam, vel herbam aliam: inhærendum tameo censemus Septuaginta & Vulgatæ, constanter vocem illam vertentibus *hyssopum*, quam versiooem pluribus defendit Bochartus (*n*).

Nullus vestrum egrediatur. Datum hoc præceptum de nocte illâ proximè egressum ex Ægypto præeunte: oihil enim tale in Chanaanitide servatum est. Templi fores a mediâ nocte recludebantur, teste Josepho; ac io Evangelio adnotatur, Jesum Christum post Paschalem cœnam e domo exiisse [*o*].

℣. 23. Transibit Dominus. Vide Caput xi, 5

℣. 24. Custodi verbum istud legitimum tibi. Commodè redderetur Hebræum (*p*): *Custodietis cæremonias istas* (seu *verba ista*) *in statutum usque in sæculum*. Quod non ita generatim accipiendum esse de omnibus & singulis cæremoniarum ritibus, jam animadvertimus; plures enim omissos deinceps constat. Versiculum hunc claudit Samaritanus addens: *In mense isto*.

℣. 26. Cum dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? Opportunum judicavit Deus, quò vividior esset ingentis illius beneficii memoria, confirmareturque magis magisque populus in Religione, opportunum, inquam, judicavit, ut visibilibus quibusdam signis animum afficeret, excitaretque curiositate mentem filiorum ad sciscitandum, cur singulis annis tantus cæremoniarum apparatus innovaretur?

Porrò Festorum institutio omnium est vetustissima ratio conservandæ ingentium rerum memoriæ. Deus Sabbatum instituit, ne unquam creationis mundi induceretur oblivio. Decernit hic, ut anni sancti exordium ducatur a vere; tum & perpetuâ annorum circumvolutione nunquam a celebrando Paschate cessetur, ut tanti prodigii celebritas semper integra permaneat. In cæteris festis decernendis eadem fuit instituentibus mens. Filii plerumque jam ab ætate duodecim annorum ad Tabernaculum, sive ad Templum deducebantur. Ejus ætatis Jesus Christus venit ad Templum cum S. Josepho ac SS. Virgine. Hircanus apud Josephum [*q*] tradit, vetitos a Lege pueros degustare victimarum carnem, antequam ipsi per se venirent ad Templum, & offerrent sacrificium. A duodecimo ætatis anno primùm e Paschali victimâ

(b) *Misna tract. Pasch. c. 9.* (c) *Maimonid. de Pasch. c. 5.* (d) *Phil. l. 3 de vitâ Mos.*
[e] כשבו וקחו לכם צאן (f) ℣. 3: *Sumat unusquisque agnum.* (g) ברם אשר בסף
[h] *Aug. qu. 46 in Exod.* (i) *Piscat.* [k] *Lud. de Dieu.* (l) *Jun. & Tremel.* (m) *R. Kimchi.*
(n) *Bochart. de animal. t. 1, l. 2, c. 59.* (o) *Matt. xxvi, 30.* (p) הרבר הוה לחק צד צולם
(q) *Antiq. l. xii, c. 4.*

℣. 27. Dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans. Incurvatusque populus adoravit.

℣. 28. Et egressi filii Israël fecerunt, sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.

℣. 29. Factum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terrâ Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere; & omne primogenitum jumentorum.

℣. 30. Surrexitque Pharao nocte, & omnes servi ejus, cunctaque Ægyptus: & ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus, in qua non jacèret mortuus.

℣. 31. Vocatisque Pharao Moyse & Aaron nocte, ait: Surgite & egredimini a populo meo, vos & filii Israël: ite, immolate Domino, sicut dicitis.

℣. 32. Oves vestras & armenta assumite, ut petieratis, & abeuntes benedicite mihi.

℣. 33. Urgebantque Ægyptii populum de terrâ exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.

COMMENTARIUS.

ctimâ participabant. Ante ætatem illam præceptis legis non adigi pueros, censebant Authores Judæi cæterique, qui de moribus illorum & Religione scripserunt (r). Pueros nonnisi XIII annos natos, & puellas duodennes uti ratione arbitrabantur.

℣. 27. VICTIMA TRANSITUS DOMINI EST. Victima scilicet vel sacrificium Paschatis Domini. Erat enim agnus Paschalis vera hostia, verumque ex illo oblatum sacrificium, cùm effusus ex illo cruor sisteretur Altari Domini, in quo totam sacrificii vim constituunt Hebræi. Arabs vertit: *Est sacrificium propitiationis Dei*, fortè quia agni illius sanguis Hebræos exèmit e morte. Reputari etiam posset, sacrificium esse veluti Eucharisticum pro receptâ ex Ægypto libertate, cujus etiam memoria eâ cæremoniâ recolebatur.

QUANDO TRANSIVIT SUPER DOMOS. Septuaginta: *Protexit nostras domos*. Chaldæus: *Misertus est super nostras domos*. Originalis hìc & versu 13 phrases פסח על בתי exprimere videntur, Deum inclinaturum se qua parte sunt Israëlitarum ædes, protecturumque ita eorum fores, ut Exterminatori impediat ingressum; vel pariter transgressurum super illas nihil immoratum, nec descensurum.

℣. 29. A PRIMOGENITO PHARAONIS, QUI IN SOLIO EJUS SEDEBAT. Quod dictum alii (s) interpretantur de ipso Rege tum rerum potiente, qui throno assidebat Regis Patris ac decessoris sui. Sed præstat interpretari de filio Pharaonis, futuro Regni successore; illudque *qui sedebat* ita usurpandum censeo, qui sessurus est. Constat utique, Pharaonem hunc, qui tam frequenter cervicem suam erexerat in Dominum, Erythræi undis mersum periisse; præcepisse etiam Deum Moysi, ut verbis suis illi nunciaret (t): *Ego interficiam filium tuum primogenitum*. Quare Pharao gladium exterminatoris evasit, quippe qui sæviori supplicio a Deo reservaretur.

USQUE AD PRIMOGENITUM CAPTIVÆ, QUÆ ERAT IN CARCERE. Hebræus: בכור השבי, *usque ad primogenitum captivitatis*. Parallelus est locus cum altero capitis XI, 5: *Usque ad primogenitum Ancillæ, quæ est ad molam*. Inclusa velut in carcere mancipia molas trusatiles in pistrino torquere cogebantur. Habes hoc in historiâ Samsonis (u), & apud Veteres. Claudebantur etiam mancipia per noctem in munitis quibusdam locis, quæ jure appelles ergastula, ne fugam tentarent. Servatur id usque hodie in Hispaniâ erga Mauros captivos, & in Africâ erga Christianos nideu captivos.

OMNE PRIMOGENITUM JUMENTORUM. Mixti vivebant Ægyptii cum jumentis suis, teste Herodoto (x); pleraque etiam colebantur: sed Exterminator, ut eos digno supplicio afficeret, unà illos cum jumentis, quæ tantopere observabant, perèmit.

℣. 30. NEQUE ENIM ERAT DOMUS, IN QUA NON JACERET MORTUUS. Vide quæ notavimus superiùs ℣. 12.

℣. 32. ABEUNTES BENEDICITE MIHI, idest, rogate pro me. Chaldæus: Antequam abeatis, sopite furorem Dei, facite ut cesset plaga; vel gratias

[r] *Vide* Leon Modena. Cerimonie de' Giodei, 4 parte, cap. 12. *Buxtorf. de Synag. Jud. c.* 21. *Selden. de jure Nat. & Gent. &c.* (s) *Drusius*. (t) *Exod.* IV, 23. (u) *Judic.* XVI, 21. (x) *Lib.* 2, *c.* 36.

Digitized by Google

℣. 34. Tulit igitur populus conspersam farinam, antequam fermentaretur: & ligans in palliis, posuit super humeros suos.

℣. 35. Feceruntque filii Israël, sicut præceperat Moyses: & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam.

℣. 36. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis, & spoliaverunt Ægyptios.

℣. 37. Profectique sunt filii Israël de Ramesse in Socoth, sexcenta ferè millia peditum virorum, absque parvulis.

COMMENTARIUS.

tias mihi agite pro accepto beneficio.

℣. 34. Tulit populus conspersam farinam, antequam fermentaretur, et ligans in palliis, posuit super humeros suos. Hebræum ita legunt nonnulli (y). *Tulit populus conspersionem suam, antequam fermentaretur, cum mactris suis ligatis in vestimentis suis, super humerum suum.* Consperserant Israëlitæ farinam, ac præparaverant profectioni suæ commeatum; sed urgentibus Ægyptiis, maturare tempus profectionis coacti, nec fermentum addendi, nec fermentatos panes coquendi satis temporis habuere; quare farinam coactam unà cum mactrâ secum tulerunt. Si massæ illi fermentum addidissent, fieri utique non potuisset, quin inter abeundum farina illa aquâ subactâ fermentaretur.

Sed cur conspergentes farinam eo consilio, ut fermentatos panes conficerent, non simul & fermentum commiscuerunt? Si enim satis otii ad subigendum panem habuerunt, cur non & ad miscendum fermentum? Maluerim itaque Textum vertere: *Tulit populus farinam, antequam fermento misceretur, & commeatus, posuitque super humeros suos.* Hebræum *Bezek* massam quidem farinæ sæpiùs exprimit, sed & interdum farinam tantùm: quo sensu reddiderunt hìc Septuaginta (z), eodemque usurpatum est in secundo Regum (a). Quod attinet ad Hebraicam vocem משארוה *misaroth*, a Vulgatâ neglectam, & a Septuaginta redditam φυράματα, *conspersiones*, & a recentioribus Interpretibus plerisque *mactras*, exprimit potiùs, quantum capio, annonam. Hebræa radix נשאר hujus vocis constanter exprimit *reservare*; usurpaturque (b) de parato in usum tritico ac pane. In Deutoronomio xxviii, 5, pollicetur Deus, largis se benedictionibus impleturum horrea & annonas (*misaroth*) Israëlitarum. Profectò nec subacta farina, nec mactræ sive asportari solent sive reservari; sed in itineribus, longioribus maximè, opportunè comparantur triticum & farina, sine quibus commeatibus nec hodie quoque in Oriente suscipi itinera longiora, afferunt Itinerantes. Illud autem, *Tulit populus commeatus suos ligans in palliis*, illustratur exemplo quorumdam, quos ligasse triticum in palliis legimus, ut in historiâ Ruth & alibi (c); quod factum pronum concipimus, cùm pallia haberent non forcipe reformata, sed ex panno quadrato vel oblongo. Versus 39 nostræ huic expositioni favet: *Coxerunt farinam, quam dudum de Ægypto tulerant, & fecerunt subcinericios panes azymos; neque enim poterant fermentari, cogentibus Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram, nec pulmenti quidquam occurrerat præparare.* Vide Josephum *Antiq. lib. 3, cap. 6.*

℣. 35. Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea et aurea. Non equidem postulare distulerant, donec immineret discessus. Reddi potest Textus, *petierant*. De suo e regione discessu non ultra ambigebant, cùm jussi sunt parare agnum ad transitum Domini, qui contigit die decimâ mensis, & quartâ ante exitum. Purgandis a crimine Hebræis excusationem dedimus ad Caput iii, 22, & xi, 2.

℣. 37. Profectique sunt de Ramesse in Socoth. Ad urbem Ramessem, veluti ad condictum locum, exercitus Israëlitarum omnis coivit. Urbs erat facilè agri Gessen metropolis; quæ pariter regio terra Ramessen appellatur interdum a Septuaginta. De hac urbe vide quæ digessimus superiùs, in caput i, 11.

Socoth est *tentoria*. Idem est fortè locus ac מסכנות *Mischenoth*, de quo in capite i, 11. Postremo enim huic nomini eadem subesse potest significatio, ac *Socoth*; quod etiam prætulisse videtur Author Vulgatæ, reddens: *Urbes Tabernaculorum*. Totus Textus in priori illo capite reddi commodè posset: *Ædificaverunt Urbes Mischenot, Phithom, & Ramessem*. In Antonini Itinerario occurrit urbs *Scena Veteranorum*, xxx m. passuum a Babylone Ægypti, Pelusium versùs, xiv ab Heliopoli. In eo pariter terræ tractu facilè constituta erat Urbs Socoth. Nomen Græcum *Scena* perinde valet, ac Hebræum *Socoth*.

Sexcenta fere millia peditum. Satis exactè copiarum numerum non definit Moyses, quòd nondum censum instituerit; in lustro enim xiii post egressum ab Ægypto mensibus habito, ol. supra sexcenta tria millia [d] censuit, exceptis Levitis ac juvenibus, viginti annorum ætate minoribus.

Absque parvulis. Septuaginta vertunt: Πλὴν ἀποσκευῆς, *præter apparatum*; quo nomine intelligitur inutilis turba puerorum, senum, fœminarumque: quod significavit Symmachus: Χωρὶς τῶ ὄχλυ, *absque turbâ*. Aquila: Χωρὶς ἀπὸ νηπίυ, *absque infantibus*. Syriacus: *Præter familiam*, mulieres scilicet, parvulos & servos. Psalmus civ, 37.

(y) וישא העם את בצקו טרם יחמץ משארתם צררת בשמלתם על שכמם
(z) Ἀνέλαβε τὸ σταῖς αὐτῶν πρὸ τῆ ζυμωθῆναι τὰ φυράματα αὐτῶν. (a) 2 *Reg.* xiii, 8: *Venitque Thamar in domum Amon fratris sui ... quæ tollens farinam commiscuit.* (b) *Judic.* vi, 4.
[c] *Ruth* iii, 15. & 4 *Reg.* iv, 39. (d) *Num.* i, 46.

℣. 38. Sed & vulgus promiſcuum innumerabile aſcendit cum eis, oves, & armenta, & animantia diverſi generis multa nimis.

℣. 39. Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conſperſam tulerant: & fecerunt ſubcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere ſinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrerat præparare.

℣. 40. Habitatio autem filiorum Iſraël, quâ manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.

℣. 41. Quibus expletis, eâdem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini de terrâ Ægypti.

℣. 42. Nox iſta eſt obſervabilis Domini, quando eduxit eos de terrâ Ægypti: hanc obſervare debent omnes filii Iſraël in generationibus ſuis.

COMMENTARIUS.

37, veluti prodigioſum quid obſervat, neminem, cùm egrederentur ex Ægypto, quopiam morbo laboraſſe: *Et non erat in Tribubus eorum infirmus.*

℣. 38. SED ET VULGUS PROMISCUUM INNUMERABILE ASCENDIT CUM EIS. Hebræus ad literam: *Mixtio multa aſcendit cum eis, oves, boves, & poſſeſſio gravis.* Hebræum ערב רב *Arob, mixtio,* eadem eſt vox, quæ ſuperiùs capite VIII, 21, redditur *omne genus muſcarum.* Addit quoque Moyſes armenta, oves, & boves, tum & genus omne bonorum, quæ abeuntes ſecum tulerant Iſraëlitæ. Acceſſiſſe populo alienigenas plures, habet Onkelos (e) Chaldæi appellant ערבלא *Arbela populorum colluviem,* quam nos vernaculè diceremus *Caravanam.* Plurimum eſt affinitatis inter Arob & Arbelam. Lyranus, aliique nonnulli interpretantur de proſelytis juſtitiæ, ſive alienigenis circumciſione initiatis. Plures fuiſſe natos ex Hebræa & Ægyptiâ parentibus filios, aſſerit Philo *de vitâ Moſis l. 1.*

℣. 39. COXERUNT FARINAM, quam aquâ ſubactam ſecum tulerant, nec ob anguſtias temporis coquere atque fermentare valuerant. Porrò, ait Tacitus libro V Hiſtoriarum, *Raptarum frugum argumentum panis Judaicus nullo fermento detinetur.* Vide aliam conjecturam in ℣. 34 propoſitam. *Dudum* deeſt in Hebræo & Septuaginta.

SUBCINERICIOS PANES AZYMOS. In Hebræo eſt עגות *Huggot,* placentas, de qua voce nos ad Geneſis XVIII, 6. Eâdem voce legimus in III Regum XIX, 6, ſignificatos carbones; & Oſee VII, 8, comparat Ephraimum illis *Huggot,* quæ e carbonibus reducere nemini ſuccurrit, vel nonniſi ex uno latere cocta ſunt. Genus illud panis familiare eſſe inter Bulgaros, aſſerit Busbequius (*); hodie pariter appellantur ibi *Hugaget.* Statim ac advena aliquis advenerit, fœminæ parant panes illos azymos ſubcineritios, illique vendunt; nulli enim in eâ regione piſtores.

NEC PULMENTI QUIDQUAM OCCURRERAT PRÆPARARE. Hebræum צדה *Zedah,* quod hìc *pulmentum* eſt, & apud LXX ἐπισιτισμὸν, cibus, quæcumque eſt cocta vel cruda annona. Chaldæus זודין *viaticum.* Hebræus ad literam: *Eſcas non fecerant ſibi.*

℣. 40. HABITATIO FILIORUM ISRAEL, QUA MANSERUNT IN ÆGYPTO, FUIT QUADRINGENTORUM TRIGINTA ANNORUM. Septuaginta & Samaritanus ita Textum exponunt, ut ſimul aliquid addant. *Habitatio autem filiorum Iſraël, quam habitaverunt in Ægypto, ipſi & patres eorum, & in terrâ Chanaan, anni quadringenti triginta.* Joſephus (f), Euſebius in Chronico, S. Auguſtinus (g), cæterique fidem Septuaginta ſequuti, hanc lectionem ſervant. Et quidem ſi exactè tempus accipiatur moræ Iſraëlitarum in Ægypto, nonniſi CCXV anni numerabuntur. Sed poſt vocationem Abrahami ex urbe Haran uſque ad exitum Iſraëlitarum ab Ægypto, anni defluxerunt CDXXX. Non obſcurè Apoſtolus hunc ſenſum prætulit (h), cùm a factis Abrahamo promiſſionibus uſque ad legem Moyſi datam ſupputat CDXXX annos.

℣. 41. QUIBUS EXPLETIS, EADEM DIE EGRESSUS EST OMNIS EXERCITUS. Hebræus & Verſiones disertè notant, poſt elapſos annos illos CDXXX, & in corpore diei, nempe manè (i), Iſraëlitas pedem retuliſſe ex Ægypto. Septuaginta Nobilii addunt in fine hujus verſûs, exiſſe illos *nocte*; ſed in Polyglottis Antuerpienſibus illud deſideratur. In exordio tantùm ſequentis verſûs habebatur: *Illa nox hæc eſt cuſtodia Domino*; quod cum Textu & Verſionibus congruit; quo loco Græcum Nobilii non habet *nox* in principio verſûs 42. Legitur quidem in Deuteronomio XVI, 1, de Iſraëlitis: *Eduxit te Dominus de Ægypto nocte*; ſed illud accipiendum eſt, quomodo hìc exprimitur, de ſummo mane, *in corpore* vel *in oſſe diei* בעצם היום, quod Vulgata reddit *eâdem die.*

℣. 42. NOX ISTA EST OBSERVABILIS DOMINI, cujus ſcilicet memoria religiosè ſervanda eſt (k), vel nox, totta cujus ſpatium Dominus nos conſervavit

---

(e) ואף נכראין סגיאין (*) *Busb. Itiner. Conſtantinopol. p. 36.* (f) *Joſeph. Antiq. l. 2, c. 6.* (g) *Aug. qu. 47 in Exod.* (h) *Galat. III, 16, 17.* (i) *Vide Geneſ. VII, 13.* (k) *Aqu.* Νὺξ παρατηρήσεων. *Sym.* Νὺξ παρατετηρημένη.

Digitized by Google

℣. 43. Dixitque Dominus ad Moysen, & Aaron: Hæc est religio Phase: Omnis alienigena non comedet ex eo

℣. 44. Omnis autem servus emptitius circumcidetur, & sic comedet.

℣. 45. Advena, & mercenarius non edent ex eo.

COMMENTARIUS.

servavit, velut agens pro nobis excubias (l), nostroque totamini advigilans (m).

℣. 43. Omnis alienigena non comedet ex eo, nisi admissâ circumcisione, & in proselytos justitiæ adlectus. Chaldæus: *Omnis filius Israël qui fuerit apostata*, qui religioni suæ renunciaverit, *non comedat ex eo*. Jonathan: *Omnis natus ex populis, aut natus ex Israël, qui fuerit apostata, non comedet ex eo.*

℣. 44. Servus emptitius circumcidetur, dummodo ultrò assentiatur (n). Arbitratur Cajetanus cogi potuisse ad circumcisionem mancipia, non veluti ad characterem Judaicæ religionis, sed veluti ad signum aliquod politicum, quo in servos heri Judæi agnoscerentur.

℣. 45. Advena et mercenarius, תושב ושכיר. Advenæ scilicet accolæ regionis. Proselyti domicilii, & quicumque ibi oonnisi per transitum ac commercii gratiâ versantur. Cùm vox hæc *advena* recurrat sæpè in Libris utriusque Testamenti, optimum factu censemus, hìc rem tractare, ac distinguere varia alienigenarum genera, de quibus in Scripturâ sermo est: quamquam enim Moyses familiariter eo nomine utatur, concedatque certo cuidam advenarum generi tùm rerum sacrarum usum, tum omnia fermè jura Israëlitarum origine; aliam tamen alienigenarum classem innuit, quos a participatione festorum & sacrificiorum (o) excludit, nullo tamen allato inter utrosque sive nominis sive alterius cujusque rei discrimine. Nonnisi contextus sermonis, & rerum, de quibus agit, natura valet illos inter se discernere. E. g. hìc ℣. 19 edicit Moyses, omnes quicumque azyma non adhibuerint in Paschate, segregandos a cœtu Israëlitarum, sive illi Hebræi sint origine, sive alienigenæ; vicissim autem ℣. 43, 44, cavet, ne alienigena Paschalem victimam deguste. Duo ergo advenarum genera distinguere necesse est, quorum alii Paschatis communionem habeant, alii non item.

Agnoscunt Judæi duo genera proselytorum vel alienigenarum (p): illos proselytos justitiæ, hos domicilii appellant. Vox Græca Προσήλυτος *proselytos*, est advena, vel alienigena.

Proselyti justitiæ illi habebantur, qui cùm ad Judaica sacra & religionem transirent, legis Mosaicæ jugo sese submittebant. Docent Rabbini, illos, antequam admitterentur ad circumcisionem, interrogari de causâ conversionis suæ, ut certò nosceretur nihil in eam rem contulisse sive metum sive malam cupiditatem, sive ambitionem, vel simile aliud quodcumque. Edocebantur subinde præcipuos legis articulos, atque professionis suscipiendæ officia. Vix e vulnere circumcisionis convaluerat proselytus, in ingenti aquæ vase semel mersus, totus abluebatur, baptismi quodam genere initiatus. Præsentes aderant huic cæremoniæ tres Judices; & cùm judiciaria res esset, nefas erat hoc fieri die feriatâ. Nunquam iterabatur hic baptismus, sive in ipso proselyto, si fortè religionem ejurasset, sive in ejus filius, post professionem patris, in Judaismo natis, nisi tamen filii e matre paganâ nati fuissent; cùm enim matris conditionem ii sequerentur, veluti Pagani baptismo abluebantur. Quicumque rationis usum expeditum non haberent, nimirum puellæ infra duodecimum ætatis annum, & pueri infra diem supra decimum tertium annum ætatis, ut inter proselytos conscriberentur, opus habebant assensu parentum, vel judicum.

Pueri initiabantur circumcisione, puellæ baptismo, qui taotumdem in illis valebat, quod in maribus circumcisio. Ita proselyti de novo nascebantur, nec illos, quos ante hunc ortum habebant parentes, parentum loco ducebant post circumcisionem. Mancipia statim manumittebantur. Filii proselytorum ante renatos parentes suos orti, ab avitæ hæreditatis jure excidebant: decedentibusque proselytis sine liberis, post novam illam professionem natis, succedebat in eorum fortunas primus occupans, non fiscus. Vulgò tandem ferebatur, proselytos novâ tunc e Cœlo animâ, novâque, ut ajunt, substantiali formâ donari. Huc spectasse credunt nonnulli Christum, cùm Nicodemo miranti quòd novam in spiritu generationem audiret, objecit: *Tu es magister in Israël, & hæc ignoras* (q)? Hi sunt proselyti justitiæ ex Rabbinorum doctrinâ. Vide inferiùs ℣. 48.

Non aliam exigit Moyses ℣. 48 cæremoniam, ut ad participationem Paschatis quis admittatur, nisi tantùm circumcisionem, & Legum cæremonialium complendarum promptam voluntatem. Nec aliud quæsitum esse ab Idumæis, coactis ab Hircano Judaismum profiteri, ex Josepho intelligimus (r). Præscribuot Rabbini Baptismum, Circumcisionem, & Sacrificium. Hujus Legis exceptiones quasdam, uti & quinam hominum in cœtum Domini admitterentur, ad caput XXIII Deuteronomii animadvertemus.

Proselyti domicilii solemni coram tribus testibus jurejurando sese adigebant ad observantiam septem præceptorum, quæ Adamo & Noëmo Deus præscripserat (s); idest, ad jus omne naturale hominibus generatim latum; qua tantùm conditione illis inter Judæos, & in Judæâ commoratio permittebatur. Homines illos Scriptura appellat alienigenas; nec unquam meminit jurisjurandi illius de servandis præceptis Nnachidarum: nec equidem opus fuisset homines eo sacramento obligare, cùm mortales omnes eorum præ-

ce

(l) ליל שמרים הוא ליהוה. *Septuag.* Νὺξ προφυλακή ἐστι τῷ Κυρίῳ. (m) *Fag. Katab. Bonfr.* (n) *Vide Genes.* XVII, 13. *& sup.* ℣. 19. (o) תושב ושכיר Et ℣. 19. גר ובאורח (p) *Vide apud Seld. de jure nat. & gent. l. 2, c. 2, & 3. & l. 1 de Synedriis c. 3.* (q) *Joan.* III, 10. (r) *Joseph. Antiq. l.* XIII, *c.* 17. (s) *Vide ad Genes.* IX, 9.

Digitized by Google

℣. 46. In unâ domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis.

℣. 47. Omnis cœtus filiorum Israël faciet illud.

℣. 48. Quòd si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur priùs omne masculinum ejus, & tunc ritè celebrabit; eritque sicut indigena terræ: si quis autem circumcisus non fuerit, non vescetur ex eo.

℣. 49. Eadem lex erit indigenæ, & colono, qui peregrinatur apud vos.

℣. 50. Feceruntque omnes filii Israël, sicut præceperat Dominus Moysi, & Aaron.

℣. 51. Et eâdem die eduxit Dominus filios Israël de terrâ Ægypti per turmas suas.

COMMENTARIUS.

ceptorum vinculo teneri sub damnationis pœnâ procul dubio constet. Videntur tamen Hebræi satis angustis limitibus definisse jus illud naturale. Cessarunt Proselyti domicilii, inquiunt Rabbini, ex quo cessavit pariter & Jubilæum, ac Tribus Ruben, Gad, & Manasse captivæ per Teglatphalassarem deductæ sunt (t).

℣. 46. In una domo. Onkelos: *In societate unâ*. Hoc nomine appellantur convivæ decem vel viginti, qui ad unam veluti symbolam, degustando agno simul coibant. Plures interdum eorum cœtuum in eâdem domo celebrabantur.

Nec efferetis de carnibus ejus foras. In aliis sacrificiis pacificis admissi ad participationem victimarum amici, ad quos dapes illas transmittere fas erat (u).

Nec os illius confringetis. Verba hæc apud Septuaginta superius leguntur ℣. 10. Bis etiam occurrunt in Syriaco; sed hìc tantùm semel præfert Textus Hebræus cum cæteris Versionibus. S. Augustinus & S. Cyprianus bis pariter legerunt cum Septuaginta. Voluisse Deus eo præcepto videtur moram omnem in quærendo medullam ossis prohibere Israëlitis: seu potiùs Propheticum erat oraculum futurorum in Passione Domini eventuum; observat enim Evangelista non permisisse Deum, ut ex ossibus ejus quodpiam confringeretur (x).

℣. 48. Quod si quis Peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam! Verba illa, *in vestram transire coloniam*, perinde valent, ac profiteri Religionem Judaicam, dato nomine inter Proselytos Justitiæ. Porrò ut aliquis in eum numerum admitteretur, authoribus Rabbinis (y), non obsignandus erat tantùm Circumcisione, sed & eodem Sacramento initiandi ab illo erant quicumque sub ejus potestate degerent, filii, & servi, infra annum ætatis XIII, in domo ejus nati, qui heri sui religionem sequi cogebantur. Ancillas tandem suas initiandas Baptismo tradere opus erat. Si quid ex bis omitteretur, e Paschatis participatione hominem excludebat. Quod attinet ad servos XIII annorum ætate majores, sicut emptitios, invitos ad Circumcisionem cogere nefas erat; sed vendere illos iterum dominus cogebatur, si huic Legi submittere collum recusassent. Non malè Hebræus redderetur; *Cùm quis advena vixerit tecum, & fecerit Pascha Domino, circumcidetur ipse & omne masculinum ejus*. Septuaginta: *Si quis advenerit ad vos proselytus ad faciendum Pascha Domino, circumcides omne ejus masculinum: & tunc accedet ad faciendum id* (Pascha) *& erit tamquam & indigena terra*. Chaldæus & Arabs congruunt cum Vulgatâ; cui etiam accedunt Interpretum plerique. Nec aliter commodè reddi posse Hebræum docent ea, quæ sequuntur: *Circumcidetur omne masculinum; & tunc accedet ad faciendum Pascha*. Nemo equidem admissus ad professionem Religionis, & Judaicæ gentis prærogativas, nisi se priùs circumcisione comparaverit. Tacitus libro V Historiarum de transeuntibus ad Judæorum sacra: *Circumcidere genitalia instituere Judæi, ut diversitate noscantur. Transgressi in morem eorum idem usurpant; nec quidquam priùs imbuuntur, quàm contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere*. Refert Maimonides, (z) Hebræos, quamdiu in Ægypto fuere, neglexisse Circumcisionem, ut se quàm simillimos Ægyptiis redderent; Deum verò injuncto mandato comedendi Pascha eam simul adjecisse conditionem, ut nemo ad sacrificii illius participationem admitteretur, nisi priùs ipse se totamque familiam, liberos, servos circumcisione initiaverit; quæ Rabbini sententia definire videtur præceptum ad unicam illius Festi occasionem: sed non satis expositio illa congruere videtur cum Textu, qui ad literam solos advenas ad Judæorum sacra transituros afficit.

CA-

(t) *Vide* 4 *Reg.* XV, 29. (u) *Vide* 2 *Esdr.* VIII, 10, 12. (x) *Vide Joan.* XIX, 36. (y) *Vide Selden. de jure nat. & gent. l.* 2, *c.* 3. (z) *More Neboch, part.* 3, *c.* 46.

CAPUT XIII.

Lex pro consecratione primogenitorum, & observatione Paschatis. Iter Israëlitarum per desertum adjacens extremæ oræ maris rubri. Lypsana Patriarchæ Josephi transferuntur. Castra ad Ethan: columna ignis per noctem, & nubis per diem.

℣. 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
℣. 2. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vul-
vam in filiis Israël, tam de hominibus, quàm de jumentis: mea
sunt enim omnia.

COMMENTARIUS.

℣. 1. LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN. Præcepit hæc Deus in statione Socoth, eâdem die, qua pedem ex Ægypto retulerunt (a).

℣. 2. OMNE PRIMOGENITUM, QUOD APERIT VULVAM. Vertendum contendit Bochartus (b): *Omne primogenitum initium omnis vulvæ.* Contendit ille, Hebræum פטר, *Patar*, nunquam usurpari pro *aperire*; addens insuper, nunquam accipi in eodem sensu posse hìc, cùm versu 59 legatur: *Peter Chamor, primogenitum asini*; neque enim commodè ibi redderetur: *Aperitio asini*. Mavult ille derivari ex Arabico *Phatar*, quod est *incipere*, ut *Pheter* sit initium filiorum, primus natu; hoc tamen loci sensum eumdem servant.

Hujus legis præcepto jubebantur Hebræi e singulis uxoribus primum natu marem offerre Domino. Si fœmina prior nasceretur, neque de illâ, neque de succedentibus post illam filiis quidquam imperabatur. E duobus geminis prior editus natu major habebatur, Domino offerendus. Sanctum erat apud Hebræos, ut qui prior e geminis ederetur in lucem, illi pariter jura primoris natu vindicarentur. Cæterùm diu multumque disputatum est, num postremo loco editus geminus primo loco habendus esset, tanquam primò conceptus; nec rarò, cùm ea res agitata est, in singularibus eventibus victrix causa cessit illi, qui secundo loco editus est geminus. Videsis apud Seldenum (c) & Buxtorfium (d) meditationes plurimas Doctorum Judæorum in Legis hujus expositionem.

An Jesus Christus Legi jubenti oblationem Domino primorum natu, subditus esset, disquiritur. Subjecisse se reipsâ constat ex Evangelio (e); offerri enim ipse voluit per Sanctissimam Virginem & S. Josephum in Templo, ut præcepto Legis satisfaceret. Si Legis rigor valeat, Jesum solummodò subditum fuisse, cæteris exclusis, censent nonnulli; ipse enim meritò sibi nomen vindicabat, *Sancti Domini, Sanctum Domino vocabitur*; qui supra naturæ leges vulvam matris nascendo aperuit, intacto virginitatis claustro; cùm alii consuetâ naturæ ratione editi, in ipsâ sui conceptione, diu antequam nascantur, vulvam matrum recludant. Lex igitur Moysis oraculum erat futuri, supernaturali ignotâque ratione, Servatoris ortûs; oraculum consecrationis illius perfectissimæ, ac supereminentis sanctitatis, a qua vel minima quidem labes abfuit; cùm interim omnes homines *naturâ nascantur filii iræ*. Origenes (f) in hanc sententiam his verbis disertissimè concessit: *Omne masculinum, quod aperit vulvam, sacratum quidpiam sonat. Quemcumque enim de utero effusum marem dixeris, non sic aperit vulvam matris suæ, ut Dominus Jesus, quia omnium mulierum non partus infantis, sed viri coitus vulvam reserat.* Eadem brevioribus verbis Tertullianus (g): *Quis verè sanctus, quàm Dei filius? Quis propriè vulvam adaperuit, quàm qui clausam patefecit?* In eamdem sententiam legas S. Ambrosium (i), S. Hieronymum (k), & Patres alios.

Ipse pariter S. Hieronymus occupasse videtur, quæ reponi possent adversùs hanc Patrum opinionem, quasi scilicet hi reputarent, Christum nasci non potuisse nisi fracto Virginitatis Mariæ sigillo. Ita ille ad hæc: *Solus Christus clausas portas vulvæ virginalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter permanserunt. Hæc est porta orientalis clausa, per quam solus Pontifex ingreditur & egreditur, & nihilominus clausa est.* Recentiorum Interpretum plerique huic sententiæ adstipulantur.

Alii tandem (l) de naturali hominum & animalium ortu sermonem esse hìc opinati, censent, illud, *Omne quod aperit vulvam*, exprimere tantùm natu primorem filium, nascendi ratione minimè spectatâ. Hæc facilè expositio, ad literam fortè præ illâ accedens, sub generalibus Legis verbis comprehensum docet Jesum Christum eodem cum cæteris primoribus natu censu, nec destituit pariter sententiam Patrum, petitam ex certo dogmate perpetuò servatæ integritatis virginalis B. Mariæ. Necessarium quin etiam quodammodò fuerat, ut Servator hanc Legis sanctionem suâ obedientiâ sanctificaret; neque enim Deo grata esse poterat, nisi ex obedientiâ & sacrificio

(a) *Hieron. mansione secundâ.* (b) *Boch. de animal. sacr. t. 1, l. 2, c. 30.* (c) *Selden. de success. in bona, l. 1, c. 7, & 51.* (d) *Buxtorf. Synag. Jud. c. 2.* (e) *Luc. 2, 22: Tulerunt illum (Jesum) in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini; quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.* (f) *Origen. homil. XIV in Luc.* [g] *Tertull. de Carne Christi.* (i) *Ambr. in Luc. l. 2, c. 6.* (k) *Hieron. l. 2 contra Pelag. & alios plures.* (l) *Vide Corn. a Lap. Jansen. Marium, &c.*

℣. 3. Et ait Moyses ad populum: Mementote diei hujus, in qua egressi estis de Ægypto, & de domo servitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto: ut non comedatis fermentatum panem.

℣. 4. Hodie egredimini mense novarum frugum.

℣. 5. Cùmque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Hevæi, & Jebusæi, quam juravit patribus tuis, ut daret tibi, terram fluentem lacte & melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto.

℣. 6. Septem diebus vescèris azymis: & in die septimo erit solemnitas Domini.

℣. 7. Azyma comedetis septem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec in cunctis finibus tuis.

℣. 8. Narrabisque filio tuo in die illo, dicens: Hoc est, quod fecit mihi Dominus, quando egressus sum de Ægypto.

℣. 9. Et erit quasi signum in manu tuâ, & quasi monumentum ante oculos tuos: & ut lex Domini semper sit in ore tuo, in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto.

COMMENTARIUS.

cio post modum futuro Jesu Christi. Agemus alibi, an Legis præcepto de fœminis post puerperium Templo sistendis Maria Deipara obligaretur cum cæteris.

℣. 4. MENSE NOVARUM FRUGUM. Hebræus: בחדש האביב *Mense Abib*; cujus postremæ vocis syntaxis in Hebræo indicat usurpari illam sensu appellativo. Nec equidem obtinuerat apud Hebræos Ægyptiosque, ut peculiaria mensibus nomina inderentur. Sub Thauto primum Ægyptii de nominibus duodecim Deorum menses totidem appellarunt (m): nec apud Israëlitas nomina menses habuere, nisi post restitutam a captivitate Babylonicâ libertatem. Hebræum *Abib* vertunt plerique *spicam viridem*; quo nomine mensem illum visum est appellari, quòd hordeacea messis fermè jam pubesceret, ac frumenti spicæ prodirent. Septuaginta vertunt: Ἐν μηνὶ τῶν νέων, *mense novorum*, Syriacus & MSS. Arabica apud Bochartum: *Mense florum*. Pagninus reddit *Abib Julium*, ideò facilè, quòd post captivitatem Israëlitæ mensi Julio partim & Augusto respondenti nomen tribuerint *Ab*; sed postrema hæc appellatio e Chaldæorum more petitur, apud quos *Nisan* est mensis a Moyse dictus *Abib*.

℣. 5. IN TERRAM HEVÆI ET JEBUSÆI. In Samaritano *Pheresai* & *Gergesai* præponuntur *Hevais*; qui pariter duo post *Jebusæos* leguntur in Septuaginta. Syriacus *Gergesæos* silet, *Pheresæos* nominat. Non satis accurate omnium gentium Chanaanitidis semper recenseri in Scripturâ, alibi observatum est.

℣. 6. SEPTEM DIEBUS. Samaritanus & Septuaginta hìc habent tantum sex dies; sed in proximè succedenti versu reddunt septem cum Hebræo, Vulgatâ cæterisque Versionibus.

℣. 8. HOC EST QUOD FECIT MIHI DOMINUS. Hebræus ad literam: בעבור זה *Propter hoc*, vel *Propterea quòd fecit Dominus*; veluti si diceret: Idcircò Deus ex Ægypti laqueis me expedit, ut ad celebrationem hujus Festi me obstringerem; sive juxta Vatablum: Hanc Festi solemnitatem servamus, ob receptam a Deo libertatem.

℣. 9. ERIT QUASI SIGNUM IN MANU TUA, ET QUASI MONUMENTUM ANTE OCULOS TUOS, ET UT LEX DOMINI SEMPER SIT IN ORE TUO. Hyperbolica sunt hæc, designantia quantâ curâ Israëlitis servanda esset accepti prodigio beneficii memoria. Similes loquendi phrases familiarissimæ sunt in Scripturâ (n). Significant autem: Hujus rei ita præsentem semper memoriam retineatis volo, ut sub oculis & in manu semper geritis sigillum & annulum, & ornamenta super frontem & ante oculos pendentia. De inauribus frontis satis actum est in Genesim XXIV, 22: commune autem fuisse viris æquè, & fœminis ornamentum, ex hoc Textu intelligimus.

Phrases illæ: *Erit quasi signum*, seu potiùs *annulus in manu*, exprimunt rem inter res caras carissimam, qua ægrè caremus. Jeremias XXII, 24: *Si fuerit Jechonias annulus in manu dexterâ meâ, inde evellam eum*. Deus de Zorobabele (o): *Ponam te quasi signaculum, quia te elegi*. Commodè hic Textus in hunc sensum redderetur: Cæremoniam istam tam caram teneatis volo, quàm annulum, quem geritis in manu, quo junctum sigillum habetis. Frequentissimè (p) occurrunt in Textu verba alligare, adnectere, suspendere sigillum manui vel digitis. Alibi ponit (q): *Signaculum in manu*; qua phrasi fortasse innuitur, signacula non in annulis inserta fuisse, sed manui vel alligata vel suspensa.

Præceptum hoc ad literam usurpantes Judæi, in membranulis quibusdam e puro animali, scribunt

(m) *Vide Dissert. nostr. in Chronologiam, ante Genesim.* (n) *Vide* ℣. *6 hic. Deut.* VI, 8; *&* XI, 18.
(o) *Agg.* II, 24. (p) *Deut.* XI, 18; *& Prov.* VII, 3. (q) *Agg.* II, 24. *Ezech.* XLIX, 14.

℣. 10. Custodies hujuscemodi cultum statuto tempore, a diebus in dies.

℣. 11. Cùmque introduxerit te Dominus in terram Chananæi, sicut juravit tibi, & patribus tuis, & dederit tibi eam:

℣. 12. Separabis omne, quod aperit vulvam, Domino, & quod primitivum est in pecoribus tuis: quidquid habueris masculini sexûs, consecrabis Domino.

COMMENTARIUS.

bunt sententias Legis, decerptas ex libro Exodi a ℣. 2 Capitis XIII, usque ad 10; & a ℣. 12 usque ad 16; & Deuteronomio a ℣. 6 Capitis IV, usque ad 9; & a ℣. 13 Capitis XIII usque ad 21. Alligant membranulas istas manum arteriis, & fronti & utrisque auribus, eâ tamen cantione, ut nodus, qui Scripturam continet, medio frontis respoodeat, quò scilicet semper ob oculos versans nunquam exeidat e memoriâ. Membranulas illas appellant Hebræi *Tephilim* (r), Græci *phylacteria*; quo nomine apud Paganos exprimuntur amnleta, quibus morbos vel præsentes pellebant, vel removebant futuros. Exprobrat Jesus Christus Pharisæis ambitionem deferendi latiora phylacteria, qnibus se inter exteros distinguereot (s). Affirmat S. Hieronymus (t), ætatis suæ Judæos Persidis, Babyloniæ & Indiarum, qui inter suos religiosissimi erant, iisdem uti; necdum desiit hic mos apud Judæos. Absunt autem hæc omnia quàm longissimè a spiritu & mente Legislatoris; & si verba illa ad iiteram usurpare satagunt, cur non etiam & Thephilim deferunt in ore & in corde? cùm Deuteronomium VI, 6, jubeat sanctiones illas poni in corde, in mente, & in ore, ut nunquam excidant e memoriâ, nunquam amor illarum & meditatio tepescat. Raró scribebant Veteres; memoriæ mandabant frequentiùs: ex quo fit, ut sæpissimè moneat Scriptura sive memoriam sive meditationem Legis Dominicæ.

In Mahometanorum Scholis nullus Librorum usus: quæ doceat Ludimagister pueros, scribit in pugillaribus; illi ex eo scripto recitant, & manè alterius diei nova iterum lectio pugillaribus mandatur. Ita discunt Aleoranum, grammaticam, & Libros rituales, ut faciliùs sit io eorum ædibus hominem nancisci, qui memoriâ suggerente Alcoranum recitet, quàm qui codicem servet. Non inviti reputaremus, Hebræos ita planè memoriæ mandasse Legem Dei; nec aliud insinuare Scripturam, cùm etiam atque etiam monet, ut Lex Dei scribatur in corde.

℣. 10. A DIEBUS IN DIES, idest, singulis recurrentibus annis certâ die. Hebræum ימים *jamim* de anno frequenter usurpatur. Vide Leviticum XXV, 29; & I Regum I, 3; Amos IV, 4.

℣. 12. QUOD PRIMITIVUM EST IN PECORIBUS. Non hominum tantùm, sed & animalium primogenita in Domini partem cedebant, ut illi vel primogenita ipsa offerenda essent, vel justum pro illis pretium. *Quod primitivum est in pecoribus tuis*. Hebræum בהמה *Behemah* sonat potiùs majora animalia, utì jumenta, quàm minuta quæcumque *pecorum* nomine expressa; sed vocum delectus minor est aliquando in Scripturâ, latiorique hìc significatione facilè usurpatur vox *Behemah*.

Tostatus, a Lapide, Menochius, aliique nonnulli censent, postulari a Moyse primitiva masculioi generis caprarum, ovium, & vaccarum, non verò camelorum, equorum, cæterorumque, quæ Latini appellant jumenta. Defendunt autem, huie geoerali regulæ exceptionem quamdam posuisse Deum, cùm asini primitiva exposcit. Fidem opinioni adstruunt ex versu 13 hujus Capitis, ubi legimus *immolari Domino omne quod aperit vulvam*. Porrò jumentorum ne unum quidem Domino immolabatur; nihil ergo de animalium hujusmodi primitivis imperatur. Addunt, præceptum illud Numerorum XVIII, 15: *Omne animal quod immundum est, redimi facias*, exponendum esse de immunditiâ illâ e vitio aliquo accidentali ductâ; utì si cæca nascantur, gibba, imbecillia &c.

Docent contra alii (u), oblata Deo primitiva animalium omnium domesticorum; asinorum verò nomine comprehendi a Moyse jumentorum genus omne, camelos, mulos, equos: quòd autem asini præ omnibus essent frequentissimi, & fermè iis solis uterentur Israëlitæ, ideircò eorum nomen potissimùm expressum est. Ejus, quem Patroni contrariæ sententiæ pro se allegant, Textûs e Numeris authoritatem in illos regerunt: *Omne animal immundum redimi facias*. Eum enim de animalibus naturâ suâ immundis omnino accipiendum esse, demonstrat Textus huie oppositus, versu 17 ejusdem eapitis, in quo agitur de aoimalibus immundis accidentali tantùm vitio impuris, & sacrificio ineptis. Adde hisce authorem Philonem, qui scribit (x) pretio generatim redimi consuevisse primitiva animalium domesticorum, asinorum, equorum, eamelorum, &c. Sunt qui excipiaot (y) canes, feles, animalia cætera ovipara, non vivipara; quibus fortasse suffragatur lex Deuteronomii XXIII, 18: *Non offeres pretium canis in domo Domini*.

Defendunt alii (z), neci tradita fuisse primitiva canum & felium, quæ ne offerrentur, in causâ fuit quòd commercio cæterisque humanis usibus nequaquam servirent.

Hunc versum ita reddunt Rabbinorum nonnulli: Primitiva omnium animalium, etiam aote tempus nata, consecrabuntur Domino. Sed quis usus catuli acerbo fœtu nati? Animalia illa censebantur impura, & indigna quæ Domino offerrentur.

(r) *Vide Buxtorf. Synag. Jud. c. 4.* (s) *Matt.* XXIII, 5: *Dilatant phylacteria sua, & magnificant fimbrias.* (t) *Hieron. in Matt. l. 4.* (u) *Bonfr. Rivet. Jun. Piscat. Malv. Menoch.* (x) *Lib. de Sacerdotum honoribus.* (y) *Vide ad Deut.* XXIII. 17. *& Rivet. hic.* (z) *Vatab. Grot. Boch. ad Deut.* XXIII.

℣. 13. Primogenitum asini mutabis ove: quòd si non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filiis tuis pretio redimes.

℣. 14. Cùmque interrogaverit te filius tuus cras, dicens: Quid est hoc? respondebis ei: In manu forti eduxit nos Dominus de terrâ Ægypti, de domo servitutis.

℣. 15. Nam cùm induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum in terrâ Ægypti, a primogenito hominis usque ad primogenitum jumentorum: idcircò immolo Domino omne quod aperit vulvam masculini sexûs, & omnia primogenita filiorum meorum redimo.

℣. 16. Erit igitur quasi signum in manu tuâ, & quasi appensum quid, ob recordationem, inter oculos tuos: eò quòd in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto.

COMMENTARIUS.

℣. 13. PRIMOGENITUM ASINI MUTABIS OVE. QUOD SI NON REDEMERIS, INTERFICIES. Nihil habent Septuaginta de nece asini, quod pretio redimi negligeretur; sed tantùm habent: Ἐὰν δὲ μὴ ἀλλάξῃς, λυτρώσῃ αὐτό. *Sin autem non mutaveris* [ove], *redimes illud*. In hanc sententiam exponit Textum S. Ambrosius (*a*). Sed Hebræus cum Chaldæo & Vulgatâ constituit, interficiendum asini pullum, nisi redimatur. Ex Libro Numerorum (*b*) intelligimus, vulgare pretium pro redimendis animalibus impuris, quinque siclis esse definitum. Defendunt tamen quamplures (*c*), Textum hunc spectare ad primitiva tantùm hominum; quod apertissimè demonstrat collatio hujus cum altero Textu ejusdem Libri III, 47.

INTERFICIES. Hebræus *decervicabis*; vel, recides colli nervos (*d*). Chaldæus: *Mutabis ove* vel caprâ; originalis enim vox שה sonat minutum gregem, vel ovem, vel agnum, vel capram, vel hœdum. Locus hîc est quæstioni, cur Deus offerri sibi recuset pullos asini, & non redemptos neci tradi velit. Pronius est reputare, hos ideò rejici, quòd impurum animal essent: *Omne animal immundum redimi facias*. Cùm autem Deus primitiva omnia sibi vindicaverit, imperat, ut nullius usui serviant, nisi oblato pro illis pretio; vetat res sibi consecratas in usus prophanos converti.

Qui (*e*) præcepti hujus causam repetunt e Religione Priapi (*f*), cui animal illud consecratum erat, sive ex animalis hujus stupiditate; nihil habent, quod satis convincat, seu fidem opinioni suæ vel minimam vindicet ex Scripturâ. Horrori fuisse asinos in Ægypto, affirmat Plutarchus (*g*): asinos rufos præcipites agebant Cophtæ: Lycopolitani & Busiridis incolæ vel buccinis uti recusabant, quòd asinorum rudentium vocem quodammodò imitari viderentur. Censebant autem, asinum setas habere Typhonis, numinis maximè perniciosi: tandem animal illud impurum habebant maximè, & abominabantur. Apud Veteres nonnullos exprobrabatur Judæis impensus capiti asinino cultus (*h*); asseritque Tacitus (*i*) id ab illis fieri, quòd iter habentibus in Deserto venas aquæ siti deficientibus asinus monstraverit.

℣. 16. QUASI APPENSUM QUID. Hebræum טוטפת *Totaphot* reddunt Septuaginta, Symmachus, & Theodotion, Ἀσάλευτον, *Immobile quid*; itemque Aquila (*k*). Chaldæus pro *Totaphot* habet תפילין *Tephilin*, amuleta: alibi tamen (*l*) *Totaphan* vel *Totaphot* ponit pro tiarâ vel coronâ, interdum armillâ (*m*). *Taaph* Arabicè est circumdare, obvolvere. Syriacus: *Memoria inter oculos tuos*. Arabs: *Expansum inter oculos tuos*. Pagninus: *Frontalia, & vitta ante oculos*. Sermo hîc esse videtur de ornamento quodam e fronte ad oculorum septum medium descendente, instar illorum, de quibus in Genesi XXIV, 22. Sed ornamenta hujusmodi describit nemo; ignotaque est genuina radix vocis *Totaphot*. Sunt qui derivent ex Caldæo טופת, *Toph*, vel Arabico טאף *Taph*, quod est respicere; unde nonnullis (*n*) *Totaphot* est speculum. Censent alii, vocem esse Ægyptiam, significantem perspicilla (*o*); ex Ægyptiacâ voce derivat etiam Scaliger, sed reddit amuleta. Samuel Petit in variis Lectionibus explicat טוטפות *Totaphot*, pudenda e luto efformata in fronte gestanda. Quare apud Septuaginta legit Ἀζάλευτα, rescindenda, pro ἀσάλευτα. Incerta omnia.

℣. 17.

(a) *Ambr. l. 2 de Caïn, c. 2.* (b) *Num.* XVIII, 16: *Omne animal quod immundum est, redimi facias; cujus redemptio erit post unum mensem, siclis argenti quinque.* (c) *Cornel. a Lap. Bonfr. Menoch.* (d) ערפתו *Sym.* Ἀποκλεύσεις. *Interficies. Samar.* Παραδώσεις. *Septuag.* Λυτρώσῃ. *Theodot.* Νωτοκοπήσεις. *Decollabis. Aquila.* Τενοντώσεις. (e) *Cornel. a Lap.* (f) *Ovid. Fast.* I: *Hellespontiaco bostia grata Deo.* (g) *De Iside & Osiride.* (h) *Vide Josephum contra Appion.* (i) *Tacit. Hist. l. 5.* (k) Εἰς ἀτίνακτα. *Vide nov. Edit. Hexaplorum.* (l) *Esther*, VIII, 15. *& Ezech.* XIV, 17, *&* 23. (m) 2 *Reg.* I, 10. (n) *Rabbini quidam apud Munster.* (o) *Oleast. Munster. Mayer. Phil. sacr. p.* 220.

℣. 17. Igitur cùm emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est: reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset adversùm se bella consurgere; & reverteretur in Ægyptum.

℣. 18. Sed circumduxit per viam deserti, quæ est juxta mare rubrum: & armati ascenderunt filii Israël de terrâ Ægypti.

COMMENTARIUS.

℣. 17. Ne forte poeniteret eum. Conserendæ fuissent Israëlitis manus uno simul tempore cum Philistæis, Chananæis, & Ægyptiis, & fortè etiam cum Idumæis, & Amalecitis, si breviori viâ e Pelusio per Ascalonem perrumpere tentassent in Chanaanitidem. E Textu quodam 1 Paralipomenon VII, 21, intelligimus, ante relatum ex Ægypto pedem, Philistæos inimicitias exercuisse adversùs Tribum Ephraïm. Chananæi utique parati erant arma sumere in Israëlitas, si quidem in regionem suam diù ante sibi promissionibus Divinis debitam, irrumpere tentassent.

℣. 18. Circumduxit per viam deserti; idest per deserta arva, quæ proximè sequuntur cultos Ægypti agros, versùs Arabiam Petræam, Idumæam, & regionem Amalecitarum.

Armati ascenderunt. Oleaster, Calvinus, Fullerus ambigunt, num re ipsâ instruerentur armis; unde enim, inquiunt, tanta armorum copia sexcentis millibus militum, in regione præsertim ipsis infestissimâ, in qua veluti mancipia serviebant? Josephus [p], & Philo tradunt, Pharaonem fugientibus illis institisse, veluti fatigatis, & inermibus. Addunt, Hebræam vocem, quæ hìc redditur *armati*, exprimere tantùm illos non tumultuariò, & temerè itineri se dedisse, sed instructos veluti bene disposito exercitu, in quo suum singuli ordinem tenent, vel saltem perrexisse, itinerantium more, *accinctos & expeditos*.

Sed hanc sententiam rejiciunt Veterum, & Recentiorum Interpretum plerique (q). Vox חמשים, *chamuschim*, quam Vulgata reddit *armati*, sonat *quini*. Septuaginta vertunt: Πέμπτῃ γενεᾷ *quintâ generatione*; quod insinuare potest, Israëlitas quinto peregrinationis suæ sæculo, CDXXX annis post vocationem Abrahami exiisse; seu potiùs id tandem illis evenisse quintâ demum generatione, ex quo venerunt in Ægyptum. Ita verò hæ supputantur (r): Jacob, Levi, Caath, Amram, Moyses; vel omisso Jacobo, suppletur Gerson filius Moysis. Quinque generationes in Tribu Juda ita digerit S. Hieronymus ad Damasum: Phares, Esron, Aram, Aminadab, Naasson: sed hæc expositio nequaquam cohæret cæteris Textibus eamdem vocem ferentibus; & quidem, cùm generatio apud Ægyptios nonnisi XXXIII annos metiatur, si fides Herodoto, libro 2, asserenti tres generationes complere C annos, ex quinque generationibus conficientur anni CLXV, pauciores utique annis CDXXX peregrinationis, vel saltem CCXV moræ in Ægypto.

Recentiorum multi vertunt Hebræum (s): *Accincti ad quintam costam*; baltheum ferentes ad quintam costam, quod commodè interpretaremur quo loco desinunt costæ, & infra quintam; sicut etiam quo loco sequuntur quinque costæ spuriæ; vel tandem infra eas costas. Ferunt, Veteres gessisse ensem loco multò superiori, quàm nostrâ ætate. Statuæ quædam veteres Heroum supersunt Romæ, quorum gladius baltheo arctissimo suspenditur; pendet autem infra brachia, ubi maximè deficiunt costæ, ex utroque latere indiscriminatim, frequentiùs tamen e dextro. Animadvertere tamen juvat, nunquam statuas illas accinctas dici posse ad quintam costam, sed tantùm pendere gladium ad quintam costam. Cæterùm nihil ex hoc lucis affertur expositioni hujus Textûs, cùm ex Scripturâ constet, Hebræos ensem gestasse ad femur. Moyses id luculentissimè in Exodo XXXII, 27: *Ponat vir gladium super femur suum*. *Ps.* XLIV, 4: *Accingere gladio tuo super femur tuum*. Sponsa in Cantico III, 8: *Uniuscujusque ensis super femur suum &c.*

Aquila & Symmachus cum Vulgatâ reddiderunt: *Ascenderunt* καθωπλισμένοι, *armati*. Septuaginta reddiderunt interdum: Εὔζωνοι, *Accincti* velut armati; & alibi Διεσκευασμένοι, *instructi* velut in aciem. S. Hieronymus ad Damasum affirmat, omnium Synagogarum Judaicarum sententiâ exprimi hìc in Scripturâ, Israëlitas in aciem dispositos retulisse pedem ab Ægypto; in quam rem collimant Rabbini & Interpretum plerique (t); sed nemo hucusque, quem sciam, demonstravit, sive Hebræos, sive Ægyptios, cùm militari ordine procederent, quinos incessisse. Quem aliorum defectum supplebimus nos pro viribus, id evincere argumentis nonnullis conati.

Refert Homerus (u), Menelaum e Trojanâ expeditione reducem, cùm se in Ægyptum contulisset, nactum ibi Regem Proteum. Hunc, cui varias dedit Fabula pro arbitrio formas induere, medius inter phocas assidebat, earum censum, lustrumque instituens; illas autem instruebat quinas & quinas, ipseque medius inter eas quietem carpebat, velut in medio gregis sui Pastor. Agnoscas hìc non obscurè veterem instruendi milites Ægyptios disciplinam. Regem Proteum varias induentem formas induxit Fabula, quòd sagacissimus esset Princeps, sive quòd ad capitis tegumentum assumeret modò detractam e capite leonis pellem, vel ex aquilâ cristam, vel saltem alterius cujuspiam feræ imagine galeam ornaret.

(p) *Lib. 2 Antiq. c. 6.* (q) *Chald. Rabb. Hieron. Syr. Munst. Vatab. Grot. Menoch. &c.* (r) *Vide Aug. qu. 50 in Exod.* [s] *Munst. ex Kimchi. Fag. Vat. Lyr. Men. &c.* (t) *Jun. Rivet. Amama. Varea. Pfeiffer.* (u) *Homer. Odyss.* Δ, *v.* 411.

Φώκας μέν τοι πρῶτον ἀριθμήσει, ἠδ' ἔπεισιν.
Αὐτὰρ ἐπὴν πάσας πεμπάσσεται ἠδὲ ἴδηται
Λέξεται ἐν μέσσοισι νομεὺς ὣς πώεσι μήλων.

℣. 19. Tulit quoque Moyses ossa Joseph secum: eò quòd adjurasset filios Israël, dicens: Visitabit vos Deus: efferte ossa mea hinc vobiscum.

℣. 20. Profectique de Socoth, castrametati sunt in Ethan in extremis finibus solitudinis.

℣. 21. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columnâ nubis, & per noctem in columnâ ignis; ut dux esset itineris utroque tempore.

COMMENTARIUS.

Ita explicat Diodorus Siculus, *l. 2, c. 2*, varias Protei Metamorphoses. Milites porrò phocas appellare potuit Homerus, quemadmodum Scriptura semel & iterum Regem Ægypti nomine Draconis vel Crocodili distinxit (x): *Ecce ego ad te, Pharao, Rex Ægypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* Lustrabat ergo milites suos Proteus, instruebat aciem in quinos, ponebat se medium inter illos, veluti Pastorem in medio gregis, & in medio exercitûs Imperatorem. Hisce fabulis licèt obscurata, satis tamen emicat veritas, quam inquirimus; cur enim Homerus monuisset, quinos instruxisse milites suos Regem Ægypti, nisi militaris hæc haberetur in Ægypto disciplina?

Eadem hæc firmantur iis, quæ narrantur in Fabulis de Cadmo. Cùm ille occisi serpentis dentes seminasset, messis inde nata est uberrima militum, qui cùm mutuâ se cæde confecissent, quinque ex omnibus tantummodò superfuere, a quibus universa Bœotia subacta est. Quinque hi milites Cadmi optimè innuunt, quino ordine ejus exercitum fuisse dispositum. Ferunt, Cadmum e Phœniciâ, vel ex ipsâ Ægypto in Græciam venisse. In Levitico pronunciat Deus futurum, ut quinque Israëlitæ centenos adversariorum fundant; centeni verò, hostium decem millia; idest, manum Israëlitarum, cohortem hostium; & cohortem Israëlitarum, exercitum hostium eversuram. Demonstrabitur inferiùs, Israëlitas cohortes suas instruxisse e centenis militibus. Intelligimus ex Homero (y), Græcorum acies instructas fuisse, perinde ac de Ægyptiacis notavimus, in quinque ordines, vel in quinque alas.

Narrans Xenophon militarem instruendi exercitûs disciplinam, servatam apud varias gentes exercitûs Cyri Senioris (z), tradit, Ægyptios milites in plures alas, x millium hominum singulas, dividi; alas verò ipsas distribui in centenos. Hæc militaris illorum disciplina. Eadem dispositio exercitûs Israëlitarum sub Moyse apparet ex Textu Levitici, quem innuimus; & sub Davide ex secundo Regum XVIII, 4: *Egrediebatur populus per turmas suas, centeni & milleni.* Chiliarchas & Centuriones nunquam non audire licet in Scripturâ (a); quandoque etiam occurrunt Pentacontarchæ (b); facilè tamen in Textibus illis pro *Chamischim*, quinquaginta, legendum est *Chamuschim* חמשים, armati, milites per quinos dispositi. Eædem literæ, pronunciatio tantùm alia. His argumentis alii pariter quidam Textus explicantur; in quibus voces illas observes, uti *Josue* I, 14; & IV, 13. *Judic.* VIII, 11; & 2 *Reg.* II, 23.

℣. 19. Tulit Moyses ossa Joseph. Unà cum lypsanis Josephi, translata pariter & ossa cæterorum Patriarcharum ex Ægypto a Moyse creduntur. Legitur in Actis VII, 16, ossa Patriarcharum condita fuisse in Sichem; quorum translatio commodiùs fieri non potuit, quàm in præsenti. Singulorum Tribuum Principes, Patriarchæ sui lypsana, quemadmodum Moyses Josephi, curavere. Ecclesiasticus XLIX, 18 de reliquiis Josephi tradit: *Ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.* De hac prophetandi virtute ossibus Josephi concessâ nihil habet Textus Græcus; nec aliter dictum accipiendum est, quàm de impletâ fide vaticinii ab ipso prolati; futurum scilicet, ut post mortem suam Deus visitaret populum; impletisque itidem ejus votis, quippè qui transferri ossa sua in Chanaan itidem optasset (c). Fabellas super detecto a Moyse sepulchro & cadavere Josephi plures venditant Rabbini (d), explicantes qua ratione divino sanè prodigio factum sit, ut plumbea reliquiarum ipsius Arca Nilo innatans, & in adversam ripam delata, ad castra Israëlitarum appulerit. Sunt qui credant, tumulatum fuisse Josephum, Ægyptiorum dolo, sub ipsis Nili aquis, ut scilicet Hebræi regionem deserere impedirentur: norant enim, nunquam illos pedem inde relaturos, nisi unà secum elato ejus Patriarchæ cadavere.

℣. 20. Castra metati sunt in Ethan. Septuaginta: *In Othon, juxta Desertum.* In Numeris XXXIII, 8, leguntur Israëlitæ triennii itinere processisse per desertum *Buthan*, antequam pervenirent in *Mara*. Quo innui videtur, Ethan postremam Ægypti urbem esse constituendam, Arabiam versùs; desertum verò ad extremam oram maris rubri, nomen suum ex illâ eâdem urbe repetere. Apud Arabes, teste Plinio (e), *Æant* est Sinus ille maris rubri a Græcis dictus Heroopoliticus, cui Urbs Heroum adjacet. Profectò *Æant* ipsissimam esse *Ethan*, vix dubito. Unde Josephus (f) didicerit, Israëlitas iter instituisse per urbem *Leton* tunc desertam, ubi deinde Cambyses Babylonem Ægypti urbem condidit, cum ignorantibus ignorare me profiteor.

℣. 21. Per diem in columna nubis, et per noctem in columna ignis. Hebræi quidam putarunt

(x) *Ezech.* XXIX, 3. (y) *Iliad.* M. Οἱ δὲ διαστάντες, σφέας αὐτοὺς ἀρτύναντες,
Πένταχα κοσμηθέντες, ἅμ' ἡγεμόνεσσιν ἕποντο.

(z) *Xenoph. Cyrop. l. 6.* (a) *Num.* XXXI, 14; & *Deut.* I, 15; & 1 *Reg.* XXII, 7.

(b) שרי חמשים 1 *Reg.* VIII, 12; & 4 *Reg.* 1, 9, 10. [c] *Genes.* L, 23; *Post mortem meam Deus visitabit vos. & ascendere vos faciet de terrâ istâ, &c. Asportate ossa mea vobiscum de loco isto.*

[d] *Vide Vitam Moysis per* Gaulmin. [e] *Plin. l. 6, c. 29.* [f] *Joseph. Antiq. l. 2, c. 5.*

℣. 22. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.

COMMENTARIUS.

tarunt (*g*), duas fuisse columnas, alteram lucis, ad noctis tenebras illustrandas, alteram nubis, ut incedentes obumbraret per diem. Communis tamen sententia unam statuit, utrique usui vicissim servientem; illustrandæ scilicet nocti, & obumbrandis per diem Israëlitis. Prodit id non obscurè Liber Numerorum (*h*). Una eademque nubes densa, solares radios prohibens per diem, igne concepto satis lucis affundebat Israëlitarum copiis, noctu iter non semel habentibus (*i*), tum ob diurnos æstus, tum ut ab hostium per noctis tenebras insultibus caverent. Motu suo pariter signum movendi metiendique castra dabat Israëlitis; quo enim illa loco sistebat, & illi pariter locabant castra; cùm illa elevaretur, movebant & isti (*k*). Columnam appellat Scriptura, quòd in columnæ modum erigeretur, basim habens super Tabernaculum in medio castrorum. Ita pariter in Libro Judicum xx, 40, appellatur *columna fumi*, quæ ex urbe Gabaâ igne succensâ tollebatur. Columna hæc dux itineris fuit Israëlitis a Socoth, juxta S. Hieronymum, ad Fabiolam, vel a Ramesse, juxta Bonfrerium, vel ab Etham, juxta alios, adusque vada Jordanis; narrat enim Scriptura (*l*), tunc populum Arcâ duce perrexisse. Statim ab obitu Aaronis evanuisse censent Hebræi (*m*). Quoniam de hac columnâ, nubis alternatim & ignis, agimus, animadvertere licet quæ scribunt Veteres de Diis suis, qui nunquam nisi nube vel denso aëre obsitis se se mortalibus offerunt. Nubem hanc symbolum fuisse Baptismatis, innuere videtur Apostolus [*o*]. Origeni & S. Ambrosio (*p*) ignis est Jesus Christus, nubes Spiritus Sanctus. Prophani etiam (*q*) tribuunt columnam Baccho, quem sæpe cum Moyse confundi, alibi observavimus [*r*].

CAPUT XIV.

Pharao insequitur Israëlitas. Obmurmurant illi in Moysem: Nubes intermedia distinguit inter aciem Ægyptiorum & Israëlitarum castra. Inter medias aquas maris rubri siccum vadum aperitur Hebræis. Ægyptii aquis occurrentibus merguntur.

℣. 1. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens:
℣. 2. Loquere filiis Israël. Reversi castrametentur e regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum & mare, contra Beelsephon: in conspectu ejus castra ponetis super mare.
℣. 3. Dicturusque est Pharao super filiis Israël: Coarctati sunt in terrâ, conclusit eos desertum.
℣. 4. Et indurabo cor ejus, ac persequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus: scientque Ægyptii, quia ego sum Dominus: Feceruntque ita.

COMMENTARIUS.

℣. 2. REVERSI CASTRAMETENTUR E REGIONE PHIHAHIROTH. Cum Israëlitæ iter suum prosequerentur per regiam viam, deducentem ex inferiori Ægypto ad montem Sinai, Deus reducendos illos e Septemtrione ad meridiem jussit, castraque poni ad mare rubrum in Beelsephon. Horum locorum certum situm designare conati sumus in Dissertatione de transitu maris Erythræi, quam consulas.

℣. 3. COARCTATI SUNT IN TERRA, CONCLUSIT EOS DESERTUM. Hebræa vox נבכים, quæ in Vulgatâ est *coarctati*, significare potest, in ambigun

[g] *Lyran. ex Hebrais.* [h] Cap. ix, 16: *Per diem operiebat illud [tentorium] nubes, & per noctem quasi species ignis. Et* ℣. 21: *Si fuisset nubes a vespere usque manè, & statim diluculò tabernaculum reliquisset, proficiscebantur.* [i] *Philo Vit. Mos. l.* 1. Νεφέλη εὐμεγέθης κίονα σχηματισθεῖσα πρόεισι τῆς πληθύος ἡμέρας μὲν ἡλιοειδὲς ἐκλάμπουσα φέγγος, νύκτωρ δὲ φλογοειδές, ὑπὲρ τοῦ μὴ πλάζεσθαι κατὰ τὴν πορείαν. [k] *Num.* x, 34, 35. (l) *Josue* iii, 11. [m] *In Seder Olam.* [o] 1 *Cor.* x, 1. [p] *Origen. homil.* 27 *in Num. & Ambr. de Sacr. c.* 6. (q) *Vide Clem. Alex. l.* 1 *Stromat. p.* 348. (r) *Vide inferiùs Exod.* xxxiv, 29, *& seq.*

℣. 5. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum, quòd fugisset populus: immutatumque est cor Pharaonis, & servorum ejus super populum; & dixerunt: Quid volumus facere, ut dimitteremus Israël, ne serviret nobis?

℣. 6. Junxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum.

℣. 7. Tulitque sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit: & duces totius exercitùs.

COMMENTARIUS.

guo versari, incertum quid quia capiat consilii. Septuaginta: Πλάνῶνται, *Vagantur in regione.* Vertunt alii: Implexi sunt difficultate, vel angustiis locorum: Rete implicantor veluti bellua: *Conclusit eos desertum*, ita scilicet clausit, ut exitum nullum inveniant. Hebræum מדבר *Middebar*, quod vulgò redditur *Desertum*, vi nominis, ex Æthiopico derivatum, est *Mons* [*a*]; nec aliter hìc pronum est Textum interpretari. Hebræus: *Conclusit super eos Desertum*; septo montium ita continentur, ut nullus pateat exitus. Si quis Desertum accipiat de vastis illis, squallentibusque Arabiæ agris, nunquam sanè diceretur quis ibi montium coronâ claudi, cùm potiùs integrum sit cuique per illos iter agenti, quocumque voluerit, pergere. Constat autem vicissim, ad Occidentem maris rubri montes erigi penè inaccessos, præcipuè tot numero hominibus, quot referebant Israëlitæ. Affirmat Josephus (*b*), Pharaonem loca omnia & fauces dispositis militibus custodisse, ne exitus ullus pateret Israëlitis.

℣. 5. Nuntiatum est quod fugisset populus. An fortè ignorare poterat Pharao, exiisse populum, quem ipse expulerat? Sed egressûs hujus circumstantiæ omnes illi nunciatæ sunt, quibus intellexit ita abiisse populum, ut nullo redeundi consilio teneretur. Cur autem insequi fugitivos decreverit Rex, in causâ fuisse ditissima, quæ secum afferebant spolia, tradit Artapanus.

℣. 7. Tulit sexcentos currus electos. Jam inde a vetustissimâ ætate, in Asiâ maximè, & potissimùm apud Medos, Syros, & Arabes, obtinebant currus. Communem eorum usum apud Trojanos & Græcos in bello Trojano videmus. Frequentes etiam erant in Ægypto, antequam regio ingenti canalium numero veluti per partes secaretur; ex quo factum est, ut equitatûs, & curruum usus inutilis esset apud illos: sed hæc Moyse sunt multò recentiora. De curribus armatis Chananæorum sermo est apud Josue xvii, 6. Xenophontis ætate spectabantur adhuc in Cyrenaicâ, Ægypto proximâ (*c*); singulosque currus, eodem teste, trahebant quatuor equi, ascendebantque duo simul homines. Qui currum ascendebat, ille solus certabat e curru, alter aurigæ locum tenebat, cataphractus, vir experientiâ, & solertiâ valens, in quo miles plurimum haberet fiduciæ. Auriga non certabat quidem, sed tantùm equis ducendis erat intentus.

Currus isti Pharaonis sexcenti reddebant tantùm, juxta supputationem Xenophontis, mcc homines, sexcentos scilicet milites, & totidem aurigas; trahebantur autem a mmcd equis: quod sanè ideam non ingerit validi admodum exercitûs. Sed hisce addamus oportet ex universâ Ægypto currus, & ex omnibus Ducibus copias; quibus sanè magnoperè augebatur exercitus: *Quidquid in Ægypto curruum fuit, & duces totius exercitus.* Copias Pharaonis recenset Josephus ad l m equitum, vel militum e curribus pugnantium, & cc m peditum. Ezechiel Poëta apud Eusebium [*d*] exercitum numerat decies centenûm millium. Tradit Philo (*e*), Regem illum Israëlitas insecutum cum robore omni equitum suorum, fundibulariorum, equitum jaculatorum, velitum, & DC selectis curribus, quos falcatos censent Interpretes, silente Scripturâ. De formâ militarium ejusmodi curruum sermo erit ad Josue xvii, 16.

Tulit duces totius exercitus. Hebræum שלשם *Schalischim*, quod Vulgata reddit *Duces*, est ad literam *Tertios*, uti reddunt Septuaginta (*f*); quare commodè redderetur Hebræus: *Tulit Tertios super omnes*, vel super totum exercitum. Chaldæus: *Fortissimos viros constituit* (Duces) *super omnes copias.* Tertios istos, quos Septuaginta *Tristatas* nominant, significare tres homines simul unum currum bellicum ascendentes, censuit S. Gregorius Nyssenus (*g*); primus regebat currum, secundus aurigam protegebat defendebatque; pugnabat tertius; seu potiùs *Tristatæ* hìc ipsissimi sunt Triarii Romanorum, veterani milites, retro post duos primos ordines dispositi, qui nunquam manus conserebant, nisi præcedentes ordines hostilem impetum sustinere non valuissent. Tristates, ait Hesychius, amplissimus est Princeps, tribus jaculis cum hoste pugnans.

Multò tamen verosimiliùs credimus, Hebræum *Schalischim* nomen esse apud Ægyptios cujusdam muneris & dignitatis, cujus deinde usus mansit apud Hebræos, & Chaldæos. Meminit illius historia Davidis & Salomonis (*h*), & legitur in Ezechiele, xxiii, 15, ubi de Chaldæis agitur; ac pariter in Daniele v, 7; & vi, 12, sub Balthasare Rege Babyloniæ & Dario Medio. Erant, meâ quidem sententiâ, supremi tres totius Regni Magistratus, quibus alii minores suberant, eodem nomine Schalischim, sed non eâdem dignitate. Ex libris Regum intelligimus, *Schalischim*, vel supremos sub Davide Magistratus fuisse *Hadino*, *Eleazarum*, & *Semmam*, sub quibus alii minores Scha-

[a] *Lud. de Dieu.* [b] *Joseph. Antiq. l. 2, c. 6.* (c) *Cyropæd. l. 6.* (d) *Præp. l. 9, c. 29.* (e) *Philo l. 1 de vitâ Mos.* (f) Τρίσταται ἐπὶ πάντων. (g) *Nyssen. in vitâ Mos. l. 1. Orig. & Euthym. apud Drusium hìc, & in cap. xv, 4:* Ὁ μὲν ἡνιόχει, ὁ δὲ ὑπερήσπιζε, ὁ δὲ ἐμάχετο. (h) *2 Reg. xxiii, 8; & 3 Reg. ix, 22.*

Digitized by Google

℣. 8. Induravitque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, & per-
fecutus eſt filios Iſraël: at illi egreſſi erant in manu excelsâ.
℣. 9. Cùmque perſequerentur Ægyptii veſtigia præcedentium,
repererunt eos in caſtris ſuper mare. Omnis equitatus, & cur-
rus Pharaonis, & univerſus exercitus erant in Phihahiroth
contra Beelſephon.
℣. 10. Cùmque appropinquaſſet Pharao, levantes filii Iſraël ocu-
los, viderunt Ægyptios poſt ſe: & timuerunt valde, clama-
veruntque ad Dominum.
℣. 11. Et dixerunt ad Moyſen: Forſitan non erant ſepulchra in
Ægypto, ideò tuliſti nos, ut moreremur in ſolitudine: quid
hoc facere voluiſti, ut educeres nos ex Ægypto?
℣. 12. Nonne iſte eſt ſermo, quem loquebamur ad te in Ægy-
pto, dicentes: Recede a nobis, ut ſerviamus Ægyptiis?
multò enim melius erat ſervire eis, quàm mori in ſolitu-
dine.
℣. 13. Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere: ſtate, & vide-
te magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie: Ægyptios enim,
quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis uſque in ſem-
piternum.
℣. 14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.

COMMENTARIUS.

Schaliſchim; quorum quidem xxxvii numerat Scriptura in ſecundo Regum xxiii: ſed multò plures exhibet primus Paralipomenon xi, 10. Inter tres illos in Imperio Chaldæorum, & ſub Balthaſare electus fuit Daniel, cui idem honor manſit etiam ſub Dario Medo. In Imperiis Chaldæorum & Perſarum, tres hi Magiſtratus Satrapis ſeu Provinciarum Præſidibus imperabant. Pharaonis igitur *Schaliſchim* Duces erant fortaſſe copiarum Ægypti, primique ejus Regni Magiſtratus.

Noſtratum Interpretum plures cum S. Hieronymo (i) nomen *Schaliſchim* explicant de tertiâ a Rege dignitate, ſeu potiùs tres potiſſimas Regni dignitates, nempe Ducem equitatûs, peditum, & tributorum. Hanc vim credunt illi habere nomen *Triſtata* apud Septuaginta: *Principes equitum, peditumque erant, & tributorum*.

℣. 8. At illi egressi erant in manu excelsa, ideſt erecto capite, audacter, poſito metu, non veluti fugitivi ex Ægypto pulſi, ſeu veluti trepidi, ſaluti ſuæ clam conſulentes. Chaldæus: *Detecto capite*; velut homines vultum & ora neminem celantes. Habent id Orientales inofficioſum; nunquam enim aperiunt caput, niſi coram ſe inferioribus (k). Utitur hac loquendi phraſi Scriptura, *elatâ manu* peccare (l), ut ſignificet peccantis audaciam, qui leges temnit, juſtitiamque conculcat; cui opponitur imbecillitas eorum, qui vitiorum, ſeu libidinum impotentiâ in vitia quaſi rapiuntur.

℣. 9. Omnis equitatus, et currus Pharaonis erant in Phihahiroth. Quò Iſraëlitæ evaderent, nullum patebat effugium. Cogebantur illi ſive in Ægyptum reverti, ſive transfretare, ut Arabiam tenerent, ſive hoſtium impetum ſuſtinere. Ex hoc Textu infertur, præter currus, equites etiam non defuiſſe in exercitu Pharaonis. Hebræum פרשים *paraſchim* ſignificat vel equitatum, vel præliantes, qui equum & currum regebant. Exercitus Pharaonis caſtra locaverat juxta Hiroth; Hebræi conſidebant inferiùs ad mare rubrum: hos verò, veluti arctâ coronâ, cingebant Pharao, mare, & rupes.

℣. 10. Clamaverunt ad Dominum. Graves quique viri verſi erant in preces, cùm e Vulgo alii impotentiùs inveherentur in Moyſem, ℣. 11.

℣. 13. Videte magnalia Domini. Hebræus: *Salutem Domini*; validam ſcilicet Dei opem, qua vobis in præſentiſſimo periculo jam adeſt; inſpicite, quibus vos prodigiis ſervabit.

Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis. Hebræus (m). *Non adjicietis ultra videre eos, ut nunc videtis*; ideſt, non ultra obverſabuntur veſtris oculis terribiles & armati. Nec ſanè ultra viderunt, præter cadavera in adverſam ripam a fluctibus projecta.

℣. 14. Vos tacebitis, ואתם תחרישון: nihil agendum vobis erit. Addit in fine verſiculi Syriacus: *Oravit itaque Moyſes coram Domino*; quæ verba ſenſum Textûs integrum faciunt; habet enim Textus poſt hæc: *Quid clamas ad me?* Nec tamen in eodem Textu legitur, voces ullas de-
diſſe

(i) *Hieron. in cap. 23 Ezech. Triſtatas, quos nos Principes Principum interpretati ſumus. Idem: Triſtata nomen eſt ſecundi gradus poſt regiam dignitatem.* (k) Chardin, voyage de Perſe t. 2, p. 37.
(l) *Numer.* xv, 30. (m) לא תספו לראת עוד עד עולם *Non adjicietis ultra videre eos in ſæculum. Ita Septuag.*

℣. 15. Dixitque Dominus ad Moysen: Quid clamas ad me? Loquere filiis Israël, ut proficiscantur.

℣. 16. Tu autem eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud: ut gradiantur filii Israël in medio mari per siccum.

℣. 17. Ego autem indurabo cor Ægyptiorum, ut persequantur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus, & in curribus, & in equitibus illius.

℣. 18. Et scient Ægyptii, quia ego sum Dominus, cùm glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus, atque in equitibus ejus.

℣. 19. Tollensque se angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum

℣. 20. Stetit inter castra Ægyptiorum, & castra Israël: & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem, ita ut ad se invicem toto noctis tempore accedere non valerent.

℣. 21. Cùmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & urente totâ nocte, & vertit in siccum: divisaque est aqua.

℣. 22. Et ingressi sunt filii Israël per medium sicci maris: erat enim aqua quasi murus a dextrâ eorum, & lævâ.

COMMENTARIUS.

disse Moyses ad Deum.

℣. 15. QUID CLAMAS AD ME? Hæc vulgò (n) accipiuntur de prece intus in corde conceptâ, & ad Deum intimo cordis voto directâ. Onkelos: *Suscepi orationem tuam*. Sunt qui, teste Vatablo, verba illa, *Quid clamas ad me*, interpretentur: Cur populus hic, quem ducis, clamat ad me? Seditiosum autem clamorem hic Scriptor intelligit. Patres autem ita, cum Pseudo-Hieronymo in Psalmos, exponunt: *Clamor in Scripturis non vocis, sed cordis est .... Quando gemitus noster & conscientia deprecatur, istum clamorem intelligit Deus.*

℣. 19. TOLLENSQUE SE ANGELUS DEI. Nubes scilicet ab Angelo mota statuit se inter Israëlitarum & Ægyptiorum castra mediam. Frontem relinquens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum & castra Israëlis. Verbum *stetit*, quod legitur initio versûs vigesimi, jungendum est versui decimonono.

℣. 20. ET ERAT NUBES TENEBROSA ET ILLUMINANS NOCTEM. Obscurissimum hunc Textum ità exponit Onkelos (o): *Et erat nubes & obscuritas Ægyptiis, Israëli autem erat lux totâ nocte.* Ita pariter interpretantur Symmachus (p) & Syriacus. Septuaginta & Arabs silent prorsus & diem & lucem, tenebricosamque undique nubem inducunt. Septuaginta (q): *Et facta sunt tenebræ & caligo, & venit nox.* Retinendus est Chaldæus, cujus est optimus sensus. Reddi commodè posset Hebræus: Et nubes tenebrosa illuminavit noctem; id est, nubes per diem opaca, in lucem per eam noctem & deinceps conversa est. Suspicor conjunctionem *&* ante *tenebra* superfluere.

℣. 21. ABSTULIT ILLUD DOMINUS FLANTE VENTO VEHEMENTI. Septuaginta: Ἐν ἀνέμῳ νότῳ βιαίῳ, *Noto violentissimo*. Hebræus ברוח קדים עזה, *Vento kadim fortissimo*: quo nomine, juxta plures Interpretes, Orientalem ventum ex Arabiâ in Ægyptum flantem designari, alibi animadvertimus (r). Nec reputandum est, ventum inter aquas divortium fecisse: satis enim intelligimus, nunquam futurum fuisse, ut satis virium haberet in eam rem vel orientalis, vel quilibet ventus; sed post elevatam a Moyse prodigiosam virgam, ac mediis discissis aquis, Deum Orientali vento inducto viæ inter medium alveum apertæ humens adhuc solum arescecisse. Quicumque in eâ sunt persuasione, Hebræos captatâ æstûs marini opportunitate evasisse non in adversam oram, sed in superiorem ejusdem oræ locum; illos ex hoc Textu facile est refutare; orientali enim vento fluctus impelluntur in oram occidentalem, quà iter habendum erat Israëlitis.

VERTIT IN SICCUM; DIVISAQUE EST AQUA. Veteri apud Hebræos traditione, a Patribus etiam sanè multis relatâ (s), acceptum est, totidem in freto patuisse vias, quot singulis duodecim Tribubus transitum seorsum darent. Fidem huic adstruit Psalmus CXXXV: *Qui divisit mare rubrum in divisiones*: sed minimè sanè hic Textus plures numero

(n) *Est. Menoch. Piscat. &c.* (o) ויהי הענן והחשך ויאר את הלילה (p) Καὶ ἦν ἡ νεφέλη σκότος μὲν ἐκεῖθεν, φαίνουσα δὲ ἐντεῦθεν. (q) Καὶ ἐγένετο γνόφος, καὶ σκότος, καὶ διῆλθεν ἡ νύξ. *Scholiast.* Παρῆλθεν ἡ νὺξ διὰ μέσου τῶν δύο στρατοπέδων, σκοτίζουσα μόνους Αἰγυπτίους. (r) *Genes. XLI, 27; & Exod. X, 13.* (s) *Vide Origen. homil. 5 in Exod, & Euseb. in Psalmos; Epiph. hæres. 64, &c.*

℣. 23. Persequentesque Ægyptii ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus ejus, & equites, per medium maris.

℣. 24. Jamque advenerat vigilia matutina; & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum:

℣. 25. Et subvertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptii: Fugiamus Israëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.

℣. 26. Et ait Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super mare, ut revertantur aquæ ad Ægyptios super currus, & equites eorum.

℣. 27. Cùmque extendisset Moyses manum contra mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & involvit eos Dominus in mediis fluctibus.

℣. 28. Reversæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitûs Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec unus quidem superfuit ex eis.

COMMENTARIUS.

mero divisiones evincit (t). Prona est enim interpretatio de segregatis io duas partes aquis. Moyses confirmandis Hebræis, authore Josepho, ante omnes processit. Primus, qui maris alveum tentaret, Aminadab Princeps Juda, laudatur a Judæis (u).

℣. 24. JAMQUE ADERAT VIGILIA MATUTINA. Distingui in tres æquas partes ab Hebræis noctem, jam docuimus in Dissertatione de Chronologiâ. Cùm autem exitus ab Ægypto verno æquinoctio contigerit, vigilia matutina, vel, juxta Hebræum, *vigilia* diluculi incidebat io quartam horam matutinam nostri horologii. Facilè autem Ægyptii aliquanto antea vix inter medias undas sese commiserant: sed circa vigiliam matutinam ab Angelo Domini reductæ aquæ merserunt Ægyptios.

RESPICIENS DOMINUS SUPER CASTRA ÆGYPTIORUM, PER COLUMNAM IGNIS. Artapanus apud Eusebium [x] tradit, Ægyptios fulminibus & igne cœlesti correptos fuisse, antequam cadentibus super caput aquis opprimerentur. Nec aliud fortè innuit Moyses, scribens, Angelum, qui erat in nube, respexisse eorum exercitum, injectâque confusione dejecisse, confractis curribus. Tum præcepisse Deum Moysi, ut extensâ super aquas virgâ, eas in pristinom locum restitueret. Disertè insuper Scriptura (y) & Josephus narrant procellas & fulmina.

INTERFECIT EXERCITUM EORUM. Hebræum יהם *Jabam* est, *turbavit*: LXX, *συνετάραξε*; terrorem ac confusionem in exercitum injecit.

℣. 25. ET SUBVERTIT ROTAS CURRUUM. Commodè redderetur Hebræus יסר את אפן: *Removit*, vel *ligavit rotam*. Συνέδησε, *colligavit*, habent Septuaginta (z); *Removit*, Symmachus. Aquila vertit: Rotas curruum *impedivit*. Reddi etiam posset: *Axe revulsæ sunt*.

FEREBANTURQUE IN PROFUNDUM. Hebræus (a): *Duxit in rotas gravitatem*: Rotæ implicitæ & graves, lentè ac difficilè processerunt. Septuaginta (b) & Arabs: *Egit eos cum violentiâ*. Suus est pariter peculiaris sensus Syriaco: *Alligantes rotas curruum suorum, eosque ducentes cum impetu, dicebant Ægyptii: Fugiamus a conspectu gentis Israël*.

℣. 27. REVERSUM EST PRIMO DILUCULO AD PRIOREM LOCUM. Triplicem sensum commodè admittit Hebræus (c): I, *Moyses extendit manum suam, & mare ad respiciendum manè* (primo diluculo) *reversus est ad fortitudinem suam*. II, Moyse extendente manum super aquas, aquæ restituerunt se (uti priùs), cùm manè diei esset in suo robore. Sed hæc expositio non satis consonat vulgari sensui vocis Hebrææ *Ethan*, quæ nunquam usurpatur nisi de locis munitis & ioaccessis, vel de aquarum impetu ac rapiditate (d). III, tandem, *Mare reversum est ad fortitudinem suam*, io loca nempe antea ioaccessa, in abyssos, e quibus recesserat, cùm primò diluculum illucesceret (e).

(t) *Theodoret. qu.* 1 *in Exod. & Ps.* CXXXV, *& Euthym. in Psalmos*. (u) *Apud Hieron. in Osee c.* XI, 12. (x) *Præp. l.* 9, *c.* 27. (y) *Confer* ℣. 6, 10, 12, *capitis sequentis, &* ℣. 16, 17, 18, *Psalmi* LXXVI, *ubi disertè de procellâ, tonitru, & fulgure &c. Joseph. Antiq. l.* 2, *c.* 7: Ὄμβροι τε ἀπ' οὐρανοῦ κατέβαινον, καὶ βρονταὶ σκληραὶ προσεξαπτομένης ἀστραπῆς. Καὶ κεραυνοὶ δὲ κατηνέχθησαν, ὅλως δ' οὐδὲν ἦν τῶν ἐπ' ἀπωλείᾳ κατὰ μῆνιν Θεοῦ συμπιπτόντων ἀνθρώποις, ὃ μὴ τότε συνῆλθεν.
(z) *Derivant hi τὸ* יסר *ex* אסר, *Ligavit*. *Symmachus*, μετέστησε, *transtulit, removit*, ex סור: *quæ interpretatio videtur literæ propior*. (a) ינהגהו בכבדת (b) Ἤγαγεν αὐτοὺς μετὰ βίας.
(c) ישב הים לפנות בקר לאיתנו *Aq. Sym.* Εἰς τὸ ἀρχαῖον αὐτοῦ. (d) *Vide Deut.* XXI, 4.
(e) *Vide Genes.* XXIV, 63. לפנות ערב

Digitized by Google

℣. 29 Filii autem Israël perrexerunt per medium sicci maris, & aquæ eis erant quasi pro muro a dextris, & a sinistris:

℣. 30. Liberavitque Dominus in die illâ Israël de manu Ægyptiorum.

℣. 31. Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi servo ejus.

COMMENTARIUS.

Et involvit eos Dominus. Reddi posset Hebræus (f): *Dejecit, excussit*, vi æstûs vel fluctuum ejecit.

℣. 28. Ne unus quidem superfuit ex eis. Ægypti Regem evasisse incolumem, & post hæc regnasse, affirmat Manethon (g). Ezechiel Poëta (h) exhibet Ægyptium e naufragio superstitem, qui tristis rei nuncius redit in Ægyptum: sed poeticum hoc est, testimonio Mosaico planè repugnans. Non desunt tamen, qui reddant Hebræum (i): *Non remansit in eis usque ad unum*, nisi scilicet Pharao. Eo naufragio absorpta [illegible] peditum, affirmat Josephus. Artapanus apud Eusebium, Ægyptios penitùs deletos affirmat.

℣. 31. Viderunt Ægyptios mortuos super littus. Non abfuit utique Dei prodigium in eo, quòd Ægyptiorum cadavera statim propellerentur ad littus; spatio enim aliquorum dierum detinentur, antequam propellantur ad littus. Contulit in eam rem plurimum recurrentium aquarum impetus, qui Ægyptios referre pedem conantes subitò impetiit. Porrò Israëlitæ ingentis hujus exercitûs prædâ, armis scilicet, divitiis, ditati sunt.

Crediderunt Domino et Moysi servo ejus. Persuasi sunt ad sensum, nonnisi Deo authore eductos se ex Ægypto, ac Moysem servum esse fidelem Domini. Firmiùs inhæserunt fidei divinarum promissionum, quæ sibi per Moysem factæ fuerant, spemque suam omnem in Deo, apud quem habebant Moysem intermedium, collocarunt. Cùm Deo credimus, credimus pariter & ejus servis; quibus si quis fidem negat, nunquam sibi blandiatur habere se fidem in Deum, cujus illi servi sunt & ministri (k). Patres (l) & Interpretes in eâ Judæorum liberatione expressam agnoscunt nostram a servitute peccati, virtute simul & meritis Jesu Christi, cujus typus in Moyse, libertatem. Transitus maris rubri emblema est Baptismi, quo scilicet Pharao & ejus exercitus, Dæmon nempe & peccatum, naufragio demerguntur. Facem in hanc rem præfert Apostolus in suâ Epistolâ ad Corinthios (m).

CAPUT XV.

Canticum gratiarum actionis post transfretationem. Castra ad Mara, ubi Moyses corrigit amaricantes aquas. Castra ad Elim, ubi XII fontes, & LXX palmæ.

℣. 1. Tunc cecinit Moyses, & filii Israël carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem dejecit in mare.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est. Hebræus (a): *Cantabo Domino, quia magnificando magnificatus est.* Septuaginta (b): *Cantemus* (Cantica) *Domino, gloriosè*

(f) ינער *Septuag.* Ἐξετίναξε. *Excussit. Aq.* Ἀνέβρασε, *Vi æstûs ejecit. Alii, exagitavit, demersit, præcipitavit.* (g) *Apud Joseph. l. 1 contra Appion.* (h) *Euseb. Prep. l. 9.*
(i) לא נשאר בהם עד אחד *In vitâ Moysis per Gaulminium editâ, anno 1629, ajunt, Pharaonem evasisse, sed in Ægypto deinceps non regnasse; translatum in Niniven ab Angelis Michaële, & Gabriele, ubi diù imperavit. Deus bone! Quot ineptias!* (k) *Hieron. in Epist. ad Philemonem,* ℣. 5: *Una atque eadem credulitas in Moysen refertur ac in Deum, ut populus qui credebat in Dominum, æquè credidisse dicatur & in servum.... Non est enim in Deum perfecta dilectio & fides, quæ in ministros ejus odio, & infidelitate tenuatur.* (l) *Vide Origen. in Exod. homil. 5; Nyssen. l. 1 de vitâ Mos. Cyprian. exhort. ad martyr.* (m) *1 Cor. x, 1, 2, 3, 4. & sequ. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, &c.... Hæc autem in figurâ facta sunt nostri.* (a) אשירה ליהוה כי גאה גאה
(b) Ἄσωμεν τῷ Κυρίῳ, ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται.

Digitized by Google

℣. 2. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus patris mei, & exaltabo eum.

℣. 3. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen ejus.

℣. 4. Currus Pharaonis, & exercitum ejus projecit in mare: electi principes ejus submersi sunt in mari rubro.

℣. 5. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis.

℣. 6. Dextera tua, Domine, magnificata est in fortitudine; dextera tua, Domine, percussit inimicum.

℣. 7. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti adversarios tuos: misisti iram tuam, quæ devoravit eos sicut stipulam.

℣. 8. Et in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ: stetit unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio mari.

COMMENTARIUS.

glorioſè enim glorificatus eſt. Author Libri Sapientiæ (*c*) perhibet, eâ occaſione Deum mutorum ora aperuiſſe, & eloquentiam dediſſe *linguis infantium*, ideſt, neminem ſiluiſſe Dei laudes, nec ſe continuiſſe aliquem a gaudii pro ſuo modulo ſignificatione. Vetus quidam Author (*d*) putavit, Deum ſecretâ quadam inſpiratione indidiſſe canticum illud mentibus omnium Iſraëlitarum.

Inter poëticas orationes, omnium quotquot ſuperſunt, vetuſtiſſimum eſt carmen hoc Moſaicum (*e*), quamquam non primum omnium credimus. De legibus atque numero veterum carminum Hebræorum, varia eſt inter varios ſententia. Canticum hoc hexametris digeſtum, affirmat Joſephus (*f*); cujus mens ſi eò fortè ſpectavit, ut eamdem agnoſceret in illo menſuram, ac in hexametris Græcorum & Latinorum, utique fallitur: ne unicum quidem hexametrum in lectione hujus Cantici occurrit. Vide noſtram Diſſertationem de Poëſi Hebræorum. Spectare hîc licet vetuſtatem Canticorum, ad commendandam rerum inſignium memoriam. Apparet id ubique per Scripturam; eumdemque morem ſequebantur vetuſtiſſimæ quæque per orbem gentes, Galli, Germani, Britones, &c.

℣. 2. ISTE DEUS MEUS, ET GLORIFICABO EUM. Interpretes plures cum Chaldæo reddunt Hebræum (*g*): *Iſte Deus meus, & faciam ei tabernaculum*. Arabs: *Et ad eum me recipio*. Septuaginta & Syriacus Vulgatæ cohærent: *Iſte Deus meus, & laudabo eum*, vel *glorificabo*; quæ ſanè verſio cæteris præferenda videtur, quòd parallelo membro periodi reſpondeat: *Deus Patris mei, & exaltabo eum*.

℣. 3. DOMINUS QUASI VIR PUGNATOR. Septuaginta: Συντρίβων πολέμους: *Dominus conterens* (diſſipans) *bella*. Chaldæus: *Victor bellorum*, ſive in bellis vincendi author, & exercituum Deus.

OMNIPOTENS NOMEN EJUS. Hebræus: *Jehovah nomen ejus*.

℣. 4. PROJECIT IN MARE. Hebræus: ירה *ejaculatus eſt in mare*, veluti ſpiculum in hoſtes ſeu veluti ſagittam, quæ miſſa rapidè fertur. LXX: ἔῤῥιψε.

ELECTI PRINCIPES EJUS; ideſt, Principes electi, vel Imperatores electiſſimi. Hebræus: *Electio Schaliſchim*. Septuaginta (*h*): *Electi aſcenſores curruum* (vel equorum) *Triſtatæ*. Vide caput XIV, 7.

℣. 7. IN MULTITUDINE GLORIÆ TUÆ DEPOSUISTI ADVERSARIOS TUOS. Inſinuantur his fulgura & tonitrua, quibus media inter Ægyptios & Iſraëlitas nubes Ægyptios illos terrebat. Phœnomena illa, quibus homines terrentur, non ſemel *Gloria Domini* appellantur. Ita legimus, Gloriam Domini apparuiſſe ſuper Sinai, cùm reboarunt tonitrua, & ignis ac fulgura coruſcarunt. Non temerè etiam cenſeremus, tonitruum ejuſmodi fragorem, & jubar fulgurum ad omnia ea loca perveniſſe, in quibus perhibet Scriptura paruiſſe gloriam Dei, in columnâ nubis. Prodigia in tranſitu maris rubri ita magnificis verbis exaggerat Iſaias, LXIII, 11, 12, 13: *Ubi eſt qui eduxit eos de mari cum paſtoribus gregis ſui? Ubi eſt qui poſuit in medio ejus Spiritum Sancti ſui? qui eduxit ad dexteram Moyſem brachio majeſtatis ſuæ? qui ſcidit aquas ante eos, ut faceret ſibi nomen ſempiternum? Qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equum in Deſerto non impingentem?*

MISISTI IRAM TUAM, ideſt, fulgura, fulmina, & de Cœlo ignem, furoris tui indicia: abſumpſiſti eos, velut ignis paleam, tam facilè, tam promptè, tamque celeriter.

℣. 8. IN SPIRITU FURORIS TUI CONGREGATÆ SUNT AQUÆ. Hebræus ad literam (*i*): *In ſpiritu naſi tui coacervatæ ſunt aquæ* (*k*). Septuaginta, Διέστη τὸ ὕδωρ, *Diviſa eſt aqua*. Phraſis iſta *flatus naſi tui* uſurpatur de furore Dei (*l*). Syriacus uſurpat de valido vento, quo flante coacervatæ ſunt aquæ. Habacuc (*m*) ſignificare videtur, Deum curru ſuo vectum per medias aquas tranſiiſſe

(c) *Sap. x, ult. Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas.* (d) *Author de mirab. Script. inter Auguſt. opera.* (e) *Origen. homil. 6 in Exod.* (f) *Antiq. l. 2, c. ult.* (g) זה אלי ואנוהו (h) *Septuag.* Ἐπιλέκτους ἀναβάτας τριστάτας. (i) בריח אפיך נערמו מים (k) *Aquil. Symm. Theodot.* Ἐσωρεύθη. (l) *Deut. XXIX, 20; 2 Reg. XXII, 6. Pſ. XVII, 16; Job IV, 9.* (m) *Habacuc III, 15: Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.*

℣. 9. Dixit inimicus : Perſequar, & comprehendam, dividam ſpolia, implebitur anima mea : evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

℣. 10. Flavit ſpiritus tuus, & operuit eos mare : ſubmerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.

℣. 11. Quis ſimilis tui in fortibus, Domine ? quis ſimilis tui, magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia ?

℣. 12. Extendiſti manum tuam, & devoravit eos terra.

COMMENTARIUS.

tranſiſſe, veluti parantem populo ſuo viam. Scitum eſt autem, in Scripturâ nubes currus Domini appellari; ventos autem appellari equos ipſius.

Stetit unda fluens. Chaldæus : *Steterunt fluentes, ſicut murus*. Septuaginta : *Aquæ compactæ ſunt*, ſimul alligatæ ſunt, ſicut murus. Syriacus : *Conſtiterunt quaſi in utribus* (*n*). Arabs : *Steterunt ut montes*. Recentiorum plerique : *Aqua ſtetit ut acervus*.

Congregatæ sunt abyssi in medio mari. Chaldæus, ac Septuaginta : *Congregata ſunt unda* [*o*] (velut glacies) *in medio mari*. Eumdem ſenſum retinent recentiorum plerique : Steterunt aquæ ſuſpenſæ, velut glacies ſolida, & compacta. Sunt tamen, qui intelligant de arenâ in imo maris fundo, quæ arentem cruſtam induxit, ut firmaretur tranſeuntium greſſus. Author Libri Sapientiæ xix, 7, perhibet, in transfretatione illâ, quo loco antea erant aquæ, ſubitò exhibitam fuiſſe arentem ſiccamque viam, tutumque iter in ſinu maris apertum, (veluti) campum herboſum in profundiſſimis abyſſis.

℣. 9. Dixit inimicus. Quæ intus in corde verſabant adverſarii, exprimit Moyſes, eorum motus veluti pingens.

Implebitur anima mea : Saturabitur furor meus, vel auri cupiditas explebitur, ingenti partâ de hoſtibus prædâ.

Interficiet eos manus mea. Variè redditur Hebræum תורישמו : *Manus mea exterminabit eos*, vel expoliabit, *depauperabit*, hæreditate ſuâ pellet. Septuaginta : Κυριεύσει ἡ χείρ μου, *Dominabitur manus mea*, conteret, ſuperabo eos.

℣. 10. Flavit spiritus tuus et operuit eos mare. Hebræus : נשפת ברוחך : *Flaviſti in ſpiritu tuo*. Ventus ille, quem Deus immiſit ad exſiccandas in imo maris aquas, ſubitò contrario flatu aquas impulit in Ægyptios. Septuaginta : Ἀπέστειλας τὸ πνεῦμά σου. *Miſiſti ſpiritum tuum* : quod Sanctus Auguſtinus (*p*) & Sanctus Ambroſius (*q*) de Spiritu Sancto interpretantur. Chaldæus & Syriacus : *Dixiſti in verbo tuo*. Vide ℣. 8.

℣. 11. Quis similis tui in fortibus, Domine ? Verti non incongruè poſſet cum Septuaginta (*r*) : *Quis ſimilis tui in Diis ?* Cui expoſitioni ſtrent quæ ſtatim ſuccedunt : *Magnificus in Sanctitate, terribilis* ; Deus ſcilicet omnibus Diis infinitè ſuperior. Hebræus pro *terribilis atque laudabilis*, habet נורא תהלות *terribilis laudibus* ; qui ſcilicet omniſi cum tremore laudandus eſt ; vel juxta Septuaginta : Θαυμαστὸς ἐν δόξαις, *mirabilis in laudibus* ; vel Θαυμαστῶς, ἐνδόξως ποιῶν τέρατα, *mirabiliter, honorificentiſſimè faciens prodigia* ; infinitis ſcilicet & ineffabilibus laudibus dignus. Militaria exercitûs ſui inſignia initialibus hujus ſententiæ literis inſcripſiſſe fertur (*s*) Judas Machabæus מכבאי, MCBAI : *Quis ſimilis tui in fortibus, Domine ?* Ex his literis ortum eſt nomen *Machabæi*, univerſæ deinde Aſmonæorum familiæ commune.

Magnificus in Sanctitate ; cujus majeſtati & potentiæ æqua eſt ſanctitas. Septuaginta (*t*) *Glorificatus in Sanctis*, in Sanctuario ſcilicet vel in cœlo, quod appellatur interdum (*u*) *Sancta*. Onkelos : *Fortis in Sanctitate*, ſtabilis ſcilicet, ac nequaquam ab eâ dimovendus. Opponitur hìc infinita Dei Sanctitas iniquitati & corruptioni falſorum Numinum.

℣. 12. Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra. Congruè hìc dicitur devoraſſe illos terra, ideſt, rapientibus fluctibus jactatos eſſe milites & arenâ ſepultos. Commodè etiam typico quodam ſenſo intelligeretur : Deus elatâ manu illos dejecit, confregit, alliſit in terram ; perierunt illi, manu Dei dejecti in profundum uſque maris ; Vel : Recurrentibus aquis abſorpti ſunt, veluti ſi ſubitò dehiſcens terra viventes adhuc illos devoraſſet. Eodem ſenſu Pſalmus civ, 30 : *Edidit terra eorum ranas* ; quamquam ranas ebullierint, non terra, ſed aquæ (*x*). Legitur etiam in Numeris xiii, 33, terram Chanaan devorare habitatores ſuos ; & in ſecundo Regum xviii, 8, ſaltum Ephraim multò plures abſumpſiſſe quàm gladium. Hiſce autem phraſibus ſignificatur tantùm, priore quidem, Regionem Chanaan abundare hominibus bellicoſis & violentis ; poſteriore autem homines longè plures periiſſe in præcipitiis, ſive in difficillimis ſaltûs Ephraim locis. Commodè igitur, eâdem phraſi dicerentur Ægyptii a terrâ abſorpti, quamquam recurrentes

---

(*n*) *Hebræus habet* כמו נד, *ubi Syriacus legit* כנאד, Uter, *pro* נד, Ned, *acervus*. *Syriaci lectionem ſervaſſe videntur* LXX *in Pſalmo* LXXVII, 13, *cùm vertant* : Statuit aquas quaſi in utre.

(*o*) קפאו תהמת *Septuag*. Ἐπάγη τὰ κύματα. (*p*) *Aug. qu.* 55 *in Exod.* (*q*) *Ambr. l.* 3 *de Spiritu ſancto, c* 2, & 4. (*r*) מי כמכה באלם יהוה *Septuag.* Τίς ὅμοιός σοι ἐν θεοῖς. *Sym.* Οὐδεὶς ἐν δυνάμεσιν, ὅσε ἐν ἁγιασμῷ ἐξισωθῆναι τίς δυνήσεται, ἢ κατά τι γῦν ὁμοιωθῆναι. *Neque potentiâ, neque ſanctitate comparari tibi quis poterit, vel aliâ quapiam re ſimilis fieri*. (*s*) *Genebr. Chron. l.* 2. (*t*) נאדר בקדש *Septuag.* Δεδοξασμένος ἐν ἁγίοις. (*u*) *Pſal.* CL, 1. (*x*) *Exod.* VIII, 5, 6 : *Extendit Aaron manum ſuper aquas, & aſcenderunt ranæ*.

℣. 13. Dux fuisti in misericordiâ tuâ populo, quem redemisti: & portasti eum in fortitudine tuâ ad habitaculum sanctum tuum.

℣. 14. Ascenderunt populi, & irati sunt: dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim.

℣. 15. Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor: obriguerunt omnes habitatores Chanaan.

℣. 16. Irruat super eos formido, & pavor, in magnitudine brachii tui: fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti.

℣. 17. Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine: sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ.

℣. 18. Dominus regnabit in æternum, & ultra.

℣. 19. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus, & equitibus ejus in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris: filii autem Israël ambulaverunt per siccum in medio ejus.

COMMENTARIUS.

tes maris undæ miseris fuerunt exitio.

℣. 13. PORTASTI AD HABITACULUM SANCTUM TUUM. Docti plures interpretes (y) censent, hunc versiculum cum subsequentibus usque ad 18, oraculum continere eorum, quæ eventura erant Israëlitis in itinere per desertum, quoadusque assequerentur terram promissionis, appellatam hîc, *Habitaculum Sanctum tuum*; putant autem, commodè reddi textum: *Portabis ad habitaculum sanctum tuum*, sive in terram Promissionis, sive in Templum (z). Docent alii, illud *Habitaculum sanctum tuum* exprimere tantùm montem Sinai, quò Moyses prophetico spiritu futurum prædicit, ut Deus illos salvos deducat. Pro נהלת *Nahaleta, portasti*, quod legit in Textu Vulgata cum Symmacho, Samaritanus habet נהלת *Nachaleta, possedisti*. Septuaginta verò legisse videntur נחמת *Nachamta, consolatus es*, παρεκάλεσας, *fortitudine tuâ in diversorio sancto tuo* (a). Sed optimum præ omnibus sensum reddit lectio Vulgatæ.

℣. 14. ASCENDERUNT POPULI, ET IRATI SUNT. Hebræus (b), Chaldæus, & Septuaginta: *Audierunt gentes & irata sunt*. Symmachus: *Et commoti sunt* (c). Syriacus, Arabs: *Perterrita sunt*. Ad futurum hæc omnia commodè amandarentur, utì jam animadvertimus: *Audient populi* (prodigia hæc magna) *& dolore commovebuntur*, seu *irascentur*. Quanto terrore afficeret fama accedentium Israëlitarum Chananæos, intelligimus ex historiâ Rahab (d), & Gabaonitarum (e).

℣. 15. PRINCIPES EDOM. Idumæam tunc regebant Principes, hîc & in Genesi XXXVI appellati אלפים, *Aluphim*.

CONTURBATI SUNT. Septuaginta: E'σπούσαν, *festinaverunt*, veluti nempe quos subitus timor urgebat. Alius: E'θορυβήθησαν, *Turbati sunt*.

OBRIGUERUNT. Hebræus, נמגו, & Septuaginta, E'τάκησαν, *tabuerunt*, animo defecerunt. Onkelos: אתכרו, *contriti sunt*, ideſt, animis.

℣. 16. FIANT IMMOBILES QUASI LAPIS. Hebræum ידמו כאבן ita reddunt cum Chaldæo Interpretes plures: *Taceant sicut lapis*; alii: *Obstupescant quasi lapis. Statuâ taciturnior*, Horatius. Hæc verba Septuaginta jungunt præcedentibus: Μεγέθει βραχίονός σου ἀπολιθωθήτωσαν, *Magnitudine brachii tui fiant tanquam lapis*. Porrò brachium Domini sunt hîc prodigia, quibus Deus potentiam suam in Ægypto, ac deinde in mari rubro exhibuit. Similem phrasim lêgimus superiùs Capite XIV, 31: *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos*.

℣. 17. PLANTABIS IN MONTE HÆREDITATIS TUÆ. Vel in Sinai nempe, vel in Sion, quos prophetico spiritu Moyses prospexit. Fortè verò sermo est hîc de Judæâ, vel Chanaanitide, regione montibus frequentissimâ (f). Opponit Moyses hanc regionem Ægypto, regioni planæ, nec montibus discretæ.

FIRMISSIMO HABITACULO TUO, QUOD OPERATUS ES, DOMINE. Textus habet tantùm. *Locum* (quem parasti) *ad sedendum te*. Chaldæus: *Locum majestatis tuæ præparasti, Domine*. Septuaginta: *In paratum habitaculum tuum, quod paraverunt manus tuæ*.

℣. 18. DOMINUS REGNABIT IN ÆTERNUM ET ULTRA. Agnoscetur in Regem, regnabitque & in tempore & in æternitate. Reddi posset Hebræus (g): *In sæculum, & adhuc*; vel, *In sæculum & perpetuum*; vel: In sæcula sæculorum; ideſt, amplissimâ illâ durationis mensurâ, quæ eminentiori ratione continet ævum omne & sæcula. Significare

(y) *Estius, Menoch. Jansen. Vatab.* (z) *Ita Lyran. Vatab. &c.* (a) *Origen. homil. 6 in Exod. Consolatus es in virtute tuâ, in requie sanctâ tuâ.* [b] שמעו עמים ירגזון (c) E'κλονήθησαν, *scilicet, ait Scholiastes*, ἐταράχθησαν, *turbati sunt*. (d) *Josue* II, 10, & VI, 1. (e) *Ibid.* IX, 9. (f) *Vide Psal.* LXXVIII, 54; & 3 *Reg.* XX, 28; *ac præsertim Deut.* III, 25: *Videbo terram hanc optimam .... & montem istum egregium, &c.* (g) ימלך לעלם ועד

℣. 20. Sumpsit ergo Maria prophetissa, soror Aaron, tympanum in manu suâ: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris,

℣. 21. Quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem ejus dejecit in mare.

℣. 22. Tulit autem Moyses Israël de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur: ambulaveruntque tribus diebus per solitudinem, & non inveniebant aquam.

℣. 23. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quòd essent amaræ: unde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est, amaritudinem.

COMMENTARIUS.

ficare videtur Moyses Regnum Dai super Israëlem, Legi subditum; ac sublimiori sensu, animum erigit ad Regnum Ecclesiæ Jesu Christi, & Electorum tandem io æternitate.

℣. 20. Maria Prophetissa. Hoc elogio donatur Maria, cui plurima divinitus revelabantur, utì constat ex Numeris xii, 2: *Numne & nobis similiter est locutus Dominus?* Prophetæ non semel appellantur in Scripturâ, qui Dei laudibus canendis dant operam; quo pariter sensu Maria Prophetissa appellaretur, quippe quæ choro puellarum præcinit in celebrandis Dei laudibus, ludentibus simul grato concentu musicis instrumentis cum vocibus modulantium. Nomen *Maria* vel *Mariam*, ut est in Hebræo, juxta Veterum lectionem, licèt hodie Massoretæ legant *Miriam*, nomen, inquam, istud derivari potest e Chaldæo מרה *Marah*, *Domina*, & ים, *jam*, mare *Domina maris*. Deducunt alii ex *Mor*, amaritudo, & *Jam*, mare; *Amaritudo maris*. S. Hieronymus in libro de nominibus Hebræis docet, *Mariam* (legendum est nomen cum literâ *m* finali) sonare, *Quæ me* vel *illos illustrat*, vel *myrrham*, aut *stellam maris*. Postrema hæc etymologia ex eo confirmatur, quòd *mara* vel *mera* Ægyptiacè est astrum, & *Jam* Hebraicè, mare. Hyginus & Author Dionysiacorum (*h*) appellant *Mæram* stellam Isidis in signo Canis fulgentem. Angelus Caninius censet, *Mariam* participium esse verbi *rám*, elevare, ut sit, *Elevata*. Appellatur autem Maria Aaronis potiùs quàm Moysis soror, sive quòd Aaronem natu majorem fratrem haberet, sive quòd Moyses, modesti animi vir, cavendum censuerit ne sororem suam diceret eam mulierem, ne quid dignitatis sorori e suo nomine vindicare videretur; sive de sororis merito sibi aliquid gloriæ conciliare. S. Gregorius Nyssenus (*i*), & S. Ambrosius (*k*) censent, fœminam illam virginem se continuisse, cùm in Scripturâ nunquam viri ejus nomen legatur, nec aliter designetur, quàm utì soror Aaronis. Virum illi tribuit Josephus (*l*) *Hur*, de quo inferiùs xxiv, 14. Sed contraria sententia obtinet, quæ cælibem ac virginem putat,

Cum tympanis. Tympanum, Hebraicè תוף, *Toph*, ipsissimum creditur ac tympanum nostræ ætatis, seu potiùs minoris tympani genus quoddam, quàm quod ætate nostrâ in usu est. Fusius de hoc in Dissertatione de Musicis instrumentis Hebræorum, ad Commentarios in Psalmos.

Chorus, Hebraicè מחלה, *Mechola*, exprimit interdum choreas, sæpè canentium chorum, ac tandem musicum instrumentum, quod alii cum systro, alii cum tibiâ confundunt; ita enim de hac Strabus: *Pellis simplex cum duabus cicutis, per alteram quarum inspiratur, per alteram sonus redditur.* Interpretum tamen nostratum plerique censent, Hebræam vocem hìc exprimere chorum canentium, & choreas ducentium puellarum, quarum princeps Maria præcinebat versiculum cantici Mosaici, quem excipiebat, eadem repetendo, chorus puellarum; vel saltem puellas illas singulis versiculis a Mariâ cantatis cecinisse credunt: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Affirmat Philo (*m*) puellas illas suum constituisse chorum, seorsim a choro virorum, cujus prioceps Moyses. Favent huic sententiæ ea quæ proximè sequuntur.

℣. 21. Quibus præcinebat dicens. Hebræus: תען להם, *Respondit eis*, viris nempe respondebat cantantibus, utì Textus insinuat. Idem & Chaldæi sensus; at Sytiacus & Septuaginta (*n*) intelligunt de puellis, quæ præcinenti Mariæ concinebant: *Canere faciebat eas Maria.* Contextus sermonis obvio sensu exprimit Mariam tripudiis hisce præfuisse, ac præcentricem gessisse choris aliarum puellarum: Hebræus autem, ferens, illam cum viris alternasse cantum, designare potest, Mariam cum suo choro eadem cantasse, quæ Moyses antea cum Cantoribus. Deorum convivium describens Homerus (*o*), scribit, Apollinem lusisse lyrâ, & ad numeros dulcibus cantilenis respondisse musas. Usurpat vulgò Scriptura verbum *respondere*, pro cantare ad numerum; vel cantilenas repetitâ strophe excipere.

℣. 22. Egressi sunt in desertum Sur. Non longè erat Desertum Sur a Deserto Ethan: quare in Numeris xxxiii, 8, ipsum idem *Desertum Ethan* appellatur. Non satis conveniunt Orientales Interpretes, cùm vertunt nomen *Sur*. Chaldæus reddit semper *Agar*; Syriacus, *Gedar*, quod ego nomen confundendum censeo cum *Gerara*; Arabs *Gesar*, vel *Mecham*. Vide Genesim xvi, 7, xx, 1, xxv, 18.

℣. 23. Venerunt in Mara, post tridui iter per Desertum Sur. Regionis traditio collocat aquas Mara xx aut xxv leucis a Suez, versùs Tor descendendo, medio fermè itinere e Suez ad Sinai

(h) *Πυρσίδος ἀστέρα μαίρης. Dionys. l. 5.* (i) *Nyss. l. de Virgin. c. 6.* (k) *Ambr. exhort. ad Virg.* (l) *Joseph. Antiq. l. 3, c. 2.* (m) *Philo de vitâ Mos. l. 1.* (n) *Ἐξῆρχε δὲ αὐτῶν Μαριάμ. Textus puellarum solummodò meminit* ℣. 20: *quare αὐτῶν referendum est ad γυναῖκας.* (o) *Iliad. A, ad finem.*

℣. 24. Et murmuravit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus?

℣. 25. At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum: quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Ibi constituit ei præcepta, atque judicia, & ibi tentavit eum,

℣. 26. Dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est, coram eo feceris, & obedieris mandatis ejus, custodierisque omnia præcepta illius; cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te: Ego enim Dominus sanator tuus.

℣. 27. Venerunt autem in Elim filii Israël, ubi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ: & castrametati sunt juxta aquas.

COMMENTARIUS.

Sinai. Hebræi post transfretatum mare, tridui itinere per Desertum Sur, pervenerunt in Mara. Tradunt, aquas illas potabiles esse adhuc, quamquam jam inde ab eâ ætate novam contraxerint acrimoniam, gustui ingratam ex nitro, quo solum scatet.

℣. 25. QUI OSTENDIT EI LIGNUM. Docent nonnulli (p), lignum hoc appellatum *Adelpha*, cujus cùm sit mortalis amarities, prodigio quodam factum est, ut aquas corrigeret. Insinuare videtur Glassius, Hebræum עץ, *Hez*, significare hìc venenum, ut alibi sæpè in Scripturâ; quo a Moyse cum aquis mixto, infectæ utique fuissent aquæ, nisi a Deo contrariam planè accepissent virtutem. Censent alii (q), vim hanc mitigandi aquas insitam fuisse a naturâ ligno: quorsum enim alioqui certum lignum Moysi indicasset Deus, si naturalis ligni virtus nihil valuisset? Huic sententiæ favere videtur Ecclesiasticus XXXVIII, 4, 5: *Altissimus creavit de terrâ medicamenta; & vir prudens non abhorrebit illa. Nonne a ligno indulcata est aqua amara?* Tradit Josephus (r), Moysem accepisse lignum, quod fortè coram se vidit, scissumque projecisse in puteos; aquas autem non priùs potabiles fuisse, quàm post eductam ingentem earum copiam. Amaræ erant aquæ illæ gustui, quòd plenæ essent nitro, quo humus circa extremam maris rubri oram scatet; nec sanè mirum, si jam longâ deinde sæculorum serie aliquid e pristinâ inditâque sibi qualitate recuperaverint, cùm effectum sustulerit Moyses, non causam.

CONSTITUIT EI PRÆCEPTA ET JUDICIA. Duæ voces Originalis חק ומשפט variè redduntur a variis. Septuaginta: Δικαιώματα καὶ κρίσεις, *Justificationes & judicia*. Syriacus: *Leges & judicia*; Chaldæus: *Pactum & judicium*. Docent vulgò Rabbini (s) Patres suos accepisse in Mara præcepta de servando Sabbatho, observandis Parentibus, de Sacrificio vaccæ rufæ, simulque omnem judicialem disciplinam. Gemarra Babylonica (t) addit, data ibi septem præcepta Noachidarum, vel filiorum Noë, de quibus nos in Genesim IX, 9. Sed debentur hæc traditionibus parùm certis, quas deferere vel recentiores quidam Hebræi religioni non ducunt.

Non immeritò reputares, *præcepta*, & *judicia* hìc exprimere tantùm quod habetur versu 26, uti contextus sermonis postulare videtur; sicuti pariter illud *dicens* ℣. 26, veluti epilogum esse eorum, quæ tribus præcedentibus versiculis narrata sunt. Deus itaque generatim proponit populo in Mara consilium suum de fœdere cum illis jungendo; fœderum pariter, quæ olim cum patribus eorum ferierat, memoriam renovat; tum indici illis nomine suo jubet, ne abutantur receptâ mox libertate. *Ibi tentavit eum*, nempe animum eorum tentavit, num satis promptè fœdus illud admitterent. Similem phrasim habes in Josue, XXIV, 15; cùm enim Josue beneficia a Deo in populum collata omnia exposuisset, adjecit, Optionem illis dari, num servire mallent Domino, an illum abjicere: *Eligite quod placet, cui servire potissimùm debeatis, utrùm Diis, quibus servierunt Patres vestri, &c.* Totam denique historiam claudit Scriptura, narrans Josue fœdus inivisse cum populo, & proposuisse illi *præcepta*, atque *judicia*. Non abs re crederemus, paria tum egisse Josue, quæ nunc Moyses in Mara.

Commodè etiam Textus exponeretur: Cœpit tunc Deus Hebræorum gubernacula, novam inducens Reipublicæ formam, politiam, & judiciales leges: Proposuit *præcepta & judicia*; experimentum etiam capere cœpit obsequii illorum, & fidei; *Ibi tentavit eum*. En Textum Jeremiæ, huic ferè parallelum. Deus ad Prophetam (u): *Non sum locutus cum patribus vestris, & non præcepi eis, in die qua eduxi eos de terrâ Ægypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni viâ, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis.*

℣. 27. VENERUNT IN ELIM &c. Si qua fides popularibus Arabum traditionibus, certus hujus stationis, & harum palmarum locus statui posset, quarum nonnulli Itinerantes meminêre, proximè ad mare rubrum: sed præstat has negligere, quàm aliquid minùs certum ac temerarium prorsus asserere. Meminit Strabo (x) nemoris palmiferi in eo regionis tractu, V dierum itinere a Je-

(p) *Rabb. apud Cornel. a Lap. & alios.* (q) *Lyr. Menoch. Tir. Valef. Cajet. Vide etiam Aug. qu. 57 in Exod.* (r) *Antiq. l. 3, c. 1.* (s) *Vide Seld. de jure nat. & gent. l. 3, c. 9.* (t) *Gemar. tit. Sanhedrin, c. 7.* (u) *Jerem.* VII, 22, 23 *apud Grot.* (x) *Strabo l. XVI, p. 521, & 553.*

Jericho dissiti. Locus est apud Incolas religiosus ob uberrimas aquarum scaturigines, quamquam reliqua omnia circum siccanea sint maximè & arenosa. Diis consecratur nemus, præsidentque Religioni vir & fœmina, ad eam rem destinati. Is locus assignari solet palmis Elim.

CAPUT XVI.

Murmur Hebræorum. Deus mittit coturnices: tum & manna pluit. Præcepta de servando Sabbatho, & de ratione colligendi mannam.

℣. 1. PRofectique sunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum Israël in desertum Sin, quod est inter Elim, & Sinai: quintodecimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terrâ Ægypti.

℣. 2. Et murmuravit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen, & Aaron in solitudine.

℣. 3. Dixeruntque filii Israël ad eos: Utinam mortui essemus per manum Domini in terrâ Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate: cur eduxistis nos in desertum istud, ut occideretis omnem multitudinem fame?

℣. 4. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce ego pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies: ut tentem eum, utrùm ambulet in lege meâ, an non.

℣. 5. Die autem sexto parent, quod inferant: & sit duplum, quàm colligere solebant per singulos dies.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VENIT OMNIS MULTITUDO . . . IN DESERTUM SIN. Omittit hìc Moyses eam stationem, de qua in Numeris XXXIII, 10, ad mare rubrum, Elim inter & Sin mediam. Desertum Sin (a) aliud est ab altero ejusdem nominis [b], trigesimæ septimæ stationis loco. Utriusque scribendi alia est ratio in Textu originali.

QUINTO DECIMO DIE MENSIS SECUNDI. Mense scilicet post relatum ex Ægypto pedem. Huic mensi nomen inditum Jar a Chaldæis primùm, tum & a Judæis post captivitatem Babylonicam.

℣. 4. UT TENTEM EUM, UTRUM AMBULET IN LEGE MEA, AN NON. Commodè etiam verteretur: *utrùm ambulaturus sit, &c.* Vult enim Deus experimentum capere fidei populi sui in re modicâ, ut de majoribus capiat argumentum. Nostro more hìc loquitur Deus, veluti si ignoraret intimam humani cordis habitudinem. Mannæ imbrem demittit, jubetque nonnisi diurnam annonam parari; hoc indicio intellecturus, an populus suus satis fideret divinis promissionibus, ut diurnum tantummodò cibum sibi pararet, crastina Deo relinqueret. Porrò ostendit Israëlitis, quantâ essent imbecillitate, & quantum illis ad perfectionem deesset, ut superbiam eorum & audaciam corrigeret, ait S. Augustinus *quæst.* 53 *in Exod.*

℣. 5. DIE SEXTO PARENT QUOD INFERANT, nempe pro succedenti die, vel parent vasa colligendæ mannæ; seu duplo majorem, quàm soleant, annonam colligant. Ex hoc Textu Veteres sanè multi (c) intulerunt, cadere cœpisse mannam die Dominicâ, sex diebus ante Sabbatum. Favet huic sententiæ versiculus 22, ferens, sextâ hebdomadæ die populum e mannâ duplum collegisse, quàm cæteris antea diebus; cujus rei certior factus est Moyses a Principibus: hac enim narratione innui videtur, jam inde ante aliquos dies colligi cœpisse a populo mannam. Sed huic prorsus repugnare videtur versiculus 20; nisi fortè reputemus, ea, quæ ibi narrantur de corruptâ mannâ, in alteram diem a nonnullis e populo reservatâ, non contigisse nisi aliquibus post diebus quàm cœperat pluvia.

Arbitramur autem, coturnices coactas fuisse in Castra *Sin* vespere feriæ quintæ, die XV secundi mensis; mannam verò cœpisse manè alterius diei

(a) סין *hic*, *& Num.* XXXIII, 12. (b) צין *Numer.* XX, 1; *&* XXXIII, 36. (c) *Origen. homil.* 7 *in Exod. Synod. Cæsar. apud Bedam. Ambrosiaster in cap.* X, 1, *ad Cor.* ℣. 5. *Author Serm.* 25 *de temp. apud Augustin.*

Digitized by Google

℣. 6. Dixeruntque Moyses & Aaron ad omnes filios Israël: Vespere scietis, quòd Dominus eduxerit vos de terrâ Ægypti:
℣. 7. Et manè videbitis gloriam Domini: audivit enim murmur vestrùm contra Dominum: nos verò quid sumus, quia mussitâstis contra nos?
℣. 8. Et ait Moyses: Dabit vobis Dominus vesperè carnes edere, & manè panes in saturitate: eò quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum: nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum.
℣. 9. Dixit quoque Moyses ad Aaron: Dic universæ congregationi filiorum Israël: Accedite coram Domino: audivit enim murmur vestrum.
℣. 10. Cùmque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israël, respexerunt ad solitudinem: & ecce gloria Domini apparuit in nube.
℣. 11. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens:
℣. 12. Audivi murmurationes filiorum Israël, loquere ad eos: Vesperè comedetis carnes, & manè saturabimini panibus: scietisque, quòd ego sum Dominus Deus vester.
℣. 13. Factum est ergo vesperè, & ascendens coturnix, cooperuit castra: manè quoque ros jacuit per circuitum castrorum.

COMMENTARIUS.

diei, xvi ejusdem mensis; ut proinde Moyses præceptum dederit hìc, cùm primùm manna demitti cœpit, colligendi duplo majorem portionem, quòd manè alterius diei, nempe Sabbato, manna pluere desitura esset: quæ sanctio per totum deinde iter obtinuit. Commodè etiam redderetur Hebræus (d): *Die autem festo parent* (coquant) *quod attulerint*, mannam, quam hac die collegerint, ne mane alterius diei occupentur, cibo videlicet parando. Vide ℣. 23. Putat Philo (e) Deum revelasse tunc Hebræis certam diem, qua mundi opus absolverat, religiosamque illâ pariter die quietem indixisse.

℣. 6. Vespere scietis quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti (℣. 7.) Et mane videbitis gloriam Domini. Probare vult Deus Israëlitis duplici prodigio, se tantùm authore eductos esse illos ab Ægypto: vespere igitur coturnices immittit, manè alterius diei mannâ pluit. *Gloriam Domini*, luculenta divinæ virtutis argumenta (f), seu potiùs præsentiam Domini in nube. Angelus in gravissimis rerum eventibus in nubem descendebat. Vide ℣. 9.

℣. 9. Dixit Moyses ad Aaron. Cùm Moyses & Aaron Dei verbis annonam polliciti fuissent Israëlitis, jussit Moyses Aaronem indicere populo, ut se coram Domino sisteret; converteret se scilicet ad locum, ubi insequens nubes coruscabat, accederet, quæque Deus exprobrabat, audiret; vel præcepit Aaron, ut converterent se ad locum tentorii, ubi cœtus habebantur, religionis & politiæ causâ. Antequam enim erectum esset Tabernaculum Domini, tabernaculum erat aliud, quod vocabant *Fœderis*; Tabernaculum scilicet illud extra castra tunc translatum, cùm populus vituli adoratione crimen admisit (g). *Cùm adhuc loqueretur Aaron .... respexerunt ad solitudinem* (extra castra scilicet); *& ecce gloria Domini* (nubes præsentem Dominum indicans) *apparuit in nube*.

℣. 12. Vespere comedetis carnes. Hebræus: בין הערבים, *Inter duas vesperas*. Septuaginta: Τὸ πρὸς ἑσπέραν, *Ad vesperam*. Cùm Deus hæc promissa implevit, ℣. 13, Moyses habet tantùm: *Factum est ergo vespere, & ascendens coturnix cooperuit castra*.

℣. 13. Factum est ergo vespere, et ascendens coturnix cooperuit castra. Incidunt vesperæ illæ sub exitum diei xv & initium xvi secundi mensis, juxta Hebræorum supputandi rationem. Hebræum שלו *Schelau*, quod Septuaginta reddunt ὀρτυγομήτρα, & Vulgata *coturnices*, Jonathan exposuit *Phasianos*. RR. Kimchi & Salomon accipiunt de opimis avibus, nihil addentes ulteriùs. Pluribus allatis conjecturis demonstrare nititur Ludolfus (h) sermonem hìc esse de locustis. Vix sibi persuadet Grotius, agi re ipsâ de coturnicibus. Nihilo tamen seciùs linguæ omnes Orientales Hebraicæ affines, vel eâdem voce vel affini utuntur, ut genus illud avium designent. Frequentissimas esse cotur-

(d) הכינו את אשר יביאו (e) *Philo de vitâ Mos. l. 1, p. 634. D.* Ἅμα μέντοι καὶ τὴν τριποθητὸν ἡμέραν ἀνεδιδάσκοντο. ζητοῦντες γὰρ ἐκ πολλοῦ τίς ἄρα ἡ τοῦ κόσμου γενέθλιος, ἐν ᾗ τόδε τὸ πᾶν ἀπετελέσθη, καὶ παρὰ πατέρων καὶ προγόνων τὴν ζήτησιν ἄλυτον διαδεξάμενοι μόλις ἠδυνήθησαν εὑρεῖν, οὐ μόνον χρησμοῖς ἀναδιδαχθέντες, ἀλλὰ καὶ τεκμηρίῳ πάνυ σαφεῖ. (f) *Vide Num.* xvi, 21. *& Joan.* 1, 54; *&* xi, 40. (g) *Vide Exod.* xxxiii, 7. (h) *Apud Joh. Cleric. hìc.*

Digitized by Google

℣. 14. Cùmque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram.

℣. 15. Quod cùm vidissent filii Israël, dixerunt ad invicem: Manhu? quod significat: Quid est hoc? Ignorabant enim, quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.

COMMENTARIUS.

coturnices ad Sinum Arabicum, testatur Josephus (i). Illas sale conditas in suos usus servasse Ægyptios, planè constat (k). Affirmat Hesychius (l), coturnices illas sale maceratas, & sole exsiccatas, minores esse quàm reliquas ejus generis aves. Has in hunc modum pararunt sibi Israëlitæ, cùm Deus illas secundò suffecit (m). In Insulis quibusdam Ægæi certis anni temporibus videntur magno numero coturnices, e regionibus meridionalibus in nostras transvectæ, vel e regionum septemtrionalium brumâ pulsæ, remeantes ad meridionales. Insula Ortygia inter Cycladas, coturnicibus ditissima, nomen inde suum refert. Quo tempore coturnices remeant in Europam, ineunte vere, aucupio plures capiuntur in aliquâ e Cycladibus; quas ab extis purgatas, & salitas in doliis servari ex testis oculati relatione didici. Diodorus Siculus tradit, gentes vicina Rinocoruræ loca tenentes (est autem regio non longè dissita a deserto, quà iter habebant Israëlitæ) protensis aucupii retibus ad littus maris, quo tempore ex unâ regione in aliam migrant coturnices, tam multas earum venari, ut annonam sibi & cibum in reliquum tempus parent. Non incongruè reputaremus, avium ejusmodi nubem aliquam, cùm fortè Rinocoruram transiret, vel e coturnicibus illis, quæ littora maris Rubri tenent frequentissimæ, vi venti in castra Israëlitarum fuisse depulsam. Tempus transmigrantium in Europam coturnicum (n) satis congruit cum eo, quo aves illæ impulsæ sunt in castra; dies enim xv mensis *Jar* componitur cum exordio Maji, quo tempore coturnices e meridionalibus ad septemtrionales plagas se conferunt, uti & autumno redeunt ad meridionales. Tota prodigii ratio in eo sita est, ut constituto temporis articulo coturnices magno numero impellerentur in castra.

Mana quoqua ros jacuit per circuitum castrorum. Hebræus ℣. 13, & 14 ita commodè reddi potest: *Manè ros cecidit* (vel jacuit שכבת הטל) *per circuitum castrorum; eoque dissipato, ecce super faciem deserti minutum rotundum, minutum sicut pruina super terram.* Porrò ros noctе pluebat, uti legimus in Numeris xi, manna verò super rorem descendebat: *Cùm descenderet noctu super castra ros, descendebat manna super eum*: ita Hebræus hujus loci. Docent Rabbini (o), pruinam obvolvisse mannam superiùs & inferiùs illam protegendo; ex quo fiebat, ut dissipato vi solis rore, detegeretur manna: ego tamen crediderim, juxta vim textûs originalis, super instratum rorem illapsam fuisse mannam, ceu super instratum tapetem. Incalescente sole, dissipabatur ros, ac super herbas vel arenam recipiebatur manna; quæ fervescentibus deinde Solis radiis pariter liquefiebat, ut scribitur ℣. 21: *Cùmque incaluisset Sol, liquefiebat.* Quare primo adhuc mane colligenda erat manna, rore dissipato, antequam adolesceret dies. Hunc Textum ita reddunt Septuaginta: *Factum est mane cessante rore in circuitu castrorum* (p); (℣. 14) *ecce super faciem deserti minutum quasi coriandrum album, tanquam gelu super terram.* Hebrææ voces דק מחספס, quas S. Hieronymus reddidit *minutum, & quasi pilo tusum*, explicant Chaldæus & Syriacus proximâ Vulgatæ interpretatione, *minutum quasi decorticatum*, vel in mortario, aut sub molâ contusum. Septuaginta *Coriandrum album*, quod desumptum videtur ex ℣. 31, ubi manna colore & formâ coriandro comparatur: alba enim erat manna, ceu nix, ait Philo, *De Profugis.* Ipsi pariter Septuaginta in Numeris 11, 7, mannam comparant crystallo vel glaciei; hìc autem pruinæ comparatur, seù potiùs gelu albo, & guttis roris glacie concretis ad extremas cuspides frondium arborum, & herbarum. Hebræum מחספס *Mechuspbas* Interpretum nostratum plerique vertunt *rotundum*. D. Clericus exponit *molle*, vocem ducens a Chaldæo חסף, *Chasaph*, quod Chaldaicè est argilla; vel ab Arabico חסיף, *chasiph, terra mollis.*

℣. 15. Dixerunt ad invicem: Manhu? quod significat: quid est hoc? Hanc versionem retinent Veteres omnes, & recentiorum itidem ferè omnes (q). Ad rei novitatem stupentes Hebræi, & albentem undique terram admirantes, parvis hujusmodi granis vel grumulis albis & pellucidis, alter alteri admirans dicebat: מן הוה, *Man-hu*, quid est hoc? Interrogantibus reponebat Moyses: Annona est, quam vobis Deus suppeditavit. Nomen *Man*, quod casui debebatur, rei deinde in perpetuum mansit; non enim deinceps alio nomine appellata est quàm *Man*.

Sunt qui (r) pro eo: *Quid est hoc?* reddant: *Man istud.* Reputant enim, Israëlitas satis nosse naturalem mannam, in Arabiâ communem; & cùm nō intelligerent adhuc naturam rei, quam tum primò habebant sub oculis, mannam appellarunt, quòd a mannâ vulgari non abluderet. Censent illi, *Man* non ideo positum in Hebræo, ut significet *quid*, quamquam ita usurpatum est apud Chaldæos, sed perinde valere, ac *quis*, non *quid*. Sed falsò illos philosophari censemus. Animadvertere juvat, *Man* poni pro *quis* in Psalmo lx, 7 (s). Putant alii (t), *Man* vocem esse Ægyptiam, idem

(i) *Antiq. l. 3, c. 1.* (k) *Herodot. l. 2, c. 77.* (l) *Hesych. voce χίννιον.* (m) *Num. xi, 32.* (n) *Vide Bellon. observ. l. 2, c. 27.* (o) *Apud Munster.* (p) Τὸ πρωὶ δὲ ἐγίνετο καταπαυομένης τῆς δρόσου (q) *Lyr. Cajet. Fag. Montan. Drus. Pisc. Grot.* (r) *Oleast. Munster. le Clerc.* (s) *Psal. lx, 7.* חסד ואמת מן ינצרהו *Misericordiam & veritatem ejus quis requiret?* (t) *Huetius. Grot. Drus.*

Digitized by Google

idem exprimentem ac *Mab* apud Hebræos, scilicet, *Quid?* Reddunt alii (u): *Donum hoc est*, a Deo nobis promissum; vel potiùs: *Cibus*, aut *pars*, vel *præparatum hoc est*. Seu tandem per contemptum: En cibum eximium, quem nobis tanto verborum apparatu exhibuit.

Manna generale nomen est plurium rerum cibariarum, quæ variæ sunt in variis regionibus. Omnium communissima est manna Arabica, referens genus quoddam coagulati mellis, quo arbores per æstatem, rupes, herbæ, & arena in Arabiâ Petræâ insperguntur (x). Sacchari genus illud, quod appellant *Sacamambu*, genus est etiam mannæ, quod Indiæ sufficiunt. Saccharum illud norant Veteres, nec aliud intelligendum est, cùm in eorum scriptis mentio occurrit Sacchari. Liquentis, veluti mellis, mannæ genus quoddam commemorat Avicenna, cujus dimidio minor est vis quàm mannæ Arabicæ. Hoc autem mittunt Provinciæ Chorazan & Maunnaher. Manna alia super plantam *Alkusar* colligitur in Arabiâ, Ægypto, locisque ad Tripolim in Africâ. Ejus arboris umbra noxia creditur & mortifera. Vulgaris manna Arabica est, colore albo, solida; appellaturque manna, sine addito, in magnâ Cairo, quæ in medicamentariis officinis venditur. Pluit in Arabiâ mensibus Julii & Augusti: ciceris habet magnitudinem: candore, cùm e cœlo cadit, æquat nivem, plana magis quàm rotunda: solis vi liquescit, admiscetur que sabulo; quare ante diei æstum colligitur. Sabulo, cui immiscetur, purganda iterum liquatur, & per linum percolatur, coagulatur deinde, veluti cera (y).

Notum est alterum mannæ genus (z), quod Græci appellant *rorem Libani*, Hippocrates *mel Cedri*, & Galenus Δροσόμελι, *drosomeli*, vel ἀερόμελι, *aëromeli*, quo liquore vitrea vasa implent incolæ Libani. Narrant, eas gentes pelles quasdam arboribus insternere, quibus eum liquorem excipiant. Meminit Dioscorides succi cujusdam in Syriâ arboris, quem ille succum ἐλαιόμελι, *elaiomeli* appellat, & nos eumdem esse ac Drosomeli Galeni credimus. Suspicatur Salmasius, mel illud, quo victitabat S. Joannes in deserto, densum fuisse rorem, qui concrescebat: eadem reputasse visus est Suidas, *in voce ἀκρίς*. Recens quidam author affirmat (a), mannam montis Libani & Persidis minutis non distingui grumis albentibus, uti Europæam, sed viride quiddam ceu vitriolum referre: colligi autem crassum illum liquorem veluti mel ex herbis, & foliis. Ut transvehatur in varias regiones, hircinis pellibus conditur, quibus obvoluta tam valdè coagulatur, ut nonnisi securi scindatur. Ingentem mannæ vim sufficiunt Calabri (b): colligitur autem illa nonnisi fermè ex fraxinis, & ulmis, quæ sylvestris fraxini genus sunt. Stillat e cortice arborum sponte, sub caniculâ. Solaribus radiis resistit, quin & obduratur magis, cùm soli exponitur, superfluæ humiditatis purgandæ gratiâ. Negat Altomarus hanc mannam genus esse roris cœlitus stillantis, liquorem potiùs credit, e trunco & foliis manantem. Contraria reputat Mathiolus, ratus verissimum esse rorem, in cujus sententiam concedit Abbas Rousseau, quòd mannâ illâ inspergantur non arbores tantùm, sed & lapides, & humus. Grumulis stringitur parvis, claris, pellucidis, albentibus, gustui dulcissimis, a mastice non dissimilibus. Gemina ferè dicas de mannâ Arabicâ, de mannâ, inquam, genuinâ, cognomento *masticinâ*. Mannam Calabræ simile spectasse dicit se Mathiolus in agro Forojuliensi, & Tridentino. Paria tradit Levinus Lemnius de rore quodam concreto, quem juxta Lovanium nactus fuit: agit Bustamantius de mannâ, qua insperguntur pinus & juniperi circa Brigantium in Delphinatu.

Colligitur manna pariter in Poloniâ, sed alterius ab hisce omnibus generis. Verissimum est seminis genus, quod excutitur, ut primo cortice spolietur, uti oriza & hordeum parantur. Vulgò creditur e Cœlo statutis anni temporibus cadere, & colligi in lineis ante exortum Solem, cùm ejus radiis liquetur. Colligendi ante exortum Solem necessitas non ex eo petitur, quòd solaribus radiis liquescat, sed ex eo potissimùm, quòd arista jam plenè matura, Solis calore hiscat, ac semen cadat, frustra deinde humi quærendum. Mannæ hujus grana ad millium satis accedunt, longiuscula magis, & rubri coloris: cribro purgantur, tunduntur, moliuntur, & sorbitiunculis serviunt.

Censet Salmasius, mannam illam, qua Deus aluit Israëlitas, naturalem fuisse maximè, nec enim novam illis creare par erat: Eadem erat, inquit, manna, qua Cœlum pluit in Arabiâ; dotes ejus servabat omnes, cùm scilicet manè singulorum dierum caderet in grumulos collecta, unà cum rore solaribus radiis liquesceret, & mellis saporem referret. Nec illi facit negocium medicinalis illa mannæ vis, purgandi scilicet corpora; neque enim id præstare posse censet, si majori copiâ & frequentiùs adhibeatur in cibum: experientiâ enim compertum est, frequenti rerum quarumdam usu sive omnem sive ex parte effectum earum eludi. Sunt qui venenis assueti venena bibant impunè: sunt qui constanti animo cicutam sorbent & helleborum. Fatetur Josephus (c) adhuc in Arabiâ eamdem pluere mannam, qua Deus olim aluit Israëlitas. Eamdem alicubi per orbem occurrere, admittit S. Ambrosius (d). In eamdem sententiam concedunt Franciscus Valesius (e), Levinus Lemnius (f), Cardanus, & recentiorum alii sanè plures.

Recens quidam Itinerator (g) contraria planè reputavit, ratus mannam Arabicam leviorem esse, ut alendis hominibus naturâ suâ sufficiat. Cùm idem ad montem Sinai se contulisset, mannam plurimam propè eum montem collegit; inspergebantur enim illâ rupes, & arentes quædam herbæ in vallibus subcrescentes, acuto odore ac penetrante, qui sanè odor & mannæ communicatur. Cadit manna illa ferventissimo anni tempore, figuram refert Mosaicæ similem, ac singulari hac dote, quòd quamcitissimè evanescat: quare siquis xxx ex eo libras in patulo vase ponat, post xv dies nec decem libræ supersint. Inde argumentabatur, fieri minimè potuisse, ut tenui levique cibo tamdiu nutrirentur Israëlitæ. Addendum hisce succurrit mannam a Deo Israëlitis in Arabiâ demissam, pluribus instructam fuisse dotibus prodigiosis

(u) *Vatab. Pagnin. Mercer.* (x) *Vide Bochart. Dissert. de Mannâ, fol. 871 Geograph. edit. Lugd. Batav. an. 1682.* (y) Morizon, voyage de Syrie. (z) *Petrus Bellon. observat. l. 2, c. 65.*
(a) Secrets de l'Abbè Rousseau. (b) Altomare, Traitè de la Manne. (c) *Joseph. Antiq. l. 3, c. 1.* (d) *Ambros. Epist. ad Irenaum 64 nov. edit.* (e) *Philos. sacra c. 59.* (f) *Lib. de sacra Scriptura herbis.* (g) *Abbas* Rousseau, *in suo libro* Secrets &c.

℣. 16. Hic est sermo, quem præcepit Dominus: Colligat unusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum: gomor per singula capita; juxta numerum animarum vestrarum, quæ habitant in tabernaculo, sic tolletis.

℣. 17. Feceruntque ita filii Israël: & collegerunt, alius plus, alius minus.

℣. 18. Et mensi sunt ad mensuram gomor: nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus paraverat, reperit minus: sed singuli juxta id, quod edere poterant, congregaverunt.

℣. 19. Dixitque Moyses ad eos: Nullus relinquat ex eo in manè.

℣. 20. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis usque manè, & scatere cœpit vermibus, atque computruit. Et iratus est contra eos Moyses.

COMMENTARIUS.

digiosis, quibus a Vulgari ejus regionis distinguetur; cadebat enim quotidie, excepto Sabbato, & constanter in locis, ubi castra ponebant Israëlitæ. Nunquam, ne semel quidem, cessavit a statione ad desertum Sin usque ad ingressum populi in terram promissionis, XL. annorum spatio. Cadebat circa castra tam uberi copiâ, ut instructissimo exercitui sufficeret: colligebant autem singuli ex eo Gomor, idest, plus aliquid supra tres pintas; & mirâ quadam virtute alebat juvenes æquè ac senes, imbecilles & validos, ægros, & integrâ valetudine. Feriâ autem sextâ duplo effusior cadebat: cessabat autem sabbato; & cùm cæteris diebus ad alterum manè reservatum scateret vermibus, intactum perseverabat die Sabbati. Alia erat singularis & prodigiosa mannæ hujus indoles, quòd Sole liquaretur, cùm tamen quæ colligebatur, adeò esset solida, ut contunderetur in mortario, ac pateretur ignem, adeò ut vel in sartagine frigi commodè posset, vel subigi in placentas, quæ sanè omnia frustra tentes in vulgari Arabicâ mannâ; quæque fidem prodigii Mosaicæ huic mannæ concilient, ut proinde meritò in Scripturâ panis cœlestis vel cibi Angelici elogio donetur; sive quòd Angelorum ministerio parata sit, sive quòd grato adeò sapore alliceret, ut suspicioni esset locus, Angelos non alio cibo usuros, si corporeum admitterent.

Buxtorfius in suâ Dissertatione de mannâ, recitat, post Rabbinos, de hoc eximio cibo plura, quæ cùm frustra quærantur in Scripturâ, ideo suspicionis habent plurimum, veritatis parum.

Prætereo prodigiosam aliam mannæ dotem, de qua in Libro Sapientiæ (*h*), ita scilicet comedentium genio sese accommodasse, ut singulorum voluptatibus serviret. Asserit, hunc Angelorum panem in se uno continuisse quæcumque gustui blandirentur, & quidquid in cæteris cibis grati esset saporis, in illo uno colligi. Ad literam dicta hæc usurpant recentiores quidam Interpretes (*i*); sanctè insuper affirmantibus nonnullis, non gustum modò delicatissimarum omnium dapium mannam illam exhibuisse, sed & formam etiam & substantiam ejus, quem sibi quisque cuperet, cibi. Narrat Josephus (*k*), eos, qui hoc nutriebantur, alium prætereà cibum non desiderasse. Sed sapientissimi quique defendunt, hæc omnia, per excessum dicta, aliter sanè accipienda esse, quàm ad literam sonent; quin & illud quod de sapore mannæ ad comedentium voluptatem accommodato dicitur, privilegium fuisse ajunt Justis tantum & filiis Dei collatum, quibus eâ in re hoc prodigio serviendum Dominus censuerit. Hanc illis mentem indidit Scriptura ipsa, verbis illis suis: *Ut dulcedinem tuam in filios demonstrares*. Scitè etiam observat S. Augustinus (*l*), si hæc saporum varietas omnibus generatim Israëlitis contigisset, non modò iniquum, sed & ridiculum futurum fuisse, cùm populus mannam fastidiens quereretur: *Anima nostra arida est; nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man*. In mannâ typicè expressum Dei verbum censet Origenes (*m*), quod necessitatibus, gustui, & habitudinibus omnium sese accommodat.

℣. 16. Gomor per singula capita. Gomor, uti jam notavimus, mensura erat tribus pintis aliquanto major, quæ voracissimis quibusque superfuisset. Plures utique erant in populo, quibus ex eo cibo supererat plurimum; sed Deus certam quamdam mensuram singulis determinat, ut murmuris causam omnem præcidat: tantum statuit quantum sufficiat ad satietatem, sed non prohibet ut minus quàm Gomor singuli sibi comparent, si fortè minori indigeant.

℣. 17. Collegerunt alius plus, alius minus. Quisque pro viribus mannam collegit, magis minusve. Qui ultra Gomor sibi comparaverat, in alterum refundebat quidquid ad Gomor defuisset. Ita æquum omnibus distributum est. Qui ad excessum sibi comparaverant, nihil reliqui habuerunt; qui verò minus quàm opus erat egestati suæ, ex aliorum copiâ habuerunt. In hunc sensum

Textum

(h) Sap. XVI, 20: *Angelorum escâ nutrivisti populum tuum, & paratum panem de Cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem, & deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.* (i) *Vide Cantacuzen. in Sapient. Hessel. de Eucharistiâ. Claud. de Saintes, repetit. 7. Valentia l. 4, disp. 6, qu. 3. Thom. Bosium de notis Eccles. l. 13, c. ult.* (k) *Joseph. Antiq. l. 3, c. 1.* (l) *Aug. l. 2 retract. c. 20. Vide & Greg. l. 6 Moral. c. 9.*
(m) *Homil. 7 in Exod. ad finem.*

℣. 21. Colligebant autem manè singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum: cùmque incaluisset sol, liquefiebat.

℣. 22. In die autem sextâ collegerunt cibos duplices, id est, duo gomor per singulos homines: venerunt autem omnes principes multitudinis, & narraverunt Moysi.

℣. 23. Qui ait eis: Hoc est, quod locutus est Dominus: Requies sabbati sanctificata est Domino cras: quodcumque operandum est, facite; & quæ coquenda sunt, coquite: quidquid autem reliquum fuerit, reponite usque in manè.

℣. 24. Feceruntque ita, ut præceperat Moyses, & non computruit, neque vermis inventus est in eo.

℣. 25. Dixitque Moyses: Comedite illud hodie, quia sabbatum est Domini: non invenietur hodie in agro.

℣. 26. Sex diebus colligite; in die autem septimo sabbatum est Domini, idcircò non invenietur.

℣. 27. Vênitque septima dies: & egressi de populo ut colligerent, non invenerunt.

℣. 28. Dixit autem Dominus ad Moysen: Usquequò non vultis custodire mandata mea, & legem meam?

COMMENTARIUS.

Textum accepisse videtur Apostolus (n): *Ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundavit; & qui modicum, non minoravit.* Aliter: Quisque in suum Gomor tantum redêgit, quantum esset pro voluntate, ut votis omnium fieret satis. Qui plurimum sibi comparaverant, ciboque uberiore indigebant, tantum habuerunt, quantum sibi opus erat; qui verò minus, nec sibi deesse aliquid senserunt, nec minus quàm indigerent. Uno verbo, pro voluntate ac religione suâ quisque mannam comparavit, nemo tamen supra Gomor. Ita factum est, ut Deum ad largitatem sibi consulere omnes experirentur. Hebræus ad literam (o): *Et collegerunt multiplicans & diminuens, & mensi sunt in Gomor; & non abundare fecit multiplicans, & minuens non minoravit.*

Ex Patribus (p) & Interpretibus [q] plurimi arbitrati sunt, Deum constanti prodigio redegisse ad certam Gomor mensuram quæcumque ultra illam, vel illâ minus, privatus sibi quisque comparasset. Nec desunt qui credant, id sibi negocii sumpsisse Angelum, ut nimiam hujus annonam diminueret illis, quibus plena Gomor mensura obfutura fuisset; augeret verò, compactam magis reddens iis, quibus plenum Gomor minus esset ad alendum. Subtilia prorsus & vana commenta; quasi scilicet Scriptura adamussim notaret, indictam singulis mensuram Gomor. Fas erat cuique plenam, nec ne, colligere mensuram.

℣. 21. CUMQUE INCALUISSET SOL, LIQUEFIABAT. Scitè notat Chaldæus, dicta hæc accipienda esse de mannâ sub dio relictâ; quam enim in tentoria sua retulerant Israëlitæ, ea non Soli tantùm resistebat, sed & coquebatur igne, uti jam animadvertimus. Rabbinorum nonnulli, post Targum Jonathan filii Uzielis, contendunt, mannam liquari cœpisse ante duas horas a meridie; colliquatam autem largissimas aquas reddidisse. Sed Author Libri Sapientiæ XVI, 27, docet: *Quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis tabefactum tabescebat.*

℣. 22. IN DIE AUTEM SEXTA COLLEGERUNT CIBOS DUPLICES .... VENERUNT AUTEM OMNES PRINCIPES MULTITUDINIS, ET NARRAVERUNT MOYSI. Num Principes illi ignorabant, a Moyse indictum fuisse, ut sextâ die duplo major annonæ portio colligeretur? vel fortè nesciebant agi tunc sextam diem? vel tandem timebant, utrùm populus præcepta Mosaica satis esset assecutus? Non aliò sanè spectare posse eorum dubitationes videntur, quàm ad rationem Legis servandæ, & sensum, quo verba illius acciperentur. Reputarunt illi fortè, præceptum de colligendâ duplo majori annonâ sextâ hebdomadæ die, non ad primam illam hebdomadam, qua pluere cœpit, pertinere, sed ad sextas cæteras ferias deinceps venturas. Ponimus autem, contigisse hæc primâ die, qua manna pluere cœpit. Vide superiùs ℣. 5. Præstat tamen dicere, hanc rerum circumstantiam insertam hîc fuisse datâ occasione, licet impletam nonnisi aliquandiu post cœptum mannæ ejus imbrem? Plura hîc colligit Moyses, quæ ad succedentes dies planè referenda sunt; e. g. ℣. 21 ita loquitur veluti innuens, jam inde ab aliquibus diebus mannæ populum assuevisse. Porrò versiculus 22 continuatio est præcedentis.

℣. 23. HOC EST QUOD LOCUTUS EST DOMINUS: REQUIES SABBATI. Contendunt Hebræi, præceptum de religione Sabbati servandâ primùm datum in statione ad Mara, aliquibus ante diebus

(n) 2 Cor. VIII, 15.

(o) וילקטו המרבה והממעיט : וימדו בעמר ולא העדיף המרבה והממעיט לא החסיר

(p) *Vide Philon. l. 2 Allegor. p. 90, 91; Chrysost. Theodoret. Theophyl. in 2 Cor. VIII, 15; Nyssen. de vitâ Mos.*

(q) *Rabb. Salom. hîc. Cornel. a Lapide & in 2 Cor. VIII, 15. Herv. Vat. ibid.*

℣. 29. Videte, quòd Dominus dederit vobis sabbatum; & propter hoc die sextâ tribuit vobis cibos duplices: maneat unusquisque apud semetipsum: nullus egrediatur de loco suo die septimo.

℣. 30. Et sabbatizavit populus die septimo:

℣. 31. Appellavitque domus Israël nomen ejus Man: quod erat quasi semen coriandri album, gustusque ejus quasi similæ cum melle.

℣. 32. Dixit autem Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retro generationes: ut noverint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terrâ Ægypti.

℣. 33. Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas unum, & mitte ibi Man, quantum potest capere gomor: & repone coram Domino ad servandum in generationes vestras;

℣. 34. Sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reservandum.

℣. 35. Filii autem Israël comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt, usquequò tangerent fines terræ Chanaan.

℣. 36. Gomor autem decima pars est Ephi.

COMMENTARIUS.

bus, quàm pervenirent ad Desertum Sin. Sacerdotes & Levitæ in secundo Esdræ IX, 24, agnoscunt Dominum aperuisse populo suo Sabbati religionem; quod planè adversatur nonnullorum persuasioni de cœptâ ejus rei observantiâ jam inde ab exordio mundi: minimè tamen ajunt Sacerdotes illi, latam fuisse primùm eam legem in Mara, quin potiùs in Sinai rogatam innuunt. Philo (r), utì jam animadvertimus, putat, Hebræos, cùm e memoriâ excidisset qua die creationis opus absolvisset Deus, rem totam hìc iterum ex eo didicisse, quòd mannæ illapsus eâ die cessaret. Persuasum habuerunt (s) Justinus & Tacitus, Judæos requiem Sabbati habere religiosam, quòd eâ die eorum ærumnæ & itinera finem habuerint; quorum sanè opinio aliquod habet in hac historiâ fulcimentum, qua legimus acceptam a populo mannam, & celebratam primam Sabbati diem proximè ad Sinai, primam itineris ejus gentis metam.

Quodcumque operandum est, facite, et quæ coquenda sunt, coquite. Operis omne genus vetitum die Sabbati, vel cibos parare, nefas; præcedenti die omnia paranda erant.

℣. 29. Maneat unusquisque apud semetipsum. Die Sabbati contineat se quisque in castris, neque ad colligendam mannam, neque aliud quid præstandum exeat. Iter die Sabbati permissum definiunt Paraphrastæ Onkelos, & Jonathan ad duo millia cubitorum (t). Hæreticorum nonnulli verba Textûs ad literæ rigorem usurpantes, censebant manendum die Sabbati eodem in loco, statu, & situ, quo incidens dies ille homines occupasset.

℣. 31. Man: quod erat quasi semen coriandri, album, gustusque ejus quasi similæ cum melle. Mannæ formam satis accessisse ad coriandrum, superiùs diximus. Samaritanus: ὡς σπέρμα ὀρύζης, *Quasi semen orizæ* (u), sed colore albo. Albedo illa ℣. 14, hìc pruinæ comparatur, *In similitudinem pruinæ*; & in Numeris XI, 7, bdellio: *quasi semen coriandri, coloris bdellii*. Sapore erat melleo vel placentæ ex melle. In Numeris XI, 8, legimus habuisse saporem panis oleati, ex oleo scilicet cocti, vel oleo subacti, vel post coctionem oleo illiti.

℣. 32. Dixit autem Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple Gomor ex eo. Ex proximè succedenti versu intelligimus, præceptum hoc a Deo Moysi datum fuisse, quod exequeretur Aaron. *Imple*, idest, jube impleri. Samaritanus: *Implete*. Syriacus & Arabs: *Plenum Gomor ex eo, sit custoditum in generationes vestras.*

℣. 33. Sume vas unum, et mitte ibi man, ... et repone coram Domino. Septuaginta: *Accipe* στάμνον χρυσοῦν, *vas aureum*: auream pariter urnam habet Epistola ad Hebræos IX, 4: *In qua urna aurea habens manna* Rabbinorum nonnulli explicant Hebræum צנצנת, *Zinzeneth* de vase testaceo, vitreo, vel æreo: alii de *lance*. Gomor mannâ plenum condidit Aaron sive in Tabernaculo Cœtûs, sive in suo, sive in peculiari Moysis, ibi tamdiu servandum, quamdiu Tabernaculum Fœderis constitueretur. Porrò Moyses verbis illis, *Repone coram Domino*, innuere videtur, mandatum illud se recepisse post constructionem Tabernaculi. Per anticipationem hæc dicta

(r) *De vitâ Mos. l. 1, p. 634.* (s) *Justin. l. 36; Tacit. Hist. l. 5.* (t) *Vide Exod.* XX, 8; *&* XXXI, 14.
(u) *Dosithaus Samarit. apud Origen. Philocalia c. 1. Ita Basil. Cod. & Drus.*

cta accipiunt Vatablus, Estius, & Menochius. Manna ab Israëlitis servata in alteram diem scatebat vermibus; intacta ad plura sæcola mansit illa, quæ in urnâ Domini condita est.

Porrò mannæ dotes illæ, quà naturales, quà supra naturam, emblema sunt aptissimum cœlestis panis, quo nos aluit Jesus Christus Sacramento corporis & sanguinis sui; quod ipse de se Christus admonuit (x). Primum quod in mannâ laudatur, illud est, descendisse scilicet de Cœlo, juxta phrasim Scripturæ, panem illum Angelicum: agnoscas hîc licet Jesum e sinu Patris lapsum in salutem nostram, miro quodam virtutis & amoris sui artificio in alimoniam hominum sub specie panis sese conformantem; panis iste Divinus continet in se miram quamdam virtutem, robur, dulcedinem, Dei filiis & selectis sibi gentibus gustandam; cùm interim Hæretici, increduli, & impii quique ex Fidelibus nihil in eo cernant, nisi vile quiddam & fastidii plenum, perinde ac Israëlitis carnalibus manna, cibus ille exquisitissimus nihil nisi insipidum & nauseam provocans sapiebat.

Nocte cum rore labebatur manna, saporem referens mellis: in typum occulti, invisibilis, & mystici illapsûs Filii Dei in nostra altaria, unde scilicet refundat dulcedinem suam, gratias & benedictiones in eos, qui ad cibum illum degustandum ritè se comparant.

Pluebat manna in deserto, alebat populum, jussu Dei quærentem terram Promissionis; cessavit statim ac vênit ille in eam terram, illiusque fructus gustavit. Caro & sanguis Jesu Christi in Sacramento cibus est succulentus, vivificans, quo comparamur ad prosequendum hujus vitæ iter, quæ sanè vita iter est nobis pariter & exilium.

Mannam, quæ super terram residua erat, solares radii dissipabant, ex qua si quid plus nimio quis collegisset, quæ supererat in vasis scatebat vermibus. Sanctissima quæque Christianorum Mysteria scandalo sunt & confusioni iis, qui curiosius indagare illa voluerint. Qui mannam plus quàm opus erat, collegisset, nunquam superfluam habebat; qui minus justo, justâ tamen alimoniâ non carebat. In Mysterio Eucharistiæ æquè omnes Jesum Christum, ad rem ipsam Sacramenti quod attinet, recipiunt; vim autem & effectum variè varii, juxta variam singulorum habitudinem.

Sub oculis tandem ponit Jesus Christus discrimen inter mannam illam Israëliticam, & Corporis sui aliam; quæ sanè postrema longè superat mannam Israëlitarum in deserto; hæc enim a morte comedentes non præservat, Eucharisticus autem Panis vitam confert comedentibus immortalem.

CAPUT XVII.

Murmur Israëlitarum ad Raphidim. Deus aquas demittit e silice Horeb. Prælio vincuntur Amalecitæ.

℣. 1. IGitur profecta omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin per mansiones suas, juxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim: ubi non erat aqua ad bibendum populo.
℣. 2. Qui jurgatus contra Moysen, ait: Da nobis aquam, ut bibamus: Quibus respondit Moyses: Quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum?
℣. 3. Sitivit ergo ibi populus præ aquæ penuriâ, & murmuravit contra Moysen, dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos nostros, ac jumenta siti?
℣. 4. Clamavit autem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? Adhuc paululùm, & lapidabit me.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DE DESERTO SIN .... CASTRAMETATI SUNT IN RAPHIDIM. E Sin venerunt Israëlitæ in Daphca, uti legimus in Numeris XXXIII, 12; inde in Raphidim. Sunt qui pariter inter Daphca, & Raphidim ponant *Alus*. Stationes illas facilè non distinxit Moyses, quòd essent in deserto Sin, nec memorabili aliquâ re gestâ designandæ fuissent.

℣. 2. QUID JURGAMINI CONTRA ME? CUR TENTATIS DOMINUM? Cur vestro murmure de me obloquimini, quasi scilicet sive de virtute, sive de clementiâ in vos Dei ambigere possitis? Cur a Deo non efflagitatis? Dubium populi ac tentationem de potentiâ Dei, narrat versu 7: *Est ne Dominus in nobis, an non?*

℣. 5.

(x) *Joann.* VI, 31, 49, 59.

ỷ. 5. Et ait Dominus ad Moyſen: Antecede populum, & ſume tecum de ſenioribus Iſraël, & virgam, quâ percuſſiſti fluvium, tolle in manu tuâ, & vade.

ỷ. 6. En ego ſtabo ibi coram te, ſupra petram Horeb: percutieſque petram, & exibit ex eâ aqua, ut bibat populus. Fecit Moyſes ita coram ſenioribus Iſraël.

ỷ. 7. Et vocavit nomen loci illius, Tentatio, propter jurgium filiorum Iſraël, & quia tentaverunt Dominum, dicentes: Eſtne Dominus in nobis, an non?

ỷ. 8. Vênit autem Amalec: & pugnabat contra Israël in Raphidim.

COMMENTARIUS.

ỷ. 5. VIRGAM, QUA PERCUSSISTI FLUVIUM, TOLLE. Moyſem virgâ ſuâ percuſſiſſe Erythræum non narrat Scriptura, ſed tantùm virgâ illâ protensâ ſcidiſſe aquas. Quare, cur nomine fluvii intelligamus fretum illud, ut quidam voluot (a), nihil eſt cauſæ. Agit igitur de Nilo.

ỷ. 6. STABO IBI CORAM TE SUPRA PETRAM HOREB. Septuaginta (b), Philo, aliique nonnulli legunt: *Steti ſuper petram, priuſquam tu eò venires*. Quod facere ſtatuerat Deus, tanquam jam factum commemorat. Reddi poſſet Hebræus (c): *Ego ſtans ante te*; vel *ſtans coram te*. Cùm tu illuc vêneris, eò pariter me ſiſtam: videbis me ſuper illam definitam rupem; vel generatim indicatur ſilex montis Horeb, a Deo Moyſi deſignandus, exhibito ſuper illum gloriæ ſuæ ſpecimine, & nubis fulgore. Ito, inquit, ad montem Horebum: ibi ſilicem oſtendam, unde aquas haurias. Arabs: *Ecce ego erecturus ſum ſignum ante te*. Mons Horeb appendix erat, & ad occideotem Sinai. Ibi Moyſes ardentem rubum ſpectavit, ibique Divinam miſſionem ad Iſraëlitas liberandos excepit. Silex Horebi fortaſſe Moyſem non latebat, & agro Sinai, ubi populus pluribus menſibus ſtetit, proximus. Fons e ſilice per Moyſem eductus adhuc ſupereſt, omnemque circa agrum irrigat, ſi quibuſdam Itinerantibus credas; refragantibus tamen aliis (d), qui ex eo ſilice quidquam aquæ fluere negant. Vix levia remanent aquæ veſtigia, olim erumpentis per duodecim ora, æquè diſtantia inter ſe, alterum ſuper alterum ad perpendiculum poſita. Poſtremus hic ſilex, de quo agitur, MO paſſibus circiter a Sinai abeſt. Aliæ tamen ſcaturigines circa Horebum ſunt. Vide ſuperiùs Caput III, 1.

Monet Apoſtolus (e) hunc ſilicem myſticè Chriſtum præfiguraſſe, manantemque ex eo aquam Iſraëlitas iter habentes proſequutam eſſe. Sunt qui Apoſtoli verba expliceot de aquis ejus ſilicis, quas Iſraëlitæ ſecum aſſiduè detulerint, utì eodem exemplo Choaſpis aquæ iter habentibus Perſarum Regibus inter impedimenta vehebantur, cùm illi nonniſi ex iis aquis biberent. Pari fermè phraſi Ælianus (f) ait, *aquas Choaſpis aſſiduè ſequi Reges Perſarum*. Hæc verò explicatio literæ minimè favere videtur: quî enim tamdiù, ac tam longè petitæ, immenſæ adeò bibentium multitudini pares, deferri aquæ potuiſſent? In proxima Sinai caſtra vehi utique poterant; minimè verò gentium uſque ad Cadesbarne.

Qui S. Paulum explicatori ajunt, aquas proſequutas eſſe Iſraëlitas, Deum ſcilicet aquas Iſraëlitis ad datas occaſiones ſuffeciſſe, hi minimè animadvertunt, non *aquas* tantummodò, ſed *aquas conſequentis eos petra* a S. Paulo commemorari. Quæ quidem verba nonniſi de ſilice Horebi queunt explicari. Prono igitur ac facili ſenſu fortaſſe interpretemur Apoſtolum, ſi ponamus, Iſraëlitas curſum rivuli, quem aquæ Horebi formabant, ſequutos eſſe uſque ad mare. Uſſerius profectò putat, eas aquas in Aſiongaber defeciſſe. Veteri ex traditione narrant Hebræi, patres ſuos toto XL annorum itinere comitem habuiſſe aquoſum hunc ſilicem: falsò tamen; cùm in Numeris XX, 1, 2, querelas populi ſitientis legamus. Vide eum locum.

Alii ex Hebræis putant, eum ſilicem per totum deſertum carro vectum, eâdem ſemper aquarum copiâ Iſraëlitas recreaſſe. Idem S. Chryſoſtomo, Ambroſiaſtro, Photio apud Oecumenium, S. Thomæ (g), Cantacuzeno (h) probari videtur. Addunt Hebræi, aquam, utpotè Mariæ merito datam, eâ obeunte defeciſſe; columnam lucis poſt mortem Aaronis evanuiſſe; & Moyſe decedente Mannam ſtetiſſe.

ỷ. 7. VOCAVIT NOMEN LOCI ILLIUS, TENTATIO, PROPTER JURGIUM FILIORUM ISRAEL. Hebræus: *Vocavit nomen loci Tentationem & Jurgium, propter jurgium filiorum Iſraël, & ſuper tentaſſe eos Dominum*. *Maſſa* Hebraicè eſt Tentatio, & *Meriba*, jurgium, querelæ. Hæc tentatio, ſeù contradictio, ac prodigium hìc narratum, alia planè ſunt ab iis, quæ in Numeris XX legontur, ubì Moyſes aquarum contradictionis meminit.

ỷ. 8. VENIT AUTEM AMALEC. Amalecitæ poſteri erant Amaleci, filii Eliphas, primogeniti Eſau (i); finitimi Chananæis & Idumæis, in Arabiâ Petræâ, Erythræum versùs. Eorom regionis vel limites vel amplitudo adamuſſim deſcribi nequeunt.

ỷ. 9.

(a) *Vide Menoch.* (b) Ἐγὼ ἕστηκα ἐκεῖ πρὸ τοῦ σὲ ἐλθεῖν ἐπὶ τῆς πέτρας. (c) הנני עמד לפניך (d) Morizon, *l.* 1, c. 16; Thevenot, voyage du Levant, partie 2, c. 16, p. 319. (e) 1 *Cor.* X, 4: *Bibebant de ſpirituali conſequente eos petrâ. Petra autem erat Chriſtus.* (f) *Variar. hiſtor. l.* 12, *c.* 40. (g) *Chryſoſt. Ambroſiaſt. Phot. apud Oecumen. D. Thomas in* 1. *Cor.* X, 4. (h) *Cantacuzen. in Sap.* XI, 4. (i) *Geneſ.* XXXVI. 12.

Digitized by Google

℣. 9. Dixitque Moyses ad Josue: Elige viros; & egressus, pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu meâ.

℣. 10. Fecit Josue, ut locutus erat Moyses, & pugnavit contra Amalec: Moyses autem, & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis.

℣. 11. Cùmque levaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec.

℣. 12. Manus autem Moysi erant graves: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem, & Hur sustentabant manus ejus ex utrâque parte. Et factum est, ut manus illius non lassarentur usque ad occasum solis.

℣. 13. Fugavitque Josue Amalec, & populum ejus in ore gladii.

℣. 14. Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Josue: delebo enim memoriam Amalec sub cœlo.

COMMENTARIUS.

℣. 9. CRAS EGO STABO IN VERTICE COLLIS; in jugo montis, cujus ad pedes Israëlitæ castra posuerant. Fortasse tunc in Raphidim erant, prope Horebum: quare in Horebi vertice Moyses facilè stetit, unde ambos exercitus prospiceret. Moyses pollicetur, se ascensurum eum montem, comite virgâ prodigiosâ, ùt pugnam cernens, opportunam opem populo & precibus, & elevatæ virgæ virtute conferret.

℣. 10. FECIT JOSUE, UT LOCUTUS ERAT MOYSES. Josue, de quo frequentissimus sermo occurret, patrem habuit *Nun*, minimè autem *Nave*, ut ferunt Septuaginta, iisque authoribus reliqui Veteres. *Nun* vox Hebræa non est, sed Ægyptia, sonans *Novum*, vel *Nilum* (*k*). E tribu Ephraimi ortum duxit; primumque nomen habuit *Osee*, vel Ausem, uti scribunt Septuaginta: relatâ verò de Amalecitis victoriâ, deinceps ubique appellatur *Josue*, vel יהושע *Jehosuah*, scilicet *Salvator*, quod idem est nomen *Jesus*, ex personâ Jesu Christi consecratum. Josue Moysi adhæsit, & passim *famulus Moysi* dicitur. Libens tamen volensque adhæsit; eoque tanto Præceptore didicit Israëlis regendi rationem, cujus imperium, Moyse obeunte, suscepit. Quo pacto Jesum Christum mysticè exhibuerit, alibi animadvertemus.

Heroica tempora plures illustres viros Heroum servitio addictos, & ex eo appellatos, habuere. Amicitiæ potiùs servitus erat, quàm necessitatis. Patroclus (*l*) Achillis & famulus & amicorum primus fuit. Meriones Idomenei famulus ab Homero (*m*) nuncupatur.

℣. 11. CUMQUE LEVARET MOYSES MANUS, VINCEBAT ISRAEL. Moyses manus ad Cœlum tollens, atque ita victoriam Israëli concilians, figura est Christi in Crucem sublati, cujus merito de Diabolo & de morte triumphamus. Statum illum corporis Moyses precibus conjungebat, ac jejunio populi usque ad vesperam, ait S. Hieronymus (*n*): *Adversùs Amalech, oratione Moysi, & totius populi usque ad vesperam jejunio, dimicatum est*. Hæc Divinam opem Israëli conciliarunt. Manuum elevatio vel protensio, Scripturæ phrasi, est orantis habitus ac status (*o*). Sunt [*p*] qui credant, Moysem utrâque manu elevatam virgam suam sustinuisse, tamquam insigne seu vexillum: plerique tamen in Crucis formam extensas ab eo manus fuisse arbitrantur. Ita communiter Patres (*q*), qui eo statu Christum in Cruce patientem exhiberi docent. S. Barnabas in suâ Epistolâ [*r*], fidem alicujus traditionis sequutus, ait, Moysem coacto super montem clypeorum acervo, illi insedisse.

℣. 12. AARON ET HUR. Satis notus est Aaron. Hur filius Calebi, Esronis filii, alterius a Calebo filio Jephone, filium habuit Uri, & ex Uri nepotem Beseleelem (*s*). Jam superiùs animadvertimus, ex fide Josephi (*t*), Hur conjugem habuisse Mariam Moysis sororem. Alii volunt, hunc Hur ejus mulieris filium fuisse; quæ tamen opinio minùs quàm prior veritati accedit.

UT MANUS EJUS NON LASSARENTUR. Hebræus (*u*): *Fuit manibus ejus fidelitas*, seù constantes fuere manus Moysi, officio non defuerunt, neque lassatæ sunt.

℣. 14. SCRIBE HOC OB MONIMENTUM IN LIBRO

(k) *Orus Ægypt. Jerogl. l. 1 Jerogl. 22.* [l] *Homer. Iliad.* Ψ. Ἔνθα με δεξάμενος ἐν δώμασιν ἱππότα Πηλεὺς Ἔτραφέ τ' ἐνδυκέως, καὶ σὸν θεράποντ' ὀνόμηνεν.
[m] Μηριόνης θεράπων ἀγαπήνορος Ἰδομενῆος. [n] *Hieron. l. 2 contra Jovinian.* (o) *Vide Psal. XXVII, 2. Isa. XLII, 22.* [p] *Cajet. Rivet. Tir. & ex Antiq. Origen. homil. XI in Exod. & ex eo Author serm. 26 in Appendice tomi 5 nov. edit. S. Aug. Moyses quidem manus elevat, non tamen extendit, &c.* (q) *Aug. serm. 352 de temp. nov. edit. & lib. XII contra Faust. c. 30; & l. 4 de Trinit. c. 15; Justin. Dialog. contra Tryphon. Irenæus l. 4; Nazian. orat. ad Patrem, & Apologet. 1, & alib. Tertull. l. 3 advers. Marcion. c. 18; Hieron. in Osee XII.* [r] *Barnab. Epist.* Τίθησιν οὖν Μωσῆς ἓν ἐφ' ἓν ὅπλον ἐν μέσῳ τῆς πυγμῆς, καὶ σταθεὶς ὑψηλότερος πάντων, ἐξέτεινε τὰς χεῖρας. (s) *1 Paralip. II, 19, 20.* (t) *Joseph. Antiq. l. 3, c. 2.* [u] ידיו אמונה *Septuag.* Αἱ χεῖρες ἐστηριγμέναι. *Aqu.* Αἱ χεῖρες αὐτοῦ πίστις.

℣. 15. Ædificavitque Moyses altare : & vocavit nomen ejus ; Dominus exaltatio mea, dicens :

℣. 16. Quia manus solii Domini, & bellum Domini erit contra Amalec, a generatione in generationem.

COMMENTARIUS.

mo ; sive : Rem hanc gestam in tuis commentariis, in adversariis tuis scribe ; vel tantum : Literis trade, ne unquam e posterorum memoriâ cadat. Nondum fortasse quidpiam Moyses scripto tradiderat. Liber genericè pro pugillaribus, in quibus scribebatur, vel quocumque scriptionis genere intelligitur.

ET TRADE AURIBUS JOSUE. Syriacus : *Scribe monimentum hoc in Libro, & pone coram Jesu filio Nun*, præcipe illi ut hujus meminerit. Notat Deus, Josue ipsi Moysi successurum.

DELEBO MEMORIAM AMALEC. Sua fides oraculo mansit, uti legimus in primo Regum xv, 3, cùm scilicet Saul jussus a Deo ad delendos Amalecitas vênit. Quamquam autem ille minùs accuratè commissam sibi a Deo provinciam obiverit, exinde tamen res Amalecitarum accisæ sunt adeò, ut nec relevare caput possent ampliùs, nec incommodi aliquid inferre Israëlitis. Labentibus Reipublicæ Judaicæ annis ne nomen quidem illorum ampliùs auditum. In unam coaluerunt gentem cum Idumæis & Arabibus. Additur in Deuteronomio xxv, 18, aliquid, quod hîc tacetur, magnoperè autem invidiam in Amalecitas auget ; illos scilicet impiè sævisse in Israëlitas, qui præ imbecillitate agmen lentiùs sequebantur. Affirmat Philo, libro 1 de vitâ Mosis, Reges Amalecitarum metuentes, ne Israëlitæ infesta ferrent arma in agros ditionis suæ, occupandos illos censuisse, ductis proinde adversùs illos copiis, quibus transitum impedirent, eo consilio, ut urgentibus resisterent. Formidabilem Amalecitarum exercitum describit Judith xv, 13, 14, instructissimo validum equitatu, ac magno curruum numero, cujus milites optimis armis protegerentur, & eo essent robore, cui plurimùm fiderent.

℣. 15. ÆDIFICAVITQUE MOYSES ALTARE, ET VOCAVIT NOMEN EJUS, DOMINUS EXALTATIO MEA. Non malè verteretur יהוה נסי, *Dominus signum*, vel *vexillum meum*. Septuaginta : Κύριος καταφυγή μου, *Refugium meum*. Josephus : Νικαῖον ὀνόμασας τὸν Θεόν, *Aram posuit, Deum victorem appellans*. Deo duce & pugnavi & vici, ejus jussu & auspiciis. Creditur Moyses aram hanc excitasse super ipsum montem Horebum ; cùmque illi nomen indidit Moyses, spectasse animo virgam, quam sæviente prælio manu elatam tenebat : Dominus vexillum meum. Josephus & Philo tradunt, Moysem super erectam aram illam hostias, ἐπινίκια, immolasse, acturum Deo gratias ob insignem de hostibus victoriam.

℣. 16. DICENS : QUIA MANUS SOLII DOMINI, ET BELLUM DOMINI ERIT CONTRA AMALEC. Animadversione digna phrasis hæc est, & ambiguitatis habet nonnihil, ut satis disertè exponi, ac naturali sensu vix possit. Implexior etiam Hebræus [x] ita fortè vertendus : *Quia manus super thronum Dei, bellum Domini in Amalec* ; quasi scilicet innueretur : Quia manus Amaleci protensa est in thronum Dei, bello Dominus affliget Amalecitas, donec penitùs deleantur. Israëlitas facilè appellat solium Dei, quòd Deus super illos regnare sibi elegisset. Septuaginta (y) : *Quoniam in manu occultâ* (latenter) *pugnat Dominus contra Amalec*. Legerunt illi utique in Textu aliter ac nos hodie : habuerunt enim eorum exemplaria כסויה, *cesujah*, occulta, pro כס יה *ces jah*, solium Domini. Commodè etiam explicaretur : *Manus super thronum, & bellum Domini erit in Amalec*, scilicet elevavit Deus manum super solium suum, ut solemni jurejurando obstringat sese ad delendos Amalecitas. Chaldæus : Ait Moyses : *Cum juramento dictum est hoc a facie* [Dei] *terribilis, cujus majestas est super solium gloriæ ejus. Committetur prælium a facie* (de mandato) *Domini contra viros domûs Amalec*. Clericus legit in Textu נס, *Nes*, signum, pro כס *ces*, thronus. Parum utique sentitur discrimen inter literas *Nun* & *Caph*. Hac positâ conjecturâ, ita Textus redderetur : *Quia manus* (Amalec) *contra vexillum Domini, bellum Domini in Amalec*. Commoda est utique interpretatio, referens affine aliquid inter minas Domini, & nomen altari a Moyse excitato impositum ; appellavit enim : *Dominus vexillum meum*. Portò eadem reputaverat Castalio, pro *ces* posito *nes*, sed Textum in alterum sensum exposuerat : Dominus vexillum manu cœpit, ut destruat in perpetuum Amalecitas ; velut Imperator strenuus, qui arrepto vexillo securus in hostes proficiscitur.

CA-

(x) כי יד על כס יה מלחמה ליהוה בעמלק מדר דר Κύριος ἐπὶ Ἀμαλὴκ ἀπὸ γενεῶν εἰς γενεάς.

[y] Ὅτι ἐν χειρὶ κρυφαίᾳ πολεμῶ

CAPUT XVIII.

Jethro venit in caſtra; eodemque authore Moyſes ſtatuit Judices ſecundarios, & principes populi.

℣. 1. CUmque audiſſet Jethro, ſacerdos Madian, cognatus Moyſi, omnia, quæ fecerat Deus Moyſi, & Iſraëli populo ſuo, & quòd eduxiſſet Dominus Iſraël de Ægypto:
℣. 2. Tulit Sephoram uxorem Moyſi, quam remiſerat;
℣. 3. Et duos filios ejus, quorum unus vocabatur Gerſam, dicente patre: Advena fui in terrâ alienâ;
℣. 4. Alter verò Eliezer; Deus enim, ait, patris mei adjutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis.
℣. 5. Vênit ergo Jethro cognatus Moyſi, & filii ejus, & uxor ejus, ad Moyſen in deſertum ubi erat caſtrametatus juxta montem Dei.
℣. 6. Et mandavit Moyſi, dicens: Egó Jethro cognatus tuus venio ad te, & uxor tua, & duo filii tui cum eâ.
℣. 7. Qui egreſſus in occurſum cognati ſui, adoravit, & oſculatus eſt eum: ſalutaveruntque ſe mutuò verbis pacificis. Cùmque intraſſet tabernaculum,
℣. 8. Narravit Moyſes cognato ſuò cuncta, quæ fecerat Dominus Pharaoni & Ægyptiis propter Iſraël; univerſumque laborem, qui accidiſſet eis in itinere, & quòd liberaverat eos Dominus.
℣. 9. Lætatuſque eſt Jethro ſuper omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Iſraëli, eò quòd eruiſſet eum de manu Ægyptiorum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. JETHRO SACERDOS MADIAN, COGNATUS MOYSIS. Jam ſuperiùs (*a*) diſputavimus, quis eſſet Jethro, an idem ac Raguel, an Moyſis ſocer. Hebræum חתן *Choten* reddunt Γαμβρὸν *ſocerum* Septuaginta, itemque Symmachus; Πενθερόν. Aquila verò legit Νυμφευτὴν, eum qui connubiis præſidet. S. Hieronymus habet *cognatum*, quæ vox neceſſarium utcumque ſignificat.

Hic extra ſuum locum poſitam hiſtoriam adventûs Jethro in caſtra, vulgò creditum eſt; reipsâ enim veniſſe cenſetur ſub finem primi anni ab egreſſu ex Ægypto, erecto jam Tabernaculo, & Reipublicæ ac Religionis Hebraicæ politiâ conſtitutâ. Convênit autem vir ille Moyſem, unà cum Sephorâ, quæ poſt viſum Angelum minitantem necem filio Eliezero, redierat in Madian. Fidem adſtruit huic ſententiæ I, verſûs quintus hujus capitis: *Vênit Jethro ad Moyſem in deſerto.... ubi erat caſtrametatus juxta montem Dei.* II, In Deuteronomio I, 9, 10, 11, Moyſes refert, ſe jam caſtra moturum e Sinai coram populo edixiſſe: *Non poſſum ſolus ſuſtinere vos. Tulique*, ait, *de Tribubus veſtris viros ſapientes, & nobiles, & conſtitui eos principes.* Porrò hoc debetur conſiliis Jethro, ut hìc animadvertitur ℣. 21. III, In Numeris x, 29 legimus, elevante ſe nube, & populo jam caſtra movente, Moyſem rogaſſe Hobabum, qui ipſiſſimus creditur Jethro, ne deſerere vellet Iſraëlitas, ſed maneret cum illis, ducem ſe præbiturum in deſerto. Quantum igitur intelligimus, conſtituenda erat hiſtoria hæc adventûs Jethro in capite x Numerorum, inter verſus 10 & 11. IV, Animadvertere juvat, paulò poſt mota a Sinai caſtra exortas inter Aaronem, Mariam & Sephoram lites, de quibus in Numeris XII; unde conjectura oritur, non diu antea Sephoram in caſtra veniſſe. V, Tandem Moyſes in colloquio cum Jethro, ℣. 16 hujus capitis, ita meminit Legum & Præceptorum Domini, veluti ſi jam ſancita fuiſſent.

℣. 2. TULIT SEPHORAM UXOREM MOYSIS, QUAM REMISERAT (*b*). Affirmat S. Epiphanius, hæreſi 78, continuiſſe ſe a conjugio Moyſem, poſtquam manifeſtavit ſe illi Deus, ac prophetiæ dono auxit; quin & repudiatam ab illo Sephoram nonnulli opinantur (*c*). Vertunt alii (*d*) Hebræum: *Jethro reduxit Sephoram, poſtquam Moyſes munera ad illum miſit.*

℣. 7. CUMQUE INTRASSET TABERNACULUM. Ingreſſus eſt ſtatim facilè in Tabernaculum Domini; jam tum, uti credimus, excitatum, deinde in tentorium Moyſis introductus.

℣. 9. LÆTATUS EST JETHRO. Quanto gaudio, exprimunt Septuaginta, reddentes, Ἐξέστη, Obſtu-

(a) Exod. II, 18. (b) אחר שלוחיה (c) Num. XII, 1. (d) Fag. Vatab.

℣. 10. Et ait: Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, & de manu Pharaonis; qui eruit populum suum de manu Ægypti.

℣. 11. Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes deos: eò quòd superbè egerint contra illos.

℣. 12. Obtulit ergo Jethro cognatus Moysi holocausta, & hostias Deo: veneruntque Aaron, & omnes seniores Israël, ut comederent panem cum eo, coram Deo.

℣. 13. Alterâ autem die sedit Moyses, ut judicaret populum, qui assistebat Moysi a manè usque ad vesperam.

℣. 14. Quod cùm vidisset cognatus ejus, omnia scilicet, quæ agebat in populo, ait: Quid est hoc, quod facis in plebe? cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de manè usque ad vesperam?

℣. 15. Cui respondit Moyses: Venit ad me populus, quærens sententiam Dei.

℣. 16. Cùmque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, ut judicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges ejus.

℣. 17. At ille: Non bonam, inquit, rem facis.

COMMENTARIUS.

Obstupuit Jethro præ gaudii magnitudine Hebræus יחד.

℣. 11. Eo quod superbe egerint contra illos. Hebræus (*e*) ad literam: *Quoniam in re, in qua elevati sunt contra eum.* Loquendi phrasis ista concisa maximè; & seosum relinquens suspensum, supplendum aliquid necessariò postulat. Septuaginta (*f*): *Nunc cognovi, quia magnus Dominus præter omnes Deos, propter hoc quòd imposuerant illis*, vel *elevati sunt contra eos*. Chaldæus: *Cognovi quoniam magnus Dominus, quia eâdem re, qua cogitaverunt Ægyptii judicare* (opprimere) *Israël, in ipsâ judicati* [puniti] *sunt*. Syriacus: *Cognovi, magnum esse Dominum præ omnibus Diis, propter consilium quod machinati fuerant in eos*; veluti innueretur: Agnosco, quantus sit Deus, in eo scilicet, quòd id consilii capere permiserit Ægyptios adversùs Israëlem; quæ enim illi moliebantur in alios, in ipsorum perniciem versa sunt. Commodè pariter ita redderetur Hebræus: *Quia superati sunt in eo, quo alios superare conabantur*. Ægyptii granditati virium suarum & armorum robori & curruum fidebant; sapientiam suam plenis buccis exaggerabant; fregit illos Deus prodigiis suis, demersit currus, fudit exercitus, confusione oppressit sapientes & magos. Ita verò alii (*g*) explicant: Ut olim illi demerserunt pueros Hebræorum, ita illos Deus Erythræi undis mersit.

℣. 12. Obtulit ergo Jethro .... holocausta et hostias Deo. Hebræus (*h*): *Accepit holocaustam & sacrificia Deo*, idest, e manu Moysis vel alterius cujusque accepit victimas Domino immolandas. Vel tantum: Accepit & immolavit hostias Domino. Sunt qui defendant (*i*), immolatas eas victimas non a Jethro, sed ab Aarone, cui ad eam rem obtulit Jethro: plerique tamen (*k*) contrarium malunt, statuentes, sacrificium illud ipsius Jethro manu oblatum. Nullum suppetit argumentum, quo Jethro Idolorum cultor fuisse probetur: quin & contraria validissimis conjecturis persuadentur. Docet Moyses (*l*), illum Sacerdotii Madian munus obtinuisse; ac persuasum tenemus, veri Dei servitio fuisse addictum. Fatemur quidem, illos, qui ejus manu oblatum sacrificium censent, statuisse non adhuc Tabernaculum Fœderis erectum, neque sacerdotium familiæ Aaronis addictum. Sed contraria prorsus statuimus superiùs ℣. 1: ac verè hìc munus Sacerdotis Jethro egisse credimus, neque enim illum utpotè alienigenam eo Mosaico præcepto adstringi putamus, quo sacrificandi jus uni Aaronis familiæ assertum est.

Ut comederent panem cum eo coram Deo. Convivium pietatis celebrarunt ex immolatis victimis, sed non oblatis in holocaustum. S. Augustinus (*m*) aliique, credentes Tabernaculum tum nondum erectum stetisse, explicant illud *coram Domino*, in honorem Domini.

℣. 15. Venit ad me populus quærens sententiam Dei. Hebræus (*n*): *Ad inquirendum Deum*. Septuaginta (*o*): *Venit inquirere judicium a Deo*, sive, ex ore Dei. Syriacus: *Veniunt ad me, ut postulent verbum a Deo*. Ambo Interpretes Chaldæi: *Ut quærant doctrinam a facie Domini*. Cùm Moyses Prophetiæ dono excelleret, jus dicebat juxta legem Dei, cujus erat Interpres. Ponimus autem certum, ut jam innuimus, rogatam

[e] כי בדבר אשר זדו עליהם [f] Ἕνεκεν τούτου, ὅτι ἐπέθεντο αὐτοῖς. *Alii*: Ὑπερηφάνησαν, *Superbierunt*. (g) *Abenezra, Vatab. Munst. Fag.* (h) ויקח יתרו עלה וזבחים לאלהים [i] *Hugo Card. Valter. &c.* [k] *Menoch. Jansen. Marius, Jan. Drus. &c.* (l) *Exod.* II, 16: *Erant autem Sacerdoti Madian.* [m] *Aug. qu.* 60. *Vatab. Fag. &c.* (n) לדרש אלהים [o] Ἐκζητῆσαι κρίσιν παρὰ τοῦ Θεοῦ.

℣. 18. Stulto labore consumeris & tu, & populus iste, qui tecum est: ultra vires tuas est negotium, & solus illud non poteris sustinere.

℣. 19. Sed audi verba mea, atque consilia, & erit Deus tecum: Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum:

℣. 20. Ostendasque populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant.

℣. 21. Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos,

℣. 22. Qui judicent populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo judicent: leviusque sit tibi, partito in alios onere.

℣. 23. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta ejus poteris sustentare: & omnis hic populus revertetur ad loca sua cum pace.

COMMENTARIUS.

tam jam tum fuisse legem, erectumque Tabernaculum. S. Augustinus (p) contraria opinatus, censet, Moysem tum consuluisse æternam legem, cordi suo inscriptam, cùm in singulis rerum eventibus vix fieri posset, ut semper peculiaris Dei revelatio præsto esset.

℣. 18. STULTO LABORE CONSUMERIS. Variè explicari potest Hebræum נבל תבל. Septuaginta (q): *Corruptione corrumperis intolerabili*; viribus es tanto oneri imparibus. Alii reddunt: *Cadendo cades*, laboribus oppressus; & alii, *Marcescendo marcesces*; alii: *Deficiendo deficies*, cœptum tandem coactus dimittes. Syriacus: *Profectò dedecore afficieris*. Quàm de se Moyses demissa saperet, quantæ sapientiæ vir esset, argumento est luculentissimo, quòd consiliis viri multò quàm se minùs præstantis acquievit; totamque in se vim expressit illius moniti Proverbiorum I, 5: *Audiens sapiens sapientior erit*.

℣. 19. ESTO TU POPULO IN HIS, QUÆ AD DEUM PERTINENT, UT REFERAS QUÆ DICUNTUR AD EUM. Hebræus (r): *Esto tu populo coram Deo*, verborum scilicet Dei ad populum interpres; te conveniat populus, tu pro ipso Deum: *Et referas verba populi ad Deum*. Hunc sensum præfert etiam Chaldæus, Syriacus, & Arabs. Quæ Religionis sunt, quæ interpretationem Legis expostulant, uno verbo quidquid directè ad Deum pertinet, quod divino lumine indiget & inspiratione, tibi reserva. Disertè explicat hæc omnia proximè succedens versus.

℣. 20. OSTENDASQUE POPULO CÆREMONIAS ET RITUM COLENDI. Hebræus (s): *Monebis eos statuta* (idest, uti credimus, rituales & judiciales leges) *& leges*, morales scilicet.

℣. 21. VIROS POTENTES. Strenuos appellat versu 25, quos hìc potentes. Voces originalis אנשי חיל exprimere possunt *Viros virtutis*, fortes, strenuos, robustos, constantes, in bono stabiles. Vide Genesis XLVII, 6. *Viros sapientes & gnaros* appellat in Deuteronomio I, 13. Commodè etiam redderetur Hebræus, *Viros divites & potentes* [t]. Nec leve quidem est, utrùm Judex divitiis polleat, nec ne. Dives enim malâ lucri cupiditate minùs tenetur, terretur minùs, nec adeò facilè corrumpitur, firmior est & constantior, spe lucri non flectitur, impiorum conatibus fortiùs resistit, innocentiæ & justitiæ defendendæ studet alacriùs.

Apud Indos omnium ditissimi rebus præficiebantur, uti Plinius narrat (u). E locupletioribus creari Magistratus jubet Solon (x). Paribus moribus utebantur Carthaginienses, quo nomine illos laudat Aristoteles (y); & contrariam politiam servantes Lacedæmones, apud quos pauperes censu in Magistratus eligebantur, improbat (z). Nec Servium Sulpicium Galbam, nec Aurelium Cottam mittendos Scipio in Hispaniam censebat (a), *quia*, inquit, *alter nihil habet, alteri nihil satis est*. Sapiens in Proverbiis, X, 16, juxtà Græcum, habet: *Rex indigens proventuum, magnus calumniator*. Et apud Isaiam III, 7, is, quem poscebant in principem, respondit: *Nolite constituere me principem; in domo meâ non est panis*. Vide *Eccle.* X, 6, 20, ubi dives usurpatur pro Magistratu.

IN QUIBUS SIT VERITAS: recti & justi tenaces, qui datam fidem servent religiosissimè. Septuaginta: *Viros justos*.

QUI ODERINT AVARITIAM. Septuaginta (b): *Superbiam*; Syriacus: *Munera & dolum*; Uterque Chaldæus: *Qui oderint accipere pecuniam*. Hebræum בצע, *Beza*, est avaritia, sive fœnoris illiciti quodcumque genus.

℣. 23. SI HOC FECERIS, IMPLEBIS IMPERIUM DEI, ET PRÆCEPTA EJUS POTERIS SUSTENTARE. Hebræus

(p) *Quæst. 66 in Exod.* (q) Φθορᾷ καταφθαρήσῃ ἀνυπομονήτῳ.
(r) היה אתה לעם מול האלהים והבאת אתה את הדברים אל האלהים
(s) חקים ואת התורות [t] *Grotius.* (u) *Plin. l. 16, c. 19; Solin. c. 60.* (x) *Plut. in Solone, & Arist. l. 3 Politic. c. 10.* (y) *Arist. Politic. l. 3, c. 9.* (z) *Lib. 2, c. 9 Politic.* (a) *Valer. Max. l. 6, c. 4.* (b) Μισοῦντες ὑπερηφανίαν. *Alius*, πλεονεξίαν.

℣. 24. Quibus auditis, Moyses fecit omnia, quæ ille suggesserat.

℣. 25. Et electis viris strenuis de cuncto Israël, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos,

℣. 26. Qui judicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò judicantes.

COMMENTARIUS.

bræus ad literam: *Si verbum hoc feceris & præceperit tibi* [c] *Deus, & poteris stare*, pati hunc laborem. Ut consiliis suis adhæreat Moyses, inconsulto Deo, non vult Jethro. Syriacus, & Septuaginta (d) : *Si verbum hoc feceris, Deus corroborabit te, & poteris consistere*, in munere scilicet suscepto perseverare.

Et omnis populus revertetur ad loca sua in pace, liberatus tædio expectandi a mane usque ad vesperam (e). Hebræus aliter optimè redderetur: *Et populus veniet in pace ad locum suum*, quo tendit, in Chanaanitidem.

℣. 25. Constituit eos principes populi tribunos et centuriones et quinquagenarios. Hebræus ad literam: *Capita super populum, Principes millenorum, Principes centenorum, Principes quinquaginta, & Principes decem*; sive: *Constituit principes super populum in millenos, in centenos, in quinquagenos, in denos*. Orientales versiones Hebræi ambiguitatem servant, non tollunt; verùm Septuaginta, & Josephus sensum eâ, quam exposuimus, ratione determinant, adeout Moyses non certum numerum statuat Judicum & Præfectorum, sed tantùm quid muneris suscipiant, & quot numero homines habeant subjectos, quæ sanè expositio æquior videtur, & vulgò probatur. Exemplaria quædam addunt hìc genus quoddam Præfectorum, quod appellant Γραμματοεισαγωγεῖς, *Grammatoeisagogeis*; quod nomen commodè reddi potest *Scribæ*: ad literam, *Introductores Scripturarum*, qui scilicet Judicibus exhibebant libellos supplices, & postulata in causis litigantium. Desumuntur hæc ex Deuteronomio 1, 15, ubi Moyses constituisse dicit hac occasione Chiliarchas, Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos; additque, quod hìc in Textu desideratur, suppleturque a Septuaginta, *Schoterim*, quod plerique vertunt *Lictores*. Textus Samaritanus decem integros versus huc transfert ex Deuteronomii 1, a ℣. 9, usque ad 19.

Censet Josephus (f), divisum fuisse a Moyse populum in denûm millium acies, quæ in alias minores distribuerentur, millenûm, quingentorum, centenorum, quinquagenorum, tricenorum, vicenûm, denorumque; & singulis manipulis Principem constitutum, qui ex numero subditorum nomen sortiretur. Ita si numerus Principum a Moyse creatorum ex Josepho recenseatur, inter sexcenta hominum millia fuissent CXXIX, atque octingenti & sexaginta Principum. In aliâ verò hypothesi, ex Thalmudistarum sententiâ, DC Chiliarchæ, VI M Centurionum, XII M Quinquagenariorum, & LX M Decurionum, seu Principum decem hominum: omnes simul LXXVIII M & DC Duces.

Aliter disputat Abenezra; ratus enim Principum horum numerum majorem esse quàm totius gentis numerus peteret, Senatum millenûm, alterum centenûm, tertium quinquagenûm, quartum decem Judicum in unaquâque Tribu statuit: temerè quidem, cum nullum populorum cujusque Tribûs numerum, qui hos Senatus adituri erant, habeat rationem.

Putant alii, has phrases, *Principes millenorum, Principes centenorum, &c.* stricto sensu esse intelligenda, solos scilicet, vel millenos, vel centenos hisce Principibus paruisse; sed populum primò in Tribus, deinde in majores familias, aliarum minorum matrices, fuisse distributum. Majoribus hujusmodi familiis Princeps præerat, quem Principem millenorum appellabant. Huic alii minores centenorum, vel quinquagenorum Principes suberant, pro numero uniuscujusque familiæ, ac subditorum. Legimus in Scripturâ (g) quasdam Urbes, nomine Urbium millium nuncupatas, quod fortè veluti Metropoles essent, quibus aliæ minores tanquam Coloniæ, & filiæ obtemperabant; vel quòd eo incolarum numero frequentarentur, qui Principem millenorum mereretur.

℣. 26. Qui judicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum. Certum est nonnullis, hujusmodi minores Moyse Judices nonnisi civilia, & humana negotia curasse, Moysi relictis quæ Religionem spectabant. Hi potissimùm nituntur ℣. 19: *Esto tu populo in his quæ pertinent ad Deum*. Hìc tamen Scriptura unicum discrimen inter Moysis, & Judicum authoritatem id esse animadvertit, quòd Moysis essent gravissima & difficillima, sive Religionis, sive Politices negotia. Facilè tamen, post latam Legem, minores Judices sententiam ferebânt ex Legis præscripto, in omnes quaslibet causas, quæ ad ipsos deferrentur; solasque difficiliores ad Moysem remittebant, quarum judicium apertè Lex non definiret. Quatuor vulgò (h) causarum genera numerantur uni Moysi reservata. I, quæ ad Deum, & Religionem pertinebant; II, quæ juris severitatem mitigandam petebant; III, quæ de criminibus erant, capitalem sententiam inferentibus. IV, cùm a minoribus Judicibus Moysem appellabant. Nusquam in Scripturâ legimus, quemquam ab infimo, superius Tribunal appellasse, utà a Centurione Chiliarcham; sed omnes Moysem appellabant. Censet nihilominùs Josephus (i) delatas ad Principes populi causas, quas

---

[c] וצוך אלהים (d) Ἐὰν δὲ τὸ ῥῆμα τοῦτο ποιήσῃς, κατισχύσει σε ὁ Θεὸς, καὶ δυνήσῃ παραστῆναι.
(e) ℣. 14: *Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane usque ad vesperam?*
(f) *Lib.* 3 *Antiq. c.* 3. (g) *Mich.* v, 2: *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda. Vide & Matt.* II, 6. (h) *Abulens. in Exod.* XVIII, *qu.* 12. *Salian. an.* 2544. *Petr. Comestor in Histor. Scholast.* l. 2, c. 37. (i) *Joseph. Antiq. l.* 3, c. 3.

℣. 27. Dimisitque cognatum suum : qui reversus abiit in terram suam.

COMMENTARIUS.

quas minores Judices definire nequibant. Nihil tamen simile Moyses jubet.

℣. 27. DIMISITQUE COGNATUM SUUM. Hic Textus contrarius videtur Textui Numerorum x, 29, ubi Moyses petit ab Jethro, vel Hobabo socero suo, ut cum Israëlitis perseveret, iisque ducem in deserto se præbeat. Renuit primò Hobabus; tamen rerum series ostendit, illum Moysis precibus indulsisse, quamquam id apertè non legitur: tradit enim Sacra Historia (*k*), Cinæos, quos Hobabi posteros esse credimus, in terram promissionis venisse, suamque cum illis in eâ Regione hæreditariam portionem obtinuisse.

Ut hæc concilientur, dicimus, Jethro, ut ad Israëlitarum castra vênit, cùm ad Sinai pervenerunt, statim rediisse; tum regressum in castra Israëlis, cùm in terram promissionis discessuri castra refixerant, Moysi acquievisse, ut itineris comes Israëlitis esset, quod in Numeris narratur.

II. Hic Versus 27 fortasse extra suum locum est, atque ita intelligendus: Jethro non semper cum Moyse fuit; cùmque Israël e Sinai moveret (*l*), Moyses illum relinquere coactus est, ad propria redeuntem. Alii arbitrantur, ea, quæ in Numeris narrantur, hìc esse collocanda: & quidem ex eo, quòd Moyses a Jethro petit, ut populò in itinere per desertum se ducem exhibeat, ducendum est, Jethro non nisi moventibus e Sinai Israëlitis regredi voluisse.

III. Aliam alii (*m*) maximè congruam hypothesim proponunt. Ponunt, Raguelem, Ceni, & Jethro ipsum eumdem hominem esse Moysis socerum, & Hobabi patrem. Jethro in Madian rediens, Hobabum filium cum Moyse reliquit, ut populo dux esset in deserto. Ex hoc autem Hobabo genus ducunt Cinæi, de quibus alibi Scriptura, qui cum Israëlitis in terram promissionis venerunt. Singulas hasce interpretationes æquè probabiles judicamus.

CAPUT XIX.

Israëlitæ veniunt ad Sinai. Moyses montem ascendit; tum descendit, jubetque populum sanctificari. Deus totum montem gloriâ suâ obumbrat.

℣. 1. MEnse tertio egressionis Israël de terrâ Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai.

℣. 2. Nam profecti de Raphidim, & pervenientes usque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israël fixit tentoria e regione montis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. MENSE TERTIO EGRESSIONIS ISRAEL DE TERRA ÆGYPTI, IN DIE HAC, VENERUNT IN SOLITUDINEM SINAI. E nostris Interpretibus plerique (*a*) defendunt, illud *in die hac* perinde valere, ac diem illam in mense eumdem tenere locum, quem mensis in anno, ut sit tertio mense, itidemque tertiâ mensis die. *In die hac* idem valere ac in eâdem die, Ribera demonstravit. Porrò hæc loquendi phrasis innuit, Moysem itinerum suorum quotidianas velut ephemerides scripsisse.

S. Augustinus aliique nonnulli (*b*) τὸ *in die hac* explicant primam diem mensis; defenduntque, ea quæ infra leguntur ℣. 11, *Sint parati in diem tertium*, non aliter accipienda, quàm, *Sint parati in diem tertiam mensis*. Maluot alii [*c*], τὸ *in die hac* referendum ad diem exitûs ab Ægypto; & cùm dies illa inciderit in decimam quintam primi mensis, significari hìc diem xv tertii mensis.

Tandem *In die hac*, juxta nonnullos (*d*), sonat, unâ eâdem die ventum e Raphidim ad Sinai, uti narratur ℣. 2: *Profecti de Raphidim, pervenerunt usque in desertum Sinai*. Constat tamen, non uno continuo itinere perventum e Raphidim in Sinai, cùm ante Sinai castrametati sint Israëlitæ ad Horebum. Ut autem quinquagesima dies exitûs ab Ægypto cum die latæ a Deo legis componatur, constituendus est utique adventus in Sinai ad diem tertiam tertii mensis, & a relato ex Ægy-

(k) *Judic.* 1, 16. (l) *Num.* x, 29. (m) *Vide Bonfrer. ad Num.* x, 29. (a) *Ribera l.* 5 *de Templo, c.* 7. *Vide & Hug. de S. Victore, Menoch. Tirin. Cornel. &c.* (b) *Aug. qu.* 70 *in Exod. Rupert. Dionys. Carthus. Lyr. Abulens. Jun. Tremell. Pisc. Rivet. Malv. Heb. in Munster.* (c) *Le Clerc.* (d) *Fag. Vatab.*

ỳ. 3. Moyses autem ascendit ad Deum; vocavitque eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices domui Jacob, & annuntiabis filiis Israël:

ỳ. 4. Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.

ỳ. 5. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra.

ỳ. 6. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta. Hæc sunt verba, quæ loquêris ad filios Israël.

COMMENTARIUS.

Ægypto pede quadragesimam nonam. Post triduom lex data: ỳ. 10, 11: *Sint parati in diem tertium*, sextum scilicet mensis.

ỳ. 3. Moyses autem ascendit ad Deum, idest, ad montem [e]. Septuaginta [f]: *Ad montem Dei*. Ita pariter explicant Hebræi, supplendumque censent *montem* [g]. Chaldæus: *Ascendit coram Domino*. Arabs: *Ascendit ad Angelum Dei*. Bonfrerius & Pagninus: *Ascendit in montem, quia Dominus vocaverat eum*: sed quis cogit hæc addere? Nonne planiùs redderemus Textum cum Hebræo & Vulgatâ? *Moyses ascendit ad Sinai*, com Deo colloquuturus; & Deus illum apertâ voce appellavit e culmine montis, *vocavit* vel *clamavit*, & ait: *Hæc dices domui Jacob*.

ỳ. 4. Quomodo portaverim vos super alas aquilarum. Chaldæus & Septuaginta: *Portavi vos quasi super alas aquilæ*. Mare transfretastis; ardua itineris plurima tam facilè superastis, veluti aquilarum alis deferremini. Seu potiùs: Ita vos portavi, ut aquila impositos super alas pullos ferens. Gemina legas in Deuteronomio xxxii, 11.

Et assumpserim mihi. Hebræus [h]: *Duxi vos ad me*. Chaldæus: *Applicavi vos ad veritatem meam*. Arabs: *Adduxi vos ad montem hunc meum*. Planiùs hoc intelligeretur, esse veluti consequens ad institutam cum aquilâ comparationem; aquila enim pullos suos tollit super alas, cùm discriminis aliquid priori nido imminere intelligit (i): *Portavi vos super me*, vel *mihi*.

ỳ. 5. Si ergo audieritis vocem meam. Postquam Deus narravit omnia prodigia, quibus protexit Israëlitas, quàm validâ illis ope adfuerit, significari illis jubet per Moysem, se præsto esse ad incundum solemne fœdus, cujus lege Deus acciperet Hebræos in populum suum, portionemque suam selectam, sibique præ cæteris orbis gentibus adscriberet, consecraret, servitiis suis destinaret; dum illi vicissim fidem suam obligent, se servaturos præcepta omnia & Leges Fœderis mox proponendas. Hæc Deus ad Moysem per versiculos 3, 4, 5, 6. Moyses ad inferiora descendens, Dei verba omnia coram frequenti Principum populi concione exponit ỳ. 7. Populus oniversus propositis illis rebus omnibus ultro se assentiri significat; optimamque populi voluntatem ad Deum referre jussus Moyses, ipsâ eâdem die restituit se super montem ỳ. 8, & 14. Tunc Deus comparare se populum ad accipiendam post triduum legem jubet ỳ. 9, 15, 16.

Animadverte singularem Dei in Israëlitas amorem. Nihil ab invitis exigit, in postulandis rebus omnem exuit authoritatem, omnia jura Domini & Regis: ita quodammodo cum illis agit, utì cum æquali æqualis; ne illos in posterum suscepti oneris pœniteat. Nihil autem hìc desideratum est ad validitatem fœderis & Instrumenti. Nullam proposuit Dominus legem populo, nisi post exploratam ejus voluntatem. Moyses ad montem non redit, nisi triduo postquàm cum populo egit, ut scilicet expendere omnia priùs & considerare per otium omnibus liceret.

Tertiâ tandem die majestas Domini obsedit montem; & Moyses, populo comitante, processit coram Domino usque ad montis radices. Inter ascendendum, jubetur a Deo rursum descendere, populo indicturus, ne propiùs montem accedat. Conscenso dein vertice Sinai, Deus Moysi aperit leges fœderis, mox cum Israëlitis componendi. Leguntur hæ Capitibus xx, xxi, xxii, xxiii. Moyses illas ad populum fert, qui & recipit, & fidem suam ad earum observantiam obligat. Scripto traduntur a Moyse, scriptisque item consignatur populi assensus: manè alterius diei excitatur ara ad victimas, quorum sanguine pro more ejus ætatis fœdus confirmaretur. Legas hæc Capite xxiv usque ad versiculum 12.

Cùm ob fœderis hujusce conditiones populus Deum agnoscere in Regem suum, illique religiosum cultum exhibere teneretur; Deus accitum ad se iterum Moysem docuit ea, quæ ad tentorium sibi erigendum, tanquam Regi in medio copiarum suarum, pertinerent. Obsequia, quæ sibi tanquam Deo vult exhiberi, enumerat: Ministros publici cultûs, familiam Aaronis creat; atque ita monitum Moysem remittit, datis illi in duplici tabulâ descriptis Dei manu decem præceptis, summam referentibus totius Legis, & veluti publicis chirographis sanciti cum populo fœderis. Habes hæc a capite xxv usque ad xxxii. Sequitur Vituli aurei consecratio cum prævaricatione populi, de quibus suo loco. Hic ordo rerum gestarum in sanciendo solemni fœdere Deum inter & Israëlitas. Modò ad Textum Mosaicum.

Eritis mihi in peculium de cunctis populis. Studium meum & amor meus in vos ferentur, super cæteras orbis gentes (k); Vos hæreditas mea, vos bona mea, vos possessio, vos amor præ omnibus. Hebræum סגלה *Segulah* non satis exploratæ est significationis. Septuaginta, quos sequuntur

(e) עלה אל האלהים (f) Εἰς τὸ ὄρος τοῦ Θεοῦ. (g) *Apud Vatab.* (h) אבא אתכם אלי
(i) *Oleaster.* (k) *Ita Oleast. Vatab. Fag. Piscat.*

℣. 7. Vênit Moyſes: & convocatis majoribus natu populi, expoſuit omnes ſermones, quos mandaverat Dominus.

℣. 8. Reſponditque omnis populus ſimul: Cuncta, quæ locutus eſt Dominus, faciemus. Cùmque retuliſſet Moyſes verba populi ad Dominum,

℣. 9. Ait ei Dominus: Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te: & credat tibi in perpetuum. Nuntiavit ergo Moyſes verba populi ad Dominum.

COMMENTARIUS.

quuntur S.Petrus (l), & S.Paolus (m).reddunt: *Eritis mihi λαὸς περιούσιος, populus peculiaris*, Symmachus: *Λαὸς ἐξαίρετος, Populus electus*. Chaldæus: *Dilecti præ omnibus*. Recentiores quidam (n): *Theſaurus dilectus*. Salomon (o) teſtatur ſe comparaſſe divitias (*Segulah*) Regum.

Vox *peculium*, qua otitur S. Hieronymus, exprimit argentum, quod jure proprio poſſidet mancipium, ſeu filius familiâs, pro arbitratu impendendum, ioconſulto etiam patre familiâs. Sed alter eſt Textûs hujus ſenſus. Exprimit etiam quidquid paterſamiliâs induſtriâ ſuâ comparat, de familiæ ſumptibus parum aliquid eradens; hæc fortè præ oculis habebar Author Volgatæ. Ita reſpicitur Deus veluti totius orbis omoiumque hominum Imperator, qui, omiſſis aliis, reſervat ſibi, veluti parſimoniæ ſuæ fructus, Hebræos: ſeponit veluti bonorum ſuorum portionem ſingularem, & tamquam peculiarem hæreditatem (p): *Pars autem Domini populus ejus*.

℣. 6. Eritis mihi in Regnum Sacerdotale: Regnum Sacerdotum, ſubjectus mihi populus, ego vieiſſim Rex veſter; ſed cùm æquè Dei veſtri jura mibi vindicem, æquum eſt pariter, ut vos mihi & ſubditi ſitis & Sacerdotes. Septuaginta reddunt Βασίλειον ἱεράτευμα, *Sacerdotium Regale*; quam pariter verſionem ſervavit S. Petrus (q). S. Joannes io Apocalypſi 1, 6, ait, Jeſum Chriſtum *feciſſe nos Regnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo*. Chaldæus: *Eritis coram me Reges & Sacerdotes*.

In Ægypto, unde recèns educti erant Hebræi, Sacerdotes in partem imperii veniebant unà cum Regibus (r). Supremus juſtitiæ Miniſter e Sacerdotibus eligebatur. Religioois res omnes ad Sacerdotes deferebantur. Reges ipſi io ſe conciliabant muoera Regis & Sacerdotis, ſi qua fides Platoni, *de Regno*. Denique Regia apud illos dignitas, Sacerdotium Regale, vel Regnum Sacerdotale meritò appellaretur. Hac rerum ideâ occupatis Hebræis, Deus fidem ſuam obligat, commiſſurum ſe, ut ſimul Reges ſint & Sacerdotes, cumulentur bonis, honoribus, & dignitatibus, veluti dicens: Non ulteriùs jura dabunt vobis Reges alienigenæ, neque Sacerdotes magiſtri Idololatriæ & erroris: ego ipſe Rex veſter; vos mihi ſubditi, vos meo Sacerdotio ſuogemini. Hebræum כֹּהֵן *Cohen* eſt Princeps & Sacerdos. Maluerim ego tamen ita dictum accipere: Ego creaturus ſum inter vos regnum, in quo Sacerdotes mei clavum tenebunt imperii ſimul & rerum ſacrarum. Nullus erit vobis Judex datus, præter Sacerdotes, ad legum normam Rempublicam moderantes. Dei ergo propoſitom illud fuiſſe videtur, ut Sacerdotibus ſuis regendum populum traderet: quod non obſcurè intelligimus ex ordine Judiciorum in Deuteronomio (s). Philo in Libro de honoribus & præmiis Sacerdotum meritò obſervat, æquum aſſeri a Lege jus Sacerdotibus ac Regibus, quippe quibus proventus aſſerat & honores Regiis non inferiores.

Nihil auguſtius, nihil magis ad venerationem populi & dignitatem in Ægypto, quàm ordo Sacerdotum. Deus autem ut dignam inderet Hebræis ideam felicitatis & gloriæ Regoi ſui ſuper illos, opportunè propoſuit: Ita vobiſcum agetur, veluti ſi omnes Sacerdotio ſuogeremini: eâ dignitate, iiſdem proventibus fruemini; longè aliter ac infelix illa gentium Regibus Ægypti ſubditarum conditio, quæ ſub impoſitis oneribus nullo levamine gemunt: eâ vos felicitate fruemini, qua Sacerdotes in Ægypto; eâ dignitate, qua ampliſſimi quique viri inter cæteras per orbem oationes.

Gens sancta, ſancta, inquam, titulo & dignitate populi Dei, ſegregati a cæteris per orbem gentibus &c. Nemo apud Iſraëlitas, quemadmodum olim plures apud Ægyptios, artem profitebatur, quæ inauſpicata & impura haberetur, nemo qui oullum jus ad cæremonias Religionis, nullum ad privilegia Reipublicæ, nullam partem in digoitatibus & muneribus habereor. Ootoſum hoc diſcrimen in Hebræorum Rempublicam nunquam inductum eſt. *Gens ſancta*, privilegiis a Deo aucta. Porrò prærogativas haſce omoes majori gratiarum fœnore io Chriſtianos translatas eſſe conſtat; nec niſi veriſſimè affirmaretur, ſub Lege novâ potiſſimùm, regnante Jeſu Chriſto, Fideles Sacerdotale Regnum obtinere, genus ſanctum referre, utì Apoſtoli SS. Petrus & Paulus apertiſſimè docuerunt.

℣. 9. Jam nunc veniam ad te in caligina nubis. Superiùs ℣. 4, adnotatum eſt, Moyſem reſtituiſſe ſe in montem, ut legationis ſuæ rationem Deo renunciaret; tum Deus ad illum: Huc uſque ſeorſum & clam tecum egi: deſcendam tandem ſuper montem, tecumque verba palàm, omni populo audiente, faciam. Donec Deus verba non fecerat ſuper Sinai ad Moyſem, totoque majeſtatis ſuæ apparatu ſupra verticem ejus non ſe prodidit, Iſraëlitæ non plenè crediderant

(l) 1 Petr. II, 9: *Populus acquiſitionis*.
(m) *Paul. ad Tit.* II, 14: *Populum acceptabilem. Græcè* λαὸν περιούσιον. (n) *Ainſw. Vat. Fag.*
(o) *Eccleſ.* II, 8. (p) *Deut.* XXXII, 9. (q) 1 *Petr.* II, 9. (r) *Vide Plutarc. de Iſide, & Ælian. l.* 14. (s) *Deut.* XVII, 9, 10, *& ſequ. Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore .... Et facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequèriſque ſententiam eorum.*

℣. 10. Qui dixit ei: Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras; laventque vestimenta sua.

COMMENTARIUS.

Moysi: tum primò totos se illi commiserunt, ait Maimonides *Lib. de fundamento Legis c.8, § 2, & 3.*

℣. 10. VADE AD POPULUM, ET SANCTIFICA ILLOS HODIE ET CRAS; die scilicet quartâ & quintâ tertii mensis: sextâ enim ineunte Deus legem suam dedit Moysi. Hebræum קדש *Kaddesch* quod hic redditur *sanctificare*, est, ad religiosum aliquid sese comparare. Septuaginta: Ἅγνισον αὐτούς *Purifica illos*; non planè sensu explicandum est illud *sanctifica*. Lex naturalis in imo cordis humani a Deo descripta, dictat omnibus, ne unquam coram Deo appareant, nisi præparatis priùs sanctitate animis. Lotio vestium & corporum, abstinentia ab opere conjugii potissimæ erant lustrationes apud Judæos, Chaldæos, Ægyptios, Græcos, Romanosque. Pro Israëlitis hìc & inferiùs etiam occurrent documenta. Facilè autem intelligere poterant Israëlitæ, externas hasce lustrationes internarum cordis habitudinum typum esse & emblema.

Judæorum Doctores (*t*) lotionem corporis semper servandam docebant, cùm Scriptura lavari vestes jubet; alteram ab alterâ lotionem nunquam sejungendam. Censent autem, data hìc a Deo præcepta utriusque sexûs Israëlitas spectare: ut autem circumcisio initi inter Abrahamum & Deum fœderis insigne erat & monimentum; ita pariter ablutionem hìc descriptam lustrationem esse necessariam, qua se populus ad legem compararet: eo tamen inter utramque cæremoniam discrimine, quòd ad circumcisionem adigerentur posteri omnes Abrahami per omnes sæculorum ætates; lotio illa corporum & vestium non nisi semel ad unam illam rem præscriberetur.

Juvat autem hìc enumerare quorumdam Ethnicorum mores, qui cum iis quæ hìc in Lege imperantur, maximè congruunt. Herodotus (*u*) lustrationes Babyloniorum & Arabum, fusiùs etiam Ægyptiorum & Græcorum, narrat. Sacerdotes Ægyptii, ait (*x*), corporis munditiem summo studio curabant. Frigidâ bis per diem & bis per noctem lavabant. Chæremon apud Porphyrium (*y*), & Herodotus observant, ab opere conjugii continuisse se illos, quo tempore offerrent sacrificia. S. Clemens Alexandrinus (*z*) tradit, illos omnium primos interdixisse homines ab aditu Templorum, qui post opus conjugii non lavissent corpus. Inter lustrationes censebatur jejunium, & abstinentia ab animantibus. Initiati mysteriis Isidis, quà viri, quà mulieres, ætatis omnis & conditionis, in solemni consecrationis pompâ incedebant mundis albentibusque vestibus fulgidi, teste Apulejo (*a*). Accedentem ad Deos corpore esse puro mundisque vestibus, jubet Pythagoras (*b*); parari etiam animos vult expiationibus, ablutionibus, aspersionibus, continentiâ, Veneria abstinentiâ, sedulò pollutionibus omnibus evitatis, atque morticinâ animantium carne non degustatâ.

Affirmat Tertullianus (*c*), obtinuisse apud Paganos, ut ablutionibus & balneis pararent initiandos mysteriis Isidis & Mitræ; lavarent pariter & Deos, quos in supplicationibus publicis deferebant. Mysteriis Paganorum initiandi (*d*) in hæc verba vocabantur: *Quicumque est purus manibus & voce sapiens*: ac rursum aliter: *Quicumque est purus ab omni scelere, & cuicumque est anima nullius mali sibi conscia; & quicumque benè ac justè vixit, accedat.* Tum expiabantur, abluebanturque. Expiatæ pariter ædes, latifundia, templa, Urbes, &c.

Græcis pariter eadem (*e*) fuit persuasio de lustrationibus ante sacrificia Deorum præmittendis. Hector apud Homerum (*f*) non audere se dicit vini libationibus supplicare Jovi non lotis priùs manibus; neque enim fas esse dicit fœdatas cruore manus ad preces erigere. Ajax & Ulysses lotis antea manibus vina fundunt Jovi (*g*). Lotas quoque manus elevat Telemachus, supplicaturus Minervæ (*h*); vota etiam factura Palladi Penelope, parat se lotionibus, & mundo vestium cultu (*i*): ita denique Ulysses manibus lotis accedit ad precandum (*k*). De Alcesti narrat Euripides (*l*), illam supremum sacrificium pro filiis suis oblaturam, abluto corpore splendidissimis se vestibus induisse. In legibus Draconis interdicitur homicidis usus sacrificiorum, Templorum, cœtuum (*m*). Exclusos etiam constat ab aspectu mysteriorum commissis criminibus prophanos. Virgilius Æneidos VI

> .... *Procul o procul este, prophani,*
> *Exclamat vates, totoque absistite luco.*

Sæpe etiam ab aspectu rerum sacrarum removebantur

(*t*) *Apud Selden. de Synedr. l. 1, c. 3.* (*u*) *Herodot. l. 1, c. 198.* (*x*) *Idem, l. 2, c. 37.*
(*y*) *Porphyr. de Abstin. l. 4, c. 7.* (*z*) *Strom. l. 4*: Μηδὲ εἰς ἱερὰ εἰσιέναι ἀπὸ γυναικὸς ἀλοῦτες ἐνομοθέτησαν. (*a*) *Metamorph. l. XI.* (*b*) *Pythag. apud Laërt. l. 7.* (*c*) *Tertull. de Baptismo, c. 5.*
(*d*) *Cels. apud Orig. l. 3 contra Celsum.* (*e*) *Vide Hesiod. l. 1 oper. ad fin.*
(*f*) *Iliad. Z.* Χερσὶ δ' ἀνίπτοισι Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Ἅζομαι. οὐδέ πῃ ἔστι κελαινεφέϊ Κρονίωνι
Αἵματι καὶ λύθρῳ πεπαλαγμένον εὐχετάασθαι.
(*g*) *Iliad. I.* Φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, εὐφημῆσαί τε κέλεσθε
Ὄφρα Διὶ Κρονίδῃ ἀρησόμεθ' αἴ κ' ἐλεήσῃ.
(*h*) *Odyss. B.* Τηλέμαχος δ' ἀπάνευθε κιὼν ἐπὶ θῖνα θαλάσσης,
Χεῖρας νιψάμενος πολιῆς ἁλὸς εὔχετ' Ἀθήνῃ.
(*i*) Ἡ δ' ὑδρηναμένη καθαρὰ χροῒ εἵμαθ' ἑλοῦσα.
(*k*) *Odyss. M.* Χεῖρας νιψάμενος ὅθ' ἐπὶ σκέπας ἦν ἀνέμοιο,
Ἠρώμην πάντεσσι θεοῖς.
(*l*) *Eurip.* Ὕδασι ποταμίοις λευκὸν χρόα
Ἐλούσατ'. ἐκ δ' ἑλοῦσα κεδρίνων δόμων
Ἐσθῆτα, κόσμον τ', εὐπρεπῶς ἠσκήσατο.
(*m*) *Draconis Lex.* Εἴργεσθαι σπονδῶν, κρατήρων, ἱερῶν, ἀγορᾶς.

℣. 11. Et ſint parati in diem tertium: in die enim tertiâ deſcendet Dominus coram omni plebe ſuper montem Sinai.

℣. 12. Conſtitueſque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cavete, ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis, qui tetigerit montem, morte morietur.

℣. 13. Manus non tanget eum, ſed lapidibus opprimetur, aut confodietur jaculis: ſive jumentum fuerit, ſive homo, non vivet. cùm cœperit clangere buccina, tunc aſcendant in montem.

℣. 14. Deſcenditque Moyſes de monte ad populum, & ſanctificavit eum. Cùmque laviſſent veſtimenta ſua,

COMMENTARIUS.

bantur, qui occulto aliquo crimine vel pravo aliquo conſilio agitato profani erant:

..... Procul hinc extorribus, ite,
Edico, præſente Deo, præſentibus Aris,
Queis ſcelus aut manibus ſumptum, aut in pectore motum eſt (n).

Docet pariter Demoſthenes (o), purum eſſe & caſtum ſpatio ſaltem quorumdam dierum oportere illum, qui ſive ingredi templa cupit, ſive tangere pateras ſacras, & caniſtros. Addit pariter (p), fœminas, caniſtros ſacros ad Aram Bacchi in vetuſtiſſimum templum Athenarum, ſemel patens quotannis, illaturas, jurare: *Pia, pura & munda ſum a cæteris immundis, & a viri congreſſu, & divinum natalem & Iobacchen celebro Baccho, patrio ritu, & legitimis temporibus*. Minimè tamen reputandum eſt, hoc ubique & communi uſu obtinuiſſe. Feſta & Cæremonias Græcorum, cæterarumque gentium ſæpe impura multa fœdabant; & ſapientiſſimum meritò reputatum eſt reſponſum illud Theanûs Pythagoricæ, nimirum, ab aris Cereris non removendos niſi qui vetita commercia admiſiſſent (q).

Puros etiam ad Deos accedere oportere, cum Græcis Latini pariter cenſebant. Servius ad illud Æneidos XII, *Purâ in veſte Sacerdos*, obſervat: *Pura dicitur veſtis, qua feſtis diebus uti conſueverunt ſacra celebraturi.... ideò Magiſtratus & ſacrificaturi togam prætextam habent, & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant*. Apertiùs etiam exponens Feſtus quid eſſet *veſtis pura*, habet: *Non obſita non fulgurita* (fulmine ambuſta), *non funeſta, non maculam habentia*. Quidam ex Actoribus apud Plautum in Aulularià: *Eo lavatum, ut ſacrificem*. Lampridius de Alexandro Severo ſcribit: *Si facultas eſſet, ideſt, ſi non cum uxore cubuiſſet, matutinis horis in Larario ſuo rem divinam faciebat*. Hæc omnia huc congerere viſum eſt, quibus certum præbetur argumentum naturalis Religionis, atque inſitæ ſingulis hominibus ſupremi cujuſdam Numinis ideæ, quod deceret obſequii expoſita ſenſibus ſignificatio, quodque ad ſe accedentes nonniſi puros ſanctoſque admittit.

℣. 11. SINT PARATI IN DIEM TERTIUM. Tertius hic dies variè ſtatuitur, uti prioris diei, de quâ Moyſes, varia eſt apud varios ratio. Vide verſum 1. Habemus nos quidem perſuaſum, tertium hunc diem componendum cum ſexto menſis tertii, & quinquageſimo ſecundo poſt exitum ab Ægypto. Eo igitur die lex a Deo data eſt; in cujus rei memoriam celebratum eſt exinde ſingulis recurrentibus annis Feſtum Pentecoſtes. Incidiſſe in Sabbatum diem illam, tradit Chronicon Hebræorum: in feriam quartam rejicit Uſſerius.

℣. 13. MANUS NON TANGET EUM. Nemo hominum procedat ad locum, ubi eſt, ut eum ſubducat, ne temeritatis ſuæ in ſuum caput provocet ultionem (r): ſeu potiùs: Nemo eum tangat, tamquam abominabilem, & ſacrilegum; lapidibus vel jaculis ibi conficiatur, manu non tangatur. Rabbini ita: Nemo tangat illum manu, ſed vel lapidibus opprimat, vel præcipitem det: ideſt, ſive lapidum ſupplicio judicum ſententiâ damnetur, ſive præceps deturbetur e loco, quem appellant lapidationis, ſtaturâ duorum hominum, ut illi ajunt, edito. Si reus lapſu non perimatur, conficiatur lapidibus (s). Sed prior illa interpretatio literæ magis congruit. Sunt qui verba illa, *Manus non tangat eum*, de vetito acceſſu ad montem interpretentur.

CUM CŒPERIT CLANGERE BUCCINA, TUNC ASCENDANT IN MONTEM; ideſt, cùm buccinæ ſimilem clangorem ediderit e vertice montis Deus, tunc procedant Iſraëlitæ uſque ad radices montis (t), ad repagula ſcilicet conſtituta, ne ſive homines ſive bruta ulteriùs excurrerent. Conſtant hæc ex ℣. 14, & 21, in quibus Moyſes populum deducit uſque ad radices montis, jubeturque a Deo indicere populo, ne ulteriùs procedat.

Aliter: *Cùm cœperit clangere buccina, accedant ad montem*; ſi tantum habent animorum & audaciæ, per me licet, accedant (u); ſed eo corripientur timore, ut volentes etiam impediantur, *cùm cœperit clangere buccina*. Hebræus (x):

(n) *Gratius Faliſc. in Cynegetic*. Vide pariter *Hetruſc. apud Statium Papin. in Parental. Prolog.*
Sacris procul hinc, procul ite nocentes,
Si cui corde nefas tacitum, feſſique ſenectus
Longa patris.

(o) *Orat. adverſ. Androtion. ad fin.* (p) *Orat. contra Neæram.* Ἁγιστεύω καὶ εἰμὶ καθαρὰ καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας. (q) *Clem. Alex. Strom. l. 4.* Ποσταία γυνὴ ἀπ' ἀνδρὸς εἰς τὸ Θεσμοφόριον κάτεισιν; ἀπὸ μὲν τοῦ ἰδίου, καὶ παραχρῆμα ἔφη. Ἀπὸ δὲ τοῦ ἀλλοτρίου οὐδὲ πώποτε.
(r) *Vatab.* (s) *Vide Selden. de Synedr. l. 2, c. 5.* (t) *Ita Hugo a S. Vict. Menoch. Lyr. Eſt.*
(u) *Salian. an.* 2544. (x) במשך היובל

℣. 15. Ait ad eos: Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus vestris.

℣. 16. Jamque advenerat tertius dies, & manè inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perstrepebat: & timuit populus, qui erat in castris.

℣. 17. Cùmque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis.

℣. 18. Tunc autem mons Sinai fumabat: eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis.

℣. 19. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in majus, & prolixiùs tendebatur: Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei.

℣. 20. Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, & vocavit Moysen in cacumen ejus. Quò cùm ascendisset,

℣. 21. Dixit ad eum: Descende, & contestare populum: ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.

COMMENTARIUS.

Cùm tuba protractè clangere sonuerit. Septuaginta, Chaldæus, Syriacus, & optimi plures Interpretes (y) contrario sensu dictum acceperunt: *Cùm tuba sonare desierit*, vel cùm satis diù protractus fuerit clangor buccinæ. Septuaginta editionis Romanæ (z): *Cùm voces* (vel tonitrua) *& tuba* (cessaverint) *& nubes transierit*; idest, cùm suus monti status restitutus fuerit, cuique licebit ascendere, vetitum antea. In aliis editionibus Septuaginta deest vox *nubes*. Quod hîc Scriptura appellat *Buccinam*, & Hebræum *Jobel*, significat tantummodò vehementem sonum, uti cornu vel buccinæ, e superiori montis jugo instrepentem, & non re ipsâ cornu aliquod vel buccinam. Veram significationem vocis *Jobel* vide ad Levitici xxv, 10.

℣. 15. Ne appropinquetis uxoribus vestris. Vide ℣. 10. Eadem & Paganis Religio. In aditu Templi Epidauri scriptum legebatur, teste Clemente Alexandrino, *Strom. l.* 5:

Ἁγνὸν χρὴ νηοῖο θυώδεος ἐντὸς ἰόντα
Ἔμμεναι.

*Esse decet castum, sancti qui limina Templi
Ingreditur.*

℣. 18. Totus mons Sinai fumabat: Legitur in Deuteronomio iv, 11, 24, totum montem in flammam ad Cœlum usque sese extollentem conflagrasse; ex quo inditum Legi nomen: *Lex ignea*; & Deo: *Ignis absumens*.

Eratque omnis mons terribilis. Hunc sensum præfert Hebræus, Chaldæus, Syriacus, &c. Ita verò rem hanc totam describit Psalmus lxvii, 9: *Terra mota est: cœli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israël*: Et ℣. 18: *Dominus in Sina in sancto*, scilicet in Sanctuario suo, mille millium Angelorum satellitio stipatus. Angelos in comitatu Dei Legem igneam rogantis, legis etiam in Deuteronomio xxxiii, 2. Septuaginta (a) & Arabs: *Et obstupuit omnis populus valdè*. Comparans Apostolus (b) apparatum, quo Lex Mosaica Judæis lata est, cum altero, quo Jesus Christus suam prædicavit Ecclesiæ, hæc scribit: *Non enim accessistis ad tractabilem montem & accensibilem ignem, & turbinem & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se, ne eis fieret verbum. Non enim portabant quod dicebatur: Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat quod videbatur, Moyses dixit: Exterritus sum & tremebundus. Sed accessistis ad Sion montem & Civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem; & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, & judicem omnium Deum, spiritus justorum perfectorum; & Testamenti novi mediatorem Jesum, & sanguinis aspersionem meliùs loquentem quàm Abel.*

℣. 19. Moyses loquebatur, et Deus respondebat ei. Hebræus (c), Chaldæus, Septuaginta (d), Syriacus addunt *in voce*. Sensibili auribus eloquio, non intus in corde secretâ revelatione loquebatur Deus; clarâ etiam facilè voce promebat sensus suos, omni populo audiente. Veteres Legislatores latas a se leges ita invexere, quasi scilicet acceptas e Cœlo populis promulgarent: sed Deorum ejusmodi revelationes nunquam testimonio populi auscultantis comprobatæ sunt, quin & nonnullorum fallaciam detexit hominum sagacitas; nec nisi Vulgi simplicitas & credulitas tantam illis addidit audaciam, ut crassam adeò fraudem struerent. Nihil hîc præstat Moyses, nisi palam: ejus leges præcedebant & veluti satellitio comitabantur subsequebanturque prodigia, omnium testimonio exploratissima.

℣. 20. Descendit Dominus, idest, Angelus Domini. Vide caput iii, 2.

℣. 21. Ne forte velit transcendere terminos. Hebræus ad literam: (e) *Ne fortè destruant*, sub-

(y) *Vatab. Fag. &c.* (z) Ὅταν δὲ αἱ φωναὶ, καὶ αἱ σάλπιγγες, καὶ ἡ νεφέλη ἀπέλθῃ. (a) Ἐξέστη πᾶς ὁ λαὸς σφόδρα. (b) *Hebr.* xii, 18, 19, *& seq.* (c) יעננו בקול (d) Ἀπεκρίνατο αὐτῷ φωνῇ. (e) פן יהרסו אל יהוה

℣. 22. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.

℣. 23. Dixitque Moyses ad Dominum: Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai, tu enim testificatus es, & jussisti, dicens: Pone terminos circa montem, & sanctifica illum.

℣. 24. Cui ait Dominus: Vade, descende: ascendesque tu, & Aaron tecum: sacerdotes autem, & populus ne transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos.

℣. 25. Descenditque Moyses ad populum, & omnia narravit eis.

COMMENTARIUS.

subvertaot repagula. Chaldæus: *Ne forte transgrediantur* [repagula] *ad videndum Dominum*. Septuaginta (*f*): *Ne fortè appropiaqueat ad spectandum Deum*.

℣. 22. SACERDOTES QUOQUE, QUI ACCEDUNT AD DOMINUM, SANCTIFICENTUR, NE PERCUTIAT EOS. Septuagiota (*g*): *Ne recedat Deus ab eis*. Hebræus (*h*): *Ne amoveat, ac dividat, ac medias scindat*, ne confusionem in illos, veluti in aciem turbatam, immittat. Chaldæus: *Ne fortè irascatur in eis*. Postulare videtur Deus majorem animi & corporis sanctitatem in Sacerdotibus illis, quàm in reliquo populo; alioqui enim frustrà novam sanctificationem imperaret.

Sed quinam Sacerdotes isti? Aaronicos & Levitas anticipatione quadam Sacerdotum oomine hìc designari censuit S. Augustinus (*i*) & Estius.

Plerique tamen (*k*) certant, agi hìc de primoribus natu amplissimarum familiarum Israëlis, quibus ex coosuetudine assertum fuerat jus offerendi sacrificia, antequam prærogativa illa transferretur in solam familiam Levi. Cùm Deus, composito antea cum Israëlitis fœdere, declarasset futurum, ut gens illa assumeretur io genus sanctum, & Regale Sacerdotium (*l*), nonnisi jure reputaremus, selectos ex universo populo juvenes corporis robore & staturâ, vitæ pariter sanctitate præstantes, ut exhiberent Moysi victimas, io sacrificium ab illo offerendas: quòd impletum in solemni innovatione fœderis cum Deo, legimus in Exodo xxiv, 15. Cùm fieri mioimè posset, ut sacri mysterii functiones e populo quisque obiret, maximè in publicis cæremoniis, nec nisi cum maximo pacis & politiæ discrimine integrum illud jus indiscriminatim omnibus, & sioe delectu permitteretur; esse censebatur Divinæ sapientiæ, ut deinceps Tribus Levi ad sacrum opus destinaretur, præstandis Divinis servitiis in Tabernaculo & Templo addicta.

℣. 23. NON POTERIT VULGUS ASCENDERE. Ne descendat e monte, causationem nectit Moyses, dicens, vix timeri posse, ne populus montem ascendat, postquam Deus solemni cautiooe ascensum interdixerat: vel juxta Glassium: Num ne unus quidem e populo ascendet? omnes ne ex æquo prohibes, nullo excepto?

PONE TERMINOS CIRCA MONTEM, ET SANCTIFICA ILLUM. Pone scilicet terminos, ut sciat populus, quousque pedem ferat. *Sanctifica illum*. Montem habeant tamquam sacrum aliquid & inviolabile, mortali pede non temerandum. *Sanctificare* est sæpè rem alioqui communem segregare, & sanctam declarare.

℣. 24. ASCENDESQUE TU ET AARON TECUM. Illi inter omnes ascenderant montem, ex ore Dei recepturi legem, & ineundi mox fœderis conditiones. Moyse intermedio fœdus illud conciliandum erat: loquebatur ille ad Deum; loquenti Deus respondebat, ait Scriptura. Aaronis munus erat interpretem Moysis agendi eum populo. Voluit autem Deus, ut verborum suorum ad Moysem testis adesset, quò sinceriùs ad populum omnia referret. Præceperat Hebræis, ut lapidum supplicio animadverteretur in eos, qui nimis accessissent ad montem duobus illis diebus, antequam super illum descenderet: tertiâ tandem die cùm toto majestatis apparatu jam venisset, morte puniturum se suâ manu audaces minitatur.

CA-

[f] Μήποτε ἐγγίσωσι πρὸς τὸν Θεὸν κατανοῆσαι. [g] Μή ποτε ἀπαλλάξῃ ἀπ' αὐτῶν Κύριος.
(h) פן יפרץ בהם יהוה *Aqu.* Μήποτε διακόψῃ ἐν αὐτοῖς ὁ Κύριος. *Sym.* Μήποτε διαφθείρῃ.
(i) *Aug. qu. 23 in Levit. Non quia jam erant, sed quia futuri erant* (sacerdotes), *hoc eos jam tunc Scriptura appellavit per anticipationem*. (k) *Onkel. Rabb. Grot. Men. Bonfr. & plerique*. (l) *Exod. xix, 6.*

CAPUT XX.

Decalogus. Territus populus rogat Moysem, ut impetret a Deo, ne verba ad se ulteriùs faciat. Altare ex aggestâ humo, vel rudibus lapidibus.

℣. 1. Locutusque est Dominus cunctos sermones hos:
℣. 2. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti, de domo servitutis.
℣. 3. Non habebis deos alienos coram me.
℣. 4. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terrâ deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terrâ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Locutus est Dominus. Hucusque auribus obstrepuerant tantùm tonitrua & fragores, quibus terreretur populus: nunc tandem Angelus, Dei nomine alloquens, spectandum se præbet, apertis vocibus loquitur, auscultantique populo recitat Decalogum, totius scilicet naturalis legis summam (*a*); ad quem pariter referuntur cæremoniales & judiciales leges omnes, quæcumque apud Moysem explicatæ sunt. Omnes aliæ leges in uno Decalogo continentur, quemadmodum Decalogi vim omnem exprimunt gemina præcepta amoris Dei & proximi (*b*).

Decalogi præcepta decem omnes recensent, nec obscurè eum numerum præfert Scriptura: sed Veteres æquè & recentiores Interpretes inter se discrepant, quonam ordine illa distribuantur. Josephus (*c*), Philo (*d*), Origenes (*e*), Pseudo Athanasius in Synopsi, Hesychius, Ambrosiaster, & Hieronymiaster in Epistolam ad Ephesios, quatuor præcepta Deo tribuunt, sex reliqua proximo. Porrò verba illa, *Non habebis Deos alienos coram me*, ita accipiunt, veluti si aliud exhiberent præceptum ab illo: *Non facies tibi sculptile*. Hanc pariter divisionem præceptorum sequuntur Judæi. Verùm S. Augustinus (*f*), cum aliis sanè multis, nonnisi tria præcepta ad Deum relata, septem verò ad proximum agnoscit: jungit autem ille, *Non habebis Deos alienos coram me*, cum proximè succedentibus, *Non facies tibi sculptile*. Post verba illa, *Honora patrem tuum & matrem tuam*, & deinceps, septem præcepta recenset, inducto discrimine inter illud, *Non concupisces domum proximi tui*, ab altero, *Non desiderabis uxorem ejus*. Tandem ingenuè fatendum est, totam hanc distinguendorum præceptorum rationem ex arbitrio tantùm esse.

℣. 2. Ego sum Dominus Deus tuus. Ita veluti præfatur Deus (*g*), animos populorum præparans, ut debito obsequio legem accipiant, memores, latam esse illam a Deo suo, suo item Domino & Liberatore.

℣. 3. Non habebis Deos alienos coram me. Vetat Deus, ne coram se producantur (*h*) Dii alieni; ne in cultûs sibi debiti communionem admittantur Numina, neve in Religionem Hebraicam invehatur Deorum turba. Septuaginta: *Non erunt tibi alii Dii præter me*, πλὴν ἐμοῦ, vel, me excepto. Onkelos, Syriacus, & Arabs ita pariter vertunt. S. Cyprianus legit: *Absque me*; S. Augustinus: *Præter me*. Hebræus (*i*) cohæret Vulgatæ; persuasumque est nonnullis (*k*), phrases illas, *Non habebis Deos alienos ante me*, vel *coram me*, perinde valere, ac, quamdiu ego subsistam, quamdiu vixero, ero Deus vester. Ita pariter Psalmus LXXI. 17: *Ante solem*, vel *coram sole permanet nomen ejus*, idest, tamdiu durabit, quamdiu Sol.

℣. 4. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem. Cavet Deus, ℣. 3, ne Numinis elogio insignitam ferant creaturam aliquam, quæcumque ea sit; addit verò hic, ut abstineant ab imaginibus, sive cælatis sive pictis, exhibentibus Deos alienos, neve illas fieri unquam sinant. Quo argumento demonstrare nititur Judæis, invisibilem esse se ac spiritualem, materiæ omnis & sensibilis formæ expertem.

Cùm verò non ea fuerit Dei mens, ut interdictâ Deorum multitudine, omne pariter interdictum censeatur Creaturarum obsequium; ita pariter non est reputandum, interdictum esse usum imaginum, nisi tantùm earum, quæ ad cultum propositæ sunt (*l*): *Non adorabis ea*, ℣. 5. Pluribus enim Scripturæ exemplis (*m*) docemur, viros sanctissimos coram apparentibus per visum Angelis sese prostravisse; quem pariter honorem exhibitum constat viris sanctis & Prophetis, tum viventibus, tum post obitum aliò translatis.

Ad imagines quod attinet, Moyses ipse Cherubim cælata super Arcam constituit (*n*). Locavit etiam Salomon Cherubim in Sanctuario Templi

(a) *Aug. qu. 140 in Exod.* (b) *Matt.* XXII, 40; *&* VII, 12; *Marc.* XII, 31, *&c.* (c) *Joseph. l. 3 Antiq. c. 4.* (d) *Phil. de Decalog.* (e) *Origen. homil. 8 in Exod.* (f) *Quæst. 71 in Exod. & Ep. LV nov. edit. Clem. l. 6 Strom. Hier. in Ps. 32, &c. Alex.* (g) *Lyr. Bonfrer. Riv. Jun. Grot.* (h) *Oleast. Sa, Riv. Jun. Tremell.* (i) לא יהיה לך אלהים אחרים על פני (k) *Kimchi, Fag. Jun. &c.* (l) *Grot. in hunc locum.* (m) *Josue* V, 15; 4 *Reg.* I, 13; *Dan.* X, 9. (n) *Exod.* XXV, 18, 19.

℣. 5. Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me:

COMMENTARIUS.

pli Jerosolymitani (o): insculptos tauros & boves basis loco substituit vasi, quod *Mare* appellatum est (p); sicut & labra sive aquarum receptacula in Templo variis figurarum anaglyphis ornata sunt (q). Tabernaculi etiam velamina phrygio opere pictas imagines exhibebant.

Non est itaque ex cautione Dei hic expressâ inferendum, vetitum fuisse imaginum quodcumque genus. Fatemur utique, Deum nullâ corporali formâ exhiberi posse: sed sensilibus figuris commodè utimur ad excitandam illam Divinitatis ideam, menti hominum ab initio impressam; & ad exhibendum illi purum cultum corporeis hisce veluti manu ducimur. Quæ si olim permissa sunt, & nunc pariter non interdicta esse reputandum est, cùm periculum omne crassioris Idololatriæ longè absit. Quod attinet ad imagines Divinitatis, quas consuetudo vexit, cultus est illis per relationem ad alterum exhibendus; ex quo nihil discriminis oritur in absolutum & proximum, debitum Numini, quin potiùs ex obliquo illo rectus hic vindicatur. Angelis pariter & Sanctis nemo jure cultum & obsequium pro singulorum meritis & gloriâ, qua fruuntur, negaverit. Exhiberi illos sub sensibili imagine non vetat Deus, dummodò imagines illæ cultum non ad se terminent, sed promoveant ad prototypos, veneratione dignos & adoratione, quæ latreuticâ interior sit.

Interpretes quidam nomine *Sculptilis* (r) designatas credunt statuas omnes cujuscumque metalli vel lapidis; *omnem* verò *similitudinem* כל תמונה positum dicunt pro imaginibus sive pictis sive anaglyphico opere cælatis. Constat utique, Moysis ætate notas fuisse in Ægypto artes pingendi, sculptili & fusili ac tandem phrygio opere formandi rerum omnium figuras. Non enim alibi artem discere potuerant Opifices illi, qui Tabernaculo ornando operam suam contulerunt; id verò volebat legibus illis Deus, ut e corde Israëlitarum exscinderet mores omnes & superstitiones Ægyptiorum.

Hebræum *Pesel*, quod in Vulgatâ est *sculptile*, reddunt Septuaginta εἴδωλον; in Deutoronomio tamen v, 8, vertunt γλυπτὸν. Est autem Græcum *Idolon*, juxta Theodoretum (s), imago rei, cujus nullus est in rerum naturâ prototypus, uti apud Profanos phantasiæ ludibria illa, Sphynges, Tritones, Centauri, & illa apud Ægyptios brutorum figmenta, quibus caninum vel bovinum caput præfigebatur. Vox *similitudo* (t) imaginem significat rerum, quæ in naturâ sunt, uti solis, lunæ, stellarum, hominum, brutorum, plantarum, amnium, quibus apud Ægyptios cultus religiosus impendebatur. Hæc omnia imaginibus repræsentari vetat Deus in Levitico xxvi, 1; sed legem illam intra eosdem limites claudit: *Non facietis, ut adoretis eum*. Hebræum *Pesel* Onkelos reddit צלם *zelem*, quod ad literæ rigorem sonat pictam imaginem.

Neque omnem similitudinem, quæ est in Coelo desuper. Hæc verba ita vulgo intelliguntur: Non statues tibi astrorum figuras. Colebant Ægyptii solem sub Osiridis & Hammonis nomine. Lunam verò muliebri habitu cornua ferentem in capite, & Isidis nomine appellatam consecraverant. Lunæ erat idolum, quod Scriptura significat nomine Reginæ Cœli; & solis Idolum censendus est facilè Deus Moloch, cujus ædiculam gestabant Israëlitæ per desertum (u). *Moloch* est *Rex*. Commodè verba illa exponerentur: *Omnem similitudinem, quæ est in Cœlo desuper*, idest, Angelorum, seu potiùs avium. Phœnix apud Ægyptios, Accipiter, & Ibis, Soli aves consecratæ, colebantur in aris. Quæ proximè sequuntur, hanc expositionem promovent.

Et quæ in terra deorsum. Interdicit Deus imagines hominum & brutorum, veluti bovis, vituli, arietis, felis, canis, leonis, quæ sacra erant apud Ægyptios animalia. Vetat pariter, ne colantur quæ sunt in aquis, sub terrâ, pisces scilicet, aquatilia, crocodilus, Deus Dagon. *Ægyptii*, ait Tacitus, Historiarum libro xv, *pleraque animalia effigiesque compositas venerantur: Judæi mente solâ, unumque Numen intelligunt: prophanos, qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingunt; summum illud, & æternum, neque mutabile, neque interiturum.*

Primum hoc præceptum non id tantùm mortalibus imperat, ut a crassâ illâ & externâ Idololatriæ superstitione abstineant; sed id maximè, ut Deum super reliqua omnia diligant, quod dicitur in Deuteronomio vi, 5. Exhibitum etiam intus in corde cultum rebus creatis præ Creatore interdicit: damnat sortilegia, maleficia, divinationes, excantationes, & magicum quodcumque genus (x). Capitale supplicium indicitur in præcepti hujus violatores (y), in magos (z), divinos (a), & pravis consiliis ad Idololatriam solicitantes (b). Docent Rabbini, in præcepto, interdicente imaginum quodcumque genus, nequaquam contineri Cherubim in ornamentum Tabernaculi & Templi cælata; nec enim, ut illi quidam reputant, præter imagines illas in rerum naturâ erat quidquam, quod ea referret (c). Sed an & illi sub generalibus nominibus figurarum, imaginum, & similitudinum non censebantur? Multò potiori jure Tertullianus (d): *Non videntur similitudinum prohibitarum legi refragari, non in eo similitudinis statu deprehensa, ob quem similitudo prohibetur.*

℣. 5. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes. Deest in Textu *fortis*. Hebræus, Samaritanus, Syriacus, legunt: *Quoniam ego sum Dominus Deus tuus, Deus Zelotes* (e). Quantâ

soli-

(o) 3 *Reg.* vii, 24, 25, 26. (p) *Ibid.* vii, 44. (q) *Ibid.* vii, 28. (r) פסל *Septuag.* Εἴδωλον. *Alii*, γλυπτὸν, (s) *Vide Theodoret. in Exod. qu.* 10; *& Orig. homil.* 8 *in Exod. Idem in Catenis Mss.* (t) Ὁμοίωμα. *Vide Origen. ibidem.* (u) *Amos* v, 26. *Act.* vii, 43. (x) *Deut.* xviii, 10, *& seq.* (y) *Deut.* xvii, 2, 5. *Exod.* xxii, 20. (z) *Exod.* xxii, 18. (a) *Levit.* xx, 6. (b) *Deut.* xiii, 6. (c) *Rabb. apud Selden. de jure nat. & gent. l.* 2, *c.* 6. (d) *Tertull. l.* 2 *contra Marcion.*
(e) כי אנכי יהוה אלהיך אל קנא

solicitudine tenetur sponsus pro fide sponsæ suæ, tantà se pariter Deus teneri dicit pro integritate fidei populi sui; quibus sanè verbis amoris sui erga populum magnitudinem exprimit. Fœdus cum Israële compositum, exhibetur in Scripturà sub figurà conjugii (*f*); populi infidelitas tanquam adulterium vel fornicatio reprehenditur (*g*); & cùm Deus minitatur fore, ut populum suum abjiciat, missurum se dicit libellum repudii (*h*). Hebræum *Kana* non tantùm censet Vatablus significare ægritudinem illam, qua de alterius amore vel conjugali fide alter timet, sed & indignationem, qua quis injurias sibi & propinquis suis illatas fert ægerrimè. S. Chrysostomus (*i*) verba illa Mosaica, *Deus visitans peccata patrum in filios*, accipienda tantùm contendit de filiis, quorum Patres sub Moyse pedem retulerant ex Ægypto, qui cùm oculati testes spectassent prodigia, quibus Deus patribus suis faverat, nihilo tamen seciùs divinis jussionibus pervicaces se præbuerunt, defectionemque patrum suorum in se promoverunt.

Visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem. Dictum accipiunt Patres (*k*) & Theologi de filiis, qui ab impiis parentibus impietatem non secùs ac naturam referant. Ita pariter interpretantur Onkelos, & plures alii doctissimi Interpretes; favetque eorum explicationi Scriptura, addens: *Eorum qui oderunt me. Quia patrum extiterunt æmulatores*, ait S. Hieronymus [*l*], *& oderunt Deum, hæreditario malo, & ramos quoque de radice crescentes.*

Alii tamen Patres, prono magis & ad literam sensu, puniri dicunt a Deo filios, ex impiis parentibus etiam pios, usque ad tertiam & quartam generationem. Filii Israëlitarum, eorum scilicet, quorum murmur in Deum in deserto excitatum est, diuturnæ XL annorum animadversioni obnoxii fuere, paternæ prævaricationis pœnas luentes (*m*): *Filii vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram.* Criminis sui Achan pœnas non ipse tantùm sed & universa ipsius familia, & populus omnis dedit; cùm tamen reus culpæ ipse unus haberetur [*n*]: *Et ille erat unus homo; atque utinam solus periisset in genere suo!* David adulterii reus pœnas criminis luit; luit & filius ejus, primus ex Bethsabee natus (*o*). Ejusdem Principis superbia, cùm populi censum indiceret, universo populo fuit exitialis [*p*]. Filii parvuli Chananæorum, quo tempore Israëlitæ regionem illam invaserunt, *Nonne per suorum parentum peccata, quorum nec conscii, nec imitatores esse adhuc poterant, Divino judicio pœnam subiere communem?* [*q*]. Porrò, ait Pseudo-Justinus (*r*), *Non injustè Deus facit, si propter Regum lapsus populum ulciscitur; solet enim multùm angere Reges clades populi*, Quemadmodum, addit ille, cùm manus peccat, corpus universum subit supplicium; ita Deus Principem punit, subditos illi populos affligens; totamque ejus ditionem, in qua ipse veluti caput præest, angens, angit & caput. *Divitiæ populi*, ait Tertullianus [*s*], *talia remedia compulerat, ut vel posteritatibus suis prospicientes, legi Divinæ obedirent.* Accidit non raro, ait S. Athanasius (*t*), ut ad parentum scelus puniendum filii parvuli interimantur. Qua ex re Deus duo simul & semel ingentia bona procurat: primò scilicet, a corruptione ritè eductos insontes illos pueros immortalitate donat, ac beatitudine; deinde verò parentes invitat ad resipiscendum: fieri tamen potest, ut præter hæc latentibus etiam aliis consiliis ducatur.

Aliam interpretationem textûs sufficiunt Theodoretus & S. Hieronymus: Deus, misericordiâ dives, paternorum criminum pœnas differt usque ad tertiam & quartam generationem [*u*], in filios tandem paterni sceleris æmulatores animadvertens. Israëlitæ Ægyptiorum Idolorum cultu sese polluerant; criminum ejusmodi seriem prorogaverant filii ad usque quartam generationem; quintæ demum generationis homines pedem referentes ex Ægypto trita Patrum vestigia triverunt adhuc; vitulum consecrarunt in deserto, iisdem oculis suspicientes colentesque Idolum, quibus spectaverant eximia illa prodigia, quibus Deus amorem in illos suum manifestaverat: tandem Dominus ingrati animi vitium detestatus, furorem suum, quem tamdiù cohibuerat, sibi permisit. Expectat Deus, ait S. Hieronymus (*x*), ut impleatur criminum mensura: quare Amos (*y*): *Super tribus & quatuor impietatibus illius & illius civitatis, non aversabor eam?* Jesus Christus [*z*]: *Implete mensuram patrum vestrorum.*

Morali & spirituali sensu explicat Origenes (*a*) hunc locum: *Deus punit iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem*, idest, mali auctores, eos qui perpetrant, qui suadent, qos operâ suâ juvant, unâ omnes pœnâ involvit. Punit Deus non proximos tantùm criminis Authores, veluti sceleris parentes jure meritoque habendos; punit pariter & illos, quos obliquè saltem tangit sceleris culpa. Defendit Grotius (*b*), sermonem hic esse de Idololatriâ; quo semel vitio admisso, criminis pœna consequitur & parentes & filios usque ad tertiam & quartam generationem. Præcedentia omnia ad crimen illud referri observat; quo in puniendi genere, Deum uti dispotico illo in vitam & in bona omnium jure, alibi (*c*) animadvertit.

Textui huic Mosaico repugnantes in speciem alios opponunt, ex iisdem libris, & ex Propheticis deductos. In Deuteronomio XXIV, 16, cavet Deus, ne Judicum populi sententiâ *occidantur patres pro filiis, nec filii pro patribus*, nempe ob scelera alterutrorum; sed *Unusquisque pro peccato suo morietur.* An Deus in ultione de creaturis suis exigendâ alias sibi leges præstituit, quàm quas Judicibus populi sui indixit? Jeremias XXXI, 29, 30, & Ezechiel XVIII, 4, narrant Judæorum querelas, lamentantium olim: *Patres nostri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.*

Deus

(f) *Ezech.* XVI, 8, 9, *& passim.* (g) *Ezech.* XXXIII, 3, 15, 16, *& sequ. Osee* XV, 10. (h) *Jerem.* III, 8; *Isa.* L, 1: *Quis est libellus repudii matris vestræ, quo dimisi eam? .... Ecce in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.* (i) *Chrysost. homil.* 55 *in Joan.* (k) *Aug. contra Adimant. c.* 7, *n.* 1, *&* 3; *& qu.* 42 *in Deut. & Author quæst. veter. Testam. qu.* 14, *apud Aug. Greg. Mag. l.* 25 *Moral. c.* 32, *&c.* (l) *Hieron. in Ezech. l.* 6, *c.* 18, *initio.* [m] *Num.* XIV, 33. (n) *Josue* XXII, 20. (o) 2 *Reg.* XII, 15. (p) 2 *Reg.* XXIV, 15. (q) *Aug. l.* 3 *Operis imperfecti contra Julianum, c.* 8. (r) *Justin. Quæst. ad Orthodox. qu.* 138. (s) *Tertull. l.* 2 *contra Marcion. c.* 15. (t) *Athanas. La quæst. ad Antioch. Princip. q.* 68, 69. (u) *Theodoret. qu.* 40 *in Exod.* (x) *Hieron. ad Demetriad.* (y) *Amos* 1, 6; *&* II, 1. (z) *Matt.* XXIII, 32. (a) *Origen. homil.* 8 *in Exod.* (b) *Grot. in explic. Decal. ut Græcè extat.* (c) *Idem, l.* 2 *de jure belli & pacis, c.* 21, § 24.

Digitized by Google

Deus autem per viros illos sanctissimos pollicetur futurum, ut proverbium illud contrariâ consuetudine abrogetur; sed quicumque peccaverit, ipse & non alius peribit, nec filius patris nec pater filii scelus portabit: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur*. Dogma est etiam, Scripturæ authoritate sancitum, Deum scilicet insontes pro sontibus non plectere. Hac ratione fretus Abraham, extremum exitium Urbium Sodomæ & Gomorrhæ avertere conatur (*d*). Moyses ad Deum in Numeris xvi, 22: *Num uno peccante, contra omnes ira tua desaeviet?* Tandem Jesus Christus de supremo hominum Judice ait (*e*): *Reddet unicuique secundùm opera ejus*. Quî ergo fieri poterit, ut Deus ob parentum crimina pœnæ reos agat filios insontes?

Reponendum hisce, I, Nunquam committit Deus, ut in malis inferendis eadem patiatur pius æquè ac impius. Si fortè Deo interdum permittente idem publicæ calamitatis fatum, merito impiorum parentum, obvolvat filios probos; hoc non in pœnam piis datur, sed in felicitatis & gloriæ incrementum. Perficitur enim elaboraturque hominum patientia in adversis: malis hisce ad æternam beatitudinem perducuntur. Quare illis dura sunt hæc quidem & ardua; mala verò vel supplicia non sunt, cùm non tantùm eos sincero aliquo bono non privent, verùm etiam bonis fortunisque augeant.

II. Cùm Deus Judicibus populi sui vetat, ne eâdem supplicii pœnâ in impios simul & in pios animadvertant, discrimen judiciorum suorum ab humanis hisce hoc simul facto observare jubet. Deus, utì supremus Judex, sapientiâ & intelligentiâ æquè summus, criminum gravitati accommodare novit suppliciorum mensuram. Quare unius ipsius est corporeæ caducæque ultionis severitatem, mortalibus terrenisque tantummodò rebus mulctans, in reos pariter & innocuos exercere, cùm consilio sapientissimo, justissimo, nobis licèt incognito ducatur. Hoc autem privilegium longissimè removent ab humanis Judicibus insita homini imbecillitas, ac indita mentibus ignorantia, animi præjudicia; quæ sanè omnia faciunt, ut supplicia pœnis ex æquo respondentia definiri non possint. Fortè illi vel puniendis justis, sive etiam parcendo impiis, æquam justitiæ lancem minimè observarent. Negatur autem hominibus, ut mali quidquam præstent, quo bonum aliquod procurent (*f*); & si fortè Legibus civilibus detur aliquando potestas puniendi insontes filios ob parentum crimina, id non nisi in extraordinariis rerum eventibus usu venit; & eo tantùm consilio, ut majus malum evitetur, & etiam bonum procuretur; illud scilicet, e. g. ut mali exempli appendices omnes exscindantur, pax Reipublicæ & publicum civium bonum servetur. E re tandem Reipublicæ & societatis semper esse censendum est, ut innocens aliquis addicatur supplicio potiùs, quàm impunita relinquantur crimina, sive pravum illud exemplum imitandum improbus quisque sibi constituat. In ejusmodi rerum eventibus non aliter acturus supremus Judex creditur; quare in puniendis viris insontibus nonnisi illius mentem & morem sequi se homines arbitrantur.

III, Pollicetur Deus futurum, ut querelæ illæ, quas olim vulgus jactabat, nunquam deinceps audiantur in Israële; neque enim ulteriùs supplicio addictus lugebitur filius pro patre impio, & vicissim; sed statuit pariter, filios a moribus parentum recessuros, & parentes nullam in filiorum sceleribus communionem habituros. Aperta hæc leguntur in toto contextu Ezechielis. Deus ibi nunquam profitetur se exegisse pœnas de filio innocente, ob sontem patrem. Quin potiùs hanc accusationem evertit ℣. 25. (*g*); non negat tamen Deus contigisse interdum, ut pœnas de crimine patris senserit non expers criminis filius, majores quidem quàm pro merito scelerum suorum: hæc tamen dicta accipienda sunt de communibus & publicis animadversionibus, utì bellis, totius gentis captivitate, quæ sunt mala probis æquè ac improbis communia. Deus plerumque malis illis non premit primos iniquitatis authores, quamquam criminis magis reos, sed differt plerumque ad plures generationes, donec tandem super impium genus vindictæ severitatem exerceat. Tunc autem non superstitum tantùm crimina punit, sed & præcedentium; *Tarditatem* verò *supplicii gravitate compensat*. Recole in hujus rei exemplum, Sodomæ & Gomorrhæ excidium; recole exactam de Chananæis per Hebræos, de Hebræis per hostium furorem & crudelitates ultionem. Ex Judæis illi quidem, qui Babylonem captivi deducti sunt, criminum rei tenebantur; sed minorum utique quàm quo peccarunt eorum parentes, qui tamen dies suos in pace & in avitæ regionis possessione clauserant.

Cæterùm quæ hìc semel de pœnis filiorum ex parentum crimine docentur, semel iterum & sæpiùs repetuntur in Scripturâ, ut specimen inde Deus exhiberi voluisse videatur summæ justitiæ suæ, nunquam non æqua exigentis, quamquam æquitatis hujus causæ omnes latent. Moyses in Exodo xxxiv, 7: *Nullus apud te per se innocens est, qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem*. Job ix, 17: *In turbine conteret me, & multiplicabit vulnera mea, etiam sine causâ*. Psalmus cviii, 14: *In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur*. Tobias III, 3: *Ne reminiscaris delicta mea vel parentum meorum*. Jesus Christus apud S. Matthæum xxiii, 35: *Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ*. Cùm Deus præripi nobis vitam & bona fortunæ sinit, iis nos privat, quæ juris ipsius absoluti & dispotici censentur.

Hunc Textum explicat S. Augustinus (*h*) de pueris a naturâ crimen referentibus, non crimen tantùm illud, quod ex vitiatâ per primos parentes radice contrahitur, sed & alterum, quod e proximorum parentum scelere nati unusquisque vitiantur. Profectò obnoxios illos huic sententiæ pronunciat Augustinus: *Visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem*; obnoxios, inquam, tamdiu manere dicit, donec per regenerationem in novi fœderis privilegium admittantur: hanc autem generationem præ oculis habuisse censet Ezechielem verbis illis: *Non ultra erit vobis parabola hæc: Patres nostri comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt*. In Baptismo crimen illud, quo polluti nascimur, penitùs abluitur.

(d) *Genes.* xviii, 25. (e) *Matt.* xvi, 27. (f) *Rom.* iii, 8. (g) *Ezech.* xv, 21, 25: *Et dixistis: Non est æqua via Domini. Audite ergo domus Israël. Numquid via mea non est æqua, & non magis viæ vestræ pravæ sunt? &c.* (h) *Aug. Enchirid. c.* 46; *& Ep.* 98. *nov. edit.*

℣. 6. Et faciens misericordiam in millia his, qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

℣. 7. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

COMMENTARIUS.

℣. 6. FACIENS MISARICORDIAM IN MILLIA HIS QUI DILIOUNT MA. Ægrè mentem nostram accommodamus iotelligendæ justitiæ Dei, tam longè ultionis suæ animadversionem promoventis, ut usque ad tertiam & quartam generationem non parcat; vix enim hæc cohærere videntur cum æquissimo illo rectique maximè tenace supremo omnium Judice. *Sub Deo justo*, ait S. Augustinus, *nemo miser esse, nisi mereatur, potest*. Sed noo ita de misericordiâ reputamus. Cùm enim gratuitò misereatur Deus, cùm pro arbitrio suo parcat hominibus, facilè intelligimus, misericordiæ suæ sinu complecti illum homines, qui ipsum diliguot, ac posteros illorum per loogas generationes. Omnes Scripturarum paginæ occupantur laudibus Dei, ad excessum usque mitis atque clementis. Nuo modò amicos suos beneficiis cumulat, verùm liberali etiam maou divitias bonitatis suæ profundit in filios & posteros, parentum merita in illis remunerans. Quis innumera ignorat beneficia, in posteros transmissa merito virorum sanctissimorum Abrahami, Isaaci, & Jacobi? Quàm sæpè viri Sanctissimi Veteris Testamenti Deum inter precandum obtestantur per merita amicorum ipsius & Patriarcharum? Quàm sæpè ingeminato Davidis nomine exoratus est Deus? Hebræi misericordiæ Dei excessum super ejus justitiam utcumque explicaturi, proverbialem hanc formulam habent familiarem: S. Michaël (ultionis typus) unicà alâ, S. Gabriel duplici volat. Meliùs, ac nobiliùs S. Paulus (*i*): *Deus qui dives est in misericordiâ*. Psalmus CXLIV, 9: *Miserationes ejus super omnia opera ejus*.

℣. 7. NON ASSUMAS NOMAN DOMINI DAI TUI IN VANUM; idest, æquâ causâ oon poscente, non temerè, non præposterè nomen illud pronuncians violabis. Reddi potest Hebræus (*k*): *Non assumes nomen Dei ad asserendum mendacium*. Suppetunt magno numero Textus, in quibus Hebræum *Schave* (*l*) usurpatur pro mendacio. Utitur illo Moyses in Deuteronomio, ubi repetit legem vetantem, ne quis falsum testimonium ferat. Chaldæus vertit: *Non jurabis in nomine Dei tui frustra, quia non justificabit illum Dominus, qui juraverit in nomine suo, in vanum*. Ponit hic perjurium, ut æquivalens jurijurando temerè concepto.

Interpretes quique doctissimi (*m*) conveniunt, Deum non hic tantùm interdicere jusjurandum temerè levique de causâ cooceptum, sed mendacium ac perjurium. Judæi Jesu Christo coævi (*n*) persuasum habebant, licere singulis jurare per Cœlum, per Terram, per Jerusalem, per caput unicuique suum. Docebant autem, sacramentis per Templum præstitis fidem non obligari; obligari autem, si per aurum Templi jurarent: ita pariter per Altare jurans nihil debet (*o*); per oblationes Altari impositas, tenetur. Absurdas hasce explicationes Jesus Christus confutavit. Inter eos, qui cumulandi sunt benedictionibus a Domino, recenset Psalmista, Psalmo XXIII, 4, eum, *Qui non accepit in vanum animam suam*, (temerè per animam suam non juravit) *nec juravit in dolo proximo suo*. Solemnes erant Hebræis hæ jurisjurandi formulæ: *Vivit Dominus, & vivit anima tua*. Monet Philo (*p*), ut, si cui libeat jurare, juret potiùs per nomen terræ, Solis, astrorum, Cœli, & mundi, quàm per nomen summè potentis Dei. Addit, tantâ jurandi libidine noonullos teneri, ut nec satis observent loca, utrùm religiosa sint, an prophana; nec tempora, an deceat; nec se ipsos, sint ne corpore & spiritu puri; nec negocia, an levioris sint vel majoris momenti: *Non enim fidei argumentum est frequentia jurandi, sed infidelitatis, hominum sapientum judicio* (*q*). Porrò Dei nomen in vanum triplici ratione assumitor. I, Cùm quis præstiturum se aliquid sacramento affirmat, quod tamen fieri ab eo oon potest: II, Cùm res falsa jurejuraodo asseritur: III, Cùm Dei nomen temerè seu levi de causâ usurpatur.

Theodoretus (*r*), aliique plures defendunt, lege hac interdici, ne Dei nomen, nisi in res sanctas, utiles, & necessarias, nisi ad orandum, docendosque alios, non ad risum, non ad ludum, ut ferè fit, pronuncietur. Tertullianus verò (*s*) cum Patribus nonnullis putat vetari, ne Dei elogium addatur Numinibus, quæ interdum nomine *vani*, seù *vanitatis* in Scripturâ deridentur. Hac etiam Lege vetitum jurare in verba Deorum alienigenorum (*t*) Deique oomini convicia inferre [*u*].

NEC ENIM HABEAIT INSONTEM, QUI ASSUMPSERIT NOMAN DOMINI DEI SUI FRUSTRA. Criminis non habebit expertem; sed extremo supplicio plectet (*x*). Figura est sermonis, rem invidiosam utcumque extenuans. Chaldæus: *Non justificabis illum*, idest, reum habebit. Cùm talia minetur, inferunt inde (*y*), plus multò hoc præcepto interdici, quàm nimiam invocandi nominis Dei in rebus quibusque, etiam minimis, facilitatem: perjurium enim gravibus hisce & verbis & minis interdictum quis noo intelligat? Docent Hebræi (*z*), si quis hominem fortè audierit jurantem per

(i) *Ephes.* II. 4. (k) לא תשא את שם יהוה לשוא
(l) *Vide Deut.* v, 20; *Exod.* XX, 16; *Levit.* XIX, 12; *Psal.* IV, 3; XXXVII, 13; LXI, 10; *Ezech.* XII, 24; & XIII, 6; *Osee* X, 4; & XII, 11; *Jonas* II, 9; *Zach.* X, 2; *Matt.* V, 33. (m) *Vatab. Grot. Estius, &c.* (n) *Matt.* V. 33, 34, 35, 36. (o) *Matt.* XXIII, 16, 18. (p) *Philo de special. legib.* (q) Ου γὰρ πίστεως ἡ πολυορκία τεκμήριον, ἀλλ' ἀπιστίας ἐστὶ παρὰ τοῖς εὐφρονοῦσι. (r) *Qu.* 41 *in Exod. Munst. Marian. Rivet. Bonfrer. Menoch. &c.* (s) *De Idol. c.* 20; & *Clem. Alex.* & *Cyrill.*
(t) *Exod.* XXIII, 13. (u) *Levit.* XXIV, 16. [x] *Grot. Menoch. Rivet. &c.* (y) *Estius.*
(z) *Maimonid. tract. Schebuoth. c.* 55.

℣. 8. Memento, ut diem ſabbati ſanctifices.
℣. 9. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua.

COMMENTARIUS.

per nomen Dei, ſive in vanum, ſive in mendacii teſtimonium, ſive conviciando, ſtatim excommunicatione plectere illum teneri; quod ſi neglexerit, eamdem in ſuum caput pœnam provocare. Si quis de jurejurando inani a volente prudenteque prolato convinceretur, flagris damnabatur; ſed ſi imprudenti hoc excidiſſe demonſtraſſet, immunis erat ſive a pœnâ ſive a ſacrificio.

℣. 8. MEMENTO UT DIEM SABBATI SANCTIFICES. Sabbati religionem ſub Moyſe primùm cœpiſſe, in caput II, 3, Geneſeos demonſtratum eſt: oſtenſum inſuper in caput XVI, 23, Exodi, latum primitus hoc præceptum in monte Sinai. Supereſt, ut quid ſit, videamus. Jubet Deus diem illam ſanctificari, vacuamque haberi ſervilibus operis, cæteriſque omnibus, quæ hominem a cultu Creatoris ab opere conditi mundi ſeptimâ die ceſſantis, avertunt. *Deus ſanctificavit diem ſeptimam*, ideſt, a cæteris aliis diebus, utpote ſibi peculiariùs addictam, ſegregavit atque diſtinxit.

Legis naturalis dictamine jubentur homines totum ſuum tempus, ſeque ac ſua omnia in Deum traducere. Sed cùm pluribus ad vitam neceſſariis operam dare, ſeque ad multa ſocietatis officia diſtrahere cogatur; Deus e ſingulis hebdomadis diem certam ſelegit, qua cæteris curis omnibus amotis, totos ſe homines officiis Deo ſuo præſtandis exerceant. Ita lex Sabbati legem hanc naturalem determinat; quæ ſanè determinatio cùm juris ſit poſitivi, transferri utique potuit ab Eccleſiâ Chriſtianâ e Sabbato in diem Dominicam, qua reſurgentis ad vitam Jeſu Chriſti memoriam veneratur.

Primum & potiſſimum hujus legis præceptum in eo verſatur, ut cultum & ſervitutem Dei ſibi quiſque proponat eâ qua ipſe præſcripſit, ratione præſtandum. *Feſtus dies*, ait e Veteribus quidam (a), *nihil eſt aliud, quàm qua maximè decet, conficere*. Ex eo præcepto alterum velut appendix conſequitur, ut ſcilicet ea omnia a nobis removeamus, quæ prohibent, ne ad Deum accedamus; & potiſſimùm ſervilia omnia, & quæcumque requiem ſpiritûs & pacem cordis, ad cultum Deo gratum præſtandum neceſſarias, ſolicitudinibus turbant. Legitur id ℣. 10: *Non facies omne opus in eo*.

Porrò in lege hac condendâ id potiſſimùm voluit Deus, ut conditi orbis memoria apud homines ſervaretur. Humanitatis etiam ſenſum inſpirat Iſraëlitis in mancipia, in advenas, in bruta pariter, requiem Sabbati inſtituens. *Non facies*, inquit, *omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, ſervus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui eſt intra portas tuas*.

Judæorum in eâ re ſententiæ vario tempore variæ fuere. Permiſſum id ſibi aliquando duxerunt, quod deinde vetitum fuit (b). Sub Macchabæis eâ religione Sabbatum obſervabatur, ut neque juſto bello, cùm extrema omnia urgerent, licitam ſibi eâ die defenſionem arbitrarentur; poſt hæc, juſtâ adeò de causâ armis ſe defendere non duxerunt religioni (c). Licere Judæis obſidere Paganorum urbes, & cum illis prælio dimicare die Sabbati, docet Maimonides (d). Ætate Jeſu Chriſti gregem adaquare, in foveam fortè prolapſam belluam e præſenti diſcrimine ſubducere die Sabbati integrum erat ſingulis (e); cùm interim abſurdâ neſcio qua religione vitio verterent Jeſu Chriſto, quòd ſolo verbo reſtitueret valetudinem. Hodie verò e foveâ jumentum educere, vetitum ſibi credunt; licere verò cibum illi ſuppeditare.

Intelligimus ex Moyſe, die Sabbati conceſſum aliquid itineris fuiſſe. Dabatur ſingulis, ut e tentorio ſuo ad Tabernaculum Domini ſe conferret: remotiſſima autem tabernacula bis mille paſſibus, ut minimum, aberant. Docent Rabbini (f), itineris eâ die permiſſi menſuram definitam ad XII M paſſuum; at ſucceſſu temporis ſpatium illud reformarunt, ut inferiùs dicemus. In Deuteronomio XVI, 7, imperatur, ut agnus Paſchalis veſpere Paſchæ immoletur; tum additur: *Et coques, & comedes; manè conſurgens vades ad Tabernacula tua*; nihilque additur de menſurâ itineris eâ die faciendi. Hoſpitam Eliſei, cùm Prophetam aditura eſſet, ut filii vitam poſtularet, ita Vir ſuus affatus eſt (g): *Quam ob cauſam vadis ad eum? Hodie non ſunt Kalendæ, neque Sabbatum*. In Neomeniis igitur & Sabbatis eò ſe conferebat interdum mulier, nec ſanè parum aberat; tribus enim ſaltem leucis diſtat *Sunam* a monte Carmelo, Eliſei tunc ſede: quod argumento eſt, nondum itineris Sabbatici menſuram ad bis mille cubitos, a portis Urbis, nempe ad M paſſus vel VIII ſtadia definitam. Factum id poſteriùs. Legimus in Actis I, 12, montem Olivarum a Jeroſolymis abeſſe Sabbati itinere. Interpres Syrus removet montem ab Urbe VII ſtadiis, ideſt, DCCCLXXV paſſibus; Joſephus (h) quinque tantùm ſtadiis, ideſt DCXXV paſſibus: quod iterum probat, nihil ſatis certi adhuc definitum pro itinere Sabbatico. Sed quorſum hæc leviuſcula? Illud certum eſt, prolixa nimis itinera perinde reputata, quaſi religioſam Sabbati quietem turbarent. *Videte*, ait Jeſus Chriſtus apud S. Matthæum XXIV, 20, *Ut non fiat fuga veſtra in hieme, vel Sabbato*. Ovidius

. . . . . Invitos currere coge pedes.
Nec pluvias opta, nec te peregrina morentur Sabbata.

Requiem hanc Sabbati multò religioſiùs jubebat Lex, quàm aliorum per annum feſtorum dierum; uti, cùm de Paſchate ageremus, a nobis ſignificatum eſt. Vetitum tunc ignem excitare, apparare cibos, quod tamen utrumque die Paſchatis licebat (i). In violatores Sabbati capitali ſupplicio animadvertebatur (k); cujus rei exemplum eſt vir colligens ligna die Sabbati (l). Aſſerit Philo (m), diebus Sabbati Moyſem cœtum populi habuiſſe, ſua ſingulos officia docens, ad mores populum formans, & ad virtutem, cujus exerci-

(a) *Thucydid. l.* 1: Ἑορτὴ οὐδὲν ἄλλο τι ἐστὶν, ἢ τὸ τὰ δέοντα πρᾶξαι. (b) *Vid. Buxtorf. Synag. Jud. c.* XI. (c) 1 *Macc.* II, 34. *&c.* (d) *Maimonid. apud Cunæum, de Republicâ Hebr. l.* 2, *c.* 22. (e) *Matt.* XII, 10, 11, 12. (f) *Talmudici, Maimonid. & Mikotzi, &c. apud Selden. de jure nat. & gent. l.* 3, *c.* 9. (g) 4 *Reg.* IV, 23. (h) *Joſeph. Antiq. l.* 20, *c.* 6. (i) *Exod.* XII, 16. (k) *Exod.* XXXV, 2. (l) *Num.* XV, 32, *& ſeq.* (m) *Philo l.* 4 *de vitâ Moſ.*

℣. 10. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus, & filia tua; servus tuus, & ancilla tua, jumentum tuum, & advena, qui est intra portas tuas.

COMMENTARIUS.

tiu veram sibi felicitatem compararet, vitam duceret, moresque haberet ad recti normam compositos; quare, inquit, adhuc obtinet, ut Judæi diem illam Sabbati in studio avitarum legum rerumque naturalium contemplatione agant religiosam.

Judaicam hanc sive religionem sive superstitionem longè superant Samaritani; non ignem excitant, non opus conjugii admittunt, non e loco se removent, nisi ædes Domini petituri. Unum illis eâ die negocium est studium legis, preces ad Deum, & gratiarum actio (*n*).

Cœptum vespere feriæ sextæ Festum, vesperis Sabbati eâdem horâ, qua cœperat, absolvebatur (*o*): *A vesperâ usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra.* Ineunte Festo, noctisque subeuntibus tenebris domus singulæ singulis lampadibus illustrabantur. Constat hoc apud Senecam; veterique more acceptum tenent adhuc Judæi, ut ex Leone Modenâ (*p*) scimus. Recurrit sæpe apud Paganos authores mentio jejunii Sabbati, ac si Judæi diem illam esurialem haberent; *Recutitaque Sabbata palles*, ait Persius Satyrâ quintâ, Et Petronius: *Et non jejunâ Sabbata lege premet.* Juvenalis de Judæâ loquens, ait, ibi Reges nudis pedibus festa exercere:

Exercent ubi festa mero pede Sabbata Reges.

Verùm scitè admodum Scaliger animadvertit (*q*), Sabbati nomine apud Paganos Judæorum quodcumque festum significari. Horatius (*r*) Neomeniam appellat *tricesima Sabbata*. Cùm autem festa nonnulla esurialia re ipsâ haberent Judæi, uti diem Expiationis solemnis, hinc dixere Ethnici, Sabbatis suis Judæos religiosum jejonium celebrasse. Animadvertit pariter Seldenus (*s*), cùm Judæi solerent bis qualibet hebdomadâ jejunium agere (*t*), feriâ scilicet secundâ & quintâ, & cùm dies ille non secùs ac Sabbatum post evolutam septem dierum periodum recurreret; idcirco suspicioni præbuisse locum, singula scilicet recurrentia Sabbata eos habere esurialia; quæ tamen Paganorum persuasio falsa ab Hebræis omnibus convincitur, uno assensu docentibus, vetitum fuisse eâ die jejunium.

Quàm alta ipsorum mentibus insideret sive in rebus Judaicis ignorantia, sive in eam gentem invidia, non obscurè demonstrarunt prophani Scriptores; cùm Sabbati originem indicandam suscepere. Diodorus Siculus in eam vênit persuasionem, agi apud Judæos Sabbati ferias in honorem Saturni, cui potissimùm Numini sacra erat dies illa ex Paganorum religione; ejusque de nomine censebatur appellata; est enim dies Saturni. Maluit Plutarchus (*u*) Bacchum eâ die coli a Judæis, quòd in ejus Numinis solemniis inclamaretur: *Saboi*. Addit ille, Judæos singula recurrentia Sabbata læta ducere compotationibus & ludis; summum verò Sacerdotem eâ die prodire mitrâ cothurnisque ornatum, hædinâ pelle, vel talari veste tintinnabulis ad fimbrias ornatâ indutum. Subobscura hìc certas veritatis vestigia, multis obumbrata fabularum tenebris.

Nec æquiori de illis sive judicavit sive novit Appio Grammaticus, quamquam omnium suo tempore doctissimus reputari ab aliis vellet. Vitio vertebat Judæis Sabbati ferias, idcircò, ut ille quidem comminiscebatur, indictas, quòd eâ die convaluissent a morbo quodam probroso, Ægyptiorum linguâ appellato *Sabbo*. Etymon nominis *Sabbatum* deducit Lactantius ex *septem*. Sed constat utique deductum ex Hebræo שבת *Schabbat*, requies.

℣. 10. Non facies omne opus in eo. Artem nullam exercebis, vel servile aliquod opus ad emolumentum aliquod temporale. Hanc legem cum adjunctâ exceptione ita recitant Veteres (*x*): *Non facies omne opus in eo, præter quàm quod ad animam pertinet*; vel ita: *Nisi quod fiet omne anima*, idest, nisi in rebus, ubi vita periclitatur. Desumpta hæc sunt e vetustissimâ Glossâ, cui authoritatem vindicant vetustissimi Judæorum Libri & testimonium Jesu Christi (*y*), docentis, educi e foveâ jumentum, fortè die Sabbati illuc prolapsum. Sed alia statuunt recentiores Rabbini, id molientes, ut pro viribus convellant authoritatem nostrarum Scripturarum, atque a nostris dogmatibus longiùs recedant. Porrò illi Sabbati observantiam tantâ minutissimorum præceptorum farragine inferserunt, ut arduam & fermè impossibilem ejus executionem effecerint; quare securo planè animo spondent futurum, ut si populus Israëliticus semel tantùm & iterum eâ, qua præscriptum est, religione, Sabbatum observare possit, actutum omnibus, quibus premitur, ærumnis levetur (*z*). Eò superstitionis venerunt, ut neque fas esse sibi ducant sive corticem pomo detrahere, sive pomum ipsum igne excoquere, sive pulicem sive muscam sive insectum aliquod, cujus sexum discerni potest, occidere; nefas pariter credunt sive canere voce, sive instrumentis, adeo ut a strepitu excitari e somno infans queat.

Servus tuus et ancilla tua, jumentum tuum. Ejus præcepti lege duritiem temperat Deus herorum in mancipia; quò autem in homines humanitatis sensus altiùs insinuet, præcipit, ut mitiùs etiam habeantur jumenta, quorum laboribus homines utuntur. Eos qui jumenta necassent, reos habuerunt Veteres criminis expiandi (*a*). Ab eorum cæde, vel in summis necessitatibus bel-

(n) Lettre des Samarit. à M. Huntington. (o) *Levit.* XXIII, 32. (p) *Leo Modena, part.* 3, *c.* 1 *de cæremon. Judæorum.* (q) *Scalig. ad Eusebium, canon. Isag. l.* 3.
(r) ..... *Hodie trigesima Sabbatha. Vin tu*
Curtis Judæis oppedere?
(s) *Selden. de jure nat. & gent. l.* 3, *c.* 15. (t) *Luc.* XVIII, 12: *Jejuno bis in Sabbato.*
(u) *Sympos. l.* 4. (x) *Tertull. advers. Jud. c.* 4: *Omne opus servile non facietis in eo, præter quàm quod ad animam pertinet. Et lib.* 4 *contra Marcion. Non facietis omne opus in eâ, nisi quod fiet omni animæ. Hieronym. ad cap.* 28 *Isai. Lege præceptum est, ne in Sabbatho opus servile faciamus...... ut illa tantùm faciamus, quæ ad animæ salutem pertinent.* (y) *Matth.* XII, 35. (z) *Buxtorf. Synagog. Jud. c.* 25. (a) Τὸ παλαιὸν ὅσιον ἦν κτείνειν τὰ συνεργὰ τοῖς βίοις ἡμῶν ζῶα. *Porphyr. de abstin. l.* 2

℣. 11. Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & mare,
& omnia, quæ in eis sunt, & requievit in die septimo: idcircò
benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificavit eum.
℣. 12. Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus su-
per terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

COMMENTARIUS.

bellorum Essæos abstinere affirmat Porphyrius (b). Leges Triptolemi (c) sive iniquiùs haberi sive torqueri animalia vetabant. Apud Romanos (d) *Mulis, equis, asinis feriæ nullæ, nisi si in familiâ sunt.*

SERVUS TUUS ET ANCILLA TUA. Nulla erat facultas Hebræis heris cogendi ad observantiam Sabbati mancipia, nisi Judaicæ Religioni addicta, sive per circumcisionem si mares essent, sive per Baptismum, si fœminæ. Vetitum ipsis pariter, ne ad opus applicarent mancipia, sive jumenta sive advenas illos, quibus nulla lex Sabbati imposita erat, ad opus, inquam, die Sabbati suo ipsorum usui applicare (e). Nec tandem fas erat Judæo mancipium suum vel bovem commodare eâ die Pagano, quo ad opus uteretur.

ET ADVENA QUI EST INTRA PORTAS TUAS. Duo advenarum genera distinguebantur in Urbibus Israëliticis; quorum alii Proselyti Justitiæ, alii Proselyti domicilii nuncupabantur. Proselyti Justitiæ, & liberti, idest, qui e mancipiis admissæ circumcisionis jure libertatem obtinebant; denique omnes quicumque in Ecclesiam Judaicam per circumcisionem & professionem Judaismi transibant, sub iisdem conditionibus ac Judæi ipsi ad Sabbati religionem obstriogebantur. Verum Proselyti domicilii, non Judaismum professi, sed tantùm ad legis naturalis observationem datâ fide coacti, ut in Israëlitico solo sedem babere posseot, illi sub Sabbati lege non censebantur; imò si Sabbatum observassent, gravibus pœnis in illos animadvertebatur: *Gentilis, qui legem observabat, reus erat mortis* [f]. In his tamen ita temperabatur severitas, ut, teste Maimonide, nonnisi flagrorum pœnâ afficerentur: sed hæc contra omnem veri speciem affirmata ab illo credimus. Multò potiori jure putaremus indictam Sabbati requiem, juxta vim nostri Textûs, indictam, inquam, advenis omnibus in Judaicâ regione versantibus, quamcumqne tandem religionem professis, nisi Sabbatum servassent. Ita sectæ politiæ ordo postulabat (g).

℣. 12. HONORA PATREM TUUM, ET MATREM TUAM. Statim post debita erga Deum officia, præceptum de parentibus proponit Scriptura; post Deum enim obsequium nostrum & amorem maximè exigunt parentes. Præscribit hìc Lex, si ad literam accipiatur, tantummodò obsequium, & honorem utrique parenti debitum; sed verba illa æquè referenda censent Interpretes ad officia omnia, quæ, ipsâ insinuante naturâ, petunt a filiis parentes, uti obedientiam, subjectionem, reverentiam, amorem, acceptorum beneficiorum agnitionem, & in necessitatibus quà spiritûs, quà corporis, opem. Hæc porrò officia maximè omnium commendantur in Scripturis. Honor interdum apud Sacros Scriptores usurpatur (h) pro beneficio, & officio, cæterisque vitæ necessariis.

Mandat Deus ut morte puniantur [i] ii, qui vel percusserint sive conviciis pareotes affecerint, ac vicissim diuturnæ vitæ privilegium pollicetur iis, qui in eorum obsequio manserint: *Ut sis longævus super terram*; quæ sanè promissio æquè iis fit, qui studium in Lege servandâ collocarint (k). Scitè observat Philo (l), parentes ministros esse Dei, operam ipsi suam præstantes in productione filiorum. Illata ministro injuria in Dominum refunditur. Sunt etiam parentes, ceu visibiles quidam Dii, opus Creatoris utcumque imitantes in productione homioum: eo tamen discrimine, quòd Creator mundi totius author est, & parens; parentes verò filiorum tantùm suorum creatores. Fieri nunquam potest, ut visibiles hosce Deos, quibus gravissimis de causis obnoxii sunt, temnentes, invisibilem Deum universi Creatorem ritè colant. Statuunt Hebræi, præferendum a discipulo præceptorem suum, ex quo Legis scientiam accepit, ipsis etiam parentibus, in præstandis scilicet illi officiis, & obsequiis.

Constat ex Evangelio (m) Judæos olim, ad præcepti hujus vim eludendam, dicere solitos parentibus, se bona sua omnia Domino coosecrasse, quare nullum ipsis superesse in illa jus, nec integrum illis uti in domesticis necessitatibus: hodie tamen æquiora didicere Rabbini (n), docentes, filios cogi laboriosa quæque & vilissima præstare, ut parentes nutriant. Addunt, teneri illos exercitio artis suæ alere, si parentum impensis, vel curâ artem illam didicerunt; sin minùs, ab eâ obligatione absolvi: Axioma perniciosum æquè ac sævissimum. Addunt pariter, filios alendis parentibus obligari, sive filii illi bona fortunæ possideant, sive censu careant. Carentes autem censu, teneri stipem ostiatim quærere, ut cibos illis sufficiant (o). Apud Ægyptios (p) nullâ lege filii jubebantur sufficere necessaria parentibus indigentibus; id præscriptum a Lege filiabus. Fuerunt olim gentes nonnullæ, quæ barbaro quodam pietatis ingenio, & crudelissimæ miserationis affectu utrosque parentes necabant, cùm senectutis, & affectæ valetudinis incommoda duram illis vitam effecissent. Non defuerunt etiam, qui privandos potiùs vitâ censuerunt parentes, quàm illos in servitutem trahi paterentur.

Parentibus erga filios nihil præscribitur in Scriptura; omnium præceptorum instar censuit insitam a naturâ parentum animis erga filios propen-

(b) *Idem l. 4 de Abstin. de Essæis.* (c) *Ζῷα μὴ σίνεσθαι. Idem de abstin. l. 4.* (d) *Cato de Re Rust. c. 138.* (e) *Vide Selden. l. 3, c. 12 de jure naturali.* (f) *Maimonid.* (g) *Grot. explic. Decalog. ut Græcè extat.* (h) *Vide Num.* XXIV, 2; 1 *Timoth.* V, 3, 17. (i) *Exod.* XXI, 15, 17. (k) *Levit.* XXV, 18; *& Deut.* IV, 40; VI, 2; XI, 9; *& Ezech.* XX, 11, *&c.* (l) *Philo de decem præceptis.* [m] *Matt.* XV, 4, 5: *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, &c.* (n) *Maimonid. Halac Memarim. c. 6, &c. apud Selden. de jure nat. & gent. l. 7, c. 2.* (o) *Drus. in Levit.* XIX, 3. (p) *Diodor. l. 1, & Herodot. l. 2, c. 35.*

ỳ. 13. Non occides.
ỳ. 14. Non mœchaberis.
ỳ. 15. Non furtum facies.

COMMENTARIUS.

pensionem; & cùm parentum, & filiorum inter se mutua sint officia, præscriptis iis, quæ parentibus debentur a filiis, utique simul sancita reputanda sunt, quæ parentes debeant filiis; merito enim potissimùm amoris, & curæ, qua parentes in nutriendis filiis tenentur, rependendus est illis a filiis amor, obsequium, & obedientia. Vetus quidam Græcus author (q) dicebat, Athenienses plurimis laudibus ex eo cumulandos, quòd cùm cæteri Græcorum indiscriminatim filiis indicerent, ut alimoniam parentibus præstarent, apud Athenienses id tantùm imperaretur filiis, quos parentes ad artis alicujus, vel professionis exercitium applicassent.

Ut sis longævus super terram. Septuaginta (r): *Ut sis longævus super terram bonam &c.* Reddi etiam posset Hebræus (s): *Ut prolongent dies tuos &c.* parentes scilicet diuturnam tibi vitam precibus suis obtineant. Persuasum id Veteribus erat (t), Deos de vitæ spatio aliquid erasuros iis, qui in alendis parentibus deessent. Quicumque officia adeò sancta negligit, illum habendum edicit Demosthenes (u) velut hominem sine fide, & Diis inimicum.

Observant Patres (x), Scripturam ad literam hìc promittere tantùm bonorum temporalium mercedem iis, qui huic legi obtemperent: sed nec excludit bona æterna, quorum diuturna illa vita typus est & pignus. Nec promissio illa diuturnitatis vitæ ad literam accipienda est; experientiâ enim doceri affirmat S. Ambrosius [y], plures filios parentibus planè morigeros non tamen idcircò vitam mortalem diutiùs prorogare.

ỳ. 13, 14, 15. Non occides, non mœchaberis, non furtum facies. Septuaginta, & Veteres quidam (z) tria hæc præcepta hoc ordine recensent: *Non mœchaberis, non occides, non furtum facies.* S. Lucas XVIII, 20, S. Marcus X, 19, in Græco, eumdem ordinem sequuntur.

Non occides. Sunt qui (a) hoc præceptum ad unicum tantùm homicidii crimen ita definiant, ut nec plagas, nec vulnera non lethalia hac sanctione censeant interdici: sed optimi quique Interpretes (b) censent, præcepta illa Decalogi quàm latissimè fieri potest usurpanda, ut proinde non vetitum modò homicidium censendum sit, sed & vulnera, atque injuriarum quodcumque genus, odium, lites, inimicitias, & ultionem privatâ authoritate exactam &c. Ad hæc, reos homicidii haberi non modò interfectorem, sed & mali consilii authores, fautoresque, & quicumque tandem conscii sunt criminis.

Jus in vitam, & mortem hominis Deus sibi unicè reservans, significavit Noëmo post diluvium (c), pœnam sanguinis se expetiturum ab illo, qui humani sanguinis effusione manus suas cruentaverit. Cùm e Republicâ censetur neci aliquem tradere, res deferenda ad publicos Magistratus a Deo constitutos; neque enim de injuriis suis ultionem exigere privatus quisque potest. Si fortè ad tuendam vitam vel honorem, vim vi repellere, & adversarium suum occidere privatus cogitur, ad excusandam homicidii culpam quatuor hæc probanda sunt: I, Nihil ipsum esse molitum, nisi defensionem suam, & vitæ conservationem. II, Adversarium fuisse aggressorem, non ipsum. III, Necem ita intulisse, ut nec ultionem nec adversarii necem optaret. IV, denique intra justæ defensionis limites sese continuisse. His cautionibus Patres excusant [d] homicidium.

Civilibus legibus licet vim vi repellere, nec ullo supplicio damnantur, qui seu vitæ suæ seu castitatis tuendæ gratiâ aggressorem interemerint. Nocturnum furem occidere datur ex lege Mosaicâ (e), sicuti & aggressorem vitæ, nitentemque nos trahere ad Idololatriam (f): tolerat etiam eos, qui sanguinem fuderint ad ulciscendam necem propinqui [g]; tolerat item legem talionis: quæ tamen factæ ab illâ permissiones intra præscriptos ab Evangelio & Patribus limites definiendæ sunt: *His igitur exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel fons justitiæ Deus, specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel se ipsum, vel quemlibet alium occiderit, homicidii crimine innectitur* (h).

Lex Mosaica, Legesque Ægyptiæ (i), vetant heris, ne manus inferant in vitam mancipiorum; qua tamen in re integra est illis potestas ex cæterarum gentium legibus. Jus viri in vitam & mortem uxorum apud quasdam per orbem gentes fuit. Leges Græcorum & Romanorum seu permittebant, seu non prohibebant, ne exponerentur filii recèns nati; quod apud Judæos (k) æquè ac apud Ægyptios nefas (l). Narrabimus alibi plenam horroris consuetudinem mactandi homines in sacrificium, apud Phœnicios, Ægyptios, Arabes, Idumæos, Moabitas, Cretenses, Gallos, Carthaginienses, & apud Hebræos sæpè, quamquam lege Mosaicâ nunquam non reclamante.

Non mœchaberis. Dictum hoc tantummodò de adulterio censent Judæorum nonnulli, rati præ-

(q) *Alexis apud Vitruv. Præf. in lib. 6.* (r) Ἵνα μακροχρόνιος γένῃ ἐπὶ τῆς γῆς τῆς ἀγαθῆς, &c.
(s) למען יערכון ימיך (t) *Homer. Iliad.* Δ. & *Iliad.* P. . . . Οὐδὲ τοκεῦσι.
Θρέπτρα φίλοις ἀπέδωκε, μινυνθάδιος δέ οἱ αἰὼν
Ἔπλετο.
(u) *Demosthen. orat. in Aristogit.* Ἐγὼ μὲν γὰρ ἄπιστον, καὶ θεοῖς ἐχθρὸν οὐ μόνον ἀνθρώποις ὑπολαμβάνω τὸν τῶν γονέων ἀμελοῦντα. (x) *Hieron. l. 3 in Ep. ad Galat. & Dialog. contra Pelagg. Aug. qu. 92 in Exod. & in cap. III Ep. ad Galat. & in l. contra advers. Legis & Prophetarum.* (y) *Ambros. in Psalmum* XLIII, n. 8. (z) *Philo de Decalog. Tertul. lib. de pudicitiâ.* (a) *Rabb. Salom.* (b) *Menoch. Grot. River.* (c) *Genes.* IX, 5, 6. (d) *Lactant. l. 6 divin. institut. Basil. Ep. Canon. c. 55; Ambros. l. 3 de offic. c. 4; Aug. l. 1 de libero arbitrio, c. 5, & alibi.* D. Thom. 2 2, qu. 64, art. 7. (e) *Exod.* XXII, 2. (f) *Deut.* XIII, 6, 7, 8. (g) *Deut.* XIX, 6. [h] *Aug. l. 5 de Civit. Dei, c. 21.* (i) *Diodor. Bibliot. l. 1.* [k] *Philo de special. legib. præcept. 6. & 7; Tacit. l. 5: Augenda multitudini consulitur; nam & necare quemquam ex genitis nefas.* (l) *Diod. l. 1:* Τὰ γινόμενα πάντα τρέφουσι, &c.

℣. 16. Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium.
℣. 17. Non concupiſces domum proximi tui: nec deſiderabis uxorem ejus, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec omnia, quæ illius ſunt.

COMMENTARIUS.

præcepta Decalogi nihil ulteriùs vetare, quàm quod exhibet litera: quæ verò illis ſucceſſu temporis acceſſerunt explicationes atque exceptiones, illas perinde habuerunt ac præcepta judicialia vel cæremonialia, alterius planè a prioribus illis authoritatis. Nobis ea ſedet opinio cum S. Auguſtino (m), quem docti plures Interpretes ſequuntur: *Nomine Mœchiæ omnis illicitus concubitus atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi.* Vetita igitur cenſenda ſunt Moſaico præcepto utriuſque conjugis adulteria, abominabile crimen, inceſtus, raptus, fornicatio, tactus, aſpectus, oſcula, cogitationes, & deſideria procacia: ſed non omnibus æquè eædem pœnæ, eademque legis ſeveritas: culpam licèt præferant, non eamdem tamen omnes; alterius enim inter ſe generis reputanda ſunt.

Præſcripta adulteris ante Legem pœna ignis meritò reputaretur ex hiſtoriâ Thamaris (n). Poſt Legem, capitali ſupplicio damnabatur utriuſque conjugis adulterium (o); eadem in adulteros pœna decreta eſt Edicto Conſtantini & Conſtantii (p). Mitiora Ægyptii (q). *Qui vim ingenuæ attuliſſet, huic genitalia præcidi jubebant. Si perſuaſu eſſet adulterium commiſſum, viro mille plagæ fuſtium, mulieri narium detruncatio irrogabatur.* Ubicumque apud gentes politiæ major cultus fuit, crimen erat in horrore, habitumque velut inſignis in fidem conjugalem injuria, fomes æternarum in familiâ ſimultatum ac turbarum; ſæpe etiam ex privato malo publica flamma excitatur, qua franguntur civilis ſocietatis vincula, & generatim in connubia inducitur odium cum diſſenſione. Tandem crimen eſt, quo Religio æquè ac leges civiles peſſundantur (r): *Hoc enim nefas eſt & iniquitas maxima, ignis eſt uſque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina.*

Non furtum facias. Vetitum hoc præcepto omnium rerum furtum; alienorum bonorum per injuriam uſurpata poſſeſſio, ſive fraude, ſive dolo, ſive artificio quolibet, ſeu vi parta ſit. Itaque nihil excipitur. furtum, rapina, peculatus, fœnus, dolus in negotiatione, in ſolutione ſeu mercedis ſeu æris alieni.

Falsò putant Hebræorum plures (s) dicta hæc potiſſimùm intelligenda de *Plagio*, quo ſcilicet ingenuus aliquis ſeu emitur ſeu venditur in mancipium, ſeu cùm alienum mancipium pretio venditur. Hoc furti genus inferiùs (r) capitali pœnâ interdicitur. Alia furtorum genera recenſentur alibi, cum ſingulorum pœnis ſuo loco a nobis explicandis. Animadvertere juvat, apud Salomonem nullâ pœnâ ſeu probro affici ſimplex merumque furtum [u]. *Non grandis eſt culpa, cùm quis furatus fuerit; furatur enim, ut eſurientem impleat animam. Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum, & omnem ſubſtantiam domûs ſuæ tradet.* Nulli corporali pœnæ ſubditur in legibus, nec facto ipſo probrum inducitur.

℣. 16. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non brevibus adeò terminis claudendum eſt hoc præceptum, ut vetet tantùm falſi teſtimonii in judicio adversùs proximum lati, cum obteſtatione nominis Dei, crimen; illud enim ſupra ℣. 7 interdictum eſt. Complectitur autem hæc Lex crimina omnia falſitatis, mendacia, calumnias ſtructas adversùs proximum, ſive coram Judice, ſive alio quocumque loco, accuſationes, corruptiones Judicum, Patronorum, cauſarum, teſtium, delatorum, literarum, & chirographorum; omnia demum, quæ ſinceritatem, & juſtitiam, in commercio vitæ neceſſariam, æquè omnem ſubducunt. Latiùs idem præceptum explicatur in Exodo xxiii, 1, & Levitico xix, 11. Maledicta pronunciat Lex in violatores juris orphanorum & viduarum. Calumniatores iiſdem pœnis obnoxios volebant Ægyptii, quas in alios conabantur inducere; quam pariter legem plures aliæ per orbem gentes habebant.

℣. 17. Non concupisces domum proximi tui: non desiderabis uxorem ejus. Septuaginta præponunt hìc uxorem domui, ut habet etiam Hebræus & Vulgata in Deuteronomio v, 21. Pro eo quòd hìc eſt, *Nec bovem, nec aſinū, nec omnia quæ illius ſunt*, habet Græcus: *Neque bovem, neque ſubjugale* [x], *neque ullum pecus ejus, nec quæcumque proximi tui ſunt.* Additio legitur in Samaritano ſatis prolixa, derivata partim ex Deuteronomio xxvii, 2, &c. En integram: *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram Chananæorum, ad quam vadis poſſidendam, eriges tibi duos lapides magnos, & oblines eos calce, ſcribeſque ſuper lapides iſtos omnia verba legis hujus. Poſtquam etiam tranſiveris Jordanem, ſtatues lapides iſtos, quos ego præcipio vobis hodie, in monte Garizim,* (Hebræus Judæorum, & Vulgata in Deuteronomio habent montem Hebal) *& ædificabis ibi altare Domino Deo tuo, altare lapideum: non elevabis ſuper eos ferrum. Ex lapidibus informibus ædificabis altare iſtud Domino Deo tuo, & offeres ſuper illud holocauſta Domino Deo tuo, & ſacrificabis pacifica, & comedes ibi, & lætaberis coram Domino Deo tuo in monte iſto, ultrà Jordanem, poſt viam occaſûs Solis in terrâ Chananæi, habitantis in planitie e regione Galgal, juxta quercum More, versùs Sichem.*

Facilè divinatur Samaritanorum conſilium in eâ interpolatione hìc inſertâ; non obſcurè enim præjudicia ſua innuunt pro monte Garizim adversùs Judæos.

Quod hìc explicamus præceptum, vetat injuſtas omnes rerum alienarum cupiditates. Supplementum eſt ſancitarum antea legum, quibus malum ipſum interdicitur. Reputari enim facilè potuiſſet, modò manus abſtinerentur a rebus illic

(m) *Aug. qu. 71 in Exod. Grot. Eſt. Abenezra, Menoch. Jun. Rivet. Cornel. a Lapide. &c.*
(n) *Geneſ.* xxxviii, 24. (o) *Levit.* xx, 10; & xviii, 20, 19; *Deut.* xxii, 23, 24.
(p) *Cod. Theodoſ.* (q) *Diod. l. 1 Biblior.* (r) *Job* xxxi, 11, 12. (s) *Apud Munſter.*
(t) *Exod.* xxi, 16: *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit, convictus noxâ, morte moriatur.*
(u) *Prov.* vi, 30. (x) Οὔτε τοῦ βοὸς αὐτοῦ, οὔτε τοῦ ὑποζυγίου αὐτοῦ, οὔτε παντὸς κτήνους αὐτοῦ, οὔτε ὅσα τῷ πλησίον σού ἐστι.

℣. 18. Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti, ac pavore concussi, steterunt procul,

℣. 19. Dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.

℣. 20. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: ut enim probaret vos, vênit Deus: & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis.

℣. 21. Stetitque populus de longè. Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus.

℣. 22. Dixit prætereà Dominus ad Moysen: Hæc dices filiis Israël: Vos vidistis, quòd de cœlo locutus sim vobis.

℣. 23. Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis.

COMMENTARIUS.

lic interdictis, nullam exinde esse criminis culpam: docet tamen hìc Deus, non satis esse ab adulterio, a furto, ab homicidio se continere, nisi simul mala eorumdem criminum cupiditas ex animo avellatur; criminis enim rei sumus apud Deum, etsi concepto in corde criminis desiderio nihil in actu respondeat.

Josephus & Judæi Jesu Christo coævi (y) quin & infra illud tempus nonnulli, ut R. David Kimchi (z), censuerunt omnes, criminis desiderta seu consilia, absque pravi operis executione, immunia esse a culpâ, eò quòd, dicebant, nulla pœna hisce cupiditatibus in lege præscribatur. Docet Jesus Christus (a), prava desideria & propositum mali alicujus operis satis habere in se criminis, ut culpæ rei agamur coram Domino: quod utique solo rationis lumine innotuit veteribus Paganorum Philosophis (b). Impii afficimur non facto tantùm, sed & faciendi voluntate, ait Ælianus. Ovidius.

Quæ quia non licuit, non facit, illa facit.

Quæ verò in malum nos trahit, prava naturæ inclinatio, culpâ utique vacat, sicut & immunes ab illâ censendæ sunt pravæ illæ cogitationes motusque a concupiscentiâ in voluntatem sive in corpus inducti, cautionem omnem nostram & assensum prævenientes. Non hæc vetat Dei lex, sed ea tantùm, quæ a liberâ facultate cum rerum cognitione proveniunt. Malam hanc habitudinem sentimus in nobis, nobis etiam invitis; sed æquè in nostrâ est potestate, ope gratiæ adjutis, ut assensum illis denegemus.

℣. 18. POPULUS VIDEBAT VOCES ET LAMPADES. *Populus audiebat tonitrua, & vocem buccinæ, videbat lampades*, fulgura. Ita legit Samaritanus. Sed Textus Hebraicus cum Vulgatâ ad literam: *Videbat voces & lampades*. Verbum *videre* de sensibus omnibus usurpari observat S. Augustinus (c). Ita familiari sermone dicimus: Vide qualis sim, vide qualis odor, vide hominis duritiam, vide gustum &c. Hìc autem visas a populo quodammodo Dei voces reputat Philo (d). Voces hominum nonnisi aure admittimus; sed Dei voces vel oculis ipsis subjiciuntur: ita enim loquitur Deus, ut semper actu efficiat, quod loquitur; de cujus proinde vocibus meliùs judicant oculi, quàm aures. Vocum nomine tonitrua designari sæpè in Scripturâ, animadvertimus. Jeremias II, 30 eâdem ferme ac Moyses phrasi: *Videte verbum Domini*. Non incongruè reputaremus, huc usque Deum ita locutum cum Moyse, ut claras & distinctas voces populus etiam auscultaret; exinde verò usque ad caput XXIV, seorsum cum Moyse & Aarone verba miscuisse credimus; sicut & uni Moysi revelata sunt præcepta cæremonialia, a capite XXV usque ad XXXI. Vide *Exod.* XXIV, 55.

℣. 19. LOQUERE TU NOBIS, ET AUDIEMUS; NON LOQUATUR NOBIS DOMINUS, NE FORTE MORIAMUR. Septuaginta habent tantùm: *Loquere tu nobis, & non loquatur ad nos Deus, ne moriamur.* Chaldæus [e]: *Loquere & obediemus*. In Textu Samaritano hæc additio suppletur ex Deuteronomio V, 24, &c. *Dixerunt Moysi: Ecce ostendit nobis Dominus Deus noster magnam gloriam suam, & vocem ejus audivimus de medio ignis. Hodie vidimus, quod locutus est Deus cum homine, & vivit* (homo). *Nunc autem quare moriemur? nam devorabit nos ignis iste magnus; si iterum nos audiamus vocem* (*Domini Dei nostri*) *tum moriemur. Nam quæ est omnis caro, quæ audiverit vocem Dei vitæ loquentis de medio ignis, sicut nos, & vixit? Accede tu, & audi omnia, quæ dicit Dominus Deus noster, tuque referes nobis, & audimus & faciemus.*

℣. 22. VIDISTIS, QUOD DE COELO LOCUTUS SUM VOBIS. De medio nubis vocem meam dantem audistis (f). Cœlum est hìc pro aëre. Observandum hìc proponit Deus Israëlitis, noluisse sub visibilis rei aspectum videndum se præbere, ne inde occasionem caperent exhibendi sibi Deum auro, vel argento efformatum; cujus etiam rei gratiâ statim subdit: *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis.*

℣. 23. NON FACIETIS DEOS ARGENTEOS &c. Hebræus: *Non facietis mecum Deos &c*; mecum scilicet

(y) *Vide ad Matth.* v, 28. (z) *In Psal.* LXVI, 18. Excipit hic voluntatem lædendi Religionem.
(a) *Matt.* v, 27, 28. (b) *Vide apud Grot. in Decal.* (c) *Aug. in Confess. l.* 10, *c.* 35: *Videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam cæteri sensus sibi de similitudine usurpant, cùm aliquid cognitionis explorant.* (d) *Philo de decem præceptis.* (e) מלל את עמנא ונקבל
(f) *Vide Cap.* XIX, 20, 25.

Digitized by Google

℣. 24. Altare de terrâ facietis mihi, & offeretis super eo holocau-
sta, & pacifica vestra, oves vestras, & boves, in omni loco, in
quo memoria fuerit nominis mei: veniam ad te, & benedicam tibi.
℣. 25. Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud
de sectis lapidibus: si enim levaveris cultrum super eo, polluetur,

COMMENTARIUS.

scilicet, ut unà mecum colatis; perinde valet ac *coram me*, quod legitur superiùs ℣. 3.

℣. 24. ALTARE DE TERRA FACIETIS MIHI. Exigit hìc Deus ex aggestâ humo altare, ne, utì ferunt, solidioribus altaribus populus constanti cultu inhæreat. Reputare enim potuisset, altaria illa semel consecrata numquam suo cultu esse privanda; & cùm sedes in deserto mutarentur frequenter, multiplicata plus nimio altaria ad idololatriæ offendiculum præbere potuissent Israëlitis. Sunt qui nomine *altaris de terrâ* lateritias aras insinuatas credant; sed præstat e glebis interpretari. Horum altarium tumultuario opere erectorum frequenter Veteres meminere.

Lucanus *Pharsal.* 9: *Erexit subitas congestu cespitis aras.*

Ovidius *Trist.* v, *Eleg.* 6: *Araque gramineo viridi de cespite fiat.*

Virgilius *Æneid.* xii, 58. . . . . *Et Dis communibus aras Gramineas.*

Horatius *l.* 1, *Od.* 19: *Hic vivum mihi cespitem hic; Verbenas pueri ponite.*

Apulejus *l.* 7: *Aram cespite virente Marti Deo faciunt.* Tertullianus (*g*) de primis Romanæ Reipublicæ sæculis: *Nulla Capitolia Cœlo certantia, sed temeraria de cespite altaria, & vasa adhuc Samia, & Deus ipse nusquam.* Capitolinus de Hecatombe agens: *Centum aræ in loco cespititia extruuntur, & ad eas centum sues mactantur.* Alii dictum Mosaicum accipiunt de altari ex humo tantùm; quæ scilicet humus in arci quadam æreâ continebatur, & super illam sacrificia offerebantur. Vide inferiùs ad ℣. 25, ea quæ falsitatis arguunt hanc opinionem.

IN OMNI LOCO, IN QUO MEMORIA FUERIT NOMINIS MEI VENIAM AD TE. Hebræus (*h*): *In omni loco, quo memorare faciam nomen meum*, sive ubi consecrare, vel celebrare, vel invocare faciam nomen meum, vel tandem offerre faciam thus nomini meo, omnes enim hos sensus præfert verbum זכר, *Sacar* in variis Scripturæ locis (*i*). Porrò dictum hoc accipiendum potissimùm videtur da locis, ubi licita erat Altarium Domini excitatio ante erectum Tabernaculum; de Altaribus denique tumultuariis, & in subitis rerum eventibus. Tandem commodè explicaretur Textus: *Veniam ad te, & benedicam tibi in loco, quem elegero mihi in sedem, ubi cultûs tui significationes admittam*, idest in Tabernaculo meo.

℣. 25. QUOD SI ALTARE LAPIDEUM FECERIS MIHI, NON ÆDIFICABIS ILLUD DE SECTIS LAPIDIBUS. Perspicua est quidem litera Textûs; sed quæstioni locus est, cur Deus e sectis lapidibus Altara recuset? unde legalis in lapides illos macula, si fortè iis dolandis ferrum adhibeatur? Absurda in eam rem comminiscuntur Rabbini (*k*); e. g. ne fortè lapidum ejusmodi segmenta proculcarentur pedibus; vel ne lapidibus ejus Altaris insculperentur Idola, vel magici alii characteres. Sunt quibus injuriosum videatur, si ferrum in constructione Altaris suum habeat usum (*l*), quòd metalli ejus instrumenta humanis cædibus, & vi inferendæ serviant in præliis; quare etiam Plato omne interdixit ferrum, vel æs in Templis (*m*). Eàdem pariter de causâ ferunt, omnem ferri usum interdictum in constructione Templi Salomonici [*n*]. Sed rationum ejusmodi levitas planè sentitur. Autumat Oleaster, vetitum a Moyse immolari super altare illud victimas: *Si levaveris cultrum super eo, polluetur*; cultrum scilicet ad mactandas victimas, polluetur enim altare victimarum cruore.

Multò verosimiliùs censuit Spencerus (*o*), noluisse Deum altaria tunc sibi erecta manere perpetuò: jussit simplicissimo opere & ornamentis nuda parari, quo minùs oculos caperent & obsequia gentis. Cùm autem strue rudium lapidum tumultuario opere aggestâ constarent, everti facilè & sponte suâ corruere poterant: qua fortè de causâ jussit Deus erigi ax aggestâ humo, vel glebâ Aras, utì superiùs observavimus. Nec est cur solidius aliquid concipiamus pro afferendâ causâ maculæ illius, contactu ferri in lapides illos inducendæ; quod enim pollutæ censerentur, non alia est causa, quàm populi eâ de re persuasio, vel præceptum Dei, quo polluti lapides illi edicebantur. Quid enim habebat inauspicatum in se ferrum, ut legalem illam maculam induceret? Atqui nullus fuit ferri usus in Tabernaculo & in Templo. Fateor equidem, nam multò familiarior erat tunc æris quàm ferri usus. Quod in deserto Altare constructum est (*p*), speciem axhibebat arcæ e lignis Setim, cujus extertora æreæ laminæ protegebant: assurgebat tribus cubitis, porrigebaturque in quadrum quinque: interiorem aream replebant humus vel impoliti lapides, juxta varios Interpretes; & cùm e loco recedendum erat, vel amovendum Tabernaculum, abjectis lapidibus illis vel humo, vacuum altara transferebatur. Fateamur tamen oportet, nullo argumento e Sacrâ Scripturâ doceri nos, repleri consuevisse altaris hujus aream lapidibus vel humo. Persuasum quin etiam habuerim, hæc omnia nonnisi pro temporis opportunitate præcepta fuisse, nec sancita a Deo, nisi ad illud temporis spatium, quod promulgatas singularium sacrificiorum Leges & Tabernaculi erectionem præcessit; ac tandem ad eas leges unicum modò fuisse erectum a Moyse altare, ob confirmandum cum Israëlitis fœdus (*q*). Eò tantùm vel

(g) *Apologet. c.* xxv. (h) בכל־המקום אשר אזכיר את שמי (i) *Vide Isai.* lxvi, 3; *Amos* vi, 6; & 1 *Par.* xvi, 4; & *Ludovic. de Dieu, in Levit.* 11, 2. (k) *Ita Abarbanel in Exod.* (l) *Apud Hottinger. de jure Hebræor.* (m) *Plato l.* 12 *de Legibus.* Σίδηρος δὲ καὶ χαλκὸς πολέμων ὄργανα. (n) 3 *Reg.* vi, 7. (o) *Ita Spencer. de legib. ritualib. l.* 2, *c.* 5. (p) *Exod.* xxvii, 1. (q) *Cap.* xxiv, 4, & *seq.*

℣. 26. Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.

COMMENTARIUS.

vel ad ſimiles extraordinarios rerum eventus ſpectat Textus huc uſque a nobis excuſſus.

Fidem opinioni huic meæ addit, quæ infra legitur, deſcriptio Altaris Tabernaculi, alterius ſanè ab eo, quod hìc præſcriptum eſt, operis; nec etiam eam legem curaſſe unquam vel Salomonem vel alios quoſcumque, Altaria erigentes, ſive intra ſive extra Tabernaculum in terrâ promiſſionis, animadvertimus. Exemplum Altaris e lapidibus rudibus erecti, unicum ſuppetit in Scripturâ, quod in monte Hebal (*r*) erectum eſt, uti Deus Moyſi imperaverat (*s*): Altare autem illud ex eorum numero cenſebatur, quæ *tumultuaria* eſſent, ejuſdem proinde operis, ac alterum paratum ad confirmandum fœdus populi cum Deo (*t*). Erectum quidem conſtat poſt captivitatem Altare e lapidibus impolitis in Templo; conſtat, inquam, ex Hecateo (*u*), ex Macchabæis (*x*), Joſepho (*y*), ac Philone (*z*). Sed nihil hæc ad tempus ante captivitatem.

℣. 26. Non ascendas per gradus ad Altare meum. Vetitum id tantùm pro Altari ex aggeſtâ humo, vel inſectis lapidibus; Altare enim Tabernaculi tribus cubitis vel quinque pedibus altum adiri utique non poterat, niſi per gradus: ſatis id conſtat ex Levitico (*a*): *Completis victimis pro peccato, deſcendit.* Altare Templi Salomonici x cubitos (*b*), vel XII, juxta Villalpandum (*c*), habebat in altum. Altare Templi ab Herode Magno reſtaurati eminebat xv cubitis, authore Joſepho (*d*): gradibus autem ad latus Orientale diſpoſitis inſtructum fuiſſe Altare Holocauſtorum, docet Ezechiel [*e*]. Memorat Eſdras (*f*) baſim Altaris; quod ſatis indicat, gradibus ad illum acceſſiſſe Sacerdotes. Author Eccleſiaſtici (*g*) commendat Summum Sacerdotem Simonem, filium Oniæ, gravi inceſſu aſcendentem ad Altare. Satis hæc, ut demonſtremus latum hìc præceptum ſpectare ad tempus erectionem Tabernaculi præcedens; niſi fortè reputemus, leges illas cum aliis tum a Deo propoſitis, abrogatas fuiſſe, novis deinde aliis ſancitis, opportunis tempori, quod erectionem Tabernaculi, vel ſtatutas in Chanaanitide ſedes, ſequutum eſt.

Spencerus, qui ſuper iis legibus plurima operosè ſcitèque obſervavit, animadvertit pariter, doctiſſimos Interpretes (*h*) habuiſſe perſuaſum, in obſequium hujus legis, vetantis ne per gradus aſcendatur ad Altare, paratam fuiſſe ex aggeſtâ humo leniter aſcendentem viam, quæ ad Altare ipſum duceret. Demonſtrat inſuper, Hugonem Cardinalem alioſque nonnullos cenſuiſſe, vetuiſſe tantummodò Legem, ne gradus vel viæ leniter aſcendentes ita ſtruerentur, ut adhærerent Altari; cætera omnia, veluti ſcamnum, quæ ſive Altari non adhærerent, ſive Altaris portio non haberentur, non interdici. Legem hanc alio ſenſu explicantes Judæi (*i*) putant, non vetitum quidem ut per gradus aſcendant ad altare, ſed ne concito greſſu divaricatiſque indecorè cruribus eò petant. Cenſent alii vetitum, ne familiaribus ſcalis eò aſcendatur; fieri enim utique poterat, ut aſcendendo turpe aliquid viſui ſeſe offerret. Omnia hæc improbat Spencerus; certat autem, non gradus quoſcumque omnes vetari a lege, ſed majori numero, & quàm par ſit altiores. Conatur autem pro viribus demonſtrare, ſolemne fuiſſe Profanis per gradus aſcendere ad Altare; gradus autem ad exceſſum altos, faſtûs & ſuperſtitionis cauſa. Arbitratur autem, Pyramides Ægyptias ſublimium ejuſmodi Altarium genus eſſe quoddam, quorum gradus cùm plus nimio ſublimes eſſent, aſcendentes Sacerdotes cogebant intuentium oculis revelare quæ celari pudor jubet. Laudat in patrocinium ſententiæ ſuæ P. Kircherium (*k*), cui eadem ſententia de Pyramidibus arriſiſſe videtur; nec alia cenſet loca illa eminentia Judæ & Iſraëlis, Scripturæ vituperationibus notiſſima, niſi ſuperbo vertice erecta Altaria, iis ſimilia, quæ hic vetantur.

Sed nec Authoris ſententia nos perſuadet; nihilo magis probamus opinionem plurium Rabbinorum ac eruditorum quorumdam (*l*) autumantium, vetitum a Deo Hebræis, ne aſcendentes ad Altare corporis nuda revelent, quò eos removeat a cultu Peor, vel Phegor, cui divinos honores impenſos inhoneſtâ corporis nuditate ante ejus Aram, docent Gemarra, Jonathan & Maimonides. Vide Oſee IX, 10, & noſtram Diſſertationem in Phegor & Chamos.

Nobis igitur maximè probatur obvia magis, & ad literam interpretatio, præferens vetitos gradus ad Altare Domini, ne concitè aſcendentes agitatione nimiâ veſtis ea revelent, quæ celari pudor jubet. Præceptum illud tanquam certum ſtatuit, nullum fuiſſe tunc femoralium, uti ætate noſtrâ, (*m*) uſum. Ut autem leges illæ concilientur cum aliis Scripturæ Textibus, non obſcurè deſignantibus Altaris gradus, humiliores illos fuiſſe cenſemus, quàm ut ex illis aliquid indecorum timeretur, cùm maximè Moyſes rei indignitati occurrerit, imperans Sacerdotibus ampliores quaſdam zonas, femoralium inſtar, ac talares clauſaſque tunicas, nunquam tempore miniſterii deſerendas.

Intelligimus ex Aulo Gellio (*n*), apud Romanos Flamini Diali, ideſt, Sacerdoti Jovis non licuiſſe plus tribus gradibus ad Altare aſcendere; quos etiam gradus ita aſſeribus protegi neceſſe erat, ne pedes vel crura aſcendentis conſpicerentur.

(r) *Joſue* VIII, 30. (s) *Deut.* XXVII, 4, 5, 6. (t) *Exod.* XXIV, 4. [u] *Hecateus apud Euſeb. Præpar. l.* 9, *c.* 4. [x] 1 *Macc.* IV, 47. (y) *Joſeph. lib.* 16 *de bello Jud. c.* 14; *& l.* 4 *Antiq. c.* 7. (z) *Philo, l. de victimas offerentibus.* (a) *Levit.* IX, 22. [b] 2 *Par.* IV, 1. (c) *Villalpand. tom.* 2 *in Ezechielem.* (d) *Joſeph. Antiq. l.* 6, *c.* 6. (e) *Ezech.* XLIII, 17: *Gradus autem ejus verſi ad orientem.* [f] 1 *Eſdr.* III, 3: *Collocaverunt altare Dei ſuper baſes ſuas.* (g) *Eccli.* L, 12: *In aſcenſu altaris ſancti gloriam dedit ſanctitatis amictum...* ℣. 22: *Tunc deſcendens, manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſraël.* (h) *Abul. R bera, alii; & Joſeph. Antiq. l.* 4, *c.* 8. (i) *Apud Hottinger. de jure Hebræor.* (k) *Kirch. in Oedip. Synt.* 4, *c.* 12. [l] *L'Empereur, in Middoth, c.* 3. *Rivetus, a Lapide, &c.* (m) *Exod.* XXVIII, 42. (n) *Noct. Attic. l.* 10, *c.* 15: *Scalas aſcendere plus tribus gradibus religioſum erat, ne ulla pars pedum, crurumve ſubter conſpiceretur.*

Digitized by Google

tur. Idem de *Flaminiâ* vel *Flaminicâ Diali*, idest fœminâ Jovis Sacerdote scribit Servius (o); destinatum enim illi Altare scalas habebat, undique compagine tabularum clausas, quas *scalas Græcas* appellabant. Hujus generis fuisse censemus gradus ad Altare Salomonis deducentes, ita scilicet clausos munitosque, ut nonnisi corporis superior pars appareret; qua cautione pudori satis consultum est.

CAPUT XXI.

Leges de mancipiis Hebræorum, de homicidio prudenter imprudenterque commisso, urbibus asyli, plagio. Quæ servanda sint, cùm vulnus mancipio vel ingenuo homini, vel prægnanti fœminæ infligitur. Bos cornupeta. Lex talionis.

℣. 1. HÆc sunt judicia, quæ propones eis.
℣. 2. Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi: in septimo egredietur liber gratis.
℣. 3. Cum quali veste intraverit, cum tali exeat: si habens uxorem, & uxor egredietur simul.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HÆC SUNT JUDICIA, QUÆ PROPONES EIS. Vox *judicia* significat potissimum præcepta judicialia, latasque de politiâ, ordine societatis variisque judiciis pro variis rerum eventibus, leges. Distinguuntur autem leges illæ a præceptis moralibus, quæ peculiari nomine *leges* & *præcepta* seu *mandata* appellantur: & a ritualibus legibus, Dei cultum, ordinem, rationem, & tempus sacrificiorum dirigentibus, quas omnes *Rituum* & *Caremoniarum* nomine designat Scriptura.

℣. 2. SEX ANNIS SERVIET TIBI. Ex ingenuo homine servus reddi Hebræus non unâ ratione poterat; e. g. I, si in maximâ rei familiaris angustiâ libertatem suam vendere cogeretur (a). II, Licebat parentibus vendere in servitutem liberos suos (b). III, Jus erat crediturib us (c) obæratos atque ad solvendum impares, habere sibi mancipii jure servientes. IV, Fur, cui minus erat bonorum, quàm ut mulctam indictam a Legibus & Judicibus solveret, ipse vendebatur eorum commodo, quorum res surripuerat (d). V, Sive jure belli sive alio quocumque rei eventu capti Hebræi, hostibus seu adversariis servire cogebantur. VI tandem, Hebræum heri Pagani mancipium si quis redemisset Hebræus, licebat huic vicissim alteri hero ex Hebræis vendere.

Quas modò exponimus, Leges latæ sunt de Hebræis, quà viris quà fœminis (e), qui gentilibus suis utcumque serviebant. Rabbini quidam ajunt, servos illos integro sexennio cogi ad servitutem, initio ducto a primo illo tempore, quo servitus illa incœpit. Sed Interpretum nostrorum doctissimi (f) docent, sexennium illud supputandum esse ab uno anno Sabbatico ad alterum. Porrò annorum Sabbaticorum erat periodus constituta, manumittebanturque ex Hebræis mancipia indiscriminatim omnia, quodcumque tandem spatium temporis exegissent in servitute, sivè quadriennium, sive triennium &c. Valebant hæc pro mancipiis viris æquè ac fœminis; aliter enim sancitum de puellis ætate minoribus, quas patres in ancillas vendidissent Vide ℣. 7.

℣. 3. CUM QUALI VESTE INTRAVERIT, CUM TALI EXEAT; novâ, e. g. si novis indutus vênit &c. Hic Vulgatæ sensus. Hebræum *Gaph* (g) vestem interpretatus est S. Hieronymus, quòd sonet interdum *alam*, & per metaphoram pannum quo vestis conficitur: plerisque tamen Interpretibus ea, quæ proximè sequuntur, persuaserunt, ut aliam explicationem præferrent. Ita ergo vertimus ad literam (h): *Si cum corpore suo ingressus fuerit, cum corpore suo egredietur; si dominus mulieris fuerit, egredietur uxor ejus secum*; ac vicissim solitarius egredietur, si ingressus est solitarius. Si tandem cum liberis, absque illis non dimit-

[o] *Servius in 4 Æneid. v. 646: Apud veteres Flaminicam plus tribus gradibus, nisi scalas Græcas, scandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus, crurumve conspiceretur; eoque nec pluribus gradibus, sed tribus, ut ascensu duplicis nisûs non paterentur extolli vestem, aut nudari crura; nam ideò & scala Græca dicuntur, quæ ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clausa sint, ne aspectum ad corporis aliquam partem admittant.* [a] *Levit.* XXV, 29. (b) *Vide infra.* ℣. 7. *&* *Isai.* L. 1.
(c) 4 *Reg.* IV, 1: *Ecce creditor venit, ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.* (d) *Exod.* XXII, 3: *Si non habuerit quod pro furto reddat ipse venumdabitur.* (e) *Vide Deut.* XV, 12: *&* *Jerem.* XXXIV, 14.
(f) *Bonfrer. Tostat. Cornel. a Lapide.*
(g) אם בגפו יבא בגפו יצא אם בעל אשה הוא ויצאה אשתו עמו
[h] *Ita* 70, *Chal. Vat. & recentiores passim.*

℣. 4. Sin autem Dominus dederit illi uxorem, & pepererit filios, & filias: mulier, & liberi ejus erunt Domini sui, ipse vero exibit cum vestitu suo.

℣. 5. Quòd si dixerit servus: Diligo dominum meum, & uxorem, ac liberos, non egrediar liber:

℣. 6. Offeret eum Dominus diis, & applicabitur ad ostium, & postes; perforabitque aurem ejus subulâ: & erit ei servus in sæculum.

COMMENTARIUS.

dimittetur (*i*). Porrò servorum Hebræorum uxores & liberos, etiam non servos, alere cogi heros, docent Rabbini.

℣. 4. MULIER ET LIBERI ERUNT DOMINI SUI. Dicta hæc non accipienda de uxore & liberis ingenuis Hebræi mancipii; neque enim jus Domini erat ullum in ingenuos; sed Legis hujus alia multiplex est interpretatio. I, De Hebræo, qui servitio se alicujus unà cum uxore & liberis ejusdem secum conditionis, accepto pretio, tradidisset. II, De Hebræo servitutis tempore uxorem sibi Hebræam adsciscente, e qua liberos genuerit. III, Tandem de Israëlitâ, cui herus alienigenam ancillam conjugio copulaverit.

E nostris Interpretibus plerique priorem illum sensum præferunt. Censent autem, servum illum, siquidem anni Sabbatici privilegio sibi tantùm concesso uti voluisset, uxorem tamen & filios in servitute relinquere debuisse. Anne verò divortium illud servitutis, thori divortium inducebat? Conjugii nodum rescindi, cùm vir ab uxore separabatur, censent plures; ex quo inferendum sibi ducit Cornelius a Lapide, veteris Legis connubia multum a perfectione absuisse, cùm servi manumissione rescinderentur: quod mirum non esse monet, cùm matrimonium merum esset sociale pactum, non Sacramentum; Sacramento autem præstari ut connubii vinculum maneat hodie perpetuum.

Contraria probantur Estio, rato, manente libertate illâ, viro in Lege permissâ, deserendi in servitute uxorem, manere & connubii jura legesque intactas; & contubernio dissociato jus tamen retinere singulos in corpus alterius. Vix equidem induceremus in mentem, qui fieri potuisset, ut verum connubium solâ manumissione alterutrius conjugis disjungeretur. Ægrè etiam intelligimus, cur Moyses integram viro faceret potestatem asserendi se in libertatem, privilegio anni Sabbatici, nihilque permitteret uxori ejus & liberis, quamquam origine & Religione Hebræis.

Secundus a nobis expositus sensus multò facilius propugnandus videtur. Ambigendi enim est locus, num servorum conditio genuinum connubium admittat, quòd scilicet mancipia libertate careant. *Inter servum & ancillam jure Romano contubernium esse dicitur, non matrimonium*, ait Grotius (*k*). Id omnibus persuadetur, quod olim S. Leoni (*l*): *Nuptiarum fœdera inter ingenuos sunt legitima, & inter æquales*. Nil igitur mirum esset, si initum inter servos conjugium alterutrius manumissione solveretur.

At præter hæc, nostrâ quidem opinione genuinus Legis sensus præfert, mancipio Hebræo, cui alienigenam & alterius Religionis uxorem, alienam proinde a privilegio manumissionis anni Sabbatici, Hebræis origine peculiari, herus adsciverit; mancipio, inquam, jus fuisse uxorem suam deserendi: cùm enim inter duos illos forte discretos homines vinculum nullum propriè dictum esse posset conjugii, ita nulla erat conjugii scissio, si propriè loquimur. Ejusmodi *serviles nuptiæ domini voluntate solvebantur*.

Nec fœminas illas aliter reputabant Hebræi quàm meras ancillas, additas mancipiis suis ab hero, ut filii usui suo ex iis nascerentur (*m*). Docebant Rabbini, viris Judicum sententiâ venditis in servitutem tradi posse ab hero uxorem Chananæam: qui verò se ipsos vendidissent, conciliare nuptias cum alienigenâ vetabantur. Nullum erat Domino jus cogendi ad fœminam ducendam famulum nisi conjugatum, vel nisi antea admisisset conjugium, vel superstite adhuc, vel defunctâ jam uxore; præcepto enim hominibus singulis indito tenebatur, ut quisque augendo humano generi operam daret; cui sanè præcepto minimè obsequi illos censebant, qui coacti, & inæqualis conditionis uxores acciperent. Ad hæc nefas erat domino cogere servum repudiare ductam ritè uxorem, ut adsciceret ancillam; nefas insuper, ampliùs unam uxorem adjungere Viro, vel unam duobus servis (*n*). Hæc Judæi.

℣. 6. OFFERET EUM DOMINUS DIIS; idest, Magistratibus, ita enim nomen *Elohim* (*o*) reddunt omnes Chaldæi, Arabs, & doctissimi quique. Verùm Septuaginta habent: *Adducet ad Tribunal*, vel *ad Judicium Dei*, πρὸς τὸ κριτήριον τοῦ Θεοῦ; quo faciè innuunt vel Sacerdotes, vel Judices. Symmachus & Aquila: Πρὸς τοὺς Θεοὺς. Vulgò autem putant (*p*), sancita hæc de mancipiis sententiâ Judicum venditis in servitutem ob furtum, cui rependendo impares haberentur. Nihil tamen habet Moyses, quod opinionem hanc Rabbinorum confirmet.

ET APPLICABIT EUM AD OSTIUM, ET AD POSTES. Hebræus & Chaldæus: *Ad ostium, vel ad postem* [*q*]. Dicta hæc accipienda sunt non de postibus urbis, sed domûs Heri, uti non obscurè

(i) *Levit.* XXV, 41: *Egredietur cum liberis suis, &c.* (k) *De jure belli & pacis, l. 2, c. 5.*
(l) *Epist. 92 ad Rustic. Aliud est uxor, aliud concubina; sicut aliud ancilla, aliud libera. ... Dubium non est eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua non docetur nuptiale fuisse mysterium.*
(m) *Selden. de jure nat. & gent. l. 6, c. 7; & apud eum Gemar. Babyl. ad tit. Kidosch. Jeros. ad eundem titul. Maimonid.* (n) *Vide Selden. ibid. l. 3, c. 4, & 12.* (o) *Vide & Exod.* XXII, 8; *1 Reg.* II, 25; *Psal.* LXXXI, 1, 6. (p) *Rabbini apud Selden. loco citato.*
(q) הגישו אל הדלת או אל המזוזה

℣. 7. Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt.

COMMENTARIUS.

rè in Deuteronomio (*r*), & Interpretes ferè omnes (*s*) affirmant. Septuaginta: *Adducet ad ostium, ad postes*.

Perforabitque aurem ejus subula. Servili eâ notâ compuncti perpetuò distinguebantur (*t*), qui privilegio ejus Legis, quæ libertatem servis concedebat anno Sabbatico, renunciassent. Qui verò asserere se voluissent in libertatem, illi probrosam notam minimè patiebantur, ut planè demonstraretur, apud Hebræos neminem, nisi volentem, perpetuæ servituti addici; neque enim hominis libertatem eam esse, qua vel inviti carere cogerentur. Jus hoc datum populo Dei, qui Ægyptiacam servitutem exuerat. Antiquissimis moribus receptum erat in Oriente, ut mancipiorum aures perforarentur. Juvenalis Satyrâ 1, v. 102:

Cur timeam, dubitemve locum defendere, quamvis
Natus ad Euphratem? molles quod in aure fenestræ
Arguerint, licèt ipse negem.

Petronius in Satyrico, capite 63: *Ita tamquam servi Æthiopes, & præsto tibi erimus, in tormentorum genera hilares. Quin tu & pertunde aures, ut imitemur Arabes.* Cum orante M. Tullio quidam Afer genere diceret, *Non audio*, hoc sermone negans se probare quod dicebatur, *Atqui*, inquit Cicero, *aurem habes perforatam* [*u*].

Erit servus in sæculum. Pronus literæ sensus eò ducit, ut credamus, servum, cui aures perforatæ sint, ad duram illam conditionem unà cum uxore & liberis per totam vitam adigi. Sed Rabbini, assentientibus etiam nostris Interpretibus (*x*), censent manumitti anno Jubilæi, ut illud *in sæculum* perinde sit, ac diuturni temporis spatium, uti est L annorum. Probatur id S. Hieronymo in caput 2 Epistolæ ad Galatas; constat insuper ex Levitico, XXV, 40, mancipia Hebræa omnia, nullo excepto, anno tandem Jubilæi restitui in libertatem. Idem pariter datum servis illis in obitu heri, ita ut servi auribus perforati, sive in domum filii, sive in domum hæredis Dominorum suorum non transirent, docent Rabbini (*y*). Addunt, muneris loco servis manumissis XXX argenteos siclos tradi consuevisse ab hero; nihil tamen servo, qui se ultrò vendidisset. Sunt hæc omnia quidem suspecta, utpotè a Judæis Doctoribus asserta. Constat utique, *sæculum* (*z*) interdum poni pro tempore diuturno. Horatius: *Serviet æternùm* [per totam vitam] *quia parvo nesciet uti*.

℣. 7. Non egredietur sicut ancillæ exire consueverunt. Hebræus (*a*), Chaldæus, Arabs, Syriacus, Theodotion: *Non egredietur, sicut* [viri] *servi exeunt*. Ita rem totam explicant Rabbini (*b*): Nefas patri filiam vendere, nisi in extremâ rei familiaris angustiâ, idest, cùm nihil ulterius superesset; quin nonnisi hero Hebræo illam vendere poterat; sin autem vendendi alia fuisset patri, quàm extremæ illius necessitatis causa, tunc Judicis sententiâ redimere venditam cogebatur. Porrò jus dabatur patri vendendi filias tantùm natu minores, idest infra XII & dimidium ætatis annos, seu donec pubertatis indicia non apparerent; vendebat autem non in servitutem utcumque, sed in spem etiam saltem, ut fortè sive emptor ipse, sive ejus filius jungeret cum illis connubium. Ita in præsumptionem futuri matrimonii vendebantur, nec alius exquirebatur a patre assensus, dum reipsâ nuptiæ conciliabantur; satis enim id voluisse significabatur, cùm filiam vendidisset. Emptitiæ autem uxores illæ secundum tenebant ordinem a matre familiâs, ut secundariæ uxores, & veluti concubinæ haberentur. Sedulò enim animadvertendum est, inter Hebræos tres distinctos fuisse mulierum gradus. Primum habebant matronæ, seu matres familiâs: secundum Concubinæ: tertium Meretrices, quæ *Zona* vel *Kadescha* appellabantur, quorum professionem severissimè lex vetat. Idem obtinuisse apud Græcos, non obscurè habes ex Demosthene in Neæram (*c*).

Si fortè recusasset herus fœminam illam adsciscere in thorum, retinere illam ultra tempus in stipulatione venditionis præscriptum illi nequaquam licebat. Jus etiam mulieri illi in privilegium anni Sabbatici, & Jubilæi. Asserere pariter in libertatem valebant sive obitus heri, sive expleti minoris ætatis anni, sive pubertatis indicia, quæ duodennem ætatem prævertebant aliquando: in omnibus hisce eventibus gratis exuebat servitutem, donata pariter ab hero consueto XXX siclorum munere. Accedebat, non licuisse illi servitutem hanc suam pro arbitrio prorogare, ut viri, qui perforatis auribus servitutem producebant.

Grotius, post Hiskunium, aliter explicat illud, *Non egredietur*, e domo scilicet heri, ut operam suam alibi præstet, *sicut ultra ancillæ exire consueverunt*; sed continebit illam domi. Verùm plus habet expositio ista ingenii, quàm soliditatis.

Cæterùm non apud Hebræos tantùm, sed etiam apud Romanos initio Reipublicæ (*d*) jus erat parentibus vendendi liberos. Vetus hoc privilegium asseruit iterum Constantinus (*e*); sed datum illis pariter, ut venditos redimerent, sive restituto pretio, sive altero in eorum locum substituto. Eodem more, ac Hebræi, utebantur Phryges & Thebani. De pueris a patre venditis nihil peculiare sancitum videtur, cùm Moyses in eorum favorem nihil excipiat. Communes de illis leges valebant, descriptæ superiùs ℣. 2.

℣. 8.

(r) *Deut.* XV, 17: *In januâ domûs tuæ.* [s] *Cajet. Lipom. Tir. Menoch. Bonfr. Malv. Riv.* (t) *Theodoret. quæst.* 45; *Rupert. Lipoman. in Exod.* (u) *Plutarch. apophteg.* (x) *Drus. Vatab. Grot. Vat. Tirin.* (y) *Apud Selden. de jure nat. & gent. lib. 6, c. 7.* (z) *Vide Fr. Lubet. Orig. Homil. 6 in Exod. ad finem; & Hieron. in Ezech.* XXVI, ℣. *ult.* [a] לא תצא כצאת העבדים (b) *Apud Selden. l. cit.* (c) *Demost. cont. Neæram.* Τὰς μὲν γὰρ ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκ' ἔχομεν· τὰς δὲ παλλακὰς, τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τοῦ σώματος· τὰς δὲ γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως, καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν. (d) *Dionys. Halicarn. l. 2. Cicero l. 1 de Orator. Chrysostom. orat.* 15. (e) *L.* 22, *de patrib. qui fil. distrah. Eod. L.* 25.

℣. 8. Si displicuerit oculis Domini sui, cui tradita fuerat, dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habebit potestatem, si spreverit eam.

℣. 9. Sin autem filio suo desponderit eam, juxta morem filiarum faciet illi.

℣. 10. Quod si alteram ei acceperit, providebit puellæ nuptias, & vestimenta, & pretium pudicitæ non negabit.

COMMENTARIUS.

℣. 8. SI DISPLICUERIT OCULIS DOMINI SUI, CUI TRADITA FUERAT; DIMITTET EAM. POPULO AUTEM ALIENO VENDENDI NON HABEBIT POTESTATEM, SI SPREVERIT EAM. Hebræus (*f*) hujus Textûs variè redditur. I, *Si mala fuerit in oculis domini sui, qui non desponsavit eam* (*g*), *& redimere faciet eam; populo autem alieno vendendi non habebit potestatem in ejus injuriam*; idest, Si Dominus illam emerit in uxorem, nec tamen promissioni suæ steterit, nec retinendi illam jus habebit, nec vendendi alteri, sed redimendam curabit. II, *Si displicuerit Domino suo, qui sibi desponsaverat eam* (*h*) (emerat in sponsam) redimendam illam curabit, populo autem alieno vendendi non habebit potestatem. Idem est in utrâque hac versione sensus, nisi quòd in priori illo addita legitur negatio, *non desponsavit*; in altero verò est *sibi desponsaverat*. III, *Si Dominus ejus desponsare noluerit, negaveritque eam redimi* (*i*), *alieno vendendi non habebit potestatem*, Israëlitæ scilicet alteri, penès quem nullum sit redimendi eam jus.

Eò nos ducit postrema hæc interpretatio, ut herus legis præcepto jussus credatur sive ducere fœminam, sive ut redimatur permittere, sive tandem apud se retinere, negatâ illi facultate seu vendendi alieno, seu contra parentum voluntatem retinendi, siquidem illi filiam suam restituto pretio recipere sibi voluissent. Septuaginta, Chaldæus, Syriacus eumdem, quem Vulgata, sensum præferunt: *Si non placuerit domino suo, qui eam sibi desponderat, liberam faciet eam*, vel, uti legunt Septuaginta, *redimet eam* (*k*). Qui vertunt, *Redimi illam*, seu *permittet*, seu *faciet*, cum Rabbinis censent, puellæ ita venditæ supputari annos omnes post annum Sabbaticum præcedentem evolutos, ut pro ejus manumissione pretium solveretur ad rationem annorum, qui ad futurum Sabbaticum erant reliqui.

POPULO ALIENO VENDENDI NON HABEBIT POTESTATEM. Profectò si nullum aliud privilegium concessum est puellæ, nisi ut negetur hero facultas vendendi eam Idololatris, nihil equidem singulare illi concessum est; Hebræorum enim nemo alienigenis vendi poterat, uti observat Grotius. Quare Interpretum nonnulli (*l*) putant, verbis illis, *populo alieno*, significari interdictam facultatem vendendi fœminam illam in servitium heri Hebræi, sive alterius Tribûs, sive alterius familiæ.

SI SPREVERIT EAM. Reddi posset Hebræus (*m*): *Si data fidei non steterit*; vel *Quia non stetit*; vel tandem: *Alieno vendendi non habebit potestatem illam decipiens*; sive juxta Chaldæum: *Opprimens illam injusto dominatu*, dabit illam Hebræo alteri, iisdem, quam ipse sibi acquisiverat, conditionibus. Vel, juxta Vatablum: Vendendi alteri non habebit potestatem, si illam corruperit; aut tandem: Vendendi non habebit potestatem, legis præcepta transgrediens.

℣. 9. SIN AUTEM FILIO SUO DESPONDERIT EAM, JUXTA MOREM FILIARUM (*ingenuarum*) FACIET ILLI (*n*); assignatis illi scilicet dote, vestibus, cæterisque, non pro famulæ conditione, sed sponsæ. Reddi etiam posset Hebræus [*o*]: *Si desponderit illam filio suo* (ad eam rem emens), *juxta tempus filiarum faciet ei*, nuptum tradet quo tempore cæteræ traduntur, nimiùm non differet.

℣. 10. QUOD SI ALTERAM EI ACCEPERIT, PROVIDEBIT PUELLÆ NUPTIAS, ET VESTIMENTA, ET PRETIUM PUDICITIÆ NON NEGABIT. Si scilicet puellam alteram illi in sponsam emerit, præter eam, de qua mox diximus, curabit, nequid ex his nuptiis priori illi uxori incommodi eveniat; suppeditabit huic cibum, vestes, & jura connubii, uti & alteri. Hunc sensum præferunt doctissimi quique Interpretes (*p*), ita explicantes textum Hebraicum, cujus hæc versio literalis (*q*): *Si acceperit alteram sibi, carnem ejus*, (cibum ejus) *operimenta ejus, & habitationem ejus* (prioris) *non diminuet*. Innuitur hìc, priorem illam uxorem unà cum alterâ secundò ductâ retineri. Verùm contraria statuere videtur S. Hieronymus. Hæc autem summa Legis in Vulgatâ descriptæ: Filius familiâs, qui ancillam patris sui elegerit uxorem, si tandem illam fastidiens repudiaverit, alterâ in ejus locum adscitâ, curæ erit patrisfamiliâs, repudiatam hanc fœminam liberam alteri nuptum tradere, assignatis illi vestibus & dote, pretio scilicet pudicitiæ, quantum sive Judex sive mos determinat. Hebræum *Onatah*, quod in Vulgatâ redditur *pretium pudicitiæ*, est in Arabico *ejus tempus*, quod aliqui præposterè dictum acceperunt de tempore, quo illi servivit. Septuaginta: Ὁμιλίαν ἀυτῆς *conversationem ejus*, quæ vulgò de officiis connubii explicatur. Hunc etiam sensum præferunt Rabbini. Planiùs alii dictum accipiunt de sede & contubernio, quod illi veluti ingenuæ mulieri procurandum est ab hero.

Incommodis omnibus, quæ e connubiis, ibi maximè

(f) אם רעה בעיני אדניה אשר לא יעדה והפדה לעם נכרי לא ימשל למכרה בבגדו בה
(g) לא יעדה *Ita legunt Aq. Sym. Theod.* (h) לו יעדה *Septuag.* ἀυτῷ καθωμολογήσατο.
(i) *Jun. & Tremel. & Grot.* Uti si legeretur ולא הפדה repetitâ particulâ negante primæ partis לא יעדה (k) Ἀπολυτρώσει ἀυτήν. (l) *Maimon. Rivet. Grot. Bonfr.* (m) בבגדו בה *Septuag.* Ὅτι ἠθέτησεν ἐν ἀυτῇ. (n) כמשפט הבנות *Sym.* Κατὰ τὸ δικαίωμα τῶν ἐυγενῶν.
(o) אם לבנו ייעדנה כמשפט הבנות יעשה לה (p) *Ita Paraphras. Chald. Septuag. Arab. Rabb. & alii passim.* (q) אם אחרת יקח לו שארה כסותה וענתה לא יגרע

℣. 11. Si tria ista non fecerit, egredietur gratis absque pecuniâ.

℣. 12. Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.

COMMENTARIUS.

maximè, ubi polygamia legibus permittebatur, non frustra timentur, occurrere satagentes Legislatores, optimum factu censuerunt, si virorum officia erga uxores definirent. Ad Judæos quod attinet, legas Seldenum (r). Notat Plutarchus, Atheniensium legibus juberi viros, quas duxerint conjuges, ter saltem singulis mensibus convenire, quòd scilicet orphanæ essent; nec excusari, etsi laborarent sterilitate. Præter tria illa, quæ narravimus, scilicet 1, alimoniam; 2, vestes, quo nomine & res familiaris omnis & ædes censentur; 3, matrimonii officia: septem alia adjunt Rabbini: 1, Maritus scilicet uxorem dotet; 2, ægrotanti solatia pro viribus procuret; 3, Redimat, si in captivitatem casu inciderit; 4, funeris sumptus sufficiat; 5, Alatur uxor bonis viri, & in ejus ædibus post viri obitum tamdiù perseveret, quoad usque dotem suam non receperit; 6, Natæ ex eo connubio filiæ e bonis patris alantur, donec sive alteri nuptum tradantur, vel saltem despondeantur; 7, Tandem mares ex eo connubio nati succedant in dotem matris suæ, præter statutam sibi patriæ hæreditatis inter cæteros fratres portionem.

℣. 11. SI TRIA ISTA NON FECERIT, EGREDIETUR GRATIS ABSQUE PECUNIA. Si paterfamiliâs nec sibi nec filio suo mulierem illam despondit, nisi redimi permiserit a parentibus, seu potius nisi nuptum tradiderit alteri cuique, iis conditionibus, quas ℣. 10 enumeravimus, puellæ concessa statim a servitute libertas, nec expectato quidem anno Sabbatico, neque pretio manumissionis soluto. Ita Rabbinorum nonnulli (s) cum Grotio aliisque. Seu potius: *Si tria ista non fecerit*, idest, tria potissima sibi indicta præcepta, de quibus versu superiori, gratuitò illi servitus remittatur.

℣. 12. QUI PERCUSSERIT HOMINEM VOLENS OCCIDERE, MORTE MORIATUR. Illud *volens occidere* deest quidem in Hebræo, sed planè necessarium esse additamentum, ex subsequentibus intelligimus; oppositum est enim iis quæ leguntur ℣. 13, ubi res est de homicidio temerè ab imprudente patrato: & connexum cum iis quæ præcipiuntur de eodem crimine a volente patrato, ℣. 14. Docent Hebræi, necis ultro illatæ crimen a Pagano admissum, nece expiandum esse, exclusâ omni veniæ spe atque asyli religione; defendunt autem vicissim (t), Israëlitam reum necis in Proselytum domicilii vel Paganum quemcumque capitali supplicio nequaquam puniri, quemadmodum nec homicidium Hebræi, si operam suam contulerint plures Hebræi. Idem pariter servatum, cùm necis commissæ unicus tantùm adesset testis. In his aliisque pluribus rerum eventibus, juxta varium personarum ac circumstantiarum discrimen, homicidii commissi crimen citra mortem interdum puniebatur.

Pagani & Proselyti domicilii nullo privilegio, dato tantùm pro Israëlitis, gaudent: hanc autem afferunt Hebræi rationem, cur e popularibus suis aliquis Paganum perimens eximatur a morte, quòd scilicet, inquiunt illi, Moyses capitale supplicium in illos tantùm decernat, qui proximo manus inferunt violentas; a proximorum autem appellatione absunt Pagani. Perniciosis hisce dogmatibus repugnant ea, quæ habentur in Levitico XXIV, 22; ne quid dicam de cædibus & vi, hac semel datâ viâ, irrumpentibus.

MORTE MORIATUR, nullâ veniæ spe, inquiunt Interpretes nonnulli, hanc enim habent vim ea verba: *Morte moriatur*. Cain ante diluvium ultro fatetur, dignum esse se morte, quòd fratrem suum interemerit (u): *Omnis qui invenerit me, occidet me*. Naturalis juris veluti appendix censetur, ut quam quis in alterum intulit pœnam, eamdem in se experiatur. Sed Deus ne quem e raris eâ ætate hominibus demeret, noluit ut fraternæ cædis reus meritæ in se mortis pœnam sentiret, contentus exilio mulctasse (x). Parem in se indulgentiam augurabatur Lamech (y), ejusdem criminis reus. Observat Grotius, olim apud Græcos exilio tantùm animadversum esse in homicidas (z); uti pluribus veteris historiæ exemplis fit planum. Hercules, post cædem Eunomii filii Architelis, ultro se indictæ a legibus pœnæ submittens, exilio multavit (a). Cephalus latentem in vepribus Procrin, belluam ratus, interemit; cujus rei pœnam mox subiit, ab Areopago perpetuo exilio damnatus (b).

Nec aliam pœnam præscribit Plato in suis legibus adversùs homicidas: quòd etiam servari vetusto more apud populos Græciæ, Author est Euripides (c). Nimirum, ait Lactantius libro 5, *adhuc videbatur nefas, quamvis malos, tamen homines, supplicio capitis afficere*. Nonnisi posteriori ætate inductum est, cùm scilicet cædes & injuriæ increbuerunt, ut crimina illa essent capitalia (d). Nec Deus ipse, nisi post diluvium, pœnam mortis denunciavit in homicidas (e). *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Hanc legem modò instaurans, servandam toto rigore indicit Magistratibus. Putavit Origenes (f), morte sontibus illatâ crimen illorum ita expiari, ut nihil illis futurum esset discriminis coram Deo Judice, nihil Inferni suppliciis reservaretur

(r) *Uxor Hebraica*, *l.* 3, *c.* 6. (s) *Apud Selden. de jure nat. & gent. lib.* 6, *c.* 7. (t) *Rabb. apud Selden. de jure nat. & gent. l.* 4, *c.* 5. (u) *Genes.* IV, 14. (x) *Genes.* IV, 16. (y) *Ibid.* ℣. 23, 24. (z) *Grot. de jure belli & pacis*, *l.* 1, *c.* 1. (a) *Apollodor. l.* 5 *Bibliot. c.* 7: Ἡρακλῆς δὲ κατὰ τὸν νόμον τὴν φυγὴν ὑπομένειν ἤθελε. (b) *Idem*, *l.* 3, *c.* 14: Κριθεὶς ἐν Ἀρείῳ πάγῳ φυγὴν ἀΐδιον καταδικάζεται. (c) *Euripid. in Oreste*, *v.* 515.

Καλῶς ἔθεντο ταῦτα πατέρες οἱ πάλαι,
Εἰς ὀμμάτων μὲν ὄψιν οὐκ εἴων περᾶν,
Οὐδ' εἰς ἀπάντημ' ὅστις αἷμ' ἔχων κυρῇ.
Φυγαῖσι δ' ὁσιοῦν, ἀνταποκτείνειν δὲ μή.

(d) *Jun. Ainsw. & Grot.* (e) *Genes.* IX, 6. (f) *Origen. Homil.* 14 *in Levit.*

℣. 13. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus ejus: constituam tibi locum, in quem fugere debeat.

COMMENTARIUS.

varetur puniendum, quòd scilicet, juxta Scripturam, Deus non judicet bis in idipsum: quæ sanè verissimè ille reputavit, modò tamen sinceræ pœnitudinis affectu sese huic supplicio criminosus submittat. Jubebant Hebræi (g), reos crimen suum confiteri, cùm adhuc decem cubitis abessent a loco supplicii; quod quidem illi si præstent, admittendos statim pollicentur ad futuri sæculi felicitatem. Qui confessionis hujusmodi formulam ignorant, verbis illis sese expediunt: *Sit mea mors ad expianda mea omnia crimina.* Optimum factu censemus, si fusiùs hic aliquanto disseramus de suppliciorum variis generibus apud Hebræos, variisque criminibus, quæ iis suppliciis expiantur; ne eadem sæpius repetentes fastidium ingeramus.

Animadvertunt Rabbini (h), cùm in Lege nihil exprimitur de genere mortis reo inferendæ, insinuari semper lapidum supplicium. Obtinebat præterea supplicium ignis, gladii, & laquei. Lapidum pœna major censebatur quàm ignis; ignis verò superabat ensem; ensis tandem laqueum. In Regiis Tribunalibus nulla alia mortis pœna decernebatur, quàm capitis cæsi. Tria reliqua supplicia duobus aliis Tribunalibus, nimirum Sanhedrio, & consessui viginti trium virorum reservata. Patriâ sepulturâ privabantur sontes, atque in certis damnatorum locis sepeliebantur; necessariis tamen licebat propinquorum suorum ossa collecta inferre in parentum sepulchra.

I, Hac ratione supplicium de sontibus sumebatur. Ad lapides damnatus in superiori quodam loco, staturâ duorum hominum assurgente, constitutus agebatur præceps in subjecta saxa a testibus, qui causam egerant adversus illum apud Judices. Si ex lapsu adhuc vita supererat, congestis a populo lapidibus extinguebatur.

II, Igne damnati ad genua usque fimo sepulti lineum habebant pannum faucibus adstrictum, cujus extremam utramque oram utrinque trahentes duo testes ita comprimebant fauces, ut sontis os deduceretur; tum statim per os demissum ad viscera liquatum plumbum, mortem cum igne inducebat.

III, Pœna gladii erat capitis obtruncatio.

IV, Qui damnabatur ad laqueum, fimo ad genua usque sepultus, sudore collo circumdatâ ita stringebatur, ut elisis faucibus expiraret. Defodiebantur in terrâ, unà cum cadaveribus, instrumenta illa supplicii, sed non eodem cum illis tumulo.

Quæ extremo supplicio punirentur crimina, sex & triginta recensentur in Lege. Lapidis supplicio decem & octo. I, incestus cum matre; II, item cum novercâ; III, item cum nuru; IV, Vitium Puellæ viro desponsæ illatum; V, Sodomiticum crimen; VI, cum bestiis brutale crimen; VII, Mulieris cum belluâ concubitus; VIII, Blasphemiæ; IX, Astrorum cultus; X, Immolatio filiorum Deo Moloch; XI, Magos consulere; XII, vel sortilegos; XIII, Qui in publicam Idololatriam alios inducere conabatur; XIV, itemque qui in privatam; XV, Veneficus; XVI, Sabbati profanator; XVII, maledictis parentes incessens; XVIII, filius perduellis & refractarius.

II. Decem erant crimina ignis supplicio punienda. I, Adulterium a filiâ Sacerdotis patratum; II, incestus patris cum filiâ; III, vel cum nepte e filiâ suâ; IV, seu e filio; V, incestus cum filiâ uxoris; VI, vel cum nepte uxoris, ex illius filiâ; VII, sive ex filio; VIII, incestus cum socru; IX, vel cum socrûs matre; X, vel cum matre generi sui.

III, Gladio damnata duo tantùm; I, Homicidium; II, crimen excitantis publicè ad Idololatriam; uti si Urbis portio aliqua alteram ad idem crimen sollicitaret.

IV, Laquei supplicio sex sontium genera devovebantur; I, Reus adulterii cum conjugatâ; II, Reus cæsi patris vel matris; III, Plagii hominis Israëlitæ reus; IV, Senior perduellis ac refractarius; V, Pseudo Propheta; VI, qui Prophetam agebat, ut inspector seu cultor idolorum.

℣. 13. Qui autem non est insidiatus. Hebræus ad literam (i): *Qui non est venatus*, veluti prædam insequens venator. Septuaginta: Ἐὰν δὲ οὐχ ἑκὼν, *Si nolens occiderit*. Aquila: Ὃς οὐ μετχλδευσε, *qui callidè non egit* ad illum perdendum. Arabs ita Paraphrasticè: *Quòd si non intenderit occisionem ejus, sed causavit illam Deus per manum ejus.* Dictum accipiunt Rabbini (k) de sonte criminis occulti reo, merente pœnam exterminii, seu mortem acerbam; qui cum Judicum sententiâ evasit, providentiæ tamen divinæ jussu manibus adversariorum traditur. Qui crimen imprudentes, seu fortuito casu & non de industriâ patrabant, quasi scilicet moliti fuissent in adversarium necem, illis tutum præstabat asylum altare Tabernaculi, cùm iter haberetur per desertum, sive certæ quædam urbes designatæ, cùm sedes fuere in terrâ Promissionis constitutæ.

Addunt Hebræi (l), hominem qui lethale vulnus ita alteri inflixisset, ut non illicò perimeretur, sed aliquod deinceps temporis spatium vitam prorogasset, hominem, inquam, illum minimè indiguisse urbe refugii; nullum enim jus erat in illum propinquis hominis illius, cui vulnus inflictum fuerat; neque enim certò statui poterat, an miser ille vulnere, seu potiùs incuriâ suâ mortem oppetiisset. Exceptos pariter volunt sive patrem, qui mortis filii sui author fuerit, sive præceptorem discipuli, quòd scilicet ictus inflixissent ad illos corrigendos: idem pariter statuunt de Lictore, qui resistentem sibi, sive de Magistratûs jussu sontem peremerit. Si quis plura de his voluerit, adeat Seldenum in Opere de jure naturæ, sæpiùs a nobis laudato. De jure asyli agemus fusiùs ad Numeros, xxxv, 6.

Observat Porphyrius, Legem nunquam a multâ penitus eximere illum, qui hominem imprudens peremerit, ne fortè concessâ hac occasione im-

(g) *Maim. tit. Sanhedr.* (h) *Selden. de Synedriis, l. 2, c. 13, art. 4, & seq.*
(i) ואשר לא צדה [k] *Apud Fag. Vat.* (l) *Apud Selden. de jure nat. & gent. l. 4, c. 2.*

℣. 14. Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur.

℣. 15. Qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem, morte moriatur.

℣. 16. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur.

℣. 17. Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur.

COMMENTARIUS.

impunitas viros nequiſſimos armet, ut id prudentes faciant, quod aliis tantùm imprudentibus contigit (m). Jubet itaque Moyſes necis ejuſmodi reum involuntarium in urbes refugii, veluti in exilium, ultrò ſecedere. Decernit inſuper in Deuteronomio xxi, 7 expiationem quamdam ſolemnem pro necibus, quarum ignotus eſt Author, editque, ne juſto etiam bello pollutis ſanguine hoſtium manibus, nonniſi poſt expiationem recipiantur in caſtra; tantum homicidii horrorem indere conabatur.

Paria fermè ſpectamus in profanis (n). Neces quacumque ratione illatæ authores impuri cenſebantur, luſtrandi proinde certis quibuſdam expiationibus. Athenienſium legibus (o) decretum in homicidas ſpontaneos ſive mortis ſupplicium, ſive perpetuum exilium & bonorum omnium publicatio: ſed neces ab imprudentibus nolentibuſque patratæ, mitiori pœnâ puniebantur. Legibus Rhadamanthi, injuſti aggreſſoris cædes eximebatur a crimine (p).

℣. 14. Ab altari meo evelles eum. Volenti prudentique necis illatæ authori nullum erat asylum five in Templo, five in Altari. Cùm Joabus (q) recepiſſet ſeſe ad Altare holocauſtorum, ubi debitum cædibus ſuis ſupplicium effugeret, abduci inde juſſit Salomon, juxta legis hujus ſanctionem. Jus asyli, ſi conſilium Legislatorum ſpectemus, favor erat juſtitiæ & innocentiæ (r), ab injuſtis vexationibus in diſcrimen adductæ, conceſſus. Eâ cautione providendum Leges cenſuerunt eorum ſecuritati, qui, ut obſequio in illas ſuo nihil defuerint, reipsâ tamen ejus ſanctiones inviti imprudenteſque transgreſſi ſunt. Tunc maximè utendum putant rebus, quæ in Religione maximè ſacræ & inviolabiles habentur, ut juvent eos, qui legum obſervantiâ tenentur maximè, crimenque opere quidem, ſed non voluntate, admiſerunt. Si quis autem volens prudenſque hominem interemiſſet, evellebatur ille ab altari, etiamſi Sacerdotio fungeretur, modò non actu in præſtandis Sacrifieiis occupatus, ait in hunc locum Lyranus; ſed & ſacrificia operantem Sacerdotem evelli ab Altari, tenet Druſius poſt Jonathanum alioſque nonnullos. Philonis ætate, Templum Jeroſolymitanum asyli jus obtinuiſſe, ex eodem Scriptore (s) intelligimus. Quot eſſent numero Urbes, asylo a Moyſe deſtinatæ, videbimus in Numeris xxv, 6, & in Deuteronomio.

℣. 15. Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur. Septuaginta in nonnullis exemplaribus verſiculum hunc 15 continuant cum verſiculo 17, ubi Deus vetat, ne verbis injurioſis, atque conviciis parentes quis afficiat; ſed utrumque diſtinguunt Chaldæus, Hebræus, ac Verſiones cæteræ. Porrò Lex ſupplicio damnans filios, qui parentes percuſſerint, ita temperanda eſt, quemadmodum habetur in Deuteronomio xxi, 18; ſemel enim & iterum priùs monendi ſunt, ut corrigantur. E noſtris Interpretibus quidam cenſent, ictum quemcumque cum nocendi voluntate conjunctum, etiam ſine ullâ ſanguinis effuſione, morte expiandum fuiſſe, quòd cædere parentes utcumque ſcelus eſſet maximè deteſtabile (t); graviores tamen ictus tantùm eidem pœnæ obnoxios eſſe hujus Legis, alii contendunt (u). Nihil hìc Moyſes de parricidio, velut impoſſibile crimen reputans. Nihil etiam de illo in ſuis Legibus Solon (x). Abſtinuiſſe pariter & Romulum in Legibus, quas Romanis ſancivit, affirmat Plutarchus *in Romulo*: ſed Romuli ſextadecima Lex certè in Parricidas eſt.

℣. 16. Si furatus fuerit hominem, et vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur. Quo loco habet Vulgata *convictus noxæ*, Hebræus ad literam (y) ſonat: *Et inventus fuerit in manu ejus*; adhuc furtum apud ſe retineat: ſeu potiùs cum Glaſſio ita totus verſiculus reddendus eſſet: *Qui furatus fuerit hominem, ſeu vendiderit eum, ſive adhuc fuerit in manu ejus, morte moriatur*. Vatablus in ſenſu Vulgatæ exponit: Qui convictus fuerit furto ſurripuiſſe, & vendidiſſe Hebræum, morte moriatur. Hæc loquendi phraſis, *Inventus fuerit in manu ejus*, ſonat ſæpè Hebraiſmum, quo ſignificatur reus crimine convictus (z).

Porrò hæc Lex definienda eſt ad furtum Hebræi ſive ingenui, ſive mancipii, ut apertè jubet Deuteronomium xxiv, 7: *Si furatus fuerit hominem de filiis Iſraël*; quam exceptionem Septuaginta & Onkelos adnotandam hìc in Textu cenſuerunt: nec Judæi vetitum ſibi ſub capitali ſupplicio aliud cenſent, quàm furtum hominis Iſraëlitæ; cæteros enim, quos furto ſuſtulerint, ſi deindè reſtituerint, ſalva ſibi eſſe omnia arbitrantur. Recitat Xenophon quamdam Athenienſium legem (a) damnantem morte reum furto ſubducti hominis; Romaniſque Legibus (b) eidem pœnæ ſubduntur, qui prudentes volenteſque emerint ſeu vendiderint hominem ingenuum.

℣. 17. Qui maledixerit patri suo, vel ma-

(m) Ὅπως μηδεμίαν ἐνδῶσι πρόφασιν τοῖς ἑκουσίως τὰ τῶν ἀκουσίως δρώντων ἔργα μιμεῖσθαι. *Porphyr. l. 2 de abſtin.* (n) *Porphyr. l. 2 de abſtin.* (o) *Demoſthen. in Midiam.* [p] Ὅς ἂν ἀμύνηται τὸν χειρῶν ἀδίκων ἄρξαντα, ἀθῷον εἶναι. (q) 3 *Reg.* 11, 28. (r) *Demoſthen. Ep. 3 de Lycurgi liberis*: Ἅπαντες οἱ νόμοι τῶν δικαίων ἕνεκα, καὶ σωτηρίας τῶν χρηστῶν ἀνθρώπων τίθενται. *Philo de ſpecialib. leg.* Ἀσυλίαν ἀνιέροις τὸ ἱερὸν μὴ παρέχεσθαι. Πᾶς γὰρ ἀνίατα δρῶν, ἐχθρὸς Θεοῦ. (s) *Philo lib. de legat. ad Cajum.* Ἀσυλίας ἠξιωμένος τῆς πάσης. (t) *Menoch. Malv.* (u) *Hebræi apud Menoch. R. Salom.* (x) *Cicero pro S. Roſcio Amerino.* (y) גנב איש ומכרו ונמצא בידו (z) *Grot. Vatab.* (a) *Xenoph. l. 2 Commentar.* (b) *Digeſt.* 48, *tit.* 15.

℣. 18. Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suum lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lectulo:

℣. 19. Si surrexerit, & ambulaverit foris super baculum suum, innocens erit, qui percusserit; ita tamen ut operas ejus, & impensas in medicos restituat.

℣. 20. Qui percusserit servum suum, vel ancillam virgâ, & mortui fuerint in manibus ejus, criminis reus erit.

COMMENTARIUS.

TRI, MORTE MORIATUR. Reddi posset Hebræus [c]: *Qui contempserit*, qui defuerit obsequio. Septuaginta: Ὁ κακολογῶν πατέρα αὐτοῦ, *Qui male locutus fuerit*, eodem sensu ac Vulgata. Qui verbis injuriosis, violentis, dirisque parentes affecerint, morte, idest, lapidum supplicio punientur [d]. Atheniensium Legibus carcere damnabantur, qui parentibus injuriam aliquam irrogaverant [e].

℣. 18. SI PERCUSSERIT ALTER PROXIMUM SUUM LAPIDE, VEL PUGNO. Deest in Samaritano τὸ *lapide vel pugno*. & Syriacus habet, *lapide vel baculo*; idest, si eminùs lapidibus insectatus fuerit, vel comminùs ictu baculi, vel pugnis, ut est in Hebræo, Chaldæo, Septuaginta, Vulgatâ; vel malè exceperit jactu lapidum vel *glebarum*, juxta alios [f].

℣. 19. SI SURREXERIT, ET AMBULAVERIT FORIS SUPER BACULUM SUUM. Illud, *Si ambulaverit foris super baculum suum*, interpretatur R. Salomon, apud Lyranum, de receptâ penitus valetudine, si liberè gradiatur. Moysis ætate, Hebræi baculum tenentes gradiebantur, ut in Genesim xxxii, 18, ostensum est. Contendunt alii, significari verbis illis: Si domo egredi ac firmare gressum Scipione adjutus potuerit, velut imbecillis adhuc; innocens erit, qui illum ceciderit, a mortis supplicio erit immunis; mulctandus tamen lege talionis, hic quidem non expressâ, sed inferiùs ℣. 24; quin & compensanda ab illo damna omnia ex vulnere, & affectæ valetudinis tempore caussata; indemnis relevandus erat ex jacturâ illâ temporis & lucri, & ab incommodo morbi; sumptibus tandem in Medicos & Chirurgos; & maximè omnium, si quod gravius damnum passus fuisset ex amisso aliquo vel confracto membro. Addunt nonnulli, cogi sontem reparare probrum, si quod illatum est cum vulnere; uti si palam, probrosèque ceciderit. R. Salomon affirmat, reum percussi hominis haberi in custodiâ apud Judices, quamdiu vel cæsus convalesceret vel periret e vulnere. Ejus mortem mors sontis consequebatur; si convalesceret, narratis superiùs pœnis mulctabatur.

℣. 20. QUI PERCUSSERIT SERVUM SUUM, VEL ANCILLAM VIRGA, ET MORTUI FUERINT IN MANIBUS EJUS, CRIMINIS REUS ERIT. Deest in Textu Samaritano *Virga*, quam tamen legas in Hebræo, Chaldæo, Septuaginta. & Vulgatâ; quo loco est, *Criminis reus erit*, Hebræus legit: נקם ינקם, *Vindicando vindicabitur*. Chaldæus, Septuaginta, Syriacus: *Judicio judicabitur*; Judicum sententiâ punietur. Censent nonnulli, herum occisi mancipii reum, non morte quidem, sed arbitrariâ Judicum pœnâ mulctari. Samaritanus habet: *Non requiretur, non morte punietur*. Ita porrò distinguunt Hebræi: Si quis herus Hebræus mancipium Hebræum, vel e Proselytis justitiæ peremerit, mortis in illum decreta sententia; nihil verò tale, si alienigenam & incircumcisum servum occiderit [g].

Sed cur discrimen illud, de quo nihil in Lege? cur latissimè Legis illa sanctio non accipiatur, cùm referat dogma illud, quod humanitas, natura, & ratio docuerunt? Est autem appendix quædam necessaria præcepti in Decalogo lati, prohibentis nempe genus cædis universum. *Si contempsi*, ait Job xxxi, 13, *subire judicium cum servo meo, & ancillâ meâ, cùm disceptarent adversùm me. Quid enim faciam cùm surrexerit ad judicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo illi? Numquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est. et formavit me in vulvâ unus?* Seneca in eam fermè sententiam, Epistolâ XLVII *Servi sunt, imò homines: Servi sunt, imò contubernales: Servi sunt, imò humiles amici: Servi sunt, imò conservi.*

Fatemur quidem, apud cæteras orbis nationes nullo capitali supplicio subdi heros, qui flagris perimant servos [h]. Sed sapientissimo cuique iniquum semper visum est, & jure meritoque reprobandum. Seneca idem: *Quoties in mentem venerit, quantum tibi in servum liceat; veniat in mentem, tantumdem in te domino suo licere.* Laudat historia Catonem Censorem (*i*) eo nomine, quòd nunquam capitale supplicium sumpserit de mancipiis, nisi aliorum conservorum sententiâ damnatis. Decrevit Adrianus, cognoscendum a Judicibus de criminibus, de quibus servi accusabantur, nec morte damnandos, nisi post latam juridicam sententiam. Servos etiam legibus latis tutatus est Antoninus Pius: vetuit Constantinus, ne tormentis perimerentur; sed nequicquam hæc omnia, ut dominorum sævities cohiberetur. Apud Ægyptios capitali supplicio in eos animadversum, qui ingenuum vel servum peremissent (*k*); & apud Græcos quoque perinde reputabatur ingenuum perimere ac servum. Testatur

(c) מקלל אביו ואמו (d) *Levit.* xx, 9. (e) *Demosthen. in Timocrat.* Ἐὰν τις ἁλῷ τῆς κακώσεως τῶν γονέων εἰς τὴν ἀγορὰν ἐμβάλλῃ, δεδέσθω. (f) באגרוף Gleba, *Oleast. quid. apud Munst.*
(g) *Rabbini apud Selden. de jure nat. & gent. l. 4. c. 1.* (h) *Apud omnes peraquè gentes animadvertere possumus. dominis in servos suos vitæ necisque potestatem fuisse. L. 1, de his qui sui, vel alieni sunt juris. Vide & Pignor. de servis, pag. 7, 8.* [i] *Plutar. in Catone.* (k) *Diodor. Sicul. l. 2 Bibliot.*

Digitized by Google

℣. 21. Sin autem uno die, vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est.

℣. 22. Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit; subjacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint.

COMMENTARIUS.

statur Demosthenes (*l*), Atheniensium complures morte pœnas dedisse, quòd iniquiùs & injuriosè habuissent servos nonnullos e gente etiam Græcis infestissimâ, quacum insita erat heris illorum simultas. Hecuba apud Euripidem (*m*) rogans Ulyssem, ut manus a filiâ Polixenâ abstineat, una eademque lex, inquit, damnat apud vos cædem ingenuorum & servorum. Apud Athenienses, si fortè servi de nimiâ dominorum sævitiâ quererentur, jus habebant expetendi, ut alteri venderentur; renuentibus illis, licebat ipsis confugere ad asylum Altaris, quoad usque postulata non impetrassent. Vide quæ contulimus ad Deuteronomium XXIII, 15. Confer etiam Samuelem Petit, *l.* 2, *tit.* 6; Athenæum *lib.* 6, *cap.* 19, & in eumdem commentarios Casauboni; ac tandem Grotium *de jure belli & pacis*, *lib.*3, *cap.* 14, *art.*2, 3.

℣. 21. Sin autem uno die vel duobus supervixerit, non subjacebit pœnæ, quia pecunia illius est. In hoc eventu nulla in herum pœna decernitur, quòd scilicet pœnæ loco haberetur carere mancipio. Hucusque prudentia Mosaicarum legum pertinuit; metu interdum pœnarum & lucri spe propositâ satis habet, ut a malo homines deterreat. Paraphrastes Jonathan, Rabbini, aliique nonnulli (*n*) certant, hanc Legis sanctionem esse tantùm de servis Paganis & Chananæis, non autem de Hebræis; cùm enim eorum servitus brevissima haberetur, non utique tanquam domini sui bona reputarentur; cùm interim e Paganis mancipia perpetuæ servituti addicta ita haberentur, ut non leve damnum fieri censeretur dominis, si illis morte peremptis caruissent.

℣. 22. Si rixati fuerint viri, et percusserit quis mulierem prægnantem &c. Si mulier illa ita percussa fuerit, ut vitium patiatur in partu, quin tamen intereat e vulnere; qui irrogaverit injuriam, arbitrariâ pœnâ ab Judicibus damnabitur. Septuaginta ita Textum reddunt (*o*): *Et percusserint mulierem in utero habentem, & exierit infans ejus non formatus, mulctâ mulctabitur: prout indixerit vir mulieris, dabit cum postulatione. Si autem formatus fuerit;* [℣. 23] *reddet animam pro animâ.* De morte seu de vitâ matris interpretatus est Author Vulgatæ, quod Septuaginta habent de morte seu de vitâ infantis. Vulgatæ congruit Josephus (*p*); Septuaginta, Philo (*q*). Utrumque sensum admittit Hebræus [*r*], qui habet tantùm: *Et non fuerit mors*, vel si vulnus sit citra mortis discrimen. Et ℣. 23 [*s*]: *Et si mors fuerit*, si lethale fuit vulnus; quibus ambiguum relinquitur, utrùm de matre an de filio sit sermo. Cùm mater interierit e vulnere, an iniquus peremptor capitali supplicio puniendus fuerit, sive potiùs tamquam fortuito casu occidens habendus sit, de quo ℣. 13, incertum; sed præstat reputare mortis reum æquè vel matris vel filii peremptorem.

Quod attinet ad discrimen, de quo Septuaginta, morti scilicet subjiciens virum, qui animati jam fœtûs ac formati abortum inducit, arbitrariæ verò tantùm pœnæ adjiciens illum, qui rudem tantùm embrionem corruperit; constat profectò, uti observant S. Augustinus, & Theodoretus [*t*], ita philosophatos esse Septuaginta, quòd arbitrarentur, nullum fuisse, corrupto embrione, homicidii crimen. Autumat Grotius, Interpretes illos explicatione in hac suâ constituisse sibi Græcorum leges, eâ ætate in Ægypto obtinentes. Demonstrat insuper, nec Hippocratem, nec Aristotelem agnovisse crimen, si quis probibeat, ne infans nascatur, cùm nullâ adhuc seu vitâ seu facultate sentiendi instructus est [*u*].

Verùm apud Romanos capitalia erant crimina, cùm illi nihil probarent illud Græcorum discrimen. Observat Cicero, pro Cluentio, supplicio mortis damnatam fœminam e Mileto, quòd pharmacis adhibitis fœtum excluserit. Luculentiora sunt, quàm ut hìc prætereantur, quæ tradit Ovidius de illo crimine; haber enim nihil simile spectari in ferocissimis quibusque belluis, additque l. 2 Amorum, Elegiâ XIV:

Quæ prima instituit teneros avellere fœtus,
Militiâ fuerat digna perire suâ.

Nec mitiores in id crimen Christiani. Tertullianus (*x*): *Etiam conceptum in utero, dum adhuc sanguis in homine delibatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est probibere nasci. Nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet. Homo est & qui futurus est &c.* Josephus *libro* 2 *contra Appionem*, demonstrat, quanto horrore tenerentur Judæi erga cædes quascumque sive jam natorum, sive eorum qui nascituri erant filiorum, sicut & erga omnia, quæ naturalem hominum nascendi ordinem corrumpunt. Quamquam autem non adeò luculentis verbis eâ de re egit Moyses, nullamque pœnam præscripsit in peremptores istos

(l) *Demosth. orat. contra Midiam.*

(m) Νόμος δ' ἐν ὑμῖν τοῖς τ' ἐλευθέροις ἴσος
Καὶ τοῖσι δούλοις αἵματος κεῖται πέρι.

[n] *Lyr. Jun. Boufr. Rivet. &c.* (o) *Septuag.* Καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον.

(p) *Antiq. l.* 4, *c.* 8. (q) *Philo de legibus specialib. p.* 793, 794. Ἐὰν μὲν ἄπλαστον καὶ ἀδιατύπωτον τὸ ἀμβλωθὲν τύχῃ, ζημιούσθω, καὶ διὰ τὴν ὕβριν, καὶ ὅτι ἐμπόδιον ἐγένετο τῇ φύσει ζωογονούσῃ τὸ κάλλιστον τεχνιτεύειν καὶ δημιουργῆσαι ζῶον ἄνθρωπον. Ἐὰν δὲ ἤδη μεμορφωμένον ἀπάντων μελῶν τὰς οἰκείας τάξεις, θνησκέτω. Τὸ γὰρ τοιοῦτον ἄνθρωπός ἐστιν, &c. (r) ולא יהיה אסון (s) ואם אסון יהיה

(t) *Aug. Quæst.* 80; & *Theodoret. qu.* 48. *Vide & Hieron. ad Algas. qu.* 4. (u) Πρὶν αἴσθησιν ἐγγενέσθαι καὶ ζωὴν, ἐμποιεῖσθαι δεῖ τὴν ἄμβλωσιν. τὸ γὰρ ὅσιον καὶ τὸ μὴ, διωρισμένον τῇ αἰσθήσει καὶ τῷ ζῆν ἔσται. *Arist. Polit. l.* 7, *c.* 16. (x) *Tertull. in Apologet. Vide & Selden. de jure nat. & gent. l.* 4, *c.* 5.

℣. 23. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro animâ,

℣. 24. Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede,

COMMENTARIUS.

nefarios, quòd facilè facinus esset plerumque clam & occultè patratum, nihilque spectent Leges, nisi quod hominum oculis exponitur: quanto tamen horrore scelus illud prosequeretur, non occultè demonstrant ea, quæ in Genesi habet (y) de crimine Onani. Onkelos scribit, si fortè mater mortem a vulnere non retulerat, impium percussorem vel arbitrio viri vel Judicum præscriptâ pœnâ esse damnandum; intereunte matre, animam redditurum pro animâ.

℣. 23. REDDET ANIMAM PRO ANIMA. Sunt qui (z) dictum hoc interpretentur, non quasi capitali supplicio subjiciendus esset, nullâ relictâ spe veniæ, percussor mulieris prægnantis, cùm e vulnere fœmina interiret; sed tantum molctæ subdi, quæ sanè mulcta ex æquo responderet pœnæ mortis, merito ejusdem criminis debitæ, juxta legum severitatem, Judicum sententiâ definienda. Quæ tamen opinio morte illum damnat, & literæ magis cohæret, & suffragatorem habet Philonem (a).

℣. 24. OCULUM PRO OCULO, DENTEM PRO DENTE. In assignando hujus legis sensu committuntur inter se Doctores Hebræi: ejus verba ad rigorem accipienda esse censebant Saducæi; ac omne quidem excludere temperamentum Scriptura ipsa videtur (b): *Auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant ... Non misereberis ejus, sed animam pro animâ, oculum pro oculo &c.* Judæorum cæteri, qui traditioni deferebant plurimum, mitiorem sensum dabant Legi, literæ severitatem mitigantes, ut verba referenda sint ad mulctam pecuniariam, qua veluti redimeretur supplicium illud in Lege significatum: e. g. solvendum esse quidquid daretur pro redimendo oculo, si dura nobis imponeretur necessitas sive illum amittendi, sive redimendi pecunia. Porrò æquiora hæc, & rerum naturæ magis consona doctis quibusdam Interpretibus videntur (c); quin & adversæ opinionis plura sunt ardua, & executioni maximè incommoda, ac Reipublicæ rebus non semel perniciosa. Postremam hanc interpretationem præferunt Targum Jerosolymitanum, & Jonathan.

Cæterum non ita reputandum est, quasi Lex talionis ultionem redderet immunem a crimine, non minùs ac aliæ plures Leges, quibus duris cordé Judæis indulgendum aliquid visum est. Præscriptum illis Judicibus, quid in variis rerum eventibus decernant; sed nunquam ultionem privatis quibusque permittunt, injuriam pro injuriâ rependere concedentes. Ultionem ipse sibi Deus reservat (d): *Mea est ultio, & ego retribuam.* Privatâ authoritate ulcisci se pro irrogatâ sibi injuriâ, nemini licet; est enim id publicæ authoritatis, quæ depositum justitiæ & ultionis Domini servat. Reus est homo alieni juris usurpati, cùm Dei loco ultionem suam prosequitur. Nimis profectò nos & nostra amamus, quàm ut, cùm de rebus nostris agitur, in discrimen non veniamus, e rectis tutisque limitibus excedendi: vix fieret, ut hostes nostros insequentes, ultra metas præscriptas non abriperemur. Cùm igitur Deus præscribit hìc Legem talionis, non ultionem permittit, sed moderatur: *Non fomes sed limes furoris est*, ait S. Augustinus (e). *Non ut id, quod sopitum erat, hìc accenderetur, sed ne id quod ardebat, ultra extenderetur.* S. Isidorus Pelusiota (f) notat, non ideò constitutam a Moyse legem talionis, ut injuriâ affectos ad ultionem cogeret, sed ut contineret in officio, metu pœnarum, quas in se provocarent, si quid simile auderent in alios. Ita pariter Tertullianus (g): *Interim commissio injuriæ metu vicis statim occursuræ repastinaretur, & licentia retributionis, prohibitio est provocationis.* Cùm jubet Evangelium cædenti unam maxillam alteram statim offerre, nihil præscribit Moysi contrarium, sed perfectius aliquid, & excellentius. S. Augustinus (h): *Oculum pro oculo, dentem pro dente: quæ, si dici potest, injustorum justitia est; non quia iniquum est, ut recipiat unusquisque quod fecerit, alioquin Lex nequam id constitueret, sed quia ulciscendi libido vitiosa est, &c.*

Leges Græcorum & Romanorum pondus addunt authoritatis Legi talionis. Acceptum id creditur a Rhadamanto: *Æquum est, ut idem patiatur aliquis, quod fecit.* Recitat Diogenes Laërtius (i) Legem quamdam Atheniensium, damnantem utroque oculo eum, qui lusco oculum excluserit; atque optimè observat Aristoteles (k), justum utique non esse, ut qui alterum privaverit oculo, oculo & ipse privetur; major enim huic crimini irroganda est pœna. Apud Romanos severitas legis talionis aliquantum temperabatur (l), modò tamen indictam a Judicibus mulctam reus solveret, vel quam læsus exegisset. Leo Imperator (m) edicit, ut reus exclusi ab altero oculi, eodem oculo privetur: si verò utrumque oculum abstulisset, amissione unius oculi, & dimidio omnium bonorum mulctaretur, quæ bona cæco alteri addicenda essent. Affirmat Philo (n), de lege talionis aliquid in executione detractum, nisi fortè ingenuo homini irrogata fuisset injuria: sed æquo jure eâ in re censeri ingenuos & mancipia Hebræa, affirmant Rabbini. Docet Josephus (o), permissum læso, ut ultionem suam ex omni le-

gis

(y) *Genes.* XXXVIII, 9: *Introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram.* (z) *Rabb. & Lyran. Rivet. Muis.* (a) *Philo de special. legib.* Αὐτὸς παρ' ἀνδροφόνων, ὡς δέον τεθνάναι, διαγορεύει ὁ νόμος μὴ ἐξεῖναι λαμβάνειν ἐπὶ μειώσει τῆς τιμωρίας, ἢ ἀπαλλαγῇ φυγῆς ἀντὶ θανάτου. (b) *Deut.* XIX, 18, 19, 20. (c) *Ainsw. Vatll. Rivet. Muis. Malv. Buxt. &c.* (d) *Deut.* XXXII, 35.
(e) *Aug. contra Faust. l.* XIX, *c.* 25. (f) *L.* 2, *Ep.* 133. *Vide etiam S. Chrysost. Homil.* 18 *in Matt.*
(g) *L.* 2 *contra Marcion. c.* 18. (h) *S. Aug. in Ps.* 108. (i) *Diogen. in Solone.* (k) *Aristot. mag. moral. l.* 1, *c.* 34: Οὐ γὰρ δίκαιον εἴ τις τὸν ὀφθαλμὸν ἐξέκοψέ τινος, ἀντεκκοπῆναι μόνον, ἀλλὰ πλείονα παθεῖν. (l) *Si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto. Leges* 12 *tabul. Vide Gell. l.* 20, *c.* 1, *Noct. Attic.* (m) *Leo, novell.* 92. (n) *Philo de legibus.* (o) *Antiq. l.* 4, *c.* 8.

Digitized by Google

℣. 25. Aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore.

℣. 26. Si percuſſerit quiſpiam oculum ſervi ſui, aut ancillæ, & luſcos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit.

℣. 27. Dentem quoque ſi excuſſerit ſervo, vel ancillæ ſuæ, ſimiliter dimittet eos liberos.

℣. 28. Si bos cornu percuſſerit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur: & non comedentur carnes ejus, Dominus quoque bovis innocens erit.

℣. 29. Quòd ſi bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiustertius, & conteſtati ſunt Dominum ejus, nec recluſerit eum, occideritque virum, aut mulierem; & bos lapidibus obruetur, & Dominum ejus occident.

COMMENTARIUS.

gis rigore in judicio proſequeretur, nec invitum adigi potuiſſe, ut ejus loco pecunias acciperet.

In Legibus Canonicis ſancitum eſt (p): *Calumniator ſi in accuſatione defecerit, talionem recipiat.* Sed eâ ſanctione quidquid criminoſum & impium præferret lex talionis, omne ſubducitur; cupiditas ſcilicet ultionis ſuæ per ſe exigendæ. Si lex talionis ità in uſum deducatur, nihil habet injuſtum, nihil criminoſum; quin & interdum non ſine juſtitiæ merito urgeretur, cùm maximè opus eſſet pro defenſione oppreſſæ innocentiæ: ſed cùm de privatis noſtris injuriis agitur, multò tutius eſt Chriſtianæ patientiæ partes ſequi, & plurima ferre, queri nihil. Negat Socrates, exigendam pro acceptâ injuriâ ultionem; negat rependendum pro malo malum. Nunquam enim ſive injuriam ſive malum immunia eſſe à crimine (q).

℣. 25. Livorem pro livore. Syriacus: *Pugnum pro pugno.* Arabs: *vulnus pro vulnere.*

℣. 26. Dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Legem illam definiunt Hebræi (r) ad ſola mancipia alienigena; ſi enim herus oculo privaſſet Hebræum mancipium, æqua illi ex lege talionis ſubeunda erant: ſed contrariam ſententiam ſtatuens Grotius, cenſet privilegium libertatis ob oculi injuriam Hebræis mancipiis datum; neque enim alienigenis jus erat manumiſſionis in eo rerum eventu.

Et luscos eos fecerit. Hebræus: שחתה, *Corruperit oculum.* Septuaginta: Ἐκτυφλώσῃ, *excæcaverit.* Cùm Adrianus Imperator (s) ſervum à ſe oculo orbatum, ut amiſſionis illius dolorem ſolaretur, poſtularet ſiquid vellet, ſilentem illum iterum ſolicitavit: tum ſervus nihil ſe petere aliud dixit, quàm oculum ſuum; eo enim amiſſo, quid tale damnum repararet? Animadvertere hìc juvat, eidem pœnæ ſubjicere Moyſem reum eruti oculi, ac dentis excuſſi.

℣. 27. Dentem quoque si excusserit servo vel ancillæ suæ, dimittet eos liberos. Quod hìc de oculo & dente, extendunt Rabbini ad cætera omnia membra, quæ ſemel amiſſa nunquam reparantur. Quatuor & viginti enumerant, inter quæ viginti digitos pedum & manuum, aures, nares &c.

℣. 28. Si bos cornu percusserit virum aut mulierem, et mortui fuerint, lapidibus obruetur. Hæc lex affinitatem habet plurimam cum illo Geneſis IX, 5: *Sanguinem animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum.* Quò Deus homines magis averteret à crudelitate & homicidio, quò pariter, rebus ſuis providendi conſilio, incommoda omnia ſocietatis amoverent, ſollicitè præſcribit mortis pœnam in bruta, quæ hominem peremerint. Sunt enim bruta ſervitiis hominum facta; quare cùm pro ſervitio damnum inferant & incommodum, meritò deſtruenda ſunt.

Non comedentur carnes ejus; in deteſtationem ſcilicet commiſſi, & quò magis amiſſione rei ſuæ poſſeſſor ejus puniretur. Quæ hìc de bobus ſeu potiùs de tauris, (utrùm enim eſſent boves apud Hebræos, ambigo) valent etiam datâ proportione de domeſticis quibuſque animalibus (t), ſi cui fuiſſent exitio. Non diſſimilem legem ſancivit Plato (u) præſcribens, ut ſi quod fortè brutum hominem occiderit extra prælium, jus ſit neceſſariis defuncti ſiſtendi illud reum Judicibus, quorum ſententiâ è regione pellatur. Draco legislator Athenienſium, cujus ſeveras nimiùm leges ſcriptas dicunt ſanguine potiùs quàm atramento, ſubjecerat pœnæ ferrum, ligna, lapides, & cætera ejuſmodi, quæ injuriæ inferendæ valuerant, ſi mali author latuiſſet: projectam in mare ſtatuam, quæ lapſu ſuo hominem oppreſſerat, narrat Suidas. Ita pariter & bruta ſupplicio damnata interdum apud Chriſtianos ſcribunt (x), e. g. quæ nefario crimini ſerviiſſent, ſicut & ſues fœminas, quæ devoraſſent pueros.

℣. 29. Quod si bos cornupeta fuerit ab heri et nudius tertius. Ter priùs monendum dominum coram Magiſtratibus, docent Rabbini [y]; eo negligente ſubinde recludere taurum ſuum, tunc omni legis ſeveritate agendi in illum jus erat.

DO-

[p] *Decret. 2 part. causâ 2, qu. 3.* (q) *Plato in* Critone. (r) *Jonathan & Jeroſolymit. Rabbini, Jun. Piſcator, &c.* (s) *Galen. de animi perturbat. c. 4.* (t) *S. Aug. qu. 81 in Exod.* (u) *Plato de legib. l. 9.* (x) *Vide Guid. Papam, Deciſione 238, & Ranchin. ibi. Rebuff. ad Reg. Conſt. Gloſ. 5, § 46. Abulenſ. ad Levit. XX, qu. 14. Selden. de jure nat. & gent. l. 1, c. 5.* (y) *Maimonid. in Gemar. Babyl.*

℣. 30. Quòd si pretium fuerit ei impositum, dabit pro animâ suâ quidquid fuerit postulatus.

℣. 31. Filium quoque, & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subjacebit.

℣. 32. Si servum, ancillamque invaserit, triginta siclos argenti domino dabit: bos verò lapidibus opprimetur.

℣. 33. Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut asinus in eam,

℣. 34. Reddet dominus cisternæ pretium jumentorum: quod autem mortuum est, ipsius erit.

℣. 35. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit, & ille mortuus fuerit: vendent bovem vivum, & divident pretium, cadaver autem mortui inter se dispertient.

℣. 36. Sin autem sciebat, quòd bos cornupeta esset ab heri, & nudiustertius, & non custodivit eum dominus suus: reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet.

COMMENTARIUS.

Dominum ejus occident. Deo ejus criminis ultionem seu necem reservari, docet Maimonides; affirmantque Rabbini (z), cùm Deus minitatur ultionem se exacturum de belluis hominem perimentibus, quemadmodum de homine necem homini inferente, accipiendum hoc tantùm esse de belluâ ab homine in hominem instigatâ, sive quòd homo ille insitâ belluæ feritate usus, ejus furori hominem exponat; sive quòd hominum exitio feroces belluas alat: in his enim omnibus reservari sibi Deum ultionem tuentur. Censet Grotius, cùm legitur tantùm in Textu, *Moriatur*, & non *morte moriatur*, ut alibi sæpè, ex eo insinuari, pretio soluto e discrimine hominem redimi posse: quod etiam censuit Philo. Cognoscendi de domino æquè ac de hove jus erat Sinedrio trium & viginti Judicum, de quo alibi, reservatum; antelatam a Judicibus illis sententiam, taurum perimere nefas [a].

In bruta perniciem inferentia hominibus legem sanciverat Solon [b], quæ ferebat, si canis hominem momorderit, statim homini læso tradatur, vinctus catenâ quatuor cubitorum. Romanis Legibus imperatur (c): *Si equus calcitrosus calceo percusserit, aut bos cornu petere solitus, cornu petierit, lex voluit aut dari id quod nocuit, idest animal quod noxam immisit, aut æstimationem noxiæ afferre.*

℣. 31. Filium quoque et filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subjacebit: sermonem hìc esse tantùm de filiis familiâs ingenuis, & non mancipiis, ex proximè sequenti versu intelligimus.

℣. 32. Si servum ... triginta siclos argenti &c. Septuaginta: *Triginta didrachmas*, idest, xvi aureos monetæ nostratis Gallicæ circiter. Vulgare erat emendis mancipiis pretium, neque pluris vendidit Judas Servatorem: plus duplo ingenuus vendebatur. Hanc legem ad sola mancipia Chananæorum vel Incircumcisorum, definiunt Targum Jonathan & Rabbini, servi enim ex Hebræis eodem hac in re privilegio cum heris utebantur.

℣. 33. Si quis aperuerit cisternam .... cecideritque bos aut asinus in eam. Duo hìc sedulò distinguenda. Primò *aperire cisternam* erutam jam, vel fortè obstructam aperire iterum; secundò *novam fodere*. Primum illud inferunt verba: *Si quis aperuerit cisternam*; alterum illa: *Et foderit*; quod optimè redderetur, *aut foderit*. In utroque eventu pretium reddere pro jumentis casu ibi pereuntibus dominus putei jubebatur. At si pro jumento homo præceps corruerit, cui mulctæ subdatur herus, non dicit Moyses. Si corruens homo interierit, penès necessarios ipsius jus erat dominum cisternæ ad mulctam cogendi crimini parem.

Huic legi addit Paraphrastes Jonathan: *In plateâ*: Si foderit in plateâ foveam. RR. Maimonides, & Salomon dictum accipiunt de foveâ in loco communi, publico scilicet. Jus enim datum singulis censet, ut in hæreditario solo puteum vel cisternam effoderent, quin de sinistris eventibus soliciti esse deberent. Romanorum legibus cavetur (d): *Si in itineribus fecerit* [foveam capiendis ursis vel cervis] *eòque aliquid deciderit, factumque deterius est, Lege Aquiliâ obligati sunt; at si aliis locis, ubi fieri solent, fecerint, nihil tenentur.*

℣. 35. Si bos alienus bovem alterius vulneraverit. Nihil in hac lege non apertum, nihil iniquum. Romani Jurisconsulti docebant, nullum agendi jus esse adversùs herum bovis aggressoris, si fortè bos aggressor in certamine corruerit; lege verò agere licere hero bovis occisi, quem bos alter fuerit aggressus [e].

℣. 36. Sin sciebat, quod bos cornupeta esset .. et non custodivit eum Dominus suus &c. Septuaginta addunt [f]: *Et contestati fuerint domino ejus &c.*

CA-

(z) *Apud Selden. de jure nat. & gent. lib. 1, c. 5.* (a) *Gemar. Jerosolymit. tit. Sanhedrin, c. 1.* [b] *Solon apud Plutarc.* (c) *Justinian. L. 4. tit. 9. & Digest. 9, tit. 1.* (d) *Digest. l. IX, tit. 2, Leg. 28.* [e] *Digest. l. XIX, tit. 2.* (f) Καὶ διαμεμαρτυρημένοι ὦσι τῷ κυρίῳ αὐτοῦ.

CAPUT XXII.

Leges de furto, deposito, fœnere, fornicatione, maleficiis, cum bestiis crimine, & Idololatriâ. In eos qui injuriam inferunt viduæ & orphano. Item de decimis, primitiis, primoribus natu, & carne animalium, quæ bestia tactu violaverit.

℣. 1. SI quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro unâ ove

℣. 2. Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SI QUIS FURATUS FUERIT BOVEM . . . . . . QUINQUA BOVES PRO UNO RESTITUET, ET QUATUOR OVAS PRO UNA OVA. Bovis vel tauri oomine accipias hîc etiam vaccam & vitulum; ovis verò agnum, arietem, hircum, capram, hœdum. Merum furtum nunquam extremo supplicio puniri si patraretur ab Hebræo, docent Rabbini (*a*); Si verò ab alieoigenis, capitis abscissione, quod præ omnibus probrosum erat supplicium, mulctabatur; truncum furis cadaver manu appendebatur, neque enim suspeosum unquam viventem adhuc homioem tenent Hebræi.

Criminis sui pœnam in corpore nullam subibat fur, ex Lege (*b*): sed Estius censet, furem solvendo imparem flagris subjici, & reum pluries commissi criminis, suspendi. Porrò eâ ætate mortis pœnam sumi consuevisse de furibus, docent ea, quæ Jacob proponit Labano (*c*): *Quid autem furti me arguis? apud quemcumque inveneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Interdum etiam fures veodebantur, ut hîc fieri permittitur ℣. 23; & constat etiam e parabolâ servi duobus millibus talentorum obærati (*d*). Joseph Patriarcha simulavit velle se in maocipium retinere fratrem suum Benjaminum, in cujus sacco scyphus inventus fuerat.

Unde varò hoc discrimen pro bove furto sublato quinque rependendi, pro ove quatuor? Theodoretus (*e*), S. Thomas (*f*) aliique nonnulli iode repetont, quòd multò utilior est bos quàm ovis. Suot qui e bove seu vaccâ commoda quinque recenseant (*g*). I, Immolatur Domino; II, terræ culturæ servit; III, bomines nutrit carne; IV, alit lacte; V, corium pluribus utilissimum habet. Cùm interim quatuor taotùm commoda referantur ex ove: scilicet usus io sacrificiis, lanæ, carnes, & lac. Sed oumquid non auri & argenti, quæ unicè restituebantur, non majora erant, quàm horum, commoda? Præstat igitur reputare, Legislatorem eo fræno continendam censuisse insitam populo io furta ejusmodi propensionem (*h*); seu potiùs majoribus pœnis occurrendom censuisse furto rei raptoribus magis expositæ, cùm mobilia & res ceteræ domesticæ multò cautiùs custodiantur. Observat Grotius [*i*], post Justinum, apud Scythas, *Nullum scelus furto gravius; quippe sine tecto munimentoque pecora & armenta habentibus, quid salvum esset, si furari liceret?* Pœnas io legibus hisce & sequentibus usque ad caput xxv, nonnisi post Judicum sententiam executioni mandatas censet Tirinus. Exceptionem quamdam hujus legis habes hîc ℣. 4.

℣. 2. SI AFFRINGENS FUR DOMUM &c. Sermonem hîc esse de fure nocturno, intelligimus tum ex contextu sermonis, cùm e Textu opposito ℣. 2. Seitè redderetur Hebræus (*k*): *Si in perfossione inventus fuerit fur*; sive, *Si in fenestrâ parietis* [*l*]; seu potiùs: *Si cum instrumento ad parietem fodiendum apto* (*m*) &c. jus esto patri familiâs furem illum impunè occidendi. Hujus Legis justitiam ex eo petas, quòd ignoretur, num fur in bona nostra, sive io vitam iojuriam illaturus veniat; cùm autem vitæ suæ defendendæ jus sit cuique datum, iniquo etiam aggressore occiso, cùm aliter vita redimi non posset, dummodo justæ defensionis jura omnia serventur intacta; meritò inde reputatur concessa singulis facultas occidendi nocturoum furem, qui non immeritò credi potest vim in oos ipsos illaturus. Dogmata suot hæc veteris juris, omnibus æquè homioibus communis, quo singulis licet illatæ sibi injuriæ ultionem persequi, antequam populi uno assensu jus illud suum Principibus traderent, ac Magistratibus. In hisce rerum eventibus Leges quodammodò privatis arma restituunt in eorum perniciem, qui noctis favore ipsos aggrediantur; tunc enim fures non privati inimici, sed hostes publicæ securitatis sunt: quo sensu meritò reputarentur insootes illi viri hominem interimentes non privatâ, sed legitimâ Magistratuum & legum, penès quos divini juris in

vitam

[a] *Vide Selden. de jure nat. & gent. l. 7, c. 6.* (b) *Vide & Prov.* XXIX, 24; *&* VI, 30, 31.
(c) *Genes.* XXXI, 32. [d] *Matt.* XVIII, 25. [e] *Theodoret. q. 50 in Exod.* (f) *D. Thom. Est. Menoch. Tir. &c.* (g) *Apud Lyran.* (h) *Menoch.* (i) *Grot. de jure belli & pacis lib.* 2, *c.* 20, *art.* 35. (k) אם במחתרת ימצא [l] *Jonathan.* (m) *Ita Tyr. Oleast. &c. Vide & ad Jerem.* 25, 34.

℣. 3. Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur. Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipse venumdabitur.

℣. 4. Si inventum fuerit apud eum, quod furatus est, vivens, sive bos, sive asinus, sive ovis; duplum restituet.

COMMENTARIUS.

vitam hominum servatur depositum, authoritate.

Tolerat Ecclesia homicidii genus illud; ac plores suppetunt, quà Scholastici, quà Interpretes, qui doceant, citra crimen licere singulis occidere sive furem, sive alium quemcumque, qui auferendæ nobis vitæ consilio nos aggreditur, cùm evadendi nulla superest via. Sed optimè S. Augustinus (n): *Legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, sed quomodo istos, qui interficiunt, defendam, non invenio.* Et quidem nulla suppetit ratio purgandi a crimine hominis, qui alterum occidit servandarum rerum gratiâ, quas temnendas religio monet. Etiam atque etiam suadet Evangelium, ut mala toleremus; docentque Patres (o), nemini unquam privatâ authoritate licere quempiam interficere. Necem liberâ voluntate inductam generatim omnem, nihil excipientes, damnant. Et quidem ut liber a crimine homicida, furem nocturnum interficiens, censeatur, oportet I, ita necem inferat, ut alieno sit animo sive ab odio in virum, sive ab ultione suâ urgendâ: II, Ut vehemens sit suspicio, furem illum malo consilio necem inferendi venisse: III, Ut re ipsâ discrimen subeat amittendi vitam, & intra limites justæ defensionis sese contineat. Si vel unum ex his desit, abesse a crimine homicidium nequaquam judicamus.

Nocturnum furem insequi, & occidere permittebant Leges Atheniensium (p). Idem & Romanis permissum a Lege duodecim Tabularum, præcipiente tamen prius, ut clamoribus fur ipse de discrimine præmoneatur. Interdiù furantem interficere nefas, nisi fur ipse armis sese defenderit; quin neque tum etiam, nisi priùs sublato clamore, quo palam reveletur: *Si nox furtum faxit, & im aliquis occisit, jure cæsus esto.* Lege *Furem* in Legem Corneliam, vetitum erat perimere nocturnos fures, *nisi mortis periculum inferant*, idest, nisi fures ipsi armis aggrediantur, seque armis defendant.

℣. 3. QUOD SI ORTO SOLE HOC FECERIT, HOMICIDIUM PERPETRAVIT. ET IPSE MORIETUR. Chaldæus. *Si oculus testium fuerit super eum, sanguinis reus erit percussor*, ex quo infert Maimonides, furem, noctu licèt subeuntem, nocturnum tamen non haberi, nisi venerit occultus. Nefas autem habebatur diurnum furem occidere, tunc siquidem nec vita nec bona veniunt in discrimen; facilè enim defendendo se poterat quisque ex ejus aggressionibus vitam suam tutari, facilè ablatas furto res suas repetere poterat in judicio. Meritò proinde id homicidium interdicebatur.

HOMICIDIUM PERPETRAVIT, ET IPSE MORIETUR. SI NON HABUERIT QUOD PRO FURTO REDDAT, IPSE VENUMDABITUR. Implexior est Hebræus (q): *Sanguines ei*, Possessor reus erit homicidii. Quid illi timendum? Fur facere non potest, quin sublatas res restituat; atqoe si omnibus careat, quæ pro furto reddat, ipse venumdetur. Hæc pronior est textûs hujus interpretatio. Aliter usurpasse visi sunt Septuaginta (r): *Si autem oriatur super eum sol; reus est: morietur propter hoc* [nempe propter furtum]. *Quòd si non fuerit illi substantia, vendetur pro furto*; idest lege contra illum agi fas erit, ad mortem ejus urgendam, & ad recipiendam rem furto sublatam; si verò reparare damnum non poterit, vivus quidem servabitur, sed in captivitatem redigendus. Syriacus ita: Si orto sole furatus fuerit, & in furto neci traditus fuerit, lege agi licebit adversùs homicidam, contra quem habebitur *actio capitalis*; sed fur reparare damnum cogetur: quòd si nihil habeat, vendatur pro furto suo. Sed quî hæc cohæreant inter se? Interfectus jam homo venumdabitur, ut furtum farciat? Arabs: Si plenâ die hoc fecerit, *non habebit repulsam*, sed furti pretium restituet; si non habuerit quod reddat, ipse venumdabitur &c. Docent Rabbini (s), ita venditum ad servitutem cogi, quoad usum pretium rei ablatæ compensetur, non tamen usque ad reddendum duplo vel triplo majus pretium; qua sanè mulctâ, juxta furti naturam, damnari potuisset. Porrò ea pretii restitutio non priùs implebatur, quàm post furem manumissum.

Hujus legis sanctione olim obtinebat apud Hebræos (t), ut filii obæratorum parentum venderentur. Fœminæ furti reæ hujus legis mulctæ non subdebantur, juxta Hebræos; nefas enim fœminis seu vendere se ipsas seu vendi; nefas insuper illis emere mancipium Hebræum vel Chananæum. Nunquam exponebatur venditioni fur, nisi restituenda pro furto pecunia viri illius pretium excederet; quare si vir centum nummis valeret, pro solvendo furto novem & nonaginta nummorum, non vendebatur. Apage Rabbinica.

℣. 4. SI INVENTUM FUERIT APUD EUM QUOD FURATUS EST. Exceptio hic præscribitur Legi superiùs ℣. 1, sancitæ, quintuplo majore mulctâ damnanti

(o) *Aug. lib. 1 de lib. arbitr. c. 5.* (n) *Cyprian. lib. 1, Ep. 5. Lactant. Divin. Instit. l. 6, c. 20. Cyrill. l. 1 in Joan. c. 12. Aug. Ep. ad Publicolam. Ambros. l. 3, c. 4. Primas. in Epist. ad Rom. c. 12. Basil. Ep. Canon. c. 55. Canones Isaaci Ling. c. 13. Hildebert. Cenom. Ivo Carnot. Ep. 6. Bernard. de præcepto & dispens. c. 7. & plurima Concil. &c.*

(p) *Apud Demosth. oratione contra Timocrat.* Εἴ τις νύκτωρ ὁτιοῦν κλέπτῃ, τοῦτον ἐξεῖναι, καὶ ἀποκτεῖναι, καὶ τρῶσαι διώκοντα, *Ita & Plato l. 9 de legibus.* Νύκτωρ φῶρα εἰς οἰκίαν εἰσιόντα ἐπὶ κλοπῇ χρημάτων, ἐὰν ἑλὼν κτείνῃ τις, καθαρὸς ἔστω. (q) דמים לו שלם ישלם אם אין לו ונמכר בגנבתו

(r) Ἐὰν δὲ ὁ ἥλιος ἀνατείλῃ ἐπ' αὐτῷ, ἔνοχός ἐστιν ἀνταποθανεῖται. ἐὰν δὲ μὴ ὑπάρχῃ αὐτῷ, πραθήτω ἀντὶ τοῦ κλέμματος. (s) *Apud Seld. l. 6, c. 7, de jure nat. & gent.* (t) *Vide 4 Reg. IV, 1.*

℣. 5. Si læserit quispiam agrum vel vineam, & dimiserit jumentum suum, ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vineâ, pro damni æstimatione restituet.

℣. 6. Si egressus ignis invenerit spinas, & comprehenderit acervos frugum, sive stantes segetes in agris; reddet damnum, qui ignem succenderit.

℣. 7. Si quis commendaverit amico pecuniam, aut vas in custodiam, & ab eo, qui susceperat, furto ablata fuerint: si invenitur fur, duplum reddet.

℣. 8. Si latet fur, dominus domûs applicabitur ad deos, & jurabit, quòd non extenderit manum in rem proximi sui.

℣. 9. Ad perpetrandam fraudem, tam in bove, quàm in asino, & ove, ac vestimento, & quidquid damnum inferre potest: ad deos utriusque causa perveniet; & si illi judicaverint, duplum restituet proximo suo.

COMMENTARIUS.

damnanti furem bovis, ovis verò quadruplo. Damnat enim hìc Moysem furem, apud quem, sive in cujus manibus furto sublatum animal inventum fuerit, damnat, inquam dupli pretio, sive ad duplum restituendum. Commodè etiam redderetur Hebræus (u): *Si inventum fuerit apud eum furtum &c. reddet duos vivos* pro uno quod surripuit. In eamdem sententiam explicari possunt Septuaginta (x); explicatosque a nonnullis Interpretibus constat [y]. Samaritanus post illud, *sive ovis*, addit: *Usque ad omnem bestiam viventem.*

℣. 5. QUIDQUID OPTIMUM HABUERIT, &c. Sensum Textûs optimè expressit Vulgata; at Septuaginta (z) & Textus Samaritanus paulò aliter legerunt: *Si depasci quis fecerit agrum aut vineam, & miserit jumentum suum, & pauperiem fecerit in agro alieno, reddendo reddet de agro suo, secundùm proventum ejus* [agri] *quem damno affecerit*; pro æstimatione autem ejus damni *optima quæque agri sui & optima vineæ suæ* reddet. Mitiùs hìc Moyses; duriùs Lex duodecim Tabularum; *Qui frugem aratro quæsitam pavit secuitve; pubes* (idest, si pubertatis attigerit annum) *Cereri sacrator; impubes, Prætoris arbitratu verberator, noxamque duplionem præstato.*

℣. 6. SI EGRESSUS IGNIS INVENERIT SPINAS. *Spicas* habent exemplaria plura Latina; sed *spinas* legunt Hebræus קֹצִים & Septuaginta, ἀκάνθας. Si quis ignem injecerit in sepes, ac flamma paulatim serpens depaverit manipulos in areâ sub dio paratos, vel non adhuc messas segetes, damni author læsum reddet indemnem.

℣. 7. SI QUIS COMMENDAVERIT AMICO PECUNIAM. Pecuniæ, argenti, & vasis nomen de re quacumque custodiæ alterius committendâ usurpatur, auro, argento, gemmis, utensilibus, vestibus &c. Statuit Lex, ut, si deposita apud alterum res furto subducatur, fur ipse, siquidem inventus fuerit, duplo restituat. Non satis constat sive ex Hebræo (a) sive ex Vulgatâ, an præscripta sint hæc de furto, cujus author idem fuerit, qui rem habet apud se depositam, sive ex ejus familiâ aliquis; an potius cùm ex ejus domo a tertio quocumque subducta sit: quod posterius malunt Syriacus, Arabs, Septuaginta (b), & multò credibilius est. Si ergo fur deprehendatur, duplum solvat: si frustra conatus omnes ceciderint, conventus coram Judicibus depositi illius custos, si jurejurando sese purgaverit, insons esto.

℣. 8. DOMINUS DOMUS APPLICABITUR AD DEOS, ad Judices scilicet, uti explicant Chaldæus, Syriacus, Arabs, & Interpretum plerique. Septuaginta: Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *coram Deo*. Hebræus, *Elohim* [c], quod significare Deum, Deos, Judices, Principes, satis alibi animadversum. Ejusmodi causas deferri ad Tribunal trium Judicum, docent Rabbini.

℣. 9. AD PERPETRANDAM FRAUDEM TAM IN BOVEM, &c. Hebræus (d): *Super omni re, in qua prævaricari potest, super bove, asino, ove, veste, super omni amissione, de qua quis dicat, quòd illud est hoc* (idest quodcumque in manu alterius agnitum ad nos pertinere affirmaremus). *Ambo* (accusator nempe & accusatus) *venient ad Judices*; seù potiùs: *super omni amissione, de qua dici potest quòd ille reus est.* Idest: Si testes in judicio probent, violati depositi reum esse hominem, & qui crimen detulit ad Judicem, rem comprobaverit, depositi illius violator dupli mulctâ damnabitur. Præscribit hìc generatim Moyses quæ servandæ sunt leges in judiciis de dolo malo in depositis. Ita etiam redditur Hebræus: In omnibus disceptationibus inter depositi custodem & dominum, accusante domino, pro re deposita aliam minoris pretii substitutam esse, custode verò certante pro æquo rei valore; res ad Judices deferenda est, & uter damnabitur, ille duplum solvet: qui nempe depositum servabat, depositum restituet duplo, quòd scilicet fraudare voluerit alterum eâ re, quam ille

(u) אם המצא תמצא בידו הגנבה ... חיים שנים ישלם (x) *Septuag:* Ζῶντα διπλᾶ αὐτὰ ἀποτίσει. [y] *Montan. Oleast. Malv. Pisc.* (z) Ἀποτίσει ἐκ τοῦ ἀγροῦ αὐτοῦ κατὰ τὸ γένημα αὐτοῦ.
(a) וגנב מבית האיש (b) Καὶ κλαπῇ ἐκ τῆς οἰκίας τοῦ ἀνθρώπου.
(c) נקרב בעל הבית אל האלהים (d) על כל דבר פשע... אשר יאמר כי הוא זה

℣. 10. Si quis commendaverit proximo suo asinum, bovem, ovem, & omne jumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusque hoc viderit :

℣. 11. Jusjurandum erit in medio, quòd non extenderit manum ad rem proximi sui : suscipietque dominus juramentum, & ille reddere non cogetur.

℣. 12. Quòd si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino.

℣. 13. Si comestum a bestiâ, deferat ad eum quod occisum est, & non restituet.

℣. 14. Qui a proximo suo quidquam horum mutuò postulaverit, & debilitatum, aut mortuum fuerit, domino non præsente, reddere compelletur.

COMMENTARIUS.

ille sibi credidit. Si verò dominus causâ ceciderit, pro illatâ alteri calumniâ duplum restituet ejus, quod sibi ab altero solvendum contendebat. Testes ipsos adigi ad restituendum custodi depositi duplum ejus, quod ab ipso exigebatur, contendit Lyranus. Sermonem hìc esse credit Menochius de amissi depositi inventione, cùm tamen contenderet ejus depositi dominus, rem illam inventam alteram esse, ac quam depositi loco servandam tradiderat.

In re depositi loco alteri commissâ, hæc servanda constituunt Leges Romanorum (e): *Cùm quis fidem elegit, nec depositum redditur* [cùm scilicet quis nullâ coactus publicâ vel privatâ calamitate fidei alterius rem committit] *contentus esse debet simplo; cùm verò extante necessitate deponat, crescit perfidiæ crimen &c.* duplo itaque damnatur.

℣. 10. Si quis commenoaverit proximo suo asinum. In præcedentibus versiculis actum est de mero deposito: modò de alterius generis deposito agendum est, cùm scilicet pecus alteri commodatur ad certum tempus, unà cum fœnore constituto reddendum; vel cùm pecus idem vel jumentum pascendum vel custodiendum alteri traditur. In hisce rerum eventibus si citra culpam custodis res periefit, insons erat custos: ita a reparando damno immunis erat, cùm superiori aliquâ vi pecus raperetur, utì hostium incursione; sive cùm fortuito casu absumeretur, utì lapsu aliquo vel naturali morte, quod scilicet discrimen nullâ cautione evitaretur. Tunc jurato custodi, seu depositario, salva erant omnia. Judæorum Doctores, & Romanorum Jurisconsulti exceptionem hìc aliquam constituunt [f], nimirùm nunquam ad reparatiooem damni adigi posse hunc depositarium, nisi priùs re sibi creditâ usus fuerit. Sed quis prohibet, ne prono & naturali sensu hæc lex accipiatur, de animalibus custodiæ alterius commissis, quæ si fortè citra custodis crimen perierint, nullum ille discrimen patiatur? Pro *debilitatum* reddi posset Hebræum נשבר *confractum*. Septuaginta: Συντριβῇ, *Si contritum fuerit* aliquod membrum. Confer versiculum proximè succedentem.

℣. 12. Quod si furtum ablatum fuerit, restituat damnum Domino. Si ageretur tantùm de merâ custodiâ rei alterius, durum utique videretur custodem adigere, ut de damoo responderet; ea enim pœna inferre videtur, ut quidquid alteri custodiendum committitur, vel locatur alteri, ejus manibus ita commissum sit, ut integrum incolumeque servetur, cogaturque ille de ejus eventu respondere. Credunt alii, genus hoc depositi aliquid utilitatis depositario attulisse, saltem pro servato vel custodito deposito; fieri inde, ut lex reparare damnum cogat, si furto res illa subducatur.

Hebræum אם טרף יטרף ita reddunt nonnulli: Si commodatum animal a custode raptum fuerit; vel ex Menochio, si conscio rei custode furtum patratum est, eoque non repugnante, tunc ille damni reus habeatur. Fidem huic explicationi addit, quòd hic Textus oppositus statuendus sit versibus 7, 8, in quibus depositarius a damnorum reparatione eximitur, si furem detegere non valuerit, nihilque de furto noverit. Negligentia hìc aliqua intelligitur in depositi custode, cujus manibus res commissa periit.

℣. 13. Si comestum a bestiâ. Hebræus ita commodè redderetur: *Si laceratum fuerit, confractumque a ferâ, adducet testem rem ipsam raptam, & non reddet*. Septuaginta (g) habent: *Dncet illum ad locum, ubi res rapta est, & non reddet*. Hebræus ad literam: *Testis illud afferet: raptum est; non restituet*; vel (h) *Producet testes*, animal raptum esse, vel devoratum, a bellua, & *non restituet*: dummodò, ait R. Salomon, impar fuerit ille, ut sine discrimine magno belluæ sese opponeret; vel in locis suspectis, inscio nec assentiente domino, pecus illud non constituerit. Syriacus & Arabs ferunt, membrum aliquod vorati animalis ad dominum deferendum, indicium veritatis.

℣. 14. Qui a proximo suo quidquam horum mutuo postulaverit. Legunt Septuaginta (i): *Si contritum aut mortuum fuerit, aut captivum factum fuerit*. Sermo hìc tantùm de re commodatâ. Cui itaque res commodatur, re illâ in manibus ejus pereunte, indemnem constituat Dominum. Excipe tantùm, si res perierit coram domino; tunc enim, cùm fraudis aliquid suspicari nonnisi per summam injuriam possit, iniquè prorsus

(e) *Digest. L. 16, tit. 3. Leg. 1.*
(f) *Grotius in hunc locum.* (g) Ἄξει αὐτὸν ἐπὶ τὴν θήραν. *Alii vertunt:* ἐπὶ τὴν θύραν, *Edit. Complut. & Briling. &c.* (h) יבאהו עד הטרפה (i) Ἢ συντριβῇ, ἢ ἀποθάνῃ, ἢ αἰχμάλωτον γένηται.

℣. 15. Quòd si in præsentiarum dominus fuerit, non restituet; maxime si conductum venerat pro mercede operis sui.
℣. 16. Si seduxerit quis virginem necdum desponsatam, dormieritque cum eâ: dotabit eam, & habebit eam uxorem.
℣. 17. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.
℣. 18. Maleficos non patieris vivere.

COMMENTARIUS.

prorsus respondere cogeretur pro damno, quod ipse evitare non potuit; si verò, cùm res casu periit, aberat Dominus, meritò utique cogendus videtur ille, cui commodatò res traditur, damni incommodum omne subeat; ipse enim solus commodum sentit rei sibi traditæ, cujus usu Dominus se privat gratuito erga illum beneficio. Vix reputaretur negligentiæ crimen omne ab eo, qui rem apud se tenet, abfuisse; minori enim curâ rem illam servasse præsumitur, quàm Dominus, si apud se retinuisset. Tandem hæc lex vigiles excitat curas eorum, qui ab altero rem habent commodatam, excitat & commodandi voluntatem; illos enim stimulat metus restituendi rem amissam; hos verò certe securitas recipiendi sua. Notat Maimonides, rem alterius, si fortè quis commodatò se recepisse negaverit, & res illa perierit, jurejurando illum cogi posse, si vel unus adsit in illum testis: sed si pervicaciùs in negatione persistat, absolutum remitti. Si portionem aliquam rei fatetor, negat alteram, portionem, de qua convenit, reddere cogitur.

℣. 15. Quod si in præsentiarum Dominus fuerit, non restituet, maxime si conductum venerat. Qui rem alterius tantùm commodatò receperat, & potiori jure qui animal quodcumque conduxerat, certo pretio condicto, restituere non tenebatur, si fortè animal illud apud se periisset, præsente Domino. Plana sunt hæc in sensu Vulgatæ; sed in Septuaginte aliter explicari posse videntur, si eum præcedenti versiculo hic Textus continuetur (k): *Si* (animal) *mortuum fuerit, dominus autem non fuerit cum eo, reddet.* (℣. 15.) *Si autem dominus fuerit cum eo, non reddet. Si autem mercenarius fuerit; erit ei pro mercede ejus*; idest, si pretio accepto animal emissum commodaverit, damnum ipsi cedet, quòd mercedem receperit. Tres hic eventus distinguit Moyses: I, Si absente Domino res perierit; quod si contingat, damnum reparandum est; II, Eo præsente, salva sunt alteri omnia; III tandem, si res certo pretio condocta fuerit, tunc sive absente sive præsente Domino, nihil restituendum, nisi pretium ex pacto. *Si conductor ipse*, ait Hebræus (l), *venit in mercede suâ*, vel *illius*. Si alteri animal locat, locationis pretio soluto nihil ulteriùs requirendum superest; nisi fortè tamen animal illud nimio labore vexatum fuerit (m).

Alteram explicationem vindicat Grotius, quam Hebræo magis consonam arbitretur: *Si mercenarius ipse, veniet propter mercedem suam.* Si custodiendum suscipit pecus, certâ pro opere suo mercede; de ejus casu respondebit, absente vel præsente Domino, quòd scilicet mercedem ideircò acceepit. Aliter etiam reddit Syriacua: *Si mercenarius fuerit, mulctabitur in mercede suâ*; idest, mercede ejus retentâ, damnum compensabitur.

℣. 16. Si seduxerit quis virginem, dotabit eam, et habebit eam uxorem. Septuaginta (n): *Dotabit eam sibi uxorem*, pro veteri scilicet more, quo maritus dotem sponsæ constituebat. Censet Lyranus, dotem fuisse constitutam pro puellâ, qua quis fuisset abusus; sed malunt alii, virum tantam illi dotem debuisse, quantam ejus conditio requireret. Lex quædam in Deuteronomio xxii, 29, sancita legitur de puellis, quibus vis infertur; lex etiam in Levitico xxi, 9, pro filiabus Sacerdotum, quæ sibi vitium inferri sinunt. Hebræum ita reddunt nonnulli (o): *Festinando festinabit sibi in uxorem*; quantocyùs scilicet illam ducet. Plerique tamen (p), Septuaginta & Vulgatam secuti, reddunt hic *Mabar dotare*. Onkelos: *Desponsabit sibi uxorem*. Affirmat Josephus (q), virum, si recusaret puellæ ipsius nuptias, in dotem illi debuisse quinquaginta siclos.

℣. 17. Si pater Virginis dare noluerit, reddet pecuniam. In Deuteronomio xxii, 29, dos filiæ assignetur L siclorum argenti; agit ibi tamen Moyses de puellâ violatâ, hic autem sermo est de puellâ tantùm seductâ. Quæ tamen in Deuteronomio præscribitur lex, veluti generalis sanctio habetur; nihilominùs vero proximè arbitrarentur, non ita certam illam dotem fuisse constitutam, ut pro merito, qualitate, cæterisque puellæ conditionibus augeri non posset: minor L siclis nunquam erat; quæ sanè pecunia, sive genus erat mulctæ, in patris ejusdem puellæ usum solvendæ, sive pro vestibus puellæ pretium. Docent Rabbini (r), Legis hujus sanctione decretum fuisse, ut nunquam dos, quamvis pro filiâ Regis assignaretur, supra quinquaginta siclos cresceret; quamquam, inquiunt, in Judicum potestate erat, ut violatores illi aliis pœnis damnarentur.

℣. 18. Maleficos non patieris vivere. Hebræum מכשפה *Mecascbephah* vox est fœminina, quam alii reddunt *Præstigiatricem*. Cùm fœminarum ingenium in ejusmodi artes pronius, quàm virorum sit, in maleficia scilicet, sortilegia, excantationes, futurorum eventuum atque latentium rerum divinationes, Præstigiatricum nomine Moy-

(k) Ἐὰν δὲ μισθωτὸς ᾖ, ἔσται αὐτῷ ἀντὶ τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ. (l) אם שכיר הוא בא בשכרו
(m) *Arab.* (n) Φερνῇ φερνιεῖ αὐτὴν αὐτῷ γυναῖκα. (o) מהר ימהרנה לו לאשה
(p) *Targum Jerosol. & Uzielidis, Saadias Gaon, & Arabs Erpen.* (q) *Antiq. l. 4, c. 8.* (r) *Rab. Zira in Gemar. Babyl. ad tit. Cetuboth, c. 3.*

℣. 19. Qui coïerit cum jumento, morte moriatur.

℣. 20. Qui immolat diis, occidetur, præterquam Domino soli.

℣. 21. Advenam non contristabis, neque affliges eum: advenæ enim & ipsi fuistis in terrâ Ægypti.

℣. 22. Viduæ, & pupillo non nocebitis.

℣. 23. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum.

℣. 24. Et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores vestræ viduæ, & filii vestri pupilli.

℣. 25. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.

COMMENTARIUS.

ses perniciosos omnes artium ejusmodi professores damnavit. Capitale supplicium in illos decernunt leges, utpote reos perduellionis adversùs Deum, & pestis perniciosissimæ in Rempublicam.

℣. 19. QUI COIERIT CUM JUMENTO, MORTE MORIATUR. Vide Leviticum XX, 15, 16.

℣. 20. QUI IMMOLAT DIIS, OCCIDETUR. Hebræus: יחרם *Subjicietur anathemati*. Septuaginta Ἐξολοθρευθήσεται, *eradicabitur*. Anathematis pœna inferebat gladii supplicium; ad hæc, igne absumebantur, vel publicabantur, quæcumque sontus fuissent (*s*). Ita devotæ interdum anathemati Familiæ, Urbes, & gentes integræ, uti de Amalecitis Deus præcepit (*t*).

℣. 21. ADVENAM NON CONTRISTABIS. Chaldæus: *Non opprimes vi nec dolo*. Advena גר hic usurpatur pro alienigenis, vel iter facientibus, vel sedem habentibus in regione & inter Hebræos. Legis hujus necessitatem æquè demonstrant & publicæ utilitatis commodum & religio. Olim apud Celtas multò gravior sumebatur pœna pro nece advenæ, quam civis; illud enim crimen morte, hoc verò exilio mulctabant (*u*).

℣. 22. VIDUÆ ET PUPILLO NON NOCEBIS. Adversùs viduæ & orphani oppressores nihil gravius decernit Deus; sibi enim judici eorum, & patrono totam criminis ultionem reservat. Minæ & invectivæ adversus iniquos istos oppressores viduarum, & orphanorum nunquam non se offerunt in Scripturâ. Tam altè sauciatur Deus pro injuriâ illis illatâ, ut ejus causæ cognitionem ne Judicibus quidem permittat, sibi rem totam sumit.

℣. 25. SI PECUNIAM MUTUAM DEDERIS POPULO MEO PAUPERI, NON USURIS OPPRIMES. Usura est, e pecuniâ creditâ aliquid sive argenti sive alicujus rei pretio æstimabilis, re ipsâ creditâ salvâ remanente, recipere. Vetus Novumque Testamentum, leges civiles æquè & canonicæ, Authores sacri pariter & profani suffragio suo fœnus damnant ceu vetitum naturali jure charitati, ac optimæ politiæ repugnans. Validissimum adversus illud argumentum ex eo ducitur, quòd furti meri genus est, rei alienæ planè & ad nos non attinentis usurpatio; cùm enim alteri res creditur pretio æstimabilis, in ipsum pariter rei illius jus & dominium transfertur; & cùm pleromque mutuò credi soleant res usu absumendæ, quorum proinde usus a re ipsâ, qua utimur, non distinguatur, fit, ut, cùm præter rem creditam aliquid exigitur, seu bis res ipsâ, sive usus rei a re ipsâ distinctus vendatur: quod nec fieri posse constat, nec nisi planè repugnans aliquid in legem mutui invehere.

Discrimen hoc sæpiùs inculcat Moyses in suis legibus. Vetat hic agi exactoris supercilio, vetat usuris opprimi illos, quos pecuniam ab alio mutuò quærere cogit necessitas. In Levitico (*x*) vetitum aliquid recipere ultra rem creditam; cautumque ne quis fœneretur pauperi pecuniam, fructus, triticum, eâ conditione, ut aliquid ulteriùs exigatur. Tandem in Deuteronomio (*y*) sancitur: *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno*. Fœnoris crimen damnat Christus (*z*): *Mutuum date, nihil inde sperantes*. Frustra hic testimonia Patrum, fœnus damnantium, congereremus. Non secus ac luem Reipublicæ, illud detestantur Pagani. In fœnore pecunia pecuniam parit, ait Aristoteles (*a*); quare id lucri genus maximè omnium naturæ repugnat. Nec mitiùs in illud Seneca (*b*): *Quid fœnus, & calendarium, & usura, nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina?* Illud Catonis in eam rem celebre est: *Quid est fœnerari? hominem occidere*. Observat Cato (*c*), veterum Romanorum moribus *furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quantò pejorem civem existimarint fœneratorem, quàm furem, hinc licet existimari*.

Sunt qui in ipsis verbis Legis exceptionem quamdam se deprehendisse credant, rati, fœnus non ita semper damnari, ut nunquam a crimine distingui valeat. Et quidem, inquiunt illi, Deus (*d*) fœnerari alieno sinit; patiuntur id etiam leges civiles (*e*), cum præscriptis ibi cautionibus. Non desunt viri docti (*f*), qui certent, non vetari in Evangelio fœnus, veluti rem iniquam

(*s*) *Jonathan*. (*t*) 1 *Reg*. XV, 3. [*u*] *Nicol. Damasc. in Cathol. hist. de Celtis*. (*x*) *Levit*. XXV, 37: *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, & superabundantiam non exiges*. (*y*) *Deut*. XXIII. 19. 20. (*z*) *Luc*. VI, 34, 35. (*a*) *Arist. l.* 1 *Polit. c.* X. (*b*) *Lib.* 7 *de benefic. c.* 10. (*c*) *Cato de re rusticâ in proœm.* (*d*) *Deut*. XXIII, 19, 20. (*e*) *Justinian. Imper.* (*f*) *Carol. Molin. tract. de contract. usurar. Item Calvinus, Amesius, Rivetus, Spanhemius, Dub. Evang.* 127. *Salmas. lib. de usur. & lib. de modo usurar. & Grot. de jure belli & pacis, l.* 2, *c.* 12, *art.* 20.

Digitized by Google

℣. 26. Si pignus a proximo tuo acceperis vestimentum, ante solis occasum reddes ei.

COMMENTARIUS.

iniquam, & nunquam ab injustitiâ discretam, sed tantum veluti rem charitati planè repugnantem; ac proinde fœnerari impium quidem esse aliquid & illicitum, non verò injustum. Eò etiam devenerunt quidam, ut affirmarent, fœnus leve tantùm abesse a charitatis læsione, ut potius proximorum necessitates levet.

Sed non difficili operâ hæc omnia, quibus infelici conatu excusare nituntur viri illi rem aperto Dei præcepto vetitam, retundimus. Si Deus in Judæis tulerat fœnora ex alienigenis populis quæsita, quorum erat genus anathemati devotum, quibuscum nec pacem nec fœdus componere licebat Israëlitis; quis inde rectè inferat, fœnus a fratribus suis exigere datum esse Christianis? Nonne plura indulget Deus duris corde Judæis, quæ reprobat in Evangelio? Quis audeat hominem aliquem sibi extraneum dicere, postquam Jesus Christus fraterno nos vinculo alligatos esse invicem pronunciavit (g)? postquam communem omnes Patrem habemus Cœlestem, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos (h)? *Ab hoc usuram exige*, ait S. Ambrosius (i), *quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui usuram flagitat.* S. Augustinus (k): *Quid dicam de usuris, quas etiam leges & Judices reddi jubent? An crudelior est, qui subtrahit aliquid, vel eripit diviti, quàm qui trucidat pauperem fœnore? Hæc atque ejusmodi malè utique possidentur, & vellem restituerentur; sed non est quo judice repetantur.* Non audet quidem S. Augustinus apertis verbis pronunciare ut restituantur, quæ restituere quis religione tenetur; sed Nehemias [l] Hebræos cogit restituere fratribus, quod injustè exegerunt.

Quæ illorum sententia ab injustitiâ & crimine fœnus excusat, damnatumque negat a Filio Dei, sed tantùm moneri ab illo homines dicit, ut citra fœnus res suas mutuas dent; quæ, inquam, illorum est sententia, contrariam habet traditionem Patrum & Conciliorum, perinde habentium fœnus ac crimen, & verba illa Jesu Christi præceptum reputantium. S. Basilius (m), S. Gregorius Nyssenus (n), S. Chrysostomus (o), S. Ambrosius [p], S. Hieronymus (q), S. Augustinus (r), S. Leo (s), Concilium Eliberitanum (t), Lateranense III, & Viennense, &c. hanc sententiam confirmant. Profectò ejusmodi authoritatum majus est pondus, quàm rationum eorum, qui ajunt, leges Principum & obæratorum, si quæ sunt in levi ac modesto fœnore, commoda satis habere justitiæ, ut ab omni exemptum crimine fœnus admittant. Addunt, amoto hoc fœnorum commodo, pauperes jacere oppressos atque destitutos. An ergo locupletum sævities Evangelii leges labefactabit? Quæ major crudelitas, quàm ex angustiis fratrum nostrorum res nostras augere? Obtemperent Legibus charitatis Locupletes; atque largitionibus in pauperes ditissimos sibi in Cœlo thesauros comparabunt. *Qui pecunias amat*, ait S. Leo (u), *& multiplicare opes suas immodicis optat augmentis, hoc potiùs sanctum fœnus exerceat, & hac usurarum arte ditescat, ut non hominum laborantium captet necessitates .... sed illius sit creditor, illius fœnerator, qui dicit: Date, & dabitur vobis.*

Duo fœnorum genera distinguunt Rabbini (x), *Fœnus certum*, & *pulverem fœnoris*. Prius illud est pretium in ipso mutui contractu constitutum. Pulverem fœnoris appellant palliatum illud & latens fœnus, quo præter repensam pecuniam aliquid exigitur. Nulla corporalis pœna sumebatur de fœneratoribus, sed Judicum sententiâ ad restitutionem cogebantur; quin & ab illâ absolvebantur hæredes, dummodo fœnerator dolore criminis sui tactus obiret: quamquam tunc etiam, siquid reliquum erat ex fœnore sive in utensilibus, sive in animalibus, res illæ statim restituendæ erant, non verò pecunia.

Docebant Talmudistæ (y), vetitum quidem Hebræis mutuò fœnerari; cum alienigenis verò rem esse per se innoxiam. Quin & Rabbinorum nonnulli volunt (z), Deuteronomii illud, *Non fœnerabis fratri tuo ad usuram, sed alieno*, duo referre ejusdem obligationis præcepta, ut æquè imperetur Judæis, ne unquam mutuò aliquid tradant Pagano, nisi cum fœnore; ac sine fœnore semper mutuò tradant fratribus. Vicissim tamen alii defendunt, non imperari quidem, sed permitti tantùm Hebræis, ut fœnerentur Paganis; interdixerunt quin etiam fœnora illa cum Paganis, ne fœnerandi consuetudine obtineret tandem, ut erga fratres suos ab eo lucri genere non abstinerent. Est hoc a Sapientibus illorum constitutum, revocans quidquid Deus Judæis permiserat. Sixtus Medices in libro *de fœnore Judæorum* refert, sub Philippo Archinto Romæ Vicario juratos declarasse Judæos, vetita sibi fœnora in alienigenas perinde ac in fratres.

Hebræi illud לא תהיה לו כנשה *Lo tihieh lo cenoscheh*, quod Vulgata reddit: *Non urgebis eum quasi exactor*; vertunt Septuaginta: Οὐκ ἔσῃ αὐτὸν κατεπείγων, *Non eris urgens eum*, seu non opprimes. S. Ambrosius: *Non eris ipsum suffocans*, καταπνίγων. Textus Samaritanus habet כנשיא, *Kenasi*, *Sicut Princeps*; obæratum tibi hominem domini supercilio non respicies. Syriacus: *Non eris ei tamquam dominus debiti.*

℣. 26. SI PIGNUS A PROXIMO TUO ACCEPERIS VESTIMENTUM, ANTE SOLIS OCCASUM REDDES EI. Ponit ea Lex, vestem oppignoratam Domino suo non superfluere (a). Jubet autem Moyses reddi ante Solis occasum, ut veluti stragulo membra foveat

(g) *Matth.* XXIII, 8. (h) *Matth.* XXIII, 45. (i) *Ambr. l. de Tobia*, c. 15. (k) *Aug. Ep.* 151, n. 25, p. 534. (l) 2 *Esdr.* V, 11: *Reddite eis hodie agros suos & vineas suas, & oliveta sua, & domos suas: quin potiùs & centesimam pecuniæ, frumenti, vini, & olei, quam exigere soletis ab eis, date pro illis.* Vide Commentarium. (m) *Basil. in Psal.* CXIV. (n) *Ep. ad Letojum*, *& orat. contra usur.* (o) *Homil.* 57 *in Matth.* (p) *De Tobia*, c. 3. (q) *in Cap.* 18 *Ezech.* (r) *Serm.* 3 *in Psal.* XXXVI; *& in Psalm.* CXXVIII. (s) *Serm.* 16, *& Epist.* 3. (t) *Can.* 20, *&c.* [u] *Serm. de jejun.* 10 *mensis.* (x) *Apud Selden. l.* 5, *c.* 9 *de jure nat. & gent.* [y] *Selden. l.* 5, *c.* 10, *de jure nat.* (z) *Ita Maimonides expressè, & alii.* (a) *Oleast. Ainsw.*

℣. 27. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat: si clamaverit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum.

℣. 28. Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.

℣. 29. Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi.

℣. 30. De bobus quoque, & ovibus similiter facies: septem diebus sit cum matre suâ, die octavâ reddes illum mihi.

COMMENTARIUS.

veat, sopori per noctem conciliando.

Narrat Bellonius (b), Ægyptios & Arabes commodum sibi ducere humi quacumque anni tempestate quiescere, amotis lectulis, contenti culcitræ loco uti vestibus, & stramenti genus omne suppeditante textili aliquo ex juncis, seu foliis palmarum. Habent persuasum, lecti usum incommodum sibi futurum. Constat tamen, Hebræos & lectos & culcitras nosse; & dormivisse facilè nudos (c): at neque inviti persuademur, angustiori censu homines, lectulis carentes, illorum defectum supplevisse, quiescentes super stratas humi storeas, pro stragulis verò usos fuisse vestibus. Facilè etiam vestimenti nomen hìc potiùs usurpatur de culcitris, quàm de vestibus. Censet Tostatos, obæratos illos homines pignus suum manè singulorum dierum referre coactos ad creditoris domum. In Deuteronomio cavet Moyses (d), ne creditor, pignus suum repetens, in domum fratris sui ingrediatur; sed opperiri jubet fratrem illum, ut pignus proferat. Hebræus (e) & Septuaginta (f) habent. *In quo dormiet?* cùm Vulgata eodem sensu exprimat: *Nec habet aliud, in quo dormiat.*

℣. 28. Diis non detrahes. Principibus, Judicibus, Sacerdotibus &c. Judices interpretantur Onkelos, Arabs, Syriacus, Persica Versio, Interpretes Judæi & Christiani. Vetitum eâ lege censet Josephus (g), ne quis obloquatur de Diis alienigenis; assignat autem rationem in suo opere contra Appionem, factum id obsequii causâ nominis Divini, quod Numina illa usurpant. Censet pariter Philo (h) abstinendum a proscindendis per injuriam Diis alienis, ne paria Profani regerant in Deum verum; sive, ut ipse alibi, ne fortè pravâ blasphemandi consuetudine Fideles in Deum ipsum abutantur. Textum exponunt Thalmudistæ de blasphemiâ in Deum (i).

℣. 29. Decimas tuas non tardabis reddere. Hebræus ad literam (k): *Plenitudinem tuam, & lacrymas tuas non tardabis.* Plenitudo sunt primitiæ & decimæ fructuum ac messium, sive pecuniæ pro illis repensæ (l), sive ex ipsis portiones ad Tabernaculum delatæ. *Lacrymarum* nomen usurpatur de liquoribus, uti vino, oleo, e quibus oblatæ primitiæ, æquè ac de optimis & exquisitissimis quibusque. Dictum alii accipiunt de gummi liquoribusque odoratis, ex arbore stillantibus.

En locum illustrem Censorini, *De die natali*, de primitiis Diis offerendis. *Majores nostri, qui alimenta, patriam, lucem, se denique ipsos Deorum dono habebant; ex omnibus aliquid Diis sacrabant, magis adeò, ut se gratos approbarent, quàm quòd Deos arbitrarentur hoc indigere. Itaque cùm perceperant fruges, antequam vescerentur, Diis libare instituerunt: & cùm agros atque Urbes Deorum munere possiderent, partem quamdam Templis Sacellisque, ubi eos colerent, dicavere.* Diis Penatibus oblatæ primitiæ & exquisitissimi ex agro fructus. Horatius libro secundo, Satyrâ octavâ:

- - - - - Dulcia poma
Et quoscumque feret cultus tibi fundus honores,
Ante Larem gustet venerabilior Lare dives.

Non priùs degustatum a Romanis seu vini recèns expressi haustum, sive novorum fructuum aliquid, quàm post oblatas Diis per Sacerdotes primitias, testis est Plinius (m). Uvas, spicas & agnos Diis consecratos, notat Tibullus (n). Ptolemæum Philadelphum Ægypti Regem ex amplissimis latifundiis suis primitias solvisse Deorum Templis, insignibus alius Regiæ munificentiæ donis auctis, habet Theocritus (o). Dirâ illâ fame sub Claudio Imperatore grassante, nihil tamen de oblatione primitiarum remissum esse affirmat Josephus.

℣. 30. De bobus quoque et ovibus similiter facies. Septuaginta: *Sic facies vitulum tuum, & ovem tuam, & subjugale tuum.* Cave *subjugalis* nomine intelligas asinos, quorum primitias offerri negat Deus, sed redimi pecuniâ jubet.

Septem diebus sit cum matre sua, die octava reddes illum mihi. Quòd catulus cum matre suâ ultra septem dies maneret, impediebatur nemo; interdictum tantùm, ne ante eam diem Domino offerretur. Apud Romanos (p) offerre nefas

(b) *L. 2 observ. c. 76, & alibi.* (c) *Cant. v, 3: Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?*
(d) *Deut. xxiv. 10: Cùm repetes a proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi; non ingrederis domum ejus, ut pignus accipias.* (e) במה ישכב (f) Ἐν τίνι κοιμηθήσεται; (g) *Joseph Antiq. l. 4. c. 8, & contra Appion. l. 2. Cyrill. in Joan. l. 12, c. 59.* (h) *Philo, l. 1. de Monarc. & l. 3 de vit. Mos. Origenes l. 8 eâdem ratione confutat Celsum, accusantem Christianos conviciis afficere Numina Profanorum.*
(i) *Talmud. tit. Sanhedrin, c. 7. Jarchi in hunc vers.* (k) מלאתך ודמעך לא תאחר
(l) *Levit. xxvii, 31.* (m) *Plin. l. 18. c. 2.* (n) *Tibull. l. 1. Eleg. 5.* (o) *Idyll. 542.*
(p) *Vide Plin. l. 8, c. 55. Pecoris fœtus die octavo purus est; bovis, trigesimo.*

31. Viri ſancti eritis mihi: carnem, quæ a beſtiis fuerit prægu-
ſtata, non comedetis, ſed projicietis canibus.

COMMENTARIUS.

nefas agnum ante octavum ab ortu diem, & vitulum ante trigeſimum.

℣. 31. CARNEM QUÆ A BESTIIS FUERIT PRÆGUSTATA, NON COMEDETIS. Abſtinendum edicebat Pythagoras diſcipulis ſuis (*q*) a carne animalium morſu tactâ, & a morticino. Syriacus: *Carnem avulſam ex animali vivo ne comedatis*. An venatoriis canibus apprehenſam prædam deguſtari fas eſſet, incertum (*r*).

CAPUT XXIII.

Lex de Judicibus, de Sabbati religione, de tribus potiſſimis per annum Feſtis. Miſſurum ſe Angelum, Iſraëlitas ducentem, Deus pollicetur. Fœdera cum Chananæis vetita; quos etiam internecione deleri jubet.

℣. 1. NOn ſuſcipies vocem mendacii: nec junges manum tuam,
ut pro impio dicas falſum teſtimonium.
℣. 2. Non ſequêris turbam ad faciendum malum, nec in judicio
plurimorum acquieſces ſententiæ, ut a vero devies.

COMMENTARIUS.

℣. 1. NON SUSCIPIES VOCEM MENDACII. Septuaginta: *Non ſuſcipies auditionem vanam*, ἀκοὴν ματαίαν. Quæ Philo ad literam exponens [*a*], Judicis aures puras eſſe jubet a vanis, futilibus, cæteriſque temerè effuſis. In Judiciis verò plus deferendum edicit oculatis, quàm de auditu ex aliorum relatione teſtibus. Suſpicatur, ex Moſaicâ iſtâ expreſſas Legislatorum quorumdam illas (*b*), vetantes de auditu tantùm aliorum relatione teſtes admitti.

Sed commodè Textus exponeretur de ſermonibus calumnioſis, iniquis, & maledicis; *vanum* enim uſurpari pro *impio*, jam obſervavimus. Reddi poſſet Hebræus (*c*): *Non publicabis ſermones mendaces*, bono proximorum nomini detrahentes: *Ne ſis author falſi rumoris* (*d*).

Lege duodecim Tabularum (*e*) capitis reus poſcebatur, qui ſtrophas ſeu carmina in alterum maledica ſcriberet: *Si quis accentaviſſet, ſeu carmen condidiſſet, quod infamiam faceret flagitiumque alteri*. Quam Legem poſteriores deinde Leges ſervaſſe quidem non apparet; ſed Prætoris erat (*f*) inquirere de iis, quæ contra bonum nomen alicujus vulgabantur, auctoreſque punire. Quintilianus: *Maledicus a maleſico niſi occaſione non differt.*

NEC JUNGES MANUM TUAM, UT PRO IMPIO DICAS FALSUM TESTIMONIUM; vel juxta Hebræum [*g*]: *Ne ponas manum tuam cum impio, ad exiſtendum teſtem iniquitatis*. Jungere cum aliquo manum, eſt fœdus cum illo inire; in pactionibus enim eâ ſe cæremoniâ paciſcentes invicem obſtringebant. Quod expreſſerunt Septuaginta (*h*): *Non conſenties cum injuſto*; vel juxta aliam lectionem (*i*): *Non aſſidebitis cum injuſto*. Rabbini ita: *Non junges te cum impio, ut recipias illum in teſtem*. Impii teſtimonium recuſabatur.

℣. 2. NON SEQUERIS TURBAM AD FACIENDUM MALUM. Dicta hæc potiſſimùm videntur ad Judices, quibus edicit Deus, ut caveant, ne ſe trahi a turbâ permittant in malum; ideſt, vetat impetum populi & majorem numerum ſequi, cùm de opprimendo innocente res eſt. Judicis eſt enim tunc veluti murum æneum ſeſe opponere torrenti, & nunquam oculos deflectere a juſtitiâ & veritate.

NEC IN JUDICIO PLURIMORUM ACQUIESCES SENTENTIÆ. Judæorum Doctores Textum hæc ſingulari interpretatione explicant: *Non ſequêris majorem numerum, ad damnandum judicio*. Ut reus abſolveretur, ſatis erat, inquiunt illi, ut numerus eorum, a quibus inſons cenſebatur, uno tan-

tùm

(q) *Apud Laërtium, lib.* 8: Ἀπέχεσθαι βρωτῶν, θνησειδίων τε κρεῶν. (r) *Vide Geneſ.* IX, 4. *Vide & Levit.* XVII, 13. (a) *Philo de Judice.* Παρ' Ἕλλησιν ἔνιοι νομοθετῶν μεταγράψαντες ἐκ τῶν ἱερωτάτων Μωσέως στηλῶν, ὃ διατάξασθαι δοκοῦσι, μὴ μαρτυρεῖν ἀκοήν: ὡς δέον ἃ μὲν εἶδέ τις, πιστὰ κρίνειν, ἃ δ' ἤκουσε, μὴ πάντως βέβαια. (b) *Leges Atticæ apud Demoſth. adverſ. Eubulid.*
(c) לא תשא שמע שוא (d) *Vatab. Oleaſt. Malv. Jun.* (e) *Cicero apud Auguſt. l.* 2 *de Civit. Dei, c.* 9. (f) *Digeſt. l.* 47, *tit.* 10, *L.* 15. (g) אל תשת ידך עם רשע להית עד חמס
(h) Οὐ συγκαταθήσῃ μετὰ τοῦ ἀδίκου. (i) Οὐ συγκαθίσῃ μετ' ἀδίκου γίνεσθαι μάρτυς ἄδικος.

℣. 3. Pauperis quoque non misereberis in judicio.

℣. 4. Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum.

℣. 5. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.

COMMENTARIUS.

tùm suffragio superaret Judices contraria opinantes. Sed damnando homini ad mortem, opus erat ut Judicum damnantium pars duplici suffragio contrariam superaret. Vetat igitur Lex, si Doctores illos audias, ne damnando homini, sequantur Judices vota numeri majoris; idest, ut ea tantùm satis sint ad sententiam pro illo ferendam, quin & immunem declarandum a pœnâ reum, cùm absolventium numerus uno tantùm suffragio damnantes superat. Sed hæc multò subtiliora sunt, quàm nostræ mentis obtutus patiatur. Non agitur hîc in lege de Judicibus, neque de Judiciis, quamquam id visum est veteribus æquè & recentioribus Interpretibus, eo tantùm discrimine, quòd alii vetitum credant a Deo, ne turbæ præjudicia sequamur, cùm sententias ferimus justitiæ legibus repugnantes; alii verò docent, teneri oportere latas a majori Judicum numero sententias, eorumque judicio acquiescendum. Hanc posteriorem interpretationem præferunt Onkelos, Jonathan, Paraphrastes Jerosolymitanus, & Saadias Gaon. Verùm Septuaginta, Vulgata, & Recentiorum plerique dictum accipiunt de agendi ratione privatis hominibus præscriptâ, juxta vim Hebræi ferentis (k): *Non eris post multos ad mala; & non respondebis cum multis, ut declines cum turbâ ad peccandum* (l), idest, ad judicandum contra justitiam (m).

℣. 3. PAUPERIS NON MISEREBARIS IN JUDICIO. Ita etiam redderetur Hebræus (n), uti & Symmachus vertit (o): *Non honorabis pauperem in judicio*. In judiciis nemo respiciendus; ita enim nocet importuna miseratio, ut nimia severitas. Meritò quidem pauperum habenda est ratio, nec unquam committendum, ut innocens ille opprimatur a divite: sed hoc sibi privilegium ille morum probitate debet promereri.

℣. 5. SI VIDERIS ASINUM ODIENTIS TE JACERE SUB ONERE. Textum hunc varii variè reddunt. Hebræus ad literam ita (p): *Cùm videris asinum odientis te cubantem sub onere suo, cessabis dimittere eum? Deserendo deseres eum eo*. Interpres Textûs Samaritani: *Cùm videris asinum ejus qui te odit, succumbentem oneri suo, cave ne deseras eum: auxiliando auxiliaberis ei*; veluti si in Textu legisset עזר *Azar* (q) *succurrere* pro יַעֲזֹב *Asab*, quod est in Hebræo, *derelinquere*. Additâ etiam interrogatione Textus commodè redderetur (r): *Cessabis dimittere?* an ab ope ferendâ te subduces? *Odium pones quod suggerit in corde, at inimicum deseras*. Hunc sensum præfert Chaldæus. *Quando videris asinum odientis te .... ne deseres adjuvare eum: dimittens dimittes odium, quod erat in corde tuo contra eum, & sublevabis eum eo*. Syriacus: *Velles non sublevare eum? sublevando sublevа*. Arabs perspicuè magis & ad literam: *Abstine a derelinquendo illum in eo statu: sed convenit, ut exoneres eum exoneratione*. Septuaginta & Vulgata duplici diverso sensu in eâdem phrasi usurparunt Hebræum *Asab*; in priori enim membro reddiderunt *Pertransibis*; in altero verò, *Sublevabis*; seu facilè legerunt, עבר *Abar*, *pertransire*, pro *Asab*, *derelinquere*, in superiori versiculi parte. Si in Textu substituatur לא (*lo, lamed aleph*) *non*, pro לו (*lo, lamed vau*) *ei*, sensus est pronior: *Cessares derelinquendo? Non deserendo deseres eum*. Reddi etiam posset Hebræus nil immutando: *Abstinebis a deserendo ei* (onus cui succumbit) *relinquendo an relinqueres cum ipso?* (s).

Docent Rabbini, interdictum Israëlitis occidere seu dolo fallere Paganos, quibuscum bellum palàm non detinent; at si fortè in vitæ discrimen inciderint, illos in tuto ponere non licere; quòd, inquiunt, proximi nequaquam habeantur. Deus bone! quanta hæc legis depravatio! Textum illi exponunt de Israëlitâ, quocum exercent inimicitias, non de Pagano (t). Clericus Hebræum ita reddit: *An non vacabis ei? Cum eo vacando vacabis*: opus tuum dimittes, ut illi succurras. Hæc ipsa lex in Deuteronomio xxii, 4 ita exponitur: *Si videris asinum fratris tui .... cecidisse in viâ, non despicies, sed sublevabis cum eo*; vel, juxta Hebræum: *Non te abscondes, sed sublevabis cum eo*. Sunt autem utriusque hujus Textûs voces adeò discrepantes, ut alia ex aliâ sententiâ corrigi nequaquam valeat. Apud Ægyptios (u) lex erat, capitale supplicium indicens homini, qui cùm iter haberet, & incidisset in fures alterum invadentes, vel hominem quemcumque

(k) לא תהיה אחרי רבים לרעת ולא תענה על רב לנטת אחרי רבים להטת

(l) *Vide Selden. de Synedriis*. Atticis moribus ii censebantur absolvi, de quibus paria erant Judicum suffragia. *Euripides in Electrâ*. Ἴσαι δὲ σ' ἐκσώζουσι μὴ θανεῖν δίκῃ Ψῆφοι τεθεῖσαι.
Vide & Scholiastem Bisetum in Ranas Aristophanis, *Act. 2, Scenâ 6. Grot. de jure belli & pacis, l. 2, c. 5. art. 18.* (m) *Septuag.* ὥστε ἐκκλῖναι κρίσιν. *Alias*: ὥστε ἐκκλῖναι κρίσιν.

(n) דל לא תהדר בריבו (o) Οὐ τιμήσεις. *Ita & Pagn. Jun. & Tremel. Oleast. &c.*

(p) כי תראה חמור שנאך רבץ תחת משאו וחדלת מעזב לו עזב תעזב עמו

(q) *Septuag.* Συναρεῖς. *Alius*: Συνεγερεῖς. *Sublevabis, surgere facies.* (r) *Vide Ludovic. de Dieu. Castal. Pagnin.* (s) *Vide Boch. de animal. sacr. tom. 1, lib. 2, c. 40.* (t) *Vide Selden. de jure nat. & gent. lib. 4, c. 3.* (u) *Diod. Sicul. l. 2, c. 3.*

℣. 6. Non declinabis in judicium pauperis.

℣. 7. Mendacium fugies. Insontem, & justum non occîdes: quia aversor impium.

℣. 8. Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum.

℣. 9. Peregrino molestus non eris: scitis enim advenarum animas: quia & ipsi peregrini fuistis in terrâ Ægypti.

℣. 10. Sex annis seminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus.

℣. 11. Anno autem septimo dimittes eam, & requiescere facies, ut comedant pauperes populi tui, & quidquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri: ita facies in vineâ, & in oliveto tuo.

℣. 12. Sex diebus operaberis: septimo die cessabis, ut requiescat bos, & asinus tuus: & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & advena.

COMMENTARIUS.

que discrimine laborantem, neglectum præteriisset.

℣. 6. NON DECLINABIS IN JUDICIUM PAUPERIS. Hebræus (x) & Septuaginta (y): *Non perverterse judicium pauperis in causâ ejus*. Alterum ast hoc præceptum ab illo, de quo ℣. 4. Vetat hic Moyses, ne injustè damnetur pauper, neve immeritò e causâ eum divite excidat. Jus illi suum reddendum, nullo habito hominum discrimine.

℣. 7. MENDACIUM FUGIES. Hebræus: *A mendacii verbo elongabis te*. Septuaginta (z): *Ab omni verbo* (sive ab omni judicio) *injusto recedes*. Plerique ad Judices definiunt. Si insontem esse hominem noveris, cave ne damnes, nec movearis a latis adversùs ipsum testimoniis.

INSONTEM ET JUSTUM NON OCCIDES, QUIA AVERSOR IMPIUM. Hebræus (a): *Quia non justificabo impium*, idest, tanquam reum habebo. Aliter legisse Hebræum visi Septuaginta, ita vertunt [b]: *Non occides justum, & non justificabis impium propter munera*.

℣. 8. NON ACCIPIAS MUNERA, QUÆ ETIAM EXCÆCANT PRUDENTES, ET SUBVERTUNT VERBA JUSTORUM. Septuaginta: *Non accipies munera; excæcant enim oculos videntium, & pervertunt verba justa*. Illud *verba justorum*, æquè redderetur, seu *a justis prolata*, seu *justissima*, & æquissima. Judices etiam optimè animatos avertunt a vero munera. Lege hac damnantur non munera tantùm, sed & officia Judicibus præstita, quibus in sententiam pelliciantur [c]. Monet Philo, *De Judice*, penès Judices esse tantùm administrationem & œconomiam judiciorum, quorum est jus primum & dispoticum penès Deum. Sicut autem iniqui est Oeconomi pro arbitrio de rebus heri decernere; ita pariter nonnisi alieni juris usurpator est Judex, si jura vendat. E Judicibus quidam, pergit idem, religioni sibi ducunt, si iniquam ferant in alium sententiam; sed nullâ absterrentur religione a recipiendis muneribus, sive ut jus reddant, sive pro reddito: qua in re dupliciter insigni crimine peccant; primò, quòd consuetudine munerum recipiendorum animum comparant ad injustitiam denique admittendam; II, Quòd innocentem privent portione commodi sibi proventuri ex optimo, quo potiebatur, jure, & cogant debitam sibi emere justitiam. Atheniensium lege [d] morte damnati quicumque convincerentur corrupisse promissionibus populum, Senatum, Judices; iisdemque sanctionibus (e) mors seu restitutio dupli decreta in Judices, qui corrumpi se permisissent.

℣. 10. SEX ANNIS SEMINABIS TERRAM TUAM (℣. 11.) ANNO AUTEM SEPTIMO DIMITTES EAM, ET REQUIESCERE FACIES. Qua anni tempestate iniret annus Sabbaticus, quæstio inter Scriptores est non levis. Sunt qui ab eodem eum anno Sancto exordio ducant circà vernum æquinoctium; componunt alii cum anno communi, in æquinoctio autumnali. Postremum hoc æquius censemus, quòd Annus Sabbaticus civilia potiùs respiceret quàm sacra, ut alibi fiet planum; & quòd etiam, si a Paschate duceretur idem annus, duorum succedentium annorum messes vacarent; quod incommodum esset regioni; vetitum enim anno Sabbatico & serere & colligere messes (f); colligebantur enim tunc, quæ spontè tantùm produxisset humus, dabaturque omnibus, ut colligerent quidquid ferret ager, nullo servato discrimine, sive dominus esset, sive alienus, sive pauper, sive dives. Itaque si annus Sabbaticus a Paschate iniisset, ejus æstatis messis nulla, quin & succedentis anni æstas messe itidem vacasset; cùm enim terra in Autumno quievisset a semine, quomodo succedenti æstate retulisset messem? Duo ergo messes vacuæ, juxta illud systema fuissent. Sed ducto anno Sabbatico ab Autumno, ab unâ tantùm ejus anni messe cessatum fuisset; cœpisset enim annus ille statim post collectas fruges, clausus fuisset tempore seminis. Qua re absoluto anno Sabbatico, statim ager exerceri potuisset, parari que in messem futuram.

Constituti anni Sabbatici rationes sunt; I, ut

(x) לא תטה משפט אבינך (y) Οὐ διαστρέψεις κρίμα πένητος. (z) Ἀπὸ παντὸς ῥήματος (aliter) κρίματος ἀδίκου ἀποστήσῃ. (a) כי לא אצדיק רשע (b) Καὶ οὐ δικαιώσεις τὸν ἀσεβῆ ἕνεκεν δώρων. [c] *Ita Rabbini.* [d] *Demosthen. advers. Leptinen. & adv. Pantanet.* (e) *Demarchus contra Demosthen.* (f) *Levit. XXV, 5: Quæ spontè gignit humus, non metes; & uvas primitiarum tuarum non colliges.*

℣. 13. Omnia, quæ dixi vobis, custodite. Et per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro.

℣. 14. Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis.

℣. 15. Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi, tempore mensis novorum, quando egressus es de Ægypto: non apparebis in conspectu meo vacuus.

COMMENTARIUS.

pro viribus conservaretur æqualis conditionis & bonorum status in populo, restitutâ eo anno mancipiorum libertate, redditoque singulis jure in res aliorum, tanquam si omnes communes essent fratres. II, ut humanitatis sensus altiùs insinuarentur Israëlitis, addito mandato permittendi, ut terra quiesceret, simulque parato commodo largoque alimento pauperibus, mancipiis, advenis, & brutis. III, Voluit Deus, ut populus assuesceret providentiæ suæ sese submittere, expectareque singulis sextis annis totidem fructus, quot opus essent transigendis duobus vel tribus annis (*g*). IV, Removere etiam voluit Israëlitas ab amore rerum mortalium, ut animum haberent a rerum cupiditate vacuum. V, Juxta S. Augustinum (*h*), Deus eo argumento demonstrabat jus suum super regionem, revocabatque in memoriam populo, vivere illos Deo submissos, suoque munere, & non jure proprio terrâ illâ frui.

Lex anni Sabbatici spectabat ad tempus quietæ possessionis terræ, ad quam tendebant: solet autem annorum ejusmodi exordium componi cum septimo post trajectum Jordanem sub Josue. Ex historiæ lectione satis accuratè ab Israëlitis annorum ejusmodi religionem servatam fuisse non apparet; nec sanè poterant servare, nisi Reipublicæ quietis & tranquillis rebus. Nonnisi semel & iterum aperta mentio anni Sabbatici occurrit in Scripturâ, semel nimirum sub Sedeciâ (*i*), anno obsidionis Jerosolymitanæ per Nabuchodonosorem; iterum verò sub Macchabæis, cum Regis Antiochi Eupatoris exercitus obsidione stringeret Templum Jerosolymitanum (*k*). Hujus posterioris anni Sabbatici meminit etiam Josephus (*l*); a quo additur alter sub Hyrcano Principe Judæorum (*m*); & tertius tandem, cùm Herodes Sosii copiis urgeret Jerosolymam (*n*).

Ut comedant pauperes populi tui. Sed pauperibus suppeditari quid poterat, vacante eo anno a cultu & semine tellure? Reponit S. Augustinus (*o*), seri tunc potuisse tellurem, sed colligere messem, agrorum dominis interdictum. In hanc sententiam explicat Syriacus: *In septimo* (anno) *arabis terram tuam, & deseres illam, ut comedant pauperes populi tui; & residuum eorum comedat bestia campi*. Sed Interpretum plerique (*p*) vacatum eo anno certant, tum a cultu, tum a semine; quod confirmatur illo Levitici xxv, 4: *Septimo anno Sabbatum erit terræ requietionis Domini: agrum non seres, & vineam non putabis: quæ sponte gignet humus, non metes &c.* Hanc opinionem firmat idem S. Augustinus *quæstione* 89 *in Leviticum*. Quæ igitur spontè dabant arbores & plantæ, cultu quocumque remoto pomiferæ, hæc egenis suppetebant. Fidem autem suam obstrinxerat Deus fœcundaturum se humum sexto quoque anno, ut tantumdem anno illo ferret, quantum antea integro triennio (*q*).

℣. 13. Per nomen externorum Deorum non jurabitis. Luculentiùs Hebræus (*r*) & Septuaginta (*s*): *Nomen Deorum alienorum non memorabitis*; ne nomine quidem illos appellabitis. Sunt (*t*), qui de Idolis agere Prophetam credunt in Psalmo xv, 4: *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*; quod maximi contemptûs & horroris argumentum est. Affirmat Tostatus, interdictum fuisse Hebræis, ne jusjurandum exigerent a Paganis per nomina fictorum Deorum. Negant Rabbinorum nonnulli, licuisse Idolorum nomina alia pronunciare, quàm quæ in Scripturâ expressa sunt. Malunt alii permissum fuisse, falsos Deos de nomine appellare, vetitum autem ne titulo divinitatis proprio notarentur. Omnium æquissimè judicant qui exponunt: Nefas Hebræis, per nomina falsorum Numinum obstringere se voto, jurejurando, promissione, fœdere (*u*). Ejus præcepti religione inducti creduntur, ut corrumperent nomina Deorum Paganorum, in Libris sacris descripta, factumque non semel, ut pleris injuriis & contemptûs appellationibus designarentur, uti Deus muscarum, Deus fœcis &c.

℣. 14. Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. Tria hæc solemnissima apud Judæos, Pascha, Pentecoste, & Festum Tabernaculorum. De singulis seorsum. Eo autem consilio generales illos populi cœtus indixit Deus, ut simul instituerentur populi, & in religione animi continerentur, intelligentes, vivere se Deo subditos, seque tandem invicem magis magisque stringerent vinculo societatis & amoris.

℣. 15. Non apparebis in conspectu meo vacuus. Supremam suam in populo authoritatem his demonstrare voluit Deus. Cùm Scriptura insinuandum suscipit, gentem aliquam Regi subditam esse, narrat, illam coram Rege cum muneribus stetisse. Aodum elegerunt Israëlitæ, ut ferret munera (*x*), idest, tributa Eglom, cui subdebantur. Ex Israëlitis quicumque se submittere Regi

Satili

(g) *Levit.* xxv, 20, 21. (h) *Qu.* 95. *in Levit.* (i) *Jerem.* xxxiv, 8, 9. (k) 1 *Macc.* vi, 51, 53. (l) *Joseph. Antiq. l.* 12. *c.* 14. (m) *Antiq. l.* 13, *c.* 15. (n) *Antiq. l.* 14, *c.* 28. (o) *August. in Exod. qu.* 89. (p) *Rabb. apud Lyr. Munst. Fag. Vat. Bonfr. Menoch. Rivet.* (q) *Levit.* xxv, 21: *Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum.* (r) שם אלהים אחרים לא הזכירו. (s) Ὄνομα Θεῶν ἑτέρων οὐκ ἀναμνησθήσεσθε. (t) *Vide Tertull. lib. de idololatriâ.* (u) *Vide Selden. de jure nat. & gent. l.* 2, *c.* 13. (x) *Judic.* iii, 15: *Miserunt filii Israël per illum munera Eglon.*

℣. 16. Et solemnitatem messis primitivorum operis tui, quæcumque seminaveris in agro; solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro.

℣. 17. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.

COMMENTARIUS.

Saüli recusabant, nulla illi attulerunt munera (*y*). Hodie pariter Regnorum Orientalium Principes non solent adiri sine munere (*z*). Moabitæ & Syri, sub jugum a Davide missi, Scripturâ teste, perseverarunt in fide, obtuleruntque illi munera (*a*). Salomon imperium suum definiebat intra Euphratem & Ægyptum, quarum regionum populi munera ferebant (*b*). Moribus antiquis obtinebat, ut æquè honorificum esset munera dare, ac recipere. Ita Deus agit cum populo, velut Princeps cum suis; negat excepturum se quemquam munere vacuum. Collatæ in Templum oblationes & victimæ Domino; collatæ primitiæ & decimæ usibus Sacerdotum destinatæ. Sunt (*c*) qui Textum ita exponant: *Non apparebis in conspectu meo frustra*; cumulabo te bonis, cùm mihi te sistes. Sed hæc minùs prona videntur.

℣. 16. SOLEMNITATEM MESSIS PRIMITIVORUM. Appellatur capite XXXIV, 22, *Festum hebdomadarum*. Græcis est *Pentecoste*, quòd quinquagesimâ die post Festum Paschatis celebretur. Hic autem dicitur *Solemnitas primitivorum*, quòd dies esset destinata oblationi panum ex primitiis, aliorumque fructuum, post festum Paschatis collectorum. Oblationibus hisce Deo gratiæ agebantur, atque ille bonorum omnium author agnoscebatur. Colligi idcircò sexagesimam saltem portionem fructuum, qui singulis provenissent, affirmant Doctores Judæi (*d*). Veniebant in turmas, octoginta hominum in singulas, distributi, primitias illas Jerosolymam ferentes: euntibus præcedebat bos oleâ coronatus, auratisque cornibus, & tibicen aliquis, itineris fallendi gratiâ.

Cogebantur primitiæ e frumento, hordeo, uvâ, ficubus, malis Armeniacis, olivis, dactylis. Ferebant quisque in suo singuli canistro, pretiosissimæ pro singulorum facultatibus materiæ, aureo scilicet vel argenteo; tenuiores vimineis utebantur; solemni pompâ procedebant ad Templum, inter hymnorum cantilenas. Præibat omnes tibicen. Rex ipse canistrum suum humeris impositum ferebat usque ad montem Templi, & ad atrium populi. Cùm illuc venissent, præcinens Levita cantabat Psalmum XXIX: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.*

Sistentes se loco, recitabant illud Deuteronomii XXVI, 3: *Profiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingressus sum terram, pro qua juravit Patribus nostris, ut daret eam nobis.* Tum depositum ex humeris canistrum singuli manibus Sacerdotis tradebant, recitantes interim illud Deuteronomii, ibidem ℣. 5: *Syrus persequebatur patrem meum (Aramæus pauper erat pater meus), qui descendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus est in paucissimo numero, crevitque in gentem magnam ac robustam, & infinitæ multitudinis; affixeruntque nos Ægyptii, & persecuti sunt, imponentes onera gravissima; & Deus eduxit nos de Ægypto in signis atque portentis. Idcirco nunc offero primitias frugum terræ, quam Dominus dedit mihi.*

In Orgiis Bacchi apud Athenienses (*e*) ingenuarum puellarum mos erat deferre in aureis canistris omnium fructuum primitias. Diodorus Siculus libro I narrat, oblatas ab Ægyptiis Deæ Isidi spicas, messis primitias; plorantes autem & sedentes propè manipulos, Numen ejus invocare.

SOLEMNITATEM IN EXITU ANNI. Hebræus (*f*): *Solemnitatem collectionis in exeundo anni*. Septuaginta (*g*): *Festum consummationis*. Eo scilicet festo claudebantur messes pariter & annus. Est autem Festum Tabernaculorum in exitu anni civilis, juxta æquinoctium autumnale, post vindemias, collectosque omnes agri fructus.

℣. 17. TER IN ANNO APPAREBIT OMNE MASCULINUM TUUM CORAM DOMINO. Sui erant legi huic fines; nunquam enim fieri potuisset, ut infantes omnes, senes, ægroti, Judæi advenæ in dissitis provinciis positi ter singulis annis Jerosolymæ & Tabernaculo sistere se possent. Vix hæc pariter afflictis bello turbatisque rebus præstari potuissent. Plura tandem occurrebant sive ex circumstantiis temporum, locorum, personarum, aliisque, in quibus hujus legis executio remissior erat. Ex verbis ejusdem sanctionis, nulla imperator fœminis veniendi obligatio. Sed in Deuteronomio (*h*) Moyses disertè statuit, eò veniendum viris, fœminis, pueris, alienigenis; quam legem severè impletam fuisse, quantùm temporis circumstantiæ patiebantur, ne ambigimus quidem.

Judæi Caraitæ docent, nec fœminas, nec pueros infra tredecim ætatis annos lege de Paschate obligari: unum illud Pascha in egressu ab Ægypto cum filiis parentes celebrare jussos fuisse; ejus enim præcepto æquè omnes astrictos. Judæi Rabbanistæ fatentur quidem, fœminas teneri ad primum Pascha mensis Nisan, non verò ad alterum sequentis mensis, si quando celebraretur. Secundum igitur illud Pascha servare pro arbitrio poterant, cùm primum illud celebrare non potuissent (*i*). Non satis verbis legis exprimitur, num servis pariter conveniendum esset ad tria illa Festa: nec sanè apparet, servos de religiosis Festis communicasse; at servos ex Hebræis eàdem obligatione in legibus illis ac heros teneri (*k*) ne ambigimus quidem. Porrò conventus illi solemnes & religiosi habebantur veluti publicæ lætitiæ incitamenta; nec nisi cum magnis gaudii significationibus eò se conferebant (*l*). In cal-

(*y*) 1 *Reg.* X, 27. (*z*) *Busbeq. Epist.* 3. *Vide* Tavernier voyage de Perse, l. 4, c. 16. (*a*) 1 *Par.* XVIII, 2, 6. (*b*) 3 *Reg.* IV, 21. (*c*) *Fagius.* (*d*) *Vide Misna tit.* בכורים *c.* 3, *n.* 2, 3, *& sequ.* (*e*) *Scholiast. Aristoph. in Acharn. Act.* 2. *sc.* 1. (*f*) חג האסף בצאת השנה (*g*) *Septuag.* Ἑορτὴν συντελείας. *Aqu.* Συλλογῆς, *Sym.* Συγκομιδῆς. (*h*) *Deut.* XXXI, 12: *In unum populo congregato, tam viris quàm mulieribus, parvulis & advenis.* (*i*) *Vide Selden. de Syned. l.* 2, *c.* 1. *pag.* 36. (*k*) *Vide Deut.* XVI, 11, 14. (*l*) *Psal.* LXXXIII, *&* CXX.

℣. 18. Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solemnitatis meæ usque manè.

℣. 19. Primitias frugum terræ tuæ deferes in domum Domini Dei tui. Non coques hœdum in lacte matris suæ.

℣. 20. Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in viâ, & introducat in locum, quem paravi.

COMMENTARIUS.

ce hujus ve: ficuli hæc addunt Septuaginta: *Quando enim ejecero gentes a facie tuâ, & dilatavero fines tuos, nemo ingredietur in terram tuam.* Hæc additio facta est occupandis Israëlitarum timoribus, qui, si incolæ omnes regionis divertere Jerosolymam cogerentur, rebus suis metuere potuissent, ne fortè irruentes hostes vacuas sedes occuparent. Apud Ægyptios sex per annum cœtus Religiosi generatim omnium indicebantur (*m*).

℣. 18. Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ. Textus iste omnes Interpretes, illum explicare per se solum conantes, superioribus minimè spectatis, malè torsit: sed prona sunt omnia, si cum versiculo 15 jungitur, ubi Moyses sermonem instituit de Paschate & azymis: *Non immolabis agnum Paschalem, donec erit in domo tuâ fermentum.* Ita exponunt Onkelos, Jonathan, Rabbini, ac Interpretum plerique (*n*). Scitum est, ante initum Festum Paschatis quidquid fermenti & panis fermentati supererat domi, omne prorsus subduci, nec perseverante eâ solemnitate quidquam fermentati, sed azyma omnia in usu esse. Fermentatum autem panem disquirere incipiebant a die qui Pascha præcedebat; nihilque ex illo relinquendum erat in totâ domo meridie diei XIV Nisan; post meridiem enim agni Paschalis immolatio fiebat.

Nec remanebit adeps (hostiæ) solemnitatis meæ usque manè. Privatis quibusque integrum erat e Paschalibus victimis omnia comedere, præter adipem & sanguinem, qui Domino per Sacerdotem offerebantur (*o*). Intelligimus e Textu Exodi (*p*) imperatum fuisse, ut de reliquiis Victimæ Paschalis nihil ad alteram diem reservaretur: ex quo conjecturæ fit locus, totum hunc Textum exponendum esse de Paschate, quamquam latiori sensu de sacrificiis omnibus, quemadmodum & Textus præcedens, ab Interpretibus usurpatur (*q*).

Ad fermentatum quod attinet, quamquam vetat lex (*r*), ne offerantur Domino panes seu placentæ fermento confectæ, permissa tamen videtur oblatio panis communis in Templo; negat enim recipi panes illos e manibus alienigenarum (*s*). Nullibi generatim repudiatur panis fermentatus, nec unquam declaratur impurus.

℣. 19. Primitias terræ tuæ offeres in domum Domini Dei tui. Hæc accipienda videntur tantum de primitiis Paschalibus (*t*), nempe de certâ hordei portione ad Templum delatâ.

Non coques hœdum in lacte matris suæ. Nullus Scripturæ Textus difficitas adeò interpretationes admisit, atque hic. Nos cum peritissimis Interpretibus (*u*) probamus, vetitum hîc a Moyse offerri agnum vel hœdum in Paschalem victimam, qui nondum a lacte depulsus fuerit. Alibi præscribit ejus victimæ ætatem: *Erit autem agnus absque maculâ, masculus, anniculus.* Exceptio est legis, victimas quasque admittentis octo diebus majores (*x*). Sunt qui hanc legem ita reddant (*y*). Non coques hœdum in cibum, cùm adhuc ex ubere matris lac sugit: alii ad literam sentiunt (*z*), vetitum esse, ne coquatur hœdus in lacte matris. Persuasum habuisse videtur Chaldæus, vetari, ne dapes lacte condiantur: *Non comedetis carnem cum lacte.* Quod etiam extendunt Rabbini ad arietes & vitulos; negantque fas esse pariter super eâdem mensâ vesci carne & caseo, vel lacte, nisi bene purgato ore; carnes & caseum eodem cultro scindere, religiosum. Vanas superstitiones. Samaritanus Hebræo fusior addit: *Nam qui fecerit hoc, veluti si immolet morticinum; & hæc indignatio est Deo Jacob.*

Alii ita (*a*): Non vescêris carnibus matris lactantis, cum carnibus ejus hœdi: sævitiæ est enim argumentum, a qua Deus removendos censuit Hebræos. Idem pariter spectans, vetat alibi, ne apprehendatur fœmella in nido cum pullis suis (*b*). Recitat Spencerus (*c*) fragmentum ex Ms. cujusdam Caraitæ Anonymi (*d*) affirmantis, receptum olim inter Paganos, ut post collectos fructus coquerent hœdum in lacte matris; lacte autem ita parato irrigasse arbores & agros, cum putarent, magicâ aspersionis hujus virtute humo feraciorem quamdam virtutem infundi. Sed quanta est hujus viri authoritas, ut morem aliquem fuisse credamus, de quo nihil apud alios? Malunt tandem alii (*e*) legem hoc sensu reddere: Non comedes hœdum nondum octo diebus genitum, cùm scilicet totus est lac, nulloque alio cibo coaluit. Ferunt, animalia nondum saltem octo dierum ætatis impura esse, nec solidum cibum sufficere. Abripi quin etiam ab uberibus parentis ante eam ætatem, sævitiam arguit. Putant verò, eâ expositione conciliari hanc posse legem cum illâ, quæ offerri victimas octo dierum sinit (*f*). Nos cum prioribus illis sentimus.

℣. 20. Ecce ego mittam Angelum meum, qui

(m) *Herod. l. 2, c. 59.* (n) *Munst. Lyr. Vatab. Fag. Menoch. Bonfr. Jun. Boch. Glass.* (o) *Vide 2 Par.* XXX, 16, 17; *& Levit.* III, 15. [p] *Exod.* XXXIV, 25: *Neque residebit manè de victimâ solemnitatis Phase.* (q) *Oleaster, &c.* (r) *Levit.* II, 4, 5, 11: *Nec quidquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio Domini.* [s] *Levit.* XXII, 25: *De manu alienigenæ non offeretis panes Deo vestro.*
(t) *Levit.* XXIII, 10: *Feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad sacerdotem.* (u) *Vatab. Rivet. &c.* (x) *Exod.* XXII, 30; *& Levit.* XXII, 27. (y) *Quidam apud Aug. qu. 90. Theodoret. qu. 56. Vatab. Oleast.* (z) *Hebræi plerique, Tostat. Bochar. Spencer. Muis, & Grotius, &c.* (a) *Estius, Fag.*
(b) *Deut.* XXII, 6. (c) *Spencer. de legibus ritualibus, lib. 2, c. 8.* (d) *Ita & Ramban, Bechai, Abarbanel, &c.* (e) *Rivet.* (f) *Exod.* XXII, 30.

Digitized by Google

℣. 21. Obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet, cùm peccaveris, & eſt nomen meum in illo.

℣. 22. Quòd ſi audieris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.

℣. 23. Præcedetque te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Hevæum, & Jebuſæum, quos ego conteram.

℣. 24. Non adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eorum, ſed deſtrues eos, & confringes ſtatuas eorum.

COMMENTARIUS.

QUI PRÆCEDAT TE. Dicta hæc vulgò accipiuntur de Meſſia, appellato in Scripturâ (g) *Angelo Teſtamenti*, ac deſignato in hoc capite ℣. 21 a Moyſe illis verbis: *Eſt nomen meum in illo*. Eò ſpectaſſe videtur Apoſtolus (h), de Hebræis in deſerto ſcribens: *Quidam eorum tentaverunt Chriſtum, & a ſerpentibus perierunt*; inſinuans, Jeſum Chriſtum ipſum fuiſſe Angelum, qui populum deducebat per deſertum. Laudantur Doctores quidam Hebræi (i) agnuſcentes agi hîc a Moyſe de Chriſto, appellato in Scripturâ *Facie Patris, & Angelo Redemptore*. Sed in hanc rem maximi eſt ponderis teſtimonium Philonis, viri graviſſimi, nec planè ſuſpecti. Ita ille (k): *Sicut quemdam gregem, terram, aquam, aërem, ignem, & quidquid in his continetur vel ſtirpium vel animalium, mortalium divinorumque .... tanquam paſtor ac rex Deus regit jure legeque, præfecto hic Verbo rectitudinis pleno, primogenito filio, qui curam ſacri hujus gregis, tamquam magnus Prorex, in ſe recipiat. Dictum eſt enim alicubi: Ecce ego ſum, mittam Angelum meum, ante faciem tuam, ut cuſtodiat te in viâ*. Plerique, qua Veteres, quà Recentiores in eamdem ſententiam Textum exponunt de adventu filii Dei, qui Via eſt, Veritas, & Vita, qui lumine ſuo colluſtrat homines in hoc mundo peregrinantes.

S. Juſtinus in Dialogo, & S. Auguſtinus (l) fieri potuiſſe putarunt, ut deſignaretur hîc Joſue, Moyſi ſucceſſor, in quo nomen Jeſus, & viva maximè Meſſiæ imago reſplendet. *Et nomen meum in illo*. Sunt (m) qui deſignatum credant S. Michaëlem, putantes, ipſius cuſtodiæ commiſſum populum Dei, & prodigiorum, quæ plurima militarunt populo, miniſtrum fuiſſe. Hæc Judæorum ſententia eſt, appellantium Angelum illum ducem *Metatron*, quod corruptum eſt ex Latino *Metator*, ducem ſcilicet caſtrorum, vel caſtra metantem Copiis Iſraëlis imperatorem agebat S. Michaël, inſidens nubi illi, quæ iter agentibus per deſertum viam monſtrabat; neque cum alio ſermonem habere ſolebat Moyſes, ut de conſiliis Dei fieret certior.

℣. 21. OBSERVA EUM. Hebræus (n): *Cave a facie ejus*: nihil præſtes coram illo inofficioſum, metue, habeto in obſequio.

NEC CONTEMNENDUM PUTES. Reddi poſſet Hebræus אל הבר בו *Ne irritet eum*, ne jurgeris eum illo, ne ſis rebellis in eum. Septuaginta: Μὴ ἀπείθει αὐτῷ, *Ne ſis incredulus ei*. Aquila: Μὴ προσερίσῃς, *Ne jurgeris cum illo*. Symmachus: Μὴ παραπικραίνῃς, *Ne illum irrites ad iram*.

NON DIMITTET, CUM PECCAVERIS: non derelinquet, etiam ſi illum offendas; ſeu veniam non dabit, cùm peccaveris. Duos hoſce ſenſus æquè admittunt Hebræus (o) & Septuaginta (p), habentes ad literam: *Non derelinquet*. S. Cyprianus: *Non deerit tibi*; non derelinquet te: ſed alteram e prioribus ſententiam & probamus optimam, & omnes ſequuntur.

EST NOMEN MEUM IN ILLO. Nomine meo & authoritate agit. Arabs: *Nomen meum cum ipſo eſt*: Syriacus, & Septuaginta: *Super illum*; Hebræus ad literam (q): *In interiori ejus*. Nonnulli vertunt: *Doctrina mea eſt in illo*. Qui exponunt Textum de Moyſe, ſive de Joſue, reputant, Deum nomine ſuo & authoritate viros auxiſſe. Moyſes Deus appellatur Pharaonis; eodem nomine loquitur, imperat, prodigiis coruſcat. In munus & authoritatem Moyſis ſuccedit Joſue. Sed nemo alius meliùs exprimit eos omnes characteres, quàm Jeſus Chriſtus, in quo omnis plenitudo, & quidquid eſt divinitatis, reſidet (r); æqualis per omnia Patri, de quo ipſe idem ait (s): *Pater in me eſt, & ego in Patre*: omnem habens in ſe potentiam, authoritatem, virtutem patris ſui, quo ſenſu re ipſâ gerit Dei nomen & perſonam.

℣. 23. AD AMORRHÆUM ET HETHÆUM. Deeſt in Hebræo & Vulgatâ *Gergeſæum*, quod eſt apud Septuaginta.

℣. 24. STATUAS EORUM. Vox Hebræa מצבת ſonat ſtatuas, vel columnas, vel lapides in editis locis, vel juxta vias erectas ad cultum, de quibus in Geneſi. *Bethulos* appellant Profani, accito nomine ex lapide a Jacobo in Bethel erecto. Ionovat Deus hoc præceptum in Exodo XXXIV, 13; & Deuternnomio XII, 3.

℣. 25.

(g) *Malach.* III, 1: *Angelus teſtamenti*. (h) 1 *Cor.* X, 9. (i) *Vide Muſ. in Joſue* V, *& Ainſw. hîc*.
(k) *Philo, lib. de agriculturâ*. Ὡς ποιμὴν καὶ βασιλεὺς ὁ Θεὸς ἄγει κατὰ δίκην καὶ νόμον, προστησάμενος τὸν ὀρθὸν αὐτοῦ λόγον, πρωτόγονον υἱὸν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τῆς ἱερᾶς ταύτης ἀγέλης, οἷά τι μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος διαδέξεται. Καὶ γὰρ εἴρηταί που, ἰδοὺ ἐγώ εἰμι, ἀποστελῶ ἄγγελόν μου εἰς πρόσωπόν σου, τοῦ φυλάξαι σε ἐν τῇ ὁδῷ. (l) *Aug. qu.* 92 *in Exod.* (m) *Menoch.* (n) השמר מפניו
(o) כי לא ישא לפשעכם (p) Οὐ γὰρ μὴ ὑποστείληταί σε. (q) כי שמי בקרבו (r) *Coloſſ.* II, 9: *In ipſo habitat plenitudo divinitatis corporaliter*. (s) *Joan.* X, 38.

℣. 25. Servietisque Domino Deo vestro, ut benedicam panibus tuis, & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui.

℣. 26. Non erit infœcunda, nec sterilis in terrâ tuâ: numerum dierum tuorum implebo.

℣. 27. Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occîdam omnem populum, ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam:

℣. 28. Emittens crabrones priùs, qui fugabunt Hevæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introëas.

℣. 29. Non ejiciam eos a facie tuâ anno uno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ.

℣. 30. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram.

COMMENTARIUS.

℣. 25. BENEDICAM PANIBUS TUIS, ET AQUIS. Addunt Septuaginta: *Et vino tuo*. Panis & aquæ nomine alimenti genus omne significatur.

℣. 26. NON ERIT INFOECUNDA NEC STERILIS IN TERRA TUA. Reddi posset Hebræus (t): *Non erit abortiens, & sterilis*. Vel, juxta alios: Nec erit mater filiis superstes suis, nec sterilis: animalia erunt fœcunda, & fœturæ felices.

NUMERUM DIERUM TUORUM IMPLEBO. Acerbo fato non rapieris; quæ Dei ultio omnium gravissima habebatur. De impiis Propheta: *Non dimidiabunt dies suos*. Legem suam servantibus vitam diuturnam pollicetur Deus. Monet tamen alibi (u) Scriptura, non semper vitam diuturnam miserentis Dei beneficio concedi: acerbo fato e mundo subducit interdum electos, ut a sæculi corruptione præservet.

℣. 27. OCCIDAM OMNEM POPULUM, AD QUEM INGREDIERIS. Reddi posset Hebræus הַמֹּתִי *Conturbabo, &c.* Septuaginta (x): *Amentes faciam omnes gentes*, mente privabo. Onkelos: *Destruam.*

TERGA VERTAM. Reddi posset Hebræus (y): Cervicem vobis præbebunt fugientes, ut cædatis: *Dabo inimicos tuos coram te cervicem.*

℣. 28. EMITTENS CRABRONES. Reddunt plures, הַצִּרְעָה *vespas*. Eadem Deus minitatur in Deuteronomio VII, 22: & cùm pariter Josue XXIV, 12, verba habet ad populum, aliquanto ante obitum, Dei verbis memorat: *Misi ante vos crabrones, & ejeci eos de locis suis, duos Reges Amorrhæorum*; quibus sanè exprimitur rei gestæ eventus, ut satis omnibus exploratus. Author Libri Sapientiæ XII, 8: *Misisti antecessores exercitûs tui vespas, ut illos paulatim exterminarent*. S. Augustinus (z) aliique, verborum figurâ quadam exprimi potuisse credunt incussum a Deo Chananæis timorem: præfert tamen eam sententiam quæ explicat de vespis. Vix in animum induceremus, fieri potuisse, ut muscæ, & id genus alia, gentes integras e sedibus suis depellere valerent: sed animadvertere oportet, in ferventibus magis regionibus quàm in Septemtrionalibus, ea insecta numero & incommodo esse majora: & id generis exempla passim adeò offendimus in historiâ, ut locus dubio nullus relinquatur.

Populos Chalcidis aliosque pepulerunt e sedibus muscæ. Infestantibus omnia scorpionibus, solum verterunt in Æthiopiâ quidam; Mysi fugerunt, a minoribus muscis pulsi. Phaselitæ, tædio vesparum. Plura id generis accuratè collegit Bochartus (a), quibus rei hujusce veritas confirmatur. Reputat autem non sine veri specie, Phaselitas illos ex eorum numero fuisse, qui ætate Josue infestam vespis patriam dereliquerunt. Constat utique, Phoenicios esse origine, ut idem Author demonstrat, vetusque idioma servasse, usque ad Xersem, teste Chærilo apud Josephum *contra Appionem libro* I. Creditur magna Chananæorum illorum portio fugisse in Africam; habeturque persuasum, conditores Lepris, de qua Salustius, e Chanaanitide venisse. Affirmat Procopius, Jebusæos & Gergesæos venisse in Tingitanam, & columnas ibi erexisse ab ipso descriptas. Cadmonæos, duce Cadmo, habuit Græcia. Tuetur Hornius (b), Amorrhæos ipsos esse Mauros seu Gomaros Africæ. Nec defuerunt, qui Chananæos ad usque Americanas regiones depulerint.

FUGABUNT HEVÆUM, ET CHANANÆUM, ET HETHÆUM. De his gentibus egimus in Genesim X, 15, &c. Addunt Septuaginta: *Amorrhæum.*

℣. 29. NON EJICIAM EOS A FACIE TUA ANNO UNO. Non utique timendum, regionem illam squallidam & desertam belluis infestandam fuisse, quamvis etiam incolæ omnes uno simul casu periissent, si regio intra eos tantùm terminos definiretur, quousque ditionem suam prorogarunt Israëlitæ sub Josue: si verò totus ille tractus accipiatur, Dei promissionibus definitus, apertè utique constat, fieri nequaquam potuisse, ut totus frequentaretur a populo, ad quem tum verba faciebat Moyses, si fortè Chananæi uno simul impetu abiissent; aliqua enim ejus portio incolis vacua remansisset. Porrigebatur siquidem regio ab Euphrate ex Oriente adusque Mediterraneum ex Occidente, & a monte Libano e Septemtrione, usque ad mare Rubrum, & Nilum e meridie. Duplo utique majori incolarum numero opus fuisset, quàm quo tunc constabant Israëlitæ. Constat autem regiones illas belluarum feraces esse maximè,

quibus

(t) משכלה ועקרה (u) *Sap.* IV, 25. (x) Ἐκστήσω πάντα τὰ ἔθνη. (y) נתתי ... ערף
(z) *Aug. Quæst.* 93 *in Exod.* (a) *De animal, sacr. tom.* 2, *l.* 4, *c.* 53. (b) *Hornius de origine gent. Americ. l.* 4, *c.* 3, 4.

℣. 31. Ponam autem terminos tuos a mari rubro usque ad mare Palæstinorum, & a deserto usque ad fluvium: tradam in manibus vestris habitatores terræ, & ejiciam eos de conspectu vestro.

℣. 32. Non inibis cum eis fœdus, nec cum Diis eorum.

℣. 33. Non habitent in terrâ tuâ, ne forte peccare te faciant in me, si servieris Diis eorum: quod tibi certe erit in scandalum.

COMMENTARIUS.

quibus plorimùm infestabantur ætiam, quo tempore frequentissimæ erant incolis. Hujos rei argumentum sunt ccc vulpes a Samsone collectæ (c), gemini ursi irruentes in pueros irrisores Elisæi (d), & ingens ille ferarum numerus, in venationibus Herodis Magni interfectarum (e).

℣. 31. PONAM TERMINOS TUOS A MARI RUBRO USQUE AD MARE PALÆSTINORUM, cujus litora tenebant Philistæi:

ET A DESERTO USQUE AD FLUVIUM; ab Arabiâ desertâ usque ad Euphratem: Limites regionis hìc non adeò accuratè definiuntur; meliùs alibi.

℣. 32. NON INIBIS CUM IIS FOEDUS, neque politiæ gratiâ, neque Religionis: delebis omnia, populos, Deos.

℣. 33. QUOD TIBI CERTE ERIT IN SCANDALUM. Hebræus (f): *In rete*. Si populos in regione relinques, ita capieris ab illis, velut a laqueo bellua. Si coles gentium ejusmodi Idola, perniciem in te provocabis.

CAPUT XXIV.

Refert Moyses leges Dei ad populum: excipiuntur, & fœdus cum Deo initur. In montem se restituit Moyses; XL diebus ibi moratur.

℣. 1. MOysi quoque dixit: Ascende ad Dominum tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta senes ex Israël, & adorabitis procul.

℣. 2. Solusque Moyses ascendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt: nec populus ascendet cum eo.

℣. 3. Venit ergo Moyses, & narravit plebi omnia verba Domini, atque judicia: responditque omnis populus unâ voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ASCENDE AD DOMINUM TU ET AARON. Stabant jam ambo in monte, vel saltem aliquam montis partem ascenderant (a), ubi audierant vocem Domini apertis verbis ad se loquentis, andiente universo populo; sed confusis aliquanto vocibus, uti cùm obmurmurantia audimus fulmina supra verticem montis, sæviente procellâ (b). Ita ergo Textus est exponendus: Postquam Deus proposuit Moysi & Aaroni leges omnes, quæ a capite xx usque ad xxiv leguntur, antequam ambo descendissent e monte, illas delaturi ad Populum, monuit Deus, ut post relatas Israëlitis fœderis conditiones, post confirmatum utrimque sacramento pactum, repeterent montem, comitantibus Nadab & Abiu, cum LXX populi Optimatibus. Descendit ergo Moyses, verbisque ad populum factis fœdus confirmavit; tum Dei jussionibus, de quibus hìc, ambo obtemperantes, restituerunt se in montem, uti legimus hìc ℣. 9. Hæc rerum series, turbata hìc & indigesta.

℣. 2. SOLUSQUE MOYSES ASCENDET. Infra, ℣. 9, &c. executioni hæc mandata leguntur. Moyses unà cum Aarone, Nadab, Abiu, et LXX e Senioribus populi, montem ascendit, qui revelatam sibi a Deo gloriam inspexêre (c). Tum Moyses solus, jussus ascendere verticem, XL diebus ibidem substitit (d).

℣. 3. VENIT ERGO MOYSES, ET NARRAVIT PLEBI

(c) *Judic.* xv, 4. (d) 4 *Reg.* II, 24. (e) *De bello Judaico*, l. 5, c. 26. (f) יהיה לך למוקש
(a) *Vide Exod.* XIX, 24. (b) *Cap.* XX, ℣. 18. (c) ℣. 11. (d) ℣. 18.

℣. 4. Scripsit autem Moyses universos sermones Domini; & manè consurgens, ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim Tribus Israël.

℣. 5. Misitque juvenes de filiis Israël, & obtulerunt holocausta, immolaveruntque victimas pacificas Domino, vitulos.

℣. 6. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras: partem autem residuam fudit super altare.

COMMENTARIUS.

PLEBI. Vênit scilicet cum Aarone, perpetuo sibi comite, cùm Deus leges suas dictaret; ambo verò narraverunt omnia verba Domini. Aarone Interprete usus est Moyses, fratrem enim ad id sibi destinatum a Deo habebat (e). Proposuit *omnia verba Domini* (legem Decalogi) *atque judicia* (præcepta judicialia, post Decalogum recensita Capitibus xx, xxi, xxii, xxiii).

℣. 4. SCRIPSIT AUTEM MOYSES UNIVERSOS SERMONES DOMINI. Postquam populus se accipere legem Dei professus est, in tabulas id redigendum fuit, ut maneret rei gestæ memoria; confirmandum etiam fœdus illud solemnibus & authenticis cæremoniis: quod hìc mandatur executioni. Primò Legislator redigit in tabulas leges omnes et conditiones fœderis cum assensu populi. II, Moyses, tamquam intermedius, et Dei vices gerens, ejus nomine assensum populi recipit, fidem suam vicissim obligans, futurum, ut Deus esset populi Deus, Rex, tutela, factasque parentibus illorum promissiones impleret. Sequuntur statim celebrati fœderis ritus.

ÆDIFICAVIT ALTARE AD RADICES MONTIS, ET DUODECIM TITULOS PER DUODECIM TRIBUS ISRAEL. Ædificatum altare e duodecim lapidibus, pro Tribuum numero, censent nonnulli (f): totidem columnis suffultum, malunt alii. Septuaginta habent tantùm: *Duodecim lapides*. Nobis autem probatur, erectum fuisse e glebis Altare, uti præcipitur superiùs xx, 24; præterea duodecim acervos rudium lapidum excitatos, seu circa præcipuum illud duodecim alia (g); e singulis verò Tribubus selectos juvenes, viribus et staturæ proceritate eximios, ut singuli in suo quisque altari hostias et victimas Eucharisticas mactarent. Ex hostiis singulorum altarium cruoris aliquid sumens Moyses, in duas partes divisit, quarum alteram fudit in amplum quoddam vas, effundendum super altare e glebis, in medio duodecim altarium lapideorum assurgens; alteram verò cruoris portionem habuerunt vasa, duodecim, uti credimus, numero, ad aspersionem populi in singulas Tribus seorsum. Factum id post absolutam legis, et præceptorum lectionem; ictumque eo ritu fœdus, fide ejus servandi a populo datâ, confirmatum est. Porrò hujus sanguinis dimidium effusum est super altare e glebis, quo ipse Deus exhibebatur, Moyse intermedio, recipiens fidem et obsequium populi; alterum verò dimidium profusum est super populum & super Tribus seorsum singulas, pro se quolibet profitente, habituram se Dominum in Deum et in Regem. Immolatarum victimarum cruor ex utrâque parte effusus, exhibebat solemnissimum omnium fœdus, uti veterum moribus receptum erat: his autem cæremoniis typicis singulæ partes fidem suam obligabant, servaturas se fœderis conditiones, sub capitis sui & sanguinis pœnâ.

℣. 5. JUVENES DE FILIIS ISRAEL. Chaldæus uterque, Arabs, Rabbini, et nostratum plures (h) intelligunt de Majoribus natu Familiarum Israëlis, quibus prærogativam fuisse Sacerdotii, antequam concederet in Familiam Levi, arbitrantur; sed ejus opinionis parùm assertam veritatem demonstravimus in Genesim xxv, 31. Nec Abel (i), quamquam natu non major, nec Moyses, Aarone licèt junior, a Sacerdotalibus muneribus (k) ac sacrificiis offerendis abstinuerunt; et post legem pariter, populus universus immolabat Agnum Paschalem, & Sacerdotalibus muneribus eâ die fungebatur, ut observat Philo *libro III de Vitâ Mosis*. Heroicis temporibus Principum erat Sacrificia curare, & operari Sacra. Abraham & Patriarchæ in suâ quisque Familiâ Sacerdotii munera obière. Sunt qui Textum interpretentur de filiis Aaronis, vel Levitis tum a Moyse selectis, ob offerenda universi populi nomine sacrificia. Sed eos juvenes sacrificia operatos fuisse, Scriptura non narrat. Moyses ipse per se munera præstitit Sacerdotis, effuditque victimarum cruorem; victimas illas adduxerunt juvenes, & fortè etiam, eo jubente, mactarunt; id enim, Lege etiam obtinente, præstitum a viris vulgaribus, & coram filiis Aaronis, scimus.

IMMOLAVERUNTQUE VICTIMAS PACIFICAS DOMINO, VITULOS. Vulgata in nonnullis exemplaribus: *Vitulos duodecim*. Numerum nullum habent Hebræus, Chaldæus, & Septuaginta. Credimus autem non inviti, in singulis duodecim lapideis Altaribus singulos Vitulos immolatos, actionis gratiarum sacrificium, præter holocausta, quibus immolari consueverant hirci, sive arietes (l). Intelligimus ex Apostolo (m), mixtum fuisse tunc hircorum, & vitulorum sanguinem, quo ablutus populus, Altare, & Volumen legis. Nihil hìc eâ de re Moyses, brevissimis verbis totam hanc cæremoniam absolvens.

℣. 6. MISIT IN CRATERAS. *In craterem*, habent Exemplaria quædam vetera Septuaginta, cum S. Augustino; sed Hebræus, & Chaldæus legunt in

(e) *Exod.* iv, 14, 15, 16: *Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum.* (f) *Lyr. Menoch.*
(g) *Ibid.* 25: *Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus.* (h) *Lyran. Menoch. Jun. Pisc. &c.* (i) *Genes.* iv, 4. (k) *Psal.* xcviii, 6. (l) *Levit.* i, 10.
(m) *Hebr.* ix, 19: *Accipiens sanguinem vitulorum & hircorum, cum aquâ & lanâ ... ipsum quoque librum & omnem populum aspersit.*

℣. 7. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo; qui dixerunt: Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.
℣. 8. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.
℣. 9. Ascenderuntque Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israël.
℣. 10. Et viderunt Deum Israël: & sub pedibus ejus quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cœlum, cùm serenum est.
℣. 11. Nec super eos, qui procul recesserant de filiis Israël, misit manum suam, videruntque Deum, & comederunt, ac biberunt.

COMMENTARIUS.

in plurali.

℣. 7. VOLUMEN FOEDERIS. Tabulas, in quibus descriptæ formulæ, & initi fœderis conditiones. Dictum accipiunt Rabbini de libro exhibente præcepta, constituta Adamo, filiis Noë, & Israëlitis in Ægypto & Mara; hæc autem omnia inserta dein volunt a Moyse in libris suis. Sed hanc suam opinionem futilibus conjecturis confirmant. Habemus persuasum, scripta in illo a Moyse præcepta narrari in Exodo, XX, XXI, XXIII, XXIV.

℣. 8. HIC EST SANGUIS FOEDERIS, QUOD PEPIGIT DOMINUS VOBISCUM. Fœdera olim sanguis stipulabat: *Fœdus appellatum ab eo, quòd in paciscendo fœdere bestia necaretur*. Virgilius: *Et cæsâ jungebant fœdera porcâ*. Porro fœdus hoc solemne Dei cum populo suo typus erat novi fœderis a Jesu Christo cum naturâ hominum initi. Altare victimis immolandis, emblema est crucis, in qua mortem subiit Jesus, suumque sanguinem fudit, quo ictum a se fœdus non cum familiâ Jacobi tantùm, sed cum hominibus universis, redemptis a se non ex Ægypti, sed e mortis, peccati, & dæmonis tyrannide, obsignaret. Vetus illud fœdus confirmatum est tantùm hircorum, & vitulorum cruore; novum firmavit sanguis Filii Dei, qui & fœderis pars est simul ac victima, Sacerdos & mediator. Fœdus Dei cum Israële semel tantùm initum; Christi cum hominibus singulis diebus innovatur in Sacrificio Altaris. Primum illud temporaneum fuit; secundum absolutum & perpetuum: hoc donamur spiritu adoptionis, & libertatis; illo efficiebamur mancipia, & mercenarii.

℣. 9. ASCENDERUNTQUE MOYSES ET AARON. Montem quidem ascenderunt, sed infra verticem: veniebant autem nomine universi populi, argumenta servitutis suæ Domino exhibituri, agnituri illum in Regem, cui solemni fœdere erant obstricti.

℣. 10. ET VIDERUNT DEUM ISRAEL. Septuaginta (n): *Et viderunt locum, ubi erat Deus Israël.* Ita etiam legit S. Augustinus, ratus, Deum per visum oculis eorum sese subjecisse. Chaldæus: *Viderunt gloriam Dei Israël*. Arabs: *Angelum Dei Israël*. Sub hominis specie videndum se exhibuisse Deum, inde suspicantur plures Interpretes (o), quòd de pedibus ejus hìc agatur: malunt alii, nullo visibili aspectu se revelasse Deum, affirmante Moyse (p): *Non vidistis ullam similitudinem*. Et quidem si legislator oculis tunc inspexisset Dominum, cur tanto desiderio (q) aliàs Deum videndi tenebatur? Quare cùm Moyses vidisse illos Deum scribit, vidisse reputandi sunt Divinæ præsentiæ certa quædam argumenta, seu fulgorem aliquem gloriæ ipsius; quemadmodum vidisse nos Solem affirmamus, licèt per medias nubes Solis radius aliquis intuentium oculos feriert.

ET SUB PEDIBUS EJUS QUASI OPUS LAPIDIS SAPPHIRINI. Hebræus ad literam (r): *sub pedibus ejus quasi opus laterinium* (vel instratum pavimentum) *sapphiri*, vel: *Quasi opus sapphiri albi*. Albos sapphiros memorat Anselmus Boëtius (s) in Libro de gemmis, uti & alios cæruleo saturoque colore: priores illos, fœminas; posteriores, mares appellat. Septuaginta (t): *Sicut opus lateris sapphiri*. Chaldæus habet tantùm: *Lapidis pretiosi*. Arabs: *Adamantis*: Sed nullus est ambigendi locus, vocem originalem exprimere sapphirum. Pingitur plerumque in Scripturâ Firmamentum, quod thronus esse Dei ibidem dicitur, colore sapphirino, uti videre est in Ezechiele I, 26. Et alibi (u), ut cœlum serenum, micansque cæruleo colore significetur, dicitur coloris esse *quasi lapidis sapphiri*. Oculis ergo LXX seniorum, comitantium Moysem, micuit nitor quidam sapphirinus, præsentis Numinis argumentum.

℣. 11. NEC SUPER EOS, QUI PROCUL RECESSERANT DE FILIIS ISRAEL, MISIT MANUM SUAM. Versio est non satis perspicua, & ab aliis plurimùm discrepans. Septuaginta (x): *Et de electis Israël non dissonuit nec unus*. Sed qui hæc cum præcedentibus cohæreant? Reputat Nobilius, vertendum meliori sensu: *Et de electis Israël nemo detrimentum accepit* (y). Grotius ita reddit Septuaginta: *Et de electis ne unus quidem defuit*; quo sensu

(n) Εἶδον τὸν τόπον ὗ εἱστήκει ἐκεῖ ὁ Θεὸς. (o) *Jansen. Grotius, Menoch. Lyr.* (p) *Deut.* IV, 15. (q) *Exod.* XXXIII, 18. (r) כמעשה לבנת הספיר (s) *Anselm. Boëtius l.* 2, *cap.* 42, *apud Martinium*. (t) 70. Ὡσεὶ ἔργον πλίνθου σαπφείρου. (u) *Ezech.* X, 1: *Et ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis sapphirus*. (x) Καὶ τῶν ἐπιλέκτων τοῦ Ἰσραὴλ οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς. (y) *Vide Num.* XXXI, 49; 1 *Reg.* XXX, 19; & *Ezech.* XXXVII, 11, *ubi verbum*, διαφωνέω, *hoc sensu usurpatur*.

℣. 12. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, & esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata quæ scripsi, ut doceas eos.

℣. 13. Surrexerunt Moyses & Josue minister ejus: ascendensque Moyses in montem Dei,

℣. 14. Senioribus ait: Expectate hìc, donec revertamur ad vos. Habetis Aaron, & Hur vobiscum; si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.

℣. 15. Cùmque ascendisset Moyses, operuit nubes montem.

℣. 16. Et habitavit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocavit eum Dominus de medio caliginis.

℣. 17. Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israël.

℣. 18. Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

COMMENTARIUS.

sensu Græcas voces usurpari in Numeris xxai, 49, & Esthere a, 13, ostendit. Onkelos: *Principibus* (sive Optimatibus) *filiorum Israël nullum incommodum fuit*. Arabs & Syriacus oarrant etiam, Deum abstiouisse manus ab illis interimeodis, quin potiùs vidisse illos Dominum, & vixisse. Porrò Interpretibus illis Hebræum *Azilim* (z) est *Optemates*; aliis verò *Propinqui*. Oleaster ita reddit Hebræum: *Ad propinquos filiorum Israël* (Israëlitas qui accesserant) *non misit manum*. Putat Muosterus, illud, *mittere manum*, significare prophetandi donum, ut in illo Ezechielis, 1, 3: *Facta est super me manus Domini*; & Jeremiæ 1, 9: *Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum*. Ita cùm Deum non misisse maoum super Senes dicit, eâ phrasi expressum est donum Prophetiæ, Moysi concessum, illis negatum. Lyranus: *Non misit manum, idest, non revelavit se.* Sed ambo hæ postremæ expositiones nimis longè petitæ videntur.

Videruntqua Daum, et comedeaunt, ac biberunt. Septuaginta (a): *Visi sunt* (apparuerunt) *in loco, ubi erat Deus, & comederunt, ac biberunt*; idest, post visum Dominum superstites adbuc manserunt, cibum uti priùs eapientes, contra receptam vulgò opinionem, neminem viso Deo vitam ulteriùs prorogare (b). Sunt (c) qui ita exponant: Viso Deo, lætum ejus rei gratiâ iostituerunt convivium. Fagius ita ex Chaldæo: Viderunt Deum; *qua visio illis fuit, quasi comedissent & bibissent*.

℣. 12. Ascenoe ao me in montem. Jubet Deus Moysem, dimissis Aarone & lxx Senioribus, qui secum in dorso mootis versati fuerant, io cacumen Sinai solitarium ascendere.

℣. 13. Suarexeaunt Moyses, et Josue minister ajus, &c. idest, Josue ejus famulus (d), ascendentes ambo usque ad nubem illam lucidam, quæ montem protegebat. Manserunt ibi septem diebus: die septimâ ad superiora iterum accito Dei voce Moyse (e), substitit eodem in loco, quo aotea, Josue solitarius.

℣. 54. Senioaibus ait: Expectata hic. Manu facilè Moyses iodicabat subjectam mooti castra simul imperaos: *Expectate hìc*. Seu potiùs in eodem, ubi priùs, loco morari jussit, ignorans manendum sibi tamdiu esse in mootis vertice: quare cùm moram diutiùs trahere illum intelligerent Seniores, io castra regressi sunt; quod fuit in causâ facilè, cur populus impelleretur ad coosecrandum sibi aureum vitulum, abesse Moysem videntes, nec unquam paruisse audieotes, ex quo nubem ingressus fuisset.

℣. 18. Fuit iai quaoraointa diebus et quadraginta noctiaus. Intra dierum ejusmodi periodum cootinentur sex dies, quos Moyses egit cum Josue, antequam ad colloquium cum Deo vocaretur (f). Longam toto eo tempore ioediam nullo negotio tulit Moyses; sed Josue, qui non ascenderat ad superiora, alebatur facilè fructibus & aquis ejus mootis; ad eertam enim altitudinem, nec fructus deesse nec aquas in Sinai, affirmant Itinerantes. Docent Judæi (g), accepisse Moysem per diem scriptæ legis præcepta; per noctem verò traditiones & legem oralem. Ita fulcire oituntur authoritate suas traditiones, quippe quas referant sive Moysi, sive ipsimet Deo.

CA-

(z) ואל אצילי ... לא שלח ידו [a] 70. *Καὶ ὤφθησαν ἐν τῷ τόπῳ τοῦ Θεοῦ, καὶ ἔφαγον καὶ ἔπιον.* (b) *Vide Genes.* xvi, 53; & xxxii, 30. (c) *Vat. Rivet. &c.* [d] משרתו *Aq. Sym.* Λειτουργὸς αὐτοῦ. 70. Παρεστηκὼς αὐτῷ. (e) *Vide* ℣. 56. [f] ℣. 16. (g) *Rabb. Bechai, apud Buxtorf. Synag. Jud. c.* 1.

CAPUT XXV.

Oblationes pro erectione Tabernaculi. Descriptio Altaris Panum Propositionis, Arcæ, & Candelabri.

℣. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
℣. 2. Loquere filiis Israël, ut tollant mihi primitias: ab omni
homine, qui offeret ultroneus, accipietis eas.
℣. 3. Hæc sunt autem, quæ accipere debetis: Aurum, & argen-
tum, & æs,
℣. 4. Hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & bys-
sum, pilos caprarum,

COMMENTARIUS.

℣. 2. LOQUERE FILIIS ISRAEL, UT TOLLANT MIHI PRIMITIAS. Primitiæ hic perinde valent, ac voluntarià religione oblata munera, ob erectionem Tabernaculi Domini. In Hebræo est *trumah* (a), quo ad literam exprimuntur oblationes in Tabernaculo coram Domino elevandæ, de quibus infra; exprimuntur etiam oblationes spontaneæ. Vulgata, fidem Septuaginta secuta, reddidit *primitias*. Neminem autem cogit Deus: *Ab omni homine, qui offert & ultroneus, accipietis eas.* Poterat utique, tamquam Rex & Dominus Hebræorum, exigere ab illis, ut Regium sibi tentorium construerent, destinarentque ministros, quorum satellitio majestatem suam stiparet; sed spontaneis oblationibus contentus est. Regiæ Majestatis primum est & potissimum, munera a subjectis gentibus recipere (b).

℣. 4. HYACINTHUM. Antequam in examen colorum & pannorum, de quibus hic Moyses, ulteriùs procedamus, animadvertendum hic, velut in limine, Doctores Hebræorum plerosque docere (c), vestes illas Sacerdotales laneas fuisse tantùm, vel lineas, nihil mixtum habentes serici vel gossypii. Imbuebatur lana, inquiunt illi, colore hyacinthino & purpureo; lino & bysso suus relinquebatur ingenitus color. Sed Abarbanel & Judæorum alii contraria sentiunt, rati sericum fuisse, quidquid hyacinthinum, purpureum, ac rubrum appellatur in Scripturâ. Nobis utique numquam satis deferre visum est eorum Doctorum opinioni; ac si in aliis parùm versatos, in hac sanè minimùm, autumamus. Quare alii nobis duces seligendi sunt.

Hyacinthinus color cæruleum referebat, seu violaceum saturum, subnigrum, violæ non dissimilem. Hanc opinionem plurimi fulciunt, quorum authoritates collectas habes apud Braunium (d), doctissimè de hoc argumento agentem; cujus eruditione plurimùm in hac re profecimus. Syriacus, R. Salomon, aliique nonnulli Hebræum תכלת *Tekeleth* interpretantur de colore *flavo*, quorum tamen opinio ferè reprobatur.

Porrò hyacinthinus color inducebatur sanguine piscis, quem Latini *muricem*, Hebræi *Chilson* appellant. Squamosus est piscis, apprehensusque vivens adhuc conterebatur, exprimebaturque ex eo liquor, quo inficiuntur hyacinthini, vel purpurei panni. Ad genus illud mortis hujus piscis spectasse creditur interdum Homerus, cùm præcipitem & violentam mortem appellant, *purpuream mortem* (e). Docet Plinius (f), *transalpinam Galliam herbis* (tingere) *Tyrium*, idest purpuram, *atque conchylium*, idest hyacinthum. Refert alibi (g), Indos in eum usum adhibuisse quoddam genus arundinis.

PURPURAM. Ex Hebræo ארגמן, *Argaman* ducitur Græcum Α᾽μόργη, *Amorge*, apud Suidam, *purpura*, vel rubicundus color. Coloris purpurei non unum est genus: rubrum est quoddam vividum, & rubrum est aliud saturum. Æstimabatur præ omnibus apud Veteres purpura *nigricantis rosæ colore sublucens*, teste Plinio (h), sive ut alibi ille (i), *concreti sanguinis nigricantis aspectu*. Erat autem rubeus purpuræ color magis satur, quàm Latinorum Puniceus. Lucretius libro 2:

Purpura puniceusque color clarissimu' multo.

Addit de purpurâ Plinius (k), *Aspectu leniter blandum, atque in oculos, ut carbunculi, vibrat.*

COCCUM BIS TINCTUM. His phrasibus significatam a Vulgatâ Tyriam purpuram credimus; bis enim tinctæ elogio sæpè illam donant Veteres (l). Ovidius (m):

Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

(a) תרומה 70. Α᾽παρχὰς. *Aqu.* Α᾽φαίρεμα. (b) *Vide* 1 *Reg.* x, 27; *& supra Exod.* xxiii, 15. (c) *Apud Braun. de vestitu sacerd. Hebræor. l.* 1, *c.* 8. (d) *Lib.* 1, *c.* 13. [e] Πορφύρεος θάνατος. *Vide Eustat. ad Iliad.* 5. (f) *Lib.* 21, *c.* 2. (g) *Lib.* 25, 6. (h) *Plin. l.* 9, *c.* 36. (i) *Plin. l.* 9, *c.* 38. *Laus ei summa color sanguinis concreti, nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens: unde & Homero purpureus dicitur sanguis.* (k) *Plin. l.* 9, *c.* 41. (l) *Dibapha tunc dicebatur purpura, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio. Plin. l.* 9, *c.* 39. (m) *Ovid. Amor. l.* 3; *& Senec. Hercul. Oet. Act.* 2.

Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana ruborem.

Plinius eâ de re (n): *Quinis tana potat (colorem) horis, rursusque mergitur carminata, donec omnem ebibat saniem. Primùm satiatur immaturâ viridique cortinâ, mox permutatur in buccino*, purpureô.

Hebræum תולעת שני *Tolahat Schani* reddunt Aquila διάφανον, & Symmachus διάβαφον, pellucidum. Josephus & Septuaginta vertunt interdum rubrum, φοινικοῦν, vel coccineum, interdum verò *coccum duplicem*. Non rarò utique duo illi colores pro unico usurpantur. Vestem illam, qua Jesus in passione suâ indutus est, coccineam appellat S. Matthæus xxvii, 28, purpuream S. Marcus xv, 17, & S. Joannes xix, 2.

Constat tamen, coccum alium esse planè à purpurâ, non colore tantùm, verùm etiam tingendi discrimine. Purpuram, ut plurimùm, inducebat sanguis muricis, quem piscem circa Tyrum piscabantur: reddebat autem rubrum quemdam saturum, qualem fermè sanguis coagulatus. Lætiorem vividioremque nitentis rubri colorem, qualis in igne & flammâ, referebat coccus, vel coccineus; quare Josephus, Philo, & S. Hieronymus, dum colores, de quibus hìc, per allegoriam explicant, coccum igni comparant.

Imbuebantur coccinei panni sanie vermiculi, qui *Coccus* dicebatur, seu tantùm *vermiculus*, unde Gallicum *Vermeil*, Italicum *Vermiglio*. Hæc de illo Bellonius (o). Abundat Insula Creta *cocco*, ex quo ingens incolis fructus. Mense Iunio colligitur ex parvis quibusdam veluti quercubus, ferentibus glandem sine caudâ, trunco adhærentem. Foliis est arbor spinosis, quæ parvulis quibusdam granis, veluti cicere, sparguntur; tubercula verò illa rubris quibusdam minutisque vermiculis, instar lendinum, plena sunt: vix e foliis ea grana separantur, statim e parvo quodam foramine, respondente illi tuberculorum loco, quo adhærent foliis, egrediuntur vermiculi; qui cribro separati a granis, collectique leniter comprimuntur, rediguntur que in globulos, magnitudine ovi gallinacei. Ex iis granis neque in Palæstinâ deesse, affirmat idem Author (p). Vermiculum hunc appellant Arabes *chermes*; unde nomen colori *Cramoisi* Gallicè, *Cremesì* Italicè. Minimè omnium dubitat Braunius, bis coqui non consuevisse coccum; ipsissimumque esse putat colorem, de quo hìc agitur. Contendit autem Vossius, nostrum hunc colorem *Cramoisi* alium esse a cocco Veterum; hic enim vermiculi succo inducebatur, nostrum verò sufficiunt grana quædam ad radicem pimpinellæ nascentia.

Quod attinet ad epithetum *Schani*, additum in Hebræo voci *vermiculus*, seu *coccus*, ita usurparunt Septuaginta, quasi significaret duplici filo contextum pannum κόκκινον διπλοῦν. Profectò novimus, pannos duplici filo textos in pretio fuisse (q) apud Veteres. Aliter Vulgatâ, de colore bis inducto exponit. Porrò hyacinthum & purpuram plusquam semel tingi, jam observavimus. Vox originalis *Schani* solitaria (r) interdum occurrit, coccineum designans colorem; jungitur interdum voci *tolahat*, *vermiculus*. Reputamus itaque, *Schani* peculiare esse nomen hujus vermiculi; quod facilè persuadent Textus illi, in quibus solitarium occurrit: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum* (Hebr. *ut Schanim*) ait Isaias i, 18, *quasi nix dealbabuntur*. Sponsus ad Sponsam in Cantico iv, 3: *Quasi vitta coccinea* (*Schani*) *labia tua*; & in Genesi xxxviii, 27, *obstetrix ligavit coccinum* [*Schani*, *filum Schani*]. Nomen *tolahat* genericum est, nec unquam solitarium ponitur, ob designandum coccineum colorem: exprimit autem, nemine ambigente, vermiculum. Persuademur igitur non incongruè, nomen *Schani*, quod alteri illi jungitur, significare vermiculi genus quoddam; nec injuriâ reputaremus, Græca illa & Latina, quæ vermes significant, nomina *tamen* & *tinea*, derivari ex Hebræo *Schani* vel *Tani*, juxta pronunciationem Chaldæam; unde primum factum est *tani* pro *Schani*, deinde *tania*, vel *tinea*, vel *tainea*.

Juxta hanc hypothesim, *Schani* nec *duplicem* significabit, nec *bis tinctum*, sed vermiculum *coccum*. Hanc sententiam præfert S. Hieronymus in Epistolâ ad Fabiolam; eademque etiam inde fulcitur, quòd si *Schani* significaret seu duplicem, seu *bis tinctum*, nunquam poneretur absque substantivo exprimente seu rem ipsam, seu colorem panni; nec etiam ullo congruo sensu exponeretur phrasis illa loquendi ad literam sumpta: *Accipies pro veste Sacerdotum vermiculum bis tinctum*, seu *vermiculum duplicem*. Pronum est autem maximè, si scribentem reputemus: Accipies vermiculum appellatum *Schani*, vel lanam eo vermiculo tinctam. Putat Braunius (s) *Schani* derivari posse ex Hebræo *Schanam*, acuere; veluti significaretur penetrans vividusque ejus coloris radius.

Byssus. Hebraicè שש *Schesch*. Chaldæus, Septuaginta, Rabbini, et Recentiorum ferè omnes byssum retinent. Lutherus (t) aliique nonnulli sericum malunt. Arabs, Junius, Tremellius, Piscator, Willalpandus, Prado, Scheringhamus, aliique nonnulli gossypium malunt. Docent Rabbini, voce *Schesch* significari linum Ægyptium; de quo cùm agitur in Scripturâ, designaturque nomine *Schesch*, semper reputandum sit, agi de filo sexies duplici; est enim in Hebræo *Schesch* sex; vicissim autem linum uno filo constans appellatur בד *Bad*. Cunæus, Leusdenius, aliique nonnulli censent, *Bad* significare linum simplex, *Schesch* byssum, nempe linum Pelusii, quod tenuissimum est in universis illis regionibus. De *Schesch* cum Rabbinis sentit Braunius, nonnisi unius generis linum agnoscens, quod, si mero filo texatur, appellatur *bad*, si filis sex, *schesch*. Reputat autem, filum illud e sex simul contortis subtemen esse vestium purpurearum et hyacinthinarum. Credidisse videtur Philo (u), summi Sacerdotis tunicam contextam fuisse e lino incorruptibili, fortè ex eo lini genere, quod vim ignis superans, appellatur *vivum* & *asbestinum* (x). Ita ille: *Hoc tela genus difficilè rumpitur, nec fit ex ullâ re mortali; et cùm bene purgatur, tandorem habet eximium*.

Sed ut accuratiùs agamus de bysso, animadvertere juvat, vocem hanc usurpari interdum pro colore croceo, ad aurum accedente. *Byssinus color*

(n) *Plin. l. 9, c. 38.* (o) *Bellon. l. 1 observat. c. 17.* (p) *Bellon. l. 2, c. 88.* (q) *Vide dicta ad Exod.* xxviii, 4, & 32. (r) *Vide Genes.* xxxviii, 27; *Josue*, ii, 18; 2 *Reg.* i, 24; *Isai.* i, 18; *Jeremiæ* iv, 30; *Cant.* iv, 3; *Prov.* xxxi, 21. (s) *Braun. l. 1, c. 15, de vestitu Sacerd.* (t) *Vide eumdem, l. 1, c. 7.* (u) *Philo, lib. de somniis.* (x) *Plin. lib. 19, c. 1: Inventum jam est quòd ignibus non absumeretur; vivum id vocant, ardentesque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, sordibus exustis splendescentes igni magis, quàm possent aquis.*

Digitized by Google

volor auro proximur, ait Scaliger ; usurpatur etiam pro lanâ quadam Veteribus celebratissimâ. Porrò Veteres quatuor byssi genera distinguunt, Judaicam, Ægyptiam, Achaicam, & Indicam : æstimari plurimi byssum Elidis in Peloponneso, affirmat Pausanias [y] ; nihilque cedere notat Judaicæ, nisi quòd croceum non referat adeò nitidum. Plinius (z) præfert cæteris linum *vivum*, *& asbestinum*, vim ignis superans ; secundum ab eo locum concedit lino Elidis. Utrùm verò postremum hoc linum esset, an serici genus, ignoratur. D. Tournefortius, a me hac de re consultus, censet, linum Judaicum genus esse serici, quod in jubæ modum adhæret pisci conchæ rubræ, quem Rondeletius pinnam magnam appellat. Vero igitur simillimum est, byssum Elidis, utpote ejusdem cum Judaicâ generis, illâ non inferiorem, nisi elegantiâ quadam coloris, genus fuisse serici, ceu vellus crescentis in pisce *pinnâ*. Fusiùs de hoc bysso Judææ agemus in I Paralipomenon, xv, 27.

Byssus Indica genus esse lanæ fertur, quæ super arbores nascitur (a). Sed qua ratione hoc accipiendum sit, ignoratur. Lanuginem esse quamdam certi generis pomorum, significare videtur Plinius (b). Autumat Theophrastus [c] contineri intra complicata folia quarumdam arborum. An ne fortè gossypium fuerit ?

Byssum Ægyptiam affirmat Pollux (d) lini genus esse, vel potiùs tenue quiddam, tenuissimo lino simile, quod in arbore quadam crescit. Qua ex narratione D. Turnefortius infert, byssum fuisse serici genus illud, quod *apocynum* dicunt, descriptum & figurâ expressum a Prospero Alpino, sub nomine *Beidelsar*. In horto Regis Galliarum colitur hæc planta, & quod educitur sericum, non aliud est, quàm tenues illæ plumulæ, in seminibus ejus plantæ subcrescentes. Tenuitate et nitore sunt supra fidem, nendo faciles, atque pannis conficiendis non impares.

Meminit Scriptura duorum byssi generum, præter linum. David pallio byssino vestiebatur(e) (Hebr. *buz*) cùm solemni pompâ Arca traduceretur Jerosolymam. Tunc primò vox illa occurrit. Suspicamur, byssum Judaicam e pisce *pinnâ* ipsissimam esse, quam Jeremias in Threnis, iv, 7, appellat *Peninim*. Porrò de bysso illâ non ante in sacris Libris mentio, quàm ætate Davidis & Salomonis. Quare substituta fuisse videtur a Salomone pro *schesch*, de quo Moyses; non enim occurrit *schesch* in iis ornamentis, in quibus Moyses constituerat. Adhibet ejus loco Salomon *buz*, seu *byssum*, augustioris magnificentiæ gratiâ.

Alterum byssi genus in Scripturâ est *schesch*, quod ipsissimum esse gossypium, his argumentis persuademur. In vernaculo Hebræorum sermone suum est nomen lino בד ; suum item bysso genuinæ בוץ ; tertium est tandem pro re, quam appellant שש *schesch*. Tres autem illas voces tanquam synonimas indiscriminatim positas fuisse, nusquam demonstrabitur : reputandum est igitur, tria distincta rerum genera significare. Sed & distinguit non obscurè Scriptura : vestes e *schesch* nonnisi honoratissimis tribuit ; ex lino vulgaris erat vestis Ægyptiorum (f) & Hebræorum. Eductus e carcere Joseph, Pharaoni sistendus, induitur tunicâ lineâ *bad* (g): vix autem ad præfecturam totius Ægypti erigitur, ex *schesch* vestem sumit. Vitta capitis summi Sacerdotis texta erat ex *schesch*, uti & tunica ; cùm minorum Sacerdotum lineæ essent. Mulier fortis apud Salomonem induebatur *schesch* (h) & purpurâ : In Textu Hebræo additur plerumque *schesch* epithetus משזר *maschesar*, seu retortum, quod nunquam de lino dicitur. Tandem Capite xxxix, 27, est *bad* seu linum, & *schesch*, quibus texuntur femoralia Sacerdotum. Quis hîc duo illa tanquam distincta non agnoscat ? si tamen ponas, Textum ejus loci integrum esse nec corruptum, uti suspicandi ratio est non levis. Unicum discrimen inter linum et byssum vulgò constituitur in tenuitate majori vel minori ; vincebat enim linum vulgare byssus tenuitate, nitore, et pretio; idem tamen erat utrumque genus : cùm interim Scriptura inter *bad* & *schesch* majus quàm in tenuitate, discrimen innuat.

Nec diù morandum censeo in refutandis iis, qui *schesch* designare credunt subtemen e sex filis ; non enim eum sensum admittit syntaxis Originalis ; neque satis congruè diceretur : *Facies tunicam ex sex*, nihil exprimendo interdum saltem ex lino ne, an aliâ re quacumque. Nec sanè, nisi absurdè, quis usurparet : *Accipe hyacinthum, purpuram, et sex*. Quid hæc ? Nec meliùs : *Facies cingulum e sex retortis*. Fateor equidem, Hebræo familiares esse loquendi phrases quasdam suspensas & imperfectas : sed absolutæ & perfectæ, interdum saltem, maximè si frequentes, occurrunt : id autem ne semel quidem species in *schesch*, sæpe occurrente in his libris, in quibus fusè & accuratè omnia explicantur.

Agnoscendum est ergo, *schesch* rem esse texendis vestibus aptam, alteram a lino & bysso. Gossypium esse ista persuadent. Primò, authoritas Arabis, vertentis *schesch* gossypium. Porrò Interpres ille præ aliis meliùs norat, quid esset gossypium, familiarissimum in Arabiâ, ut & nomen ipsum vernaculum *cotton* ex Arabum sermone derivetur, juxta Maimonidem (i). II, Vox *xylinum* apertè etiam compositum videtur e *xy*, seu *schesch*, & *linum*. Scitum est autem, gossypium sæpè idem putari cum lino : appellatur autem sæpè genus illud lineæ lanæ ex *xes*, vel *sches*, *xylinum*, quòd tela ex eâ conficeretur, tanquam ex lino. III, Nomen gossypium Græcum æquè & Latinum ducitur ex אגוש, *egos*, *nux* in Hebræo, & פה, *pe* seu *pi*, os, vel *pioth*, ora, quòd nux continens gossypium, veluti dirupto, cùm maturescit, ore vomat gossypium. IV, Minùs erat olim, quàm nunc, familiare gossypium, plurisque æstimabatur. Nasci tantùm ferebatur in Indiâ ; hodiè vero abundat in Arabiâ & Ægypto; & Plinio teste (k), Sacerdotes Ægypti plurimi

(y) *Pausan. in Eliacis*: Οὐκ ἀχοδῶ τῆς ἑβραίων βύσσου, ἔστι δὲ οὐχ ὁμοίως ξανθή. (z) *Plin. l. 19, c. 1.* (a) *Pollux, l. 7, c. 17*: Ἡ βύσσος, λίνου τι εἶδος παρ' Ἰνδοῖς. (b) *Plin. l. 19, c. 1.*
(c) *Theophrast. l. 4, c. 9 hist.* [d] *Pollux, onomast. l. 7, c. 17*: Ἤδη δὲ καὶ παρ' Αἰγυπτίοις ἀπὸ ξύλου τι ἔριον γίγνεται, ἐξ οὗ τὴν ἐσθῆτα, λίνου μᾶλλον ἄν τις φαίη προσεοικέναι. [e] *1 Par. xv, 27.* ודויד מכרבל במעיל בוץ (f) *Herodot. l. 2.* (g) *Genes. XLI, 14, & 42.* (h) *Prov. XXXI, 22.*
(i) *Apud Braunium, l. 1, c. 6, de vestitu Sacerdot. Hebr.* (k) *Plin. l. 19, c. 1*: *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui gossypion vocant, plures xylin, & ideo lina indè facta, xylina. Parvus est, similemque barbatæ nucis defert fructum, cujus ex interiore bombice lanugo netur. Nec ulla sunt eis candore mollitiâve præferenda. Vestes inde Sacerdotibus Ægypti gratissimæ.*

℣. 5. Et pelles arietum rubricatas, pellesque ianthinas, & ligna Setim:

COMMENTARIUS.

simi æstimabant e gossypio vestes, candore & tenuitate cæteris superiores.

Quis in animum induxerit, Moysem, qui in vestes Sacerdotales conferre voluit quidquid ditissimum, elegantissimum, et pretiosissimum esset in Ægypto & Arabiâ, neglexisse gossypium, pretio tunc & æstimatione linum superans, cujus neque ignorantiam causari ille potuisset? Affirmat Bellonius (l), telas e gossypio in eâ regione confici, quæ tenuitate sericeas superant, candore verò lineas vel cannabinas. Quantâ olim æstimatione tenerentur in eam rem Ægyptii, satis indicat Herodotus (m), narrans, Amosim Regem Ægypti munus Regi Lacedæmonum misisse thoracem lineum, plurium animalium figuris distinctum, ornatumque auro & lanâ xylinâ, seu gossypio. Meminit etiam Pollux (n) telæ e gossypio, cujus erat stameo e gossypio, & subtemen e filo. Familiare erat eâ ætate, nec hodie pariter abolitum est, ut in telis & pannis fila adhiberentur e pluribus contorta, vel in subtemine, vel in stamine, eâque forsasse de causâ apud Moysem occurrit frequenter *byssus retorta*. Porrò tunicæ e filamentis multiplici plexu contortis plurimi olim æstimabantur, adhibebanturque familiarissimè, uti ostensum est ad Caput XXVIII, 4. Helenam describit Homerus [o], dum splendidam duplicemque telam texit.

Pilos caprarum. Apud Veteres (p), Recentioresque frequens sermo de pilis caprarum, familiaribus in Asiâ minori, Syriâ, Ciliciâ, & Phrygiâ. Cilices præ cæteris æstimati, unde nomen Sagis Ciliciis, ex quibus tentoria, tecta, & nautis vestes conficiebantur. Virgilius Georgicorum III:

Nec minùs interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci, setasque comantes,
Usum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Itidem Varro (q) de capellis Phrygiæ. Apud recentiores Itinerantes legas capellas Asiæ, quarum tonso vellere illud panni genus tenuissimum texitur, quod appellant *camelottum*. Narrat Bellonius [r], caprarum ejusmodi villos albos esse: ita verò Busbequius de capellis a se visis in itinere Constantinopoli Amasæam: Villis vestiuntur tenuissimis, & maximè rutilis, ad terram usque promissis, quorum nitor nihil serico cedit; hi non tondentur, sed avelluntur pectine. Curæ est pastoribus lavare sæpe capellas in fluviis. Aluntur herbâ tenui & aridâ; id quod maximè velleris tenuitati conducere creditur. Fœminæ ejus regionis vellus illud ad colum nent, deferuntque Angorium, ubi & imbuuntur colore, & in opus adhibentur; cujus generis negociatio est maxima Angorii & Aleppi. Servat D. Tournefortius vellera quædam ejus generis cum suis villis.

℣. 5. Pelles arietum rubricatas. Creditum est, integrum vellus rubro colore infici consuevisse. Hebræus ad literam habet (s): *Pelles arietum rubras*. Affirmant Itinerantes, familiares esse in Oriente oves vellere rubro, ad violaceum accedente. Non desunt qui credant, aureum illud vellus, & poma Hesperidum, fabulis celebratissima, nihil aliud reputanda, quàm oves vellere aurei coloris & subrubro; Μῆλα enim Græcè æquè sunt oves & poma. Describit Homerus (t) agnos Polyphemi violaceo vellere. Meminit Plinius (u) nonnullorum Asiæ arietum rubro vellere: *Asia rutili [velleris] quas erythræas vocant*. Aquæ Scamandri croceo imbuere ovium vellera censebantur, teste Aristotele (x). Vitruvius (y) id habet de Xantho: *Quoniam in campis Trojanis proximè flumen armenta rufa & pecora leucophea nascuntur; ideò id flumen Ilienses Xanthum appellasse dicuntur.* Non immeritò putamus agi hìc a Moyse de arietibus rubro vel aureo vellere. Vide quæ contulimus infra in caput XXXV, 25.

Pelles ianthinas. Septuaginta: *Pelles hyacinthinas*, vel cæruleo saturo aut violaceo. Hebræus ad literam [z]: *Pelles techaschim*. Qui postremam hanc vocem de colore interpretantur, designatum putant cæruleum, cœlestem, seu violaceum; in quam sententiam plurima congessit Bochartus. Contendit ille, colorem *techaschim* ipsissimum esse Latinorum hysginum, idest cæruleum saturum. Plinius (a): *Coccoque tinctum tyrio tingere, ut fiat hysginum*. Qui verò censent, *tachas* animal esse quoddam, inter se non conveniunt. Plerique (b) accipiunt pro taxo, quòd satis affine sit Hebræum *tachas* Latino *taxus*. Rabbinorum nonnulli explicant de pelle unicornis; alii de corio bovis (c), alii de corio varii coloris, seu tandem animalis, quod ætate Moysis notum, hodiè ignoratur. Meminit quidem Ezechiel (d) calceorum e *tachas*; sed an eo nomine corium certi animalis, seu potiùs certi coloris designetur, planè latet.

Ligna setim. Hebræum עצי שטים *Setim* hujus Textûs reddiderunt Septuaginta, οἱ & Theodotion,

---

(l) *Bellon. observat. l. 2, c. 60.* (m) *Herodot. l. 3, c. 47:* Θώρηκα λίνεον, καὶ ζῴων ἐνυφασμένων συχνῶν, κεκοσμημένον δὲ χρυσῷ καὶ εἰρίοισι ἀπὸ ξύλου. (n) *Pollux l. 7, c. 27.* (o) *Iliad.* Γ.
Ἡ δὲ μέγαν ἱστὸν ὕφαινε,
Δίπλακα, μαρμαρέην.
(p) *Vide Aristotel. hist. animal. l. 8, c. 18, & 22: & Plin. l. VIII, c. 50.* (q) *Varro de re rusticâ. Capræ tondentur, quòd magnis villis sunt in magna parte Phrygiæ, unde cilicia, & cætera ejus generis fieri solent.* (r) *Bellon. l. 2 observ. cap. 121.* (s) ערת אלים מאדמים *Aq. Sym. Theod.* Δέρματα κριῶν ἠρυθροδανωμένα. *Pelles arietum ignei coloris.* (t) *Homer. Odyss.* I.
Ἄρσενες ὄϊες ἦσαν, ἐϋτρεφέες, δασύμαλλοι
Καλοί τε, μεγάλοι τε, ἰοδνεφὲς εἶρος ἔχοντες.
(u) *Plin. l. 8, c. 48.* (x) *Arist. hist. animal. l. 3, c. 12.* (y) *Vitruv. l. 8, c. 3.* (z) ערת תחשים *Septuag.* Δέρματα ὑακίνθινα. *Aq. Sym. Th.* Δέρματα ἰάνθινα. (a) *Plin. hist. nat. l. 9, c. 41.* (b) *Vat. Mont. Munst. Fag. &c.* (c) *Rab. Abenezra.* (d) *Ezech. XVI, 10: Calceavi te ianthino.*

℣. 6. Oleum ad luminaria concinnanda: aromata in unguentum & thymiamata boni odoris:

℣. 7. Lapides onychinos, & gemmas ad ornandum ephod, ac rationale.

COMMENTARIUS.

dotion, ξύλα ἄσηπτα, *ligna imputribilia*. Sed alibi (*e*) vertunt *buxum*, alibi (*f*) lentiscum. Symmachus in Exodum xxxv, 7, ξύλα ἀκάνθινα, ligna spinæ; quare Versioni parùm adeò constanti parùm fidas. Syriacus interpretatur *lignum Hebeni*; Arabs minùs exactè, *lignum sanctum*; Thalmudistæ & Philo (*g*) *cedrum*; alii pinum silvestrem. Suspicatur Edmundus Castellius, agi de spinâ quadam Arabiæ, cujus eximia est pulchritudo & soliditas; sed arbuscula est nimis parva & distorta, quàm ut in asseres scindatur latos cubito & semis, utì de lignis Setim legitur in capite proximè succedenti.

Describit Herodotus (*h*) *spini* genus quoddam, cujus est plurimus in Ægypto usus ad onerarias naves cum malis conficiendas. Eadem arbor legitur apud Diodorum (*i*), utì & altera nomine *eithia*, quod satis accedit ad *Sethim*. Sed majori veri specie censeremus, *Setim* ipsissimam esse *Acaciam*, qua unicâ arbore Arabiæ deserta abundant (*k*). Nomen *Setim* commodè derivatur ex Arabico *set*, longus, vel *sitta*, linea, aut *schoset*, baculus, utì observat Hottingerus. Acaciam, quam Arabes appellant *saut*, Ægyptii nomine *sont* significant. Facilè Septuaginta reddiderunt *sittam*, ex quo Amanuenses fecerunt *asepta*, imputribilia, quid eâ voce designaretur, ignorantes (*l*).

Ita verò Veteres Recentioresque describunt Acaciam, ut plurimùm congruat cum lignis Setim Scripturæ. Familiaris erat in Ægypto Acacia, utì & in Arabiâ, ubi Moyses versabatur, quo tempore Tabernaculum constructum est; nec facilè credimus, in opus assumi aliud voluisse, quàm lignum in regione, ubi versabatur, familiare, elegantiâ pariter & soliditate nullo inferius. Acacia nigra firma est adeò & solida, ut corruptionem fermè respuat: scissa colorem refert Loti; scinditur autem in asseres duodecim cubitorum longitudine; ramis non assurgit: folia rotunda instar pyrorum, eâdemque magnitudine, quorum color e posteriori parte fuliginosus, e superiori viridis albescens. Fructus cùm maturitatem attigerit, liquorem reddit nigrum; acerbus verò viridem & subrubrum. Porrò S. Hieronymus præ oculis habuisse creditur Acaciam, cùm lignum Setim ita describit: *Genus est arboris in eremo, spinæ albæ simile, colore & foliis, non magnitudine. Alioquin tam grandes arbores sunt, ut latissima ex illis tabulata cædantur: lignumque fortissimum est, nodis carens, & incredibilis levitatis & pulchritudinis, ità ut ex his etiam vasa torcularium ditissimi quique & studiosissimi faciant: quæ ligna in locis cultis, & in Romano solo absque Arabiæ solitudine non inveniuntur.* Alibi etiam asserit, lignum esse spinæ albæ simillimum.

Agens Thevenotius (*n*) de Acaciâ Arabiæ, narrat, hanc neque crassitie, neque proceritate salices nostrates superare, foliis tamen esse tenuissimis & spinis armari. Exprimitur ex eâ gummi, quod *akakiam* appellant Arabes. Unicam gummiferam Arabiæ Petrææ arborem esse dicit Aetius [*o*]; quod vix mihi persuaderetur; unde enim alioqui myrrha, thus & alia id generis, nisi ex Arabiâ? Alia planè censenda est Acacia ista Thevenotii, quàm ligna Setim Scripturæ.

℣. 7. Lapides onychinos. Hebræus ad literam: אבני שהם *lapides Soham*. Smaragdum hac voce significari credimus (*p*). In quibusdam exemplaribus LXX hæc vox præteritur; in aliis legitur Sardonix.

Et gemmas. Hebræus ad literam אבני מלאים *lapides plenitudinum*, vel *ad implendum*, vel *ad ligandum*. Chaldæus: *Et lapides ut impleant cælaturas Ephod, & Rationalis.* LXX: Λίθους εἰς τὴν γλυφὴν, *lapides in sculpturam*, quibus insculpi possit. Malim simpliciter gemmas, quæ auro argentoque ligari possent.

Ad ornandum Ephod. Nomen אפוד *Ephod* ex Hebraicâ radice, quæ sonat alligare, jungere, cingere. Primitivum אפד *Aphad*, reddunt interdum Septuaginta alligare, nectere fibulâ, catenâ, unco. Congruit huic vocis significationi usus, in quem Ephod destinatur; stringebat enim vinciebatque tunicam hyacinthinam Summi Sacerdotis. Nomen Ephod servavit non rarò in suâ Versione Author Vulgatæ; interdum verò reddit *Superhumerale*, quod planè respondet Græco ἐπωμὶς, *epômis*, vestis humeris injecta. Usi sunt non rarò Septuaginta voce *Epômis* pro Ephod, ut hîc & alibi frequenter, in aliis verò Textibus variarunt; interdum enim (*q*) posuerunt ποδήρη, *vestem talarem*; interdum (*r*) ἱερατικὴν *vestem Pontificiam*; interdum (*s*) στολὴν, *stolam*, quæ vestis est oblonga. Aquila a S. Hieronymo laudatus in Epistolis ad Fabiolam, & ad Marcellam, habet: Ἐπένδυμα, *vestis superior*, seù vestis, quæ supra cingitur.

Erat Ephod vestis Sacerdotibus omnibus communis; & puer adhuc Samuel suo induebatur Ephod (*t*). Velatos lineo Ephod LXXXV Sacerdotes Doëgus trucidavit (*u*). Ipse *David erat accinctus Ephod lineo*, cùm solemnem pompam translationis Arcæ e domo Obededom in Tabernaculum Sion comitabatur (*x*).

Adeò verò Ephod inter sacra vestimenta censebatur, ut nunquam ejus sit usus, nisi Sacerdotibus; & si quando profanis & Levitis, illis tamen nonnisi viris amplissimis, & in cæremoniis religiosis: *Illud breviter attende*, ait S. Hieronymus

(e) *Vide Isai.* XLI, 19. (f) *Mich.* VI, 5. (g) *Lib. 3 de vitâ Mos.* [h] *Herodot. l. 2, c.* 96. [i] *Diodor. l. 5, c.* 10. (k) *Bellon. observ. l. 2, c.* 56, *&* 80. (l) *Vide Stephan. Morin. Præfat. in Edit. Bochart. Lugd. Batav. an.* 1692. (m) *Hieron. in Joël.* III, 18; *Idem in Mich.* VI, 5: *Ligna setim, quæ habent similitudinem arboris, quam nos vulgò spinam albam dicimus.* [n] Thévenot, voyage de Levant, partie 2, c. 26, p. 318. (o) *Ætius, l. 4, c.* 11. (p) *Vide dicta ad Genes.* II, 12. (q) *Exod.* XXVIII, 31. [r] *Osee,* III, 4. (s) 2 *Reg.* VI, 15; *&* 1 *Par.* XV, 27. [t] 2 *Reg.* XII. 18. [u] 1 *Reg.* XXII, 18. (x) 2 *Reg.* VI, 14.

nus ad Marcellam, *quòd nunquam nisi in Sacerdotio nominetur Ephod*. Quæ tam altè obtinebat persuasio, ut nec Idolorum superstitiosus cultus absque Ephod esse posse censeretur. Facilè etiam Numinum Sacerdotes Idolis suis ornamenti genus illud viodicabant; solebant enim iis vestibus induere Deos, quibus ipsi utebantur. Isaias xxx, 22: *Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum* (ephod) *conflatilis auri tui*. Gedeon [y], nihil iniquum meditatus, confici jussit Ephod in cultu veri Dei, quamquam extra Tabernaculum; inde tamen data peccandi occasio Israëli universo. Michas (z) conflato sibi Idolo, & in domo suâ consecrato, Ephod assignavit. Futurum Deus prædicit Israëlitis per Osee III, 4, ut *dies multos sedeant sine lege, sine Principe, sine sacrificio, sine altari, sine Ephod, sine Teraphim*, idest, omni carentes seu veræ seu falsæ Religionis indicio.

Nihil peculiare de Ephód nedum Levitarum, sed neque Sacerdotum, præscribit Moyses; quin & ex ejus libris nihil colligitur, quod eo ornamento usos illos fuisse doceat; non enim nisi Ephod Summi Sacerdotis describit, cujus tantummodò usum, & materiam indicat; quare nihil sufficit, cujus ope ejus figuram determinemus. Hinc varii pro arbitrio varia. Græcorum pallio simillimum fuisse testatur Josephus (a). Cubito porrigebatur, variis coloribus, & aureis bracteis distinctum: quæ pars medio pectori respondebat, omni ornamento carens, excipiendo Pectorali destinabatur. Vestis erat maoicata, a tunicâ non abhorrens. Loricæ comparat Philo (b). Pallioli formam retulisse S. Hieronymus ad Fabiolam scribit, non dissimilem vestibus, quas *caracallas* vocant, sed sine cucullo. Erant autem caracallæ apud Veteres brevissimæ vestes, non absimiles clamydibus, quibus induuntur Caduceatores apud nos in pompis solemnibus; hiscebant ad latera, manicis tamen destitutæ.

Contendit Braunius, Ephod caruisse manicis, & usque ad inferiorem ventrem, & infra etiam descendisse: quam in rem laudat Abarbanelem, & Kimchi. Africano pallio, quod Tertullianus [c] describit, comparat D. Clericus. Anterioribus hujus pallii partibus retro post scapulas rejectis, & brachia erant expedita, & anterior tunicæ pars revelabatur. Scapulis vinciebatur unco, totumque protegebat collum. Pallio Æsculapii comparat Tertullianus.

Sed ab his omnibus abhorruisse Ephod, satis constat, cùm Textus Mosaicus revocatur in examen. Ita igitur fuisse reputamus: Duplex erat fascia, seu lorum ditissimi operis, cui jungebatur collare; pendebat autem utraque ante & retro ad utrumque humerum: jungebatur in inferiori ventre, veluti cingulo adstringens tunicam hyacinthinam. Huic opinioni fidem conciliabimus ex literâ Textûs Mosaici; habet enim ille capite XXVIII, 6, contextum fuisse *de auro, hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto & bysso retortâ*. Id habebat peculiare Ephod Summi Sacerdotis supra communia cæterorum Sacerdotum, quæ tantummodò linea erant. Porrò Ephod Pontificis habebat שתי כתפת *duas oras junctas in utroque latere*, idest, hiscebat ad latera, iterumque in extremis oris coibat. (℣. 8) Vittæ Ephod (d) ipsi adhærentes, quæ vestem tanquam cingulo stringebant, eodem opere contextæ erant ac Ephod; nec alibi ipsi adhærebant. (℣. 9) Quo loco Ephod humeris respoodebat, duas habebat gemmas, nomine duudecim Tribuum insculptas. Induebatur itaque Aaron interiori quadam tunicâ (e) & paludamento vel pallio Ephod, מעיל האפד, idest, quod Ephod veluti cingulo stringebat. Supra pallium illud eminebat Ephod & pectorale. Cùm Moyses Pontificiis vestibus Aaronem induit [f], vestivit eum Ephod, quod constrinxit balheo ejusdem cum Ephod illo texturæ. Hæc Moyses de Ephod, nec aliter interpretantur Septuaginta, & Chaldæus. Ex ℣℣. 27, & 28 hujus capitis intelligimus, suas fuisse vittas parti superiori sive scapulis Ephod junctas, tam ex anteriori, quàm ex posteriori parte pendentes, ob tunicam Summi Sacerdotis cingendam. Quas autem appellat Textus *scapulas Ephod*, ipsissimæ sunt partes Ephod, quæ super utramque scapulam jungebaotur, quo loco adhærebant vittæ.

Multò itaque simplicioris operis erat Ephod, quàm reputarint Veteres, Recentioresque Scriptores, Josephi & Philonis fidem secuti. Non erat utique, cur comminiscerentur, formatam perpetuo panni ductu vestem, non manicatum quid, oon hiscens ad latera; stolæ genus erat, e collo pendentis, qua superior tunica summi Sacerdotis stringebatur. Magni quidem ponderis in hac re fatemur testimonium Josephi: scimus equidem, oculatum sæpè testem spectasse Summum Sacerdotem sacris vestibus indutum, nec ignorasse proinde, cujus esset formæ Ephod; habemus tamen persuasum, ejus ætate Ephod alterum planè fuisse a Mosaico: quod mirum non est; plures enim Sacerdotales vestes describit ille aliter planè, ac Scriptura. Ita quæ de tiarâ summi Sacerdotis, de cingulo stringente tunicam hyacinthinam, de gemmis Rationalis aliisque pluribus apud illum legas, lectores Textum Mosaicum expendentes in eam inducent persuasionem, Sacerdotes ætate Josephi plurimùm aberrasse a cæremoniis per Moysem præscriptis. Constat utique, ipsis Judæis fatentibus, in secundo Templo Sacerdotes unctione caruisse; desiisse pariter Urim & Thummim (g). Porrò illos minori religione servasse cætera, cavisse autem nequid mutarent de Sacerdotalium vestium formâ, quis credat?

Numina apud Ægyptios ornamenti quodam genere induebantur, iis quæ de Ephod disputavimus, proximo. In Tabulâ Isiacâ a Pignorio expositâ, plures spectare licet figuras, vittis quibusdam amplioribos indutas, & supra vestes omnes, & ad utrumque humerum, anteriùs posteriusque, coëuntibus simul, quo loco cingulus adstringitur; cohibent illæ luxuriantem quamdam vestem, a renibus ad usque pedes fluentem. Ægyptius Sacerdotes iisdem planè vestibus indutos, ac Deos suos, utì observat Theodoretus (h), vittis pariter ejusmodi pro cingulo usos fuisse

(y) *Judic.* VIII, 27. (z) *Ibid.* XVII, 5. (a) *Antiq. l.* 3, *c.* 8. (b) *L.* 3 *de vitâ Mos.* (c) *Tertull. de Pallio: Pallii extrinsecus habitus & ipse quadrangulus, ab utroque laterum regestus, & cervicibus circumscriptus, in fibulæ morsu humeris acquiescebat; instar ejus hodie Æsculapio jam vestro sacerdotium est.*
(d) חשב אפדתו *Vide Exod.* XIXX, 5; *& Levit.* VIII, ubi hæ voces idem significant, quod nos reddidimus.
(e) *Exod.* XXIX, 5. (f) *Levit.* VIII, 7. (g) *Vide Kimchi, & Rab. Ben-gerson ad* 1 *Reg.* XXIV, 18.
(h) *Theodoret. Ser.* 3 *de Græc. affect. curatione.* Αἰγύπτιοι ὡσαύτως αὐτοὺς (Θεοὺς) διαμόρφουσι πρὸς τὴν ἱερέων μορφήν.

Digitized by Google

℣. 8. Facientque mihi ſanctuarium, & habitabo in medio eorum:
℣. 9. Juxta omnem ſimilitudinem tabernaculi, quod oſtendam tibi, & omnium vaſorum in cultum ejus: ſicque facietis illud.
℣. 10. Arcam de lignis ſetim compingite, cujus longitudo habeat duos, & ſemis cubitos: latitudo, cubitum, & dimidium: altitudo, cubitum ſimiliter, ac ſemiſſem.

COMMENTARIUS.

æ, non longè a veri ſpecie crederemus.

Balthei loco utebantur Ephod. Porrò ſi loricæ vel militaris paludamenti aut caracallæ figuram prætuliſſet, *ſi veſtis, quomodo*, ait S. Hieronymus (*i*), *ea præcingitur*? Quid etiam non ridiculum fuiſſet Ephod lineum, quale pingitur a noſtris, impoſitum ſuper lineas tunicas vulgarium Sacerdotum?

Facilè ergo concesserim viro doctiſſimo D. Abbati Fleury, cinguli genus illud, diu vulgaris in Ægypto, quod Authores *redimiculum*, *Anabolen*, *bratile*, *rebrachiatorium*, *ſuccinctorium* appellant, ſatis acceſſiſſe ad Ephod. Porrò *redimiculum* ita deſcribit S. Iſidorus (*k*): *Cinguli genus eſt, quod dividens per cervicem, & a lateribus colli divisum, utrarumque alarum ſinum ambit, atque hinc inde ſuccingit, ut conſtringens latitudinem veſtiat corpus, atque conjungendo componat*. De *ſuccinctorio* ſeu *rebrachiatorio* Monachorum Ægypti, tradit Caſſianus (*l*), vittam fuiſſe laneam, e collo per latera deſcendentem, & infra brachia veluti cingulum, quod fluentem tunicam ſtringeret. Ideam hujus rei totam expreſſiſſe credo laneam illam albamque veſtem, de qua Herodotus (*m*), ab Ægyptiis rejectam ſupra tunicam ac pallium.

Ephod ſummi Sacerdotis ſimilitudine quadam expreſſuri novæ Legis Pontifices, induerunt *pallium*, cujus alia fuit tunc, quàm nunc ſit, figura. Vitta erat lanea, tribus digitis lata, diſſeminatiſque ac variis purpureis crucibus ornata, e collo per utrumque humerum ad terram fermè fluens. Quæ verò pars per dextrum humerum deſcendebat, ſuper ſiniſtrum rejiciebatur; quod hodiè etiam in *pallio* ſervatur a Græcis. Superhumerale illud, in vetuſtis nonnullis imaginibus pictum, quo hodie pariter utuntur Epiſcopi Tullenſes in Lotharingiâ, proximè referebat Ephod Aaronicum.

Rationale. Eâ voce Author Vulgatæ exprimendam duxit vim Græcæ vocis *logion*, deſignantis facilè rationem ſeu verbum; quo veluti innuitur, ornamento illo mentem Summi Sacerdotis ad res futuras agnoſcendas illuſtrari. Eamdem vocem ſervant Aquila, & Symmachus. Genuina radix & ſignificatio Hebræi חשן *choſchen*, ignoratur. Septuaginta reddunt hìc ποδήρη, tunicam ad pedes uſque deſcendentem: inferiùs verò XXVIII, 4, περιστήθιον, ornamentum protegens pectus; eodemque capite, ℣. 15, λογεῖον, *logeion*, *rationale*. Additur plerumque epithetus: *Rationale judicii*. Ornamentum hoc deſcribemus Capite XXVIII, 15.

℣. 8. Facientque mihi sanctuarium. Ita Deus appellat tentorium, ubi exhibiturus erat majeſtatis ſuæ, & præſentiæ argumenta. Sanctuarii nomine appellata eſt abdita illa & ſanctior Tabernaculi portio, quò ſemel tantùm quotannis ſummo Sacerdoti aditus erat.

Erat autem Tabernaculum veluti geſtatorium quoddam Templum Domini Dei Iſraël, plurium ſæculorum ſpatio unicè pro Templo valens; nec ſanè in totâ Antiquitate ſacrâ & profanâ vetuſtius aliud ſpectatur, quàm geſtatoria ejuſmodi Templa. Meminit Amos V, 26, ædiculæ ſeu tentorii Moloch, quod Iſraëlitæ in itinere per deſertum geſtabant. Templum Agrotis apud Sanchoniatonem (*n*), tentorium erat vel ædicula curru vecta a paribus boum nonnullis. Ipſi pariter Ægyptii inventorum Templorum honorem ſibi vindicantes, diù tenuerunt uſum geſtatorii Templi ſeù ædiculæ, in quibus Numina conſtituebant. Cùm iter haberent extra urbes, aliqua ex ejuſmodi Numinibus ſecum deferebant. Phœnices cùm maria excurrerent, habebant Deorum imagines ſive ad puppim ſive ad proram navis conſecratas. De Templis nihil habet Moyſes, ſed tantùm de monumentis, aris, conſecratis lapidibus, nemoribus, tentoriis. An tunc obtinerent Templa, ambigo.

℣. 9. Juxta omnem similitudinem tabernaculi. Quod hìc Vulgata in futuro, in præſenti habet Hebræus cum Septuaginta. Exhibuit tunc Deus Moyſi pictum in phantaſmate ſeu mente conſtruendi Tabernaculi modulum: *Facito ſecundùm ſimilitudinem quam tibi exhibeo*, oculis nempe vel menti.

℣. 10. Arcam de lignis setim compingite. Incertum mihi, an Syri, Ægyptii et Græci morem illum deduxerint ex Hebræis, condendi ſcilicet in arcâ ſeu ciſtâ abditiſſima quæque myſteria. In pompâ vel ſupplicatione Iſidis (*o*), *Ferebatur ab alio ciſta ſecretorum capax, penitùs celans operta magnificæ religionis*. Meminit etiam Arcæ, claudentis auream alteram aquâ potabili plenam, Plutarchus in Libro *de Iſide & Oſiride*.

Sed quam Deus conſtruendam hìc præcipit, Arca non erat deſtinata celandis probroſis illis abſurdorum myſteriorum arcanis, quæ tanto ſtudio tegere conabantur Pagani; deſtinabatur enim ſervando depoſito monumentorum initi a Deo cum Iſraëlitis fœderis, ideſt Tabularum legis, continentium potiſſima ejus legis capita; unde nomen *Arca Fœderis* vel *Teſtamenti*; unde etiam ℣. 16, collocandæ ibi edicuntur *teſtificationes*

(i) *Hieron. ad Marcellam. Vide etiam, ſi lubet, Origen. homi. 6 in Levit.* (k) *Iſidor. l. 19 Origin. c. penult. Vide Martinii Lexicon, in Redimiculum.* (l) *Caſſian. l. 1 Inſtit. c. 6.* (m) *Herodot. l. 2, c. 36, & 81.* Ἐπὶ τούτοισι δὲ εἰρίνεα εἵματα λευκὰ ἐπαναβληδὸν φορέουσι. (n) *Apud Euſeb.* Ναὸν ζυγοφορούμενον. (o) *Apulej. Metamorph. l. 11.*

℣. 11. Et deaurabis eam auro mundissimo intus, & foris; faciesque suprà coronam auream per circuitum:

℣. 12. Et quatuor circulos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos; duo circuli sint in latere uno, & duo in altero.

℣. 13. Facies quoque vectes de lignis setim, & operies eos auro,

℣. 14. Inducesque per circulos, qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis.

℣. 15. Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.

℣. 16. Ponesque in Arcâ testificationem, quam dabo tibi.

℣. 17. Facies & propitiatorium de auro mundissimo: duos cubitos, & dimidium tenebit longitudo ejus; & cubitum, ac semissem latitudo.

COMMENTARIUS.

cationes, id est, initi fœderis publicæ tabulæ. Servatam ibi pariter credunt aliqui virgam illam Aaronicam, quæ flores olim emisit (*p*), & Gomor mannâ plenum (*q*), monumentum posteris futurum pabuli, quod Deus populo iter habenti per desertum suffecit: sed multò veriùs judicamus, hæc omnia non intra, sed juxta Arcam posita fuisse.

℣. 11. Deaurabis eam auro mundissimo; id est, aureis laminis teges; hæc enim tantùm deaurandi ratio tunc obtinebat, cùm nondum inventa esset ars illa, tenuissimis auri foliis, seu liquido auro res oblinendi.

Coronam auream per circuitum. Corona illa, vel limbus circum Arcam regnans, appellantur a Septuaginta (*r*) *Cymatia aurea tortilia* (fluctus vel undulæ) seu *versatilia in circuitu*.

℣. 14. Ut portetur in eis. [℣. 15.] Qui semper erunt in circulis. Vectes illos, de quibus hìc Moyses, in usum gestandæ arcæ, cùm castra moverentur, fuisse vulgò censent. Favere videtur huic opinioni illud Numerorum IV, 6: *Operient velamine ianthinarum pellium, extendentque desuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes*. Sed qui hæc cohæreant cum tradito hìc præcepto, *Qui semper erunt in circulis*? Reponunt aliqui, brevissimo tantùm intervallo subductos, quamdiu scilicet tegumentum induceretur Arcæ, restitutos deinde statim; quod vix tamen intelligimus. Faciliùs enim relinquerentur vectes illi, quàm iterum insererentur post obvoluta duo vel tria Arcæ velamina. Multò æquiùs alii putant, alios esse vectes illos in libris Numerorum, quàm qui nunquam subducendi hìc edicuntur. Priores illi ferculi genus quoddam erant, cui tecta suis velaminibus Arca imponebatur, ut transferretur; vectium autem, de quibus hìc Moyses, nullus erat usus, nisi cùm nuda Arca gestaretur; uti cùm Sacerdotes in solemni pompâ palam illam efferebant; in itinere autem per Desertum vectes illos tegebant velamina. Imponebatur autem Arca ferculo duplici, quod super humeros gestabant, quemadmodum explicavimus in Numeris IV, 4.

℣. 16. Pones in Arca testificationem. Legem in Scripturâ *testificationem* appellari, Arcam verò *Arcam Testimonii*, tam notum est, quàm quid aliud. Tabulis etiam inditum nomen *Tabularum Testimonii*. Cùm Reges capesserent Principatum, habebant impositum manibus librum, qui *Testimonium* appellabatur (*s*). Hebræum העדה *Hedut* reddi etiam posset *monumentum*; monumentum enim initi cum Deo fœderis erant tabulæ Legis. Chaldæus: *Pones testamentum*; Castalio: *Oraculum*, seu divinæ voluntatis significationes. Testimonii nomine significatum credo quidquid authenticum est, ac fidei faciendæ aptum; uti apud Jeremiam XXXII, 11, *Præceptum & Statuta* significant emptionis tabulas.

℣. 17. Facies et propitiatorium. Hebræum כפרת, *capphoreth*, redditum hìc a Vulgata & Septuaginta ἱλαστήριον, *Propitiatorium*, derivatur ex verbo sonante induere, tegere, & per metaphoram, delere, remittere crimina. Recentiorum plerique reddunt tantùm *Operculum* (*t*), quo Arca clauderetur; nec sanè aliam esse hìc vocis *Propitiatorium* significationem, constat inter omnes. Reputant nonnulli, suspensum in aëre detinuisse illud duo Cherubim, alis suis impositum, ne Arcam tangeret, ut speciem quamdam exhiberet sedis, quam duo Cherubim sustinerent; sed æquiùs alii malunt, (*u*) operculum illud Arcæ occlusisse re ipsâ cistam. Et quidem, cui bono operculum in aëre suspensum, reclusam Arcam linquens? Exhibet sæpè Scriptura Deum tamquam alis Cherubim assidentem, utentem opertorio Arcæ veluti scabello. Cùm autem Septuaginta nomen Propitiatorii illi dederunt, innuisse visi sunt, Deum alis Cherubim, veluti throno, assidentem audire preces, & vota populi sui; cùm autem *Oraculi* nomine appellatum est (*x*), spectata sunt responsa inde reddita Summo Sacerdoti; certum enim est *Oraculi* vocem ad literam non respondere Hebræo *Capphoreth*.

℣. 18.

(p) *Num.* XVII, 10: *Defer virgam Aaron in tabernaculum Testimonii, ut servetur ibi. Vide & Heb.* IX, 3, 4: *Arcam testamenti, in qua urna aurea, & virga Aaron.* (q) *Sup.* XVII, 33: *Sume vas unum, & mitte ibi man, & repone coram Domino.* [r] Κυμάτια χρυσᾶ στρεπτὰ κυκλῶ. (s) 4 *Reg.* XI, 12: *Produxitque filium Regis, & posuit super eum diadema & testimonium.* (t) *Arab. Oleast. Montan.* (u) *Bonfr. Oleast. Cornel. Est. Vat. Menoch. & Cajet.* [x] *Vide* ℣. 18; & XL, 18, & *passim*.

Digitized by Google

℣. 18. Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies, ex utrâque parte oraculi.

℣. 19. Cherubim unus sit in latere uno, & alter in altero.

℣. 20. Utrumque latus propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, respiciantque se mutuò, versis vultibus in propitiatorium, quo operienda est Arca.

COMMENTARIUS.

℣. 18. DUOS QUOQUE CHERUBIM AUREOS. Nominis *Cherubim* significationem fusiùs deduximus in Genesis III, 23, cum Viris doctissimis demonstrantes, figuras esse e pluribus coalescentes, homine, aquilâ, leone, bove, ita tamen, ut præ cæteris bovis figura spectaretur. De Cherubim Arcam tegentibus nihil aliud indicat Moyses, quàm quòd haberent alas contra alas protensas; utì & ora alterius alteri opposita; ambo autem Cherubim super operculum Arcæ constituti. Ambigua hæc & incerta Cherubim descriptio ideas longè inter se varias Scriptoribus suppeditavit. Alatos pueros pingunt nonnulli, quorum alæ anterius extantes contra situm, quem tenent in avibus, supra Arcam simul coëuntes, certâ quadam altitudinis proportione, ceu thronum exhiberent. Describunt alii Cherubim juxta modulum ab Ezechiele & S. Joanne in Apocalypsi datum, quadruplici facie instructos, hominis, leonis, aquilæ, & bovis, cum pedibus vituli & alis amplioribus. Aliis tandem mera sunt capita, sex habentia circum alas ita protensas, ut supra propitiatorium jungerentur. Mosaici illi Cherubim figuras hasce præ se tulisse, difficillimè credimus: at singulas eas descriptiones ejicere, ac unam adoptare e tribus, æquè arduum reputamus.

Certò enim arbitramur, fieri minimè posse, ut certa statuatur figura Cherubim; in quam proindè rem studii aliquid si quis conferat, operam illum suam perdere judicamus. Illorum descriptionem Josephus & Philo silent; traditio Judæorum in eam rem nulla. Cherubim Hebraicè significare eximiam intelligentiam ac scientiam, affirmat Philo (y), addens pariter, alata illa animantia, quæ Cherubim appellantur, symbolum esse duplicis in Deo potestatis, Regis nempè & Creatoris. Cherubim figuræ erant ex pluribus conflatæ, & symbolicæ, sed non uniformes. Cùm Deus per visum obtulit Prophetis suis ænigmatica quædam & typica spectra, non semper eadem exhibuit omnibus: ita nec Moyses & Salomon Cherubim pingentes, uterque eamdem rei exprimendæ ideam retulisse censendi sunt. Nihil eâ de re certi constantisque habebatur. Artifex ipse rei pingendæ seu cælandæ ideam omnem fingebat, nisi illam exhibuisset, qui artificis operam conducebat. Appellat Moyses opus *Cherubim* (z) quæcumque symbolica vel hieroglyphica in cortinis Tabernaculi repræsentabantur. Pictos verò in illis Cherubim, unius formæ omnes, quis credat? Varii erant moduli & ideæ figuræ, quas meritò appellaremus phantasiæ deliria coloribus expressa, nisi picta illa rerum varietas instruendis moribus aptum aliquid designasset. Facilè impositi Arcæ Cherubim totidem alas, sex nempe, quot Cherubim Ezechielis, (a) non referebant; nec facilè etiam congruebant cum descriptis a S. Joanne in Apocalypsi; utì & ab utrisque discrepabant Cherubim Templi Salomonici (b).

Nomine Cherubim beati spiritus in Sacrâ Scripturâ non semel appellantur; quorum tamen indolem & munera non sanè omnia exprimunt quæcumque typicæ formæ ipsis Cherubim tribuuntur. Nihil est ergo, cur miremur, si in Sacris Libris non eâdem semper imagine exhibeantur, ut, variatâ Symbolorum ideâ, varia singulorum ingenia utcumque aperiantur. Sed eo Cherubim nomine non Angeli tantùm censentur, cùm eodem videantur etiam donatæ in Apocalypsi animæ Sanctorum. Quatuor illa animalia (c), quæ vulgò Cherubim reputantur, prosternebant se ante thronum Domini unà cum XXIV Senioribus, profitentia, se redempta esse Agni sanguine e medio populorum & nationum.

Scribit S. Hieronymus ad Marcellam, si quando in Veteri Testamento nomen Cherubim designandis animalibus sacris usurpatur, cum *vau* scribi; cùm verò quid phrygio opere textum vel aulæa significat, literâ illâ vacare. Accuratis adeò Exemplaribus, qualia ætate S. Hieronymi, hodie caremus; quare discrimen illud neglectum est. Prophetæ pingentes Cherubim, plerumque appellant *animalia*; nec nisi sub exitum visionis suæ agnovit Ezechiel (d), quæ per visum inspexerat animalia, ipsissimos esse Cherubim. Eodem nomine meritò etiam censerentur mystica illa animalia Danielis (e), latiùs usurpato nomine Cherubim pro figurâ quacumque e pluribus conflatâ, cui nihil simile in rebus sit. Eò etiam referrentur Seraphim Isaiæ (f) sex alis instructi, quemadmodum animalia illa quatuor in Apocalypsi. In Libris Regum (g) accuratè distinguuntur nota animalium simulacra a Cherubim, quæ monstra erant animalium naturæ incognita. Legitur hìc Salomon bases labrorum in usum Templi ornasse insculptis leonibus, tauris, & Cherubim æreis. Regem Tyri comparat Ezechiel (h) Cherub scitissimi ac ditissimi, quam maximè fieri posset, operis, auro tecto & gemmato. Post hæc omnia jure inferendum arbitramur, vocem *Cherub* Hebraicam designare insuetæ cujuscumque figuræ imagines; nihilque suppetere sive in Libris sacris sive in tra-

(y) *Lib. 3 de vitâ Mos.* [z] *Exod.* XXVI: *Variatur opere plumario.* Heb. כרבים מעשה חשב
(a) *Ezech.* I, 5, *& seq. &* X, 20, 21, *&c.* [b] 3 *Reg.* VI, 23, 24. *& seq.* (c) *Apoc.* V, 8, 9, 10: *Quatuor animalia .... ceciderunt coram agno, & cantabant ... Quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, &c.* (d) *Ezech.* X, 20. (e) *Dan.* VII, 3; *&* X, 5. (f) *Isai.* V, 2. (g) 3 *Reg.* VII, 29: *Inter coronulas & plectas leones, & boves, & Cherubim.* (h) *Ezech.* XXVIII, 14; *Tu Cherub extentus & protegens, &c.*

℣. 21. In qua pones testimonium, quod dabo tibi.

℣. 22. Inde præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super Arcam testimonii, cuncta, quæ mandabo per te filiis Israël.

℣. 23. Facies & mensam de lignis setim, habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum, ac semissem.

℣. 24. Et inaurabis eam auro purissimo: faciesque illi labium aureum per circuitum.

COMMENTARIUS.

ditione, quod certam aliquam Cherubim figuram determinet. Quæcumque in Scripturâ subinde occurrunt, nonnisi typicæ quædam imagines censendæ sunt variarum dotum, quibus cœlestes Spiritus ornantur. Alis Cherubim significatur agilis ad omnia Spiritus; ex quo illud (*i*) de Deo, qui ascendere dicitur super alas Cherubim, veluti super currum suum, & volare. Hominis forma typus est studii illorum, miserationis & pietatis in homines: leone robur, virtus, majestas exprimitur; bove constantia, longanimitas; aquilâ sublimitas, vigor, agilitas, immortalitas &c.

Productiles facies ex utraque parte oraculi, vel Propitiatorii. Ex auro fuso (*k*) solidoque, ac malleo sculpti erant Cherubim, ita ut unicam cum operculo Arcæ, cui jungebantur, massam constituerent; quare non aureis tantùm tenuissimis laminis vestiebantur, ut cæterorum ornamentorum plurima. Syriacus & Arabs: *Fusiles facies*. Septuaginta: Χρυσᾶ τορευτὰ, *Aureos tornatiles*, seu potius *cælatos* aurificis opere. Græcum τορεύειν, quod sonat, tornatili opere aliquid elaborare, usurpatur etiam pro cælare, teste Hesychio; & *toreuton* Græcè, ut & *toreuma*, est opus quodcumque aurificis ex auro vel argento.

Hebræus ad literam: *Auro duro*, vel *ductili*; quæ etiam dicendi phrasis recurrit, cùm de aureo candelabro agitur. Reputandum est igitur, aurum illud ductili opere elaboratum fuisse cælatumque eodem opere, quo apud nos aurifices. Cùm verò ex unâ eâdemque massâ hæc omnia dicuntur, reputandum est, ita inter se jungi, ut uno auri ductu hæc omnia constent. Inane aliquid intus continebant; solida tamen erant & gravia, longè planè alia a cæteris rerum ornamentis, quæ simplices referebant auri laminas ligno super inductas.

Commodè hìc referuntur, occasione Cherubim, plurimarum gentium, ac maximè Orientalium veteres mores, occultandi Theologiæ & Philosophiæ mysteria sub velaminibus ænygmatum ac parabolarum, symbolicisque ac significantibus figuris tradendi. Utraque Scripturæ pagina figuras ejusmodi offert; vestes Sacerdotum, colores, ornamenta Tabernaculi, & Cherubim maximè, emblemata sunt omnia (*l*). Eò usque devenerant in eâ re Ægyptii, ut totam fermè religionem suam haberent symbolicam & mysticam. Theologiam non tradebant literis, nisi hieroglyphicis (*m*): *Ægyptii plerumque animalia effigiesque compositas venerantur* [*n*]. Anubis cultui proponebatur, canino capite tronco hominis imposito (*o*).

Omnigenûmque Deum monstra & latrator Anubis.

Isidem distinguebat vaccæ caput cum cornibus; Apidis simulacrum taurus erat: accipitris caput & reliqua hominis erat Mercurius; caput verò corvi, Apollo. Triceps monstrum, juxta Deum Serapidem positum, describit Macrobius (*p*): quorum medium caput leonis cæteris eminebat; dexteram tenebat canis, blandientis speciem præferens: sinistram lupa ferox & rapax; obvolvebant hæc omnia ingentis draconis spiræ, cujus caput ad dexteram Serapidis spectabatur. Sphinges in aditu Templorum positæ, docebant, ait Plutarchus (*q*), nihil esse in eorum Theologiâ nisi ænygmaticum. Symbolum illis exhiberi roboris & calliditatis, affirmat S. Clemens Alexandrinus (*r*). Pingebantur hæ leonis corpore, & muliebri capite.

Ægyptiorum Numinum forma incerta erat (*s*); interdum enim avis vel felis vel leonis caput in humano trunco, sæpè humanum caput in trunco animalis præseferebant. Nota etiam erant apud Græcos Numina Symbolica, e pluribus Numinibus in unum simulacrum collectis. In Templo Deæ Syræ simulacrum describit Lucianus, nullo certo Numini simile, sed ex omnibus aliquid habens. Statuam appellabant Syri, nullo alio peculiari nomine addito. Vetusta sunt hæc adeò, maximè in Ægypto, ut facilè in eam persuasionem veniamus, ipsâ Moysis ætate obtinuisse; nec nisi sapienti quadam indulgentiâ censuisse Legislatorem illum, gerendum esse morem genio Hebræorum, recèns ex Ægypto venientium, ut saltem veræ partem Religionis sub signis & emblematis traderet.

℣. 23. Facies et mensam de lignis setim. Exemplaria Septuaginta quædam omittunt illud *de lignis Setim*; alia substituunt: Ἐξ ξύλων ἀσήπτων, *De lignis imputribilibus*. Porrò mensa hìc descripta accedebat plurimùm, ait Josephus (*t*), ad mensas Delphicas; habebat autem pedes lectis Doricis similes, quatuor digitis in areâ mensæ

(i) 2 *Reg.* XXII, 11; *Psal.* XVII, 10, 11: *Ascendit super Cherubim, & volavit.* Ezech. X, 4: *Elevata est gloria Domini super Cherub, &c.* (k) זהב מקשה (l) *Vide Sap.* XVIII, 24; *Jos. Phil. Hier. &c.* [m] *Clem. Alex. Strom. l.* 5. (n) *Tacit. l.* 5, *c.* 5; *& Porph. l.* 4 *de abstin.* (o) *Virg. Æneid.* 8. (p) *Saturnal.* 5, *c.* 20. [q] *Plutarch. de Iside.* [r] *Clem. Alex. l.* 5 *Strom.* (s) *Porphyr. de abstin. l.* 4. (t) *Joseph. Antiq. l.* 3, *c.* 7.

℣. 25. Et ipsi labio coronam interrasilem altam quatuor digitis: & super illam, alteram coronam aureolam.

℣. 26. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis ejusdem mensæ per singulos pedes.

℣. 27. Subter coronam erunt circuli aurei, ut mittantur vectes per eos, & possit mensa portari.

℣. 28. Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, & circumdabis auro ad subvehendam mensam.

℣. 29. Parabis & acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo.

COMMENTARIUS.

mensæ conditos; sed ex iis, quæ hìc Moyses deducit, satis constat, quadrato fuisse oblongo, instructamque non tribus, ut Delphicæ, sed quatuor pedibus.

℣. 25. CORONAM INTERRASILEM, ALTAM QUATUOR DIGITIS. Non superficies tantùm mensæ auro vestiebatur, sed limbus etiam circum excurrens, supra quem limbum assurgebat operis interrasilis ornamentum aliud, quatuor digitis altum, appellati a Vulgatâ *corona interrasilis*; porrò interrasile, juxta nonnullos (*u*), opus est, per intervalla cælatis quibusdam ornamentis decoratum. Ita vocem explicat vetus Vocabularium, apud Martinium. *Interrasile dicitur interpolatum calaturâ & planum; planum enim inter calaturas quasi rasum videtur; vel, secundùm Papiam, interrasile est anaglypha sculptura. Alexander verò dicit:*

Quod nunc sculpturis nunc planitie variatur,
Hoc, et non aliud, opus interrasile dicas.

Usus est Plinius [*x*] voce *interradere*, unde *interrasilis*, eodem sensu ac Vulgata, designandis sculpturis seu cælaturis, in quibus, abradente limâ, ita opus insculpitur, ut abradatur per intervalla, unde surgunt repositoria, quibus lances in mensâ sustineantur. Utitur idem Author voce *interrasilis* hac occasione: *Coronas ex cinnamo interrasili auro inclusas, primus omnium in Templis Capitolii atque Pacis dicavit Imperator Vespasianus Aug.* Porrò phrasi illâ *coronam interrasilem* significare videtur Vulgata, quod habent Septuaginta Στρεπτὸν κυμάτιον χρυσοῦν, *Tortile cymatium*; vel, juxta S. Augustinum, opus, cujus superficies inæqualis veluti columnæ striatæ, cujus una pars eminet, deprimitur altera; seu potiùs ceu funis, vel torques e duplici plexu intorta, anguis enim formam aliquam reddit, et inæqualem.

Hebræus ad literam (*y*): *Facies ei* (mensæ) *clausuram* (coronam seu limbum) *palmi circum. Et facies coronam auri clausuræ ejus circum*; seu ornabis mensam opere instar coronæ circum, altitudine palmi. Non satis distinctè exprimuntur in Textu ornamenta illa; quorum in Vulgatâ ideam concepisse videtur S. Hieronymus, duplicis scilicet coronæ, alterius super alteram regnantis, supra extremam oram mensæ. Commodè in hunc sensum exponerentur Hebræus & Septuaginta: sed duplicem coronam agnoscendi nulla est necessitas, nisi alteram in superiori mensæ parte, alteram in inferiori statuamus; quod Josephus (*z*) & Interpretum nonnulli voluerunt. Porrò corona illa seu lorica mensæ ita mensam ornabat, ut simul etiam contineret supra mensam panes, ne fortè deciderent. Locus mensæ erat *Sanctum*; apponebantur autem super illam panes singulis Sabbatis recentes, totâque succedenti hebdomadâ detinebantur: nullo tapete, sive alio quocumque integumento mensa, pro veteri more, ornabatur.

Nam alibi observatum est, Tabernaculum perinde habitum fuisse, ac Regis Judæorum tentorium, in medio Populi sui ambulantis, cui eadem obsequia, quæ Regi, si adfuisset, a populo præstabantur. Mensa erat semper in triclinio strata, ibique pariter ardebant lampades. Sacerdotum Babylonis cura erat mensas omni ciborum genere Belo instruere. Meminit Diodorus mensæ pro scyphis, & vasis ad suffimenta in Templo Beli Babylonis; meminit & Lucianus mensarum Templi Deæ Syræ.

℣. 27. SUBTER CORONAM ERUNT CIRCULI AUREI. Hebræus (*a*): *E regione coronæ*; quod S. Hieronymus in Exodo XXXVI, 14, reddidit, *contra coronam*; sed infra illam facilè, in superiori mensæ pede.

℣. 29. PARABIS ET ACETABULA, AC PHIALAS, THURIBULA, ET CYATHOS. Singulæ Textûs hujus voces seorsum expendendæ. *Acetabulum* est mensura XV drachmarum (*b*), seu heminæ quarta portio. Usurpatur etiam interdum pro aceti vase, pro lance, scypho, seu vase alio parvo. Notat Quintilianus, abusione quadam usos eâ voce ad designanda varia mensarum vasa, sive aceto sive liquoribus aliis destinata (*c*). In hac significationum varietate nequid temerè determinemus, reddendum acetabulum arbitramur pro vase liquidorum.

Phiala vas est ad potandum, ut ex Athenæo l. 3, constat. Lebetis genus quoddam significare Homerum, demonstrare videtur epithetus illi adjectus: *utrimque sidentem* (ansatam) *phialam, igne intactam, posuit* (*d*). Exprimit etiam

vas

(u) *Menoch.* (x) *Plin.* XXXIII, *c.* 11: *Jam mensas repositoriis imponimus; & ab sustinenda obsonia interradimus latera; nec interest* (aliter *& interest*) *quàm plurimùm lima perdiderit.*
(y) עשית לו מסגרת טפח סביב ועשית זר זהב למסגרתו סביב
(z) *Antiq. l.* 3, *c.* 7. (a) לעמת המסגרת (b) *Plin. l.* XXI, 34. (c) *Quintil. l.* 8, *& Martinius, in verbo, Acetabulum.* (d) *Homer. Iliad.* Ψ. Ἀμφίθετον φιάλην ἀπύρωτον ἔθηκε.

℣. 30. Et pones super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.

COMMENTARIUS.

vas, quod peculiari nomine *phialam* dicimus, quam vino plenam super panes propositionis poni opinatur Tostatus.

Thuribula. Nomen est peculiare vasis suffitibus seu thuri destinati. Commodè etiam eo designaretur Arca in usum condendi thuris, & vasa alia pro libationibus, uti scyphi, pateræ; latissimè enim patet vocis hujus significatio. Vide caput XXXVII, 16. Cæterùm in hoc Textu thuribuli nulla mentio. De formâ veterum thuribulorum, mentem nostram exposuimus ad Levitici XVI, 12.

Cyathus est crater, scyphus, veteris mensuræ genus.

Totum hunc Textum ita vertunt Septuaginta (e): *Facies catinos ejus, mortaria*, (vel thuribula, aut potiùs cistas ad thus recondendum) *libatoria, et cyathos*.

Committuntur plurimùm inter se Interpretes de Hebraicarum ejusmodi vocum significatione. Vertunt nonnulli: *Facies scutellas, & cochlearia, pateræ, & vasa ad expoliendum*. Autumant alii, primam vocem significare lancis genus quoddam, panibus Propositionis superpositi. Erant, inquiunt illi, præter hæc, vasa salis, thuris, & vini, cum panibus illis propositionis juncta. Recensent etiam nonnulli fistulas quasdam per medium scissas, inter panes illos dispositas, ne situ corrumperentur: sed singulas hasce res quæ potissimùm Textûs voces designent, ignoratur. Ambigunt etiam quidam, num instrumenta illa mensæ panum Propositionis, an potiùs usibus communium sacrificiorum destinarentur. Communia censent alii tum mensæ illi, tum altari thymiamatum, tum denique Sancto; censent etiam, constituta super mensas aliquas, & in Sanctu, veluti præsto ad omnes usus.

Quod autem in eam me persuasionem inducit, hæc scilicet servitus mensæ panum propositionis destinata fuisse, illud est, nimirum Textûs synraxim hunc sensum flagitare: *Parabis ejus acetabula ac phialas &c.* Quod etiam multò evidentiùs probatur ex capite XXXVII, 16 Exodi: *Vasa* (parabis) *ad diversos usus mensæ*. Tandem in Numeris IV, 7, omnia hæc instrumenta, hìc enumerata, eodem integumento, ac mensa, obvolvuntur, quasi omnia ejus usibus destinata.

Si novæ conjecturæ locus est aliquis, putamus, קְעָרֹת *Kaharoth* non malè exprimere posse genus aliquod amplioris scutellæ, in qua conficerentur panes Propositionis. Est *Karon* Arabibus concava admodum scutella. Quicumque Arabiam excurrerunt, affirmant, mactras esse ibi nullas in agro, sed scutellas in eam rem concavas, in quibus recentes quotidie panes subigunt. Meam hanc conjecturam illud fulcit, quòd in Numeris VII quicumque offerunt sua *Kaharoth*, plena semper exhibent farinâ oleo subactâ; ipsique fatentur Hebræi, conficiendorum panum ejusmodi, & coquendorum munus fuisse Levitis imperatum. Addit S. Hieronymus (f), ipsorum pariter fuisse serere, metere, ac molere triticum in eum usum. Constat equidem e Scripturâ (g), suos fuisse Levitas destinatos parandis ejusmodi panibus, sicuti et panum ac placentarum aliis generibus in usum Templi, conservandisque ponderibus & mensuris.

Vox כַּפּוֹת, *Caphot*, ex *caph*, vola, exprimit vas thuri destinatum, uti constat ex Numeris VII, ubi vasa illa semper thure plena offeruntur. Junguntur thuribulis in Libris Regum; & ex Levitico XXIV, 7, constat, thus super panes propositionis collocari: *Pones super eos thus lucidissimum*. מְנַקִּיּוֹת *Menakioth* est instrumenta ad expoliendum. Facilè incerniculum erat, vel cribrum, quo triticum seu farina in usum panis purgaretur; seu tandem aliud quodcumque instrumentum, æneum utique, sicuti & cætera, ob expoliendas mensas, seu mactram, seu furnum, ubi panes coquebantur.

Vox קְשׂוֹת *Keschoth* Hebræis & Chaldæis est *scutella*: notatque Moyses, instrumentum illud libationibus fuisse destinatum (h). Vas igitur erat cavum, veluti crater seu scyphus, quod vino implebatur, super mensam panum propositionis positum, si tamen vinum totâ hebdomadâ super mensam perseverabat, uti pluribus visum est; vel fortè erant pateræ, quibus libationes singulis recurrentibus sabbatis iterarentur, cùm recentes panes vetustis substituebantur. Patera, qualis hodie pariter servatur apud vetustatis studiosos, profundior erat, quàm vulgò lances.

℣. 30. PANES PROPOSITIONIS. Panes super auream mensam coram Domino positi. Hebræus: לחם פנים, *Panes facierum*; itidemque Aquila, Ἄρτος προσώπων. Septuaginta: Ἄρτος ἐνωπίους ἐναντίον μου, *panes præsentes coram me*. Symmachus cum Vulgatâ congruit, Ἄρτος προθέσεως, *Panes propositionis*. Quadratos fuisse, quatuor instructos faciebus, aurique foliis obductos panes illos, affirmant Hebræi. Numero erant duodecim, pro numero pariter duodecim Tribuum, quarum nomine offerebantur. Ingentes erant utique, cùm illis conficiendis absumerentur duo assarones farinæ, videlicet sex circiter pintæ. Fermenti nullus in illis usus; offerebanturque calidi adhuc singulis Sabbatis, ablatis veteribus, quorum esus Sacerdotibus tantùm permissus (i). Oblata pariter cum illis sal, thus, & vinum quoque, juxta Interpretes nonnullos: sed de vino nihil Scriptura. Interpretum plerique censent, panes illos alterum super alterum positos fuisse, duplici columnâ, sex utrimque; addunt Rabbini, inter duos panes geminam auri fistulam fuscinulis ex eodem metallo, e solo extantibus, fultentatam, ut aër permeans a situ redderet immunes. Vide Leviticum XIV, 5, 6.

℣. 31.

(e) Τὰ τρυβλία αὐτῆς, καὶ τὰς θυΐσκας, καὶ τὰ σπονδεῖα, καὶ τοὺς κυάθους. (f) *Hieron. in Malach.* 1, 7. (g) 1 *Par.* XXIII. 29; IX, 32: *Sacerdotes autem super panes propositionis & simila sacrificium, &c.* (h) *Exod.* XXXVII, 16. *Num.* IV, 7. (i) *Matth.* XII: *David panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus*.

℣. 31. Facies & candelabrum ductile de auro mundissimo; hastile ejus, & calamos, scyphos, & sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia.

℣. 32. Sex calami egredientur de lateribus, tres ex uno latere, & tres ex altero.

℣. 33. Tres scyphi quasi in nucis modum per calamos singulos, sphærulaque simul, & lilium: & tres similiter scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulaque simul & lilium; hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de hastili.

℣. 34. In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos, & lilia.

℣. 35. Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca, qui simul sex fiunt, procedentes de hastili uno.

℣. 36. Et sphærulæ igitur, & calami ex ipso erunt, universa ductilia de auro purissimo.

℣. 37. Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso.

COMMENTARIUS.

℣. 31. Facies et candelabrum ductile. Vox מקשה *Mikscha* est, juxta optimos Interpretes, opus e solido gravique metallo, oppositum planè operibus aliis, quorum tantùm superficies aurea vel argentea. Nihil hìc non ex auro, & ex auro gravi. Putant alii, exprimi in Textu opus malleo ductum, ex eâdem metalli massâ, nullâ juncturâ, seu ferrominatione. Erat candelabrum ex unâ basi & calamo, in sex velut ramos distributum; singulis autem ramis imposita lampas. Ex auro gravi omnia, adeò ut in ejus opus insumptum fuerit ex auro talenti Sanctuarii pondus, id est, MO unciæ, seu CXXV libræ Romanæ vel LXXXV libræ, XIV unciæ, V grossi ponderis Gallici, ad marchiam supputati. Calamus & rami ornamentis erant distincti, pomis, liliis, malis punicis, ac parvis scyphis. A basi ad usque verticem superiorem calamus medius quindecim ex his ornamentis habebat; singuli verò rami, duodecim. Quem tenerent inter se ordinem ornamenta illa, non satis convenit inter Scriptores; plerique priùs scyphulos, tum poma, dein lilia collocant.

℣. 33. Tres scyphi quasi in modum nucis. Hebræus (k): *Tres calices amygdalati*; idest tres folliculi florum, quorum e sinu erumpit calamus vel ramus candelabri, uti flos fructum producit. Porrò eo loco spectabatur veluti amygdalinus flos, cujus e sinu prodibat ramus candelabri, veluti cùm fructus e sinu floris emittitur. *Calicis*, vel *scyphi* nomine donant Hebræi florem patefactum; quod etiam usu receptum est in Græco & Latino sermone. Creditur Moyses mala punica appellare in Hebræo idem ornamentum, cui nomen tribuit *calicis amygdalati*.

Interpretum plures reddunt tantùm *flores*, פרחים quod in Vulgatâ est *Lilia*. De altitudine hujus candelabri nihil Scriptura; sed ex ejus usu satis intelligimus, non altiùs surrexisse, quàm ad quatuor pedes & semis, vel quinque, idest, ad tres cubitos.

℣. 34. In ipso autem candelabro erunt quatuor scyphi. In calamo hujus ab inferiori usque ad summum, ubi lampas ardebat, ornamentorum ejusmodi, alterius super alterum, quatuor erant classes, idest, XV omninò ornamenta.

℣. 35. Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca. Multò licèt fusior Hebræus, & Septuaginta, in eumdem tamen cum Vulgatâ sensum recidit, nimirum e medio hujus candelabri calamo demitti ad utrumque latus, æquis intervallis, ramos eodem opere ornatos; sex autem ramos illos eamdem formam exhibuisse. Sunt qui ramos illos ex eodem calami nodo deducant; sunt qui ramos altrinsecùs positos, binos ac binos, e calami trunco, vario intervallo, ad utrumque latus oriri putaverint. Qui ab eodem trunco remotiores excurrebant, erumpebant primi, ac humiliore loco, ut tamen eumdem altitudinis ordinem servarent cum aliis, qui seriùs, ac altiore loco emittebantur. Nihil in Textu occurrit, quod alteram præ alterâ sententiam præferendam determinet.

℣. 36. Sphærulæ et calami ex ipso erunt. Ex eâdem scilicet candelabri massâ expressæ, & non arte junctæ.

℣. 37. Facies et lucernas septem, et pones super candelabrum. Nec ex eâdem auri massâ conflatæ erant lampades, nec arte junctæ candelabro; sed in superiori ejus culmine in loco apto reponendæ; amovebantur autem, prout necessitas postularet: ægrè tamen earum figura designaretur. Varii enim operis erant sanè plures lucernæ apud Veteres, quarum ingens numerus varii moduli superest adhuc apud Studiosos. Ære incisam

(k) שלשה גבעים משקדים 70. Τρεῖς κρατῆρες ἐκτετυπωμένοι, καρυΐσκοις. *Aqu.* Ἐξημυγδαλωμένοι, *In formam amygdalarum*. *Sym.* Ἐκτετορνευμένοι, *Tornati*.

℣. 38. Emunctoria quoque, & ubi quæ emuncta sunt, extinguantur, fiant de auro purissimo.

℣. 39. Omne pondus candelabri cum universis vasis suis habebit talentum auri purissimi.

℣. 40. Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.

COMMENTARIUS.

incisam imaginem seu cælaturam aurei candelabri, delati Romam a Vespasiano in triumphum, spectare possunt ejusmodi rerum Studiosi.

UT LUCEANT EX ADVERSO. Ex adverso constitutum erat Tabernaculum in Sancto, cujus rami hinc mensam propositionis, inde thymiamatis altare spectabant; cujus proinde lampades utrumque illustrabant.

℣. 38. EMUNCTORIA. Hebræa vox מלקחים designare potest forcipes, quibus lampades emungerentur, & ellychnium produceretur. Porrò ellychnia illa confecta e tritis usu Sacerdotum tunicis, docent Rabbini.

ET UBI QUÆ EMUNCTA SUNT, EXTINGUANTUR. Hebræum מחתות *Machtot* vertitur plerumque thuribulum. Septuaginta (*l*) accepisse videntur pro re aliquâ sub lampadibus positâ excipiendo oleo, vel fungis, cùm emungerentur. Figuram hujus instrumenti quis definiat? destinatum tamen fuisse in usum lucernarum candelabri, constat ex Exodo xxxvii, 33, & Numeris iv, 9.

Dicabant olim Veteres in Templis candelabra pluribus lucernis instructa; cujus rei exemplum est candelabrum instar arboris (*m*), lampades ceù poma exhibens, ab Alexandro in Templo Apollinis Palatini in Urbe Cyme consecratum; uti & candelabrum alterum totidem ferens lampades, quot in anno dies, a Dyonisio juniori Rege Syracusarum, dicatum in Pritanæo Atheniensi (*n*). Alterius erant utique candelabra illa operis a nostratibus; altitudine enim plurimùm superabant nostra, & super pavimentum stabant, non supra mensam; ferebant ex oleo lucernas, non e cerâ vel sevo candelas. Eorum usus necessarius in Templis, obscuris plerumque, & fenestris ferè omnibus destitutis. Observat S. Clemens Alexandrinus (*o*), Ægyptios omnium primos in Templo lampades collocasse. Festum apud illos institutum, cui nomen *Lychnocaia*, quòd plurimæ arderent tunc lampades, teste Herodoto (*p*). Quo tempore apud Græcos vivebant Heroes, nullus erat lampadum & candelabrum usus. In ædibus Principum virorum edito loco figuræ statuebantur, quas *lampteras* (*q*) appellabant, impositum ferentes collustrando loco ignem, ut narrat Homerus. Describit ille figuras, quæ ædes Alcinoi illustrabant. Huc spectat Virgilius, Æneidos vii, ℣. 13.

Urit odoratam nocturnam in lumina cedrum.

& Lucretius libro ii, ℣. 25.

Si non aurea sunt juvenum simulacra per ædes,
Lampades igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur.

CAPUT XXVI.

Tabernaculum, & singula ejus partes describuntur.

℣. 1 TAbernaculum verò ita facies: Decem cortinas de bysso retortas, & hyacintho, ac purpurâ, coccoque bis tincto, variatas opere plumario facies.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VARIATAS OPERE PLUMARIO FACIES. Hebræus ad literam (*a*): *Facies Cherubim opere artificis qui invenit*, seu artificioso, seu exquisito, & variato opere. Ad literam: *Opus hominis cogitantis*, invenientis, meditantis, adumbrantis. *Opus Cherubim* est variatum coloribus, seù pictura diversi generis plura simul referens animalia, flores, monstra, sive hæc omnia anaglyphico fiunt opere, ex auro, argento, ligno, lapide; sive picturæ artificio, ut in telis solet, & aulæis. Hæc omnia appellantur *Opus Cherubim* (*b*); referebantque opus illud cortinæ, de quibus hîc Moyses. Septuaginta reddunt hîc: Ἐργασίᾳ ὑφαντοῦ, *opere textoris*; & Capite xxviii, 15: Ἔργον ποικιλτοῦ, *opus Variatoris*. S. Hieronymus hîc eodem sensu: *Opus plumarium*; qua de re fusiùs infra; alibi verò meliùs exprimit vim Originalis, reddens, *opus polymitarium*, quod exhibet plurimam colorum & figurarum varietatem in in eâdem telâ vel panno.

Cùm autem colorum & imaginum picta in telâ varietas duplici artificio exhiberi possit, sive acu pingendo, additis vel auro vel lanâ, sive textrino opere, veluti in proprio fundo natam exhi-

(l) Ὑποθέματα *Suppositoria*. (m) *Plin.* 34, 3. (n) *Athen. l.* 15, *c.* 19, 20. (o) *Clem. Alex. Strom, l.* 1. (p) *Herodot, l.* 2, *c.* 62. (q) *Vide Odyss.* H, Σ, T. (a) כרבים מעשה חשב (b) *Hieron. ad Marcell.*

℣. 2. Longitudo cortinæ unius habebit viginti octo cubitos: latitudo, quatuor cubitorum erit. Unius mensuræ fient universa tentoria.

℣. 3. Quinque cortinæ sibi jungentur mutuò, & aliæ quinque nexu simili cohærebunt.

℣. 4. Ansulas hyacinthinas in lateribus, ac summitatibus facies cortinarum, ut possint invicem copulari.

℣. 5. Quinquagenas ansulas cortina habebit in utrâque parte, ita insertas, ut ansa contra ansam veniat, & altera alteri possit aptari.

℣. 6. Facies & quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarum vela jungenda sunt, ut unum tabernaculum fiat.

℣. 7. Facies & saga cilicina undecim, ad operiendum tectum tabernaculi.

℣. 8. Longitudo sagi unius habebit triginta cubitos: & latitudo quatuor: æqua erit mensura sagorum omnium.

℣. 9. E quibus quinque junges seorsum, & sex sibi mutuò copulabis, ita ut sextum sagum in fronte tecti duplices.

℣. 10. Facies & quinquaginta ansas in orâ sagi unius, ut conjungi cum altero queat; & quinquaginta ansas in orâ sagi alterius, ut cum altero copuletur.

℣. 11. Facies & quinquaginta fibulas æneas, quibus jungantur ansæ, ut unum ex omnibus operimentum fiat.

℣. 12. Quod autem superfuerit in sagis, quæ parantur tecto, idest, unum sagum, quod amplius est, ex medietate ejus operies posteriora tabernaculi.

COMMENTARIUS.

exhibendo: postremum hoc periti solertisque Artificis opificium appellarunt Hebræi *Opus Choschebh*; alterum verò *Opus Rokem*, seu *Plumarii*; hoc enim jucundam plumarum in avibus varietatem imitatur. Usurparunt equidem Interpretes vocem *plumarii* pro opere textrino varii coloris; sed opus Phrygium eâ voce designari, tam certum est quàm quid aliud. *Rekem* Hebraicè plumas esse, satis constat (*c*). Utrumque autem pingendi genus familiarissimum babebant non Judæi modò, sed & cæteri per Orientem populi. *Plurimis liciis texere, quæ polymita appellant, Alexandria instituit*, ait Plinius (*d*): qua in re vel Alexandriam pro Ægypto usurpavit, vel certè fallitur. Pannorum ejusmodi inventorum honorem tribuunt Mercurio Ægyptio, vel Isidi & Osiridi (*e*); Moysis ætate adolevisse jam plurimùm in eâ regione artem, necesse est. Lege Braunium (*f*) fusiùs de boc argumento differentem: nobis satis esto aliqua libasse, quibus certa babeatur notio vocum in hoc Commentario sæpiùs occurrentium.

℣. 3. QUINQUE CORTINÆ SIBI JUNGUNTUR. Singularum altitudo dimetiebatur XXVIII cubitos, latitudo IV. Junctæ simul quinque tenebant latitudinem XX cubitorum, alteramque Tabernaculi partem tegebant; alteram verò ejusdem latitudinis cortina occupabat.

℣. 4. ANSULAS HYACINTHINAS IN LATERIBUS AC SUMMITATIBUS. Additos L laqueolos ad utrumque singularum cortinarum latus, legimus in Hebræo (*g*). Memorat ℣. 6 annulos aureos, vel uncos, quibus vinciuntur inter se cortinæ & ansulæ, quò firmiùs cortinæ jungantur. Vide ℣. 11.

℣. 7. FACIES ET SAGA CILICINA UNDECIM. Saga illa e caprarum villis (*h*) protegebant interioris operis cortinas, supra Sanctum & Sanctuarium expansas; dimetiebantur singula XXX cubitos in longum, & IV in latum. *Cilicina* appellat Interpres, quòd genus illud operis in Ciliciâ primùm cœperit. In capite XXV, 4, denominat, *Saga de pilis caprarum*.

℣. 9. E QUIBUS QUINQUE JUNGES SEORSUM. Ex his sagis geminæ distinctæ cortinæ componendæ erant, altera ex quinque junctis, alia verò e sex constans, ut amplior hæc ad omnia Tabernaculi latera descenderet. Singulorum sagorum seorsùm latitudo erat quatuor cubitorum, quemadmodum & inferiorum cortinarum mensura (*i*).

℣. 12. QUOD AUTEM SUPERFUERIT IN SAGIS. Insinuare videtur Textus, unius ex bis expansis

(c) *Vide Exod.* XXVIII. 39. (d) *Plin. l.* 8, *c.* 48. (e) *Tertull. de Pallio.* (f) *L.* 1, *c.* 17, *de vestitu Sacerd. Hebr.* (g) עשית ללאת תכלת על שפת היריעה האחת מקצה בחברת
(h) יריעת עזים *Septuag.* Δέῤῥεις τριχίνας. *Pelles villosas. Alius:* Τριχίνους καλυπτῆρες, *Villosa operimenta.*
(i) *Vide* ℣. 3.

℣. 13. Et cubitus ex unâ parte pendebit, & alter ex alterâ; qui plus est in sagorum longitudine, utrumque latus tabernaculi protegens.

℣. 14. Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis: & super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus.

℣. 15. Facies & tabulas stantes tabernaculi de lignis Setim.

℣. 16. Quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine singulos, ac semissem.

℣. 17. In lateribus tabulæ, duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur; atque in hunc modum cunctæ tabulæ parabuntur.

COMMENTARIUS.

sis sagis dimidiam portionem satis fuisse ad tegendam posteriorem Sanctuarii partem. Narrat Hebræus, superflui quodcumque supererat, retro post Sanctuarium diffluxisse ad dorsum tegendum (k): *Et superfluitas quæ superfluit in cortinis tecti, dimidium cortinæ superabundantis, superfluet in posterioribus Tabernaculi.* Quibus sanè verbis sivè illud indicatur, dimidio cortinæ quinque sagorum tegendum esse retro dorsum; sive dimidium illud, retrò post dorsum recidens, respondere alteri dimidio, quod pendet in fronte, ut facies æquè & dorsum ædificii suo integumento protegantur. Hæc autem facilè persuadebit major sagorum amplitudo, quàm pro tegendo culmine, & lateribus Sanctuarii.

℣. 13. ET CUBITUS EX UNA PARTE PENDEBIT, ET ALTER EX ALTERA, QUI PLUS EST IN SAGORUM LONGITUDINE. Uti singulis sagis longitudo erat XXX cubitorum, ita cùm inferiora vela nonnisi XXVIII dimetirentur, supererat e singulis lateribus cubiti mensura, quæ recidebat in anterius. Josephus & Philo (l) aliter reputarunt, rati pretiosa illa velamina, proximè Sanctuarium protegentia, ad terram usque cubito altiùs pendêre, ne pulvere corrumperentur; saga verò velaminibus hisce super expansa, ad terram usque descendisse, utpote cubito præ illis longiora, atque obvolvisse undique Tabernaculum. Porrò pretiosa illa velamina in anterius ante Sanctuarium non pendebant; erat enim in eam rem appansum alterius Operis velum alterum, de quo ℣. 31. Integumenta illa Tabernaculi ita alterum alteri erant superposita, ut tamen juncturæ superiorum juncturis inferiorum non responderent, ne quid aquæ penetraret in Sanctuarium.

℣. 14. FACIES ET OPERIMENTUM ALIUD TECTO. Quatuor erant integumenta Tabernaculi: primum & preciosissimum, purpurâ, hyacintho coccoque distinctum; alterum e caprarum villis; tertium e villosis rubricatisque arietum pellibus; quartum tandem e pellibus cæruleo saturo tinctis. Duo postrema nonnisi tecto destinata; neque enim pependisse ad latera, insinuari videtur verbis illis: *Facies operimentum tecto*; Hebræus (m): *Desuper.* Nobis tamen ea sedet opinio, integumenta ista omnia æqualis fuisse mensuræ, quæ superiùs, ℣. 8, describitur.

℣. 15. FACIES ET TABULAS (n) STANTES TABERNACULI. Ambiebant tria latera Tabernaculi asseres e Setim, stantes dispositique opere continuato. Quæ pars ad Orientem vergebat, aditui destinata, nullo muniebatur claustro.

Ita rem describit Josephus (o): *Erat Tabernaculi longitudo cubitorum triginta; latitudo verò decem (p); ac alter quidem parietum erat australis; alter verò ad Aquilonem obversus, & a tergo erat occasus; tantum etiam attollebatur, quantum in latitudinem patebat. Erant autem tabulæ ligneæ viginti, in quadrangularem quidem formam dolatæ, latitudine verò unius & dimidii cubiti, & crassitudine quatuor digitorum. Laminæ autem aureæ illis undique fabricatæ erant tam ad interiora quàm exteriora. Singulis verò tabulis inerant cardines bini, per duas bases immissi (illæ verò ex argento quidem factæ) & utrique basi foramen ad cardines suscipiendos. Plagam verò occidentalem tabulæ quidem sex muniebant; adeò autem omnes firmiter inter se aptæ erant & connexæ, ut non perceptis commissuris in unum parietem coalescere viderentur, ab interiori, & exteriori parte auro obductum. Utroque ex latere sibi respondebant tabulæ, erant enim numero viginti: & unaquæque latitudinis quidem erat unius cubiti & dimidii, crassitie verò quatuor digitorum; atque ita viginti cubitos adimplebant. In postico autem pariete (novem enim cubitos tantùm efficiebant sex ejus tabulæ conjunctæ) duas alias tabulas faciunt ex uno cubito divisas, quas angulares posuerunt ad instar majorum tabularum adornatas. Singulæ autem Tabulæ annulos habebant aureos fronti extrinsecus adaptatos, veluti radicibus quibusdam ordine defixos, sibi invicem undique respondentes: & per eos repagula deaurata trajiciuntur, ad tabulas conjungendas; capite uniuscujusque vectis in caput alterius admisso per vertibula cochleæ ad similitudinem affabrè facta. Ad posticum autem parietem una phalanx per tabulas omnes discurrebat, in quam intrabant extrema vectium per laterum longiorum parietes pertinentium, quò firmiùs commissuris jungerentur, masculo & fœminâ inter se coarctatis. Atque ita cautum est, ut Tabernaculum nullâ ventorum vi aliove impetu agitaretur, sed perquàm securum staret, & immobile.* Modò ad Textum Mosaicum.

℣. 17. IN LATERIBUS TABULÆ DUÆ INCASTRATURÆ

(k) וסרח העדף ביריעת האהל חצי היריעה העדפת תסרח על אחרי המשכן

(l) *Joseph Antiq. l. 3, c. 5. Phil. de vitâ Mos.* (m) מלמעלה *Septuag.* Ἐπάνωθεν.

(n) הקרשים *Septuag.* Στύλους *Columnas. Aqu. Sym. Th.* Σανίδας *Tabulas.* (o) *Joseph. Antiq. l. 3, c. 5.*

(p) *Ita legitur in versione Hudsonianâ, cùm in aliis sit* duodecim.

℣. 18. Quarum viginti erunt in latere meridiano, quod vergit ad Austrum.

℣. 19. Quibus quadraginta bases argenteas fundes, ut binæ bases singulis tabulis per duos angulos subjiciantur.

℣. 20. In latere quoque secundo tabernaculi, quod vergit ad aquilonem, viginti tabulæ erunt,

℣. 21. Quadraginta habentes bases argenteas: binæ bases singulis tabulis supponentur.

℣. 22. Ad occidentalem verò plagam tabernaculi facies sex tabulas:

℣. 23. Et rursum alias duas, quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi.

℣. 24. Eruntque conjunctæ a deorsum usque sursum, & una omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis, quæ in angulis ponendæ sunt, similis junctura servabitur.

℣. 25. Et erunt simul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per unam tabulam supputatis.

COMMENTARIUS.

TURÆ FIANT. Septuaginta: (q) *Duos ancones* (duos cardines) *contracadentes unum alteri*. Quæ verba fortasse accipienda sunt de cardinibus intra sua foramina insertis. Hoc sensu Hebræus (r): *Duæ manus tabulæ uni gradatim dispositæ, cuilibet ad sociam suam*. Singulis tabulis duo erunt ad idem latus cardines, ad alterum verò latus foramina totidem. Alii verò censent, unamquamque tabulam sociæ alteri junctam fuisse, immissâ unâ in alteram; quod nos etiam in vertendo Gallicè Textu prætulimus.

℣. 18. QUOD VERGIT AD AUSTRUM. Septemtrionem pro austro habent hic Septuaginta, uti et austrum pro septemtrione ℣. 20: sed nullo sensûs dispendio; æquè enim australis & septemtrionalis pars iisdem ornamentis distinguebatur.

℣. 19. QUIBUS QUADRAGINTA BASES ARGENTEAS FUNDES. Fusiùs Hebræus, & Septuaginta (s): *Quadraginta bases argenti facies subter viginti tabulas, duas bases subter tabulam unam, duabus manibus ejus*. Septuaginta: *Ad duas partes ejus; & bases duas columnæ uni in ambas manus ejus*, sive in utrumque latus. Manûs nomine non incongruè duos cardines in foramina argentearum basium immissos interpretaremur. Lyranus & Tostatus reputant, duas hasce bases inferiori cuspide in terram defigi, superiori intra crassitudinem tabulæ immitti. Porrò ornamenta illa, tum in latere Aquilonari, tum in meridionali, æquè respondebant.

℣. 22. AD OCCIDENTALEM VERO PLAGAM TABERNACULI FACIAS SEX TABULAS. Latus illud Tabernaculi constabat sex tabulis, mensuræ æqualis aliis tabulis reliquorum laterum. Sed præter sex istas, duæ erant ad latera, columnarum instar, soliditate cæteris omnibus præstantes, quippe quæ continendis arctâ societate junctis tribus simul lateribus servirent; habebant enim commissuras, quæ insertas validè tenerent tabulas, quà dorsi, quà lateris utriusque.

℣. 24. ERUNTQUE CONJUNCTÆ A DEORSUM USQUE AD SUMMUM. Primum membrum hujus versiculi pertinere videtur ad singulas tabulas trium laterum, firmissimè alteram alteri connexas; secundum verò spectare tantùm duas angulares tabulas in posticâ Tabernaculi. Sed alter est in Hebræo sensus: Duæ istæ tabulæ (laterales) similes erunt; ad literam (t) *gemellæ erunt*, infra & supra. Duabus commissuris ad utrumque latus instruendæ erant, unâ superiùs, alterâ inferius; cùm aliæ tabulæ commissuras haberent binas ad unum latus, ad alterum verò duos cardines. Hebræum *Toamim* exprimere potest, duas hasce crassiores tabulas perinde esse ac matres duorum gemellorum, quippe quæ reciperent in suum sinum duos ex utroque latere cardines: quod si ponatur, reputandum esset, lateris posterioris tabulam unam duplici cardine ex utroque latere fuisse instructam, nullâ commissurâ; quod sanè repugnat iis quæ supra deduximus. Mallem itaque, verborum illam phrasim, *Erunt gemellæ*, ita reddere, ut idem sit ac, *Erunt junctæ*, similes, altera ab alterâ, geminorum instar, non sejunctæ. Habet ulteriùs Textus Originalis: *Erunt gemellæ super caput*, vel superiùs, *circa annulum unum*: qua optimè significatur, commissuras illas superiores circa locum fuisse, ubi inserti erant annuli, transmissum ve-

(q) Ἀγκωνίσκους ἀντιπίπτοντας ἕτερον τῷ ἑτέρῳ.
(r) שתי ידות לקרש האחד מ״ לבת אשה אל א־החה
(s) וארבעים אדני כסף העשה תחת עשרים הקרש שני ארנים תחת הקרש האחד לשתי ידותיו
(t) יהיו האמים מלמטה ויחדו יהיו תמים על ראשו אל הטבעת האחת כן יהיה לשניהם

ỳ. 26. Facies & vectes de lignis Setim quinque, ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi,

ỳ. 27. Et quinque alios in altero, & ejusdem numeri ad occidentalem plagam.

ỳ. 28. Qui mittentur per medias tabulas a summo usque ad summum.

ỳ. 29. Ipsas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata contineant: quos operies laminis aureis.

ỳ. 30. Et eriges tabernaculum juxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est.

ỳ. 31. Facies & velum de hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ, opere plumario, & pulchrâ varietate contextum:

ỳ. 32. Quod appendes ante quatuor columnas de lignis Setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas.

COMMENTARIUS.

ctem continentes, qua de re statim.

ỳ. 26. VECTES DE LIGNIS SETIM QUINQUE. Cùm Tabernaculum xxx cubitis excurreret in longum, singulorum quinque vectium, de quibus hìc, mensuram sex cubitorum fuisse oportet. Numerum vectium silet Josephus: quinque autem cubitos in longum illis tribuit; ex quo rectè inferas, ex ejus sententiâ sex vectes fuisse, quot æquarent mensuram xxx cubitorum Tabernaculi. Tres vel etiam quinque ordines vectium in transversum positorum totam latitudinem tabularum tenebant, ex aliquorum sententiâ: verba Textûs nihil satis apertè eâ de re; & facilè etiam unus singularis ordo constitui posset ex quinque vectibus in unicam lineam dispositis. Quod tamen nos jubet agnoscere quinque ordines secundùm altitudinem per intervalla collocatos, illud est, quòd ỳ. 27 præcipitur, ut latus orientale, duodecim tantùm cubitis in latum patens, quinque transversis vectibus contineatur. Quis autem reputaverit, quinque continuatis in unicam lineam vectibus opus fuisse, ut mensura illa æquaretur? Quinque igitur ordines constituendi sunt.

ỳ. 28. QUI MITTENTUR PER MEDIAS TABULAS; idest, juxta Hebræum (u), intra crassitiem tabularum claustri excurret vectis, *penetrans ab extremo ad extremum*. Agnoscunt hìc Interpretum plures (x) vectem intra tabularum crassitiem insertum, excurrentemque ab extremo usque ad extremum alterum claustri angulum. Paria observes etiam capite XXXVI, 33: *Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo usque ad angulum perveniret*. Vectes qui annulis inserebantur, exteriori parti tabularum adhærebant (y): vectis autem hìc crassitiem penetrans tabularum, secundùm earum altitudinem excurrebat.

ỳ. 31. FACIES ET VELUM DE HYACINTHO. Ditissimi erat operis hoc velum, tum re ipsâ, tum colorum pretio, tum texturæ elegantiâ. Velum Sanctuarii quatuor digitis crassum fuisse tradunt Judæi (z), ne quid scilicet per transversum illud subluceret: quorsum autem cautio ista? cùm enim nihil transmitteretur lucis in Sanctuarium, nihil utique apparuisset intuentibus etiam per simplex oppansum velamen.

OPERE PLUMARIO. Hebræus (a): *Opus cogitantis*, inveniensis. Textrini erat operis velum illud, & vario colore, variisque ornatum figuris, non verò acu pictum. Vide ỳ. 1.

ỳ. 32. QUOD APPENDES ANTE QUATUOR COLUMNAS. Tabernaculi longitudine in duas partes distributâ, quæ posterior erat, *Sanctuarium* appellabatur: distinguebatur autem ab alterâ, cui nomen *Sanctum*, intermediis columnis e Setim, aureâ lamina indutis. Epistylia aurea addunt nonnulli; sed plerique (b) & doctissimi quique Recentiores certant, Hebræum ווים *Vavim* nihil aliud significare, quàm uncos in supremo columnarum vertice dispositos, ut velum in faciem expansum sustinerent. Quod hìc in examen revocare juvat.

Septuaginta & Vulgata reddunt plerumque Hebræum *vavim*, *capita*, κεφαλίδες. Hebræum *vau* nullibi in Scripturâ, præterquàm in *Moyse*, occurrit; ejusque certa significatio, non aliâ ratione determinaretur, quàm collatis variis inter se Textibus eam vocem referentibus, inspectoque sermonis contextu. Quod enim a Grammaticis traditur, nomen scilicet *vau* certæ cuidam literæ inditum fuisse, quòd unci, *vau* dicti, referret similitudinem, hoc, inquam, gratis asseritur, & principium, utì vulgò dicitur, repetunt. Veteres illi Hebræi Moysi coævi, apud quos litera *vau* tum re tum nomine nota erat, illi utique nomen non indiderunt ex unci similitudine: in veteri enim eorum alphabeto hæc figuram referebat ab unco planè alienam. Animadvertendum est igitur primò, si columnarum Taberna-

fi-

(u) והבריח התיכן בתוך הקרשים מברית מין הקצה אל הקצה

(x) *Ita Heb. Vatab. Simler. Liran. &c.* (y) *Vide quæ diximus in ỳ. 24.* (z) *Apud Malvend.*

(a) מעשה חשב (b) *Mont. Vat. Oleast. Piscat. &c.*

Digitized by Google

℣. 33. Inferetur autem velum per circulos; intra quod pones arcam testimonii, quo & Sanctuarium, & Sanctuarii sanctuaria dividentur.

℣. 34. Pones & propitiatorium super arcam testimonii in Sancto sanctorum.

℣. 35. Mensamque extra velum: & contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte Aquilonis.

℣. 36. Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ, opere plumarii.

℣. 37. Et quinque columnas deaurabis lignorum Setim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea, & bases æneæ.

COMMENTARIUS.

li epistylia designare nôluit Moyses per vocem *vavim*, reputari oportere, nunquam ab illo expressam esse nec materiam nec formam epistyliorum, quamquam accuratissimè columnas describat quatuor variis Capitibus Exodi, scilicet XXVI, XXVII, XXXVI, XXXVIII. Quis autem induxerit in mentem sibi, fieri potuisse, ut Moyses post descriptum columnarum truncum & basim, post uncos & velamina veluti depicta, ne verbo quidem egerit de epistyliis? An ne persuaderemur, caruisse epistyliis columnas? quas quidem ornamentis suis, præsertim necessariis, non destitutas fuisse vel ipsi credunt, qui *vavim* reddunt *uncos*.

II, Jubet Moyses vestiri auro *vavim* (c); & alibi tegenda auro imperat eorum capita, sive eorum *cælaturas*. Non erant ergò meri tantùm unci columnis affixi. Uncos enim solido auro conflare opus erat, non auro indui in columnis Sancti & Sanctuarii. Ad hæc, Moyses materiam ejusmodi uncorum non indicat, quamquam tegi auro voluisset. Hujus igitur silentii causam fuisse reputamus, quòd epistylia essent ex eodem ligno, ac tota columna, totumque opus illud auro vestiendum esset. Quorsum denique cælaturæ in uncis?

III, Notat Scriptura [d], impensos mille & septingentos & septnaginta quinque siclos argenti in sexaginta *vavim* columnarum atrii. Quæ tanta pecuniæ vis pro sexaginta uncis ad sustinenda velamina? Adde, Scripturam non segniter distinguere annulos sive uncos sustinendis regendisque velaminibus, ab epistyliis, de quibus modò. Porrò annulos hic ℣. 33 appellat *Kerasim*. Adhærendum igitur censemus Vulgatæ & Septuaginta in versione Hebræi *vavim*, quo epistylia reipsâ designantur.

Sed alterius erant formæ epistylia hæc ab iis quæ Græcis & Romanis placebant. Architecturam omnem Tabernaculi ordinat Moyses ad normam Ægyptiacæ, cui ipse & opifices in ædificium adhibiti assueverant. Ita verò columnas describit Athenæus (e), regionis ejusdem gentilis: *Teretes quæ fuere in Ægypto columnæ, vertebratis scalpturis differebant, candida vicissim ac nigra. Rotunda in illis summa capitulorum fuit, totaque circumscriptio rosis aliquantulùm dehiscentibus similis. Circa partem, quam calathum vocant, nulla voluta fuerunt, quemadmodum in Græcis, crassa nulla folia. Sed loti fluviales calyces, & palmæ nuper germinantis fructus; in quibusdam aliorum florum multa genera insculpta.* Hæc itaque columnarum Ægyptiacarum forma; ad quarum ferè normam constructæ columnæ Tabernaculi, epistylia gerentes ceu rosarum folliculum, floribus & foliis ornatum, ut describit Athenæus; quare pro argenteis fasciis, in cochleæ modum, quales comminiscuntur Interpretes, ornabantur fasciis argenteis in modum annuli, æquis intervallis, aliis super alias. Eorum, quæ ex Athenæo recitavimus, speciem quamdam exhibent Isidis tabulæ a Pignorio explicatæ, ubi columnæ quædam Ægyptiæ visuntur. Puto insuper, columnas Templi architecturâ non dissimili ab hac, quam descripsimus, stetisse.

Ut verò ad columnas Tabernaculi regrediamur, velum descriptum hîc, numero 31, suspensum sustinebant annuli, vel unci, uti ex ℣. 33.

Post versum 35 sequitur in Samaritano prolixa sanè additio, decerpta ex capite XIX, 1, usque ad 21, ubi præcipit Deus Moysi, ut sumpto vitulo ac duplici agno in Aaronis consecrationem, unà cum panibus & placentis, sacris vestibus induat Aaronem cum filiis, tum oleo sacro inungat, ipsosque offerat ad ostium Tabernaculi; immolet tandem vitulum, & geminos agnos coram Domino. Desunt hæc omnia in Hebræo, Chaldæo, & Septuaginta, cæterisque Versionibus; in quibus tamen habes descripta capite XXIX, 1, usque ad 11, ubi vicissim desiderantur in Samaritano.

℣. 36. FACIES ET TENTORIUM IN INTROITU TABERNACULI; id est velum alterum (f). Tabernaculi nomine designatur Sanctum, cujus ante aditum expansum erat velum, alterum planè a velo Sanctuarii; primò quòd scilicet hoc Sancti velum phrygio esset opere, deinde quòd quinque columnis, æneis basibus, sustineretur.

CA-

(c) *Vide cap.* XXVII, 10, 11; *&* XXXVI, 38; *&* XXXVIII, 10, 11.

(d) *Cap.* XXXVIII, 28. (e) *l.* 5, *c.* 9. *Dipnosophist.* Οἱ γὰρ γεγονότες αὐτόθι κίονες ἀνήγοντο στρογγύλοι. διαλλάττοντες τοῖς σπονδύλοις, τῶν μὲν μελάνων, τῶν δὲ λευκῶν, παράλληλα τιθεμένων. Εἰσὶ δ' αὐτῶν καὶ αἱ κεφαλαὶ τῷ σχήματι περιφερεῖς, ὧν ἡ μὲν ὅλη περιγραφὴ παραπλησία ῥόδοις ἐπὶ μικρὸν ἀναπεπταμένοις ἐστίν. Περὶ δὲ τὸν προσαγορευόμενον κάλαθον οὐχ ἕλικες καθάπερ ἐπὶ τῶν Ἑλληνικῶν καὶ φύλλα τραχέα περίκειται. Λωτῶν δὲ ποταμίων κάλυκες, καὶ φοινίκων ἀρτιβλάστων καρπός. *&c.*

(f) *Vide Exod.* XXXVI, 37 *&* 38. *Velum hic appellatur* מסך, ἐπίσπαστρον, *velum quod reducitur. Aliis*, παρακάλυμμα, *quod operit.*

CAPUT XXVII.

Altare holocaustorum, atrium Tabernaculi, ejus columnæ, & candelabrum describuntur.

℣. 1. FAcies & altare de lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, idest quadrum, & tres cubitos in altitudine.

℣. 2. Cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt: & operies illud ære.

℣. 3. Faciesque in usus ejus lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes, atque fuscinulas, & ignium receptacula; omnia vasa ex ære fabricabis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. FACIES. ET ALTARE DE LIGNIS SETIM. Agitur hìc de Altari holocaustorum quadrato, quinque cubitorum, & tribus cubitis, sex circiter Parisiensibus Regiis pedibus, assurgente. Locum tenebat ad Orientem sub dio, e regione aditûs Sancti. Altius erat, si fides Rabbinis, tribus cubitis; illam enim trium cubitorum a Moyse expressam mensuram ducunt a coronâ ad mediam ejus altitudinem ductâ. Vide ℣. 5.

℣. 2. CORNUA AUTEM PER QUATUOR ANGULOS. Ad quatuor altaris angulos quatuor erigebantur veluti cornua, ejusdem metalli atque operis ac reliquum altare. Putant nonnulli (*a*), designari hìc veluti totidem radios, qui ex altari prorumpentes, cornuum speciem ad quatuor angulos exhiberent. Malunt alii (*b*), quatuor cornua ipsissimos esse altaris angulos porrectos, super quos fundebantur liquores. Constat tamen ex verbis Ezechielis (*c*), reipsâ ad quatuor altaris angulos totidem ærea cornua surrexisse.

Plurima nec vulgaria collegit Spencerus (*d*) de cornibus, quæ olim altaribus addebantur. Observat ille, vetustis moribus obtinuisse sæpè, ut cornuti exhiberentur Dii, Reges, Heroes, amnes, simulacra, aræ; ut quæ cornibus esset veneratio, Profanæ Religionis portio haberetur. Arboribus interdum suspensa cornua, imposita item frontibus Bacchi, Isidis, Jovis Ammonis, Alexandri Magni, &c. Ornata cornibus altaria. Martialis:

Dissimuletque Deum cornibus ara frequens.

Sæpe e meris cornibus Altaria construebant (*e*):

Miror et innumeris structam de cornibus aram.

Ejusdem structuræ aram describit Diogenes Laërtius in Vitâ Pythagoræ. Agens Callymachus (*f*) de Urbe conditâ in honorem & sub auspiciis Dianæ ac Apollinis, narrat, Dianam plura caprearum cornua e venatu retulisse, e quibus excitata est ab Apolline ara. Affirmat Plutarchus, choream duxisse Theseum circa aram e lævis tantùm cornibus structam. Pingit Martialis Apollinis Delii aram cornibus fabricatam, quæ Mundi prodigium habebatur. Erant cornua illa veluti trophæum, ex ingenti victimarum numero Numinibus illis immolatarum positum.

Sed alia erat planè natura, alius usus cornuum altaris Tabernaculi; ornamento enim tantùm erant, vel fortè suspensam tenebant cratem super aream in medio Altaris excavatam; seu tandem lora tenebant victimarum, quæ mactandæ interdum ad pedes altaris statuebantur. Quæ posterior sententia confirmatur ex illo Psalmi CXVII, 27: *Constituite diem solemnem in condensis usque ad cornu altaris*; quam sententiam alii ita reddunt ex Hebræo: *Vincite funibus victimam ad cornu altaris*; qui tamen sensus an genuinus sit Textûs, ambigitur, ut alibi videbimus. Censet Tostatus, suspensa ad cornu altaris instrumenta usibus sacrificii destinata. E posticâ nummorum quorumdam intelligimus, non defuisse apud Paganos altaria cornibus omnino similibus instructa ac Altare holocaustorum.

℣. 3. FACIES IN USUS EJUS LEBETES. Totum hunc versum ita reddunt Septuaginta (*g*): *Facies coronam Altari: & operculum ejus, & phialas ejus, & fuscinulas, & focum ejus; & omnia vasa ejus facies ænea.* Quinque exprimuntur instrumenta in Hebræo, quamquam Vulgata quatuor tantùm reddit. Primum est סירות, *Siroth*, quod est lebes, vel quid simile; cujus usus in Textu describitur: *Ad suscipiendos cineres*, idest, colligendos, excipiendos, asportandosque extra castra, facilè sub crate altaris holocaustorum collocatum.

(a) *Rab. Salom. Lipom.* (b) *Rivet. & Mont. in Villalpand.* (c) *Ezech.* XLIII, 15: *Ab Ariel, usque ad sursum, quatuor cornua.* (d) *Spencer. de leg. ritual. l. 3, c. 4, dissert. 2.* (e) *Ovid. Ep. 20 ad Acont.* (f) Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ᾽ ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων.
Δείματο μὲν κεράεσσιν ἐδέθλια, πῆξε δὲ βωμὸν
Ἐκ κεράων, κεραοὺς δὲ πέριξ ὑπεβάλλετο τοίχους.

(g) Ποιήσεις στεφάνην τῷ θυσιαστηρίῳ, καὶ τὸν καλυπτῆρα αὐτοῦ, καὶ τὰς φιάλας αὐτοῦ, καὶ τὰς κρεάγρας αὐτοῦ, καὶ τὸ πυρεῖον αὐτοῦ, καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτοῦ ποιήσεις χαλκᾶ.

℣. 4. Craticulamque in modum retis æneam: per cujus quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei,

℣. 5. Quos pones subter arulam altaris: eritque craticula usque ad altaris medium.

COMMENTARIUS.

catum. Secundum יעים, *Jaim*, quod plerique reddunt *palas*; Syriacus, *radulas*; alii, *scopas*. Æneum erat. Retineri potest versio, quæ habet *palas* seu *batilla*. Hæc autem describens R. Salomon, narrat similia fuisse operculo ollæ, cum ansis. An Vulgata vocem *Jaim* vel proximè sequentem reddiderit forcipes, ignoro.

Tertia vox in Hebræo est מזרקות, *Misrekoth*; petitur autem e radice quæ sonat expandere. Reddunt plerumque Septuaginta *phia'am*, quo nomine designatur seu patera seu scyphus, fundendis liquoribus. Vas fuisse potatorium, ex Amos vi, 6, & Zachariâ (*h*) deducendum videtur. Reddunt alii Hebræum lebetes, lances, vel scutellas. Quod persuadere posset, instrumentum hoc fuisse genus quoddam lancis, seu pateræ, illud est, nimirum quòd in Numeris vas offertur semper plenum farinâ aquâ subactâ. Ut verò certius aliquid dicamus, habeo apud me persuasum, exprimi vas quoddam, ad excipiendum cruorem victimarum, quo pariter effundebatur idem cruor circa & ad basim altaris. Utitur plerumque Moyses verbo *Sarak*, quod primitivum est vocis *Misraket*, ad exprimendam effusionem sanguinis victimarum.

Quarta in originali occurrit vox מזלגות *Mislegoth*, quam facilè expresserunt Septuaginta & vulgata reddentes κρεάγρας, *fuscinulas*, ad efferendas ex ollâ carnes; quam genuinam esse vocis significationem, intelligimus ex primo Regum (*i*), ubi narratur, vernam Sacerdotis fuscinulâ tridente (Hebraicè *Mizlag*) ex ollâ carnes eduxisse. Manet eadem vocis significatio in linguâ Arabicâ, in qua Hebræarum vocum radices plurimæ servantur.

Quinta vox מחתות, *Machtoth*, in Vulgatâ *ignium receptacula*; in Septuaginta & Arabico *focum*, πυρεῖον. Constat utique, sæpe usurpari pro thuribulo; quo sensu ab Interpretibus pluribus hìc etiam accipitur: sed in Altari Holocaustorum nullus thuribuli usus; & quod altari thymiamatis erat destinatum, auro constabat. Exprimit etiam vox illa interdum foculum, seu deferendo igni alia id generis instrumenta (k); nec a vero abludit, thuribulorum Templi figuram aliam planè fuisse, quàm modò apud nos, cùm ad foculos propiùs accederent, sed elegantiora opere & materiâ, quàm nostra. Vidimus supra ad caput xxv, 38, Hebræam hanc vocem etiam significare genus quoddam emunctorii ad usum lucernarum candelabri.

℣. 4. CRATICULAM IN MODUM RETIS ÆNEAM. Versus hic & proximè subsequentes negocium faciunt Interpretibus, quòd brevior sit Textus, & implexior, quàm ut capiant Lectores. Ita ergo Hebræus (*l*): *Facies ei cribrum* [vel cratem] *quasi opus retis ænei; & super rete facies quatuor circulos æneos in quatuor extremitatibus ejus. (℣. 5.) Et pones ipsum subter ambitum Altaris deorsum; & rete erit usque ad meditullium Altaris. (℣. 6.) Facies annulos æreos ferendo Altari.* Id igitur negocium facessit, nimirum, I, ubi potissimùm crates constituenda; II, an suos haberet annulos & vectes, a cæteris Altaris diseretos. Textus capitis xxxviii, ubi rem totam excutioni mandatam narrat Moyses, habet disertè: *Fusis quatuor annulis per totidem retiaculi summitates, ad immittendos vectes ad portandum.* Additur ibi ℣. 6, & 7, juxta Hebraicum: *Et fecit* (Moyses) *vectes de lignis setim, quos operuit ære; (7) & induxit eos in annulos, qui erant in latere Altaris, ad portandum illud.* Habemus itaque non obscurè expressos annulos & vectes, tum Altari, tum crati seorsim vehendæ.

Situm cratis apertè determinat Textus, docens cratem infra ambitum Altaris deorsum constitutam, ad medium ejus descendisse. Censent nonnulli, ambitum hunc Altaris ipsum esse limbum in ejusdem fastigio: aliis tamen probatur, limbum illum mediam altaris altitudinem distinxisse, cubito & semis crepidine Altaris altiorem, & æquâ distantiâ ejusdem vertice inferiorem. Notat Moyses, cratem illam poni infra coronam vel limbum, nec supra constitui, sed intra vacuam aream altaris, ad medium usque demitti. Reputandum est igitur, cratem illam suspensam tenuisse catenas, annulis ejus insertas, atque altaris coronibus creditas. Putat Tostatus, cratem positam non intra sed extra altare, ut ornamenti esset loco, in ejus altitudinis medio. Reputarunt alii quidam apud Tostatum, cratem genus quoddam fuisse clathri, liberum ad altare aditum vetans. Sed nihil in his solidi.

Altitudo altaris, quinque, ut minimum, pedibus surgens, & constitutus crati locus in mediâ interiori ejus areâ, satis persuadet, altare illud aliquâ sui parte intra humum latuisse, sive circum effossam, sive congestam circum, ut lenis ad illud ascensus pararetur; vix enim aliter valuissent Sacerdotes ad cratem illam pertingere, ut concisa victimæ membra disponerent, excitarent ignem, si tamen ignis supra cratem ponebatur, uti ne ambigentes quidem asserimus, ac demonstrandum statim suscipimus.

PER CUJUS QUATUOR ANGULOS ERUNT QUATUOR ANNULI ÆNEI: (℣. 5.) QUOS PONES SUBTER ARULAM ALTARIS. E nostris plures, inhærentes Vulgatæ, censent, focum illum vel *arulam* vas fuisse æneum, cui imposito igne, flamma usque ad cratem ascenderet, absumeretque victimas supra cratem positas (*m*). Arula ista imposita erat, inquiunt illi, lapidibus quibusdam rudibus, sive

bumo

(h) *Zach.* IX. 15: *&* XIV, 20. (i) 1 *Reg.* II, 13: *Veniebat puer sacerdotis ... & habebat fuscinulam tridentem in manu suâ.* (k) *Vide ad Levit.* XVI, 12. (l) עשית לו מכבר מעשה רשת נחשת ועשית על הרשת ארבע טבעת נחשת על ארבע קצותיו

(m) *Menoch.*

Digitized by Google

℣. 6. Facies & vectes de lignis Setim duos, quos operies laminis æneis:

℣. 7. Et induces per circulos, eruntque ex utroque latere altaris ad portandum.

℣. 8. Non solidum, sed inane, & cavum intrinsecùs facies illud, sicut tibi in monte monstratum est.

℣. 9. Facies & atrium tabernaculi, in cujus australi plagâ contra meridiem erunt tentoria de bysso retortâ: centum cubitos unum latus tenebit in longitudine.

COMMENTARIUS.

humo, qoibus altaris interior area ad mediam usque altitudinem implebatur, utì præcipitur io Exodo xx, 24. Ad imum altaris fundum positam arulam putant alii, cineri & favillis excipiendis, quæ per transversam cratem decidebant.

Verùm nec Septuaginta nec Josepbus (*n*) arulam hanc a crate discretam noscunt; quique Textui Hebræo inhærent e nostris Interpretes, arbitrantor vocem originalem *carcob* exprimere seu limbum superiorem in Altaris fastigio, seu limbum alterum ad mediam altaris altitudinem, infra quem inserti erant annuli in usum vehendi altaris. Quod attinet ad rudes illos lapides vel humum intra arcam aggestam, id nec Scriptura ipsa docet, nec ulla cogit ratio eo sensu explicare præceptum datum io Exodo xx, 24. Tandem non uno Levitici Textu intelligimus (*o*), victimarum carnes super ipsa sacrificii ligna jacuisse.

Septoaginta & Vulgata cùm legissent in Hebræo ℣. 5, *otam* pro *otab*, verterunt: *Pones* (annulos) *sub arulâ altaris*; cùm in Hebræo, qualis hodie superest, sit (*p*): *Pones* (cratem) *subter ambitum*; ex quo discrimen non leve. Sed ne ambigentes quidem præferendam censemus Hebræo lectionem Vulgatæ, quæ locum indicat, quo annuli vehendo altari inseruntur. Nec immeritò suspicaremur, voces aliquas Textûs excidisse, omissas ab Amanuensibus, quibus plurium vocum affinitas fucum aliquem fecit, ut omittereot integrum versiculum, quo latum præceptum de construendis annulis in usum altaris narrabatur.

Post discrimen istud sententiarum luculenter expositum, credimus gratum fore lectoribus, si novam aliquam proponamus interpretationem Textûs Mosaici, de formâ Altaris holocaustorum. Ita ergo reputamus. Instar arcæ constructum tribus cubitis assurgebat, idest, sex pedibus circiter aut quinque pedibus & semis. Mediam usque ejus altitudinem occupabant pedes, quibus arca trium pedum vel circiter sustinebatur. In imo ejus fundo supra pedes stabant crates & annuli, de quibus suprà. Ita ergo reddimus Textum Mosaicum ad literam: *Facies altare de lignis setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, & tres cubitos in altitudine. Facies craticulam in modum retis aneam, cujus in quatuor angulis erunt quatuor annuli anei. Pones illam sub limbo altaris inferiùs, & erit in medio altaris. Facies & vectes altaris de lignis setim, ad portandum altare. Cavum erit, & inane, e tabulis compactum, ut tibi in monte monstratum est.* Nihil ex hoc Texto bypothesi nostræ contrarium, cui potius favor conciliatur. I, Altare, quale vulgò noscitur, novem circiter pedibus latum, sex circiter vel quinque & semis altum, laminis æneis, & ampliori crate, annulisque nonnullis grave, pondere erat utique majori, quàm ut impositum veheretur bumeris hominum duorum vel quatuor, in consuetis per desertum itineribus. II, Vix fieri potuisset, ot servaretur ignis intra vacuam aream altaris undique clausi. Multò æquiùs intelligeretur, aërem ex inferiori parte immitti. III, Facilè, juxta nostram bypotbesim, noscimus, quo pacto cinis demissus exciperetur in lebetem crati suppositum. IV, Qui ex inferiori altaris parte admittebatur aër, prohibebat ne nimiùm incalesceret, neve liquaretur æs, vel tabulæ incenderentur. V, Ita facilè conciliantur, quæ scripta sunt de crate sub limbo altaris positâ, ac de annulis cratis & altaris. Altaris & cratis annuli unum sunt idemque; inserti enim erant in arcâ Altaris, quo loco respondebat crates; & facilè uno eodemque opere & crati continendæ in suo loco, & ferendo altari deserviebant. VI, Tandem Altaria in tabulâ Isidis exbibita, ab iis, quæ de Mosaico isto reputavimus, non abludunt; arcæ enim genus quoddam referunt, pedibus, tantumdem editis atque area ipsa, impositæ.

℣. 9. Facies et atrium Tabernaculi. Atrium illud excurrebat in longitudinem ab Oriente in Occidentem c cubitis; in latitudinem ab austro in boream, L. Ampliora illa latera ornabant xx utrimque columnæ ære indutæ, quinque cubitis editæ, cum suo singulæ epistylio argenteis laminis nitente, æneisque basibus impositæ. In imo fundo seu ad latus Occidentale spectabantur ejusdem materiæ & ornamenti decem columnæ. Ampla e gossypio velamina columnis bisce suspensa, tria atrii latera claudebant. Orientale latus, quâ patebar aditus, excurrebat in longum L cubitis, quorum xx pro aditu relicti. Ad utrumque spatii illius latus tres spectabantur columnæ æneæ, argenteis foliis ornatæ, seu potiùs circulis quibusdam argenteis, dispositis per intervalla. Præter sex hasce columnas, quatuor etiam ante aditum positæ sustinebant pretiosioris operis velum, xx cubitis longum, & v altum, ante aditum pendens.

Erunt tentoria de bysso retorta. Hebræum קלעים *Kelaim* exprimere censent Interpretes opus reticulatum, seu velamen, quo oppanso ita prohiberetur aditus, ut per illud interiora

(n) LXX, Ἐσχάρα. *Xenophon l. 8 Cyropadia ageus de sacro igne, qui in foculis post Cyrum ferebatur, usurpat vocem ἐσχάρα.* Πῦρ ὤπισθεν αὐτῷ ἐπὶ ἐσχάρας μεγάλης ἄνδρες ὕποντο φέροντες. (o) *Levit.* 1, 7, 12, 17; & 111, 5, & *passim.* (p) נתתה אותם pro ונתתה אתה תחת כרכב

Digitized by Google

℣. 10. Et columnas viginti cum basibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea.

℣. 11. Similiter & in latere Aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, & bases æneæ ejusdem numeri, & capita earum cum cælaturis suis argentea.

℣. 12. In latitudine verò atrii, quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem, basesque totidem.

℣. 13. In eâ quoque atrii latitudine, quæ respicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt,

℣. 14. In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri uno deputabuntur, columnæque tres, & bases totidem:

℣. 15. Et in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim, columnæ tres, & bases totidem.

℣. 16. In introitu verò atrii fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ, opere plumarii: columnas habebit quatuor, cum basibus totidem.

℣. 17. Omnes columnæ atrii per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis, & basibus æneis.

℣. 18. In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quadraginta, altitudo quinque cubitorum erit; fietque de bysso retortâ, & habebit bases æneas.

℣. 19. Cuncta vasa tabernaculi in omnes usus, & cæremonias, tam paxillos ejus, quàm atrii, ex ære facies.

℣. 20. Præcipe filiis Israël, ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum purissimum, piloque contusum: ut ardeat lucerna semper

COMMENTARIUS.

trii spectarentur. Vox est alia, quàm quæ significandis velaminibus Templi legitur in Texto.

℣. 10. QUÆ CAPITA CUM CÆLATURIS SUIS HABEBUNT ARGENTEA; idest, columnarum epistylia & annuli illas ambientes, ex argento erunt. Vide quæ de significatione vocum originalium disputavimus ad caput XXVI, 32.

℣. 14. IN QUIBUS QUINDECIM CUBITORUM TENTORIA. Septuaginta: *Quindecim cubitorum altitudo velorum lateri uni*. Hoc autem intelligendum est de longitudine velaminum a Septemtrione ad meridiem, & a meridie ad Septemtrionem ad utrumque latus protensorum, quæ medium exciperent aditum in atrium. Tota facies L cubitis porrigebatur, quorum viginti ad ingressum destinati, XXX reliquos claudebant duo velamina, XV cubitorum singula.

℣. 16. COLUMNAS HABEBIT QUATUOR. Columnæ istæ æquis intervallis dispositæ per totum spatium XX cubitorum, suspensum deferebant velum, de quo hîc. Elaboratum erat velum *opere plumarii*; cùm Sanctuarii velum alterum, variis licèt coloribus, quòd simplicioris esset operis, elaboratum diceretur *opere artificis* (q).

℣. 17. VESTITÆ ERUNT ARGENTEIS LAMINIS. Hebræus: *Annuli earum & capita earum argentea, & bases earum æreæ*. Ornabant tegebantque epistylia laminæ argenteæ, columnarum verò troncum, æquis intervallis dispositi, argentei itidem circuli; suppositæ verò æreæ bases.

℣. 19. CUNCTA VASA TABERNACULI EX ÆRE FACIES. Septuaginta habent tantùm: *Omnis supellex, & omnia instrumenta, & paxilli atrii sint ærei. Tabernaculum* vel non habent in Textu, vel non exprimendum censuerunt; nec sanè reputandum est, instrumenta Tabernaculi ærea fuisse omnia; cùm in usum Sancti destinata, ex auro fuisse supra dicantur. Tabernaculum igitur hîc usurpandum pro atrio & ejus vasis.

PAXILLI, יְתֵדוֹת, unci sunt columnis inserti, ob sustinenda velamina; seu defixi in terram paxilli, quibus funes committerentur.

℣. 20. OLEUM DE ARBORIBUS OLIVARUM PURISSIMUM. Septuaginta (r): *Oleum olivarum defæcatum, purum*. Hebræus (s): *Oleum olea purum contusum*. Insinuatur facilè gutta illa olivarum

(q) *Vide cap. XXVI, 31: Opere plumario, & pulchrâ varietate contextum. Hebr. Opere artificis (seu cogitantis,) facies illud Cherubim.* (r) Ἔλαιον ἐξ ἐλαιῶν, ἄτρυγον καθαρὸν. (s) שמן זיתזך כתית

℣. 21. In tabernaculo testimonii, extra velum quod oppansum est testimonio. Et collocabunt eam Aaron, & filii ejus, ut usque manè luceat coram Domino. Perpetuus erit cultus per successionem eorum a filiis Israël.

COMMENTARIUS.

rum sponte fluens, antequam sub torculari exprimantur oleæ: *Longè melioris saporis est, quod minore vi prali, quasi luxurians, defluxerit*, ait Columella l. XII, c. 50.

Ut ardeat lucerna semper. Ardebant septem lucernæ candelabri totâ nocte, extinguebantur quotidie manè. Tres per diem etiam arsisse tradit Josephus (t). Luminis aliquid non defuisse diu noctuque in Tabernaculo, asserit etiam Hecatæus (u). Nunquam extingui consuevisse lucernas illas, censet Lyranus cum Cajetano, quòd legatur in Textu: *Ut ardeat lucerna semper*. Sed contrariam huic sententiam vulgo admittunt; & ex primo Regum III, 3, extingui mane singulorum dierum lucernam constat: *Lucerna priùs quàm extinguerentur, Samuel dormiebat* (x).

℣. 21. In Tabernaculo Testimonii, idest, in Sanctuario, ubi Arca Testimonii, continens Tabulas fœderis, seu legis, seu Testimonii, singulis enim hisce nominibus appellatur in Scripturâ (y). Aut potiùs, Tabernaculum nomen obtinet *Tabernaculi Testimonii*, quòd ibi consilia sua omnia per Moysem aperiret hominibus. Vertunt alii: אהל מועד *Tabernaculum cœtûs*, quòd eò cogeretur populus, veluti in Regis aulam subjectæ gentes, ad ejus mandata excipienda.

Gaditanum Herculis Templum antiquitate suâ venerabile, cum Tabernaculo hoc Moysis congruebat; sicuti nec a Mosaicis abhorrebant præscripti Numinis ritus. Vetus esse ædificium creditur, a Phœnicibus constructum, qui suos ibi ritus reliquere. Silius Italicus (z) ætate suâ servari adhuc ædificii illius trabes affirmat, quas ipsi Templi Fundatores posuerant, incorruptibiles creditas. Negatus fœminis in Sanctuarium illud ingressus: admissi nunquam sues. Interdictæ versicolores Sacerdotum vestes, sed lineæ omnes cum lineo capitis integumento. Porrò Sacerdotes thura dabant Numini, promissis vestibus & discincti; acceptumque a patribus tenebant, ut supra vestes positum alterius coloris pannum aliquem ferrent, *lato clavo* Senatorum apud Romanos similem. Nudi pedibus, abrasi capite, a rebus uxoriis prorsus continentes, versabantur in Templo; æternumque servabant in Aris ignem. Idola & simulacra ibi nunquam ulla.

CAPUT XXVIII.

Vestes Pontificiæ Aaronis, & filiorum describuntur.

℣. 1. Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum Israël, ut sacerdotio fungantur mihi: Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.

℣. 2. Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem.

COMMENTARIUS.

℣. 2. Vestem sanctam .... in gloriam et decorem. Ut Sacerdotium meum habeatur in honore, vestium gloriâ & majestate etiam sacra operantes revereatur populus, & majestatis

(t) *Joseph. Antiq. l. 3, c. 9.* (u) *Apud Euseb. Præp. l. 9, c. 4.* (x) *Vide etiam Exod.* XXVII, 21; & XXX, 8; *Levit.* XXIV, 3: *Ponetque eas Aaron a vesperâ usque ad mane coram Domino.*

(y) *Vide Exod.* XXV, 21.

(z) *Silius Italicus, l. 3:*

Vulgatum, nec cassa fides, ab origine fani
Impositas durare trabes, solasque per ævum
Condentum novisse manus: hìc credere gaudent
Consedisse Deum, seniumque repellere templis.
Tum queis fas & honos adyti penetralia nosse,
Fœmineos prohibent gressus, ac limine curant
Setigeros arcere sues. Nec discolor ulli
Ante aras cultus: velantur corpora lino,
Et Pelusiaco præfulget stamine vertex.
Discinctis mos thura dare, atque e lege parentum
Sacrificam late vestem distinguere clavo.
Pes nudus, tonsaque coma, castumque cubile;
Irrestincta focis servant altaria flammæ;
Sed nulla effigies, simulacraque nota Deorum
Majestate locum, & sacro implevêre timore.

℣. 3. Et loquêris cunctis ſapientibus corde, quos replevi ſpiritu prudentiæ, ut faciant veſtes Aaron, in quibus ſanctificatus miniſtret mihi.

℣. 4. Hæc autem erunt veſtimenta quæ facient: Rationale, & ſuperhumerale, tunicam & lineam ſtrictam, cidarim, & balteum. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron, & filiis ejus, ut ſacerdotio fungantur mihi.

COMMENTARIUS.

jeſtatis meæ obſequio teneatur.

℣. 3. LOQUARIS SAPIENTIBUS CORDE, QUOS REPLEVI SPIRITU PRUDENTIÆ. Cordi tribuitur vulgò a Judæis conſilium & ſapientia, quam alii in capite collocant. Opifices autem repletos a ſe *ſpiritu prudentiæ*, affirmat Deus, ideſt, ſolertiam & ingenium, ſive quòd hæc non paratis infuderit, ſivè quòd induſtriâ ſuâ id ſibi viri illi compararint. Quidquid eximium eſt, Deo tribuitur in Scripturâ. Opificum eximias dotes, quà morales, quà naturales, in Deum, totius boni authorem, Veteres referebant.

IN QUIBUS SANCTIFICATUS MINISTRET MIHI; id eſt, ut ſanctiùs mihi ſuum præſtet miniſterium; vel, ut hiſce ſacris ornamentis veſtitus, ſerviat in Tabernaculo. Quaſi ſcilicet innuat Deus, ex conſecratis illis veſtibus ſanctitatis aliquid in Sacerdotem refundi. Reddi poſſet Hebræus (a): Veſtibus his Aaronem indues *ad ſanctificandum eum, ad fungendum Sacerdotio mihi*, quibus eum præpares, ut mihi miniſtret: eſt enim *Sanctificare* interdum ad agendum aliquod ſanctum præparare. Septuaginta: *Facies ſtolam ſanctam Aaroni ad ſanctum, in qua Sacerdotio fungetur mihi*, qua ſolùm utetur, cùm miniſtrabit.

℣. 4. RATIONALE. De illo, ſicuti et de ephod, egimus capite XXV, 7.

TUNICAM. Hebræum מציל *mehil* reddunt plerumque Septuaginta ὑποδύτην ποδήρη, veſtem talarem, ſeu tantùm ὑποδύτην, *veſtem* (b); interdum χιτῶνα, *tunicam* (c). S. Hieronymo eſt hic *tunica*, & capite XXVII, 31, *tunica ſuperhumeralis*, tunica ephod, id eſt, cui ephod proximè ſuperjacet. Recentiorum plerique vertunt *pallium*. Familiaris Hebræorum veſtis erat tunica, *chetonet*; & pallium, *mehil*; illa ſuper nudo, hoc verò tunicæ ſuperinduebatur. Idem veſtiendi mos apud Ægyptios (d) Phœnicios, & Perſas. De tunicâ Sacerdotum infra, modò de pallio.

Summi Sacerdotis pallium erat hyacinthinum (e); ideſt, tunicâ utebatur lineâ, quali & Sacerdotes reliqui (f); pallium verò geſtabat facilè laneum, cæruleo ſaturo tinctum, ſed ornamentis carens. Vulgaria gentis pallia quadrata fuiſſe, indicat Deuteronomium (g), quorum quatuor angulos appellabant *alas* [h], additiſque floccis hyacinthinis ſingulis ornabant. Sed quadratam hanc figuram non eamdem omnes intelligunt. Cenſent quidam, fruſtulum exhibuiſſe panni quadratum, vel oblongum, non inciſum, non ſuturâ aliquâ reformatum, nullis manicis, quod impoſitum corpori non unâ ratione adaptaretur; modò enim capiti, & humeris, modò humeris tantùm circumvolvebatur; ſæpè unum tegebat humerum, altero, et ſæpè utroque brachio relicto; ſæpè unco ad collum devinciebatur anteriùs, angulo uno cum flocco retrò poſt humeros ad terram uſque in modum ſyrmatis demiſſo; oppoſito verò ſuper humeros reflexo, ac e dorſo in trianguli figuram pendente; utroque interim brachio duobus reliquis angulis obvoluto. Malunt alii (i) de pallio Hebræorum affine aliquid cum Dalmaticâ Diaconorum ſtatuere; formatum etenim cenſent e panno quadrato, oblongo, in medio longitudinis ſuæ aperto, quò caput inſeratur, pendente e dorſo & in anterius duplici quadrato panno, cujus utriuſque panni latera nullâ ſuturâ jungebantur, manicis veſti nullis adjectis.

Philo (k), Joſephus (l), S. Hieronymus (m), & Jarchi perſuaſum habuiſſe videntur, pallium Summi Sacerdotis a vulgari illo Hebræorum pallio formâ diſcrepaſſe. Ad utrumque enim latus clauſum effingunt, & ad terram uſque promiſſum; vocemque tandem Hebræam, quæ pallium ſonat, reddunt *tunicam*, veſtem ſine controverſiâ rotundam, & undique clauſam. Manicas etiam tribuit pallio S. Hieronymus: negat Braunius; rotundum tamen & undique occluſum concedit. Quod pro hac ſententiâ ſpecioſiſſimum occurrit apud Moyſem, illud eſt, nimirum latum ab illo præceptum, ut inferior ejus fimbria *per circuitum* (n) ornetur tintinnabulis & malis Punicis ex auro; quod ſatis indicat & rotundam fuiſſe veſtem, & inferiùs clauſam, ut ſpeciem præ-

(a) לקרשו לכהנו לי (b) *Levit.* VIII, 6. *Exod.* XXVIII, 34; & XXXIX, 24. (c) *Iſai.* LXI, 10. (d) *Herodot.* *l.* 2, *c.* 87. (e) *Cap.* XXVIII, 31: *Totum hyacinthinum*. (f) *Vide Exod.* XXVIII, 40; XXXIX, 25; *Joſeph. Antiq. l.* 3, *c.* 8; & *Philo l.* 3 *de vitâ Moſ.* (g) *Deut.* XXII, 12: *Funiculos in fimbriis facies, per quatuor angulos pallii tui.* (h) *Num.* XV, 38; *Deut.* XXII, 12; 1 *Reg.* XXIV, 5; & XV, 27. *Vulgata vertit angulos pallii, vel extremitatem, vel oram, quod Hebræi dicunt* כנף, *alam.* (i) *Maimonid. Halac Kelei Hammikd*, *c.* 9; & *Alting. orat. de ſtolâ ſummi Sacerdotis, apud Braun. l.* 2, *c.* 5, *de veſtitu Sacerd. Hebr. art.* 8. *Ita & Abarban. ibid.* (k) *Philo l.* 2 *de Monarch.* (l) *Joſeph. l.* 3 *Antiq. c.* 8. (m) *Hieron. Ep. ad Fabiolam.* (n) *Cap.* XXVIII, 33: *Deorſum verò ad pedes ejuſdem tunicæ, per circuitum, quaſi mala Punica.*

præterret quasi secundæ tunicæ super priorem alteram inductæ. Commodè igitur vestis hoc genus & tunica, uti appellant Septuaginta, Josephus & S. Hieronymus, haberetur, & pallii novum genus ad latera clausum, ut observat Josephus.

Duplici tunicâ indui Babylonios tradit Herodotus (o), alterâ lineâ, aliâ verò laneâ, & super illas, pallio. Ornamenta & scissuram hujus vestis expendemus in ℣. 31, 32, & 33 hujus capitis. Manicis destitutam vestem nos utique probamus, sed ad latera apertam, inferendis brachiis; quemadmodum in vetustis quibusdam imaginibus spectare licet figuras, quadratis vestibus indutas, absque manicis, inferiùs tamen clausas, a tunicis nostrorum Diaconorum, nisi in manicis tantùm, non discrepantes.

Lineam strictam. Hebræus: *Tunicam stringes*, כתנת תשבץ; seu: *Tunicam facies opere stricto*. Significatio *Schabaz*, unicâ voce non exprimitur. Ejus est usus ad designandam texturam lineæ; indicat pariter certum locum, ubi in Rationali gemmæ committuntur (p); quod item fit, cum de gemmis in utroque humero summi Sacerdotis agitur, cùm de ornamentis tunicæ Sponsæ in Psalmo XLIV, 15, cùm de tunicâ Saulis in prælio ad Gelboë (q).

Vocem hanc reddunt Septuaginta κοσύμβωτον *corymboton*, cinctum, arctatum, alligatum, cùm κοσύμβος ex Hesychio sit περίζωμα Αἰγύπτιον, *cingulum Ægyptium*: undè facilè S. Hieronymus vertendum suscepit: *Lineam strictam*, sivè *arctam*. Ipsi pariter Interpretes ad Psalmum XLIV, 15, reddunt Hebræum *schabaz* κροσσωτόν, *fimbriatum*, *in fimbriis aureis*. Syriacus hîc: *Tunicam byssinam*; Arabs: *Tunicam duplicatam acu pictam*. Porrò de significatione vocis, non satis convenit apud Interpretes. Vertunt alii (r) *tunicam circumconclusionis*, idest, gemmas vel uniones habentem commissas; seu potiùs ornatam cavis quibusdam hiatibus, veluti ad excipiendas gemmas. Alii (s): *Tunicam ocellatam*, utì pavonis caudam; vel pluribus colorum fasciis se invicem secantibus cancellatam. Defendit Braunius (t), Hebræam vocem exprimere hîc nitidissimarum vestium genus, quo telæ vel panni superficies eleganter depressa assurgensque ictè opus exhibet ventriculi bovini partem interiorem (*trippa*) non malè referens: quæ est Rabbinorum ipsissima comparatio. Affirmat Vir doctus (u), texturæ hujus genus accessisse ad illud, quod *ratine* vel *futaine a grains d' orge* Galli, Itali *rovescio*, vel *fustagno gragnuolato* appellant. Quæ panni superficies protuberans nudæ carni applicata, sudorem prohibebat.

Sed hisce omnibus asserendis validius aliquid desideramus, quàm Rabbinorum quorumdam testimonia. Censemus autem, commodè omnia ea loca explicari, in quibus vox *schabaz* & derivatæ occurrunt, de texturâ densâ, & multò quàm fieri solet, spissiore, ex majori numero filamentorum. Cùm affert Moyses voces *taschbez*, & *mischbezoth*, nihil de vario staminum colore memorat, quod nunquam ab illo omissum, cùm de panno agit varii coloris. Est igitur, cur reputemus, tunicam hanc lineam tantùm fuisse, vel potiùs e gossypio, ut insinuat caput XXIX, 27 (x), texturæ tamen, utì jam indicavimus, singularis. Vicissim autem vulgaris reliquorum Sacerdotum tunica ex lino simplici constabat, communi opere texta: vel saltem de illâ agens Moyses (y), nunquam, quod scimus, vocem *schabaz* adhibuit.

Sponsæ & Saülis tunicæ eodem opere ac Summi Sacerdotis contextæ erant; præter quàm quòd Sponsa aureâ, non lineâ, vestiebatur; Saul facilè lino Ægyptio vel gossypio, utì de Summo Sacerdote jam animadvertimus.

Aureæ cuidam non dissimili texturæ commissæ erant gemmæ Rationalis & humerales. Exprimit texturam illam Moyses verbo משבצות *mischbezoth*, ex eâdem radice ac *taschbez*. Porrò eorum quæ diximus, planè convincentia argumenta frustra expectes: conjecturas damus; satisque a nobis præstitum arbitramur, si conjecturæ cum reliquo sermonis contextu cohæreant, explicentque facilè constitutam a nobis hypothesim, cùm oppositæ nobis sententiæ non eadem sint ac nostræ hujus commoda. Quomodo enim, e.g. defendi posset, tunicam Summi Sacerdotis versicolorem fuisse, eâque contextam arte, ut interiora ventriculi bovini referret? Nihil enim de utroque innuit Moyses; & cui bono textrinum hoc artificium in veste, quæ sub paludamento alio & pectorali latebat: & ubinam locorum obtinuerunt apud Veteres telæ, superficiem inæqualem adeò ferentes, ut interiorem ventriculi bovini partem referrent? Cùm Moyses pluribus staminibus, varioque colore pannum imperat, id non segniter monet: silet hîc prorsus. Multiplici stamine contextas olim tunicas obtinuisse, similesque ex lino lanâve in bello loricas ad vim ensium telorumque retundendam, aceto priùs coctas, alibi (z) demonstrabimus. Simili induebatur tunicâ Saül, simili Ajax Oïleus, Iphicrates, & Amasis, cujus celeberrima tunica ... staminibus contexta erat, in unum retortis, quæ tamen singula distinguebantur. Familiaris erat Ægyptiis *calasiris*, eodem texturæ genere elaborata tunica, ac quam nuper tribuimus summo Sacerdoti. Vestis erat pretiosissima, quam Democritus Ephesius (a) Persis tribuit. Pollux, Suidas, Aristophanis Scholiastes peculiarem Ægyptiis fuisse testantur. Spissi erat operis, ex quo firmior reddebatur leviorque; granulis autem aureis disseminabatur, purpureo filo in medio alligatis, & interiùs affixis. Hisce fortè ornamentis aureis distinguebatur tunica Sponsæ: Aaronica verò unius erat simplicis operis; nec immeritò suspicaremur, gemmas Ephod & Pectoralis alligatas fuisse aureis commissuris, assutis texturæ utriusque ornamenti. Sed in re obscurâ sententiam suspendimus.

Textrino opere elaboratæ erant tunicæ illæ, nec ullâ suturâ commissæ. Inferendo capiti nullum in tunicâ foramen memorat Scriptura; sed foramine in vertice instructam affirmat Josephus, narrans

(o) *Herod. l. 2, c. 195.* (p) *Exod.* XXVIII, 13, & 20. (q) 2 *Reg.* 1, 9: *Tenent me angustiæ. Heb. Tenet me schabaz.* אחזני השבץ (r) *Munster. Vatab. &c.* (s) *Jun. Pag. Mont. Fag. &c.* (t) *Lib. 1 de vestit. Sacerd. Heb. c. 17, art. 4.* (u) Le Pelletier. (x) *Fecerunt tunicas byssinas* (*Heb. schesch*) *opere textili, Aaron & filiis ejus.* (y) *Vide Samuël Lée, tract. de Templo Salom. c. 9.* (z) *Vide Exod.* XXVIII, 32. (a) *Vide Democrit. Ephes. l. 1, de Ephesi fano, & alios apud Brisson. de Regno Persar. l. 2;* Ἔστι δὲ τοῦτο σκληρὸν ἰσχύος καὶ κουφότητος χάριν. Καταπέπλασται δὲ χρυσοῖς κέγχροις: οἱ δὲ κέγχροι νήματι πορφυρῷ πάντες εἰς τὴν ἔσω μοῖραν ἔχουσι ἀνὰ μέσον.

narrans (*b*), alligari ad utrumque humerum ansulis superioris vestis, ante & retro assutis.

Erat tunica longior quædam vestis, qua subuculæ loco induebantur super nudum; hinc S. Hieronymus (*c*) comparat tunicam Summi Sacerdotis *lineæ militum tunicæ, aptæ membris, & adstrictæ corporibus, quam camisiam vocant.* Porrò Orientales primò induuntur feoioralibus; tum superponunt tunicam, non intra femoralia exceptam. Tunicæ, quà viriles, quà muliebres, varios referunt colores: viriles infra genua non descendunt; nec manicis instruuntur infra cubitum demissis. Longioribus utuntur fœminæ, variis coloribus, nec rarò acu pictis. Non absimilibus verò judicamus Judæos illos, qui opibus præstabant, ac cultui studebant plurimum, usos pariter vario colore tunicis, auro distinctis; cujus rei argumentum exhibent tunicæ Josephi (*d*), Thamar (*e*), & Sponsæ (*f*). Vulgò tamen lineis simplicibus, non secùs ac Ægyptii & Phœnices, vestiebantur.

Quamquam familiariùs tunicis lineis uterentur; interdum tamen & laneis & xylinis oon abstinebant. Affirmat Braunius, ex Indiâ deferri nonnullas duplici stamine contextas textrino opere, nullâ suturâ commissas. Fortè etiam tunicæ illæ acu pictæ, de quibus Scriptura, & Profani, pleræque ex lanâ conficiebantur; vulgò enim Hebræi nihil miscere solebant lino vel gossypio, nisi fortè in oonnullis Sacerdotalibus vestibus ac in velo Tabernaculi, quæ gossypium cum lanâ varii coloris præferebant: qua in re de regulâ generatim positâ exceptum est, nemini enim licebat ejusmodi texturæ panno uti. Tunicâ induebatur Jesus Christus, simplici, & ex lanâ tantùm: saltem laneas monstrant, tanquam Jesu Christi fuerint. Persarum tunicas purpurei interdum coloris ex lanâ fuisse, satis constat (*g*).

Apud Veteres, tunicarum varia fuere genera: manicatæ aliæ, longioribus ad ima usque brachia porrectis manicis; manicis aliæ carebant prorsus, quas tunicas appellabant *colobia*; aliæ habebant brevissimas, infra cubitum non descendentes: has habent Sacerdotes Ægyptii in Tabulâ Isiacâ. Apud Romanos, promissis manicis tunicæ probro erant viris (*h*): non ita verò in Asiâ, & apud Hebræos; promissis enim tunicis, amplioribusque manicis induebantur in cæremoniis, & in Templo.

Cidarim. Cùm in Scripturâ agitur de mitrâ Pontificis, recurrit semper vox מצנפת *Miznepheth*, cùm de integumento capitis reliquorum Sacerdotum semper babeat מגבעות *Migbaoth*; sed Rabbini utramque vocem synonimam esse certant, & ad capitis ornamentum utrosque illos uti communis telæ fasciâ, sexdecim ulnis longâ, plurimo mæandro capiti circumvolutâ, ut speciem exhibeat galeæ; quod notat Maimonides, & satis indicat vox *Migbaoth*.

Cidarim Sacerdotum ita describit Josephus (*k*): *Pileum ex lino texto instar fasciæ crassæ contextum est; in orbem sæpiùs replicatur atque consuitur. Deinde syndon desuper pileum integit usque ad frontem descendens, & fasciæ commissuras, atque id, quod in eis deforme erat, occultans.* S. Hieronymus ad Fabiolam ita describit, ut nec Rabbinis, nec Josepho prorsus consentiat: *Rotundum pileolum, quale pictum in Ulysseo conspicimus, quasi sphæra media sit divisa, & pars una ponatur in capite. Non habet acumen in summo, nec totum usque ad comam caput tegit, sed tertiam partem a fronte inopertam relinquit: atque in occipitio vittâ constrictum est, ut non facilè labatur ex capite. Est autem byssinum, & sic fabrè opertum linteolo, ut nulla acûs vestigia extrinsecus appareant.*

Ex his omnibus facilè intelligimus, non satis habere nos exploratam pilei Sacerdotalis figuram. Instar tiaræ pingunt Rabbini; crassiorem, densioremque coronam inducit Josephus, e fasciâ sæpiùs duplicatâ, pluribusque suturis commissâ, cui superinducitur tela celans suturas: S. Hieronymus rotundum aliquod pileum invehit, tertiam capitis partem relinquens intectam. Legimus in Scripturâ (*l*), Moysen alligasse vel vinxisse Cidarim Sacerdotibus, cùm initiarentur; undè suspicari licet, alligari illam vittâ, pro more Orientalium, qui mytras, vel tiaras vittâ alligant. Cùm verò aliæ infra mentum alligarentur, aliæ vittâ illâ adstrictæ fronti pressiùs adstringerentur, utrâque vittæ orâ in occipitio coëunte; utram alligandi rationem præferret Sacerdotalis ille pileus, ignoratur. Si galeæ formam præferebat, uti malunt nonnulli, non ægre suspicaremur, alligatam fuisse sub mento, uti de tiarâ Phrygum narrant (*m*).

. . . . *& Phrygiâ vestitur bucca tiarâ.*

Idest, juxta veterem Interpretem Juvenalis, *Tiara galea est Sacerdotum, alligaturque sub mento.* Pileus ille, emblema libertatis Romanis nummis insculptus, vittas habet sub mento vinciendas; sub mento pariter alligatam ferunt Cidarim Sacerdotalem Lyranus & Tostatus; in occipitio, S. Hieronymus, quod & nos probamus. *Vittam* appellant Latini, & Græci *mitram*, quæ capiti alligatur Sacerdotum, dum sacra operantur. Vitta illa in occipitio coibat.

Sacerdotibus Ægyptiis (*n*) in usu erant pilei linei (*o*), non dissimiles galeis, totum caput & tempora protegentes. Commissæ autem erant vittæ capiti, in orbem circumvolutæ, nodoque alligatæ. Aliquid non absimile prætulisse vulgarium Sacerdotum Hebræorum pileos, auguramur. Capite illos vel prorsus ebrasos fuisse, vel brevissimâ cæsarie instructos, alibi (*p*) demonstratum est. Vittam hanc tiaras Sacerdotum alligantem, coronam appellat Ezechiel (*q*). Pileus erat lineus in modum galeæ. Hæc omnia Scriptura.

Non sine magnâ veri specie credimus, Josephi ætate Sacerdotales illos pileos, ac femoralia textrino opere elaborari desiisse; consutum enim utrumque ipse idem Scriptor perhibet. Constat autem ex ipso Historici Textu, pileos illos Sacerdotales aliud fuisse, quàm tiaras Turcarum; neque enim exteriùs aliam exhibebant figuram, quàm simpliciû pileorum vel galearum absque cristâ.

Pontificis pilei figuram non multùm abhor- tuisse

(b) *Joseph. Antiq. l. 3, c. 8:* Αʼρτήδησιν ἐκ τῆς ὤας καὶ τὸν μετὰ στέρνον καὶ μετάφρενον ἠρτημέναις ἀναβᾶτα, ὑπὲρ ἑκατέραν κατακλεῖδα. (c) *Ad Fabiolam.* (d) *Genes.* XXXVII, 3. (e) 2 *Reg.* XIII, 19. (f) *Psal.* XLIV, 15. (g) *Vide Brisson. de Regno Persar. l. 2.* (h) *Vide Gellium, l. 6, c. 10: & l. 7, c. 12.* (i) *Vide* ℣. 11, *& seq. hujus cap.* (k) *Joseph. Antiq. l. 3, c. 8.* (l) *Exod.* XXIX, 9; *& Levit.* VIII, 13: *Cinxit balteis, imposuitque mitras.* Hebr. *Cinxit balteis, & circumposuit mitras.* [m] *Juven. Satyr. 6.* (n) *Vide Tabulam Isiac. Pignorii.* [o] *Herod, l. 2, c. 36, &* 37. (p) *Vide Levit.* x, 6. (q) *Ezech.* XXIX, 17: *Corona tua circumligata sit tibi.*

℣. 5. Accipientque aurum, & hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum.

℣. 6. Facient autem superhumerale de auro, & hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ, opere polymito.

℣. 7. Duas oras junctas habebit in utroque latere summitatum, ut in unum redeant.

COMMENTARIUS.

ruisse credunt Doctores Hebræi a vulgari Sacerdotum; in eo tantùm variant, quòd Summi Sacerdotis pileus planior sit, ad formam tiaræ Turcicæ magis accedens; cùm vulgarium Sacerdotum pileus magis referat nocturnum capitis integumentum, in cristam nonnihil elevatom.

Tiaram Summi Sacerdotis ita describit Josephus (r), ut nihil fermè accedat sive ad ea, quæ teruot RR. sive ad ea, quæ refert Moyses. *Accessit circumvoluta byssi pileus, qualis fuit caeterorum Sacerdotum ante memoratus; super ipsum autem & alius erat consutilis, ex hyacintho variatus. Cingit autem frontem aurea corona, triplici ordine fabrefacta; e qua exsurgunt calyculi aurei similitudine illos referentes, quos videmus in berbâ nobis saccaro dictâ, sed quam Graci rei berbariæ periti hyoscyamum appellant. Atque huic quidem similis facta est corona ab occipitio ad utraque tempora. Frontem autem non ambiebat epileis* (ita enim vocaretur calyculus) *sed lamina aurea, quæ sacris characteribus Dei nomen incisum habet.* Pileum hunc Summi Sacerdotis longè alterius fuisse operis a vulgari aliorum Sacerdotum, ne ambigimus quidem. Ex lino enim postremus iste; ille verò e gossypio, vel bysso. Diversis planè vocibus utrumque exprimit Moyses. Legimus apud Isaiam (s), Reges capitis integumento usos, sive ejusdem nominis (t), sive ex eâdem radice derivati, ac pileus iste Summi Præsulis. Et siquidem valeant conjecturæ, ad rectas illas tiaras credimus accessisse, quæ in usum olim fuerunt Regum Persarum, cæteris omnibus in eorum regione interdictæ (u). Ægyptiorum Numinum pleraque iisdem utebantur rectis & extantibus; ac Interpretum nostratum plerique exhibendas curaruot in operibus suis, velut ipsissimam summi Sacerdotis tiaram.

Sacerdotes Domini oonquam aperto capite versabantur in Templo, & in exercitio operis sui nunquam deponebant tiaram; inofficioli enim & audacis hominis est apud Orientales coram aliquo detecto capite versari. Contrarius mos apud nos viget. Paraphrastes Chaldæus vertit plerumque (x), *Peccare*, vel *ambulare* (y) *detecto capite*; quod est in Hebræo flagitium arroganter, vel erectâ manu patrare. Antequam Æneas attingeret Italiam, aperto ibi capite Sacrificia offerebantur; contrarium autem morem, qui Phrygom habebatur, ipse primus attulit [z]. Sacerdotes Herculis Gaditaoi lineo pileo tecti sacra operabantur (a).

Et Pelusiaco perfulget flamine vertex.

Balteum. Ita describit Josephus (b): *Accinctam gerunt & constrictam tunicam, paulò supra axillas, zonâ latâ digitos fermè quatuor, textu verò sub inani, ut serpentis exuvia videretur (c). Flores autem intextos habet cocco & purpurâ, byacintho atque bysso variegator; at stamen ejus ex solâ bysso. Et a pectore incipiens, atque semel ac iterum circumducta illic ligatur: & multa quidem defluit usque ad talos, quamdiù sacris non operatur Sacerdos; sic enim spectantibus decora videtur. Cùm verò sacrificare oportet, & Altaris mysterium peragere, ne ab eâ motâ in opere impediatur, super humerum lævum illam rejicit.* Ex quibus Josephi verbis apparet, zonas illas Sacerdotales iis omnino zonis similes fuisse, quibus crumenæ vel marsupii loco Veteres utebantur. Porrigebatur, si Rabbinis fides, usque ad XXXII cubitos, vel ulnas, tribus digitis lata. Summi Sacerdotia zonam ornabat aurom, cùm vulgò Sacerdotes cæteri ex lino, & lanâ simul uterentur variegatis. A communi cæterorum Sacerdotum minimè diversam zonam illam censet Braunius (d). Rabbinorum nonnulli (e) docent, vetitum Sacerdotibus zonâ vel in Templo cingi, nisi quâ horâ ministeriis suis occupabantur, ut præcepto legis fieret satis (f), vetante ne ex lino, lanâque simul vestes adhiberentur. Quàm arguti, Deus bone! Alio utebatur cingulo Summus Sacerdos, ad tunicam interiorem adstringendam, vulgari Sacerdotum zonæ prorsus simili; præter hæc, tunicam byacinthinam adstringebat zona altera, ipsi Ephod, cujus erat pars, conjuncta. Appellabatur Hebraicè *Chesebeb Ephudat*. Vide Leviticum, VIII, 7.

℣. 6. Superhumerale, ipsissimum est Ephod, de quo supra ad Exodi XXV, 7.

℣. 7. Duas oras junctas habebit in utroque latere. Hebræus ita ad literam (g): *Duas scapulas junctas simul habebit ad duas extremitates ejus, & jungetur.* Hunc Textum ita plerumque expoount Interpretes, reputantes, Ephod applicatum pectori super humeros firmari; quo verò loco collum ambiebat, duo exhibuisse foramina, capiti faciliùs inserendo, quæ spontè claudebantur post iodutum Ephod; seu potiùs claudendis illis uncorum loco eraot gemini sardonici lapides, si credamus Josepho (b).

℣. 8.

(r) *Joseph. Antiq. l.* 2, *c.* 8. (s) *Isai.* LXII, 3: צְנִיף מְלוּכָה בְּכַף אֱלֹהָיִךְ (t) *Vide Zach.* III, 5; *& Ezech.* XXI, 26. (u) *Xenophon de Expeditione Cyri Junior. l.* 2: Τὴν ἐπὶ τῇ κεφαλῇ τιάραν βασιλεῖ μόνῳ ἔξεστι ὀρθὴν ἔχειν. *Vide Brisson. l.* 1 *de Regno Persar.* (x) *Num.* XV, 30. (y) *Exod.* XIV, 8. (z) *Plutarch. quæst. Græc. & Macrob. l.* 3 *Saturn. c.* 6. [a] *Silius Ital. l.* 3. [b] *Joseph. Antiq. l.* 3, *c.* 8. (c) Διακένως ὑφασμένην ὥστε λεβηρίδα δοκεῖν ὄφεως. (d) *Lib.* 2, *c.* 2, *art.* 4, *de vestitu Sacerd. Hebr.* (e) *Vide Selden. de Syned. l.* 3, *c.* 11, *art.* 3. [f] *Levit.* XIX, 19; *Deut.* XXII, 11: *Non indueris vestimento quod ex lanâ linoque contextum est.*
(g) שתי כתפת חברות יהיה לו אל שתי קצותיו וחבר (b) *Antiq. l.* 3, *c.* 8.

℣. 8. Ipsa quoque textura, & cuncta operis varietas erit ex auro, & hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ.

℣. 9. Sumesque duos lapides onychinos, & sculpes in eis nomina filiorum Israël:

℣. 10. Sex nomina in lapide uno, & sex reliqua in altero, juxta ordinem nativitatis eorum.

℣. 11. Opere sculptoris, & cælaturâ gemmarii, sculpes eos nominibus filiorum Israël, inclusos auro, atque circumdatos:

℣. 12. Et pones in utroque latere superhumeralis, memoriale filiis Israël. Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino super utrumque humerum, ob recordationem.

℣. 13. Facies & uncinos ex auro,

COMMENTARIUS.

℣. 8. Ipsa quoque textura, et cuncta operis varietas. Nihil in hoc Textu obscurum; sed Hebræus plurimùm variat (i): *Artificium superhumeralis* [seu potiùs cinguli Ephod] *Summi Sacerdotis, ex ipso erit*; idest, unius simul cum Ephod texturæ, ut cum illo continuetur, neque jungatur suturâ. Utraque ora Ephod non accedebat illi circà humeros veluti quid assutum, nec alterius erat, seù operis, seu texturæ. Putat Clericus, designari in Textu, Rationalis partem illam, quæ retro post humeros cadebat, ejusdem fuisse operis & texturæ cum anteriori, descriptâ versu 6, & appellatâ unicè *Ephod*. Censent Rabbini, Ephod instructum retro amplissimis manicis fuisse (k).

℣. 9. Sumesque duos lapides onychinos. Septuaginta & Philo habent *smaragdos*. Josephus & Aquila, *Sardonixos*; S. Hieronymus, fidem Symmachi & Theodotionis secutus, *onychinos* habet. In Hebræo est שהם *Schoham*. Nos in smaragdos inclinari, ad Genesim 2, 12, demonstravimus. Lapides illi nomina duodecim Tribuum, sex utrimque, cælata referebant.

℣. 11. Opere sculptoris, et cælatura gemmarii. Hebræus ad literam (l) *Opere sculptoris gemmarii, & cælaturâ sigilli*.

Inclusos auro, atque circumdatos. Præfert Hebræus vocem *Mischbezoth* (m), de qua egimus ℣. 4. Veteres recentioresque Interpretes designari credunt peculiarem committendi gemmas rationem; exploratum tamen non est, an gemmas illas contineret auri solidi ornamentum, vel textura quædam ex aureis staminibus pluribus intortis. Priorem sensum vulgò præferunt Interpretes; sed temerè ita explicari, nobis argumento est, quòd ℣. 13, 14, 25, hujus capitis reddant hanc vocem uncinos, fibulas, &c.

Supra ad ℣. 4 demonstrare conati sumus, Hebræum *Schabaz*, undè *Taschbebez* & *Mischbezoth*, designare texturam e pluribus simul staminibus. Constat utique, nullum Textum voces illas præferentem eò nos deducere, ut gemmarum commissuras exponamus. Maluerim proinde ego ita reddere ad literam ℣. 11, 13, 14, & 25: *Sculpes duos lapides illos nominibus duodecim filiorum Israël*: *Alligabis illos texturâ auri, multiplici stamine*: (℣. 13.) *Facies hanc texturam aureis staminibus*: (℣. 14.) *Inseres in illam duas aureas catenas*, (℣. 25.) *Ad duas extremitates*.

Foramen Ephod transversum plerumque concipitur, contrariâ planè ratione, ac foramen tunicæ hyacinthinæ. Ex uno humero ad alterum hiscebat Ephod, quò caput transmitteretur; quidquid supererat latioris aperturæ, hinc inde corrigebat seu vitta vel uncus. Nihil quidem de utroque apud Moysem; sed non aliter fieri posset, si ejusdem formæ ponamus Ephod, ac vulgò reputatur. Gemini pretiosi lapides ad utrumque humerum commissuras celabant. Sed nos aliter de Ephod cogitamus.

Septuaginta, Josephus, & S. Hieronymus putarunt, gemmas illas cum suis commissuris uncorum loco fuisse, quibus patens illud conjungeretur. Censent Græci, uncum illum exhibuisse formam aspidis (n), admordentis oram hujus hiatûs. Sed ne unâ quidem voculâ huic expositioni favet Hebræus; imò ubique cùm exprimitur committere gemmas, inserere annulos, fibulas, uncos, nunquam occurrit verbum *Schabaz*; atque ita rem totam exprimit Scriptura, ut nihil relinquat in obscuro.

℣. 12. Memoriale filiis Israel. Ita facilè locus redderetur: Quò Deus vel summus Sacerdos recordentur filiorum Israël. Hoc enim signo Deus revocabat sibi in memoriam populum suum (o).

℣. 13. Facies et uncinos ex auro. Hebræus

(i) וחשב אפדתו אשר עליו כמעשהו ממנו יהיה (k) *Vide Outram. de sacrific. l. 1, c. 5.*
(l) מעשה חרש אבן פתוחי חתם (m) משבצות זהב תעשה אתם. *Septuag.* Περικεκυκλωμένους, καὶ συνεσφραγισμένους χρυσίῳ. *Alius*: Περικεκλωσμένους, καὶ συνεσφιγμένους χρυσίῳ.
(n) Ἀσπιδίσκας, Aspidiscas. Braunius hanc vocem ex Ἀσπὶς, *clypeus* ducens, vertit, duos clypeolos; neque enim futurum fuisse putat, ut eo loco aspidum figura permitteretur: sed duo lapides ibi commissi quamdam clypei similitudinem exhibebant. (o) *Vide ℣. 29; & Levit. 11, 2.*

℣. 14. Et duas catenulas ex auro puriſſimo ſibi invicem cohærentes, quas inſeres uncinis.

℣. 15. Rationale quoque judicii facies opere polymito juxta texturam ſuperhumeralis, ex auro, hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, & byſſo retortâ.

℣. 16. Quadrangulum erit, & duplex: menſuram palmi habebit tam in longitudine, quàm in latitudine.

℣. 17. Poneſque in eo quatuor ordines lapidum: in primo verſu erit lapis ſardius, & topazius, & ſmaragdus.

COMMENTARIUS.

bræus, *Miſchbezoth*. Septuaginta: *Facies fibulas aureas*, aſpidum morſum imitantes. Interpretum nonnulli reddunt Hebræum, clauſtra gemmarum. Vide quæ diſputavimus ℣. 11.

℣. 14. Et duas catenulas . . . . . . sibi invicem cohærentes. Hebræus ad literam (p) *Duas catenas auro puriſſimo terminantes facies* (vel terminatas opere plectili vel opere funis) *& pones catenas ſuper texturam*. Negocium facit interpretibus vox *migbaloth*, quam nos reddimus *terminatas* vel *terminantes*, quaſi ſcilicet certa catenulis illis aſſignaretur menſura. Syriacus vertit: *Fac duplicas*, vel *duplicatas*; ac ſi legiſſet in Hebræo מיכפלות *Michpalot* pro *Migbalot*: quod meliorem ſenſum ferre videtur. Præſtat tamen legere *Makbiloth* (q): *Facies connexas*, ſeu alteram alteri plexam; ſeu potiùs ex annulis ſibi invicem connexis. Suſpicandi locus eſſet, auctorem Vulgatæ ita pariter legiſſe. In capite xxvi, 4, eodem ſenſu vox illa uſurpata legitur. Septuaginta vertunt (r): *Facies admixtas floribus* quæ ſanè interpretatio multò longiùs recedit ab Hebræo. Committebantur catenulæ illæ unâ extremâ orâ texturæ, quæ duas onychinas gemmas continebat.

℣. 16. Quadrangulum erit duplex. Pannus erat quadratus, x digitis, vel dimidio cubito (s) latus, in quo inſeriæ xii gemmæ, in quatuor ordines, tres in ſingulos. Gemmarum quælibet celatum ferebat nomen unius e decem filiis Jacobi, juxta ætatis prærogativam. *Rationale judicii* ideò dicitur, ſive quòd judicia & voluntatem Dei panderet Sacerdoti, ſive quòd Sacerdos Rationale præferret, tanquam dignitatis ſuæ, Judicis ſcilicet, inſigne; neque alicujus momenti in judicio ſententias daret, niſi Rationali indutus. Duplex erat, ſive quòd duplici eſſet ac denſâ texturâ, ſive quòd eſſet e duplicato panno, veluti crumena, continens Urim & Thummim, juxta Rabbinos.

℣. 17. Pones in eo quatuor ordines lapidum. Non ſine veri ſpecie putaremus, Interpretes caſu vertiſſe pleraſque gemmas hìc expreſſas. Adeò parum ſibi conſtant; futilia adeò aſferunt argumenta, ut deferendum illis plurimùm non cenſeamus.

Generatim itaque primò dicendum eſt, eas tantùm gemmas Rationali tribuiſſe Moyſem, quæ ætate ſuâ noſcebantur; excludendas proinde omnes, quæ ejus ætate ſint recentiores. II, Gemmas illas non alibi quærendas, quàm in Ægypto, Arabiâ, regionibuſque finitimis; quare a Rationali amovendas, quæcumque veherentur e regionibus, quibuſcum nullo adhuc commercio aſſueverant Hebræi. III, Ad detegendam gemmarum ejuſmodi naturam, ſpectandam potiſſimùm nominum etymologiam, & grammaticalem ſignificationem; Hebræorum enim erat, nomina rebus indere, quæ naturam earum & dotes exprimerent. Habenda etiam eſt linguarum ratio, quæ plurimùm Hebraicæ accedunt, pluresque ejus radices ſervarunt. Varias Interpretum ſententias nequaquam afferemus: duces potiſſimùm ſequemur Ludovicum de Dieu, & Braunium, qui argumentum hoc accuratiſſimè expenderunt.

Nec immorandum cenſemus in referendis variis Interpretum, ac Rabbinorum opinionibus, de ratione exſculpendi gemmas, ſive de ordine Tribuum. Aſſerit Moyſes, gemmas illas cælatas eſſe *opere ſculptoris*; & Tribus ibidem deſcriptas *juxta nomina ſingularum*; ſive, ut ait ille agens de gemmis ſuperhumeralibus Summi Sacerdotis, *juxta ordinem ætatis*. Hæc certa ſunt.

Sardius (t). Huic gemmæ inſcriptum nomen Ruben: invenitur autem in ventre lapidis clauſa; ejuſque nomen deberi affirmant Sardibus, urbi Ioniæ in Aſiâ minori, ubi primùm inventam ferunt. Opimi carnis colorem habent, minimè pellucidi. Hebræum *Odem* eſt rubrum, vel nitens micanſque. Suſpicatur Braunius, deſignari eo nomine *adamantem*; & ex *odem* vel *adam* reddi potuiſſe *adamas*. Sed tandem ad Sardium redit, reputatque *odem* ipſiſſimum eſſe *Sardium*, quem Plinius appellat *demum* (u).

Topazius (x), cui nomen e Topazo Inſulâ maris Rubri. Præferebat nomen Simeonis. In Inſulâ Topazo gemmam hanc inveniſſe primum Regem Jubam, teſtatur Plinius. Orientalis pellucet; & quæ maximè probatur, genuino aureo colore nitet. Sed Veterum topazius viridis erat, uti

p) ושתי שרשרות זהב טהור מגבלות תעשה אתם מעשה עבות ונתתה את שרשרות העבות על המשבצות

q) מקבלות e קבל *Continere, ſuſcipere*. Fortè Amanuenſes ג poſuerunt pro ק, cùm ejuſdem organi literæ facillimè una in alteram mutentur. (r) Καταμεμιγμένα ἐν ἄνθεσιν, ἔργον πλοκῆς. (s) Heb. זרת, ſcilicet חצי אמה dimidius cubitus. *Ezech.* xliii, 13, 17. (t) אדם *Odem. Sardius. Ita Septuag. Vulg. Joſeph. Epiphan. &c.* (u) *Plin. hiſt. nat. l.* 37, *c.* 7. (x) פטדת *Pitdath, topazius. Ita Septuag. Joſeph. Hieron. Interpretes ferè omnes.*

Digitized by Google

ỳ. 18. In ſecundo carbunculus, ſapphirus, & jaſpis :
ỳ. 19. In tertio ligurius, achates, & amethyſtus :

COMMENTARIUS.

uti cum Plinio (*y*) rei gemmariæ periti omnes ſcribunt. Meminit Job XXVIII, 19, *Pitdath Chuſch*, *topazii de Arabiâ*, vel *Æthiopiâ*. Meminit & Plinius libro XXXVII, capite 8, topâzii Inſulæ *Chitis* in Erytbræo.

SMARAGDUS (*z*), tertia, juxta Vulgatam & optimos pleroſque Interpretes, Rationalis gemma, cælatum præferens nomen Levi. Hebræo *baraket* carbunculum deſignari, maluit Ludovicus de Dieu; ſed ob ſimplicem conjecturam minimè variandas eſſe cenſet communes Verſiones. Vox *baraket* exprimit ſulgur, vel aſtri nitorem; unde conjectura, agi hìc de *ceranniâ*, *aſtroite*, vel *iride*, cujus plura genera apud Plinium. Dives eſt hiſce Caramania, & Inſula quædam Erytbræi. Aſtrorum nomen ſuus illis fulgor conciliat (*a*). Smaragdus viriditate ſuâ vincit cætera; aſpectu jucundiſſimus eſt, aquâ, utì vocant, maximè limpidâ; at ſoliditate hyacintho, ſapphiro, & amethyſto concedit. Non deſunt tamen ſmaragdi adeò ſolidi, ut cælaturam reſpuant, utì de Tartaricis & Ægyptiacis conſtat. Duodecim varia ſmaragdorum genera quidam recenſent. Hebræum *baraket* eſt, juxta nominis etymologiam, rutilare, ſulgur emittere, quod ſmaragdo congruit, gemmæ, ſi quæ alia, fulgentiſſimæ. Imò & ſmaragdi nomen commodè ex *baraket* derivatur, *b* in *m*, & *t* in *d* transformatis, additoque *s* in principio, tamquam aſpiratione.

ỳ. 18. CARBUNCULUS (*b*), quarta gemma, inſculpta nomine Judæ, quarti inter filios Jacobi. Eſt autem pretioſiſſima, ampliorem rubinum, vel amethyſtum æquans, rubro, ſubnigro, ſaturoque colore, ad ſanguinem bovinum accedente, nitens. Micat vel in noctis tenebris magis quàm rubinus. Obſervat Braunius, poſt Boëtium de Boot, anthracem, vel carbunculum Veterum ipſiſſimum fuiſſe noſtrum rubinum.

SAPPHIRUS (*c*), quinta gemma, in Hebræo *Saphir*, in qua cælatum nomen Dan. In ſignificatione hujus nominis conveniunt Interpretes; ſed in gemmæ colore diſſidium. Hoc in re præſenti magis certum eſt. Sapphirus cærulea eſt gemma, nitens maximè, nullâ rubri maculâ. Punctis quibuſdam aureis diſſeminari, affirmat Plinius (*d*); cui opponitur Matthiolus, affirmans, ſapphiros noſtræ ætatis cæruleos eſſe, & inſtar adamantis puros. Sapphirus eſt mas & fœmina; mas, utpotè perfectiſſimus, cæruleo colore nitet: fœmina ad album accedit, vel etiam prorſus alba. Plura hujus ſunt genera.

JASPIS (*e*). Ita ſextam gemmam appellant Vulgata, & Septuaginta; videntur autem præſtituiſſe ſibi ordinem, qui legitur in Ezechiele XXVIII, 29, in quo Jaſpis ſextum tenet locum: hìc autem in Hebræo eſt duodecimus. Hebræum *Jabalom* vertunt Recentiores plerique, probante Ludovico de Dieu, *adamantem*. Vox originalis derivatur e radice, quæ eſt *contundere*. Ferunt autem, adamantem gemmam eſſe omnium ſolidiſſimam, quæ cæteras & ipſam ſe abſcindat. Quæ tamen de ſoliditate ejus jactantur, ipſum validis mallei ictibus reſiſtere, inter fabulas rejicienda ſunt; ferro enim cedit facilè adamas. Indicus adamas corylâ nucem æquat, deſinitque in cuſpidem, in morem pyri, ſex angulis ad ſingula latera inſtructus. Arabicus minor eſt, ſed uter in Rationali fuerit, incertum. Serviebat autem ſexta hæc gemma nomini Nephtali, ſexti inter filios Jacobi.

ỳ. 19. LIGURIUS (*f*). Ita reddunt ſeptimam gemmam, cum S. Hieronymo, Interpretum plerique; excipiebat autem nomen Gad. Eadem eſt facilè ac *lyncurius*, ſeu lapis lyncis, ex urinâ ſcilicet lyncis (*g*), utì ferunt, in lapidem concretâ; concreſcere enim dicunt ſtatim poſt quàm bellua hæc minxerit: ſed hæc ipſi vel Plinio ſunt fabuloſa. Ligurius differ a lyncurio, electri genere [*h*] apud Ligures, quem Græci πτερυγόφορον, ideſt, plumas ferentem, appellant, quòd attrahat plumas. Suſpicatur S. Epiphanius, in libro *de gemmis*, genuinum Ligurium genus eſſe hyacinthi, quòd Moyſes hyacinthum inter duodecim gemmas prætererit. Idem probare viſus eſt S. Hieronymus ad Fabiolam. Theophraſtus & Plinius ita de Liguriis: *Carbunculis ſimiles, igneo colore fulgentes*. Eſt hyacinthus, qui colorem illum & fulgorem imitatur, quem Galli appellant *hyacinthe la belle*.

ACHATES. Ita octavam gemmam appellat Vulgata, quæ in Hebræo שבו *Schebo*; eſt autem vox unica tantùm in Scripturâ. Chaldæi, Onkelos, & Jonathan reddiderunt *Turkia*, quæ ipſiſſima eſt cyanus: at gemmam illam ſub Turkiæ nomine ignoraſſe Veteres ferunt; an verò ſub altero aliquo, incertum. Syriacus reddidit *Carcedonius*, carbunculi genus. Nos achatem malumus. Gemma eſt plerumque rubra, in qua naturæ luſu multiplici picturâ variæ ſæpè res exbibentur. Achatis nomen conciliatum illi creditur, quòd primùm inventus fuerit ad amnem Achatem in Siciliâ [*i*]. In Rationali Summi Sacerdotis nomen Aſer præferebat.

AMETHYSTUS [*k*], nomen nonæ in Vulgatâ gemmæ, quam Onkelos, & Syriacus *Een-egla*, vel *oculum vituli* vocat; eadem facilè ac *oculus*

(y) *Plin. l.* 38, *c.* 8. (z) ברקת *Baraket, ſmaragdus. Ita Septuag. Joſeph. Hieron. & plerique recentiorum.* (a) *Plin. l.* 37, *c.* 9. (b) נפך *Nephec, carbunculus. Ita Septuag. Joſeph. Epiphan. Septuag.* Ἄνθραξ. (c) ספיר *Sapphirus. Ita Interpretes antiqui & recentiores.* (d) *Plin. l.* 37, *c.* 9: *Sapphirus & aureis puſtulis collucet. Ita Theophraſt. & Epiphan. & Solin. c.* 20. *Boëtius de Boot, Laëtius, &c. apud Braun. l.* 2, *c.* 12, *art.* 10, *de veſtit. Sacerd. Heb.* (e) יהלם *Jabalom, jaſpis. Ita Septuag. Vulg. Epiphan. &c.* [f] לשם *Leſchem, Ligurius. Ita Septuag. Joſeph. Epiph. Hieron.* (g) *Theoph. de lapid. Ælian. de animal. l.* 4, *c.* 17; *Plin. l.* 8, *c.* 38; *& l.* 37, *c.* 3. (h) *Theophraſt. Plin. l.* 37, *c.* 3; *Strabo l.* 11. (i) *Plin. l.* 37, 10. (k) אחלמה *Achlamah, amethyſtus. Ita Septuag. Epiph. Hieron. Jun. &c.*

Digitized by Google

℣. 20. In quarto chrysolitus, onychinus, & beryllus: inclusi auro erunt per ordines suos.

℣. 21. Habebuntque nomina filiorum Israël: duodecim nominibus cælabuntur, singuli lapides nominibus singulorum per duodecim Tribus.

℣. 22. Facies in rationali catenas sibi invicem cohærentes ex auro purissimo:

℣. 23. Et duos annulos aureos, quos pones in utrâque rationalis summitate:

COMMENTARIUS.

Beli (*l*), vel lycophtalmus (*m*) apud Plinium. Hebræum *Achlamah* derivatur ex radice, quæ somnium significat. Meminit Plinius (*n*) lapidis *Eumeces*, cui insita vis conciliandi in somnis oracula. Amethystus primò vini colorem, tum violaceum exhibet. Solidissimas exhibent Indi, Armenia, Arabia, Æthiopia: Occidentales etiam quædam occurrunt, sed molliores. Nomen derivatum creditur e verbo Græco, quod est inebriari, & particulâ privativâ *a*, quòd amuletum credatur adversùs capitis morbos, & partas a vino vertigines. Scriptum ferebat nomen Issachar.

℣. 20. Chrysolithus. Ita Septuaginta, Vulgata, Aquila, & Recentiores plurimi, quam Hebræus habet תרשיש, *Tharsis*, Nomen Zabulon habebat cælatum. Cùm Tharsis interdum usurpetur pro mari, putavere Scriptores, marino cæruleo colore micuisse; nec sanè alio nitet chrysolithus, gemma pellucens, aureo viridi admixto colore, blandum oculos capiens. Purissimus ad viridem marinum, seu ad succum e pressis porri foliis accedit. Inventus primùm fertur in Insulâ Topazo. Septuaginta, & S. Hieronymus reddiderunt interdum tharsis carbunculum (*o*): Hebræi malunt *Beryllum*. Quòd nos alibi statuimus, Tharsis scilicet designare urbem Tharsum in Ciliciâ, eò nos pariter deducit, ut ibidem gemmam ejus nominis investigemus. Iris sive opalus Galatiam, Pontum, Insulam Cyprum, & Thasum, (*p*) (fortè Tharsum) celebrat. Igniculos imitatur carbunculi, purpuræ, amethysti, viridis marini, & smaragdi.

Onychinus (*q*). Onix undecima Rationalis gemma, Josephi nomine distincta erat. Septuaginta reddiderunt hìc *Beryllum*, & ℣. 9, *Smaragdum*. Achatis genus est, opacum quid præferens, subalbum, & nigrum. Sunt autem adeò inter se discreti colores, ut artificiosos crederes. *Onyx* Græca vox unguem significat. Hebræum *Sohem* crystallum explicant Judæi; Paraphrastes Chaldæus Beryllum; ego smaragdum prætulerim.

Beryllus. Duodecimam hanc gemmam *Jasephe* (*r*) dicit Hebræus, inscriptam nomine Benjamin. Septuaginta, Josephus, S. Epiphanius, aliique plures *onychinum* interpretantur; sed vox originalis persuasit Recentioribus quàmplurimis, ut *jaspidem* tenerent, quæ gemma est proximè accedens ad Achatem. A smaragdo differt, quòd non pellucida sit; cæteroqui enim colore congruunt. Hoc jaspidis genere tanquam amuleto uti vulgò Orientales, affirmat Plinius (*s*); qui jaspis proximè congruit smaragdo.

Inclusi auro erunt per ordines suos. Hebræus reddi commodè posset (*t*): *Inclusi erunt suis ligaturis, texturâ spissâ & solidâ plurium liciorum auri*. Vide ℣. 55.

Norant Veteres texturæ quoddam genus ex auro, nullâ seu lanâ seu lino admixto. Diù cessatum est a miscendo argento in texendis pannis; nec Aureliani Imperatoris ætate obtinuisse adhuc videtur, ut argentum in eos usus adhiberetur, quemadmodum observat Salmasius in Vopiscum. Hoc tamen de Romanis verum esto: Orientales quidem & Græci retorto in stamina auro redactoque in bracteas utebantur (*u*). De veste triplici licio aureo textâ Virgilius: *Auroque trilicem*. Et Plinius (*x*): *Nebatur aurum & texebatur lanæ modo, sed sine lanâ*. Demonstrat ex Verrio, Tarquinium seniorem in triumpho tunicam habuisse ex auro mero; additque, spectatam ætate suâ Agrippinam Claudii Imperatoris uxorem *indutam paludamento, auro textili, absque aliâ materie*.

Habemus autem persuasum, vestem illam Sponsæ, de qua Psalmista (*y*), aurum prætulisse merum, sicuti & ornamenta illa, quibus commissæ humerales & pectorales gemmæ Summi Sacerdotis. Fallitur utique Plinius, cùm ab Attalo primum inventam rationem miscendi aurum lanâ, unde *vestes Attalicæ*, asseruit. Spectare enim licet ex lanâ auroque contextum Pectorale apud Moysen.

℣. 22. Facias in Rationali catenas. Quatuor Rationalis angulis totidem respondebant circuli aurei; geminis autem circulis hisce superioribus committebatur catena, superiori Ephod parti annexa, quo loco scilicet gemini Sardii aureæ

texturæ

(l) *Plin. l. 37, c. 10: Beli oculus albicans pupillam pingit nigram, & medio aureo fulgore lucentem.* (m) *Item, ibid. c. 11: Lycophtalmus* (oculus lupi) *quatuor est colorum, ex rutilo sanguinea: in medio nigrum candido cingitur.* (n) *Eumeces in Bactris nascitur, silici similis; & capiti supposita, visa nocturna oraculi modo reddit. l. 37, c. 7.* (o) *Ezech.* XXVIII, 13. (p) *Plin. l. 37, c. 6.* (q) שהם *Sohem. Ita Septuag. Joseph. Aquil. Hieron. Jun. Lud. de Dieu, Braun. &c.* (r) ישפה *Jasephe*. (s) *Plin. l. 37, c. 9.* (t) משבצים זהב יהיו במלואתם (u) *Vide dicta ad Cap.* XXXIX, 13. *Vide etiam Cant.* 5, 11. *Ezech.* XVI, 13; *Habac.* II, 19; *Sophon.* I, 11; *Isai.* XL, 19; *Baruc*, V, 50; *Eccl.* XII, 56; *& Joseph. Antiq. l.* XIX, 7. (x) *Plin. l.* 33, 3. (y) *Psal.* XLIV, 15: *In fimbriis aureis, circumamicta varietatibus. Heb.* ממשבצות זהב לבושה

℣. 24. Catenasque aureas junges annulis, qui sunt in marginibus ejus.

℣. 25. Et ipsarum catenarum extrema duobus copulabis uncinis in utroque latere superhumeralis, quod rationale respicit.

℣. 26. Facies & duos annulos aureos, quos pones in summitatibus rationalis, in oris, quæ e regione sunt superhumeralis, & posteriora ejus aspiciunt.

℣. 27. Necnon & alios duos annulos aureos, qui ponendi sunt in utroque latere superhumeralis deorsum, quod respicit contra faciem juncturæ inferioris, ut aptari possit cum superhumerali.

℣. 28. Et stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vittâ hyacinthinâ, ut maneat junctura fabrefacta, & a se invicem rationale, & superhumerale nequeant separari.

℣. 29. Portabitque Aaron nomina filiorum Israël in rationali Judicii super pectus suum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale coram Domino in æternum.

℣. 30. Pones autem in rationali Judicii doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino: & gestabit Judicium filiorum Israël in pectore suo, in conspectu Domini semper.

COMMENTARIUS.

texturæ committebantur.

℣. 26. FACIES ET DUOS ANNULOS AUREOS, QUOS PONAS IN SUMMITATIBUS RATIONALIS. Notat apertissimè Hebræus, agi hic de gemino inferiori annulo Rationalis, respondente duplici annulo Ephod, *retro*, *& intra*, seu *infra Ephod* posito. Vitta igitur hyacinthina, per duos illos annulos Rationalis transmissa, vinciebatur duobus aliis annulis insertis in posteriori parte Ephod, non extra nec supra Ephod. sed infra vel intrà, & *e regione conjunctionis vitta Ephod*, idest, adversum respicientes locum, ubi lora ipsi Ephod committebantur: quod satis indicant versiculi 27. & 28.

℣. 28. ET STRINGATUR RATIONALE ANNULIS SUIS CUM ANNULIS SUPERHUMERALIS VITTA HYACINTHINA, UT MANEAT JUNCTURA FABREFACTA. Nihil hic obscurum: sed paulò aliter in Hebræo. En ad literam: *Et jungetur Rationale per annulos suos annulis Ephod, vittâ hyacinthi, ut existat super vittas Ephod*; idest, ita stringatur, ut vitta illa retro, & aureæ catenæ Rationalis anteriùs firmiter stringantur supra vittam Ephod; quod sanè Ephod, uti nos concipimus, anteriùs supra pectus & posteriùs ad dorsum Summi Sacerdotis pendebat; *Itaut Rationale non tollatur desuper Ephod.* Constat utique ex Scripturâ, Rationale. Ephod, Urim & Thummim indiscriminatim non rarò usurpari, quippe quæ alterum ab altero non divellerentur; & uno Ephod nomine hæc simul omnia censeri [z].

℣. 30. PONES IN RATIONALI JUDICII DOCTRINAM ET VERITATEM. Septuaginta (a): *Declarationem & veritatem*. Hebræus ad literam (b): *Pones in Rationali Urim & Thummim*. Negocium e duobus hisce voculis gignitur plurimum Interpretibus. Ex Hebræo derivatæ reddi possent: *Nitentia & perfecta*; in quem seosum Oleaster accepisse videtor, Urim & Thummim referens ad gemmas Rationalis, veluti si Moyses superiora paucis colligens dixisset: *Pones gemmas, de quibus jam, in Rationali, & curabis, ut nitidissimas ac perfectissimas pares*. Nitidas & perfectas appellari censent alii, quòd mentem Summi Sacerdotis illustrarent, Dei consilia revelarent, eademque implendi facultatem darent & robur. Ita sensisse videntor Septuaginta, reddentes, *Declarationem*, seu manifestationem, *& Veritatem*; nec alia quærenda literalis significatio geminæ hujus vocis ex Ægyptio ductæ. Animadverti possunt radicis Thummim vestigia in Hebræo *heemin*, verum esse; sicut & in Græco *etymos*, vel *etetymos*, verus. Nec facilè alia fuit S. Hieronymo mens, reddenti Thummim *judicium*: insinuavit scilicet veritatem judiciorum & oraculorum Rationalis.

Quid rei esset Urim & Thummim, alii aliter disputarunt. Veteres quidam (c), & Recentiores plurimi [d] tuentur, ipsissimas esse Rationalis gemmas, exteriori luce futura & occulta referantes Summo Sacerdoti. Josephus (e) hujus opinionis assertor præcipuus; tradit enim, De- um

[z] *Vide 1 Reg.* XXX, 7; XXIII, 9; *&* XIV, 3.

(a) Τὴν δήλωσιν, ἢ τὴν ἀλήθειαν. *Alii*: Φωτισμὸς, ἢ τελειότητας, *Illuminationes, & perfectiones.*

(b) נתת אל חשן המשפט את האורים ואת התמים

(c) *Theod. qu.* 60 *in Exod.*

(d) *Lyran. Tostat. Lipom. Ribera,&c.*

(e) *Joseph Antiq. l.* 3, *c.* 8.

um per duodecim Rationalis gemmas plerumque prosperos bellorum eventus prædixisse Israëlitis; antequam enim moverentur castra, rutilanti adeò luce illæ micabant, ut populus universus Dei præsentiam, opemque sibi præstandam sentiret. Simili etiam luce, quæ longiùs conspiceretur, fulgurasse dicit geminos sardios dextri humeri Summi Sacerdotis; quo indicio accipere se Deus gratissimè sacrificia populi significabat. Addit tandem, a ducentis, antequam historiam illam suam scriberet, annis geminos illos Sardios, gemmasque Rationalis a fulgore illo abstinuisse. Porrò hæc sententia, confundens Urim & Thummim cum gemmis Rationalis, inde fulcitur, quòd Urim et Thummim nullibi deseribat Moyses, nec cujus essent figuræ sive materiæ, designet unquam Scriptura; quod utique non commisisset, siquidem rem aliquam aliam prætulissent, præter gemmas Rationalis.

S. Epiphanius (*f*), & Soidas in voce Ἐφὼδ putarunt, præter duodecim illas gemmas, collocatum fuisse in Rationali adamantem mirè pulchrum, qui ingenuam illam lucem suam pro varietate eventuum, de quibus consulebatur ab Israëlitis, temperabat. Procopius, Arias Montanus, aliique nonnulli, præter duodecim illas, geminas alias gemmas addunt. S. Cyrillos in Expositione Symboli insinuare videtur, manifestationem & veritatem literis fuisse duplici illi gemmæ vel laminæ cuidam aureæ insculptas. Verùm S. Augustinus (*g*) ad fabulas æquè amandat & gemmas cæteris, de quibus Moyses, adjectas, & fulgorem Dei secreta revelantem.

Veterum (*h*) & Recentiorum (*i*) plerique censuerunt, geminas illas voces in Rationali descriptas fuisse: quî tamen in eo continerentur, non satis convenit inter illos. Volunt alii, laminæ aureæ inscriptas, utì & *Sanctum Domini* simili traditum laminæ in fronte Summi Sacerdotis micabat. Opere phrygio veluti pictas inter medios ordines duodecim lapidum, malunt nonnulli (*k*); aliis suus in duplici panni subsegmine, infra supraque Rationale addito. Eugubinus, post R. Salomonem, censuit, nomen Jehovah in laminâ aureâ cælatum ipsum fuisse Urim & Thummim Scripturæ. Alii duabus hisce vocibus designatas tantùm credunt dotes, quibus præstaret Summus Sacerdos; distinguendus enim erat inter cæteros doctrinâ et perfectione. Porrò geminæ Originalis voces vertuntur in Libro Esdræ (*l*), *Doctus & perfectus*; & Author Ecclesiastici XLV, 12, illas pariter refert ad Summum Sacerdotem; laudes ènim prosecutus Aaronis, scribit indutum fuisse *stolâ sanctâ, auro & hyacintho, & purpurâ opus textile, Viri sapientis judicio & veritate præditi*. Sed Græcus Textus habet tantùm indutum fuisse Rationali judicii, & insignibus veritatis: λογίῳ κρίσεως, δήλοις ἀληθείας. De Rationali pariter explicat Cajetanus, quòd *Urim* esse oporteret, nempe aperto aëri expositum, ut gemmæ omnes ingenitâ luce micarent; oporteret & esse *Thummim*, idest, omnibus numeris perfectum, singulis in suo ordine partibus constitutis.

Spencerus in singulari Dissertatione de Urim & Thummim, designatas censet quasdam aureas icones, seù idola, quæ intra Rationale, erumenæ figuram exhibens, conderentur. Porrò gemina hæc Idola, e collo summi Sacerdotis suspensa, & in imo fundo Rationalis condita, reddebant Oracula. Affirmat, Urim & Thummim satis accessisse ad Theraphim Chaldæorum & Ægyptiorum: qua est autem sapientiâ Deus, indulgere aliquid voluisse Hebræis, ut simile quid permitteret iis, quæ viderant in Ægypto, quò earum rerum sancto & licito usu corrigeret quæcumque impiè & superstitiosè ab Ethnicis præstabantur; ut querelas omnes Israëlitarum occuparet, quasi scilicet carerent oraculis, ex quibus futuros eventus discerent, cùm finitimis aliis gentibus, si quid vellent de futuris nosse, præsto essent oracula.

Erat igitur, si illum audias, Urim parvum quoddam sigillare, cavum intus, exhibens faciè hominis figuram, intra complicatum Rationalis pannum latens, disertisque vocibus respondens, cùm consuleretur a Summo Sacerdote. Ponit, utì jam supra animadvertimus, Urim idem esse ac Theraphim, seù *Serapides*, quos hominum figuram retulisse demonstrat ex *testimonio* Abeneph a Kirchero secitato; infert autem, *Urim* hominis pariter figuram exhibuisse. Nititur post hæc evincere, Theraphim, quorum meminit Scriptura post Moysem, juncta fuisse ipsi Ephod, ut proinde sacræ quædam icones reputarentur, verissima reddentes oracula. Ne ambigens quidem censet, Ephod a Gedeone conflatum (*m*) sua habuisse Theraphim similia Cherubim Arcæ; constitutum sive in ædiculâ sive in tentorio a Tabernaculo Domini non absimili. Nec aliud reputat de Ephod Michæ (*n*); quem virum nonnisi optimo consilio animatum, ductumque studio cultûs Domini, juxta legem Domini, quamquam non satis prudente, arbitratur. Addit, Ephod & Theraphim Michæ vera ex ipso Deo oracula reddidisse; quod probat sinceritate vaticinii ab ipso eodem Levitâ Tribui Dan pronunciati (*o*).

Eodem sensu usurpat minas Osee Prophetæ (*p*) in Hebræos, relinquendos scilicet illos diu sine sacrificiis, altari, Ephod & Theraphim; censet enim Ephod & Theraphim ipsissimum esse Ephod Sacerdotale, cui juncta fuerint Urim & Thummim. Animadvertit, Septuaginta, Aquilam, & Theodotionem vertisse vocem *Theraphim* in hoc Osee Textu eàdem phrasi ac qua significarunt Urim Summi Sacerdotis (*q*). Vocem Theraphim ejusdem loci exponit S. Hieronymus de *instrumentis quibusdam Vestis Sacerdotalis*. Notat pariter, Hebræum Teraphim idem ac Seraphim Chaldæum, verso *t*, in *s*, quod apud eas gentes familiare est, significare idem ac Hebræum Urim; siquidem postremum hoc designat potissimùm flammam

(f) *Epiph. tract. de duodecim gemmis.* (g) *Aug. qu. 117 in Exod.* [h] *Origen. Homil. 9 in Exod. Aug. qu. 117 in Exod. Rodulph. l. 6 in Levit. Raban. Rupert.* (i) *Hugo Card. Hugo a Sancto Victore. Alcazar. Bellarm. l. 4, c. 3, de Pontif. Salian. & plures alii apud Cornel. a Lapid.* [k] *Philo l. 2 de Monarchiâ.* Ἐπὶ δὲ τοῦ λογίου διττὰ ὑφάσματα καταποικίλλει προσαγορεύων τὸ μὲν δήλωσιν, τὸ δὲ ἀλήθειαν. *item l. 3 de vitâ Mos.* (l) *1 Esdr. II, 63: Donec surgeret Sacerdos doctus atque perfectus. Heb. Donec surgeret sacerdos in Urim & Thummim.* [m] *Judic. VIII, 27.* (n) *Judic. XVII, 5.* (o) *Judic. XVII. 5.* (p) *Osee III, 4: Dies multos sedebunt filii Israël sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine teraphim.* (q) Δήλων, *Aliter* Δηλώσεις, *Aquil. & Theod.* Φωτισμοῖς.

mam & ignis nitorem, quemadmodum & Seraphim. Vocat in patrocinium suum S. Hieronymum, & Cedrenum inter Veteres; Rabbinos nonnullos, Cornelium a Lapide, & Ludovicum de Dieu inter Recentiores.

Animadvertere pariter juvat, insinuari Mosaicis verbis, Urim & Thummim aliquid esse Rationali adjectum; postquam enim actum est de duodecim gemmis, sequitur Moyses: *Pones in Rationali judicii Urim & Thummim &c.* Paria cum Spencero cogitasse Philo (r) videtur; habet enim persuasum, positas in Rationali imagines geminas, quibus manifestatio & veritas exhibebatur: sed figuras illas acu pictas existimasse, non obscurè prodit in Libro de Monarchiâ.

D. Clericus autumat, vocibus Urim & Thummim exprimi gemmas, quibus monile Summi Sacerdotis, e collo ad pectus usque dependens, componebatur. *Thummim* significat fortassè uniones, dictas Arabibus *theom* vel *thaumaton*, quod nomen affine est Thummim. Urim alterius cujusque gemmæ facilè nomen esse censebitur.

Huic conjecturæ de monili ac icunculis collo Summi Sacerdotis appensis causam præbuit id quod legitur apud Profanos de Præside Judicum in Ægypto. Describit enim illum Diodorus (s) suspensâ e collo aureâ catenâ, ex qua pendet icuncula veritatis, gemmis inscripta. Nunquam ab illo jus dicebatur, nisi insigne illud dignitatis gestasset. Ejusdem pariter meminit Ælianus (t), affirmatque Sacerdotem semper fuisse, moribus atque ætare spectandum qui circa collum imaginem ex sapphiro gemmâ confectam gestabat, quæ vocabatur veritas.

Petrus della Valle in Epistolâ xs, datâ Cairi, refert, spectasse se in eâ regione defunctum cadaver balsamo conditum, plurium sæculorum: ferebat autem e collo suspensum ingens quoddam ad pectus descendens monile, simile quid referens torquibus Aurei Velleris. Ad extremam ejus oram & supra pectus posita spectabatur aurea ingens lamina, avis figurâ insculpta. Erat facilè cadaver illud Judicis alicujus inter supremos Ægypti; erat autem avis seu veritatis emblema, seu locum illum in torque tenebat, quem olim in monili Judicis supremi icon Veritatis. Phœnix avis soli erat sacra, non malè proinde lucis hieroglyphicum. Sed hic Scriptor, quæ illa fuerit avis, non prodit.

An Ægyptii insignia hæc dignitatis supremi Judicis acceperint ex Hebræis, seu ab illis Moyses, in præsenti non disquirimus: constat tamen, sapphirum pendentem ad pectus Præsidis Judicum in Ægypto accessisse plurimùm ad Rationale, & ad gemmas suspensas aureis catenis, demissis ex Ephod Summi Sacerdotis. Temeritatis sanè plurimum illi inesset, qui determinare aggrederetur figuram Urim & Thummim; neque convenire possum cum Spencero, hominum exhibuisse icones existimante: at fortè dici posset, figuras aliquas fuisse, quibus ænygmaticè significarentur Veritas & Perfectio additæ Rationali, & gemmis ornatæ pariter ac distinctæ.

Quod attinet ad rationem pandendi Dei consilia latentia per Urim, magnis contentionibus res agitatur. Censent nonnulli, utì jam animadvertimus, de felici rerum exitu capi consuevisse indicium e fulgore gemmarum Rationalis. Si obscurum quid præferrent, mali id ominis erat; si fulgore insolito niterent, probari a Deo creditum erat, quod proponeretur. Reputarunt alii, Deum conceptis vocibus respondisse; qui si responsa non daret, sinistro id erat augurio. Ita Spencerus, & Rabbini (u); quod confirmare nititur Josephus (x), dum narrat, Achitobum jussu Saülis consuluisse Deum, num ad dirigenda castra Philisthæorum impetus faciendus esset; cui respondit Summus Sacerdos, siluisse Deum: ex quo captum a Saüle indicium, adversùs populum suum indignatione Deum teneri.

Judæorum alii docent, cùm Deus de rebus summis consuleretur, Sacerdotem Pectorali indutum stare facie ad Arcam obversâ: tum cœlesti interiùs lumine illustratum, oculos conjicere in gemmas Pectoralis, quæ movebantur ita, ut literas oraculo servientes darent. Ita, e. g. cùm David consuluit Dominum, num eundum in unam ex urbibus Juda; actutum gemmæ literarum illum ductum signarunt, quibus exprimebatur: *Ascende*, עלה, *hain* scilicet e nomine Simeonis; *lamed* e Levi; *he* ex nomine Judæ. Verùm hæc sententia, nullis alioqui solidis fulta argumentis, ardua plurima continet; quibus frustra Judæi conantur respondere, comminiscentes addita Pectorali nomina *Abraham*, *Isaac*, *&* *Jacob*, tum & *Schebete Ischurom*, idest, *Tribus Israël*; quorum nominum ope supplentur literæ *theth*, *heth*, *tzade*, *koph*, quæ desunt in nominibus duodecim Patriarcharum. Ut enim hæc veritati cohærerent; quomodo consultus summus Sacerdos movere potuisset literas illas, ut in voces componeret, quas reddendum oraculum posceret? Præstat igitur reputare, Deum intimo quodam lumine illustratâ Pontificis mente, voluntatem suam aperuisse: quod tamen nunquam se non daturum jugi miraculo spoponderat, cùm consuleretur ab homine, Ephod & Pectorali ornato.

Solebat Deus consilia sua pandere Hebræis per Urim & Thummim, dum perseveravit Tabernaculum, & antequam Templum Jerosolymitanum construeretur. Familiare id per eam ætatem fuisse, satis demonstrant Historiæ Judicum, Saülis, & Davidis. Postquam verò stetit Templum, Deus Prophetas in Israële statuere solebat, qui ad scrutandam Dei voluntatem conveniebantur, sive cùm de Reipublicæ ac Religionis, sive cùm de privatorum rebus ageretur: quod tamdiu obtinuit, quamdiù stetit Templum Salomonis ante Nabuchodonosoris eversionem. Docent Hebræi, post reversos Babylone captivos desiisse Prophetas a Deo excitatos, nec ulteriùs petita per Urim & Thummim Oracula; sed tunc aliam initam revelationis extraordinariæ viam, quam appellant *filiam vocis*, per vocem scilicet e Cœlo datam, veluti cùm in Baptismo Jesu Christi e Cœlo vox audita est (y):

Hic

(r) *Philo, l. 3 de vitâ Mosis*: Τὸ δὲ λόγιον τετράγωνον διπλοῦν κατεσκευάζετο ὡσανεὶ βάσις, ἵνα δύο ἀρετὰς ἀγαλματοφορῇ δήλωσίν τε καὶ ἀλήθειαν. *Et libro 2 de Monarch.* Ἐπὶ τοῦ λογίου διττὰ ὑφάσματα, καὶ τὸ μὲν δήλωσιν, τὸ δὲ ἀλήθειαν προσαγορευόμενον. (s) *Diod. l. 2. c. 3.* Ἀρχιδικαστὴς ἐφόρει περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσαγορεύουσιν ἀλήθειαν. Τῶν δὲ ἀμφισβητήσεων ἤρχοντο ἐπειδὰν τὴν τῆς ἀληθείας εἰκόνα ὁ ἀρχιδικαστὴς προσθοῖτο. (t) *Ælian. variar. histor. l. 14, c. 34.* Εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο ἄγαλμα ἀλήθεια. (u) *Gemar. Jerosol. Massechet. Joma. c. 7.* (x) *Joseph. Antiq. l. 6, c. 7.* (y) *Matt. 333, 17.*

℣. 31. Facies & tunicam superhumeralis totam hyacinthinam:
℣. 32. In cujus medio supra erit capitium, & ora per gyrum ejus textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus, ne facilè rumpatur.

COMMENTARIUS.

Hic est filius meus dilectus. Addunt, Urim defuisse in secundo Templo, quippe quod sub terrâ unà cum gemmis Rationalis conditum fuerit a Josiâ, antequam occumberet. Constat utique ex primo Esdræ II. 63, Judæos expectasse tum Sacerdotem, qui responderet per Urim & Thummim: constat insuper e Macchabæis (z), Israëlitas votis communibus sperasse Prophetam, qui doceret quid factu opus esset de lapidibus Altaris profanati: quibus planè omnibus demonstratur, desisse tunc Urim, & Prophetas, de quibus tamen in futurum habendis non desperabant; ut proinde nequaquam persuaderentur, Urim abolitum fuisse penitus, nec Prophetiam cessasse. Nullus dubito, quin in secundo Templo, uti & in primo, Summus Sacerdos Ephod & Pectorali indueretur: sed Deus præparandas censuit aures Judæorum excipiendæ voci Messiæ, longo illo silentio Prophetarum & oraculorum, adventum ejus præcedente.

Gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo, idest, Urim & Thummim, indicia authoritatis juris dicundi in Israëlitas. Animadversum est superiùs, imaginem veritatis supra pectus e collo supremi Judicis pendentem, insigne fuisse ejus in populum authoritatis; juvat etiam animadvertere, Rationale illud interdum *Rationale Judicii* appellari. Summi Judæorum Sacerdotes supremi erant juris dicundi administratores, ut alibi (a) demonstrabimus. Commodè etiam redderetur Textus: Summus Sacerdos positum supra pectus feret Rationale, quo perpetuò monebitur de justitiâ erga populum servandâ; revocabitque in memoriam commissum sibi munus, populi necessitates coram Deo exponendi, crimina expiandi, seque inter Deum & populum intermedium exhibendi.

℣. 31. Facies et tunicam superhumeralis, quam adstringit superinductum ornamenti loco Ephod, vel quæ semper induitur, cùm Ephod sumendum est. Hæc facilè omnia significat *Tunica superhumeralis*. Hebræum *mehil*, quod hìc *tunica*, reddi solet *pallium*, nec sanè nisi super tunicam vestis hæc inducebatur. Septuaginta: *Tunicam talarem*. De hac egimus ℣. 4.

℣. 32. In cujus medio supra erit capitium. *Capitium* Latinè non est capitis integumentum, sed os vestis, undè caput & collum transmittitur, ut vestis illa sinum & pectus tegat. *Capitium ab eo quòd capit pectus*, ait Varro (b); & alibi de Matronis Romanis: *Pectore & lacertis erant apertis, nec capitia habebant*. Expressit hìc S. Hieronymus sensum Hebræi (c), ferentem *os capitis*, ob transmittendum caput; eâdemque & voce & sensu utitur Job XXX, 18: *Quasi capitio tunicæ succinxerunt me*. Affirmat Josephus, os illud tunicæ non obliquum fuisse ex uno humero ad alterum, sed rectum, ut ad medium usque pectus fissura perveniret: addit etiam assutum ipsi limbum, quo suturæ tegerentur.

Sed Mosaicis verbis insinuari videtur, os fuisse rotundum, munitum texturâ quadam firmâ, ex eodem facilè panno. Porrò amplius foramen illud credimus, nec apud veteres tunicas fissura aliqua ad sinum spectatur. Apud Germanos, & alibi etiam superpellicea, & albæ idem nunc pariter servant; nihil enim habent apertum, nisi, ad transmittendum caput, superius orificium. Vestis, de qua hìc Moyses, manicis caruisse videtur; hiscebat facilè ad latera usque ad renes, ob transmittendos lacertos, quos tunicæ interioris manicæ vestiebant. Superior hæc tunica, vel pallium Summo Sacerdoti erat peculiaris; non enim cæteri nisi lineis vestiebantur, quemadmodum & apud Ægyptios, Sacerdotes; interdicebatur enim hisce laneæ vestis quodcumque genus, quòd apud illos, superstitione quadam, lana inter impura recenseretur.

Sicut fieri solet in extremis vestium partibus. Hoc utique accipiendum est non de limbo extremam panni oram ornante (d), sed de aliis superiorem oram vestium ambientibus. In tabulis Isiacis spectare licet figuras distinctas latissimo quodam monili, rugis decorato, unà cum aliis varii coloris ornamentis.

Hebræus hìc fert (e): *In formam loricæ*, seu potiùs, *ut aperitio loricæ*. Ægyptii, Phœnices, Persæ, & Veteres quidam Trojani belli Heroes utebantur loricis non ferreis, vel æneis, uti reliquæ per orbem gentes, sed lineis (f) aceto, uti ferunt, excoctis, ut ictibus resisterent. Hujus generis loricâ credunt nonnulli indutum Saülem in prælio ad Gelboë, cùm gladio transfodere se nequicquam conaretur (g). Docet Plutarchus, Alexandrum Magnum indutum fuisse loricâ e telâ pluries duplici ac perforatâ. Hæc omnia docere possunt, quis limbus hic fuerit, de quo Moyses; quippe quem similem asserit limbis loricarum linearum. Nec illum adjungebat tunicæ sutura aliqua, uti visum Josepho, sed eâdem erat texturâ, eodemque, ac reliqua vestis, stamine. Constat id ex ℣. 32: *Ora textilis*, vel juxta Hebræum, *Opus textoris*.

Opifices, in Scripturâ ארג *Oreg*, textores, unius coloris telas, vel pannos conficiebant. Neque absimile vero judicamus; vestes illas, vel tunicas Sacerdotales perpetuum retulisse non colorem tantùm, sed & texturam, ut nullis suturis indigerent.

Rari

(z) 1 *Macc.* IV, 45, 46: *Reposuerunt lapides in monte domûs, in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & responderet de eis.* [a] *Vide Deut.* XVII, 9. (b) *Varro de vitâ populi Rom. & l. 4 de Linguâ Latinâ.* (c) פי ראשו בתוכו *Septuag.* Τὸ περιστόμιον ἐξ αὐτοῦ μέσον. [d] *Vide Braun. l. 1 de vestit. Sacerd. Hebr. c. 77. art. 11; & Pollucem l. 7. c. 13. & 14:* Πέζαι, καὶ πεζίδες.
(e) כפי תחרא יהיה לו *Aq.* Προστηθίδιον. *Sym. Th.* Σιμβόλιον. *Septuag.* Συμβολήν. [f] *Plin. l. 19. c. 2. Herodot. pluribus in locis. Homer. Iliad. B.* [g] 2 *Reg.* 1, 9: *Tenent me angustiæ, &c. Heb. Tenet me schabaz, seu tunica stricta.*

℣. 33. Deorsum verò, ad pedes ejusdem tunicæ, per circuitum, quasi mala punica facies, ex hyacintho, & purpurâ, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis.

℣. 34. Ita ut tintinnabulum sit aureum, & malum punicum, rursumque tintinnabulum aliud aureum, & malum punicum.

℣. 35. Et vestietur eâ Aaron in officio ministerii, ut audiatur sonitus, quando ingreditur, & egreditur Sanctuarium in conspectu Domini, & non moriatur.

℣. 36. Facies & laminam de auro purissimo: in qua sculpes opere cælatoris, Sanctum Domino.

COMMENTARIUS.

Rari erant olim vestium sutores (*h*); rarò enim, quod nostrâ ætate familiarissimum est, conficiebantur vestes scissione & suturâ reformatæ; quin & vix aliquos sutores obtinuisse olim apud Græcos, Romanosque, Criticorum quidam ægrè persuadentur. Tunica plerumque perpetuâ texturâ, suturâ nullâ constabat: pallium quadrati panni frustulum erat, nullo alio ritu aptatum, nisi quòd humeris adnecteretur eâ, quam Latini appellant fibulam. Vestium ejusmodi Textores in opus non sedentes incumbebant, uti apud nos, sed stantes; & cùm pluribus lateribus instructa opera, veluti tunicam, vel rotundam aliquam vestem intexerent, circa textrinam gyrabant. Innuitur id a Virgilio Æneid. VII:

Argnto tennes percurrens pectine telas (*).

Itidem Homerus (*i*). Narrat Herodotus [*k*], Ægyptios telas suas & pannos ita fabricare, ut stamen e superiori ad inferiorem partem demittant, contrario ac soleant cæteri more; idest, cùm stamen primùm e superiori ad inferiorem partem tendatur, subtemen inducunt ex inferiori sensim ad superiorem ascendendo: contra cæteræ per orbem gentes e superiori telam exorsæ semper descendunt. Servatum id ætate suâ in Palæstinâ, affirmat Theophylactus; nec alio artificio intextam tunicam inconsutilem Jesu Christi, censet Braunius (*l*).

℣. 33. Deorsum vero ad pedes quasi mala punica facias ex hyacintho. Septuaginta, & Exemplaria quædam Latina addunt: *De bysso retortâ*, quod in Hebræo & versionibus deest. Fimbriam tunicæ hyacinthinæ ornabant mala punica, & tintinnabula alterno ordine disposita. Mala punica constabant ex lanâ hyacinthinâ, purpurâ, & cocco: ovi autem magnitudine fuisse dicunt Rabbini; verùm si hujus amplitudinis mala punica, eâdemque proportione tintinnabula constituamus, paucis admodum opus fuisset, ut totum ejus ambitum tenerent, nisi oram tunicæ inferiorem latissimam ponamus. Præter mala punica & tintinnabula, affirmat Philo (*m*), fimbriam vestis ornasse flosculos, qui terram significabant, aquam verò mala punica, & tintinnabula universi harmoniam.

℣. 33. Ut audiatur sonus quando ingreditur. Aaronis in Sanctuarium ingredientis vocem exaudiendam indicare videntur Septuaginta (*n*), seu potiùs tintinnabulorum strepitum auribus ejusdem Aaronis insonare. Sed pronior literæ sensus insinuat, tintinnabula ista Aaronica populum monuisse; quod etiam visum Authori Ecclesiastici XLV: *In memoriam filiis gentis suæ*; vel juxta Tostatum, signum dabat Sacerdos, ut ingredi in Sanctuarium permitteretur, quemadmodum & tintinnabuli pulsu in Ædes amplissimorum Virorum ingrediendi facultas postulatur. Ferunt (*o*), Persarum Reges extremam vestium fimbriam ornatam tulisse malis punicis, & tintinnabulis aureis, quemadmodum Pontifices sacrorum apud Judæos. Intelligimus ex historiâ Judithæ, pulsatas fores Holofernis, ingredi ausum neminem: *Nullus audebat cubiculum virtutis Assyriorum pulsando, aut intrando aperire*; excitatum illum a somno non voce, sed rei alicujus sono: *Ut non ab excitantibus, sed a sonantibus evigilaret. Judith* XIV, 8, 9. Authores quidam Judæi credunt, tintinnabula hæc Summi Sacerdotis rotunda fuisse, quemadmodum apud nos crepitacula.

Et non moriatur. Quasi scilicet Deus necem ulturum minitaretur irreverentiam, si ille non dato antea signo limen intraret. S. Justinus in Dialogo, & Hæretici quidam apud S. Epiphanium, hæresi 34, duodecim tintinnabula tribuunt, totidem Apostolorum emblema. S. Hieronymus ad Fabiolam, S. Isidorus (*p*), & quidam ex Hebræis ad LXXII augent; prorogat S. Clemens Alexandrinus (*q*) ad CCCLXVI. S. Prosper maluit quinquaginta (*r*); Durandus octoginta (*s*). Hæc indicabant, juxta S. Hieronymum, oportere Sacerdotum vitam, & gesta omnia loqui ad populi ædificationem.

℣. 36. Facias et laminam . . . . . in qua scul-

(h) *Vide Salmasium in Lamprid. in Caracal. & Casaub. Exercit. ad Baron. 16. Num. 157.*

(*) Quàm aptè hìc laudetur Virgilius, tu videris, Lector.

(i) Odyss. E. Ἱστὸν ἐποιχομένη χρυσείῃ κερκίδ' ὕφαινεν.

(k) *Herodot. l. 2, c. 35:* Ὑφαίνουσι οἱ μὲν ἄλλοι ἄνω τὴν κρόκην ὠθέοντες, Αἰγύπτιοι δὲ κάτω.

(l) *Ioan. XIX, 23: Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.* (m) *Philo l. 2 de Monarch.* Πρὸς δὲ τοῖς κάτω μέρεσι τοῦ ποδήρους ἀπῃώρηνται χρύσεοι ῥοΐσκοι, κώδωνές, καὶ ἄνθινα.

(n) Καὶ ἔσται Ἀαρὼν ἐν τῷ λειτουργεῖν ἀκουστὴ ἡ φωνὴ αὐτοῦ. (o) *Targum scheni in Esth. cap.* VI, 10.

(p) *Isidor. l. 2, c. 2.* [q] *Clem. Alex. l. 5 Strom.* (r) *Prosper de promiss. Dei. p. 2, c. 5.* (s) *Durand. ration. l. 3, c. 19.*

℣. 37. Ligabisque eam vittâ hyacinthinâ, & erit super tiaram,
℣. 38. Imminens fronti Pontificis. Portabitque Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & sanctificaverunt filii Israël, in cunctis muneribus, & donariis suis. Erit autem lamina semper in fronte ejus, ut placatus sit eis Dominus.
℣. 39. Stringesque tunicam bysso, & tiaram byssinam facies, & baltheum opere plumarii.

COMMENTARIUS.

SCULPES: SANCTUM DOMINO. Lamina hæc aurea in fronte Summi Sacerdotis inter utramque aurem porrecta micabat: latitudinis habuisse fertur duos digitos; sed nihil eâ de re Moyses. Appellatur inferiùs *mitra* (t); & in Sapientiâ XVIII, 24, *diadema*; in Ecclesiastico XLV, 53, *Corona aurea*, quòd in occipite vinciretur, fermè pro more diadematum Regum Orientalium; quod servatum pariter ab Imperatoribus quibusdam Romanis post Constantinum, monstrant nummi. Diadema in occipito alligatur, cujus extremæ oræ pendent ad collum. Quæ ex infulis Episcoporum nostrorum demittuntur fasciæ, reliquiæ sunt ejusmodi diadematum, inferiorem oram Episcopalis tiaræ seu infulæ ambientium. Interdum Reges & Imperatores pinguntur unico diademate; plerumque tamen Reges Persarum junctam diademati ferebant Cidarim. Docet id non obscurè Q. Curtius libro 3. *Cidarim Persæ Regium capitis vocabant insigne: hoc cærulea fascia albo distinctu circuibat*. Sed vitta, seu diadema Summi Sacerdotis cæruleo erat cœlesti. Non desunt qui putent, additam laminæ aureæ vittam, quæ illam sustineret, ne fortè in oculos decideret, quæ sanè vitta e supremo Sacerdotis vertice veniebat.

Verba illa, *Sanctitas Domino*, innuunt, Sancta omnia decere Deum, & quicumque ad illum accederent, Sanctum esse oportere & perfectum. Reddi etiam posset: *Sanctitas Domini*. Vide subsequentem versiculum. Porrò hanc laminam Summi Sacerdotis in ære incisam exhibuimus, Samaritanos characteres præferentem, quippe qui vetustæ sint Hebræorum literæ.

℣. 37. LIGABIS EAM VITTA HYACINTHINA, ET ERIT SUPER TIARAM, (℣. 38.) IMMINENS FRONTI PONTIFICIS. Duplici sensu textus exponi potest: I, Ad utramque laminæ oram extremam respondebit vitta in occipite alligata. II, Laminæ illi supponetur, seu adjungetur vitta hyacinthina, inferiorem oram tiaræ circum caput ambiens, quæ in occipite vincietur. Postremum hoc maluisse videtur Josephus, quemadmodum ad ℣. 4 notavimus. Pendêre laminam illam in frontem summi Sacerdotis infra tiaram, docent Rabbini, ut medii inter laminam & tiaram spectarentur cincinni. Insinuat etiam Philo (u), ad frontem suspendi; docet enim subter laminam respondisse vittam prohibentem, ne carnem lamina illa contingeret. Affirmat Aristæas (x), fronti inter supercilia respondisse, idest, facilè totam contexisse frontem, unde scilicet desinunt capilli, usque ad supercilia: sed Moyses non obscurè affirmat, positam fuisse supra & in anteriori parte tiaræ.

℣. 38. PORTABITQUE AARON INIQUITATES EORUM QUÆ OBTULERUNT &c. Septuaginta (y): *Auferet peccata rerum sanctarum*; quidquid vitiosum est in oblationibus populi, expiabit. Seu potiùs: *Iniquitates populi portabit*; idest, cura illius erit, ut populum instruat, ne rerum ignoratione in multis errare populum contingat. Lamina illa fronti imposita emblemate quodam designabat supremum illud Religionis Caput, gerens personam populi, totum penitus Domino devovendum.

Tradit Josephus (z), summum Sacerdotem nonnisi singulis Sabbatis, Neomeniis, & maximis gentis suæ solemnitatibus ascendisse ad altare, adhibuisse verò in usum Templi familiariter simplicius aliud, quàm quod descripsimus, ornamentum; solemni illo reservato in diem Expiationis solemnis, cùm in Sanctuarium pedem inferebat. Idem facilè insinuatur a Moyse verbis illis: *Portabit iniquitates eorum, quæ obtulerunt, & sanctificaverunt filii Israël*; re ipsâ enim eâ die populi crimina expiabantur. Vide Leviticum XVI, 16. 19, 21, 30, 33, 34.

℣. 39. STRINGESQUE TUNICAM BYSSO. Textus hic variè redditur. Alii (a): *Ocellabis*, vel *Ocellatam facies tunicam bysso*: tunicam illam variis coloribus distingues, utì pavonis caudam variis disseminatam oculis; ita pariter & oculos pinges in tunicâ. Aliter: Faciès tunicam arctam ex bysso. Syriacus, & Arabs planiùs: *Fac tunicam byssinam*. De hac tunicâ agens Josephus, ex duplici carbaso contextam affirmat. Ad talos usque promissa corpori arctissimè aptabatur, manicisque erat ad tegendos lacertos arctissimis. Complicationes in eâ nullæ: amplam habebat ad collum incisionem, ac posteriora anterioribus fibulis cohærebant. Ita etiam vestem illam describit S. Hieronymus in Epistolâ ad Fabiolam. Septuaginta (b): *Fimbriæ tunicarum ex bysso*. Hebræum *schibbezta* hoc sensu reddendum esse, pro viribus demonstravimus ad ℣. 4: *Facies tunicam contextam e gossypii stamine multiplici*.

BAL-

(t) *Exod.* XXXIX, 30, *Mitra.* & *Levit.* VIII, 9, *Cidaris*. (u) *Philo l. 3 de vitâ Mos.* Μίτρα δὲ ἦν ὑπ' αὐτὸ, τοῦ μὴ ψαύειν κεφαλῆς τὸ πέταλον. (x) *Aristaas de Septuag. Interpret.* Ἐπὶ δὲ ταύτης (κιδάρεως) τὴν ἀμίμητον μίτραν, τὸ καθηγιασμένον βασίλειον. Ἐκτύπων ἐπὶ πετάλῳ χρυσῷ γράμμασιν ἁγίοις τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ, κατὰ μέσον τῶν ὀφρύων. (y) Καὶ ἐξαρεῖ Ἀαρὼν τὰ ἁμαρτήματα τῶν ἁγίων. (z) *Joseph de bello, l. 5, c. 15, p. 909, in Græco. Seu lib. 6, c. 6, in Lat.* Ταύτην μὲν οὖν τὴν ἐσθῆτα οὐκ ἐφόρει τὸν ἄλλον χρόνον, λιτοτέραν δὲ ἀνελάμβανεν. Ὁπότε δὲ εἰσίοι εἰς τὸ ἄδυτον. Εἰσῄει δὲ ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν μόνος ἐν ᾗ νηστεύειν ἔθος ἡμέρᾳ πάντας τῷ Θεῷ. *Confer. Antiq. l. 55, c. 14, p. 544.* (a) *Oleast. Vatab.* (b) Καὶ οἱ κόσυμβοι τῶν χιτώνων ἐκ βύσσου.

℣. 40. Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & balteos, ac tiaras in gloriam, & decorem:

COMMENTARIUS.

Balteum opere plumarii. Cujus esset materiæ balteus Sacerdotum, vidimus supra ℣. 4; id autem discriminis habuisse affirmat Josephus (c) balteum Summi Sacerdotis, quòd intermixtum baberet aurum. Nihil eâ de re in Textu. Stamine erat lineo, subtemine laneo varii coloris.

Opere plumarii. Plumarius sæpe est acu pictor vel stromatum opifex; vel generatim artifex varia variis coloribus sive in telâ, sive in panno depingens. Ad literam tamen Hebræum רקם *rokam* est potissimùm opifex varios imitans colores varia pingens avium plumis dispositis. Vestes ex plumis non latuisse credimus Ægyptios, cùm in tabulis Isiacis Numen illud non semel exhibeatur breviori quadam veste infra mamillas pendente, quæ plumea videtur. Plumeis item vestibus usos Garamantas, refert Tertullianus in libro *de Velandis Virginibus*; qui pariter in Libro *de Pallio*, suæ ætatis luxum crevisse adeò affirmat, ut plumarum pavonis usus obtineret in vestibus: quod pariter de vestibus ex pavonis plumis affirmant Varro ac Vitruvius libro 6, capite 7. Ex avium pennis contexti panni inter novi orbis merces vidit Europa (d); scitè verò adeò pictos illos constat, ut nihil simile vel a peritissimis aulæorum opificibus expectes. Ita eâ de re Cortezius (e): *Ea verò ex plumis talia erant, quòd nec in setâ, nec in rebus sericis aut pictis mirabiliora fieri possent*. Et alibi (f): *Ea plumis fabrefacta tam mirabilia babuimus, ut scriptis demonstrari non possent*. Ejus regionis barbari vestibus adhuc induuntur, zonis, capitisque integumentis, ex avium pennis versicoloribus. Fœminæ pariter nostrates algente brumâ manus protegunt variato ex avium plumis integumento. Plutarchus in Libro de fortunâ Alexandri narrat, eos, qui beluarum venationi student, prædarum exuviis indui; qui verò avium, vestes habere e plumis (g). Seneca Epistolâ xc: *Non corticibus arborum pleræque gentes tegunt corpora? Non avium plumæ in usum vestis conferuntur?* Tandem Prudentius in hamartigeniâ:

. . . . . Hunc videas lascivas præpete cursu
Venantem tunicas, avium quoque versicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis.

Satis hæc ad demonstrandum priscum usum plumis variandi indumenta. Exprimit id Hebræum *Rokem*; est enim *Rakamah* avium plumæ (h). Nec tamen inde evinceretur, Summi Sacerdotis balteum ita pictum fuisse; satis enim indicat toto hoc libro Moyses, in eum usum adhibitas esse lanas pretiosissimas, & colores maximè vividos. Non asserit, balteum illum plumis variatum fuisse, sed tantùm acu pictum opere variato seu plumario. Porrò apud Latinos *plumarius* dicitur sæpè qui opere phrygio pingit, sive id præstet plumis, sive auro, argento, vel serico. Lucanus:

Pars auro plumata nitet, pars ignea cocco,
Ut mos est Phariis miscendi licia telis.

Vide quæ contulimus supra in Caput xxvi, 1.

℣. 40. Filiis Aaron tunicas lineas parabis. Deest illud *lineas* in Hebræo, & in Septuaginta; sed lineas re ipsâ fuisse & inconsutiles, satis constat (i). Laneis vestibus indui Sacerdotes in Templo vetat Ezechiel xl, 17: *Nec ascendet super eos quidquam laneum*. Congrua profectò erat ministerio vestis omnis Sacerdotum. Tunicâ induebantur ad agendum ac ministrandum expeditissimâ: pallium, quo impedirentur, nullum (k).

Imperat in suis legibus Plato (l) tunicas Sacerdotibus inconsutiles, nec nisi unius mensis opere mulieris paratas. Album item colorem præ cæteris decere Numina affirmat (m); maximè in vestibus textrino opere elaboratis. Sacerdotum Paganorum res sacras operantium tunicæ erant, utì Sacerdotum Hebræorum, lineæ. Hinc Lucanus, & Juvenalis Sacerdotes, Ægyptios maximè, appellant *gregem linigerum* vel *linigeros*. De illis pariter Apulejus (n): *Antistites sacrorum proceres candido velamine injecti*. Describit alibi pompam Isidis, ex viris & mulieribus lineas ferentibus. Suetonius de Othone perhibet, Isidis sacra celebrasse *in linteâ religiosâ veste*. Sacerdotes Galli vel Druidæ *candidâ veste culti arborem scandunt, falce aureâ* (viscum) *demetunt: candido id excipitur sago; tum deinde victimas immolant* (o).

De vestibus Summi Sacerdotis Judæorum subodorati sunt aliquid, levius tamen & imperfectum, profani. Ita Plutarchus (p): *Festis prodit in publicum cum mitrâ redimitus, pelleque cervinâ auro intertextâ indutus, & tunicâ talari cum cothurnis. Ex veste tintinnabula dependent, quæ inter eundum resonant.*

Vestes istæ omnes symbolum erant rerum abditarum, uti Spiritus Sanctus in Libro Sapientiæ xvii, 24, monet. Misteriis hisce detegendis operam suam impenderunt post Josephum (q) & Philonem (r), Patres Ecclesiæ (s). Nihil illis a meditatione & instructione vacuum, non color, non figura, non vestium materia. Singula hæc ne prosequamur vetat, quod proposuimus nobis, institutum; rati tamen non vacuâ planè operâ Deum minutis hisce exprimendis incubuisse. Ipsi pariter profani, præsertim Ægyptii, in eam volebant inducere homines persuasionem, ut crederent, religionis suæ ac rituum, quamquam absurdissimorum, plura fuisse abdita, ac veneratione digna mysteria. Multò id æquiùs putandum de religione ac cæremoniis sancitis a Deo, cujus nonnisi augustissima, ac seriâ maximè meditatione dignissima sunt consilia. Quatuor in Ephod colo-

[c] *Joseph. l. 3, c. 8, Antiq.* (d) *Apud Panciról. rerum memorab. l. 2, t. 1.* [e] *Cortez. narr. 2.* [f] *Narr. 3. Vide Faller. Miscell. l. 1, c. 20; & Aloys. Cadam. navig. c. 66.* (g) Πτερωτοῖς ἀμφίσχοντας χιτωνίσκοις. (h) *Ezech.* xvii, 3. [i] *Exod.* xxxix. 25. (k) *Philo, l. 5 de Monarch.* [l] *Plat. de legib. l. 12.* (m) *Plat. de legib. l. 12:* Χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντα ἂν θεοῖς εἴη, καὶ ἄλλοθι, καὶ ἐν ὑφῇ: *quod sic exprimit Tullius l. 2 de legib. Color autem albus præcipuè decorus Deo est, tum in cæteris, tum maximè in textili.* [n] *Apul. Metamorph. l. 2, & l. 11.* (o) *Plin. l. c. 16, 44.* (p) *Plut. l. 4 Simpos.* [q] *Joseph. l. 3 Antiq. c. 8.* (r) *Philo, l. 3 de vitâ Mosis.* (s) *Hieron. ad Fabiol. Origen. homil. 9 in Exod. Theodoret. qu. 160. Aug. in Exod. passim.*

℣. 41. Vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum, & filios ejus cum eo. Et cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos, ut sacerdotio fungantur mihi.

℣. 42. Facies & feminalia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ, a renibus usque ad femora.

COMMENTARIUS.

colores Universum atque elementa omnia designat; hyacinthinus vel cæruleus aërem; purpura mare; coccus ignem; byssus terram; aurum lucem.

℣. 41. CUNCTORUM CONSECRABIS MANUS. Hebræus (t) & Septuaginta (u): *Unges eos, & implebis manus eorum*; idest, oleo sacro unctos ad ministerium applicabis, immolandas illis victimas tradens, manibusque imponens sacra instrumenta, juris obtenti vel consecrationis indicium pariter & argumentum.

℣. 42. FACIES ET FEMINALIA LINEA, UT OPERIANT CARNEM TURPITUDINIS SUÆ A RENIBUS USQUE AD FEMORA, idest, usque ad suras vel usque ad genua, juxta S. Hieronymum aliosque plures. Leo de Juda, & Leusdenius censent, feminalibus hisce genua ipsa vestiri. Dubio locus est aliquis de materiâ, formâ, usu, atque induendi vestem ejusmodi ratione. Hebræum מכנסים *mcnesim* exprimunt Septuaginta περισκελῆ, quod vel tibialia vel feminalia significat. Philo *de Monarchiâ* interpretatur περίζωμα, zonam. S. Hieronymus ad Fabiolam scribit, esse nostris quàm simillima femoralia, utrique coxæ scissione ac suturis aptata; quod idem Josepho probatum videtur (x); sed Braunio vestis est textilis & inconsutilis, uti & cætera omnia, quæ textoris opus appellat Moyses (y).

Cujus essent materiæ, satis indicat Scriptura, linea appellans; at Chaldæus, Syriacus, Arabs, & Josephus habent byssina vel xylina; & Hebræus, capitis xxxix, 29, cum Chaldæo & Septuaginta legit e *gossypio* (*e schesch*) *retorto*; S. Hieronymus *linea byssina*. Samaritanus lineo & gossypio addit lanam hyacinthinam, coccum, & purpuram, opus phrygium. Repugnare id tamen videtur cæteris Scripturæ textibus (z), quibus femoralia nunquam non exhibentur tanquam simplici lino contexta; ex quo suspicioni locus datur, Hebræos facilè amanuenses vocem quamdam superfluam adjecisse supra ad caput xxxix.

Quo loco cingerentur femoralia, non satis convenit inter multos. Habet hic Hebræus, corporis nuda protexisse *a renibus usque ad furas*; sed vetat Ezechiel XLIV, 18, *ne accingantur in sudore* ביזע; nunquam cingetis femoralia, quo loco maxime sudor fluit, uti sunt axillæ, & lumbi, inquiunt Hebræi; at subligabitis infra axillas, vel supra lumbos, cordi propiùs; quod ineptissimam subtilitatem esse censeo. Notat hic Moyses renes, ut locum solent quo jungi & balteus & femoralia: cur igitur ejus Textui non inhæreamus, cùm maximè commodo alio sensu & prono locus Ezechielis facilè exponatur?

Nihil legimus in Scripturâ, quo insinuetur femoralium usus vulgaris fuisse apud Hebræos. Quod Noëmo ebrietate resoluto contigit, argumento est, eo tempore ignotum fuisse femoralium usum. Sed ex hoc, quem versamus, Textu, nullo argumento convinceremur, morem ita vestiendi latuisse Israëlitas: non enim novas insuetasque vestes præscribit Moyses Sacerdotibus. Constat ex Daniele (a), Græcisque Scriptoribus, Persas & Chaldæos jam diutissimè braccas admisisse; recentius apud Græcos & Romanos. Nec raris docemur testimoniis, eorum usum olim illis ignotum. Apud Homerum (b) veteresque Scriptores de vestibus agentes, sermo tantùm de pallio & tunicâ: Hæc Agamemnonis & Telemachi apud Homerum, hæc Evandri apud Virgilium vestis; neque plures observes apud Ægyptios & Hebræos. Si posteriori Reipublicæ ætate feminalium usus occurrat apud Romanos, simul legas insueto id fuisse exemplo. Ita Suetonius narrat, Augustum feminalia & tibialia per hyemem gessisse: non ergo familiarissimè utebatur. Narrat ipse pariter, Julium Cæsarem, cum a conjuratis peteretur, caput velasse veste; lævâ autem manu aliam vestis partem cruribus injecisse, *ut honestiùs caderet*.

Chaldæis, Gallis, Persis, & interdum Romanis vetustisque Græcis feminalium quoddam genus, a nostris planè diversum, innotuit. Zonæ erant ampliores, a renibus usque ad genua demissæ, uno ambitu utrumque femur simul velantes, ut a vestium interiorum nostrarum formâ nonnisi brevitate majori differrent. His facilè vestiebantur Sidrach, Misach, & Abdenago (c), cùm in fornacem projecti fuere. Cyrus, teste Xenophonte (d), purpureas *anaxuridas*, vel femoralia gerebat. Inter Gallorum vestes ampliora feminalia [quæ braccas appellabant] recenset Strabo (e). Affirmat Justinus, feminalium usum a Semiramide primùm inventum cepisse.

Describens vestes Scytharum, canit Ovidius (f):

Pellibus & laxis arcent mala frigora braccis.

Producit Homerus (g) non Heroas tantùm, sed & Deos, Deasque zonis id generis vestitos, pendentibus super renes & ad femora usque demissis

(t) משחת אתם ומלאת את ידם (u) Καὶ χρίσεις αὐτοὺς καὶ ἐμπλήσεις αὐτῶν τὰς χεῖρας. (x) *Joseph. l. 3 Antiq. c. 8.* Διάζωμα δ᾽ ἐστὶ περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτόν. (y) *Vide ad Exod.* XXVIII, *& Braun. l. 1, de vestit. Sacerd. Hebr. c. 5.* (z) *Levit.* VI, 10; *&* XVI, 4; *Ezech.* XLIV, 18. [a] *Dan.* III, 21: *Viri illi vincti, cum braccis suis & tiaris, &c.* (b) *Homer. Iliad* 2; *& Odyss.* 1; *& Virgil. Æneid.* 8. (c) *Dan.* III. 21. *Cum braccis suis & tiaris.* Textus habet, *sarabara*, pro *bracca*. (d) *Cyropæd. l.* 9. Ἀναξυρίδας ὑσγινοβάφεις. (e) *Strab. l.* 4, Ἀναξυρίσι περιτεταμέναις. (f) *Ovid. Trist. l.* 5, *Eleg.* 8.

(g) *Iliad.* E. Ἔκρυψε δὲ πάλλας Ἀθήνη
Νέκτον ἐς αγκῶνα ἔθι ζωννύσκετο μίτρην.

℣. 43. Et utentur eis Aaron, & filii ejus, quando ingredientur Tabernaculum testimonii, vel quando appropinquant ad Altare, ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sempiternum erit Aaron, & semini ejus post eum.

COMMENTARIUS.

missis. Eamdem zonam habuit Mars, cùm a Pallade vulnus retulit.

Apud Mahometanos (*h*) hodie pariter familiaria sunt viris æquè ac fœminis id generis feminalia, seu breviores vestes; sunt autem e carbaso, vel gossypio tenuissimo, & usque ad talos demissæ. Multò breviora feminalia placebant Latinis, appellabanturque *campestria*, *Succinctoria*, vel *Subligacula*; his autem tolerabatur æstus in agro ferventes, rejectâ tunicâ; sicut & expeditiora erant juvenibus, cùm sese athleticis artibus exercerent. *Campestria* appellat pariter S. Augustinus (*i*) perizomata, quæ sibi consuerunt primi hominum parentes in Paradiso post crimen. Interpres Origenis (*k*) eamdem vocem hìc pariter adhibuit; & Asconius *in Orationem pro M. Scauro* affirmat: *Cato Prætor judicium, quia æstate agebat, sine tunicâ exercuit, campestri sub togâ cinctus*; quod ab illo ex veteri more retentum notat. Nunquam etiam prodiisse actores *sine subligaculo* in scenam, asserit Cicero *de officiis*.

His testibus satis demonstratam arbitror moris hujus vetustatem; nec facilè alia vestis designatur hìc a Moyse, cujus ille omnisi mensuram & materiam determinat, cùm figuram satis nossent Israelitæ. Quamquam autem eâ cautione satis provisum esset honestati ac pudori Sacerdotum, inhibendum tamen adhuc censuit, ne plus nimiò arduis gradibus ascenderent ad Altare; *ne*, inquit, *reveletur turpitudo tua* (*l*); id enim penitùs descripto hìc vestium genere non prohibebatur.

Docent Rabbini, in feminalibus illis Sacerdotalibus nihil sive ante, sive retro apertum animadverti, sed continuo formæ ambitu circum adstringi vittâ consuevisse, quemadmodum solent apud nos crumenæ. Josephus tamen (*m*) aperta ad latus ita describit, ut scissura ad medium usque altitudinis suæ pertingeret, necteretur autem pariter ex eodem latere.

℣. 43. UTENTUR EIS . . . . . . QUANDO INGREDIENTUR TABERNACULUM TESTIMONII, VEL QUANDO APPROPINQUANT AD ALTARE, UT MINISTRANT IN SANCTUARIO. Hoc textu innui videtur, feminalium, vel zonarum ejusmodi usum aliò planè spectasse, quàm ad cavendum, ne Sacerdotum nuda, cùm ascenderent ad Altare, fortè revelarentur; indui enim illis tantùm mandat Deus, cùm Sacerdotes Tabernaculum, & Sanctuarium ingrediuntur, ad offerendum thus in Altari, quod erat in Sancto, nihilque imperatur, cùm sese ad offerenda Sacrificia in Altari Holocaustorum, posito in atrio, conferebant. Nobis tamen ea sedet persuasio, duo hæc simul mandari, ut scilicet feminalibus vestiantur, & cum ad Sanctum ob thus adolendum se conferunt & cùm ad Altare, holocaustorum gratiâ, accedunt.

CAPUT XXIX.

Sanctiones pro initiandis Sacerdotibus, debitâque illis victimarum portione: tum de jugi, ac quotidiano Sacrificio geminorum agnorum.

℣. 1. SEd & hoc facies, ut mihi in Sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HOC FACIES, UT MIHI IN SACERDOTIO CONSECRENTUR. Hujus consecrationis executio usque post erectum Tabernaculum dilata est. Vide Leviticum VIII, IX, X.

(h) *Gabriel Sionita, de morib. Orient. c.* 11. (i) *Aug. l.* 14. *de Civit. Dei, c.* 17: *Campestria, idest succinctoria genitalium ..... Porrò campestria, latinum quidem verbum est, sed ex eo dictum, quòd juvenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant.* (k) *In Levit. homil.* 6.
(l) *Exod.* XX. 26. (m) *L.* 3 *Antiq. c.* 8. Διάζωμα περὶ τὰ αἰδοῖα ῥαπτὸν ἐκ βύσσου κλωστῆς εἰργασμένον, ἐμβαινόντων εἰς αὐτὸ τῶν ποδῶν ὥσπερεὶ ἀναξυρίδας. Ἀποτέμνεται δὲ ὑπὲρ ἥμισυ, καὶ τελευτῆσαν ἄχρι τῆς λαγόνος, περὶ αὐτὴν ἀποσφίγγεται.

℣. 2. Panesque azymos, & crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de similâ triticeâ cuncta facies.

℣. 3. Et posita in canistro offeres: vitulum autem, & duos arietes,

℣. 4. Et Aaron, ac filios ejus applicabis ad ostium tabernaculi testimonii. Cùmque laveris patrem cum filiis suis aquâ,

℣. 5. Indues Aaron vestimentis suis, idest, lineâ & tunicâ, & superhumerali, & rationali, quod constringes balteo.

℣. 6. Et pones tiaram in capite ejus, & laminam sanctam super tiaram.

℣. 7. Et oleum unctionis fundes super caput ejus: atque hoc ritu consecrabitur.

COMMENTARIUS.

℣. 2. Panesque azymos et crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma, oleo lita. Primam hanc vocem חלת מצת, quam Vulgata reddidit *crustulam*, & recentiores plerique Interpretes *placentam*, omiserunt penitus Septuaginta. Erant autem placentæ, vel crustulæ, panes quidam tenuissimi similacei, subacti interdum oleo, vel melle, liti pariter oleo sive ante, sive postquam e clibano educerentur.

Lagana, quam vocem Vulgata expressit e Septuaginta, respondet satis Hebræo רקיקים, *rrkikim*, exprimente aliquid tenuissimum. Notat equidem Acron (*a*), *lagana* formam habuisse minutorum veluti foliorum e farinâ, & aquâ confectorum; cujusmodi hodie pariter norunt Itali. Redigitur in massam farina, tenuaturque in formam folii papyracei, tum mergitur in ebullientem adipem, quo decoquitur; ita verò decocta lagana disponuntur in lance, irriganturque recenti butyro, insperso etiam pipere. Juxta Hesychium, *laganum* erat placenta quædam e similâ, atque oleo. Elixari illa priùs ex aquâ, tum frigi ex oleo, notat S. Isidorus; & Athenæus libro 1. 15, id generis cibos parari dicit oleo, butyro, pipere, & vini modico. Placentas ita oleo condiri, docet Cato [*b*]: *Ubi depsueris, panno oleo uncto tangito, & circumtergeto, unguitoque ubi tracta erunt*. Ex his lucis aliquid affunditur, ut intelligamus quid rei essent lagana, de quibus Moyses.

℣. 4. Cumque laveris patrem cum filiis suis aqua. Totum eorum corpus lavandum erat in labro, posito ad ingressum Tabernaculi. Lotos illos in 2. satis aquæ vivæ, tradit Jonathan (*c*); nec sanè minùs, quàm sata aquæ XL. ablutiones illæ omnes exigebant, si Rabbinos audias (*d*), ut aqua saltem tribus cubitis esset alta, & uno in quadrum extenderetur. Nihil autem in Lege familiarius, quàm lotiones istæ corporum, ac vestium. Exterior corporis nitor signum erat interioris in corde, quò maximè Dei consilia spectabant. Solemne erat profanis, ut antequam exordirentur mysteria sua, compararent sese, vel lotionibus, vel expiationibus [*e*].

℣. 5. Tunica et superhumerali. Hebræus: Indues *tunicâ, & pallio Ephod*, idest, interiori tunicâ lineâ, & tunicâ, seu veste hyacinthinâ, inter ephod, & priorem illam tunicam mediâ.

Et rationali, quod constringes baltro. Septuaginta legerunt in Textu חשב Choschea, pro *Chascheb*, חשב, verteruntque: *Et adnectes ei rationale ad superhumerale*; quod aptissimum sensum reddit. Quæ sentitur inter duas hasce voces, in hoc versu repetitas, affinitas, errandi facilè causam præbuit Amanuensi. Jam verò alibi intelleximus, Ephod, & Rationale sibi invicem conjuncta fuisse catenulis, & vittis.

℣. 7. Oleum unctionis fundes super caput ejus. Ut oleum affunderetur capiti, seu imposita jam tiara subtrahenda erat, seu antea caput inunctum est quàm redimiretur. Rabbinorum nonnulli (*f*) docent, unctione illâ Summi Sacerdotis expressam fuisse in ejus fronte oleo literam כ *Caph*. Malunt alii [*g*], inscriptam potiùs literam X, vel Crucem S. Andreæ; alii tandem K, vel Tau T. Hujus unctionis ritus erat pro Summo Sacerdote peculiaris; reliquorum enim Sacerdotum manus tantùm (*h*), & vestes, ac nonnisi tunc semel, inunctæ sunt; deinceps enim nullus initiandis illis olei usus mansit. Levitas unctione aliquâ initiatos fuisse, nullibi ne in Scripturâ quidem legimus, ne in Scripturâ, inquam, sive hìc, sive in Levitico VIII, ubi præscriptarum hìc sanctionum executionem narrat Moyses. Id tantùm servatum est, ut ex oleo & sanguine victimarum simul mixto eorum vestes aspergerentur. Verùm Summi Sacerdotes primùm dignitatem illam adeuntes nunquam non chrismate illo delibuti sunt. Vide Seldenum (*i*), qui

(a) *Vide Martinii Lexicon, in hac voce*. (b) *Cato de re rusticâ, c. 76, apud Cleric.* (c) Satum vel *Seah* capiebat rx pintas & semis, tum & medium sextarium, ac pintæ quartam partem, cum pollicibus quatuor, & aliquantò amplius. (d) *Vide Selden. de Syned. l. 1, c. 3.* (e) *Clem. Alex. l. 5. Stromat.* Τῶν μυστηρίων τῶν παρ' Ἕλλησιν, ἄρχει τὰ καθάρσια, καθάπερ τοῖς βαρβάροις λουτρόν. *Vide & Apul. l. 11 Metam.* (f) *Ita antiqui Rabb. apud Abarbanel. in piruscb thora.* (g) *Gemar. Babyl. Mikotzi, Maimonid. Obadias, Bartenor. &c. Vide Outram. de sacrific. l. 1, c. 5.* (h) *Tostat. Jansen. Menoch.* [i] *De success. in Pontific. l. 2, c. 9.*

℣. 8. Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque balteo;

℣. 9. Aaron scilicet, & liberos ejus, & impones eis mitras: eruntque Sacerdotes mihi religione perpetuâ. Postquam initiaveris manus eorum,

℣. 10. Applicabis & vitulum coram Tabernaculo testimonii. Imponentque Aaron, & filii ejus manus super caput illius;

℣. 11. Et mactabis eum in conspectu Domini, juxta ostium Tabernaculi testimonii.

℣. 12. Sumptumque de sanguine vituli, pones super cornua Altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes juxta basim ejus.

℣. 13. Sumes & adipem totum, qui operit intestina, & reticulum jecoris, ac duos renes, & adipem, qui super eos est, & offeres incensum super Altare.

COMMENTARIUS.

qui sententiam hanc firmat aothoritate Rabbinorum. Tamdiù ita perseveratum est, quamdiù dilata Templi per Chaldæos eversio. Quod autem oleum a Moyse inaugurationi illi Sacerdotum destinatum est, idem mansisse pro cæteris deinde omnibus fertur, nullius alterius olei admixtione reparatum. Cùm tandem cessavit oleum, tunc Summus Sacerdos consecrabatur vestibus dignitatis suæ, quas septem succedentibus diebus ferebat; quemadmodum & antea eodem dierum numero quotidianâ unctione liniebatur.

Horum tamen omnium fides uoicè petitur e testimonio Judæorum, quod in re historicâ minus est otique, quàm ut cogat ad assensum. Veteres Ecclesiæ Patres (k) parem, ut minimùm, sibi vindicant authoritatem, cùm asserunt, unctionem Sacerdotum ac Regum apud Judæos non prius cessasse, quàm post adventum veri Regis, ac Sacerdotis, Messiæ scilicet, & Uncti Domini. Huc autem referuot oraculum Danielis, IX, 24: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum . . . . . ut deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.* Animadversione etiam dignum aliquid in hanc rem notat S. Augustinus (*l*), nimirum Jesum Christum nasci voluisse apud Judæos, apud quos solos inter cæteras omnes per orbem gentes mos obtinebat ungendi summa sacræ, ac civilis potestatis Capita; Deo ita volente, ut singulari eo more distinguerentur Hebræi, quo velut Oraculo portenderetur unctio Christi, & κατ' ἐξοχὴν Uncti.

℣. 8. INDUES TUNICIS LINEIS. Illud *lineis* deest quidem in Hebræo, Septuaginta, cæterisque Versionibus; constat tamen, Vulgares Sacerdotes lineis vestitos fuisse.

℣. 10. IMPONENTQUE MANUS SUPER CAPUT ILLIUS. Additur hìc aliquid a Septuaginta: *Et superimponent Aaron & filii ejus manus suas super caput vituli in conspectu Domini apud portas Tabernaculi Testimonii.* Porrò mos imponendi manus super victimam, qui mos in Sacrificiis expiatoriis erat solemnis (*m*), indicabat, offerri Deo vitam hostiæ loco propriæ, quâ quis carere dignum se esse merito criminum suorum fatebatur (*n*): hæc autem crimina cum pœnâ illis debitâ portare jubebatur constituta ad sacrificium Victima. Censet S. Augustinus (*o*), impositione manuum Sacerdotalium peculiarem quamdam Sanctitatem imprimi hostiæ. Lavandæ priùs erant manus, tum supra Victimas constituendæ (*p*); atque huic ritui, quæcumque tandem hostia esset, preces semper addebantur. In holocaustis agnoscebatur summum Dei io res omnes imperium; in victimis eucharisticis laudes, & actiones gratiarum resonabaot; in sacrificiis pro peccato expromebantur crimina, & venia postulabatur pro admissis. In his autem omnibus præstandis, facies semper obversa ad Sanctuarium spectabat, inquiunt Hebræi. Victima, de quâ in præsenti, erat pro peccato; quæ ℣. 15, ad holocaustum; & quæ ℣. 59, io hostiam pacificam destinabatur. Tria hæc habent hìc expressam manuum impositionem, sed non confessionem criminum, quæ solis Sacrificiis pro peccato præscribitur in Scripturâ.

℣. 11. MACTABIS EUM IN CONSPECTU DOMINI. Super Altare holocaustorum, in vestibulo Sancti, coram Sanctuario, quod perinde habebatur ac sedes divinæ Majestatis.

℣. 12. DE SANGUINE VITULI PONES SUPER CORNUA ALTARIS. Servabantur cæremoniæ istæ in omnibus sacrificiis expiatoriis. Ponitur hìc Aaron in censu vulgaris populi, ac sua pro illo expiationis hostia offertur. Cùm verò in Summum Sacerdotem electus fuit, ipse per se iotulit sacrum cruorem in Sanctum, in criminum suorum, & totius populi expiationem.

℣. 13. ADIPEM QUI OPERIT INTESTINA. Quod Latini *omentum*, & Galli *coëffe*, Græci *Epiploon* idcircò

(k) *Vide Euseb. l. 4 demonstr. c. 15; Chrysost. orat. 2 contra Judæos. Cyrill. Jerosol. catechesi Mystag. 3. Athanas. l. de humanit. Verbi, & orat. 2 in Arian. Tertull. contra Jud. &c.* (l) *Aug. in Psal.* XLIV (m) *Levit.* 1, 4; & III, 2, 8, 13; & IV, 4, 15, 24, 29: (n) *Theodoret. qu. 61 in Exod.* [o] *Quæst.* 126. (p) *Philo, l. de Victimis.*

℣. 14. Carnes vero vituli, & corium, & fimum combures foris extra caſtra, eo quòd pro peccatis ſit.

℣. 15. Unum quoque arietem ſumes, ſuper cujus caput ponent Aaron, & filii ejus manus.

℣. 16. Quem cùm mactaveris, tolles de ſanguine ejus, & fundes circa Altare.

℣. 17. Ipſum autem arietem ſecabis in fruſta, lotaque inteſtina ejus, ac pedes pones ſuper conciſas carnes, & ſuper caput illius.

℣. 18. Et offeres totum arietem in incenſum ſuper Altare: oblatio eſt Domino, odor ſuaviſſimus victimæ Domini.

℣. 19. Tolles quoque arietem alterum, ſuper cujus caput Aaron, & filii ejus ponent manus.

COMMENTARIUS.

circò appellant, quia ſuper illa veluti innatans, ea protegit fovetque. Apud Latinos portio erat ſuper Altare in ſacrificium plerumque oblata. Perſius Satyrâ II:

Tot tibi cùm in flammas junicum omenta liquefcant.

Solebant Perſæ Diis ſuis ſolâ omenti hoſtiarum omnium oblatione litare (q): ſolemne erat pariter gentibus illis, nihil reſervare Diis, quòd dicerent, Numina ſolam animalis vitam poſcere. Animadvertere juvat, Deum ſibi ad oblationem reſervaſſe quidquid eſſet optimum, opimum maximè & delicatum in victimâ.

Reticulum jecoris. Septuaginta: Τὸν λοβὸν τοῦ ἥπατος, *lobum hepatis*, jecoris. Putavit Fullerus (r), verbis hiſce deſignari in Septuaginta, ſicut & in Vulgatâ expreſſum eſt, reticulum obvolvens jecur; ſed Bochartus (s) defendit, agi hìc de ampliori lobo jecoris, cui innititur veſſicula fellis. Reddi poſſet Hebræus ad literam (t): *Quod abundat ſuper hepate*. Syriacus, & Arabs interpretantur de diaphragmate; alii deſignatam credunt eam, quæ Latinis eſt *fibra*. Porrò *fibram* Latinè appellari notat S. Iſidorus (u) extrema jecoris, ſicut & extremum pampini fibra eſt. Fibris utebantur Pagani in ſuis Sacrificiis, unde & Aruſpices deducebant omnia futurorum, poſtquam fibras illas cremaſſent in altari. Conſtat apud Athenæum (x), obtinuiſſe apud Veteres, ut jecur deguſtarent omento obvolutum, nec aliter menſæ apponeretur. Vero proximè autumaremus, ita pariter obvolviſſe illos jecur victimæ omento, antequam altaris igni adolendum traderent. Rabbini ita rem explicant (y), ut vix ſapere mihi videantur; pelliculam enim jecoris detractam volunt cum carne illâ rubrâ, quæ jecur illud tegit, ut ambæ offerrentur Deo: id autem arduum erat maximè, & minimè utile. Quis enim unquam pelliculam hanc in cibum adhibuit? Quanti id temporis & ſolertiæ fuiſſet, ut a jecore, quod veſtit, detraheretur?

Et offeres incenſum ſuper altare. Hebræus: הקטרת המזבחה, ſuffire facies in altari. Septuaginta: Ἐπιθήσεις ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, *Impones ſuper altare*. *Incenſum* in Vulgatâ non de thure uſurpatur, ſed de victimâ, quæ adoletur.

℣. 14. Eo quod pro peccato sit. Hebræus ad literam (z): *Peccatum eſt*. *Peccatum* non rarò ponitur pro ſacrificio expiationis; quo pariter ſenſu Apoſtolus (a) de Jeſu Chriſto: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

℣. 16. Sanguinem fundes circa Altare. Hebræus (b), & Septuaginta (c): *Fundes ſuper altare circum, in circuitu*; ideſt, fundes in labio ſuperiori, & inferiùs ad baſim. Cenſet Philo (d) affuſum cruorem illum in gyrum circum Aram. Idem pariter mos obtinebat apud Græcos Romanoſque, dum ſacris operabantur (e).

℣. 17. Pones ſuper conciſas carnes. Septuaginta: *Impones ſuper ſegmenta* (membra enncíſa) *cum capite*. Sed Vulgatæ ſenſus literæ magis atque Hebræo cohæret. Pedes & exta victimæ imponebantur ſuper membra, & caput ejuſdem victimæ. Apud Homerum adeps imponebatur ſuper diviſas hoſtiæ carnes, vel ſuper hoſtiarum femora in Altari.

℣. 18. Offeres totum arietem in incenſum. Hebræus: *Et ſuffire facies totum arietem in altari. Holocauſtum hoc Domino.*

Oblatio est Domino, odor suaviſſimus victimæ Domini. Hebræum אשה, *Iſcha*, quod hìc redditur victima, & apud Septuaginta θυσίασμα, *Thyſiaſma*, exprimit ad literam holocauſtum, nempe victimam igni totam penitus traditam, diſtinctam ab hoſtiis pacificis, aliiſque pro peccato oblatis, quarum portio tantùm Altaris igne abſumebatur.

℣. 20.

(q) *Strab. l.* 15. (r) *Fuller. Miſcellan. l.* 5, *c.* 14. (s) *Boch. de animal. ſacr. t.* 1, *l.* 2, *c.* 45. (t) יתרת על הכבד (u) *Iſidor. Origin. l.* 11, *c.* 1. (x) *Athen. Deipnoſoph. l.* 3. *c.* 24: Τηγανιστὰ ἥπατα περιειλημμένα τῷ καλουμένῳ ἐπίπλῳ. *Ita & poëta Alexis, & Hegeſander Delphic. apud eundem.* (y) *Apud Fag. Vatab.* (z) חטאת הוא *Aq. Th.* Περὶ ἁμαρτίας. *Septuag.* Ἁμαρτίας γάρ ἐστι. *Alius:* Ἁμαρτία γάρ ἐστι. (a) 2 *Cor.* v, 21. (b) על המזבח סביב (c) Ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον κύκλῳ. (d) *Philo, l. de Victimis.* (e) *Vide Porph. apud Euſeb. Præp. l.* 4, *c.* 9; *& Lucian. de ſacrific.*

℣. 20. Quem cùm immolaveris, sumes de sanguine ejus, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaron, & filiorum ejus, & super pollices manûs eorum, ac pedis dextri, fundesque sanguinem super altare per circuitum.

℣. 21. Cùmque tuleris de sanguine, qui est super altare, & de oleo unctionis, asperges Aaron & vestes ejus, filios & vestimenta eorum. Consecratisque ipsis, & vestibus,

℣. 22. Tolles adipem de ariete, & caudam, & arvinam, quæ operit vitalia, ac reticulum jecoris, & duos renes, atque adipem, qui super eos est, armumque dextrum, eò quòd sit aries consecrationis:

℣. 23. Tortamque panis unius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini:

COMMENTARIUS.

℣. 20. SUMES DE SANGUINE EJUS, ET PONES SUPER EXTREMUM AURICULÆ DEXTRÆ AARON. Nempe linies vel superiora, uti exponunt quidam, vel inferiora aurium, ut aliis placet, [f]. Inferiora aurium præferunt Septuaginta [g]; & Vatablus: *Teneriorem auris partem*. Sed Chaldæus [h] maluit superiora. Hebræum *tenuc* exprimere potiùs creditur inferiorem aurem, quàm superiorem. Porrò ritus hi omnes, liniendi dextram aurem cum pollicibus manuum ac pedum Aaronis & filiorum ipsius, indicant, dedicatos illos esse omnes in Servos Domini peculiares; quod illis munus impositum totam operis, mentis, & curæ sedulitatem exigit [i].

FUNDESQUE SANGUINEM SUPER ALTARE. Septuaginta hoc versiculi membrum postponunt, & initio ℣. 21 collocant. Hìc tamen ab Hebræo & Vulgatâ ponitur.

℣. 21. CUMQUE TULERIS DE SANGUINE, QUI EST SUPER ALTARE. Reddi posset אשר על המזבח, *Qui est juxta Altare*; re ipsâ enim sanguis Altari in Vase positus adjacebat. Septuaginta: Ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ θυσιαστηρίου (vel ex aliis Exemplaribus) τοῦ ἀπὸ τοῦ θυσιαστηρίου, *De sanguine altaris*, vel *ab altari*, vel *prope altare*.

ASPERGES AARON ET VESTES EJUS. Liquore e sanguine & oleo admixto inspergebantur Aaron ejusque filii sacris induti vestibus, non seorsum illi, & seorsum vestes; e superioribus enim intelligimus, ante hanc cæremoniam illos suis vestibus indutos fuisse. Versiculus 21 deest hìc in Samaritano, at suppletur ad calcem ℣. 28.

℣. 22. TOLLES ADIPEM DE ARIETE ET CAUDAM. In exemplaribus nonnullis Septuaginta deest illud *caudam*, leguntque tantùm: *Tolles adipem agni, & arvinam, quæ operit ventriculum*. At Vulgata cohæret Hebræo: *Tolles ab ariete adipem & caudam, & adipem operientem intestinum . . . quia aries impletionum* [gratiarum actionis] *est*. Adeps, qui accedit caudæ, ille est, qui ad radices ejusdem caudæ sese offert, inter femora arietis. Cauda illa, quam Deo offerri jubet Lex, non alia facilè credenda est, quàm arietum Asiaticorum, de quibus sermo est apud veteres, recentioresque Scriptores, affirmantes, ex adipe mero concrescere, immanemque esse adeò, ut æquet interdum duodecim, quindecim, viginti ac triginta libras. Ita de illis Herodotus [k]: *Sunt in Arabiâ duo ovium genera admiratione digna, quæ unsquam alibi visuntur. Quorum unum caudas habet tam longas, ut non sint tribus breviores cubitis: quas si permittantur trahere, ulcera contractura sint, dum illa ad terram atteruntur: verùm unusquisque pastorum hactenus est doctus arte fabrili, ut plostella faciant, quæ singularum ovium caudis subligent, superque plostella caudas ipsas alligent*. Nefas erat apud Veteres carentes caudâ victimas offerre; ipsamque caudam igni Altaris imponebant, ut deducto indè augurio intelligerent, num gratum accidisset Diis sacrificium [l].

ARMUMQUE DEXTRUM. Illud unicè distinguebat sacrificium pacificum, ex agno paratum, ab aliis ex alterius generis hostiis, quòd ex ariete cederet Deo armus, & cauda; cùm aliorum sacrificiorum pacificorum alius esset ritus; e. g. bovis, hirci, capellæ. Septuaginta legunt hìc cum Vulgatâ [m]: *Armum dexterum*, vel *brachium dexterum*; sed interpretes alii ferunt: *Femur dexterum*, vel *crus*.

ARIES CONSECRATIONIS. Hebræus [n]: *Aries impletionum*; idest, victima, quâ manus Aaronis implerentur ad exercitium muneris sui.

℣. 23. TORTAMQUE PANIS UNIUS. Hebræum ככר *Ciccar* exprimit ad literam frustulum aliquod crassum compactumque; usurpaturque pro talento, quod moneta erat aurea, vel argentea, omnium quotquot in commercio erant, maxima. *Ciccar* exprimit, juxta Grammaticos, interdum frustum panis, interdum panem integrum. Sed nusquam occurrit mihi Textus, exigens hanc de frustro panis significationem, ubique enim commodè admittere arbitror panem integrum. Quod ipsi per se Viri studiosi facilè intelligent, revocatis in examen locis omnibus, in quibus ea vox ad

(f) על תנוך אזן (g) Ἐπὶ τὸν λοβὸν τοῦ ὠτός. (h) על רום אודנא (i) *Philo, l. 3 de vitâ Mos.* Ἀινιττόμενος ὅτι δεῖ τὸν τέλειον, καὶ λόγῳ, καὶ ἔργῳ, καὶ βίῳ πάντι καθαρεύειν. (k) *Herodot. l. 3, c. 113.* [l] *Aristoph. in pace, & Acharnens. act. 3, scen. 3.* (m) *Hebr.* שוק *Septuag.* Βραχίονα. *Alii*: Τὴν κνήμην. (n) איל מלאים הוא

℣. 24. Ponesque omnia super manus Aaron, & filiorum ejus, & sanctificabis eos elevans coram Domino.

℣. 25. Suscipiesque universa de manibus eorum: & incendes super altare in holocaustum, odorem suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio ejus est.

℣. 26. Sumes quoque pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud elevatum coram Domino, & cedet in partem tuam.

℣. 27. Sanctificabisque & pectusculum consecratum, & armum, quem de ariete separasti,

℣. 28. Quo initiatus est Aaron, & filii ejus, cedentque in partem Aaron, & filiorum ejus jure perpetuo a filiis Israël: quia primitiva sunt, & initia de victimis eorum pacificis, quæ offerunt Domino.

COMMENTARIUS.

ad panem exprimendum posita occurrit (o). Septuaginta de pane integro exponunt. Latinum *torta* derivatur e *torqueo*, quòd rotundæ sit figuræ. Gallica *tourteaux*, & *tarte* ex eàdem radice petuntur. Confunduntur a nonnullis *torta* & *tracta*; at postremum hoc aliquid diversum exprimit, sunt enim *tracta*, *pastilli in longum producti*. Has voces hìc semel explicavimus, ut molestas repetitiones evitemus. Eas voces *tortam panis* omiserunt Septuaginta.

Crustulam, laganum de canistro. Quid sint rei duo hæc, exposuimus supra, ℣. 2. Erant in canistro juxta Altare holocaustorum crustulæ, & panes, quas Moyses imposuit manibus Sacerdotum, cùm consecrarentur; semel autem hæc illis tradita iterum ab ipsis recepit, imposuitque super Altare, adolenda cum portione victimarum.

℣. 24. Ponesque omnia super manus Aaron, et filiorum ejus. Hebræus ad literam (p): *Pones omnia super volas Aaron, & super volas filiorum ejus, & agitabis ea agitatione coram Domino.* Ritus erat quidam peculiaris, quo res interdum Domino offerebantur motu quodam elevationis; hoc autem elevationis nomen usurpat interdum Scriptura, ut exprimat actionem ejus, qui offert seu panem, seu simile aliud munus, illud quodcumque esset, tollens in altum coram Altare. Sed oblatio agitationis ea erat, nimirùm, cùm Moyses supponebat manus suas manibus Aaronis, & filiorum ipsius sustinentibus munera oblata; eas verò manus extollebat in altum, & demittebat; promovebat Orientem versùs, tum retorquebat ad Occidentem; ac tandem agebat ad Septemtrionem, & Meridiem (q). Quo ritu indicabatur, munera illa offerri Deo, omnibus Mundi partibus imperanti. Motus isti agitationis, & elevationis sæpe indiscriminatim alter pro altero usurpantur in Scripturâ. In his autem omnibus Moyses tanquam Sacerdos sacro munere fungens agit; in initiandis Aarone, ejusque filiis, sibi vindicat portiones victimæ a Lege Sacerdotibus destinatæ; sunt autem illæ armus, & pectusculum (r): jure igitur David (s) inter Sacerdotes Moysem recenset: *Moyses, & Aaron in Sacerdotibus ejus.*

Mosaicis hisce cæremoniis simillimas servabant Pagani. Offerebant enim illi Numinibus suis tortam panis cum motu agitationis. Quæ preces tunc haberentur, docet Cato (t).

℣. 25. Et incendes super altare in holocaustum. Septuaginta (u): *Offeres ea super altare Holocaustorum.* Reddi potest Hebræus (x): *Et suffire facies* [ea omnia] *super Altare cum* (reliquo) *holocausto.* Incendit armum dextrum cum reliquis, quanquam ille Sacerdotibus consueto more cedere debuit.

℣. 27. Et armum, quem de ariete separasti. Datâ occasione agit hìc Moyses de jure Sacerdotum in singulas victimas; illis autem assignat pectusculum cum armo dextro; quæ tamen omnia in hac initiandorum Sacerdotum cæremoniâ Moyses, tanquam initians Sacerdos, sibi vindicat. Hebræus commodè hunc sensum admitteret: Aaron ejusque filii, devoventes se Domino, offerentesque illi pectus & armum dexterum hostiæ suæ pacificæ, jus quoddam adepti sunt, largiente Deo, vindicandi sibi easdem victimarum partes ex hostiis, quas filii Israëlis ipsorum ministerio immolandas Domino deinceps offerrent.

℣. 28. Quia primitiva sunt et initia. Hebræus fert tantùm (y) *Quia exaltatio* (oblatio elevationis) *est, & exaltatio erit* (Aaroni & filiis

(o) *Judic.* VIII, 5; 1 *Reg.* II, 36; 1 *Paral.* XVI. *collatum cum* 2 *Reg.* VI, 19; *Prov.* VI, 26; *Jerem.* XXXVIII, 20. (p) וה פת אתם תנופה לפני יהוה (q) *Rab. Salom. apud Lyr.* (r) ℣. 26, & 27. (s) *Psalm.* XCVIII, 6. (t) *Cato de re Rusticâ, c.* 134: *Jano struem commoveto sic: Jane Pater, te hac strue commovendâ bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo, familiæque meæ. Fertum mactato, & Jovi moveto sic: Jupiter, te hoc ferto obmovendo bonas preces precor.* Hìc strues tortæ genus quoddam est, uti & *fertum*. Hoc Jovi illud Jano offerebatur, motu aliquo, & munerum agitatione. Festus: *Fertum, genus libi, dictum quòd crebriùs ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi.* (u) Καὶ ἀνοίσεις ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον τῆς ὁλοκαυτώσεως.
(x) הקטרת המזבחה על העלה (y) כי תרומה הוא ותרומה יהיה מאת בני ישראל

℣. 29. Veſtem autem ſanctam, quâ utetur Aaron, habebunt filii ejus poſt eum, ut ungantur in eâ, & conſecrentur manus eorum.

℣. 30. Septem diebus utetur illâ, qui pontifex pro eo fuerit conſtitutus de filiis ejus, & qui ingredietur Tabernaculum teſtimonii, ut miniſtret in Sanctuario.

℣. 31. Arietem autem conſecrationis tolles, & coques carnes ejus in loco ſancto:

℣. 32. Quibus veſcetur Aaron, & filii ejus. Panes quoque, qui ſunt in caniſtro, in veſtibulo Tabernaculi teſtimonii comedent,

℣. 33. Ut ſit placabile ſacrificium, & ſanctificentur offerentium manus. Alienigena non veſcetur ex eis, quia ſancti ſunt.

℣. 34. Quòd ſi remanſerit de carnibus conſecratis, ſive de panibus uſque manè, combures reliquias igni: non comedentur, quia ſanctificata ſunt.

℣. 35. Omnia, quæ præcepi tibi, facies ſuper Aaron, & filiis ejus. Septem diebus conſecrabis manus eorum:

℣. 36. Et vitulum pro peccato offeres per ſingulos dies ad expiandum. Mundabiſque Altare, cùm immolaveris expiationis hoſtiam, & unges illud in ſanctificationem.

COMMENTARIUS.

liis) *a filiis Iſraël*. Septuaginta (z): *Eſt enim ſeparatio hoc; & demptio erit a filiis Iſraël*: id eſt portio eſt ſegregata ex hoſtiis oblatis ab Iſraëlitis, cedens Aaroni ejusque ſucceſſoribus.

℣. 29. VESTEM SANCTAM. In obitu ſingulorum ſummorum Sacerdotum veſtes ſacræ nullæ innovabuntur.

℣. 31. COQUES CARNES EJUS IN LOCO SANCTO; in atrio tabernaculi. Detinebatur ibi ignis ad coquendas dapes in uſum Sacerdotum, quin & privatorum etiam interdum, religione quadam comedentium portiones ſuarum victimarum, quæ joris erant ſui, coram Domino. Manebat Sacerdos in Tabernaculo, prohibitus ne pedem efferret, ſeptem a conſecratione ſuâ diebus ℣. 35: *Septem diebus conſecrabis manus eorum*. Porrò ſingulæ illæ cæremoniæ ſuperiùs deſcriptæ ſingulis iis diebus repetebantur.

℣. 33. COMEDENT, UT SIT PLACABILE SACRIFICIUM. Hebræus (a): *Comedent ea, in quibus expiatum eſt in eis, ad implendum manum eorum, & ſanctificandum eos*, quibus impletæ ſunt manus eorum, ipſique conſecrati. Nihil comedent de carnibus vituli pro peccato, ℣. 10, &c. ſed tantùm de ariete, ℣. 15, 31.

ALIENIGENA NON VESCETUR EX EIS; ne Levita quidem ex genere non Aaronico; multò igitur minùs vulgaris alius Iſraëlita.

℣. 34. QUOD SI REMANSERIT DE CARNIBUS. Si quid manè alterius diei reliquiarum ſuperfuerit, ſeù carnis victimarum, ſeù panis quo recèns initiatus Sacerdos veſcebatur in Tabernaculo, igne abſumendum erat: qua in re diſtinguebantur ab Iſraëlitis reliquis Sacerdotes; Iſraëlitis enim carnem victimarum ſuarum pacificarum uſque ad alteram diem reſervare licebat (b).

℣. 36. VITULUM PRO PECCATO OFFERES PER SINGULOS DIES AD EXPIANDUM. Commodè hic ſenſus textui tribuitur: Totâ conſecrationis Sacerdotum hebdomadâ offeres quotidie vitulum pro expiatione Altaris holocauſtorum; vel offeres pro expiatione criminum Sacerdotum. Numerus hic ſeptem dierum pro expiatione Altaris, & pro initiatione Sacerdotum non levis res habendus eſt. Solemne enim eſt Scripturæ numerum hunc ſeptem dierum decernere. Hæc dierum periodus conſecrabatur Feſtis Paſchatis, Pentecoſtes, Tabernaculorum. Septem lampades ſeptiformi candelabro imponendas præſcribit Moyſes. Aſperſurus Sacerdos ritè die Expiationis ſolemnis, ſanguinem contra aditum Tabernaculi ſepties ſpargebat. Non ſemel injunctum eſt ſeptem victimarum holocauſtum. In honore erat etiam hic numerus apud Paganos. Erigi ſibi Aras ſeptem, totidemque immolari vitulos, parique numero arietes, juſſit Balaam. Solemnes Ægyptiorum expiationes nullâ breviori, quàm ſeptem dierum, periodo terminabantur (c).

MUNDABISQUE ALTARE, CUM IMMOLAVERIS. Affirmat Toſtatus, nullâ non die repurgatum fuiſſe Altare, tum à cineribus carbonibusque, tum ſolerter verrendo interiores exterioreſque parietes, ne quid ſordis rem ſanctam fœdaret. Septuaginta: *Purificabis Altare, ſanctificando te in eo* (obla-

(z) Ἔςι γὰρ ἀφόριςμα τῦτο, &c. (a) אכלו אתם אשר כפר בהם למלא את ידם
(b) *Levit.* VII, 16, 17; & XIX, 6: *Eo die, quo fuerit immolata, comedetis eam, & die altero. Quidquid autem reſiduum fuerit in diem tertium, igne comburetis. Toſtat.* (c) *Porphyr. de abſtin. l.* 4, *pag.* 367, *edit. an.* 1620, *Lugd.*

ỳ. 37. Septem diebus expiabis Altare, & sanctificabis, & erit sanctum sanctorum: omnis, qui tetigerit illud, sanctificabitur.

ỳ. 38. Hoc est, quod facies in altari: Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter,

ỳ. 39. Unum agnum manè, & alterum vesperè,

ỳ. 40. Decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, & vinum ad libandum ejusdem mensuræ in agno uno.

ỳ. 41. Alterum verò Agnum offeres ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis, & juxta ea, quæ diximus, in odorem suavitatis:

ỳ. 42. Sacrificium est Domino, oblatione perpetuâ in generationes vestras, ad ostium Tabernaculi testimonii coram Domino, ubi constituam, ut loquar ad te.

COMMENTARIUS.

(oblatis super illud sacrificiis) *& unges illud ad sanctificandum ipsum*. Victimarum immolatio & unctio peculiarem aliquam sanctitatem conciliabant Altari, ut sanctum esset pariter & inviolabile quidquid illud seu tangeret, seu ad ipsum utcumque pertineret; victimæ in eo oblatæ, Sacerdotes ministrantes &c.

ỳ. 37. OMNIS QUI TETIGERIT ILLUD, SANCTIFICABITUR. Soli accedent Sacerdotes; si quis alius contingere illud audebit, profanus habebitur. *Sanctificare* ponitur interdum pro *polluere* (d). Alio etiam sensu Textus redderetur: Sacerdotes eò accedentes puros esse jubeo. Vel potiùs: Nemo privatus eò fieri propior audeat, quo tempore maculam contraxerit. Res sacræ magis magisque puriores reddunt eos, qui ad se sanctè accedunt; sicut & vicissim vitiant magis magisque eos, qui minùs dignè ad se veniunt. Aliter juxta Hebræum (e): *Omne quod tetigerit Altare, sanctum erit*. Oblationes omnes in eo sistendæ sanctificabuntur: quidquid illum continget, sacrum erit & inviolabile. Hinc tota ratio ac jus asyli petitur.

ỳ. 38. AGNOS ANNICULOS DUOS PER SINGULOS DIES, in sacrificium juge ac quotidianum. Offerebatur sacrificium vespertinum *inter duas vesperas*. Quid sit autem *inter duas vesperas*, diximus superius XII, 6. Matutino sacrificio decreta erat exorientis solis hora, post oblatum incensum in Altari aureo, & ante cætera omnia sacrificia. Immolabatur autem singulis vicibus aries, addito similæ dimidio decimæ partis *Epha* (f). Publico ære sufficiebantur arietes illi, teste Josepho (g); similam verò de suo impendebant Sacerdotes, authore Philone (h). Admixtum ferebat simila eximii olei, tantum, quantum capit quarta pars hin (i), ac vini tantundem: ex his omnibus degustare vetitum cuique, penitus enim igne Altaris absumebantur. Interpretum nonnulli autumarunt, hæc tantùm mandata spectare tempus quietæ possessionis terræ promissæ.

Quotidiana hæc Hebræorum sacrificia Paganos non latuerunt. Narrat enim Theophrastus (k), Judæos, qui suâ ætate in Syriâ erant, hoc uti ritu Sacrificiorum. Immolatæ victimæ carnes non comedunt, totam enim igne absumunt per nocturnum tempus, conspersam melle & vino. Quàm citissimè igne absumunt, perinde quasi vererentur, ne, qui omnia videt Deus, suum ipsorum crimen videat, mactato animali patratum. Solemnes Sacrificiis dies esuriales habent, mutuoque de Divinis colloquio id temporis occupant; suis etiam curis Philosophiæ, cui maximè student, impensis. Noctem astrorum contemplatione transigunt; hærentibusque in Cœlum oculis, Deum precibus invocant. Primi mortalium sunt, qui animalium, suique ipsorum primitias dedicaverint; neque verò id spontè, vel ex propriâ electione, sed coacti faciunt.

ỳ. 40. VINUM AD LIBANDUM. Quod vini genus seligerent Pagani pro libationibus, describit Plinius (l). *Prolibare Diis nefastum habetur vina, præter imputatæ vitis fulmine tacta, quamque juxta hominis mors laqueo pependerit, aut vulneratis pedibus calcata, & quod circumcisis vinaceis profluxerit, ne supernè deciduo immundiore lapsu aliquo polluta. Item Græca, quoniam aquam habeant*. Quidquid erat in rebus exquisitissimum, offerendum Domino seligebant Hebræi. Libationes suas affundebant Pagani super caput & inter cornua victimæ (m), cumulato ibi priùs hordeo atque molâ salsâ: sed apud Hebræos panis vel simila non super victimam coacervabatur, sed projiciebatur in ignem Altaris, ad cujus basim affundebatur vinum (n).

ỳ. 42. UBI CONSTITUAM, UT LOQUAR AD TE.

Com-

(d) *Ita Chald. Rabb. Sal. & Kimchi, &c.* (e) כל הנגע במזבח יקדש (f) Capiebat Assaron tres pintas circiter. (g) *Joseph. Antiq. l. 3, c. 11.* (h) *Philo, de victim. ad finem.* (i) Hin æquat pintam Parisiensem, quartam pintæ partem, & quinque pollices cubicos. (k) *Theophrast. apud Porphyr. de abstin. lib. 2.* Κατάρξαντο γὰρ ἔτοι πρῶτοι τῶντε λοιπῶν ζώων, ᾗ ἑαυτῶν, ἀνάγκῃ, καὶ οὐκ ἐπιθυμίᾳ, τῦτο πράξαντες. (l) *Plin. lib. 14, c. 19.* (m) *Virgil. Æneid. 6.* *Quatuor hic primùm nigrantes terga juvencos*
Constituit, frontique invergit vina sacerdos. (n) *Maimon. in Maasc. Corban, c. 5.*

℣. 43. Ibique præcipiam filiis Israël, & sanctificabitur altare in gloriâ meâ.

℣. 44. Sanctificabo & Tabernaculum testimonii cum Altari, Aaron cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi.

℣. 45. Et habitabo in medio filiorum Israël, eroque eis Deus:

℣. 46. Et scient, quia ego Dominus Deus eorum, qui eduxi eos de terrâ Ægypti, ut manerem inter illos, ego Dominus Deus ipsorum.

COMMENTARIUS.

Commodè etiam Hebræus (o): *Quo conveniam vobis illic, ad loquendum ad te ibi*. Septuaginta: *Ad portas Tabernaculi, in quibus innotescam tibi inde, & loquar tibi*.

℣. 43. SANCTIFICABITUR ALTARE IN GLORIA MEA; idest, præsentiâ meâ; seu potiùs igne e Cœlo demittendo ad victimam absumendam, quod reipsâ factum est [p].

CAPUT XXX.

Descriptio Altaris incensi. Medii sicli capitatio in censu populi. Labium pro lotione pedum & manuum Sacerdotis. Ars parandi oleum unctionis, & thymiamatis adolendi coram Domino.

℣. 1. FAcies quoque Altare ad adolendum thymiama de lignis Setim.

℣. 2. Habens cubitum longitudinis, alterum latitudinis, idest, quadrangulum, & duos cubitos in altitudine. Cornua ex ipso procedent.

℣. 3. Vestiesque illud auro purissimo, tam craticulam ejus, quàm parietes per circuitum, & cornua. Faciesque ei coronam aureolam per gyrum;

COMMENTARIUS.

UNdecim priores versus hujus Capitis, qui desunt hìc in Samaritano, supplentur in capite xxvii hujus Libri, ut ibi animadversum est.

℣. 1. FACIES QUOQUE ALTARE AD ADOLENDUM THYMIAMA. Erat Altare illud e lignis Setim, protegebaturque aureis laminis; porrigebatur in altum duobus cubitis, & in latum cubito in quadrum. Surgebant ad quatuor angulos sphærulæ quædam vel parvæ pyramides, vel cornua, totumque cingebat in superiori facie labium quoddam, vel corona, quæ sursum vergebat. Sub labio ad quatuor angulos cernere erat anoulos, quibus vectes e setim auro obducti inferebantur, ut in itineribus deferendo Altari fervirent. Mensæ hujus locus erat in Sancto, e regione mensæ panum propositionis. Manè ac vesperè singulorum dierum Sacerdos hebdomadario munere fungens, offerebat in eo Altari thymiama, cujus mixturam habemus ℣. 34. Præter thymiama illud, quippiam in eo offerre nefas erat, non panem, non vinum, non sanguinem. Id tantùm imperabatur, ut semel quotannis summus Sacerdos imponeret super quatuor angulos hujus Altaris aliquid e sanguine victimæ, pro peccatis populi die Expiationis solemnis oblatæ.

℣. 3. VESTIESQUE ILLUD AURO PURISSIMO, TAM CRATICULAM, QUAM PARIETES. Cavum erat Altare illud, areæ instar. Reputarunt Septuaginta cum Josepho (a), super hoc Altare positam fuisse inhærentem quamdam arulam, ἐσχάραν, ex auro purissimo, continentem prunas ad thymiama adolendum. Autbor Vulgatæ censuit, Altare illud ornatum fuisse craticulâ quadam ad sustinendas prunas atque thymiama, cujus per cancellos deciderent cineres in cavum mensæ rece-

 ptaculum

(o) אשר אועד לכם שמה לדבר אליך שם (p) *Levit. ix, 24: Apparuit gloria Domini omni multitudini; & ecce egressus ignis a Domino devoravit holocaustum.* (a) *Joseph. Antiq. l. 3, c. 7.*

℣. 4. Et duos annulos aureos sub coronâ per singula latera, ut mittantur in eos vectes, & altare portetur.

℣. 5. Ipsos quoque vectes facies de lignis Setim, & inaurabis.

℣. 6. Ponesque Altare contra velum, quod ante arcam pendet testimonii coram propitiatorio, quo tegitur testimonium, ubi loquar tibi.

℣. 7. Et adolebit incensum super eo Aaron, suave fragrans, manè. Quando componet lucernas, incendet illud:

℣. 8. Et quando collocabit eas ad vesperum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras.

COMMENTARIUS.

ptaculum. Sed Hebræum גג *Gag* exprimit tantummodò tectum; satisque ex contextu intelligimus, a Sacerdote desumi consuevisse ignem Altaris in vase quodam pretioso; prunas verò illas cum vase poni super Altare ad incensum adolendum. Cui enim usui alioqui fuissent tot thuris vasa, tot cochlearia ad imponendum igni incensum, quorum est in Scripturâ mentio, si vas illud incensi adhæsisset tanquam ejus pars Altari? Cùm novum vas sufficiebatur, illud, quod antea positum erat, referebatur; vel Sacerdos morabatur ibi tamdiù quamdiù adoleretur incensum, vas deinde reducturus. Quam posteriorem sententiam innuunt historiæ Nadabi & Abiu (*b*), & Core, ac Dathan (*c*). Altari illi altitudinis cubitos duos tribuit Moyses; tribus verò altum Altare Templi describit Ezechiel XLI, 22.

Faciesque ei coronam aureolam per gyrum. Septuaginta: Στρεπτὴν στεφάνην χρυσῆν κύκλῳ; *Tortilem coronam auream in circuitu.* Vide caput XXV, 25.

℣. 6. Ponesque Altare contra velum, &c. inter Sanctum, & Sanctuarium medium. Aliter planè ac Vulgata, Textum hunc reddunt Septuaginta (*d*): *Pones illud contra velum, quod est super Arcam Testimonii.* Cujus versionis occasione Origenes, S. Augustinus, & S. Gregorius Magnus (*e*) reputarunt, Altare Thymiamatis in Sanctuario positum fuisse; quod congruere videtur illis ℣. 10: *Deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum*; tum & testimonio S. Pauli (*f*): *Post velamen autem secundum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum* (idest Altare Thymiamatis) *& Arcam testamenti.*

Sed huic opinioni repugnant Scriptores plerique, exponentes verba illa Moysis: *Pones Altare contra velum, quod ante Arcam pendet*; ut sit sensus, Altare Thymiamatis situm fuisse ante velum oppansum medium inter Sanctum, & Sanctuarium, ut sancto, non sanctuario, responderet. In ℣. 10, quò jubetur Summus Sacerdos semel quot annis expiare Altare Thymiamatis, nihil minùs innuitur, quàm quòd Altare illud in Sanctuario fuerit. Textus tandem Apostoli ita commodè exponeretur, sive scilicet in Sanctuario conditum fuisse thuribulum, quo utebatur Summus Sacerdos die Expiationis; vel fortè illuc delatum ab eo thuribulum, ibi relinqui consuevisse; vel tandem servatum esse ibi thuribulum Aaronis, illatum fortè in locum Sanctum post seditionem Core (*g*); aut saltem Altare Thymiamatis propè adeò accessisse ad Sanctuarium, ut quodammodo intra illud reputaretur; duo enim hæc intermedium tantùm oppansum velum habebant.

℣. 7. Adolebit incensum. Hebrææ vocis *Sammim* קטרת סמים non satis explorata est significatio; vix tamen ambigitur, exprimi illâ gratum quemdam odorem; quò variæ ejus interpretationes omnes fermè collimant. Offerendi incensi munus ita pertinebat ad Summum Sacerdotem, ut aliis etiam permitteretur. Zacharias pater S. Joannis Baptistæ, quamquam merus Sacerdos, adolebat incensum, cùm per visum spectavit Gabrielem (*h*). Negocium olim faciebant S. Augustino (*i*) geminæ illæ Legis sanctiones, quarum nempe priore jubebatur Aaron manè, & vesperè singulorum dierum offerre incensum super Altare; alterâ verò polluti ad vesperum usque decernebantur (*k*), quicumque usi fuissent conjugio. Re ipsâ quidem perpetuâ continentiâ opus fuisset Summo Sacerdoti, ipsique interdictum efferre extra Templum pedem, si nunquam illi fuisset integrum, cùm vitii aliquid contraheret, in locum suum vulgarem alium Sacerdotem substituere. Est igitur cur reputemus, nihil aliud præscribi hìc a Moyse, nisi matutinum, vespertinumque hoc munus præstari oportere sive ab Aarone, sive ab altero illi secundario. Successu temporis levatus est eo onere Summus Sacerdos, inductumque moribus, ut Sacerdos hebdomadario munere fungens id inter cætera obiret, prohibitus toto tempore ministerii sui egredi e Templo; ne quid legalis maculæ contraheret.

Docent Hebræi (*l*), nihil oblatum fuisse in Altari holocaustorum, nisi priùs Altare Thymiamatis imposito thure fumasset. Cùm autem incensum illud adoleretur, precem suam absolvebat Sacerdos; orante que illo, simul eodemque tempore orabat & populus: utriusque autem preces figu-

(b) *Levit.* x, 1, *& seq.* (c) *Num.* xvi, 17, *& seq.* (d) Καὶ θήσεις αὐτὸ ἀπέναντι τοῦ καταπετάσματος τοῦ ὄντος ἐπὶ τῆς κιβωτοῦ. (e) *Origen. homil.* 19 *in Exod. & Aug. qu.* 133, 136, 137 *in Exod. Greg. in* 1 *Reg. c.* XIV. (f) *Hebr.* IX, 3. (g) *Num.* XIV. (h) *Luc.* I, 9: *Sorte exiit, ut incensum poneret.* (i) *Vide Aug. l.* 2 *Retract. c.* 55. (k) *Levit.* XV, 16: *Vir, de quo egreditur semen coitûs, lavabit aquâ omne corpus suum, & immundus erit usque ad vesperum.* (l) *Vide Outram. de sacrific. l.* 1, *c.* 8.

℣. 9. Non offeretis super eo thymiama compositionis alterius,
nec oblationem, & victimam, nec libabitis libamina.
℣. 10. Et deprecabitur Aaron super cornua ejus semel per annum, in sanguine, quod oblatum est pro peccato, & placabit super eo in generationibus vestris. Sanctum sanctorum erit Domino.
℣. 11. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:
℣. 12. Quando tuleris summam filiorum Israël juxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti.

COMMENTARIUS.

figurâ quadam indicabat sublata e thure in Cœlum fumi nubes. Ferunt, cæremoniam hujus ritûs tres Sacerdotes occupasse, quorum unus repurgaret cineribus Altare illud aureum; alter novas prunas ministraret: tertius tandem adoleret incensum: singulis autem vicibus injectum igni fuerunt incensi pondus c denariorum.

℣. 9. NEC OBLATIONEM, ET VICTIMAM, NEC LIBABITIS. Hebræus: ועלה ומנחה ונסך *Nec holocaustum, nec munus, nec libamen* (comestibilis rei oblationem, seu farinæ, panis, fructuum) *libabitis super illud*.

℣. 10. ET DEPRECABITUR. Ita & Hebræus כפר. Septuaginta: Ἐξιλάσεται, *depropitiabit*, propitium sibi reddet Deum; quod in idem recidit.

SANCTUM SANCTORUM ERIT DOMINO. Referri hæc possunt sive ad Altare, sive ad incensum, vel ad sanguinem expiationis, sive ad totam cæremoniam; peculiari enim sanctitate hæc omnia obsequium merentur, & cultum (*m*).

℣. 12. QUANDO TULERIS SUMMAM FILIORUM ISRAEL JUXTA NUMERUM, DABUNT SINGULI PRETIUM PRO ANIMABUS SUIS. Reputarunt nonnulli (*n*), generali quâdam Lege indici hîc a Moyse capitationem hemisicli, in commodum Tabernaculi; quam solvere cogerentur Israëlitæ, quoties census institueretur. Fertur autem David, quòd in indicto a se censu (*o*), id neglexisset, pœnas luisse cæde LXX millium e suis. In hanc sententiam concesserunt doctissimorum Interpretum plures (*p*); favetque illi non obscurè hujus capitis versus 13. Executionem tamen ejus demonstrare arduum esset maximè; neque Moysem id exegisse legimus in censu populi narrato in Numeris I.

Persuasum est aliis, constitui hîc a Moyse tributum viritim solvendum Domino a populo quotannis, ut sufficeretur impensis sive Tabernaculo necessariis, sive etiam pro hostiis, lignis, oleo, vino, farinâ, sive tandem ad sarta tecta Templi, pro vestibus & alimentis Sacerdotum ac Levitarum. Sanctionis hujus executio nullibi satis apertè sese offert in Libris V. T. Legimus tantùm in secundo Esdræ (*q*), post solutam captivitatem jussos fuisse Israëlitas conferre ad impensas Templi tertiam partem sicli: an verò id tributum substitutum fuerit in incrementum hemisicli, qui jam pendebatur, vel consuetum illud hemisicli tributum temperandum esse eâ vice suaserit indigentis populi tenuitas, non satis accuratè distinguitur. Constat utique, Jesu Christi ætate hemisiclum viritim solvi consuevisse Templo (*r*); quem etiam morem non obscurè præfert Philo (*s*): Narrat enim ille, Templo Jerosolymitano, prætet latifundia, ex quibus quotidiani proventus sufficiebantur, ampliora fuisse pariter, certiora & constantiora bona ex oblationibus, quæ præstabant Judæi omnes ab ætate viginti annorum. Appellabant illi oblationes hasce pretium redemptionis suæ, easque libentissimè solvebant, rati illis redimere se, & libertatem, & valetudinem, & vitam. Hinc obtinuerat, ut in omnibus fermè Urbibus ærarium esset, oblationibus illis recondendis, donec viri alicujus probati, ab omni populo selecti, manu Jerosolymam deferrentur.

Asserit Cicero, in oratione pro Flacco, vetuisse eumdem Flaccum, ne ferretur ex Asiâ Jerosolymam aurum, quod ex Italiâ & ex omnibus provinciis Judæi collegissent. Exprobrat Titus (*t*) Judæis impetratam ex Imperatoribus Romanis, peculiari privilegio, facultatem, ut aliqua tributa nomine Dei sui exigerent, quæ in cultum illius impenderentur. Sed tandem Vespasianus edicto suo præcepit Judæis post Templi eversionem, ut quod olim tributum solvebant Templo Jerosolymitano, inferrent in Capitolium.

En animadversiones quædam Rabbinicæ de ritu, quo olim solvebatur hemisiclus Templo. Judæi omnes generatim, quà in Judæâ, quà in provinciis remotioribus versantes, jubebantur illum seu mittere, seu ferre quotannis ad Templum; solæ inter omnes fœminæ, servi, atque adolescentes XXX annorum ætate minores eximebantur. Singulis annis, ineunte mense Nisan, Publicani excurrebant per Provincias ad exactiones; nemo tamen solvere cogebatur usque ad tempus Festi Paschalis. Eo enim tempore, qui pensum hoc suum non reddidissent in loco ubi sedes habebant, solvere tandem jubebantur, vel cautionem dato pignore præstare. E Sacerdotibus æquè ac cæteris petebatur: sed hi ne cogerentur, faciebat debitum in eorum dignitatem obsequium.

Ex Interpretibus quidam defendunt, censum illum & capitationem hemisicli non exegisse Moysem, nisi semel tantùm, occasione Tabernaculi erigendi

(m) *Vide Cap.* XXX, 35.
(n) *Hebræi ferè omnes, & nostri apud VVaser. de nummis Hebræor. Grot.* (o) 2 *Reg.* XXIV; 1 *Par.* XXI. (p) *Fag. Lyr. Tirin. Var. &c.* (q) 2 *Esdr.* X, 32: *Statuemus super nos præcepta, ut demus tertiam partem sicli per annum, ad opus Dei nostri.* (r) *Matt.* XVII, 23. (s) *Philo, l.* 2 *de Monarchiâ*. (t) *Apud Joseph. l.* 7, *c.* 13.

Digitized by Google

℣. 13. Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli, juxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino.

COMMENTARIUS.

erigendi; nec ejus consilium fuisse credunt, ut populus ad annuum tributum sive pro Templo, sive pro Tabernaculo cogeretur: sed contraria opinio majori assensu probatur. Legis hujus executio spectatur infra, capite XXXVIII, 26.

ET NON ERIT PLAGA IN EIS CUM FUERINT RECENSITI. Agnoscebatur tributi illius solutione summum illud Dei in populum suum imperium; perinde enim habebatur, ac capitatio a Rege Israëlis subjectis sibi gentibus imperata. Cui obsequentes sanctioni quodammodò sese in tuto collocabant ab insuetis divinæ ultionis flagellis, peste, fame, & bello. Dicitur ℣. 16 hemisiclus ille, qui Domino solvebatur, perinde esse ac monumentum coram illo, & pignus, quo fidem suam obligabat, futurum, ut ipse populo faveret.

℣. 13. DIMIDIUM SICLI, JUXTA MENSURAM TEMPLI. SICLUS VIGINTI OBOLOS HABET. Hebræus: בשקל הקדש, *In Siclo Sanctitatis* (pondere Sanctuarii), *Siclus est viginti gerah*. Septuaginta pro siclis habent: Κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον, εἴκοσι ὀβολοὶ τὸ δίδραχμον, *Secundùm didrachma Sanctum: viginti oboli sunt ipsum didrachma*. Autumarunt ex Interpretibus quidam, duo fuisse siclorum genera apud Hebræos, sacrum unum, quem & appellabant siclum Sanctuarii; alterum verò profanum vel commune, notum appellatione sicli Regii (u), vel sicli publici. Siclum autem sanctuarii majoris pretii fuisse putant plerique, quàm vulgarem. Alii tamen sicli communis æstimationem præferunt sacro. Communis æquabat XXIV obolos, juxta R. Salomonem, quem & Lyranus sequitur; sacer verò tantùm XX. Pagninus, aliique nonnulli sacri sicli pretium ad XL obolos promovent; communis, tantùm XX. Vasero est sacer XXIX obolorum Atticorum, vel dimidiæ unciæ argenti; communis, dimidio minor æstimatio. Rabbini Jechonias, & Gedalias distinguunt pariter duos hosce siclos ex ipsorum valore; sacer enim est illis duplo major vulgari. Sacer, ex mente Jechoniæ, referebat CCCXX grana hordei; alter verò duplo minus. Juxta Gedaliam verò, sacer æquabat dimidiam unciam; communis autem quadrantem. Viginti obolos sacro, & decem communi vindicant Vatablus, Lipomanus, Covarruvias (x) apud Cornelium a Lapide. Hebræum *Schekel* reddunt plerumque Septuaginta *didrachma*, quamquam vulgaris sicli æstimatio est quatuor drachmarum, juxta fidem Josephi (y), & S. Hieronymi; unde nonnullis suspicio incidit, spectasse tantùm Septuaginta siclum communem, dimidio minorem sacro, de quo agunt Josephus, & S. Hieronymus (z).

Sed emunctioris naris Scriptores (a) discrimine illo inter siclos rejecto, defendunt, neque in Scripturâ, neque apud Josephum, S. Hieronymum, ac veterem aliquem Scriptorem aliquid afferri satis apertum de sacrorum ac communium siclorum discrimine. Porrò voces illæ *Siclus Sanctuarii*, *Siclus Regis* nihil minùs, quàm oppositum inter se aliquid, inferunt; unus enim erat idemque siclus, idem pondus & æstimatio. Ideò verò appellabatur Siclus Sanctuarii, quòd paradigma sicli servaretur in Templo; ideò autem Regis, quòd fidei ponderum ac mensurarum servandæ certos Præfectos Reges dedissent; tandem siclus Publicus ideò appellabatur, quòd ejus esset usus vulgaris in commerciis. Neque hæc temerè excogitata sunt. Ex primo Paralipomenon XXIII, 29, intelligimus, Sacerdotem quemdam fuisse constitutum *super omne pondus atque mensuram*; quem pariter morem Ægyptii servabant. Habebant enim illi e collegio Sacerdotum aliquem, cui esset munus inspiciendi mensuras omnes, & mensurarum paradigmata, utì e S. Clemente Alexandrino discimus. Norant etiam Romani morem consecrandi in Templis suis mensurarum specimina. Fannius de Amphorâ:

Amphora fit Cubus, quam ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpejo in monte Quirites.

Pondera mensurasque servari in Templis Christianorum, datâ lege jussit Justinianus (b), novâque sanctione confirmavit Valentinianus.

Quod autem rectâ impetit sententiam, quæ inter duos hosce siclos distinguit, illud est, nimirum statuisse Moysem (*), ut res omnes argenti pretio æstimandæ supputentur ad valorem sicli Sanctuarii: *Omnis æstimatio siclo Sanctuarii ponderabitur. Siclus viginti obolos habet*. Sermo est hìc, non de rebus tantùm, voto vel oblatione sacris, quorum esset æstimatio ad pondus sanctuarii dirigenda, sed de omnibus generatim, quæ dato pretio emuntur atque venduntur, de latifundiis, aliisque id generis, utì facilè quisque intelliget solam consulens sanctionem, de qua in Levitico XXVII.

Nec minùs luculenter exprimit Ezechiel XLV, 12, siclorum illam singularitatem apud Hebræos; postquàm enim pluribus exaggeraverit crimina atque iniquissimè gesta a Principibus Israëlis, edicit, ut sibi comparent mensuras, stateras, ac pondera justa. Explicat insuper, quæ esset æstimatio vulgaris ponderis, quidque caperent mensuræ cavæ. Sicli valorem definit XX obolorum vel gerah. Porrò Sanctuarii siclus nihilo pluris valebat. An dicemus, Prophetam imperasse, ut Principes populi uterentur siclo Sanctuarii, altero planè ab eo, cujus erat in commerciis usus? Qui supersunt nostrâ ætate sicli, sub Simone Macchabæo cusi æquum vel fermè æquum referunt pondus; nec ullum animadvertitur seu in pondere seu in metallo discrimen inter duos hosce siclos, sacrum nempè & profanum. Discrimen insuper opinionum, quo assertores contrariæ sententiæ inter se committuntur, incertis principiis niti illos, non obscurè demonstrat:

quum

(u) 2 *Reg.* XIV, 26: *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico. Hebr. Pondere Regis.* (x) *Lib. de monetis, p. 2, n. 9.* (y) *Joseph. l. 3, c. 9 Antiq.* (z) *Hieron. in Ezech. c. 4, l. 1.* (a) *Cornel. Bonfr. Valton. & alii plures.* (b) *Justinian. novellâ 128, c. 15.* (*) *Levit.* XXVII, 25.

℣. 14. Qui habetur in numero, a viginti annis, & supra, dabit pretium.

℣. 15. Dives non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet.

℣. 16. Susceptamque pecuniam, quæ collata est a filiis Israël, trades in usus Tabernaculi testimonii, ut sit monumentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.

℣. 17. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

℣. 18. Facies & labrum æneum cum basi suâ ad lavandum: ponesque illud inter Tabernaculum testimonii, & altare. Et missâ aquâ,

℣. 19. Lavabunt in eâ Aaron, & filii ejus manus suas, ac pedes,

℣. 20. Quando ingressuri sunt Tabernaculum testimonii, & quando accessuri sunt ad Altare, ut offerant in eo thymiama Domino;

℣. 21. Ne fortè moriantur. Legitimum sempiternum erit ipsi, & semini ejus per successiones.

℣. 22. Locutusque est Dominus ad Moysen,

COMMENTARIUS.

quin potiùs innuit, nullo fulciri satis congruo argumento, quo sivè demonstretur generatim discrimen illud siclorum, sive aperiantur peculiaria illa systemata, quæ quisque excogitavit.

Denique quamvis cogeremur agnoscere pondus aliquod Regium, planè diversum ab altero Sanctuarii; id utique non priùs admitteretur, uti Vir doctissimus animadvertit, quàm post ætatem Imperio Chaldæorum posteriorem. Cùm enim ad id usque Hebræi vel semper vel ferè semper datis e gente suâ Principibus paruissent, atque in suâ conclusi regione vixissent, iisdemque legibus; nihil suppetebat utique, cur cogerentur agnoscere in commerciis siclum alium, quàm qui servaretur in Templo. Quo discrimine quid non inferretur turbarum & confusionis in commercia? Cùm verò Israëlitæ servitutem Babylonicam pertulère, necesse utique illis fuit ponderibus, mensuris, & nummis Victorum uti. Pondus Sanctuarii pristinum jus recuperavit in commerciis post solutam captivitatem; minimè tamen excluso pondere Regio vel Babylonico, quod latè obtinebat per totum Imperium Chaldæorum. Hinc cautio illa Ezechielis in captivitate viventis, exprimendi valorem, pondus, & quantitatem mensurarum, ac nummorum, de quibus agebat. Hæc utique discrimina sedulò expromenda erant eo tempore, quo vir sanctus scribebat. Fortè etiam Moyses de siclo Sanctuarii agens, sedulòque ejus valorem distinguens, præ oculis habebat discrimen illius a siclo Ægyptiorum, Chananæorum, & Arabum, inter quos medii versabantur Hebræi. Frustra enim cæteroqui seu nummorum pretium, seu mensurarum capacitatem definisset; nam id Scriptoris non est, qui suis scribat, interque suos versetur eâdem ætate, qua valor sicli neminem latet. Facilè tandem accuratiores istæ de pondere sicli animadversiones alienâ manu obtrusæ sunt in scripta Legislatoris; & facilè Esdram habent authorem, cui in Pentateucho recensendo hæc addenda, sicut & alibi interdum, succurrerint.

Ut ad hemisiclum a Moyse imperatum pro sumptibus Templi regrediamur, constanti obsequio pensum illud redditum fuisse, nullo Scripturæ testimonio probatur. Sub Josia (c) exactum est ob sarta tecta Templi. Post solutam captivitatem nova indicta est exactio tertiæ partis sicli viritim (d). Ætate Jesu Christi exigebatur solvebaturque pecunia pro Templo (e). Post eversionem Templi solvi a Judæis Capitolio jussit Vespasianus tributum illud, quod antea Templo consecrabatur (f). Vide nostrum Commentarium ad Matth. XVII, 23. Hodie pariter apud Judæos multa solvitur circa Festum Sortium, quâ collectâ pecuniâ juvantur peregrinantes Jerosolymam Judæi (g).

℣. 18. LABRUM ÆNEUM, destinatum lavandis manibus pedibusque Sacerdotum ingredientium in Sanctum ad thus offerendum, ac post obitum munus egredientium. Hujus labri locus erat inter Tabernaculum, & Altare holocaustorum. Nudis pedibus Sacerdotes ingrediebantur in Tabernaculum: nihil de soleis Sacerdotalibus seu Scriptura seu Josephus innuunt. Affirmat tamen Plutarchus (h), Summum Sacerdotem Judæorum cothurnos gessisse. Judæi in Misnâ (i) cavent, ne Sacerdotes, & Laici soleati Templum ingrediantur: cùm autem Sacerdotes nudis pedibus stantesque semper in templo essent, lineâ tunicâ tantùm induti, ederentque carnis plurimum, & vini degustarent nihil, incommodis sanè plurimis obnoxii erant, contrahendis maximè colicis; idcircò medicus semper aliquis inter eos adfuisse fertur in

(c) 2 *Par.* XXIV, 5. (d) 2 *Esdr.* X, 32. (e) *Matt.* XVII, 23. (f) *Joseph. Antiq. l.* 18, *c.* 12; *& de Bello, l.* 7, *c.* 26; *& Dio Cass. l.* 66. (g) *Schikard. orat. de festo Purim.* (h) *Plutarc. lib.* 4 *Symposiac. qu.* 5. (i) *In Massechet. Berachot, c.* 9, *& alibi.*

℣. 23. Dicens: Sume tibi aromata, primæ myrrhæ, & electæ quingentos ficlos, & cinnamomi medium, ideſt, ducentos quinquaginta ficlos, calami ſimiliter ducentos quinquaginta.

COMMENTARIUS.

in Templo (*k*).

Sacerdotes Herculis Gaditani ita deſcribit Silius Italicus (*l*): *Pes nudus, tonſaque coma, caſtumque cubile*. Nefas eſſe ſoleatis pedibus attingere limen Dianæ Cretenſis, jam (*m*) vidimus. De Templo Veſtæ Ovidius *Faſt. l. 6*:

Huc pede Matronam nudo deſcendere vidi.

Labrum illud, de quo hic Scriptura, non lavandis tantùm pedibus manibuſque Sacerdotum erat, ſed & lotioni pariter victimarum, extorum, ac pedum boſtiarum. Creduntur autem vaſa illa exhibuiſſe figuram mamillarum; aquam verò per duas fiſtulas, quas clavis inſerta claudebat, aperiebatque, demittebant in ſubjectam pelvim, in qua & lavabant, ſufficiebanturque ad uſum Tabernaculi aquæ. Id generis lavacra in Templis Paganorum fuiſſe, notat Grotius; labrumque illud Moſaicum exprimit pelvis aquæ luſtralis, in veſtibulo noſtrorum Templorum; qua in pelvi veteres Chriſtiani oculos lavabant, cùm ingrederentur in Eccleſiam.

℣. 23. Sume tibi aromata. Ad ſuffitus quod attinet, nihil habemus, quàm quod in præſenti, vetuſtius. *Quis primò invenerit unguenta*, ait Plinius libro XIII, 1, *non traditur. Iliacis temporibus non erant, nec thure ſupplicabatur. Cedri tantùm, & citri ſuorum fruticum in ſacris fumo convolutum nidorem veriùs quàm odorem, noverant, jam roſa ſucco reperto, &c.* Bacchum cruentorum ſacrificiorum, ac ſuffitûs in Altaribus authorem conſtituit Ovidius in Faſtis libro III; ſcitum eſt autem, Bacchum cum Moyſe profanos ſæpe confudiſſe.

Ante tuos ortus aræ ſine honore fuerunt,
Liber, & in gelidis herba reperta focis.
Te memorant, Gange, totoque Oriente ſubacto,
Primitias magno ſepoſuiſſe Jovi.
Cinnama tu primus, captivaque thura dediſti,
Atque triumphato viſcera toſta bove.

Defendit Arnobius (*n*), tempora heroica nulla noſſe thura, cùm nulla illorum occurrat in Veterum libris mentio; nulla pariter deprehenduntur veſtigia in moribus Hetruſcorum, qui tantus Italicæ Religionis authores habebantur. Solidis quadringentis annis, quibus regnatum eſt in Albâ, latuerunt ſuffitus; latuerunt & ſub Romulo, & Numâ, ut ſatis indicant farra tunc Diis offerri ſolita. In Arabiâ facilè primùm id obtinuit, quâ in regione, ubi optima quæque aromata proveniunt, Moyſes verſabatur. Nec a vero abludit, morem cæteros didiciſſe ex Hebræis, & Moyſe. Sacrificia Abrahami, Iſaaci, Jacobi, Jobi, nullo redolebant vel thure, vel ſuffitu, niſi tantùm aſſatarum carnium nidore.

Litabatur olim Diis (*o*), non thure, nec ſuffitu, ſed herbis tantùm carptis, oblatiſque tanquam munere e terrâ deducto. Sacrificia per ætatem Jani obtinentia, abſque thure, & victimis cruentis deſcribit Ovidius (*p*).

Hæc tamen omnia pro Regionibus Græcorum, ac Romanorum ſunt, quæ thura, & aromata nulla promunt. Arabes verò, Ægyptii, Hebræi, cæteræque gentes aromatibus divites morem citiùs adoptarunt. Ea ſemper hominibus perſuaſio ſedit, oportere Diis offerre quæcumque eſſent optima, & maximè pretioſa: ita primò litatum eſt fructibus, & victimis, tum & aromatibus, quæ plurimi ſemper æſtimata ſunt. Meminit infra, ℣. 25, Moyſes *operis unguentarii*. Erant igitur qui eam artem profiterentur in Ægypto, unde pedem vix tunc retulerant Iſraëlitæ; & memoriæ proditum tenemus, Sacerdotes Ægypti genere quodam unguenti ſupplicaſſe Numinibus (*q*).

Sume tibi aromata primæ myrrhæ et electæ. Reddi poteſt Hebræus ad literam (*r*): *Sume tibi Unguenta, capitis Myrrha libertatis*; vel juxta Septuaginta: Λάβε τὸ ἄνθος σμύρνης ἐκλεκτῆς, *Accipe florem myrrhæ electæ*. Flos rei dicitur quidquid eſt in re quacumque perfectiſſimum. Sume tibi optimos odores, myrrham, quæ ſpontè ex arbore non inciſâ ſtillat. Agens Plinius (*s*) de arboribus myrrhinis, *Sudant ſpontè*, ait, *priuſquàm incidantur, ſtacten dictam, cui nulla præfertur*. Grotius aliique nonnulli (*t*) ita exponunt Hebræum: *Sume myrrham liberam mixtione*. Gemini ſunt Syriacus, & Chaldæus: *Myrrha mundiſſima*.

Quingentos siclos. Hebræus exprimit tantùm *quingentos*; ſuppleri tamen vulgò ſolet *ſiclos*, tanquam communiſſimum pondus.

Cinnamomi. Hebræus קנמן בשם, *cinnamomum aromatis*; & Septuaginta: Κινναμώμου εὐώδους, *cinnamomi beneolentis*. Cinnamomus arbuſcula eſt, cujus cortex ſuaviſſimo odore recreat. Quinque cinnamomi genera recenſet Dioſcorides, quorum ſingulis ex nativo ſolo eſt appellatio. Decreſcit cum ætate virtus; cùm ad XXX annos pervênit, imbe-

(k) *Maimonid. Kelei Hammikad*, c. 7. (l) *Lib. 3 de bello Punico*. (m) *Ad Exod.* III, 5.
(n) *Arnob. l. 7 contra gentes: Neque temporibus heroicis quidnam eſſet thus, ſcitum eſt, ſcriptoribus ut comprobatur a priſcis, quorum in libris poſita nulla ejus mentio reperitur. Neque genitrix & mater ſuperſtitionis Hetruria, ſacellorum ut indicant ritus; neque quadringentis annis, quibus Albana res ſtetit, in uſum cuiquam venit, ſacra cùm res fieret: neque ipſe Romulus, aut religionibus artifex in comminiſcendis Numa, aut eſſe ſcivit aut naſci, ut pium far monſtrat, quo peragi mos fuit ſacrificiorum ſolemnium munia.*
(o) *Theophraſt. apud Porph. de abſtin. l. 2.* (p) *Ovid. Faſt. l. 2:*

Nondum protulerat lacrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hoſpita navis aquas.
Thura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum,
Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos, herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus aduſta ſono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis,
Qui poſſet violas addere, dives erat.
Hic, qui nunc aperit percuſſi viſcera tauri,
In ſacris nullum culter habebat opus.

(q) *Dioſcorid. l. 1, c. 24; & Plutarc. de Iſide &c.*
(r) קח לך בשמים ראש מר דרור
(s) *Plin. l. 12, c. 25.* (t) *Ita Vatab. Fagius, Kimchi, Rab. Salom.*

℣. 24. Casiæ autem quingentos ſiclos in pondere Sanctuarii, olei de olivetis menſuram hin:

℣. 25. Facieſque unctionis oleum ſanctum, unguentum compoſitum opere unguentarii,

℣. 26. Et unges ex eo Tabernaculum teſtimonii, & Arcam teſtamenti,

℣. 27. Menſamque cum vaſis ſuis, candelabrum, & utenſilia ejus, Altaria thymiamatis,

℣. 28. Et holocauſti, & univerſam ſupellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet.

℣. 29. Sanctificabiſque omnia, & erunt Sancta ſanctorum: qui tetigerit ea, ſanctificabitur.

℣. 30. Aaron, & filios ejus unges, ſanctificabiſque eos, ut ſacerdotio fungantur mihi.

COMMENTARIUS.

imbecillior eſt, quàm priùs. Colorem refert, qualis reſultat ex admixto nigro ac cæruleo cum lacte. Fatetur Matthiolus ſibi, quamquam ſedulò quærenti, ſincerum cinnamomum ounquam occurriſſe. Rarum erat adeò Galeni ætate, ut nonniſi in ſcriniis Imperatorum ſpectaretur. Affirmat idem Matthiolus, cinnamomum ita defeciſſe in Arabiâ, uti balſamum in Judæâ: quam opinionem ſuam ſulcit authoritate Plinii, narrantis libram cinnamomi olim ſtetiſſe mille denariis; ſed pretium ejus plus dimidio creviſſe vaſtatione Barbarorum, qui plantas incendio deſtruxerant. Quod nos *cannellam* appellamus, illud omnium maximè accedit ad cinnamomum; ſed tamen duo fuiſse inter ſe diſtincta aromata, ac cinnamomum altero longè præſtantius grato odore fuiſſe, ſatis conſtat. Hebræum *Kinman* de aloë exponunt RR. Salomon, & Kimchi; quorum tamen opinio aſſertore caret.

Calami, קנה בשם. Calamum odoratum India ſufficit. Qui in Apotbecis ſub eo nomine venditur, alius eſt planè a *calamo aromatico* Veterum (*u*); ipſe eſt *Acorus verus*, cujus uſus ineptus ad unguenta pretioſa eſt.

℣. 24. Casiæ קדה. Caſia cortex eſt ſilveſtris arboris, ſpontè apud Orientales Indos provenientis, cujus arboris a vulgari cinnamomo (*cannella*) diſcrimen fermè nullum eſt; ſicut utriuſque aromatis virtus eſt eadem. Brocardus, & Gabriel Sionita (*x*) affirmant, ſolum Cairi plurimis arboribus caſiæ abundare, ſimillimis eo xylo, ut alteram ab alterâ arbore nonniſi fructus diſtinguerent.

Dioſcorides & Plinius putarunt, cinnamomum (*la cannella*) creſcere in Arabiâ; ex quo perſuaſio induci poſſet, de illo egiſſe Moyſem in præſenti; Sed Garzias (*y*) luculenter demonſtravit, nihil ejuſmodi provenire in Arabiâ: neque levi negocio demonſtraretur, Moyſis ætate cinnamomum (*cannella*) innotuiſſe in Judæâ. Vulgaris caſſia nullo eſt unguentario odore grata; valetque tantum in uſum Medicinæ, ac refert ſuccum quemdam atrum, aptum potiùs corrumpendis, quàm fovendis grato odore unguentis. Recurrit etiam Hebræum Kiddah in Ezechiele (*z*), ubi Vulgata reddidit *ſtacten* myrrham ſpontè lacrymantem; & Septuaginta *iridem*. Notat Dioſcorides, Pergenſes in Pamphiliâ, & Eleos in Achajâ, ſpiritum quemdam deducere ex *iride*, cujus, præter ſuaviſſimum odorem, præſentiſſima eſt etiam virtus contra ſpaſmaticas tuſſes ac vomitus. *Kadad* Arabicè eſt vomere, & tuſſiendo excreare (*a*); & Ezechiel in Textu citato narrat, Javan & Mozal referre ad nundinas Tyri *Kiddah*, *&* *calamum*. Javan ſunt Jones, & Mozal Cares, Pamphiliæ proximi. Joſephus Hiſtoricus, & Caſtalio præferunt *iridem*.

Olei de olivetis mensuram hin. Oleum tamquam materia erat potiſſima pretioſi hujus unguenti; quare portio ex eo major ſufficiebatur: eſt enim hin menſura continens pintas quatuor, cum dimidio pintæ, ſemiſextario, atque octavâ pintæ parte, & quinque digitis cubicis. Hujus unguenti uſus erat ad liniendas partes Tabernaculi, Arcam fœderis, menſam panum propoſitionis, Altare thymiamatis, Candelabrum, Altare holocauſtorum, & Labrum. Eodem conſecrati ſunt Aaron ejuſque filii; illo uti, ſive unguentario opere mixturam illam conficere, nemini fas erat. Reges etiam Juda eo initiabantur: quem morem ad Regnum uſque Joſiæ perſeveraſſe, affirmant Rabbini.

℣. 27. Mensam cum vasis suis; ideſt, menſas panum propoſitionis. Hanc menſam cum ſuis utenſilibus non exprimunt Septuaginta.

℣. 29. Qui tetigerit ea, sanctificabitur. Quicumque Profani ea tangere auſi fuerint, maculam contrahent, luſtrationibus expiandam: viciſſim autem, qui Domini ſervitiis deſtinarentur, tactu rerum ſacrarum novam contrahebant ſanctimoniam. Duo hæc animadvertere pariter licet in uſu noſtrorum Sacramentorum, quæ impios magis magiſque polluont; bonos verò novâ ſanctimoniâ promovent ad ſanctitatem.

(u) *Dioſcorid. l. 1, c. 17.*
(x) *De moribus Oriental. c. 6.* (y) *L. 1, c. 5.* (z) *Ezech. XXVII, 19: Stacte & calamus in negotiatione tuâ.* (a) Céne, Projet d'une nouvelle traduct. Françoiſe de la Bible, ch. 9.

℣. 31. Filiis quoque Iſraël dices: Hoc oleum unctionis ſanctum erit mihi in generationes veſtras.
℣. 32. Caro hominis non ungetur ex eo, & juxta compoſitionem ejus non facietis aliud, quia ſanctificatum eſt, & ſanctum erit vobis.
℣. 33. Homo quicumque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo ſuo.
℣. 34. Dixitque Dominus ad Moyſen: Sume tibi aromata, ſtacten, & onycha, galbanum boni odoris, & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis erunt omnia:
℣. 35. Facieſque thymiama compoſitum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum, & ſanctificatione digniſſimum.

COMMENTARIUS.

℣. 33. Exterminabitur de populo suo. Perinde habebitur, ac alienus a genere Iſraëlitico, ut Iſraëlitarum prærogativis omnibus mulctetur, qui noſtro more appellaretur *excommunicatus*.

℣. 34. Sume tibi aromata &c. Habemus hìc artem conficiendi thymiama, quotidie mane & veſpere, ſuper Altare ad id deſtinatum adolendum. Componebatur ex ſtacte נטף, Στακτὴ, nempe myrrhâ, ſpontè ex arbore ſudante, de qua nos ſupra ad ℣. 23. Kimchi explicat de balſamo; R. Salomon de reſinâ.

Onycha שחלת, LXX, Ὄνυχα. R. Salomon hìc cenſet, Hebræum *Schechelet* exprimere radicem quamdam aromaticam, teretem, lucentemque, tamquam unguem. Rabbini cæteri, judicio Bocharti, exponunt de bdellio, quod Damocrates (*b*) & Galenus (*c*) onychem appellant. Duo genera bdellii diſtinguit Dioſcorides; Arabicum nempe, quod magis limpidum eſt ac defæcatius quàm Indicum, quod alterum eſt, multò magis atrum, fœculentius, & aſperius. De priori illo facilè ſermo a Moyſe eſt habitus. Fluit deduciturque ex arbore quadam Arabiæ Felicis. Derivari poteſt nomen *Schechelet*, ex *Schechel*, quod Chaldaicè eſt *educere*, & Syriacè *fluere*; utrumque autem congruit cum naturâ aromatis, de quo in præſenti. Adde, agi hìc tantùm a Moyſe de aromatibus, in eâ, qua verſabatur, regione pretioſiſſimis; eſt autem bdellium inter pretioſiſſima, ac familiariſſima Arabiæ.

Vocem originalem reddit Arabs *Laudanum*: ſed Commentatores plerique, fidem Septuaginta, & Vulgatæ ſequuti, reddunt *onychem*, quæ teſta eſt piſcis cujuſdam, teſtæ piſcis purpuræ perquàm ſimillima. In paludibus Indiæ piſcatu apprehenditur, ubi paſci creditur *ſpicâ nardi*, ex qua in teſtâ odor. Colliguntur piſces illi tum cum æſtu ſolis paludes aruerint. Optimos, qui albi grandeſque ſunt, ſufficit mare Rubrum: magis ater eſt & minor Babylonicus. Hæc Dioſcorides, cujus ſententiam ſequitur Mathiolus in eo, quod attinet ad locum ab eo piſce frequentatum; quamquam nullo ſeu Veteris, ſeu Recentioris teſtimonio conſtat creſcere nardum in paludibus, ſed potiùs amare montes & loca arentia.

Galbanum boni odoris; galbanum aromaticum. Eſt galbanum (*d*) ſuccus ſtillans ex inciſione plantæ, quæ ferulæ quàm ſimillima eſt, creſcitque in Syriâ ad montem Amanum. Odore eſt non admodum grato, cùm præſertim ſincerum eſt; guſtu acri, & amaro, & odore valido. Optimum lacrymas exhibet puras, atque pulcherrimas. Deducitur galbanum ex Hebræo *Chalbanah*.

Thus lucidissimum (*e*). Eſt thus ſuccus quidam grati odoris, ex inciſo cortice arboris cujuſdam ſtillans, arboris, inquam, creſcentis potiſſimùm in Sabæâ, & Arabiâ felici, quæ Regio eſt finitima Minæis. Porro a Minæis illis primò inventa fertur ars incidendi arbores ad exprimendum thus. Thus puriſſimum, ac lucidiſſimum, tum & optimum illud eſt, quod ex arbore fluit ſuper craticulas quaſdam infra ad plantæ pedem jacentes.

Æqualis ponderis erunt omnia. Sunt qui Hebræum (*f*) ita reddant. *Redigentur in pulverem ſeorſum.* Chaldæus: *Pondus erit in pondere.* Septuaginta: Ἴσον ἴσῳ ἔσται, *æquale æquali erit.* Syriacus: *Sicli pondo erit unumquodque.* E ſingulis æqua portio; nempè, uti docent Hebræi, ſingulorum aromatum pondus LXX, vel LXXIV librarum. Verti poſſet Hebræum: *Sola & ſola erunt.*

℣. 35. Facieſque thymiama compoſitum opera unguentarii. Quibus componerentur unguenta quædam, Ægyptiis familiaria, Veteres docuerunt. Agit Dioſcorides (*g*) de unguento quodam, appellato *Kuphi*, cujus odor Diis gratiſſimus habebatur, valebatque plurimùm in uſum Sacerdotum; componebatur autem e decem variis aromatum generibus. E decem & ſex compoſitum aliud refert Plutarchus; paſtillos autem odoratos ter quotidie adoleviſſe Jovi Sacerdotes Ægyptios affirmat; manè e reſinâ, meridie e myrrhâ, veſperè e Kuphi. In componendo autem Kuphi plures obſequii ritus ſervabantur; in eoque opere laborantibus ſacræ literæ recitabantur (*h*). Nec a myſterio vacaſſe autumat Scriptor ille numerum XVI, qui quadratus eſt, ex quatuor itidem quadratis numeris reſultans. Quatuor tantùm aromatum genera admiſcenda Moyſes edicit in unguento illo ſuo; quibus elementa quatuor deſignari

(b) *Malagm. l. 8; & de antidot. l. 2.* (c) *De compoſit. med.* (d) חלבנה סמים
(e) לבנה זכה (f) בד בבד יהיה. Ad literam: *Solum cum ſolo erit* (g) *L. 1, c. 24.*
(h) *Plutarc. de Iſide & Oſiride.*

Digitized by Google

℣. 36. Cùmque in tenuissimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram Tabernaculo testimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum sanctorum erit vobis thymiama.

℣. 37. Talem compositionem non facietis in usus vestros, quia sanctum est Domino.

℣. 38. Homo quicumque fecerit simile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis suis.

COMMENTARIUS.

ri censet Philo (*i*).

Mixtum diligenter, et purum, et sanctificatione dignissimum. Hebræus ad literam : ממלח טהור קדש, *salitum*, *mundum*, *sanctum*. Septuaginta: Μεμιγμένον, καθαρὸν ἔργον ἅγιον, *mixtum*, *purum*, *opus sanctum*. Chaldæus item & Arabs: *Mixtum*, *purissimum*, *sanctum*. Interpretum nonnullis persuadetur (*k*), in eo unguento conficiendo salem quoque accessisse: quin & salem Sodomæ alii in eam rem designant; quod præstitum credunt in obsequium Legis [*l*], jubentis nihil offerri in sacrificium, nisi addito sale. Sed vertendum mihi præstat: *Facies suffimentum* [vel unguentum] *purum*, *& sanctificatum*. Hebræum *Memulach* deduco e verbo *Malach* salire, balsamo condire, unguento linire. Græcis pariter est familiaris vox *salire* pro *condire balsamo*. Est autem extra veri speciem omnem, salem admixtum fuisse in unguentis, nihil enim contulisset ad fovendum odorem; nec ulla analogiæ ratio suadet, ideò salem accessisse in unguento, quòd sine illo nulla offerrentur sacrificia. Quæ enim causa poscebat salem in laganis, panibus, carnibus, nulla erat pro unguento. Ipse pariter Maimonides observat, nihil salis admixtum fuisse in sanguine victimarum, neque in libationibus.

℣. 36. Pones ex eo coram Tabernaculo testimonii. Unguentum istud facilè præsto semper erat in mensâ thymiamatis; adolebatur autem tantùm vesperè, & manè. Perhibet Josephus [*m*], super panes propositionis positas fuisse geminas phialas, vel lances aureas, incenso plenas.

Censet autem Clericus, in lancibus illis contentum fuisse unguentum illud, de quo hìc sermo. Quid igitur erat, quod singolis diebus adolebatur?

Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama. Quod in Hebræo deest *thymiama*, suppletur a Septuaginta, & Vulgatâ. Vide quæ contulimus supra ℣. 10.

CAPUT XXXI.

Beseleel & Ooliab destinantur a Deo, ut laborent construendo Tabernaculo. Lex de Sabbati Religione. Geminæ Legis Tabulæ Moysi traduntur.

℣. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

℣. 2. Ecce, vocavi ex nomine Beseleel filium Uri filii Hur de tribu Juda,

℣. 3. Et implevi eum spiritu Dei; sapientiâ, & intelligentiâ, & scientiâ in omni opere,

COMMENTARIUS.

℣. 1. Vocavi ex nomine Beseleel. Designavi, vel nomine ipso appellavi, destinavi ad hoc opus. Phrasis hæc, noscere aliquem nomine suo, exprimit favorem, & propensionem singularem. Deus ad Moysem [*a*]: *Novi te ex nomine, & invenisti gratiam coram me*. Constat ex Isaiâ, XLIII, 1, appellare aliquem nomine suo, vel indere alicui nomen perinde esse, ac servitiis suis aliquem addicere. Solemne erat heris nomina famulis permutare (*b*).

℣. 3. Implevi eum spiritu Dei. Dotes a naturâ vel exercitatione datas, Deo acceptas retulisse Veteres, jam alibi observavimus. Seneca (*c*): *Insita nobis omnium artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia*. Homerus pariter, Odyss. Z: Ἀνὴρ ἴδρις, ὃν Ἥφαιστος δέδαεν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη
Τέχνην παντοίην, χαρίεντα δὲ ἔργα τελείει.
Vir solers, quem Vulcanus docuit, & Pallas Minerva

(i) *Philo, de hæred. Divin.*

(k) *Maimonid. in Ainsv. & alii.*

(l) *Levit. II, 13: Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies.*

(m) *Antiq. l. 3, c. 6.* (a) *Exod.* XXXIII, 12. (b) *Dan.* I, 7; *Psal.* CXLVI, 4. (c) *Senec. l. 4 de Benef. c. 4.*

℣. 4. Ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære,

℣. 5. Marmore, & gemmis, & diversitate lignorum.

℣. 6. Dedique ei socium Ooliab filium Achisamech de tribu Dan. Et in corde omnis eruditi posui sapientiam: ut faciant cuncta, quæ præcepi tibi,

℣. 7. Tabernaculum fœderis, & Arcam Testimonii, & propitiatorium, quod super eam est, & cuncta vasa Tabernaculi:

℣. 8. Mensamque & vasa ejus candelabrum purissimum cum vasis suis, & altaria thymiamatis,

℣. 9. Et holocausti, & omnia vasa eorum, labrum cum basi suâ;

℣. 10. Vestes sanctas in ministerio Aaron sacerdoti, & filiis ejus, ut fungantur officio suo in sacris.

℣. 11. Oleum unctionis, & thymiama aromatum in Sanctuario, omnia quæ præcepi tibi, facient.

℣. 12. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

℣. 13. Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Videte, ut sabbatum meum custodiatis: quia signum est inter me, & vos in generationibus vestris: ut sciatis, quia ego Dominus, qui sanctifico vos.

℣. 14. Custodite sabbatum meum, sanctum est enim vobis: qui pollueritit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, peribit anima illius de medio populi sui.

COMMENTARIUS.

Artem omnifariam, gloriosa verò opera perfecit.

℣. 4. Ex auro et argento et ære. Addunt Septuaginta: *Operari hyacinthum, & purpuram, & coccum netum, & byssum retortam.*

℣. 5. Marmore, et gemmis, et diversitate signorum. Hebræus (d): *In fabrefactione lapidis, & in fabrefactione ligni.* Hebræum *Eben*, lapis, perinde reputavit S. Hieronymus, ac vocem qua genus quodcumque marmoris atque gemmarum significetur. Quod pariter & Septuaginta censuisse videntur, quippe qui reddant: Εἰς τὰ λιθουργικὰ ἔργα, *ad lapidaria opera.* Sed ad solas gemmas, quæ auro vel argento alligantur, determinat Hebræus. In constructione Tabernaculi marmor omne absuit.

℣. 6. In corde omnis eruditi posui sapientiam. Genus quodcumque artis Sapientiæ nomine honestasse Veteres, notat Hesychius; docetque Aristoteles (e), Sapientis elogio donatos fuisse homines artis cujuscumque peritos. Ità de Phydia usurpatum est, eum sculptorem esse sapientem. Sed Origenes (f) titulum hunc sapientis datum opificibus, ad eos tantùm redigere videtur, qui utiles vitæ artes exercent. Artem texendi, conficiendique pannos a Sapientibus inventam dicit Seneca (g): *Textricum quoque artem a Sapientibus inventam.* Sapientiam tandem appellat Chrysostomus (h) artem parandi telas.

℣. 7. Cuncta vasa Tabernaculi. Genus quodcumque rei, seu tabulæ, seu velamina, seu asseres, & instrumenta, *vasa* hìc appellantur.

℣. 8. Candelabrum purissimum. Clericus reddit: *Candelabrum lucens (i)*; alii, candelabrum, quod a Sacerdotibus mundum, ac nitens servandum est. Adjungitur illi epitheton puri & nitentis in Exodo xxxix 37; Levitico xxiv, 4.

℣. 10. Vestes sanctas in ministerio Aaron. Hæbræus (k): *Vestes ministerii, & vestes sanctitatis Aaron.* Prius illud indicat vulgares Aaronis vestes, juxta Interpretes nonnullos; alterum verò sacras illas, quibus utebatur in Tabernaculo. Ex aliis verò *ministerii vestes* sunt integumenta, seu velamina, quibus proteguntur vasa Tabernaculi in itinere &c. *Vestes Sanctitatis*, vel *Sanctuarii* illæ sunt, quibus Aaron ministerium Sacerdotii sui augustiùs præstabat.

℣. 11. In Sanctuario. Verti posset: Ad usum Sanctuarii; seu, Pro Sanctitate. *Oleum unctionis (l) &c. thymiama aromatum (m).* Hæc omnia ad usum Tabernaculi.

℣. 14. Custodite sabbatum meum. (℣. 15.) Sex diebus facietis opus. Sunt qui ellypsim suspicentur in hoc Textu, ut sit sensus: Cura, ut opifices

(d) בחרשה אבן למלאות ובחרשת עץ (e) *Aristotel. l. 6 Ethic. c. 7.* (f) *Origen. homil. xxii in Numeros.* (g) *Epist. 90.* (h) *Chrysost. homil. 34 in Epist. 1 ad Corint.*
(i) המנורה הטהורה (k) את בגדי השרד ואת בגדי הקדש (l) *Vide Exod. xxx, 25.*
(m) *Exod. xxx, ℣. 34.*

℣. 15. Sex diebus facietis opus: in die ſeptimo ſabbatum eſt, requies ſancta Domino; omnis, qui fecerit opus in hac die, morietur.

℣. 16. Cuſtodiant filii Iſraël ſabbatum, & celebrent illud in generationibus ſuis: Pactum eſt ſempiternum

℣. 17. Inter me, & filios Iſraël, ſignumque perpetuum: ſex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & in ſeptimo ab opere ceſſavit.

℣. 18. Deditque Dominus Moyſi, completis hujuſcemodi ſermonibus in monte Sinai, duas tabulas teſtimonii lapideas, ſcriptas digito Dei.

COMMENTARIUS.

opifices deſtinati, intenti ſint conſtruendo Tabernaculo; ſed abſtineaot a labore die Sabbati. Hæc tamen acutiora ſunt, quàm vera; præſtat explicare de ſanctione quâdam generali, ne reiteratâ pro quiete diei Sabbati. *Morietur*. Lex Sabbati capitalis erat; cui tamen animadverſioni ut ſubderetur prævaricator, convincendus erat de crimine, damnandusque Judicum ſententiâ.

℣. 16. PACTUM EST SEMPITERNUM. Jam alibi (n) animadverſum eſt, Sabbatum inſigne quoddam fuiſſe a Deo datum, quo Iſraëlitas a cæteris aliis diſcerneret.

℣. 18. DEDITQUE DOMINUS MOYSI DUAS TABULAS TESTIMONII LAPIDEAS, SCRIPTAS DIGITO DEI. Docuimus ſupra ad caput xxv, 12, cur tabulæ illæ appellarentur *tabulæ teſtimonii*. Quod ſequitur deinceps, *Scriptas digito Dei*, exprimere poteſt vel manu ipsâ Dei exaratas fuiſſe, vel ejus juſſu ab Angelo quodam, vel ab ipſo S. Spiritu, qui in Sacrâ Scripturâ digiti Dei appellatione eſt notus (o). Nec reputandum eſt, illas per ſe ſcripſiſſe Moyſem, cùm ſcriptas receperit a Deo. Vide quæ conſeremus ad caput xxxiv, 1.

CAPUT XXXII.

Vitulum aureum adorat populus. E monte deſcendens Moyſes, tabulas Legis confringit, diſſolvitque in pulverem aureum vitulum: Aaronem caſtigat verbis, caditque per Levitas XXIII M. Iſraëlitarum Idololatriæ reorum; tum in montem redit.

℣. 1. VIdens autem populus, quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus adversùs Aaron, dixit: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terrâ Ægypti, ignoramus, quid acciderit.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CONGREGATUS ADVERSUS AARON. Reddi poſſet planiùs (a): *Congregatus circa Aaron*. Sed vero propius eſt, acceſſiſſe tumultuantes, ac ſeditioſè; quod & inſinuat Aaron ita reſpondens Moyſi ℣. 22, 23: *Tu noſti populum iſtum, quòd pronus ſit ad malum*. S. Auguſtinus legit: *Conſurrexit populus adversùs Aaron*.

FAC NOBIS DEOS, QUI NOS PRÆCEDANT. Hebræum *Elohim* (b) plurale eſt; atque ita compellant Aaronem ſeditioſi, hominem cogentes ſibi Idola aliqua ſufficere, quemadmodum in Ægypto viderant; nec pluribus mentem ſuam explicant. Sedit multis perſuaſio (c), ſub nomine Deorum non aliud ſignificaſſe illos, quàm verum Deum; & aureo Vitulo ſibi exhibuiſſe verum Deum, quocum, conciliante Moyſe, fœdus inierant.

Nun-

(n) *Vide Exod.* xx, 8; & *Geneſ.* xi, 3. (o) *Exod.* viii, 19; *Luc.* xi, 20.

(a) יקהל העם על אהרן (b) אלהים אשר ילכו לפנינו (c) *Menoch. Cornel. a Lap. Episcop. apud Spencer. l. 2 de legib. Hebr. ritual.*

℣. 2. Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de uxorum, filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.

℣. 3. Fecitque populus, quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron.

℣. 4. Quas cùm ille accepisset, formavit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, dixeruntque: Hi sunt Dii tui, Israël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.

COMMENTARIUS.

Nunquam in mentem sibi inducere possunt Authores illi, tam altè insedisse populo ingrati animi vitium, ut recèns insculptam beneficiorum Domini, quo largiente excusserant jugum servitutis Ægyptiacæ, memoriam obliteraret, persuaderetque sibi, Numinis Majestatem sustineri posse a Vitulo. Aliter dictum eorum exposuit Tostatus: Fac nobis Deos, qui præcedant; nolumus homines duces; ipse enim Moyses, cui aliquantulùm fidebamus, evanuit, & quid de illo factum sit, nos latet.

℣. 2. TOLLITE INAURES AUREAS DE UXORUM, FILIORUMQUE AURIBUS. Vides hìc inaures, adolescentulorum æquè ac fœminarum ornamentum (d). Quem morem familiarem esse Orientalibus notat Plinius (e): *In Oriente quidem & viris aurum portare eò loci decus existimatur*. Septuaginta non legerunt illud, *filiorum*. S. Ambrosius habet: *Annulos & inaures*. Reputavit facilè Aaron, ut censet S. Augustinus & Theodoretus (f), his postulatis facilè ardorem populi fore coërcendum.

℣. 4. FORMAVIT OPERE FUSORIO, ET FECIT EX EIS VITULUM CONFLATILEM. Hebræus ad literam (g): *Formavit illud stylo, & fecit illud vitulum fusionis*. Primò igitur ex argillâ formam operis conflandi effinxit; tum liquatum metallum applicavit; vel fortè aurum omne redegit in massam liquando; tum scalpro in eâ vitulum expressit. Septuaginta (h): *Descripsit ipsum stylo* vel scalpro, *& fecerunt Vitulum fusum*. Rabbinorum nonnulli affirmant, insculpsisse Aaronem e ligno vel lapide vitulum, quem deinde vel ipse per se, vel aliorum operâ aureis laminis texit; sed hanc opinionem apertissimè refutat Textus ℣. 24, ubi Aaron affirmat, se projecisse in ignem traditum ab Israëlitis aurum; id verò liquatum Vituli figuram retulisse; tum & arguitur falsitatis ex hoc ℣. 4, ubi *opere fusorio* conflatum opus perhibetur. Vertit Onkelos: *Formavit in circino* בזיפא; veluti si indicaretur, formatum opere fuso in rude opus, scalpro expolitum fuisse. Suspicatur Seldenus (i), scalpro usum fuisse Aaronem ad cælanda in bove insignia Apidis; nempe albentem quamdam in fronte maculam quadratam, & cornua lunæ in femore. Sunt qui reputent, noluisse Aaronem opere fusorio Vitulum formare, quò scilicet longiùs protraheretur opus, nihilque elegans & politum eâ imagine exhiberetur. Vicissim autem Rabbini apud Munsterum affirmant, nihil ab Aarone omissum, ut opus numeris omnibus absolveretur, quo intelligerent Hebræi, Numen hoc suum nihil habere in se vel meriti vel gloriæ, omniaque ab Aarone accepisse.

Singularem Textûs hujus versionem exhibet Jonathan: *Et accepit de manibus eorum, & ligavit ipsum sudario* (sacco, veste), *& fecit ipsum vitulum conflatilem*. Hanc autem præ cæteris probat Bocharius (k); nec sanè melior alia & literæ magis cohærens videtur. Hisce autem potissimùm rationibus movetur vir doctus. I, *Cheret* Hebræum חרט, quod alii reddunt stilum, alii formam, exprimit facilè interdum stylum; sed nullo documento probatur, accipi interdum pro formâ: respuit autem loci contextus significationem styli, cùm vitulum illum opere fusorio conflatum constet: quæ artefactorum genera nihil opus habent stylo, nisi ad expoliendum: quare in eam rem formandam stylus adhibendus non erat; cùm tamen versio, quæ stylum reddit, formam stylo simulachro traditam innuat. II, vox *Cheret*, nomine ambigente, sonat saccum vel crumenam vel sudarium, vel lineum in quarto Regum (l), & facilè etiam in Isaiâ (m). III, Hebræum צור, *Zur* significat, ligavit, conclusit, tamquam in crumenâ, uti pluribus Sacræ Scripturæ exemplis facilè demonstratur (n). Quod autem legitur in Judicibus, VIII, 25, de Gedeone, qui super stratam humi vestem excepit collatas a populo muneris loco inaures, ut conflaret Ephod; id, inquam, suspicionem inducit, utrùm fortè Aaron in expansâ veste exceperit aurum a populo collatum, quod deinde conflatili opere viris peritis formandum in vitulum tradidit. IV, Tandem narrationis Mosaicæ contextus probat, in eo opere formando styli nullum fuisse usum; vulgari enim retentâ versione reputari oporteret, priùs stylo expolitum fuisse opus, quàm fusili opere conflaretur: quod maximè absurdum est. Itaque si Moyses in serie narrationis suæ naturalem ordinem non prævertit, ita res tota accipienda

(d) *Vide Judic.* VIII, 24; *Exod.* XXXV, 22; *Ezechiel.* XVI, 20. (e) *Plin. l.* XI, *c.* 37: *Vide etiam Xenophon. l.* 1. *c.* 8 *Cyropæd.* (f) *S. Aug. quæst.* 141 *in Exod. & Theod. qu.* 66.

[g] ויצר אתו בחרט ויעשהו עגל מסכה (h) Ἔπλασεν αὐτὸ ἐν τῇ γραφίδι, καὶ ἐποίησαν αὐτὸ μόσχον χωνευτόν. Solam vituli descriptionem Aaroni tribuere videntur: alia verò exemplaria, uti Vatoniana, legunt ἐποίησεν, *Fecit vitulum conflatilem*. Alius Interpres: Ἐν τέχνῃ, *in arte*; quo indicaret, vitulum ab Aarone gravi curâ & studio, instar bovis Apidis, fuisse conflatum, ait Scholiastes: Διαπλάσας τὸν μόσχον, καὶ τορεύσας αὐτόν. (i) *Selden. de Diis Syr. Syntag.* 1, *c.* 4.

[k] *Bochart. de animal. sacr. part.* 1, *l.* 2, *c.* 34. (l) *Vide* 4 *Reg.* V, 23: *Ligavit in duobus saccis. Heb. Ligavit in duobus cheritim. Vide Luc.* XIX, 20: *Ecce mna tua, quam habui repositam in sudario.* (m) *Isai.* III, 22: *Linteamina, & acus. Heb. Linteamina, & cheritim.* [n] *Deut.* XIV, 25: *Portabisque manu tuâ. Heb. Ligabis in manu tuâ. Item* 4 *Reg.* XII, 10: *Effundebantque, & numerabant pecuniam. Heb. Et ligabant, & numerabant pecuniam.*

pienda est, ut aurum priùs in expansam vestem ab Aarone exceptum sit, tum verò metallum igne liquatum, ac tandem fusilis operis vitulus steterit.

Eo autem aureo vitulo, cultum Ægyptiorum erga Apidem imitari voluisse Hebræos, tam certum est, quàm quid aliud. Persuasum id tenuerunt Veteres plures cum Recentioribus ferè omnibus. S. Ambrosius (o), S. Hieronymus (p), S. Augustinus (q), aliique plures in hanc sententiam concesserunt, quam & insinuat S. Stephanus in Actis (r). Scitum est, Ægyptios cultum exhibuisse religiosum Apidi sub imagine bovis, sive vituli, ut appellat Herodotus (s), & Eusebius. Veteres Historici, qui de rebus Ægyptiacis scripserunt, pleni sunt historiarum Apidis, ejusdemque Numinis descriptionum. Quæ spectatur affinitas inter aureum vitulum & bovem Apidem, major est quàm ut casu reputetur inducta: nec superstitionem illam ex Hebræis accepisse Ægyptii unquam censerentur; jam etenim antequam Hebræi facesserent ab Ægypto, colebantur ab incolis bruta illa, quæ Hebræi immolabant in sacrificium (t); atque ultrò admittendum est, inter Ægyptiacas superstitiones nullam esse, quæ Apidis cultum vetustate superet. Consecraverant illi non bovem modò spirantem viventemque, sed & ejus simulachrum erexerant in Templo, siquæ fides Porphyrio (u), Straboni (x), & Melæ (y).

Defendit Philo (z), Israëlitas consecrasse sibi vitulum imitatione impensi ab Ægyptiis cultûs Typhoni; sed error est iste Scriptori huic familiaris, ut Typhonem cum Osiride confundat. Porrò Typhon exprimebatur imagine hippopotami (a), & non bovis; atque horrori ab Ægyptiis habebatur, tamquam Deus noxius (b). Hanc historiam consecrati vituli dissimulat Josephus; ejusque invidiâ raros aliquos homines levioris ingenii onerat Philo (c). Proselytos quosdam Ægyptios, qui comites se dederant Hebræis, Magosque pariter Ægyptios accusant Rabbinorum nonnulli, quasi scilicet ab illis, invito licèt Aarone, vitulus obtrusus sit. Sed repugnant hæc omnia Scripturæ, crimen illud populo universo deputanti, exceptis Levitis illis, qui Moysi adhærentes in cædem noxiorum arma strinxerunt, trucidatis omnibus, quotquot obvios habuerunt in castris. Vide infra ℣. 27.

Veterum Patrum multis ea sedisse videtur persuasio, consecrasse Aaronem non integrum vituli simulacrum, sed caput tantùm. Lactantius (d): *Ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt* (Hebræi) . . . . . . *aureum caput bovis, quem vocant Apim, quod eos signo præcederet, figurarunt*. Tertullianus (e): *Cùm præcessisset eis bubulum caput*. S. Hieronymus in Osee IV: *In eremo vituli conflaverunt caput*. S. Augustinus in Psalmum LXI: *Caput vituli corpus erat impiorum* ita pariter scribunt S. Ambrosius (f), Optatus (g), & S. Isidorus (h). Affirmant illi omnes, Israëlitas erexisse in aram caput vituli, quod a Moyse confractum est; indicari autem eo capite corpus impiorum; ac tandem expressisse illos sibi imaginem capitis Apidis. Nec me fugit, Commentariorum Scriptores plerosque phrases hasce Patrum explicare de integro vitulo; fatemur enim, vernaculo Græcorum & Latinorum sermone sæpe vituli caput perinde esse ac integrum vitulum, uti & duo capita vitulorum idem ac duos vitulos. Ita Homerus (i) scribit, Achillem coram se adduci jussisse *equos, & mulos, & fortia boum capita*, præmia distributurus victoribus in ludis in obsequium Patrocli celebratis. Virgilius Æneidos VI:

Bina boum vobis Trojâ generatus Acestes
Dat numero capita in naves . . . . . .

Sed ægrè inducor ut credam, Patres adeò constanter phrasim illam retinere voluisse, qua integrum vel bovem vel vitulum significarent. Est quidem hoc Poëtis familiare; sed rarum in solutâ oratione, & potissimùm in scriptis Authorum Ecclesiasticorum, quorum est stylus planior & modestior, quàm Profanorum. Ad hæc, loquendi phrasis illa sæpe adeò recurrit & constanter, ut multò verisimiliùs ad literam usurpanda sit, vel saltem alia inducenda interpretatio, quæ Patrum locutioni magis cohæreat. S. Ambrosius, loco superiùs citato, usque tertiò obtrudit *caput vituli* in unâ eâdemque Epistolâ, & ne semel quidem substituit *vitulum aureum*, quod maximè naturale fuisset ac pronum: *Annulos, & inaures in ignem misit, & conflatum est vituli caput*; & paulò infra: *Cur autem vituli caput exierit, sequentia docent*. Tandèm: *Cujus rei indignitate perterritus* . . . . . . *comminuit vituli caput*. Itaque maluerim; sub nomine illo capitis bubuli accipiendum esse simulachrum humanum, sed bubulâ seu taurinâ cervice præditum. Ægyptii, quorum superstitionem, uti jam notavimus, Hebræi adoptarunt, non aliter fermè sibi Numina pingendo exprimebant. Jupiter Ammon præferebat caput arietis cornutum, quod Regiæ ejus dignitatis erat insigne. *Umbilico tenus arieti similis est*, ait Q. Curtius libro IV. Lucanus libro IX: *Stat tortis cornibus Ammon*. Ovidius (k):

Duxque gregis fit Jupiter: inde recurvis
Nunc quoque formatus Lybis est cum cornibus Ammon.

Osiris & Bacchus cornuta erant ac bubuli capitis Numina. In Mercurio & Anubi rictus caninus spectabatur. *Latrator Anubis*, ait Virgilius Æneidos VIII; in quem locum notat Servius, caninum rictum ideò Numini præfigi, quòd canis omnium sit sagacissimus. Isis & Io (l) capite & cornibus referebant vaccam. Astarte Dea Phœnicum

[o] *Ambros. Ep. 66 nov. edit. ad Romulum*. (p) *Hieron. in cap. 4 Osee*. [q] *Aug. contra Faust. l. 22, c. 93*. (r) *Act.* VII, 39, 40, 41: *Aversi sunt cordibus suis in Ægyptum* . . . . *& vitulum fecerunt in diebus illis*. (s) *Herod. l. 3, c. 28*: Ὁ μόσχος ὁ Ἆπις καλεόμενος. [t] *Exod.* VIII, 25, 26.
(u) *Porphyr. l. 2 de abstin.* Αἰγύπτιοι τοσοῦτον ἀπέχουσι τοῦ φονεύειν τῶν λοιπῶν ζώων, ὥστε καὶ τούτων εἰκόνας μιμήματα τῶν Θεῶν ἐποιοῦντο. (x) *Strabo, l. 17*. (y) *Mela, l. 1, c. 8*. (z) *Phil. de vitâ Mos. l. 3*. (a) *Euseb. Præpar. l. 3, c. 12*. [b] *Plut. de Iside*. (c) *Philo, l. 3 de vitâ Mos.* (d) *Lactant. l. 4, c. 10. de verâ sapientiâ*. (e) *Tertull. advers. Judæos, c. 1*. (f) *Ambros. Epist. ad Romul.* (g) *Optat. Milevitan. l. 3: Temporibus Moysi, populus caput vituli coluit*. (h) *Isidor. l. 8 origin. c. 11: Hujus capitis imaginem sibi in eremo fecerunt*.
(i) *Homer. Iliad.* ψ. Ἵππους θ' ἡμιόνους, βοῶν τ' ἴφθιμα κάρηνα.
(k) *Ovid. Metamorph. l. 5, fab. 5*. (l) *Herod. l. 2, c. 41*. Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήϊον, βούκερών ἐστι καθάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι.

Digitized by Google

℣. 5. Quod cùm vidisset Aaron, ædificavit Altare coram eo, & præconis voce clamavit dicens: Cras solemnitas Domini est.

COMMENTARIUS.

nicum (*m*) bubulo pariter capite cornibusque pingebatur. Spectare etiam licet simulachra Serapidis, quæ bubulum præferunt caput, & sphæram tenent manu. Eluro præfigebatur caput felis; Apollini accipitris; Hecati canis; Minervæ felis. Denique non alius aspectus erat Numinum Ægyptiorum, ut observant Porphyrius (*n*) & S. Athanasius (*o*); quorum testimonia confirmantur iis id generis monumentis ferè omnibus, quæ inter cimmelia eruditorum servantur. Sedet itaque nobis ea persuasio, cùm Hebræi cultum Numinum Ægyptiorum consecrato aureo vitulo imitari studuerint, & Patres eumdem Deum sub nomine capitis bubuli seu vitulini significarint; eos, inquam, immisse Numen, cui omnia essent hominis, caput autem bovis seu vituli. Quos erexit Jeroboam aureos vitulos, Numinum seu Ægyptiorum seu Phœnicum imitatione, illos pariter credo bubulum caput, humana membra prætulisse.

Evincere conatus est Monceius, duobus Libris *de Aarone purgato*, Vitulum illum aureum Aaronicum imaginem retulisse Cherubim perquàm simillimam; his autem Cherubim insedisse Deum, falsò sibi Author ille persuadet, cùm spectandum se Moysi præbuit in monte Sinai. Exhibebant Cherubim illi, juxta Authorem, alatos boves, ad quorum imaginem expressit Legislator deinde Cherubim Propitiatorii. Censet autem, Aaronis crimen nullum fuisse in conflando vitulo, nec populi culpam in eo positam, quòd vitulum illum adoraret, tamquam imaginem & emblema seu Angeli Domini, seu Dei ipsius, cui thronum formarent Cherubim; sed Sacerdoti quidem crimini datum, quòd offendiculum præbuerit populo, exhibendi vitulo illi consecrato idololatricam ac superstitiosam adorationem. Ita pariter & erectos in Altari a Jeroboamo vitulos post secessionem decem Tribuum, reputat pariter Cherubim, quorum sub imagine vero Deo cultum impenderint Israëlitæ; quare admissis aureis illis vitulis, nec a fide nec a cultu veri Dei recessisse Israëlitas defendit; reos tantum secessionis factæ a fratribus suis, qui eumdem ipsum Deum assidentem super Cherubim Jerosolymæ adorarint. Fusè hanc sententiam propugnat, & eruditè, non minus tamen falsam & temerariam, quare meritissimè Romæ damnatam. Refutat illam Visorius scripto Libro, impressoque Parisiis, anno 1680. Consule etiam Vitsium (*p*), & quæ nos disputavimus alibi de vitulis aureis Jeroboami. Marsilius Ficinus suspicatus est, Aaronem id tantùm molitum esse, ut conderet Talismanum Veneris, præsentissimum contra influxus Scorpii Martis malignos Judæis, remedium. Ita pariter & alterum id generis Talismanum in serpente æneo propositum agnoscit: quam opinionem, absurdam licèt ac ridiculam, adoptavit pariter Marshamus (*q*).

Opificem, qui aureum illud vitulum formavit, *Alsamirum* vel *Alsamerum* appellat Alcoranus, Surâ xx; ubi & legimus, anathemate inustum illum fuisse a Moyse, damnatumque, ut nunquam a discurrendo per orbem totius vitæ tempore cessaret. In hujus sententiæ executionem huc illuc errabat Alsamerus, & si quem habebat obvium, monebat: *Cave ne me tangas*. Geographus Nubiensis (*r*) affirmat, hunc ipsum Alsimerum patrem fuisse Judæorum quorumdam, qui Samaritani appellantur, incoluntque insulam quamdam maris Rubri; cujus originis suæ ab Alsamero hoc exhibent argumentum, quòd obvios formulâ illâ moneant: *Cave ne me tangas*. Sed hæc atque omnia, quæ de Judæo errante dicuntur, inter fabellas sunto.

Fortè Aaron in ejus vituli formationem singularem unum, vel plures peritissimos artifices applicavit; nec sinè illos segnes instituisse operi oportet, cùm Moyses nonnisi xl. dierum moram traxerit in monte; nec nisi post plures ab ejus ascensu dies tædio longæ absentiæ populus Numen aliquod postulasse videatur, quo præeunte iter prosequeretur.

DIXERUNTQUE: HI SUNT DII TUI ISRAEL. Animadversum est supra, legi apud Septuaginta, *Israëlitas fecisse sibi vitulum*, cujus modulum dedit Aaron; sed alia eorumdem Septuaginta Exemplaria ferunt, ab Aarone ideam conflandi operis suppeditatam fuisse tum & operis conflatili paratum ab illo simulachrum, istoque per ipsum edicto, denunciatum fuisse Israëlitis, eo Numine eductum esse populum ex Ægypto: *Fecit vitulum conflatilem, & dixit: Hi sunt Dii tui*. Tandem alia quædam exemplaria cum Hebræo congruentia ferunt: *Fecit vitulum .... & dixerunt*. Quæ posterior lectio retinetur non solùm a Vulgatâ & Hebræo, sed & a Samaritano, & Versionibus omnibus. Illud tantùm singulare est in Arabico, quòd addit: *Adoraverunt eum*. Interpretes quidam reputant, Aaronem palam edixisse ea quæ hîc expressa sunt, tamquam derisiculo rem totam traducturus: *Hi sunt Dii tui &c.* En præclara Numina, quorum validâ ope eductus es ex Ægypto. Sed præstat hæc omnia deputare impiis cæterisque, qui in postulando sibi Numine aliquo oculis subjecto, ardentiores se præbuerant.

℣. 5. CRAS SOLEMNITAS DOMINI EST. Hebræum *Jehova*, quod hîc legitur, eam nonnullis indidit persuasionem (*s*), consilium fuisse Aaronis consecrandi vero Deo vitulum, quem paraverat; denunciatamque ab illo solemnitatem ad Deum Jehova spectare, quem Deum proponere cultui populi sub vituli imagine opportunum reputarit, opperiens interim reditum Moysis. Hæc illi

(m) *Sanchoniaton apud Euseb. Præparat. lib. 1, c. ult.* Αʹστάρτη ἐπέθηκε τῇ ἰδίᾳ κεφαλῇ βασιλείας παράσημον κεφαλὴν ταύρου. (n) *Porphyr. de abstin. l. 4. sect. 9.* Παρ' αὐτοῖς τὶς μέχρι τραχήλου ἀνθρωποειδὴς τὸ δὲ πρόσωπον ὀρνέου λέοντος, ἢ ἄλλου τινὸς ζώου κεκτημένος. (o) *Athanas. orat. contra Gentes, n. 9.* Αἰγύπτιοι γὰρ ἀλόγοις ἐπιμίξαντες, καὶ ἀνόμοια τῇ φύσει ἐνέφαινον, ὡς θεοὺς θρησκεύουσι, οἷοί εἰσιν οἱ παρ' Αἰγυπτίοις κυνοκέφαλοι, καὶ ὁ παρὰ Λίβυσι κριοκέφαλος Ἄμμων. (p) *Vits. Ægyptiac. l. 2.* (q) *Marsh. Chron. Ægypt. sæc. 9. p. 243, de serpente æneo.* (r) *Part. 5, Clim. 2.* (s) *Vatab. Est. Lyr. Boch. le Clerc, &c.*

℣. 6. Surgentesque manè, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.

℣. 7. Locutus est autem Dñs ad Moysen, dicens: Vade, descende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de terrâ Ægypti.

℣. 8. Recesserunt citò de viâ, quam ostendisti eis: feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt Dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.

℣. 9. Rursumque ait Dominus ad Moysen: Cerno, quòd populus iste duræ cervicis sit:

℣. 10. Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.

℣. 11. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur, Dñe, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terrâ Ægypti, in fortitudine magnâ, & in manu robustâ?

COMMENTARIUS.

illi ad amovendum ab Aarone crimen. Addunt insuper (*t*), pro viribus conatum fuisse Sacerdotem, ut ab eo consilio, parandi scilicet sibi Numinis fusili opere, populum removeret; cùm autem frustra esse omnia intelligeret, tentasse, ut eorum cultum in verum Deum dirigeret. Tuentur Rabbini, sed gratis prorsus, Aaronem non priùs consensisse in Idoli consecrationem, quàm spectatâ morte Hur, coram se trucidati, quòd populum ad saniora consilia reducere conaretur. Nihilo tamen minùs Aaronis imbecillitas atque remissio animi in re tanti momenti nullâ excusatione minui potest. Intelligimus ex Deuteronomio (*u*), Deum tanto Sacerdotis crimine irritatum necem ejus decrevisse; quam tamen Moyses precibus suis avertit. Nec ipse a se Aaron amovet culpam, cùm a Moyse gravissimis verbis castigatur (*x*). Qui multò etiam graviori crimine oneraretur, si quis statuerit cum Cornelio a Lapide (*y*), illum, postquam restitisset nonnihil, populo tandem se permisisse, adeò a pravis eorum studiis in præceps raptum, ut spontè Aram pararet conflato vitulo, sive quò majorem gratiam populi iniret, sive etiam facilè, ut Principatum populi absente Moyse sibi compararet. Sed nonne Scriptura satis causarum sufficit ad damnandum Aaronem, ut cogamur indigna hæc commiscisci, quibus accusetur?

℣. 6. SURGENTESQUE MANE OBTULERUNT HOLOCAUSTA. Aaroni hæc omnia tribuunt Septuaginta (*z*): *Et surgens manè die crastino, ascendere fecit holocaustomata*. Nec sanè diffitendum, in universâ hac re gestâ authorem se omnium exhibere Aaronem, agique se permittere, quocumque raperent jactarentque prava seditiosorum studia.

ET SEDIT POPULUS MANDUCARE, ET BIBERE, ET SURREXERUNT LUDERE. Augebant Sacrificiorum solemnium pompam, quà apud Hebræos, quà apud gentes alias, convivia, musica instrumenta, atque concentus, ludi, choreæ. Sub eâ voce *Ludere* infames ludos designatos agnoscit Tertullianus *de Jejunio*. *Ludere* interdum apud Latinos est ducere choreas. Virgilius Eclogâ VI:

Tum verò in numerum sylvasque ferasque videres
Ludere.

Interdum est canere instrumentis. Eclogâ I:

Ludere quæ vellem calamo permisit agresti (*a*).

℣. 9. RURSUMQUE AIT DOMINUS AD MOYSEN. Deest hic versiculus apud Septuaginta.

℣. 10. DIMITTE ME, UT IRASCATUR FUROR MEUS CONTRA EOS. Moysis preces firmum quodammodò aggerem opponebant, ne Dei furor erumperet in populum; seu potiùs Deus ipse formabat in corde Moysis preces, quibus flecti volebat ad pietatem: Dei misericordia opponebatur Justitiæ, & ne exereretur prohibebat. Onkelos: *Dimitte deprecationem tuam a facie meâ*; dimitte me, ut ulciscar de populo. Notat Theodoretus (*b*), cùm Deus Moysem veluti rogat, *dimitte me*, veluti tacitè innuisse: Averte precibus tuis furorem meum. Demonstrat hîc Deus nullâ se passione tangi, simulque totum ferri in misericordiam. Qui enim aguntur passionibus, furunt, si quem nacti sint resistentem; sed Deus virum sibi charum admonet futurum, ut, si dimittatur, actum sit de populo suo. Num, si perdere voluisset Hebræos, iis hæc verba mentem suam expressisset? Scitè animadvertit S. Gregorius [*c*]: *Quid est servo dicere: Dimitte me; nisi deprecandi ansam præbere? Quasi: Pensa quantum apud me valeas; & cognosce, quia obtinere poteris, quidquid pro populo exoras*. Huic versiculo addit aliqua Samaritanus: *In Aaron etiam iratus est valdè Dominus ad perdendum eum; sed oravit Moyses pro Aarone*.

FACIAM TE IN GENTEM MAGNAM. Pronus est verborum originalium sensus (*d*). Sed & ita commodè redderetur: *Faciam te principem in gentem magnam*. Quæ semel promissa iterum pollicetur Deus in Libro Numerorum (*e*), aliâ occasione.

℣. 11. IN FORTITUDINE MAGNA, ET IN MANU RO-

[*t*] *Theod. qu. 66 in Exod.* (*u*) *Deut.* IX, 20: *Adversùs Aaron quoque vehementer iratus, voluit eum conterere.* (*x*) ℣. 23, 24. (*y*) *Ad* ℣. 5. (*z*) Καὶ ὀρθρίσας τῇ ἐπαύριον ἀνεβίβασεν ὁλοκαυτώματα. (*a*) *Vide & 2 Reg.* VI, 5. [*b*] *Quæst. 67 in Exod.* (*c*) *Greg. l. 9 Moral. c.* II. (*d*) *Vide ad Genes.* XII, 2. (*e*) *Num.* XIV, 12: *Te autem faciam principem super gentem magnam.*

℣. 12. Ne, quæso, dicant Ægyptii: Callide eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret e terrâ: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitiâ populi tui.

℣. 13. Recordare Abraham, Isaac, & Israël, servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli: & universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper.

℣. 14. Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversùs populum suum.

℣. 15. Et reversus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu suâ, scriptas ex utrâque parte,

℣. 16. Et factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.

℣. 17. Audiens autem Josue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Ululatus pugnæ auditur in castris.

℣. 18. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio.

℣. 19. Cùmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros: iratusque valdè, projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis:

COMMENTARIUS.

ROBUSTA. Samaritanus: *In virtute magnâ, & in brachio extenso.*

℣. 12. CALLIDE EDUXIT EOS. Hebræus ברעה הוציאם *Dolo malo*, malo consilio; seu: *Malo suo eos ab Ægypto eduxit.*

℣. 15. DUAS TABULAS TESTIMONII SCRIPTAS EX UTRAQUE PARTE. Hebræus (f): *Tabulæ scriptæ a duobus suis lateribus. Hinc & hinc erant scripta;* veluti si præcepta omnia plus essent quam ut unicum tabulæ latus implerent, quare primâ paginâ occupatâ, in aversâ etiam notanda quædam superfuerint; vel fortè eadem scriptura, quæ interiori tabulæ mandata erat, itidem in exteriori repetita est. Porrò geminæ tabulæ eadem referebant descripta, ut perinde essent ac duo ejusdem instrumenti autographa. Receptus apud Veteres mos nullus erat scribendi ex utroque latere seu ligni, seu lapidis, seu abacorum. Quare id sedulò monendum duxit Moyses, tamquam singulare aliquid & insuetum, traditas scilicet in monte tabulas ex utroque latere descriptas fuisse. Oleaster & Rivetius autumarunt, geminas illas tabulas aptè cohæsisse inter se, seque mutuò occlusisse; scripturam verò totam inter utramque intùs clausam latuisse, quemadmodum communiter in libris fieri videmus. Ita verò illi Hebræum reddunt: *Scriptura a duobus anterioribus*; itaut alterâ alteri tabulæ applicatâ, scriptura utriusque omnino celaretur.

Rabbinorum nonnulli defendunt, tabulas illas Legis, quòd essent perforatæ, exhibuisse Scripturam quaquaversum aspicientibus legendam; sed multò commodius idem præstari potuisset, descriptis in utroque latere tabularum iisdem rebus, siquidem id habuit propositi Deus, ut intus & foris legenda traderet: ita neque contrario situ ac modo characteres illos percurrere opus fuisset, quod utique in hypothesi illorum Doctorum fieri necesse erat. Reputarunt alii, Legem bis descriptam fuisse in eâdem tabulâ, per binas columnas, distinctas lineâ intermediâ: nec desunt qui quater descripta eadem mandata in unicâ tabulâ asfirment, distinctâ scilicet eâdem tabulâ per lineas sese decussatim secantes, formantesque quatuor æquilatera triangula.

℣. 18. NON EST CLAMOR ADHORTANTIUM AD PUGNAM. Hebræus ad literam (g): *Non vox respondentium fortitudinem & non vox respondentium debilitatem: vocem canentium audio ego.* Hebræum *hanah*, quod reddimus *respondere*, exprimit cantilenas per alternos choros, seu clamores invitantium alios, & respondentium. Moyses Josue affatus, audire se dicit clamores, non quales populi victoris seu militum adhortantium se ad prælium, nec fractorum hostium, quos victores premunt; sed veluti cantilenas lætitiæ & gaudii.

℣. 19. CONFREGIT EAS AD RADICEM MONTIS. Notat S. Augustinus (h), factum illud Moysis ceu symbolo, & oraculo quodam expressisse suppressionem atque abrogationem veteris Legis, ut locus fieret novæ. Ob fractas a Moyse Legis tabulas esurialem agebant Judæi diem XVII quarti mensis

---

(f) לחות כתבים משני עבריהם
(g) אין קול ענות גבורה ואין קול ענות חלושה
(h) *Aug. qu. 144 in Exod.*

℣. 20. Arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex ex eo potum filiis Israël.

℣. 21. Dixitque ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?

℣. 22. Cui ille respondit: Ne indignetur Dominus meus: tu enim nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum:

℣. 23. Dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de terrâ Ægypti, nescimus quid acciderit.

℣. 24. Quibus ego dixi: Quis vestrûm habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & projeci illud in ignem, egressusque est hic vitulus.

℣. 25. Videns ergo Moyses populum, quòd esset nudatus (spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat)

COMMENTARIUS.

mensis (*i*).

℣. 20. CONTRIVIT USQUE AD PULVEREM. Aureum illum vitulum in ignem Moyses projecit, liquatumque metallum dispersit in minutissimas guttas, ceu pulverem, quem cum aquâ miscuit, unde potabat populus; eo veluti documento demonstrans, quàm vanum illi sibi Numen posuissent, quod ne posset quidem confractionem suam prohibere. Sunt qui credant, Moysem valuisse arte redigendi aurum in pulverem herbis quibusdam seu pulveribus, auro liquato infusis. Affirmat Abenezra, certum atque experientiâ compertum teneri, aurum hac admixtione in atros veluti carbones ita redigi, ut nunquam in pristinam formam restituatur. Perhibet Emmanuel Sa, peritum quemdam Alchimistam eâ, qua valebat, arte redegisse coram se aurum in pulverem.

Deliramenta hæc reputat Bocharius, demonstratque, commentis hisce vel Moysem ipsum repugnare, non obscurè affirmantem in Deuteronomio (*k*), aurum illud liquandum igni commisisse, tum redegisse in frusta & in pulverem. Erasum mordente limâ metallum censent Chaldæus, Syriacus, & Arabs; quod insinuatum a Moyse credit Bocharius, dum asserit, in frusta aurum illud sese comminuisse. Porrò rasura seu pulvis auri communis olim erat. Ex eo pulvere inspersisse comas suas juvenes Aulicos Salomonis, notat Josephus (*l*). Moyses igitur rasuras hasce seu pulverem in aquas projecit; quod ab illo eo consilio factum aliqui putant, ut cultum Apidis de ridiculo traduceret. Memoriæ proditum legimus, bovem Apim immergi consuevisse in fonte, mersumque ingenti ejulatu defleri; tum alio Apide, bove scilicet simili, apparente, magnâ illum gaudii significatione excipi. Nefas erat apud eas gentes & crimen inexpiabile, mactare seu vorare e Diis hisce suis aliquem. Moyses aureum vitulum evertit, redactumque in pulverem demersit aquis; tum aquas illas propinavit Israëlitis, impunè hæc omnia spectante atque ferente illo Numine. Satis hæc videbantur ad evertendam ingentem illam conceptam a populo de Apide opinionem.

Inter fabellas per nos esto (*m*) opinio ferens, torrentis Horeb aquas ejus pulveris medicamine similem induisse virtutem atque aquæ zelotypiæ; ex quibus qui degustarent, siquidem rei fuissent idololatriæ, noxia quædam contrahebant ulcera; eodemque detecti indicio a Moyse cædebantur.

Pudet autem absurda illorum (*n*) commenta referre, ex auratis illis aquis infectam aureo colore barbam illis omnibus fuisse affirmantium, qui in crimine propugnando ardentiores cæteris fuissent; id autem & ad totam illorum posteritatem transmissum dicunt (*o*).

Nam rutilans auro monstrabit barba nocentes,
Dum patulo latices fluminis ore bibunt.

℣. 21. QUID TIBI FECIT HIC POPULUS? Aaronis indulgentia, & imbecillitas resistendi impiis populi conatibus, ingenti illum crimine oneravit, quod resistendo utique avertisset. *Peccatum maximum* significare potest æquè & crimen & criminis pœnam. Induxisti super eum malum ingens, justam criminum ultionem.

℣. 22. QUOD PRONUS SIT AD MALUM. Hebræus. *Tu nosti populum, quòd in malo ipse sit*. כי ברע הוא. Textus Samaritanus: כי פרוע הוא. *quòd nudatus sit*, vel, *quia seditiosus est*. Septuaginta: Σὺ γὰρ οἶδας τὸ ὅρμημα τοῦ λαοῦ τούτου; *Tu enim nosti impetum populi hujus.*

℣. 25. VIDENS MOYSES POPULUM, QUOD ESSET NU-

(i) *Hieron. in Zachar.* VIII. (k) *Deut.* IX, 21: *Vitulum arripiens, igne combussi, & in frusta comminuens, omninoque in pulverem redigens, projeci in torrentem. Hebr. ad liter. Vitulum accepi, & combussi illum igne, & contrivi illum molendo bene, donec comminutus esset in pulverem.* (l) *Joseph. Antiq. l.* 8. *c.* 2. (m) *Moncaus, Aaron purgatus l.* 2, *c.* 8; *Rabb. plerique.* (n) *Rabb. Rupert. Petrus Comestor, hist. Scholast. Naucler. & Lyran.* (o) *Petrus de Rigâ in aurorâ, apud Selden. de Diis Syr. Syntag.* 1, *c.* 4.

℣. 26. Et stans in portâ castrorum, ait: Si quis est Domini: jungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi:

℣. 27. Quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ponat vir gladium super femur suum: ite, & redite de portâ usque ad portam per medium castrorum, & occîdat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.

℣. 28. Feceruntque filii Levi juxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illâ quasi viginti tria millia hominum.

COMMENTARIUS.

NUDATUS. Reddi posset Hebræus (p) ad literam: *Et vidit Moses populum, quòd nudatus erat, quia discooperuerat eum Aaron ad infamiam in medio hostium suorum.* Onkelos vertit: *Vidit Moyses populum, quòd otiosus esset, otiosum enim fecerat Aaron, ut contaminaret eos in crimine pessimo, in generationes suas.* Septuaginta (q): *Cùm vidisset Moyses populum, quia dissipatus est (dissipavit enim eos Aaron, gaudium adversariis eorum.* Symmachus: *Eò quia populus nudatus esset, & Aaron tradidisset eos in infamiam hostibus eorum.* Theodotion. *Vidit Moyses, quòd populus dissipatus esset; dissipaverat enim eos Aaron, ut lætificaret hostes eorum.* Syriacus. *Videns autem Moyses populum peccasse (peccare enim fecerat eos Aaron, ut essent famâ putidâ in novissimis suis.* Arabs: *Cùm autem vidisset Moyses populum detectum, eò quòd detexisset Aaron infames, (& separasset) ab iis, qui restiterant eis.* In variis hisce versionibus variis, quibus subest Hebræus, sensus intelligimus. Ex fide Arabis insinuaretur, Aaronem omnium seditiosissimos in populo vestibus exuisse, & segregasse a cæteris, qui conscios fieri se criminis recusaverant.

Juxta Vulgatam reputandum est, Moysem spectasse populum pretiosissimis quibusque exspoliatum, quòd scilicet Aaron aureis ornamentis illum privasset ad opus vituli, quod hîc est *ignominia sordis*, vel *ignominia sordida*. Scripturæ stylo Idola appellantur sæpè *Dii stercorei*.

Phrasis quædam occurrens in secundo Paralipomenon XXVIII, 19, ubi de Achaz, qui Judam *nudaverat auxilio*, in eam me persuasionem inducit, nihil insinuare voluisse Moysem, nisi ignominiâ hac & crimine consecrati vituli Israëlem onustatum fuisse, & omnium indigum, confusione prostratum, derelictum a Deo, ope destitutum, velut hominem, qui se nudum inter medios hostes deplorat.

Sunt qui credant, anticipatione quadam hæc referri; nec Aaronem exuisse ornamentis suis populum, nisi post jussionem factam a Moyse, de qua capite sequenti, ℣. 5, 6. Sed vix hæc reliquo contextui cohæreant. Distinguit enim Moyses non obscurè hîc ℣. 29, 30, diem, quo in cæde XXIII M hominum sævitum est, a manè alterius diei, quo populus ornamenta sua ponere jussus est, capite XXXIII, 4, 5, 6. Versiculus 35 hujus capitis, referens perculsum a Deo populum suum Idololatriæ hujus reum, ad ultionem Moysis de Israëlitis exactam refertur.

℣. 26. STANS IN PORTA CASTRORUM. Ita facilè designatur locus in castris, ubi jus dicebatur, seu potius aditus castrorum; cui posteriori explicationi plurimùm favent, quæ proximè sequuntur.

℣. 27. ITE ET REDITE DE PORTA USQUE AD PORTAM. Demonstrantur his verbis occlusa castra, duobus tantùm portis pervia. Vel fortè Levitæ in plures coacti sunt manus, & juxta ordines tentoriorum, discurrebant ab extremo ad extremum, obvios quoscumque cædendo.

℣. 28. FILII LEVI; idest quicumque ex iis a crimine non participassent. Ex subsequentibus intelligimus, Levitas illos ultionem Domini prosequentes nec filiis nec fratribus suis pepercisse [r]. Et in Deuteronomio XXXIII, 9, de illis affirmat Moyses: *Qui dixit patri suo & matri suæ: Nescio vos*; vel naturalibus ipsis pietatis in parentes & fratres vocibus surdas aures præbuerunt.

VIGINTI TRIA MILLIA HOMINUM. Hebræus, Samaritanus. Versiones Græcæ, Chaldaicæ, Arabicæ. Persicæ, Samaritanæ nonnisi III M hominum ferunt; sicut & XXX M præferunt Rabbini apud Bochartum (s), item Philo (t), Tertullianus (u), S. Ambrosius (x), Optatus libro III, S. Isidorus Hispalensis in Exodum, Rabanus in Exodum. Vulgata in Polyglottis Antuerpiensibus ac Parisiensibus, ac tandem postrema Editio S. Hieronymi. Petrus Comestor (y) nonnullis Exemplaribus legebat XXIII M, in aliis III M. P. Martianæus notat, pleraque vetusta Latina MSS. favere lectioni viginti trium millium; nonnulla tamen ferre pariter III M, quod & ipse pariter retinuit in Bibliis S. Hieronymi, operâ suâ vulgatis. A vero non abludit, Tertullianum, & S. Ambrosium legisse tria millia in veteri Vulgatâ; irrepsisse verò viginti tria millia in Latinos codices occasione eorum, quæ leguntur in primâ ad Corinthios X. 7, 8: *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis .... Neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis, & ceciderunt unâ die viginti tria millia.* Reputatum est, Idololatriam hîc & fornicationem unum idemque significare, insinuarique hîc ab Apostolo, cultum aurei Vituli cæde XXIII M hominum expiatum: re ipsâ tamen distinguendus est cultus aurei Vituli, de quo in hoc Textu ℣. 7, a fornicatione Israëlitarum cum puellis

(p) וירא משה את העם כי פרע הוא כי פרעה אהרן לשמצה בקמיהם
(q) Ἰδὼν Μωυσῆς τὸν λαὸν ὅτι διεσκέδασται (διεσκέδασε γὰρ αὐτοὺς Ἀαρὼν, ἐπίχαρμα τοῖς ὑπεναντίοις αὐτῶν). (r) ℣. 29: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio & in fratre suo.* (s) *Apud Bochart. de animal. sacr. part. 1, l. 2, c. 34.* [t] *Philo, l. 3 de vitâ Mos.* (u) *Tertull. Scorp. c. 3.* (x) *Ambr. Ep. ad Romul.* (y) *Petr. Comestor, Hist. Exodi.*

℣. 29. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.

℣. 30. Facto autem altero die, locutus est Moyses ad populum: Peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.

℣. 31. Reversusque ad Dominum, ait: Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam,

℣. 32. Aut, si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.

℣. 33. Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo:

COMMENTARIUS.

puellis Moabiticis, quam cædes xxiv millium secuta est: quare hanc cædem exprimit Apostolus ℣. 8.

Qui Vulgatam Latinorum Bibliorum lectionem defendunt, notant, S. Gregorium Magnum (z), S. Cyrillum Alexandrinum (a), Rupertum hic, S. Petrum Damiani (b), & majori numero codices MSS. atque impressos præferre xxiii millia. Cui lectioni favere etiam Textum Hebraicum defendunt quidam, cùm litera *Caph*, quæ accepta est tanquam exprimens illud *quasi*, nota sit etiam numeralis, numeri xx. Quare legunt כ שלשת pro כשלשת. Tandem ut concilient Apostolum cum Moyse, reputant quidam, complexum fuisse Apostolum eos omnes, quos occupavit exitium, seu gladio, seu peste, seu aquis torrentis, quibus demersus est pulvis contriti Vituli; a Moyse verò nonnisi trucidatos gladio numero illo trium millium designatos fuisse.

℣. 29. Consecrastis manus vestras hodie Domino. Reddi posset Hebræus & Septuaginta (c): *Implete*, vel *consecrate manus vestras Domino*; veluti si adhortatione quàdam Sacerdotes animaret Moyses, ut stringerent in fratres suos gladium; vel si, juxta Vulgatam, post rem strenuè gestam, illos tanquam fortes, & generosos laudaret. Consecrastis hodie manus vestras Domino. Fortis, generosi, atque rebus Divinis inhærentis animi vestri perpetuum statuistis monumentum. Quod demonstrastis hàc occasione studium, & ardorem in effundendo sanguine vel fratrum vestrorum, anticipatâ quàdam initiatione manus vestras consecravit, ut, quos immolastis, impii perinde sint, ac totidem mactatæ a vobis Domino hostiæ.

℣. 31. Reversusque ad Dominum, ait, &c. Turbatum aliquid præfert series Mosaicæ narrationis, quòd connexionem, ac rerum seriem interrumpant, invertantque transpositæ quædam circumstantiæ, atque animadversiones nonnullæ hinc inde obtrusæ. Quare operæ pretium nos facturos censemus, si rem totam hic exponamus ordine, quem maximè judicamus, apto, atque naturali. Descendens e monte Legislator geminas tabulas confringit: comminuit aureum Vitulum: Aaronem de imbecillitate animi gravibus castigat: manè alterius diei granditatem admissi criminis coram populo exaggerat: iterum se restituit monti, veniam a Domino sontibus postulaturus: Deus virum remittit, pollicerturque missurum se Angelum suum, quo introducantur in terram promissionis; exacturum se tamen de illorum crimine pœnam die ultionis suæ, nec ipsum se deducturum populum in Regionem. Continuò Moyses e Monte descendens, omnia hæc refert ad populum; quem ponere ornamenta sua, & arma, Deo ita mandante, jubet Aaron. Secundùm hæc, Moyses Levitis mandat, ut discurrant per castra, reos criminis, quos habuissent obvios, trucidantes, quod in Capite xxxii, 15, 29, descriptum est. Post hæc omnia, Moyses tentorium suum extra castra transfert (d); iterumque ex eo Tabernaculo vota dirigit ad Dominum, veniam expugnaturus precibus; quam tandem & obtinet, ac pristinum deducendi populi munus resumit (e).

℣. 32. Dele me de libro tuo, quem scripsisti. Hebræus ad literam (f): *Et nunc si auferes peccatum eorum, & si non, dele me nunc de libro tuo*: idest: *Si vis auferre peccatum eorum, aufer; alioqui dele me de Libro tuo*; quæ est pariter & Septuaginta expositio (g): *Et nunc siquidem remittis eis peccatum eorum, remitte*. Patribus nonnullis (h) persuadetur, sermonem hic esse de vitâ, qua mortales homines vivimus; veluti si optaret Moyses exscindi ex hominibus, siquidem Deus dare veniam populo suo peccanti recusaret. In Numeris xi, 15, Deum rogat Moyses, ut auferatur a se regimen populi: *Sin aliter*, addit, *tibi videtur, obsecro te, ut interficias me*. Paria sunt hic vota. R. Salomon *Libri* hujus nomine designatum censet volumen Legis, veluti si optaret Moyses expungi e Libro fœderis, & e censu populi Dei.

Phrasis hæc, *Dele me de Libro tuo*, exhibet Deum tanquam Principem, qui servos suos omnes, milites, amicos habet in censu descriptos. Moyses subito quodam impetu spiritûs rationem præveniente rogat, deleri se ex eo libro, siquidem non impetraverit veniam populo. Si decretum est tibi delere populum, in quem beneficia adeò multa contulisti, quocum percussisti fœdus, super-

(z) *Greg. Mag. l.* xx *Moral. & in* 1 *Reg.* xiv. (a) *Cyrill. Glaphyr. l.* 2. [b] *Damian. tom.* 2, *ser.* 6.
(c) מלאת ידכם *Septuag.* Πληρώσατε. *Alii codices*, ἐπληρώσατε, *implevistis*. (d) *Cap.* xxxiii, 8.
(e) ℣. 12, 18. (f) ועתה אם תשא חטאתם ואם אין מחני נא מספרך אשר כתבת
[g] Εἰ μὲν ἀφεῖς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν αὐτῶν, ἄφες, &c. (h) *Hieron. ad Algasiam*; *Gregor. Mag. lib.* x *Moral.*

℣. 34. Tu autem vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi: angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.

℣. 35. Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

COMMENTARIUS.

superstes ego ejus excidium videre nolo: eodem me ac illum excidio obvolve; libeos enim remitto datam mihi fidem tuam, futurum, ut constituar pater maximæ gentis: opto mihi cum hisce interitum. Scriptores quidam Commeotariorum interpretantur hoc de libro prædestioationis (i), veluti si consentiret Moyses in reprobationem suam, oegante Deo veniam populo. Quæ sunt vota ultra ius & fas; sed exaggeratione hac sibi utendum censuit Moyses, quò validiùs illud exponeret quo tenebatur, extremum desiderium salutis populi sui, ac metum, ne adjacentes circa populi blasphemo ore lacerarent Dominum, seù doli mali sive imbecillitatis illum accusantes (k). Docet S. Augustinus (l), Moysem, cùm de prædestinatione suâ certò sideret, rogasse Deum, ut sive populo suo indulgeret, sive ipse e Libro vitæ deleretur; spe fretum firmissimâ, nonquam commissurum Deum, ut decretum electioois suæ mutaret. Veniam etiam impetraturum se a Deo sperabat. Vide similem voti phrasim apud Apostolum [m].

℣. 35. PERCUSSIT ERGO DOMINUS POPULUM PRO REATU VITULI. Censent quidaio (n), Deum percussisse populum, dum adhuc ibi versaretur, plagâ aliquâ hìc non expressâ, sumptis ita de cultoribus Vituli pœnis. Favet huic sententiæ Textus. Malunt alii explicare de malis omnibus, quibus Deus vexavit Israëlitas reliquo itineris per desertum tempore.

CAPUT XXXIII.

Veniam Moyses populo a Deo impetrat: populus vicissim dejectus ac plorans luget peccatum suum. Moyses facie ad faciem cum Deo loquitur; cui spondet Deus posteriora sua se illi ostensurum.

℣. 1. LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Vade, ascende de loco isto tu, & populus tuus, quem eduxisti de terrâ Ægypti in terram, quam juravi Abraham, Isaac, & Jacob, dicens: Semini tuo dabo eam:

℣. 2. Et mittam præcursorem tui angelum, ut ejiciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum:

℣. 3. Et intres in terram fluentem lacte, & melle. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es: ne fortè disperdam te in viâ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VADE, ASCENDE DE LOCO ISTO. Restitue te castris; deducendi populi munus resume, deducendi, inquam, in regionem, quam vobis me daturum spopondi. *Populum meum* non dicit Deus, quòd iosidelis esset & idololatra. Utitur autem verbo, *ascende de loco isto*, quòd situs Chanaanitidis altior esset Arabiâ, nbi tunc versabantur. Porrò Moyses tunc fuisse adhuc videtur io Tabernaculo, de quo infra, ℣. 7.

℣. 2. MITTAM PRÆCURSOREM TUI ANGELUM. Ut populum suum deserat penitus, nonquam se commissurum affirmat Deus: fidem eorum, quæ promiserat, mittendi scilicet illum in possessionem Chanaanitidis, se impleturum spondet; simul autem declarat, non diù retentorum se munus ducendi illos, sed loco sui daturum ex Angelis suis aliquem, qui promissionum divinarum fidem exsolvat.

℣. 3. NON ENIM ASCENDAM TECUM, QUIA POPULUS DURÆ CERVICIS ES, NE FORTE DISPERDAM TE IN VIA. Si deducere vos prosequar, fiet tandem, ut vos criminibus vestris me provocetis, atque

(i) *Lyran. Menoch. Vat. Rivet. &c.* [k] *Vide* ℣. 32. (l) *Aug. quæst.* 147 *in Exod.* (m) *Rom.* IX, 3: *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* (n) *Lyran. &c.*

℣. 4. Audiensque populus sermonem hunc pessimum, luxit: & nullus ex more indutus est cultu suo

℣. 5. Dixitque Dominus ad Moysen: Loquere filiis Israël: Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te. Jam nunc depone ornatum tuum, ut sciam, quid faciam tibi.

℣. 6. Deposuerunt ergo filii Israël ornatum suum a monte Horeb.

℣. 7. Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocavitque nomen ejus, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis extra castra.

℣. 8. Cùmque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat universa plebs, & stabat unusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium.

℣. 9. Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse,

COMMENTARIUS.

atque omnes tradam exterminio. Chaldæus: *Non enim ascendere faciam majestatem meam in medio tui*. Arabs: *Non ascendere faciam lucem meam inter vos*. Inter populos hìc recensitos, Gergesæos addunt Septuaginta.

℣. 4. Et nullus ex more indutus est cultu suo. Septuaginta omiserunt illud: *Et nullus ex more indutus est cultu suo*. Syriacus habet: *Nec assumpsit ullus arma sua super se*. Ita pariter interpretatur Chaldæus [o]. Jam supra ad caput XXXII, 35, adnotatum est, ea quæ ibi narrantur, nonnisi post latam hujus loci jussionem contigisse. Targum Jerosolymitanum habet, deposuisse Judæos coronas, quas sumpserant, cùm legem acceperunt.

℣. 5. Semel ascendam in medio tui, et delebo te. Commode redderetur, Hebræus (p) juxta Pagninum: *Momento uno ascendam in medium tui, & consumam te*; vel juxta Vatablum: *Si semel subitò irruam in medium tui, conficiam te*. Septuaginta (q): *Videte, ne plagam aliam inducam ego super vos, & deleam vos*. Chaldæus: *Si unâ horâ abstulero majestatem meam a te, disperdam te*. Ut sensus versiculi hujus teneatur, continuandus est cum versu tertio, ut sit: *Non ascendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ne fortè disperdam te in viâ*. (℣. 5.) *Populus duræ cervicis es: semel ascendam in medio tui, & delebo te*.

℣. 6. Deposuerunt ornatum suum a monte Horeb, in castris ad Horeb. Censet Clarius, toto reliquo itinere nunquam resumpsisse illos semel hìc posita ornamenta. Reddi posset Textus: *Posuerunt ornamenta sua procul ab Horeb*; obsequio quodam detenti, accedere ad montem cum ornamentis ausi non sunt. Posita hæc a populo ornamenta ipsum est, juxta nonnollos apud Lyranum, Taberoaculum, de quo in proximè sequenti versiculo; quod pariter a monte Horeb removerunt. Sed præstat iotelligere de splendidissimis vestibus vel armis. Vide ℣. 4.

℣. 7. Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra. Dicta hæc accipienda oon suot de Tabernaculo fœderis nondum erecto, sed de Moysis Tentorio, utì Philo [r], Grotius, aliique nonnulli animadvertunt; vel de publico aliquo & communi omnibus Tentorio, destinato ad cogendos cœtus, ubi Deus, antequam consecraretur Tabernaculum, verba facere cum Moyse consueverat. Porrò Tabernaculum illud e castris movetur ob puniendam deprimendamque populi contumaciam, quò magis magisque crimeo suum sentiat, privatus per quoddam anathema Dei protegentis Numine, quod tanquam sensibus ipsis subjiciebatur in eo Tentorio.

Vocavitque nomen ejus Tabernaculum fœderis. Reddi posset Hebræum אהל מועד, *Tentorium cœtûs*, vel *temporis decreti*. Septuaginta: Σκηνὴ τῦ μαρτυρίυ, *Tabernaculum Testimonii*, quod pariter in Versiooe suâ retinere solet S. Hieronymus. Chaldæus: *Tabernaculum domûs doctrinæ*. In eo cœtuum Tabernaculo Deus palam faciebat Moysi voluntates suas. Idcircò autem Tabernaculum Fœderis appellatum est, ait Tirinus, quòd post compositum populi cum Deo fœdus primitùs erigeretur.

Omnis populus qui habebat aliquam quæstionem. Hebræus: כל מבקש יהוה, & Septuaginta: Πᾶς ὁ ζητῶν τὸν κύριον, *Omnis qui consulebat Dominum*, vel quæstionem babebat, *egrediebatur*

(o) *Apud Munst. Vat. Fag.* (p) רגע אחד אעלה בקרבך וכליתיך [q] Ὁρᾶτε μὴ πληγὴν ἄλλην ἐπάγω ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ἐξαναλώσω ὑμᾶς. (r) *Philo, lib. Quòd deterius potiori insidiari soleat.*

℣. 10. Cernentibus universis, quòd columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum.

℣. 11. Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cùmque ille reverteretur in castra, minister ejus Josue filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo.

℣. 12. Dixit autem Moyses ad Dominum: Præcipis, ut educam populum istum: & non indicas mihi, quem missurus es mecum, præsertim cùm dixeris: Novi te ex nomine, & invenisti gratiam coram me.

℣. 13. Si ergo invêni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum gentem hanc.

COMMENTARIUS.

diebatur ad Tabernaculum; quod bis mille cubitis a castris removent Thalmudistæ. Hic jus dabat Moyses populo.

℣. 10. STABANTQUE IPSI, ET ADORABANT. Deest postremum hoc verbum in Samaritano. Coram transeunte Moyse inclinans se populus debitam obsequii significationem exhibebat. Seu potiùs converso ore ad Teotorium cœtûs, adorabat populus Dominum, cujus hìc numen sentiebatur per columnam lucis sese obtutibus omnium offerentem, cùm Moyses eò veniret.

℣. 11. LOQUEBATUR DOMINUS AD MOYSEM FACIE AD FACIEM. Autumarunt ex Interpretibus nonnulli (s), quoddam humanæ imaginis spectrum cum Moyse verba fecisse. Qui verò, siquidem isti recta judicent, Moyses jure rogare potuisset Deum, ut sibi faciem suam revelaret (t)? Nonne Deus Moysi ipsi pandit ℣. 20: *Non videbit me homo & vivet?* Persuasum fuit aliis, Deum per se locutum fuisse eum Moyse; cum aliis verò Prophetis tantùm per Angelos. Rabbinorum quidam docuere, conceptis verbis Deum allocutum fuisse cum Moyse; non verò impressis in ejus mente imaginibus ea exhibentibus, quæ ipse homines noscere voluisset; quod cæteris Prophetis a Deo præstitum dicunt. Juvat tamen cum optimis Interpretibus dictum accipere de consuetudine illâ Dei cum Moyse, qua intimas voluntates suas ipsi pandebat absque ænigmatum & figurarum ambagibus, ac per se, nemine intermedio. Longè planè aliter se communicabat cæteris Prophetis, quibus decreta sua manifestabat, seu intimo quodam afflatu, seu per somnia, & sæpè terrore illos concutiens plurimo, atque sui impotentes efficiens. Ita Danieli accidisse, dum per visum aliquid illi revelatum est, intelligimus (u). Sæpe tandem cæteri Prophetæ in rerum singularium eventibus Prophetiæ spiritu destituebantur. Precariò impetrandus erat S. Spiritus; comparanda etiam interdum mens ad intimam S. Spiritûs motionem accipiendam, lusu musici alicujus instrumenti. Aliena erant hæc omnia a Moyse. Illud *facie ad faciem* expressit Chaldæus *verbum ad verbum*, velùti si duo homines consuetudinem haberent inter se familiarem. Arabs; *sine medio* sine Interprete; cùm interim Deus ad populum nonnisi per Moysem internuntium loqueretur.

MINISTER EJUS JOSUE FILIUS NUN, PUER. Juveniles annos utique exegerat Josue; ut minimùm enim agebat annum ætatis quinquagesimum; par fuerat jam deducendis copiis Israëlis in Amalecitas. Hisce tamen nequicquam factum est, quin *puer* נַעַר, LXX, Νέος, in Scripturâ appellaretur, sive quòd nondum connubio alligatus esset, sive quòd in flore ætatis suæ versaretur. Solemne est Scripturæ, Pueros appellare homines, qui nostris moribus justæ ætatis homines appellarentur. Erat insuper Josue ita Moysi addictus, ut veluti ejus servus censeretur: quod hìc pariter exprimunt voces *puer* & *minister*. Utraque enim synonima est, perinde valens ac *famulus*.

Erat Josue Tabernaculo assiduus, quippe qui illud curabat, custodiebat, cavens, ne quis unquam eò ingrederetur. Nec tamen ibi cubabat sive ipse, sive Moyses, sed liberum habebat aditum ac moram, cùm Moyses Dominum consulturus ibi morabatur, quod semper solus præstabat, nemine tum virum sanctum comitante, nisi uno Josue. Sunt qui Hebræum ita reddant (x): *Cùm revertebatur ad castrametationem* [ipse Moyses], *& minister ejus Josue, filius Nun, puer, gloria Domini non recedebat de medio Tabernaculi.*

℣. 12. PRÆCIPIS UT EDUCAM POPULUM ISTUM, ET NON INDICAS QUEM MISSURUS ES MECUM. Spem fecerat Deus Moysi, ducem se populo daturum Angelum, cùm ab eo se munere Deus ipse abdicaret. Eam conditionem recusaverat Moyses; & cùm nihil ultra Deus eà de re aperuisset, fidem ejus obligare conatur Moyses, ut populi ducatum ipse Deus suscipiat. Evicturus autem Deum, ponit illi sub oculis, quem erga se exhibuerat, nunquam intermissum favorem.

CUM DIXERIS: NOVI TE EX NOMINE, ET INVENISTI GRATIAM CORAM ME. Septuaginta: Οἶδά σε παρὰ πάντας, *Scio te præ omnibus*. Onkelos: *Vocavi te ex nomine*; selegi te ex omnibus aliis (y); intimè te novi (z). Jam supra ad caput XXXII, 31, monuimus, colloquium illud actum fuisse in Tabernaculo foris extra castra.

℣. 13. OSTENDE MIHI FACIEM TUAM. Duo hìc

(s) *Menoch. Cornel.* (t) ℣. 13, 18. (u) *Dan.* x, 7, 8, 9: *Ego autem relictus solus, vidi visionem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est &c.* (x) *Rivet. Jun. Willet. in Synops.* (y) *Vatab. Fag.* (z) *Grot.*

℣. 14. Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, & requiem
dabo tibi.
℣. 15. Et ait Moyses: Si non tu ipse præcedas, ne educas nos
de loco isto.
℣. 16. In quo enim scire poterimus ego, & populus tuus, invenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaveris nobiscum,
ut glorificemur ab omnibus populis, qui habitant super terram?
℣. 17. Dixit autem Dominus ad Moysen: Et verbum istud, quod
locutus es, faciam: invenisti enim gratiam coram me, & teipsum novi ex nomine.
℣. 18. Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam.
℣. 19. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo
in nomine Domini coram te, & miserebor cui voluero, &
clemens ero, in quem mihi placuerit.

COMMENTARIUS.

postulat Moyses; I, Quandoquidem eam mihi præstitisti gratiam, ut me nosceres, haberesque in numero amicorum; id pariter efficias rogo, ut ego te non mente tantùm, sed & sensibus ipsis utcumque noscam. Vel, juxta Hebræum (a): *Scire fac me nunc viam tuam*; viam, quam mihi tenendam stravisti; vel potiùs: Pande mihi dotes, quibus ornaris (b); vel tandem: Detege mihi, qua utaris ratione in gubernando universo, ut id mihi exemplar, quantum mortali fas est, constituam in gubernando populo tuo (c). Septuaginta: Ἐμφάνισόν μοι σεαυτόν; *ostende mihi te ipsum*, mihi te detege.

Prius illud, quod Moyses rogat, non sibi postulat, sed populo: *Si inveni gratiam in conspectu tuo*, uti certâ assertione tu mihi affirmasti, oro obtestorque, *Respice populum tuum, gentem istam*; deduc illam, *Et vide, quia populus tuus gens ista*: Hebræus: כי עמך הגוי הזה.

℣. 14. Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te. Moysis postulata veluti per gradus omnia tandem concedit Deus. Spondet primò, missurum se Angelum suum; addit hîc: *Facies mea præcedet* iter habentibus Israëlitis; tandem ipse in se totum negotium suscipit ℣. 17. Septuaginta: *Ego ipse* (d): Arabs: *Lux mea ambulabit tecum*. Syriacus: *Coram me vade*; veluti si diceret: Ne despondeas animo; præsens semper vobis adero, nec rem totam committam Angelo, uti jam minitatus sum. Non abs re pariter de Messia acciperetur illud, *Facies mea*; quippe qui in Isaiâ LXIII, 9, est *Angelus faciei Domini*; *Angelus faciei ejus salvavit eos*.

Requiem dabo tibi. Solatio ero tibi, te sustentabo; vel etiam deducam vos in certas fixasque sedes, & in possessionem hæreditatis vestræ; vel tandem postulata omnia concedo, ne sis ultra sollicitus.

℣. 15. Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. Septuaginta: Μή με ἀναγάγῃς ἐντεῦθεν, *ne me educas hinc*; iisdemque Samaritanus: ne ex hac sede nos moveas, si fidem tuam obligare nolueris, deducendi nos per te metipsum. Optat Moyses, ut planiùs explicet Deus, quod minùs apertè supra promiserat: *Facies mea præcedet te*. Postulat, non ambiguam dari sibi a Deo fidem, fore ut ipse munus deducendi populum susciperet.

℣. 16. Ut glorificemur ab omnibus populis, qui habitant super terram. Septuaginta (e): *Et glorificabor ego & populus tuus præter omnes gentes, quæcumque super terram sunt*. Reddi posset Hebræum נפלינו, *Respicient nos cum admiratione*. Chaldæus: *Divisi erimus*, seu *distincti ab omni populo*. Respiciemur cum admiratione, atque æstimatione, a cæteris distincti.

℣. 18. Ostende mihi gloriam tuam. Septuaginta: *Te ipsum*. Idem est ac supra, ℣. 13, *Faciem tuam*, uti constat ex ℣. 20, ubi Deus hoc postulanti respondens, ait: *Non poteris videre faciem meam*. Optat Moyses, ut revelet sibi ad sensum Deus vultum suum, & quæ Numen prosequitur, gloriam. Verba hîc fieri censent nonnulli (f) cum Angelo, personam Dei gerente, & ex imo fundo nubis verba reddente. Rogat, ut nebulâ illâ dissipatâ faciem suam præbeat spectandam. *Gloriam Dei* hîc ipsum esse Filium Dei, putat Tertullianus (g); postulari autem a Moyse, ut Messias suo tempore mittendus sibi reveletur. Numen ipsum & Numinis majestatem cernere optasse Moysem, reputant S. Augustinus (h), aliique e Veteribus plures. Sed num Legislator ignorabat, impares esse corporis oculos videndo Numini; nec mortales homines gloriam Dei aliter noscere posse, dum vivunt, quàm per caliginem & ænigma? Roganti Deus respondet ℣. 20.

℣. 19. Ego ostendam omne bonum tibi. Amoris in Moysem sui argumenta omnia, quæcumque optaret maxima, exhibiturum se Deus pollicetur. *Ostendere bonum* accipi potest perinde ac bonum præstare (i), cumulare beneficiis; quemadmodum *ostendere salutare* in Psalmo XLIX, 23, est

(a) הודיעני נא את דרכך *Quidam*: Δῆξόν μοι σεαυτοῦ ὁδόν. (b) *Ita Rabb. Drus. Oleast.* (c) *Grot.*
(d) Αὐτὸς προπορεύσομαί σου. *Hebr.* פני ילכו *Ita plerique. Cajet. Oleast. Vat. Malv.*
(e) Ἐνδοξασθησόμεθα ἐγώ τε καὶ ὁ λαός σου, παρὰ πάντα τὰ ἔθνη. (f) *Menoch. Malv.* (g) *Tertull. l. 4 contra Marcion. c. 22.* (h) *Aug. l. 2 de Trinit. c. 16; & l. 12 de Genesi ad literam, c. 27; & qu. 161 in Exod. Vide & Ambros. in Psal. LXIII, n. 89; & Philo in lib. de Monarchiâ.* (i) *Psal. IV, 6.*

ỷ. 20. Rurſumque ait: Non poteris videre faciem meam : non enim videbit me homo, & vivet.

ỷ. 21. Et iterum : Ecce, inquit, eſt locus apud me, & ſtabis ſupra petram.

ỷ. 22. Cùmque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ, donec tranſeam:

ỷ. 23. Tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

COMMENTARIUS.

eſt, Dare ſalutem; *oſtendere dura* (*k*), Affligere; *oſtendere tribulationes*, Infligere mala; *oſtendere miſericordiam* in Pſalmo LXXXIV, 8, Miſereri. Aliter: *Oſtendam omne bonum tibi*; detegam dotes omnes meas, quibus amorem hominum comparare valeo, atque mihi illorum corda vincire. Reipsâ quidem ex iis, quæ (*l*) inferiùs dicentur, patebit, quo temporis momento Deus videndum ſe præbuit Moyſi, palam ipſum miſericordias ſuas pronunciare. Septuaginta (*m*): *Ego tranſibo ante te in gloriâ meâ*; veluti ſi Deus poſtulatis omnibus Moyſes acquieviſſet. Ita pariter & Chaldæus: *Ego tranſire faciam omnem gloriam meam ſuper faciem tuam*. Hebræum *tob* exprimit interdum pulchritudinem. Syriacus: *Ego tranſire faciam cunctam beatitudinem meam ante te*: quæ expoſitio in ſenſum Hebræi commodè recidit. Arabs: *Ego tranſire faciam totum lumen meum in tuâ præſentiâ*.

ET VOCABO IN NOMINE DOMINI CORAM TE. Vertunt Septuaginta: *Et vocabo nomine meo* (inclamabo nomen meum) *Dominus ante te; & miſerebor cui miſertus ero; & miſericordiam præſtabo, cui miſericordiam præſtitero*. In argumentum præſentiæ ſpondet Deus, largiturum ſe Moyſi nomen ſacrum *Jehova*; commiſſurum ſe pariter, ut aſſequatur mente totam vim grandis hujus & terribilis veritatis, ſe ſcilicet miſereri, cujus maximè libuerit; quod ideò fortè Moyſi manifeſtat, ut intelligat quantum Deo debeat, a quo peculiari adeò electione, & grandibus beneficiis fuerit cumulatus. S. Auguſtinus (*n*), doctrinæ Apoſtoli (*o*) hærens, exponit hæc verba de reprobatione Judæorum, & vocatione gentium. Verùm S. Chryſoſtomus, cæterique Magiſtrum illum ſecuti, dictum acceperunt de indulgentiâ Numinis, quâ favere decreverat Iſraelitis cultûs aureo vitulo impenſi reis; non excluſo tamen penitus juſtæ ſeveritatis rigore in certum aliquem ſontium numerum, occulto quodam & mortalibus ignoto conſilio. Veniam omnibus poſtulat Moyſes; ſed Deus non omnibus conceſſurum, at iis tantùm, quibus voluerit, pollicetur.

ỷ. 20. NON POTERIS VIDERE FACIEM MEAM. Appoſitè S. Auguſtinus (*p*) obſervat, Deum poſtulata Moyſis non admiſiſſe, ſed ſpopondiſſe tantùm, excurſurum ſe tranſeuntis more coram illo, & gloriæ ſuæ portionem tantummodò revelaturum.

Divinæ gloriæ fulgor mortales oculos naturaliter non tangit: immortalite reformati pares tandem efficimur capiendæ ineffabili illi majeſtati, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis aſcendit (*q*). Confirmat hìc Deus eam, quæ altè inſederat Hebræis opinio, mortalem hominem nunquam videre Deum poſſe, quin ſimul opprimatur, atque intereat: *Non videbit me homo, & vivet* (*r*).

ECCE EST LOCUS APUD ME; ET STABIS SUPER PETRAM. Aptus eſt locus in eo monte, in quo conſuetudinem habeo tecum familiarem, ubi nubes ſtare ſolet: ibi te conſtituas volo, fidem opperiens earum, quibus me tibi obſtrinxi, promiſſionum.

ỷ. 22. CUMQUE TRANSIERIT GLORIA MEA, PONAM TE IN FORAMINE PETRÆ, ET PROTEGAM DEXTERA MEA, DONEC TRANSEAM. Ideſt: Cùm montem aſcenderis, intra eam petram te recipito: ego verò pertranſiens protegam te nube, atque manum meam in te extendam, ne ſcilicet nimio majeſtatis meæ fulgore corripiaris: ſtatim ac pertranſiero, nubem illam ſubducam; eoque ceu velo reducto, tum & amotâ manu meâ, abeuntis terga ſpectabis.

ỷ. 23. TOLLAM MANUM MEAM, ET VIDEBIS POSTERIORA MEA: Arabs: *Auferam nubem meam, ut videas poſteriora Angeli mei*. Illud *poſteriora* interpretatur Theodoretus (*s*) de effectibus planè mirandis providentiæ Numinis, ſapienter omnia gubernantis; quos ſanè effectus is planè intelligit, intueturque, qui, uti Moyſes, in ſummo virtutis culmine eſt conſtitutus. S. Auguſtinus (*t*) exponit de humanitate Jeſu Chriſti, in qua Divinitas ſpectandam ſe tradidit hominibus, quamquam naturâ ſuâ humanum obtutum fugiat. Origenes (*u*) vidiſſe Moyſem dicit *poſteriora Dei*; ideſt futuros eventus, qui manerent Jeſum Chriſtum ejuſque Eccleſiam, labentibus Synagogæ annis. Notat Grotius, eam fuiſſe Veterum perſuaſionem, Deos nequaquam ſpectari coram, ſed poſt terga cùm evaneſcunt. Ajax apud Homerum (*x*) abeuntem Neptunum facilè cognoſcit indicio pedum:

(k) *Pſal.* LIX, 5; *&* LXX, 20. (l) *Cap.* XXXIV, 6, 7: *Domine Deus miſericors & clemens, patiens & multa miſericordia, & verax.* (m) Ἐγὼ παρελεύσομαι πρότερός σου, τῇ δόξῃ μου. *Alius:* Ἐγὼ προπορεύσομαι πρὸ προσώπου σου. (n) *Aug. qu.* 154 *in Exod.* (o) *Rom.* IX, 15, 16: *Miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor. Igitur non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* (p) *Aug. de Trinit. l.* 2, *c.* 16. *Vide etiam qu.* 154 *in Exod. & l.* 2 *contra Maximin. c.* 26, *n.* 10, *&* 12.
(q) 1 *Cor.* II, 9. *Vide etiam Iren. l.* 4 *contra hæreſ. c.* 37; *Tertull. l.* 4 *contra Marcion. c.* 22; *Greg. Nazianz. orat.* 49, *& alios paſſim.* (r) *Vide Geneſ.* XIII, 16. (s) *Theod. qu.* 68 *in Exod.*
(t) *Aug. qu.* 154 *in Exod.* (u) *Orig. hom.* 12 *in Exod.* (x) *Hom. Iliad.* N.
Ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων,
Ῥεῖ' ἔγνων ἀπιόντος. ἀρίγνωτοι δὲ θεοί περ.

pedum atque furarum. Servius io illud Æneidos: *Ponè sequens &c.* ootat, hæc a Vate scribi, quòd recusarent Dii coram spectari; unde io octavâ Eclogâ eanit: *Ne respexeris*; atque in secundum Æneidos idem Servius: *Abscessu plerumque Numina demonstrantur fuisse, cùm subitò apparere desinunt.*

Cavet hic Deus, ne totum majestatis fulgorem oculis servi sui, utpotè imbecillioribus, quàm ut tantam ferant lucem, objiciat: fugitivum tantùm gloriæ illius radium inter abeundum emittit, cujus indicio intelligat, quanta Numini insit majestas. Cùm igitur in Numeris XII, 6, 7, 8, legimus, Deum spectandum se præbuisse Moysi, quocum amica misceret colloquia, ore ad os, facie ad faciem loquerentur, spectarentque se mutuò; hæc omnia figurato sensu accipienda sunt. Verba ad illum facit Deus vel per se, vel Angeli sui mioisterio vocibus conceptis; atque indicia præseotiæ suæ talia exhibet, qualia amieus amico.

CAPUT XXXIV.

Novas lapideas tabulas Decalogi verbis inscribendas parat Moyses; conscensoque monte Dei gloriam intuetur: tum post varias receptas leges, actis ibi XL diebus, descendit, radiante facie coruscans.

℣. 1. AC deinceps: Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregisti.

℣. 2. Esto paratus manè, ut ascendas statim in montem Sinai, stabisque mecum super verticem montis.

℣. 3. Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem: boves quoque, & oves non pascantur e contra.

℣. 4. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales anteà fuerant: & de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus, portans secum tabulas.

℣. 5. Cùmque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, invocans nomen Domini.

COMMENTARIUS.

℣. 1. AC DEINCEPS: PRÆCIDE, AIT, TIBI DUAS TABULAS. Septuaginta versiculum hunc ita exordiuntur: *Ascende ad me in montem.* Repugnantia quædam specie tenùs præfert hic versiculus, ubi parari Deus jubet geminas lapideas tabulas, iisdem præceptis inscribendas, quæ iosculpta erant prioribus Tabulis; repugnantia, inquam, versiculo 27, ubi Moysi dicitur: *Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israële pepigi fœdus.* Tum verò ℣. 28 legimus: *Scripsit Moyses in Tabulis verba fœderis decem.* Inferunt inde S. Augustinus (*a*), & S. Cyprianus (*b*), secundas hasce tabulas oon scripsisse Deum digito suo, quemadmodum priores. Sed Cornelius a Lapide, ac Estius censent, secundas hasce, non secus ac primas, cælatas fuisse virtute S. Spiritûs; nec Decalogum esse ea, quæ scribere Moyses jubetur ℣. 17, sed quæcumque ad fœdus Dei cum Israëlitis pertinerent. Illud autem, *Scripsit verba fœderis decem* ℣. 28, oon de Moyse dictum esse, sed de Deo: quod coofirmatur ex illo Deuteronomii X, 4, ubi Moyses ea repetens, quæ hic narrata sunt, habet: *Scripsit in tabulis, juxta id quod priùs scripserat.*

℣. 2. ESTO PARATUS MANE. Vero propiùs autumamus, omnia hæc, quæ leguntur ab exordio capitis XXXIII, ad usque ℣. 4 hujus capitis, cootigisse Moysi, dum versabatur in Tabernaculo, de quo in capite XXXIII, 7. Post concessam populo veniam, præcipit Deus Moysi, ut mane diluculò alterius diei, ascendens in montem, præsto habeat oovas tabulas, in quibus ex integro Decalogus describatur.

℣. 5. STETIT MOYSES CUM EO, INVOCANS NOMEN DOMINI. Hebræus (*c*): *Et stetit cum eo ibi; & vocavit in nomine Domini.* Quis dicendus sit nominativus regens verbum illud *vocavit*, seu *clamavit*, non satis convenit ioter Scriptores. Sunt qui referant ad Moysem (*d*); alii (*e*) ad De-

(a) *Aug. qu. 186 in Exod.* (b) *Cypr. de Spir. sancto.*
(c) ויתיצב עמו שם ויקרא בשם יהוה (d) *Ainsw. Oleast.* (e) *Vat. Grot. Munst. Fag.*

℣. 6. Quo transeunte coram eo, ait: Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verax,

℣. 7. Qui custodis misericordiam in millia: qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus, in tertiam, & quartam progeniem.

℣. 8. Festinusque Moyses, curvatus est pronus in terram, & adorans,

℣. 9. Ait: Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro, ut gradiaris nobiscum (populus enim duræ cervicis est) & auferas iniquitates nostras, atque peccata, nosque possideas.

COMMENTARIUS.

um; quorum æquior videtur opinio. Cùm montem teneret Moyses, ac se constituisset ad petram indicatam sibi a Deo, tum descendentem nubem spectavit; atque subiens antrum, ex condicto, audivit datum sibi a Deo signum, idest, nomen *Jehovah*; Deo ipso nomen illud augustum pronunciante, ut datam fidem solveret (*f*).

℣. 6. Quo transeunte coram eo, ait: Dominator Domine deus. Ita Deum ante os speluncæ pertranseuntem compellat Moyses. Sed contrarium a Vulgatâ sensum præferre videtur Hebræus.. ויקרא יהוה יהוה אל רחום וחנון ונקה לא ינקה: .... Verba sunt hæc Dei, qui coram Moyse pertransiens, dotes suas illi revelat; et Moyses precem suam ℣. 9 tantùm exorditur, in hæc verba: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, obsecro, ut gradiaris nobiscum*. In sensum Hebræi concedunt optimi Commentariorum Scriptores (*g*); faventque Septuaginta, in tertiâ personâ reddentes verbum *faciet innocentem*, seu *justificabit*; uti præfert Hebræus ℣. 7; quo loco secundam personam retinet Vulgata. Cohæret Vulgatæ Targum Jerosolymitanum. Observatum est, ex undecim, quas Deus hìc vindicat sibi, dotes, tres priores naturam divinitatis atque potentiam commendare; septem referri ad ejus misericordiam, & duas postremas ad justitiam.

Dominator Domine. Hebræus: *Jehovah Jehovah*. Septuaginta: *Dominus Dominus*, vel *Dominus Deus*.

Multæ miserationis, ac verax. In eos, a quibus læsus est, Clemens; in amicos, si quid illis promiserit, verax. Seu potiùs misericors, pius, mitis, gratiâ sua præveniens, & misericordiâ indulgens veniam. Verax, fidelis, sincerus, immutabilis, æquus, falli & fallere impotens. Solemne est Scripturæ, duas hasce dotes simul jungere in Deo, miserationem nempe & justitiam. Inter characteres Messiæ hunc assignat S. Joannes in Evangelio, I, 14: *Plenum gratiæ & veritatis*.

℣. 7. Qui custodis misericordiam in millia. Septuaginta (*h*): *Justitiam servans, & faciens misericordiam in millia*. Reddunt sæpè LXX Interpretes Hebræum Chesed חסד, *justitiam*. Hic autem geminas ejusdem vocis significationes ponunt, justitiam & misericordiam.

Nullusque apud te per se innocens est. Nemo hominum ex se non peccator, opis Divinæ indigus: *Omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei* (*i*). Hebræus ita etiam commodè redderetur: Deus non dimittet (peccatorem quemcumque) impunè. Ad literam נקה לא ינקה: *Justificando non justificabit*, nempe, innocentem non faciet vel non habebit. Postremum hoc præfert Chaldæus: *Non justificans eos, qui non convertuntur*; idest, puniet pro modo criminum. Septuaginta: Καὶ τὸν ἔνοχον οὐ καθαριεῖ, *Et reum non justificabit*. Justus est Judex, neque personarum acceptor, sed pro merito cujusque ferens sententiam, puniet obstinatos. Arabs: *Qui justificat, & non justificatur*. Deus ipsa est justitia; nec ab alio justificantur homines, cùm ipse a nemine vicissim justificetur; neque enim ope cujusquam ad se purgandum indiget.

Qui reddis iniquitatem patrum filiis. Addit Chaldæus: *In filios filiorum sceleratorum*. Quam dicendi phrasim exposuimus superiùs, XX, 5. Consinuantur hæc cùm præcedentibus, in quibus declarat Moyses, neminem de suâ innocentiâ blandiri sibi posse coram Deo. Addit hìc, ulcisci Deum crimina patrum in filiis, usque ad tertiam & quartam generationem; filii enim æquè ac patres rei coram illo sunt, si ipsos spectes, non beneficia, quibus ipsos fortè cumulavit Deus. Reprobat hanc interpretationem Ludovicus de Dieu, ratus sensum hujus & præcedentis Textûs referri oportere ad clementiam Dei, qui tum pariter cùm peccatores punit, Justitiam suam, ne omni severitate puniat, moderatur & corrigit. Vertit ille: *Evacuando non evacuabit, visitans peccata patrum in filios*, &c. Ultionem suam coërcet, ne totum justitiæ calicem effundat; neque exterminat penitus eos, qui provocarunt in se ultionem; puniet ille usque ad tertiam & quartam generationem, sed ultra non excurret.

℣. 9. Nosque possideas. Ne factâ nobis spe, non perdendi scilicet populum tuum peculiarem, fran-

(f) *Cap.* XXXIII, 19. *Vide etiam Num.* XIV, 18.

[g] *Cornel. Vatab. Grot. Oleast. Munst. Fag. Aiasv. Pisc. Rab. Manahem. &c.*

(h) Δικαιοσύνην διατηρῶν καὶ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας.

(i) *Rom.* III, 23.

Digitized by Google

℣. 10. Respondit Dominus: Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam, quæ nunquam visa sunt super terram, nec in ullis gentibus: ut cernat populus iste, in cujus es medio, opus Domini terribile, quod facturus sum.

℣. 11. Observa cuncta, quæ hodie mando tibi: ego ipse ejiciam ante faciem tuam Amorrhæum, & Chananæum, & Hethæum, Phærezæum quoque, & Hevæum, & Jebusæum.

℣. 12. Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam:

℣. 13. Sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide:

℣. 14. Noli adorare Deum alienum. Dominus zelotes nomen ejus, Deus est æmulator.

℣. 15. Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum: ne, cùm fornicati fuerint cum diis suis, & adoraverint simulacra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis.

℣. 16. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne, postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in deos suos.

℣. 17. Deos conflatiles non facies tibi.

℣. 18. Solemnitatem azymorum custodies. Septem diebus vescêris azymis, sicut præcepi tibi, in tempore mensis novorum: mense enim verni temporis egressus es de Ægypto.

℣. 19. Omne, quod aperit vulvam generis masculini, meum erit, de cunctis animantibus, tam de bobus, quàm de ovibus, meum erit.

COMMENTARIUS.

fraudemur (k). Septuaginta. Ἐσόμεθά σοι, *erimus tibi*; hæreditas tua erimus. Commodè etiam redderetur נחלתנו *Fac nos possidere*, supple, *terram*, quam spopondisti.

℣. 10. Inibo pactum videntibus cuncta. Hebræus נגד כל עמך; & Septuaginta: Ἐνώπιον παντὸς τοῦ λαοῦ σου *coram omni populo tuo*. Post cultum aureo vitulo impensum, prius illud fœdus perinde habitum est, ac si excidisset: videtur innovatum esse per receptionem novarum tabularum Legis.

℣. 11. Addunt hìc Septuaginta *Gergesæum*, quæ vox in Vulgatâ deest; est autem additio in eorum textu frequens, ut alibi animadversum est. Docet Lyranus, ideò desiderari populorum illorum nomen in Hebræo, quòd e terrâ promissionis recesserant, antequam venirent Israëlitæ.

℣. 13. Confringes statuas. Pro statuis habent Septuaginta: Τὰς στήλας αὐτῶν, *columnas eorum*. Quod cohærere magis Hebræo מצבות *Mazboth* videtur. Versiculum autem hac additione claudunt: *Sculptilia deorum eorum comburetis in igni*.

℣. 15. Ne cum fornicati fuerint cum Diis suis; idest, cùm impenso illis cultu sese polluerint. Phrasis est ex eo accepta, quòd in Festis Paganorum Numinum, maximè in Ægypto & Phœniciâ, infanda plurima committerentur. Porrò Idololatria nomine fornicationis sæpè designatur in Scripturâ (l).

Et adoraverint simulacra eorum, vocet te. Hebræus & Septuaginta: *Immolent Diis eorum, & invitent te*. Ne instituta, post immolatas Idolis victimas, eorum convivia petas. Solebant amicos amici lautè excipere post oblata Numinibus sacrificia.

℣. 16. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis. Addunt Septuaginta: *Et de filiabus tuis ne des filiis eorum*; quod pariter & in Chaldæo accessit. Vetitum erat Hebræis adsciscere in thorum extraneas mulieres; quod non de Chananæis tantùm accipiendum erat, sed & de aliis omnibus Paganarum gentium mulieribus. Porrò mens Legislatoris & receptus apud Hebræos mos legem hanc ad filias Israëlitarum extenderat, ut elocari illas alienigenis, nisi ejuratâ Idololatriâ ad Judæos accessissent, nefas haberetur. Versiculum hunc cum superiori ℣. 15 jungunt Septuaginta, ut minitandi sensum referat in hanc sententiam. Fœdus cum aliis populis ne componito, ne fortè traharis in cultum Idolorum, atque in connubia cum eorum puellis.

℣. 19. Omne quod aperit vulvam. Vide Exo-

(k) *Exod.* XIX, 5, & *Deut.* VII, 6, & XXXII. (l) *Vide Jerem.* II, 16; *Exod.* III, 1, & *seq. Ezech.* XVI, 15, 16; & *Exod.* XX, 5.

℣. 20. Primogenitum asini redimes ove: sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus.

℣. 21. Sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare, & metere.

℣. 22. Solemnitatem Hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ; & solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.

℣. 23. Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israël.

℣. 24. Cùm enim tulero gentes a facie tuâ, & dilatavero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.

℣. 25. Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ: neque residebit manè de victimâ solemnitatis Phase.

℣. 26. Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. Non coques hœdum in lacte matris suæ.

℣. 27. Dixitque Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israël pepigi fœdus.

℣. 28. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comêdit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem.

℣. 29. Cùmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.

COMMENTARIUS.

Exodum XIII, 12, 13.

℣. 20. NEC APPAREBIS IN CONSPECTU MEO VACUUS. Vide Exodum XXIII, 15.

℣. 21. SEX DIEBUS OPERABERIS; DIE SEPTIMO CESSABIS ARARE ET METERE. Septima dies vacabit ab opere, etiam cùm maximè instat necessitas metendi, exercendique agros. Vide Exodum XX, 9.

℣. 22. SOLEMNITATEM HEBDOMADARUM, idest, Pentecostes post septem evolutas a Paschate hebdomadas celebrandam; veluti si diceretur: Post septimanam e septimanis, in exitu XLIX dierum, offeres primitias messis tuæ frumentariæ: *In primitiis frugum messis tuæ triticeæ*. Celebrabatur Festum illud post messem frumentariam. Vide ad Caput XXIII, 16.

ET SOLEMNITATEM, QUANDO REDEUNTE ANNI TEMPORE CUNCTA CONDUNTUR. Designatur hîc Festum Tabernaculorum, quod incidebat exeunte anno civili post messem & frugum collectionem (*m*). Verùm Septuaginta *in medio anni* μεσοῦντος τοῦ ἐνιαυτοῦ, Festum illud celebratum ferunt; quod commodè accipitur de medio spatio anni sacri, incidente in exitum anni civilis, Septembri exeunte.

℣. 24. NULLUS INSIDIABITUR TERRÆ TUÆ. Hebræus, & Septuaginta (*n*): *Non concupiscet quisquam terram tuam*.

℣. 25. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO SANGUINEM HOSTIÆ MEÆ. Chaldæus: *Sanguinem Phase mei*; quod accipiendum est de hostiâ Paschali tunc immolandâ, cùm domus omni fermento expurgata erat (*o*).

℣. 26. NON COQUES HOEDUM IN LACTE MATRIS SUÆ. Chaldæus: *Non comedetis carnem cum lacte*. Hunc textum aliter exposuimus ad caput XXIII, 19.

℣. 27. SCRIBE TIBI VERBA HÆC; quæcumque scilicet huc usque acta sunt, & omnes a me traditas populo Leges. Vide quæ contulimus supra ad ℣. 1.

℣. 28. FUIT ERGO IBI CUM DOMINO QUADRAGINTA DIES. Tertia hæc est quadragena dierum, juxta Hebræos, Lyranum, Cajetanum, Jansenium, aliosque. Primam constituunt illam, de qua in Exodo XXIV, 18; alteram, de qua ibidem XXXII, 30, 31, & in Deuteronomio IX, 1, 18; tertiam verò hîc expressam. Nos verò duas tantùm quadragesimas dierum esurialium admittimus; neque enim tertiam patitur proposita nobis Chronologia.

SCRIPSIT IN TABULIS VERBA FOEDERIS DECEM. Adnotavimus in ℣. 1 hujus capitis, verbum illud, *Scripsit*, ad Deum referendum esse, ut sit sensus, scriptum ab ipso Deo fuisse Decalogum, mandatumque secundis hisce Tabulis lapideis.

℣. 29. IGNORABAT QUOD CORNUTA ESSET FACIES

(m) *Onkel.* (n) לא יחמד איש ארצך *Septuag.* Οὐκ ἐπιθυμήσει οὐδεὶς τῆς γῆς σοῦ. (o) *Vide ad Cap.* XXIII, 18: *Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ.*

℣. 30. Videntes autem Aaron &. filii Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.
℣. 31. Vocatique ab eo reversi sunt, tam Aaron, quàm principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos,
℣. 32. Venerunt ad eum etiam omnes filii Israël: quibus præcepit cuncta quæ audierat a Domino in monte Sinai.

COMMENTARIUS.

CIES SUA. Septuaginta (p): *Non sciebat, quia glorificatus est aspectus cutis faciei ejus*. Affirmat pariter Apostolus (q), Israëlitas sustinere non potuisse gloriam micantis vultûs Legislatoris. Chaldæus: *Moyses nesciebat, quia multiplicatus esset splendor gloriæ vultûs sui*. Syriacus: *Non noverat, quia nitida* (micans) *facta esset pellis vultûs sui*. Cæteri omnes Interpretes ita pariter explicant cornua illa, de quibus in Hebræo. Moysis facies insigni coruscavit fulgore, ex quo iniit cum Deo consuetudinem; seu potiùs, juxta S. Ambrosium (r) aliosque nonnullos, ex quo in specu se continens, Deum habuit manifestum. Nitor ille, nunquam exinde a Moyse recedens, obsequium viro ac venerationem populi conciliabat. Ex fide Itinerantium quorumdam (s) discimus, Arabes XL. vel L. annorum ætate erigere crines suos in speciem cornuum, ut hœdorum imaginem intuentibus referre videantur. Ex Homero intelligimus, consuevisse Veteres ita comas suas crispare ac dividere in fronte, ut assurgerent in tuberculos, formarentque veluti cornua. Eleganti comâ distinctos appellabant *Cerastas*, ac si dicerent *cornutos*; nimiumque comarum cultum exprobrans Paridi Diomedes, ipsum appellat *splendidum cornua* (t).

Creduntur autem Veteres imitatione Moysis Heroas suos ac Numina plerumque cornuta exhibuisse. Cornua plerumque appingunt Baccho. Facilè autem affinia plurima indicantur inter Moysis historiam, & gesta Bacchi. Natus est ille, juxta quosdam (u), in Ægypto, vel saltem nutritus fuit a Nymphis in montibus Nysæis, inter Ægyptum & Phœniciam; quibus montibus optime indicatur terra Gessen, ubi Moyses eâdem parente ac nutrice est usus. Jacebat Regio illa media inter Palæstinam, & urbem Tanim, ut alibi demonstratum est.

Porrò Bacchus vix natus in arculâ clausus aquis fuit expositus: geminas habuit matres, διμήτωρ, atque elegantissimâ formâ nitebat. Speciem Moysis laudat Scriptura; adoptatumque illum a filiâ Pharaonis fuisse, satis constat. Bacchus grandia itinera confecit; plures populos subegit: narratumque de illo est, copias habuisse suas e fœminis non minùs ac viris coalescentes. Glomerantibus tenebris opprimebantur Indi, dum Bacchæ, & Bacchi copiæ plenâ die fruebantur. Columna illi non secùs ac Moysi tribuitur (x). Agnoscere in his omnibus licet copias Israëlitieas, moventes ex Ægypto deducente columnâ, quæ noctem lumine suo collustrabat; æstum verò solis opacitate suâ moderabatur. Bacchus Legislatoris titulo insignitur (y), & quæ ab illo rogata est, Legem duplicem, δίπλακα θεσμὸν, appellant; quo emblemate innuuntur geminæ tabulæ Decalogi. Inditum est Baccho a Poëtis nomen *Mises*, *Mises*, quod persimile est nomini *Moses*. Feruntur insuper, Bacchæ aquas e lapide, quem thyrso percusserant, eduxisse; addunt, quæcumque illæ transeundo obibant loca, statim rivulis e lacte, vino, & melle fluxisse: quod congruit maximè cum iis, quæ de Chananitide commendat Scriptura. Legimus tandem in Dionysiacis Nonni, Bacchum sicco pede transvadasse Orontem & Hidaspem, arente, ex solo tactu thyrsi sui, illorum alveo; quod expressum est ex historiâ transfretationis Erythræi, & transvadati Jordanis ab Israëlitis.

Memoriæ etiam proditum est, thyrsum illum Bacchi hederâ redimitum, projectum olim in terram reptasse tanquam anguem: quod pariter & in prodigio virgæ Moysis recurrit. Addit pariter Diodorus, Dionysio, vel Baccho semper adstitisse comites Musas, fœminas doctas canendi, ludendique voce, ac instrumentis peritissimas; quâ in imagine quis non videat Mariam sororem Moysis, & Israëliticas fœminas, gratiarum actionis hymnos concinentes post relatum ex alveo maris pedem? Dierum festorum Religionem agnoscebat Liber splendidissimis, ac magnificis vestibus, adstringebatque vittâ. Quæ duo Aaronem potiùs respicere videntur, quàm Moysem. Tandem Deus ille Liber ab oneribus publicis eos absolvit, qui musicæ se dederent; quo indicio facilè agnoscas privilegium exemptionis a Moyse concessum Sacerdotibus, & Levitis, in laudibus Domini canendis potissimùm occupatis, quos scilicet exemit Moyses ab omnibus Reipublicæ oneribus. Tanta utique affinitas inter historiam Bacchi, & Moysis industriæ potiùs, quàm casui deputanda est; reputandumque, fabulatores Moysis historiam in Bacchum transtulisse. Nec dissimiles etiam lineas utrimque affines notaremus inter Legislatorem Hebræorum, ac cætera Paganorum Numina, Herculem, Mercurium, Typhonem. Quam Provinciam felicissimè ante nos occuparunt, obieruntque Vossius, Bochartus, Huetius, & alii. Perhibet S. Epiphanius (z), Idumæos, cæterosque Arabes in aris consecrasse Moysem; constat autem, authore Jose-

(p) Ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ. *Hieron. in Amos* VI, *Ex Aquilâ: Nesciebat quia cornuta erat species vultûs ejus*. (q) 2 *Cor.* III, 7: *Ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi propter gloriam vultûs ejus*. (r) *Ambros. in Psal.* 118, *serm.* 17, *num.* 29. *Menorb. Tastat.* (s) *Ludov. Patricius Rom. navig. l.* 2, *c.* 4. (t) *Homer. Iliad.* Λ. Τοξότα λωβητὴρ, κέρᾳ ἀγλαὲ, παρθενοπῖπα. (u) *Vide Diodor. Sicul. l.* 4. *c.* 2. (x) *Vide Clem. Alex. l.* 1 *Strom. p.* 348. (y) *Onomacritus in Orphaicis*. (z) *Epiphan. hæres.* 55 *de Melchisedechian.*

℣. 33. Impletiſque ſermonibus, poſuit velamen ſuper faciem ſuam.

℣. 34. Quod ingreſſus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat, donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Iſraël omnia quæ ſibi fuerant imperata.

℣. 35. Qui videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam, ſed operiebat ille rurſus faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos.

COMMENTARIUS.

Joſepho (a), Idumæos illos coluiſſe Deum Chozem; eſt igitur, cur Chozem cum Moyſe confundamus. Cum tamen veterum fermè omnium de Arabum Numinibus ſermonem habentium teſtimonio planum ſit, gentes illas Bacchum ſibi Numen præſtituiſſe; inde ſequitur, populorum illorum opinione Bacchum, Moyſem, & Chozem unum eſſe idemque vel hominem, vel, ſi mavis, Heroëm conſecratum. Patent his quæ Baccho, & Moyſi communia fuiſſe ſupra annotavimus. Nomen *Bacchus* derivari poteſt ex בר כוש *Bar-chus* filius Chus; tum & Jacchus ex Hebræo יה כוש *Jah chus*; nec ab eâdem ſignificatione Choze Joſephi plurimùm abhorret. Porrò Chus frequentavit totum Arabiæ tractum, ſecundùm littus orientale Erythræi, tum & Regionem Ægypto finitimam: ibi pariter diuturnam temporis moram traxit Moyſes, adſcivitque ſibi conjugem *Sephoram* e genere Chus (b). Præclarum autem id futurum fuiſſe Legiſlatori reputarunt, ſi illum e Chus, tanto viro, ceu ex patre filium repeterent.

℣. 33. Impletiſque sermonibus posuit velamen. Hebræus ad literam (c): *Et conſummavit Moyſes a loquendo cum eis, & dedit ſuper faciem ſuam velamen*. Reddi poſſe textus videretur: *Poſuit velamen ſuper faciem ſuam, donec ſermonem abſolveret*. Conſtat equidem ex Apoſtolo (d), Moyſem opertâ facie verba feciſſe ad populum, micantes vultûs ipſius radios non ſuſtinentem. Septuaginta perinde ac Vulgata ferunt, Moyſem, poſt abſolutum cum populo ſermonem, velaſſe faciem ſuam. Menochius & Cornelius a Lapide cenſent, Moyſem, ut majeſtatem Legis, quam exponebat, utcumque referret, verba de illâ feciſſe detectâ facie; tum verò velum ori impoſuiſſe, atque ita velatum deinceps loqui conſueviſſe. Nec equidem tanto ille nitebat fulgore, quantum intuentes non ſuſtinerent; ſed Moyſes, quâ erat modeſtiâ, velabat faciem ſuam, ut populus liberiùs ſecum colloqueretur, remotâ majeſtate illâ vultûs, quæ colloquentibus terrorem & reverentiam inſinuabat. Hæc Janſenius. Maluerim ego verſiculum hunc ita reddere: *Quin Moyſes compleverat ſermones cum populo, & poſuerat velamen ſuper faciem ſuam*, ſtatim ac ſcilicet intellexit, populum micantis vultûs ſui nitorem non ferre.

CAPUT XXXV.

Lex de religione Sabbati. Populus ad conſtructionem Tabernaculi confert munera. Beſeleel & Ooliab ad id operis deſtinantur.

℣. 1. Igitur congregatâ omni turbâ filiorum Iſraël, dixit ad eos: Hæc ſunt quæ juſſit Dominus fieri.

℣. 2. Sex diebus facietis opus: ſeptimus dies erit vobis ſanctus, ſabbatum, & requies Domini: Qui fecerit opus in eo, occidetur.

℣. 3. Non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem ſabbati.

COMMENTARIUS.

℣. 3. Non succendetis ignem. Ignem ſuccendere vetitum erat vel ſervilibus præſtandis operibus, ut decoquendo pani, excoquendiſque metallis; ſive ad opera vitæ neceſſaria

(a) *Joſeph. Antiq. l.* 18, *c.* 11. (b) *Num.* XII, 1. (c) ויכל משה מדבר אתם ויתן על פניו מסוה
(d) 2 *Cor.* III, 7, & 13, 14: *Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſraël in faciem ejus, &c. Uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non revelatum.*

℣. 4. Et ait Moyses ad omnem catervam filiorum Israel: iste est sermo, quem præcepit Dominus, dicens:

℣. 5. Separate apud vos primitias Domino: Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino: aurum & argentum, & æs,

℣. 6. Hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum: pilos caprarum,

℣. 7. Pellesque arietum rubricatas, & ianthinas, ligna setim,

℣. 8. Et oleum ad luminaria concinnanda, & ut conficiatur unguentum, & thymiama suavissimum,

℣. 9. Lapides onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis & rationalis.

℣. 10. Quisquis vestrûm sapiens est, veniat, & faciat quod Dominus imperavit:

℣. 11. Tabernaculum scilicet, & tectum ejus, atque operimentum, annulos, & tabulata cum vectibus, paxillos, & bases:

℣. 12. Arcam & vectes, propitiatorium, & velum quod ante illud oppanditur:

℣. 13. Mensam cum vectibus & vasis, & propositionis panibus:

℣. 14 Candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium:

℣. 15. Altare thymiamatis, & vectes, et oleum unctionis, & thymiama ex aromatibus: tentorium ad ostium Tabernaculi:

℣. 16. Altare holocausti, et craticulam ejus æneam cum vectibus et vasis suis: labrum et basim ejus:

℣. 17. Cortinas atrii cum columnis et basibus, tentorium in foribus vestibuli.

℣. 18 Paxillos Tabernaculi et atrii, cum funiculis suis:

℣. 19. Vestimenta, quorum usus est in ministerio Sanctuarii, vestes Aaron Pontificis ac filiorum ejus, ut Sacerdotio fungantur mihi.

℣. 20. Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi,

COMMENTARIUS.

saria, uti ad parandos cibos. Quæ religio erat diei Sabbati peculiaris; cæteris aliis diebus festis non communis (a). Volunt tamen Rabbini, permissum fuisse ignem succendere, sive calefaciendi sui gratiâ, sive etiam ad lumen; non verò ad cæteros alios usus. Notat Josephus (b), velut Essenïorum morem singularem, abstinuisse illos die Sabbati a succendendo igne; sed Authores omnes Hebræi conveniunt (c), eam religionem per totam latè gentem percrebuisse. Samaritani & Caraitæ putant, contra cæterorum Judæorum opinionem, hoc de non incendendo igne mandatum vetare, ut ne per alios quidem excitari sinatur; atque contrarium huic morem, ceu depravationem apertam legis, detestantur. Solemne est Judæis, inter domesticos Christianos aliquos detinere, quorum operâ succendant ignem die Sabbati.

℣. 9. GEMMAS AD ORNATUM. Hebræus אבני מלאים *lapides ad ligandum*. Septuaginta: Λίθους εἰς τὴν γλυφὴν, *lapides in sculpturam*.

℣. 11. TABERNACULUM SCILICET, ET TECTUM EJUS; Idest, juxta Hebræum: Tabernaculum & proxima ejus pretiosa integumenta, tum & velamina cætera, prioribus illis instrata.

ANNULOS. Exprimit Hebræum קרסים potiùs *fibulas*.

PAXILLOS ET BASES. Hebræus עמדיו ואדניו *Columnas ejus, & bases ejus*.

℣. 19. VESTIMENTA, QUORUM USUS EST IN MINISTERIO SANCTUARII. Vatablus, aliique nonnulli

[a] *Vide Exod. XII, 16; Tirin. Menoch. Sa.* (b) *Joseph. l. 2, c. 13, de Bello.* (c) *Mos. Ægypti Halac Sabbath. l. 3, par. 5, 6.*

℣. 21. Obtulerunt mente promptissimâ atque devotâ primitias Domino, ad faciendum opus Tabernaculi Testimonii. Quidquid ad cultum & ad vestes sanctas necessarium erat.

℣. 22. Viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures, annulos & dextralia: omne vas aureum in donaria Domini separatum est.

℣. 23. Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, byssum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & ianthinas,

℣. 24. Argenti ærisque metalla, obtulerunt Domino, lignaque setim in varios usus.

℣. 25. Sed & mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram & vermiculum, ac byssum,

℣. 26. Et pilos caprarum: sponte propriâ cuncta tribuentes.

℣. 27. Principes verò obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad superhumerale & rationale,

COMMENTARIUS.

nulli optimæ notæ Interpretes censent designari hìc integumenta, quibus obvolvebantur vasa Tabernaculi, alia planè a vestibus sacris Aaronis, de quibus statim inducitur sermo [*d*].

℣. 22. Armillas, et inaures, annulos, et dextralia. Septuaginta (*e*): *Attulerunt viri ab uxoribus . . . . . sigilla & inaures & annulos, & torques, & dextralia*. Quantum ex his Interpretibus intelligere videmur, fœminæ non per se quidem offerebant armillas, inaures, &c. sed viri earum loco has conferebant. Quam sententiam confirmant ℣. 25, & Hebræus hujus versiculi, ferens [*f*]: *Venerunt viri super* (præter, sine) *mulieribus, attulerunt fibulam*. Hebræum *Chach*, quod in Vulgatâ redditur *armillas*, Recentioribus plerisque est *fibula*.

Inaures. Hebræum *Nesem* usurpatur de inauribus ornamentisque narium vel frontis. Nihil est, quod in voce annulos exprimente ambigamus. *Dextralia* ornamenta sunt manûs dexteræ. Vulgata hìc fidem Septuaginta secuta est; habuerunt enim illi persuasum, Hebræum כומז *cumaz* exprimere armillas manûs, seu brachii dextri. Ejusmodi manuum ornamenta appellat Trebellius (*g*) Pollio *dextrocheria*; affirmatque, mulieres gestasse imaginem Alexandri Magni cælatam in *reticulis & dextrocheriis, & annulis, &c.* Creditur *dextrocherium* fuisse annulus lacerti amplissimus, aureus, gemmisque distinctus. Exponunt alii Hebræum de bullâ pretiosâ, e cingulo anteriùs pendente. Caldæus, juxta Vatablum, accipit de ampliori fasciâ, seu veteris moris femorali (*h*); alii de *fasciâ pectorali*, qua puellæ pectus infra mammillas stringebant. Rabbinorum nonnullis est obscœna imago. Syriacus quintum aliud ornamentum adjecit, quemadmodum & Septuaginta, qui addunt *torques*. Nihil eâ de re certum.

℣. 25. Sed et mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt hyacinthum &c. Conferebant viri metalla, aromata, & oleum; mulieres verò, quas neverant, lanas. Quantum ex hoc Textu deducimus, priùs tingebantur lanæ, quàm ad colum, & ad textrinam ducerentur. Idem spectes & apud Homerum; inducit enim ille Helenam Reginam, ducentem ad colum lanam purpuream (*i*). Arete uxor Regis Alcinoi (*k*) habebat pariter in colo purpuram. Sed fortè lanæ illæ ex iis erant, de quibus nos ad Exodi xxv, 5, quæ purpureum colorem a naturâ datum referebant. Ita pariter reputaretur non incongruè, lanas illas hyacinthinas & purpureas non arte inductum colorem retulisse, cùm a fœminis Israëliticis conferrentur. Narrat Plinius (*l*), suâ ætate interdum spectata vellera viventis adhuc ovis artificioso colore imbuta; quòd persuaderentur homines, ita tinctas lanas optimas esse & diuturniores: id tamen jam ætate Moysis obtinuisse vix credimus. Porrò antiquis in moribus positum erat, ut tingere lanas, ducere ad colum, & operari ad textrinam muliebre esset, uti advertit Casaubonus in Athenæi librum xiii, caput 8.

℣. 26. Et pilos caprarum. Hebræus & Septuaginta habent, contulisse illas stamina e pilis caprarum. Vide supra ad Exodi xxv, 4.

℣. 27. Principes obtulerunt lapides onychinos; vel, juxta Septuaginta, *Smaragdos*. Hebræus: *Lapides Schem*.

℣. 33.

(d) *Vide Exod.* xxxi, 10; *&* xxxix, 1. (e) Ἤνεγκαν οἱ ἄνδρες παρὰ τῶν γυναικῶν... σφραγῖδας, καὶ ἐνώτια, καὶ δακτυλίους, καὶ ἐμπλόκια, καὶ περιδέξια. (f) ויבאו האנשים על הנשים ... חח ונזם (g) *Trebell. in Quieto* 30. *Tyran. Vide Jul. Capitolin. & qui eum scripserunt.* (h) *Vide Exod.* xxviii, 42. (i) *Odyss.* Δ. Ἠλακάτη τετάνυστο ἰοδνεφὲς εἶρος ἔχουσα. (k) *Odyss.* Z. Ἠλάκατα στρωφῶσ᾽ ἁλιπόρφυρα θαῦμα ἰδέσθαι. (l) *Plin. l.* viii, 48: *Vidimus jam & viventium vellera purpurâ, cocco, conchilio, sesquilibris infecta &c.*

℣. 28. Aromataque, & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum, ac thymiama odoris suavissimi componendum.

℣. 29. Omnes viri & mulieres mente devotâ obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filii Israël voluntaria Domino dedicaverunt.

℣. 30. Dixitque Moyses ad filios Israël: Ecce vocavit Dominus ex nomine Beseleel filium Uri, filii Hur de tribu Juda;

℣. 31. Implevitque eum Spiritu Dei, sapientiâ & intelligentiâ, & scientiâ, & omni doctrinâ,

℣. 32. Ad excogitandum, et faciendum opus in auro, et argento, & ære,

℣. 33. Sculpendisque lapidibus, & opere carpentario, quidquid fabrè adinveniri potest,

℣. 34. Dedit in corde ejus: Ooliab quoque filium Achisamech de Tribu Dan.

℣. 35. Ambos erudivit sapientiâ, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac plumarii, de hyacintho, ac purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso, et texant omnia, ac nova quæque reperiant.

COMMENTARIUS.

℣. 33. OPERE CARPENTARIO. Fert tantùm Hebræus: בחרשת עץ, *In artificio ligni*.

QUIDQUID FABRE ADINVENIRI POTEST, (℣. 34.) DEDIT IN CORDE EJUS. Commodè redderetur Hebræus (*m*): *Ad faciendum in omni opere cogitationis*, quod molimen ingenii postulat, (℣. 34) *Et ad docendum* cæteros.

℣. 35. OPERA ABIETARII. Hebræa vox חרש exprimit generatim opificem, seu fabrum lignarium, vel ærarium, vel ferrarium, vel lapicidam.

TEXANT OMNIA, AC NOVA QUÆQUE REPERIANT. Hebræus: *Facientes omnem functionem, & cogitantes cogitationes*; qui omnis generis opera moliantur, inveniant & faciant. Septuaginta: *Facere opus architectonicum & varietatis*, phrygium.

CAPUT XXXVI.

Moyses executioni mandat quæcumque sibi fuerant commissa supra ad caput XXVI, de Tabernaculo, ejusque partibus.

℣. 1. FEcit ergo Beseleel, et Ooliab, et omnis vir sapiens; quibus dedit Dominus sapientiam et intellectum, ut scirent fabre operari quæ in usus Sanctuarii necessaria sunt, et quæ præcepit Dominus.

℣. 2. Cumque vocasset eos Moyses, & omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte suâ obtulerant se ad faciendum opus,

℣. 3. Tradidit eis universa donaria filiorum Israël. Qui cùm instarent operi, quotidie manè vota populus offerebat.

COMMENTARIUS.

℣. 3. QUOTIDIE MANE VOTA POPULUS OFFEREBAT. Hebræus: *Attulerunt ad eum adhuc in devotionem* (oblationem) *in matutino in matutino*, singulis diebus manè; quo loco Septuaginta & Vulgata exprimunt, populum contulisse omnia ad opifices.

(*m*) לעשות בכל מלאכת מחשבת ולהורות

℣. 4. Unde artifices venire compulsi,
℣. 5. Dixerunt Moysi: Plus offert populus quàm necessarium est.
℣. 6. Jussit ergo Moyses præconis voce cantari: Nec vir nec mulier quidquam offerat ultra in opere Sanctuarii. Sicque cessatum est à muneribus offerendis,
℣. 7. Eò quòd oblata sufficerent & superabundarent.
℣. 8. Feceruntque omnes corde sapientes, ad explendum opus Tabernaculi, cortinas decem, de bysso retortâ, & hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, opere vario, et arte polymitâ:
℣. 9. Quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos: et in latitudine quatuor. Una mensura erat omnium cortinarum.
℣. 10. Conjunxitque cortinas quinque, alteram alteri, et alias quinque sibi invicem copulavit;
℣. 11. Fecit et ansas hyacinthinas in orâ cortinæ unius, ex utroque latere, et in orâ cortinæ alterius similiter,
℣. 12. Ut contra se invicem venirent ansæ, et mutuò jungerentur.
℣. 13. Unde et quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, et fieret unum Tabernaculum.
℣. 14. Fecit et saga undecim de pilis caprarum, ad operiendum tectum Tabernaculi.
℣. 15. Unum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, et in latitudine cubitos quatuor: unius mensuræ erant omnia saga:
℣. 16. Quorum quinque junxit seorsùm, et sex alia separatim.
℣. 17. Fecitque ansas quinquaginta in orâ sagi unius, et quinquaginta in orâ sagi alterius, ut sibi invicem jungerentur.
℣. 18. Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus sagis fieret.

COMMENTARIUS.

℣. 4. Animadvertendum est, nos in postremis hisce quatuor capitibus sequi Septuaginta Complutenses, ad Vulgatam plus multò accedentes, quàm editionem Romanam, negligentissimè in iis capitibus curatam. Contrahit illa, transponit, immutat; uno verbo, magno adeò numero variantia ex illâ resultant, ut omnia adnotare esset operosissimum, nisi totus ex integro Textus describeretur. Ita e.g. hìc a ℣. 5, usque ad exitum exhibent descriptionem vestium Sacerdotalium, quarum in Complutensi & Vulgatâ sermo est tantùm ad caput XXXIX. Agunt Septuaginta ad caput XXXVII de Tabernaculo, sed brevioribus verbis, quàm hìc ℣. 8, & sequentibus. Adnotare poterit lector variantia nonnulla, quæ in eorum Versione in Numeros deprehenduntur.

Nec prætereundum pariter, omnia quæcumque leguntur in Capitibus XXXVII, & capitis XXXVIII portione, totoque capite XXXIX, epilogum esse præcedentium, quæ Moyses commodè præterire potuisset, illud tantummodò innuens, Artifices illos quæcumque sibi a Deo mandata fuerant, omnia juxta præscriptam sibi ideam executioni mandasse. Quare supersedemus hìc ab iis narrandis, quæ alibi disseruimus de Tabernaculo ejusque partibus, sicut & de vestibus Sacerdotalibus; recurrunt enim hìc eædem voces, & salebræ, quæ illic. Vero propiùs autumaremus, Artifices illos apud se descripta retinuisse ea omnia, quæ suis manibus commissa fuerant, omniumque rationem exactam reddidisse; hinc fit, ut hæc narratio repetatur.

℣. 14. Ad operiendum tectum Tabernaculi. Hebræus: לאהל על המשכן, *Tentorio super Tabernaculum*; vel juxta Chaldæum, & Arabicum: *Ut sterneret super Tabernaculum*. Integumenta illa e setis caprarum protegebant velamina illa pretiosa, quæ defendendo Tabernaculo omnium prima erant instrata.

℣. 17. Fecit ansas quadraginta. Erant ansæ illæ frustula panni complicata, quibus jungebantur fibulæ. Septuaginta: *Fecit quinquaginta ἀγκύλας, uncos*.

℣. 18. Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum. Tectum hìc appel-

lantur

℣. 19. Fecit opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis : aliudque desuper velamentum de pellibus janthinis.

℣. 20. Fecit et tabulas tabernaculi de lignis setim stantes.

℣. 21. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius : et unum ac semis cubitum latitudo retinebat.

℣. 22. Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, ut altera alteri jungeretur. Sic fecit in omnibus Tabernaculi tabulis.

℣. 23. E quib' viginti ad plagam meridianam erant contra austrum,

℣. 24. Cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub una tabulâ ponebantur ex utrâque parte angulorum, ubi incastraturæ laterum in angulis terminantur.

℣. 25. Ad plagam quoque Tabernaculi, quæ respicit ad aquilonem, fecit viginti tabulas,

℣. 26. Cum quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas.

℣. 27. Contra occidentem verò, idest, ad eam partem Tabernaculi, quæ mare respicit, fecit sex tabulas.

℣. 28. Et duas alias per singulos angulos Tabernaculi retrò,

℣. 29. Quæ junctæ erant a deorsum usque rursum, & in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utrâque parte per angulos :

℣. 30. Ut octo essent simul tabulæ, & haberent bases argenteas sexdecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis.

℣. 31. Fecit & vectes de lignis setim quinque, ad continendas tabulas unius lateris Tabernaculi :

℣. 32. Et quinque alios vectes ad alterius lateris coaptandas tabulas : & extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam Tabernaculi, contra mare.

℣. 33. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo, usque ad angulum perveniret.

℣. 34. Ipsa autem tabulata deauravit, fusis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci possent : quos & ipsos laminis aureis operuit.

℣. 35. Fecit & velum de hyacinto & purpurâ, vermiculo, ac bysso retortâ, opere polymirario, varium atque distinctum :

℣. 36. Et quatuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauravit, fusis basibus earum argenteis.

COMMENTARIUS.

lantur saga illa, quibus defendebantur vela pretiosa, proximè tegentia Tabernaculum.

℣. 33. FECIT QUOQUE VECTEM ALIUM, QUI PER MEDIAS TABULAS AB ANGULO, USQUE AD ANGULUM PERVENIRET. Nihil de transverso hoc repagulo habet Vulgata in Textu huic parallelo capitis XXVI, 28. Sunt qui credant, intus in asseribus insertum excurrisse, ut planè alterum sit repagulum præter eos vectes, qui ex parte exteriori lateraclaustri secundùm longitudinem continebant. Tostatus & Jansenius reputant, ipsissimum esse repagulum, de quo Josephus libro III, capite 5; continuisse autem tabulas simul junctas lateris occidentalis Tabernaculi. Quam opinionem suam fulciunt iis, quæ hic leguntur, nimirum vectem hunc excurrisse ab uno ad alterum angulum: quod nulli meliùs quàm lateri posteriori Tabernaculi convenit. Cæterùm etiam constat, illud, *per medias tabulas*, indicare, vectem per intima tabularum viscera permeasse, illasque inter se junxisse, diversâ planè ratione ab aliis vectibus, qui per dispositos secundùm longitudinem annulos permeabant,

℣. 37. Fecit & tentorium in introitu Tabernaculi ex hyacintho, purpurâ, vermiculo, byssoque retortâ, opere plumarii.

℣. 38. Et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

COMMENTARIUS.

bant, non per transversas tabulas.

℣. 38. Et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro. Excussa est alibi sententia illa Interpretum, ferens, & singulis columnis porrectum fuisse uncum, capiti columnarum inhærentem, sustinentemque virgas ex unâ ad alteram columnam ductas, regentesque vela, quæ atrium claudebant, seu virgas, quæ spirali lineâ stringebant columnam. Opinionis hujus refutationem habes in capite xxvii, 11, 12, ubi voces omnes, quæ ambiguitatis aliquid inferre possent, exposuimus.

Bases earum fudit æneas. Vulgata in Polyglottis Antuerpiensibus & Parisiensibus fert, bases illas auro superinducto nituisse: quod nullibi legitur.

CAPUT XXXVII.

Descriptio Arcæ, Propitiatorii, Candelabri, & Altaris Thymiamatis.

℣. 1. Fecit autem Beseleel & Arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine, & cubitum ac semissem in latitudine; altitudo quoque unius cubiti fuit & dimidii: vestivitque eam auro purissimo intus ac foris;

℣. 2. Et fecit illi coronam auream per gyrum,

℣. 3. Conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos ejus: duos annulos in latere uno, & duos in altero.

℣. 4. Vectes quoque fecit de lignis setim, quos vestivit auro,

℣. 5. Et quos misit in annulos, qui erant in lateribus Arcæ, ad portandum eam.

℣. 6. Fecit & propitiatorium, idest, oraculum, de auro mundissimo, duorum cubitorum & dimidii in longitudine, & cubiti ac semis in latitudine.

℣. 7. Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex utrâque parte propitiatorii.

℣. 8. Cherub unum in summitate unius partis, & Cherub alterum in summitate partis alterius: duos Cherubim in singulis summitatibus propitiatorii,

℣. 9. Extendentes alas, & tegentes propitiatorium, seque mutuò, & illud respicientes.

℣. 10. Fecit & mensam de lignis setim in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine unius cubiti, quæ habebat in latitudine cubitum ac semissem.

℣. 11. Circumdeditque eam auro mundissimo, & fecit illi labium aureum per gyrum,

COMMENTARIUS.

Descriptam Arcam & Propitiatorium habes capite xxv, 10, &c. Candelabrum capite xxv, 31; Altare capite xxx, 1. Oleum unctionis capite xxx, 23; & xxv, 34.

℣. 9. Seque mutuo, et illud respicientes. Intulit ex his Moncæus, Cherubim illos retulisse

℣. 12. Ipsique labio coronam auream interrasilem quatuor digitorum, & super eandem, alteram coronam auream.

℣. 13. Fudit & quatuor circulos aureos, quos posuit in quatuor angulis per singulos pedes mensæ

℣. 14. Contra coronam: misitque in eos vectes, ut posset mensa portari.

℣. 15. Ipsos quoque vectes fecit de lignis Setim, & circumdedit eos auro.

℣. 16. Et vasa ad diversos usus mensæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda sunt libamina.

℣. 17. Fecit & candelabrum ductile de auro mundissimo. De cujus vecte calami scyphi, sphærulæque, ac lilia procedebant.

℣. 18. Sex in utroque latere, tres calami ex parte unâ, & tres ex alterâ.

℣. 19. Tres scyphi in nucis modum per calamos singulos, sphærulæque simul, & lilia: & tres scyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæque simul, & lilia. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de stipite candelabri.

℣. 20. In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum, sphærulæque per singulos simul, & lilia:

℣. 21. Et sphærulæ sub duobus calamis per loca tria, qui simul sex fiunt calami, procedentes de vecte uno.

℣. 22. Et sphærulæ igitur, & calami ex ipso erant, universa ductilia ex auro purissimo.

℣. 23. Fecit & lucernas septem cum emunctoriis suis, & vasa, ubi ea, quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro purissimo.

℣. 24 Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vasis suis.

℣. 25. Fecit & Altare thymiamatis de lignis Setim, per quadrum singulos habens cubitos, & in latitudine duos, e cujus angulis procedebant cornua.

℣. 26. Vestivitque illud auro purissimo cum craticulâ, ac parietibus, & cornibus.

℣. 27. Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos sub coronâ per singula latera, ut mittantur in eos vectes, & possit Altare portari.

COMMENTARIUS.

se figuram alati bovis; neque enim aliter respicere se commodè potuissent, simulque faciem habere ad Propitiatorium conversam: sed argumenti hujus imbecillitatem nemo non sentit.

℣. 16. ET THURIBULA EX AURO PURO, IN QUIBUS OFFERENDA SUNT LIBAMINA. De thuribulis nihil in Hebræo, cujus vox קשות, *Keschaoth*, a Vulgatâ reddita *thuribula*, exprimit genus quoddam pateræ, vel scyphi, ad libationes, ut jam demonstravimus ad Exodum XXV, 29.

℣. 25. FECIT ET ALTARE THYMIAMATIS. De hoc altari hæc leguntur in Septuaginta Romanæ Editionis: *Hic fecit altare æneum, ex thuribulis æreis, qui fuerunt viris illis, qui moverunt seditionem cum Synagogâ Core Hic fecit omnia vasa altaris, & focum ejus, & basim, & phialas, & fusciaulas æreas.*

Hic fecit Altari additamentum, opus reticulatum ab imo foci sub ipso usque ad dimidium ejus. Et imposuit ei quatuor annulos e quatuor partibus additamenti altaris, æreos capaces vectibus, ad portandum in eis altare. Quod habent de thuribulis sectatorum Core, glossema est Textui appositum. Seditio, in qua partes Core sequuti interierunt, nonnisi post constructionem Tabernaculi orta est.

℣. 26. CUM CRATICULA AC PARIETIBUS, ET COR-

℣. 20. Primogenitum asini redimes ove: sin autem nec pretium pro eo dederis, occidetur. Primogenitum filiorum tuorum redimes: nec apparebis in conspectu meo vacuus.

℣. 21. Sex diebus operaberis, die septimo cessabis arare, & metere.

℣. 22. Solemnitatem Hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tuæ triticeæ; & solemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.

℣. 23. Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum tuum in conspectu omnipotentis Domini Dei Israël.

℣. 24. Cùm enim tulero gentes a facie tuâ, & dilatavero terminos tuos, nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.

℣. 25. Non immolabis super fermento sanguinem hostiæ meæ: neque residebit manè de victimâ solemnitatis Phase.

℣. 26. Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui. Non coques hœdum in lacte matris suæ.

℣. 27. Dixitque Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum & cum Israël pepigi fœdus.

℣. 28. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies & quadraginta noctes: panem non comêdit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem.

℣. 29. Cùmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.

COMMENTARIUS.

Exodum XIII, 12, 13.

℣. 20. NEC APPAREBIS IN CONSPECTU MEO VACUUS. Vide Exodum XXIII, 15.

℣. 21. SEX DIEBUS OPERABERIS; DIE SEPTIMO CESSABIS ARARE ET METERE. Septima dies vacabit ab opere, etiam cùm maximè instat necessitas metendi, exercendique agros. Vide Exodum XX, 9.

℣. 22. SOLEMNITATEM HEBDOMADARUM, idest, Pentecostes post septem evolutas a Paschate hebdomadas celebrandam; veluti si diceretur: Post septimanam e septimanis, in exitu XLIX dierum, offeres primitias messis tuæ frumentariæ: *In primitiis frugum messis tuæ triticeæ*. Celebrabatur Festum illud post messem frumentariam. Vide ad Caput XXIII, 16.

ET SOLEMNITATEM, QUANDO REDEUNTE ANNI TEMPORE CUNCTA CONDUNTUR. Designatur hìc Festum Tabernaculorum, quod incidebat exeunte anno civili post messem & frugum collectionem (*m*). Verùm Septuaginta *in medio anni* μεσοῦντος τοῦ ἐνιαυτοῦ, Festum illud celebratum ferunt; quod commodè accipitur de medio spatio anni sacri, incidente in exitum anni civilis, Septembri exeunte.

℣. 24. NULLUS INSIDIABITUR TERRÆ TUÆ. Hebræus, & Septuaginta (*n*): *Non concupiscet quisquam terram tuam*.

℣. 25. NON IMMOLABIS SUPER FERMENTO SANGUINEM HOSTIÆ MEÆ. Chaldæus: *Sanguinem Phase mei*; quod accipiendum est de hostiâ Paschali tunc immolandâ, cùm domus omni fermento expurgata erat (*o*).

℣. 26. NON COQUAS HOEDUM IN LACTE MATRIS SUÆ. Chaldæus: *Non comedetis carnem cum lacte*. Hunc textum aliter exposuimus ad caput XXIII, 19.

℣. 27. SCRIBE TIBI VERBA HÆC; quæcumque scilicet huc usque acta sunt, & omnes a me traditas populo Leges. Vide quæ contulimus supra ad ℣. 1.

℣. 28. FUIT ERGO IBI CUM DOMINO QUADRAGINTA DIES. Tertia hæc est quadragena dierum, juxta Hebræos, Lyranum, Cajetanum, Jansenium, aliosque. Primam constituunt illam, de qua in Exodo XXIV, 18; alteram, de qua ibidem XXXII, 30, 31, & in Deuteronomio IX, 1, 18; tertiam verò hìc expressam. Nos verò duas tantùm quadragesimas dierum esurialium admittimus; neque enim tertiam patitur proposita nobis Chronologia.

SCRIPSIT IN TABULIS VERBA FOEDERIS DECEM. Adnotavimus in ℣. 1 hujus capitis, verbum illud, *Scripsit*, ad Deum referendum esse, ut sit sensus, scriptum ab ipso Deo fuisse Decalogum, mandatumque secundis hisce Tabulis lapideis.

℣. 29. IGNORABAT QUOD CORNUTA ESSET FACIES

CIES

(m) *Onkel.* (n) לא יחמד איש ארצך *Septuag.* Οὐκ ἐπιθυμήσει οὐδεὶς τῆς γῆς σοῦ. (o) *Vide ad Cap.* XXIII, 18: *Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ.*

ỳ. 30. Videntes autem Aaron & filii Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere.

ỳ. 31. Vocatique ab eo reversi sunt, tam Aaron, quàm principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos,

ỳ. 32. Venerunt ad eum etiam omnes filii Israël: quibus præcepit cuncta quæ audierat a Domino in monte Sinai.

COMMENTARIUS.

...IES SUA. Septuaginta (p): *Non sciebat, quia glorificatus est aspectus cutis faciei ejus*. Affirmat pariter Apostolus (q), Israëlitas sustinere non potuisse gloriam micantis vultûs Legislatoris. Chaldæus: *Moyses nesciebat, quia multiplicatus esset splendor gloriæ vultûs sui*. Syriacus: *Non noverat, quia nitida* (micans) *facta esset pellis vultûs sui*. Cæteri omnes Interpretes ita pariter explicant cornua illa, de quibus in Hebræo. Moysis facies insigni coruscavit fulgore, ex quo iniit cum Deo consuetudinem; seu potiùs, juxta S. Ambrosium (r) aliosque nonnullos, ex quo in specu se continens, Deum habuit manifestum. Nitor ille, nunquam exinde a Moyse recedens, obsequium viro ac venerationem populi conciliabat. Ex fide Itinerantium quorumdam (s) discimus, Arabes XL vel L annorum ætate erigere crines suos in speciem cornuum, ut hœdorum imaginem intuentibus referre videantur. Ex Homero intelligimus, consuevisse Veteres ita comas suas crispare ac dividere in fronte, ut assurgerent in tuberculos, formarentque veluti cornua. Eleganti comâ distinctos appellabant *Cerastas*, ac si dicerent *cornutos*; nimiumque comarum cultum exprobrans Paridi Diomedes, ipsum appellat *splendidum cornua* (t).

Creduntur autem Veteres imitatione Moysis Heroas suos ac Numina plerumque cornuta exhibuisse. Cornua plerumque appingunt Baccho. Facilè autem affinia plurima indicantur inter Moysis historiam, & gesta Bacchi. Natus est ille, juxta quosdam (u), in Ægypto, vel saltem nutritus fuit a Nymphis in montibus Nysæis, inter Ægyptum & Phoeniciam; quibus montibus optime indicatur terra Gessen, ubi Moyses eàdem parente ac nutrice est usus. Jacebat Regio illa media inter Palæstinam, & urbem Tanim, ut alibi demonstratum est.

Porrò Bacchus vix natus in arculâ clausus aquis fuit expositus: geminas habuit matres, διμήτωρ, atque elegantissimâ formâ nitebat. Speciem Moysis laudat Scriptura; adoptatumque illum a filiâ Pharaonis fuisse, satis constat. Bacchus grandia itinera confecit; plures populos subegit: narratumque de illo est, copias habuisse suas e fœminis non minùs ac viris coalescentes. Glomerantibus tenebris opprimebantur Indi, dum Bacchæ, & Bacchi copiæ plenâ die fruebantur. Columna illi non secus ac Moysi tribuitur (x). Agnoscere in his omnibus licet copias Israëliticas, moventes ex Ægypto deducente columnâ, quæ noctem lumine suo collustrabat; æstum verò solis opacitate suâ moderabatur. Bacchus Legislatoris titulo insignitur (y), & quæ ab illo rogata est, Legem duplicem, δίπλακα θεσμὸν, appellant; quo emblemate innuuntur geminæ tabulæ Decalogi. Inditum est Baccho a Poëtis nomen Μύσης, *Myses*,* quod persimile est nomini *Moyses*. Feruntur insuper, Bacchæ aquas e lapide, quem thyrso percusserant, eduxisse; addunt, quæcumque illæ transeundo obibant loca, statim rivulis e lacte, vino, & melle fluxisse: quod congruit maximè cum iis, quæ de Chananitide commendat Scriptura. Legimus tandem in Dionysiacis Nonni, Bacchum sicco pede transvadasse Orontem & Hidaspem, arente, ex solo tactu thyrsi sui, illorum alveo; quod expressum est ex historiâ transfretationis Erythræi, & transvadati Jordanis ab Israëlitis.

Memoriæ etiam proditum est, thyrsum illum Bacchi hederâ redimitum, projectum olim in terram reptasse tanquam anguem: quod pariter & in prodigio virgæ Moysis recurrit. Addit pariter Diodorus, Dionysio, vel Baccho semper adstitisse comites Musas, fœminas doctas canendi, ludendique voce, ac instrumentis peritissimas; quâ in imagine quis non videat Mariam sororem Moysis, & Israëliticas fœminas, gratiarum actionis hymnos concinentes post relatum ex alveo maris pedem? Dierum festorum Religionem agnoscebat Liber splendidissimis, ac magnificis vestibus, adstringebatque vittâ. Quæ duo Aaronem potiùs respicere videntur, quàm Moysem. Tandem Deus ille Liber ab oneribus publicis eos absolvit, qui musicæ se dederent; quo indicio facilè agnoscas privilegium exemptionis a Moyse concessum Sacerdotibus, & Levitis, in laudibus Domini canendis potissimùm occupatis, quos scilicet exemit Moyses ab omnibus Reipublicæ oneribus. Tanta utique affinitas inter historiam Bacchi, & Moysis industriæ potius, quàm casui deputanda est; reputandumque, fabulatores Moysis historiam in Bacchum transtulisse. Nec dissimiles etiam lineas utrimque affines notaremus inter Legislatorem Hebræorum, ac cætera Paganorum Numina, Herculem, Mercurium, Typhonem. Quam Provinciam felicissimè ante nos occuparunt, obieruntque Vossius, Bochartus, Huetius, & alii. Perhibet S. Epiphanius (z), Idumæos, cæterosque Arabes in aris consecrasse Moysem; constat autem, authore Jose-

(p) Ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ. *Hieron. in Amos* VI, *Ex Aquilâ: Nesciebat quia cornuta erat species vultûs ejus*. (q) 2 *Cor.* III, 7: *Ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi propter gloriam vultûs ejus*. (r) *Ambros. in Psal.* 118, *serm.* 17, *num.* 29. *Menoch. Tostat.* (s) *Ludov. Patricius Rom. navig. l.* 2, *c.* 4. (t) *Homer. Iliad.* Λ. Τοξότα λωβητὴρ, κέρᾳ ἀγλαὲ, παρθενοπῖπα. (u) *Vide Diodor. Sicul. l.* 4. *c.* 2. (x) *Vide Clem. Alex. l.* 5 *Strom. p.* 348. (y) *Onomacritus in Orphaicis*. (z) *Epiphan. hæres.* 55 *de Melchisedechian.*

℣. 33. Impletiſque ſermonibus, poſuit velamen ſuper faciem ſuam.

℣. 34. Quod ingreſſus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat, donec exiret, & tunc loquebatur ad filios Iſraël omnia quæ ſibi fuerant imperata.

℣. 35. Qui videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam, ſed operiebat ille rurſus faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos.

COMMENTARIUS.

Joſepho (*a*), Idumæos illos coluiſſe Deum Chozem; eſt igitur, cur Chozem cum Moyſe confundamus. Cùm tamen veterum fermè omnium de Arabum Numinibus ſermonem habentium teſtimonio planum ſit, gentes illas Bacchum ſibi Numen præſtituiſſe; inde ſequitur, populorum illorum opinione Bacchum, Moyſem, & Chozem unum eſſe idemque vel hominem, vel, ſi mavis, Heroëm conſecratum. Favent his quæ Baccho, & Moyſi communia fuiſſe ſupra annotavimus. Nomen *Bacchus* derivari poteſt ex בר כוש *Bar-chus* filius Chus; tum & Jacchus ex Hebræo יה כוש *Jah chus*; nec ab eâdem ſignificatione Choze Joſephi plurimùm abhorret. Porrò Chus frequentavit totum Arabiæ tractum, ſecundùm littus orientale Erythræi, tum & Regionem Ægypto finitimam: ibi pariter diuturnam temporis moram traxit Moyſes, adſcivitque ſibi conjugem *Sephoram* e genere Chus (*b*). Præclarum autem id futurum fuiſſe Legiſlatori reputarint, ſi illum e Chus, tanto viro, ceu ex patre filium repeterent.

℣. 33. Impletisque sermonibus posuit velamen. Hebræus ad literam (*c*): *Et conſummavit Moyſes a loquendo cum eis, & dedit ſuper faciem ſuam velamen*. Reddi poſſe textus videretur: *Poſuit velamen ſuper faciem ſuam, donec ſermonem abſolveret*. Conſtat equidem ex Apoſtolo (*d*), Moyſem opertâ facie verba feciſſe ad populum, micantes vultûs ipſius radios non ſuſtinentem. Septuaginta perinde ac Vulgata ferunt, Moyſem, poſt abſolutum eum populo ſermonem, velaſſe faciem ſuam. Menochius & Cornelius a Lapide cenſent, Moyſem, ut majeſtatem Legis, quam exponebat, utcumque referret, verba de illâ feciſſe detectâ facie; tum verò velum ori impoſuiſſe, atque ita velatum deinceps loqui conſueviſſe. Nec equidem tanto ille nitebat fulgore, quantum intuentes non ſuſtinerent; ſed Moyſes, quâ erat modeſtiâ, velabat faciem ſuam, ut populus liberiùs ſecum colloqueretur, remotâ majeſtate illâ vultûs, quæ colloquentibus terrorem & reverentiam inſinuabat. Hæc Janſenius. Maluerim ego verſiculum hunc ita reddere: *Quia Moyſes compleverat ſermones cum populo, & poſuerat velamen ſuper faciem ſuam*, ſtatim ac ſcilicet intellexit, populum micantis vultûs ſui nitorem non ferre.

CAPUT XXXV.

Lex de religione Sabbati. Populus ad conſtructionem Tabernaculi confert munera. Beſeleel & Ooliab ad id operis deſtinantur.

℣. 1. IGitur congregatâ omni turbâ filiorum Iſraël, dixit ad eos: Hæc ſunt quæ juſſit Dominus fieri.

℣. 2. Sex diebus facietis opus: ſeptimus dies erit vobis ſanctus, ſabbatum, & requies Domini: Qui fecerit opus in eo, occidetur.

℣. 3. Non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem ſabbati.

COMMENTARIUS.

℣. 3. Non succendetis ignem. Ignem ſuccendere vetitum erat vel ſervilibus præſtandis operibus, ut decoquendo pani, excoquendiſque metallis; ſive ad opera vitæ neceſſaria

(a) *Joſeph. Antiq. l. 18, c. 11.* (b) *Num. XII, 1.* (c) ויכל משה מדבר אתם ויתן על פניו מסוה
[d] 2 *Cor. III, 7, & 13, 14: Et non ſicut Moyſes ponebat velamen ſuper faciem ſuam, ut non intenderent filii Iſraël in faciem ejus, &c. Uſque in hodiernum enim diem idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non revelatum.*

℣. 4. Et ait Moyses ad omnem catervam filiorum Israel: iste est sermo, quem præcepit Dominus, dicens:

℣. 5. Separate apud vos primitias Domino: Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino: aurum & argentum, & æs,

℣. 6. Hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum: pilos caprarum,

℣. 7. Pellesque arietum rubricatas, & ianthinas, ligna setim,

℣. 8. Et oleum ad luminaria concinnanda, & ut conficiatur unguentum, & thymiama suavissimum,

℣. 9. Lapides onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis & rationalis.

℣. 10. Quisquis vestrûm sapiens est, veniat, & faciat quod Dominus imperavit:

℣. 11. Tabernaculum scilicet, & tectum ejus, atque operimentum, annulos, & tabulata cum vectibus, paxillos, & bases:

℣. 12. Arcam & vectes, propitiatorium, & velum quod ante illud oppanditur:

℣. 13. Mensam cum vectibus & vasis, & propositionis panibus:

℣. 14. Candelabrum ad luminaria sustentanda, vasa illius & lucernas, & oleum ad nutrimenta ignium:

℣. 15. Altare thymiamatis, & vectes, et oleum unctionis, & thymiama ex aromatibus: tentorium ad ostium Tabernaculi:

℣. 16. Altare holocausti, et craticulam ejus æneam cum vectibus et vasis suis: labrum et basim ejus:

℣. 17. Cortinas atrii cum columnis et basibus, tentorium in foribus vestibuli.

℣. 18 Paxillos Tabernaculi et atrii, cum funiculis suis:

℣. 19. Vestimenta, quorum usus est in ministerio Sanctuarii, vestes Aaron Pontificis ac filiorum ejus, ut Sacerdotio fungantur mihi.

℣. 20. Egressaque omnis multitudo filiorum Israel de conspectu Moysi,

COMMENTARIUS.

saria, uti ad parandos cibos. Quæ religio erat diei Sabbati peculiaris; cæteris aliis diebus festis non communis (a). Volunt tamen Rabbini, permissum fuisse ignem succendere, sive calefaciendi sui gratiâ, sive etiam ad lumen; non verò ad cæteros alios usus. Notat Josephus (b), velut Esseniorum morem singularem, abstinuisse illos die Sabbati a succendendo igne; sed Authores omnes Hebræi conveniunt (c), eam religionem per totam latè gentem percrebuisse. Samaritani & Caraitæ putant, contra cæterorum Judæorum opinionem, hoc de non incendendo igne mandatum vetare, ut ne per alios quidem excitari sinatur; atque contrarium huic morem, ceu depravationem apertam legis, detestantur. Solemne est Judæis, inter domesticos Christianos aliquos detinere, quorum operâ succendant ignem die Sabbati.

℣. 9. GEMMAS AD ORNATUM. Hebræus אבני מלאים *lapides ad ligandum*. Septuaginta: Λίθες εἰς τὴν γλυφὴν, *lapides in sculpturam*.

℣. 11. TABERNACULUM SCILICET, ET TECTUM EJUS; Idest, juxta Hebræum: Tabernaculum & proxima ejus pretiosa integumenta, tum & velamina cætera, prioribus illis instrata.

ANNULOS. Exprimit Hebræum קרסים potiùs *fibulas*.

PAXILLOS ET BASES. Hebræus עמדיו ואדניו *Columnas ejus, & bases ejus*.

℣. 19. VESTIMENTA, QUORUM USUS EST IN MINISTERIO SANCTUARII. Vatablus, aliique nonnulli

(a) *Vide Exod. XII, 16; Tirin. Menoch. Sa.* (b) *Joseph. l. 2, c. 13, de Bello.* (c) *Mos. Ægypti Halac Sabbath. l. 3, par. 5, 6.*

℣. 21. Obtulerunt mente promptiſſimâ atque devotâ primitias Domino, ad faciendum opus Tabernaculi Teſtimonii. Quidquid ad cultum & ad veſtes ſanctas neceſſarium erat.

℣. 22. Viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures, annulos & dextralia: omne vas aureum in donaria Domini ſeparatum eſt.

℣. 23. Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, byſſum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & ianthinas,

℣. 24. Argenti æriſque metalla, obtulerunt Domino, lignaque ſetim in varios uſus.

℣. 25. Sed & mulieres doctæ, quæ neverant, dederunt hyacinthum, purpuram & vermiculum, ac byſſum,

℣. 26. Et pilos caprarum: ſponte propriâ cuncta tribuentes.

℣. 27. Principes verò obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad ſuperhumerale & rationale,

COMMENTARIUS.

nulli optimæ notæ Interpretes cenſent deſignari hìc integumenta, quibus obvolvebantur vaſa Tabernaculi, aliæ planè e veſtibus ſacris Aaronis, de quibus ſtatim inducitur ſermo (d).

℣. 22. ARMILLAS, ET INAURES, ANNULOS, ET DEXTRALIA. Septuaginta (e): *Attulerunt viri ab uxoribus .... ſigilla & inaures & annulos, & torques, & dextralia*. Quantum ex his Interpretibus intelligere videmur, fœminæ non per ſe quidem offerebant armillas, inaures, &c. ſed viri earum loco has conferebant. Quam ſententiam confirmant ℣. 25, & Hebræus hujus verſiculi, ferens (f): *Venerunt viri ſuper* (præter, ſine) *mulieribus, attulerunt fibulam*. Hebræum *Chach*, quod in Vulgatâ redditur *armillas*, Recentioribus plerisque eſt *fibula*.

INAURES. Hebræum *Neſem* uſurpatur de inauribus ornamentiſque narium vel frontis. Nihil eſt, quod in voce annulos exprimente ambigamus. *Dextralia* ornamenta ſunt manûs dexteræ. Vulgata hìc fidem Septuaginta ſecuta eſt; habuerunt enim illi perſuaſum, Hebræum כומז *cumaz* exprimere armillas manûs, ſeu brachii dextri. Ejuſmodi manuum ornamenta appellat Trebellius (g) Pollio *dextrocheria*; affirmatque, mulieres geſtaſſe imaginem Alexandri Magni cælatam in *reticulis & dextrocheriis, & annulis, &c.* Creditur *dextrocherium* fuiſſe annulus lacerti ampliſſimus, aureus, gemmiſque diſtinctus. Exponunt alii Hebræum de bullâ pretioſâ, e cingulo anteriùs pendente. Caldæus, juxta Vatablum, accipit de ampliori faſciâ, ſeu veteris moris femorali (h); alii de *faſciâ pectorali*, qua puellæ pectus infra mammillas ſtringebant. Rabbinorum nonnullis eſt obſcœna imago. Syriacus quintum aliud ornamentum adjecit, quemadmodum & Septuaginta, qui addunt *torques*. Nihil eâ de re certum.

℣. 25. SED ET MULIERES DOCTÆ, QUÆ NEVERANT, DEDERUNT HYACINTHUM &c. Conferebant viri metalla, aromata, & oleum; mulieres verò, quas neverant, lanas. Quantum ex hoc Texto deducimus, priùs tingebantur lanæ, quàm ad colum, & ad textrinam ducerentur. Idem ſpectes & apud Homerum; inducit enim ille Helenam Reginam, ducentem ad colum lanam purpuream (i). Arete uxor Regis Alcinoi (k) habebat pariter in colo purpuram. Sed fortè lanæ illæ ex iis erant, de quibus nos ad Exodi xxv, 5, quæ purpureum colorem a naturâ datum referebant. Ita pariter reputaretur non incongruè, lanas illas hyacinthinas & purpureas non arte inductum colorem retuliſſe, cùm a fœminis Iſraëliticis conferrentur. Narrat Plinius (l), ſuâ ætate interdum ſpectata vellera viventis adhuc ovis artificioſo colore imbuta; quòd perſuaderentur homines, ita tinctas lanas optimas eſſe & diuturniores: id tamen jam ætate Moyſis obtinuiſſe vix credimus. Porrò antiquis in moribus poſitum erat, ut tingere lanas, ducere ad colum, & operari ad textrinam muliebre eſſet, uti advertit Caſaubonus in Athenæi librum xiii, caput 8.

℣. 26. ET PILOS CAPRARUM. Hebræus & Septuaginta habent, contuliſſe illas ſtamina e pilis caprarum. Vide ſupra ad Exodi xxv, 4.

℣. 27. PRINCIPES OBTULERUNT LAPIDES ONYCHINOS; vel, juxta Septuaginta, *Smaragdos*. Hebræus: *Lapides Soham*.

℣. 33.

(d) *Vide Exod.* xxxi, 10; & xxxix, 1. (e) Ἤνεγκαν οἱ ἄνδρες παρὰ τῶν γυναικῶν... σφραγῖδας, καὶ ἐνώτια, καὶ δακτυλίους, καὶ ἐμπλόκια, καὶ περιδέξια. (f) ויבאו האנשים על הנשים .... חח ונזם (g) *Trebell. in Quieto 30. Tyran. Vide Jul. Capitolin. & qui eum ſcripſerunt.* (h) *Vide Exod.* xxviii, 42. (i) *Odyſſ.* Δ. Ἠλακάτη τετάνυστο ἰοδνεφὲς εἶρος ἔχουσα. (k) *Odyſſ.* Ζ. Ἠλάκατα στρωφῶσ᾽ ἁλιπόρφυρα θαῦμα ἰδέσθαι. (l) *Plin. l.* viii, 48: *Vidimus jam & viventium vellera purpurâ, cocco, conchilio, ſeſquilibris infecta &c.*

℣. 28. Aromataque, & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum unguentum, ac thymiama odoris suavissimi componendum.

℣. 29. Omnes viri & mulieres mente devotâ obtulerunt donaria, ut fierent opera, quæ jusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filii Israël voluntaria Domino dedicaverunt.

℣. 30. Dixitque Moyses ad filios Israël: Ecce vocavit Dominus ex nomine Beseleel filium Uri, filii Hur de tribu Juda;

℣. 31. Implevitque eum Spiritu Dei, sapientiâ & intelligentiâ, & scientiâ, & omni doctrinâ,

℣. 32. Ad excogitandum, et faciendum opus in auro, et argento, & ære,

℣. 33. Sculpendisque lapidibus, & opere carpentario, quidquid fabre adinveniri potest,

℣. 34. Dedit in corde ejus: Ooliab quoque filium Achisamech de Tribu Dan.

℣. 35. Ambos erudivit sapientiâ, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac plumarii, de hyacintho, ac purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso, et texant omnia, ac nova quæque reperiant.

COMMENTARIUS.

℣. 33. OPERE CARPENTARIO. Fert tantùm Hebræus: בחרשת עץ, *In artificio ligni*.

QUIDQUID FABRE ADINVENIRI POTEST, (℣. 34.) DEDIT IN CORDE EJUS. Commodè redderetur Hebræus (m): *Ad faciendum in omni opere cogitationis*, quod molimen ingenii postulat, (℣. 34) *Et ad docendum* cæteros.

℣. 35. OPERA ABIETARII. Hebræa vox חרש exprimit generatim opificem, seu fabrum lignarium, vel ærarium, vel ferrarium, vel lapicidam.

TEXANT OMNIA, AC NOVA QUÆQUE REPERIANT. Hebræus: *Facientes omnem functionem, & cogitantes cogitationes*; qui omnis generis opera moliantur, inveniant & faciant. Septuaginta: *Facere opus architectonicum & varietatis*, phrygium.

CAPUT XXXVI.

Moyses executioni mandat quæcumque sibi fuerant commissa supra ad caput XXVI, de Tabernaculo, ejusque partibus.

℣. 1. FEcit ergo Beseleel, et Ooliab, et omnis vir sapiens; quibus dedit Dominus sapientiam et intellectum, ut scirent fabre operari quæ in usus Sanctuarii necessaria sunt, et quæ præcepit Dominus.

℣. 2. Cumque vocasset eos Moyses, & omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte suâ obtulerant se ad faciendum opus,

℣. 3. Tradidit eis universa donaria filiorum Israël. Qui cùm instarent operi, quotidie manè vota populus offerebat.

COMMENTARIUS.

℣. 3. QUOTIDIE MANE VOTA POPULUS OFFEREBAT. Hebræus: *Attulerunt ad eum adhuc in devotionem* (oblationem) *in matutino in matutino*, singulis diebus manè; quo loco Septuaginta & Vulgata exprimunt, populum contulisse omnia ad opifices.

(m) לעשות בכל מלאכת מחשבת ולהורות

℣. 4. Unde artifices venire compulsi,
℣. 5. Dixerunt Moysi: Plus offert populus quàm necessarium est.
℣. 6. Jussit ergo Moyses præconis voce cantari: Nec vir nec mulier quidquam offerat ultra in opere Sanctuarii. Sicque cessatum est à muneribus offerendis,
℣. 7. Eò quòd oblata sufficerent & superabundarent.
℣. 8. Feceruntque omnes corde sapientes, ad explendum opus Tabernaculi, cortinas decem, de bysso retortâ, & hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, opere vario, et arte polymitâ:
℣. 9. Quarum una habebat in longitudine viginti octo cubitos: et in latitudine quatuor. Una mensura erat omnium cortinarum.
℣. 10. Conjunxitque cortinas quinque, alteram alteri, et alias quinque sibi invicem copulavit:
℣. 11. Fecit et ansas hyacinthinas in orâ cortinæ unius, ex utroque latere, et in orâ cortinæ alterius similiter,
℣. 12. Ut contra se invicem venirent ansæ, et mutuò jungerentur.
℣. 13. Unde et quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, et fieret unum Tabernaculum.
℣. 14. Fecit et saga undecim de pilis caprarum, ad operiendum tectum Tabernaculi.
℣. 15. Unum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, et in latitudine cubitos quatuor: unius mensuræ erant omnia saga:
℣. 16. Quorum quinque junxit seorsùm, et sex alia separatim.
℣. 17. Fecitque ansas quinquaginta in orâ sagi unius, et quinquaginta in orâ sagi alterius, ut sibi invicem jungerentur.
℣. 18. Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, ut unum pallium ex omnibus sagis fieret.

COMMENTARIUS.

℣. 4. Animadvertendum est, nos in postremis hisce quatuor capitibus sequi Septuaginta Complutenses, ad Vulgatam plus multò accedentes, quàm editionem Romanam, negligentissimè in iis capitibus curatam. Contrahit illa, transponit, immutat; uno verbo, magno adeò numero variantia ex illâ resultant, ut omnia adnotare esset operosissimum, nisi totus ex integro Textus describeretur. Ita e.g. hìc a ℣. 5, usque ad exitum exhibent descriptionem vestium Sacerdotalium, quarum in Complutensi & Vulgatâ sermo est tantùm ad caput XXXIX. Aguot Septuaginta ad caput XXXVII de Tabernaculo, sed brevioribus verbis, quàm hìc ℣. 8, & sequentibus. Adnotare poterit lector variantia nonnulla, quæ in eorum Versione in Numeros deprehenduntur.

Nec prætereundum pariter, omnia quæcumque leguntur in Capitibus XXXVII, & capitis XXXVIII portione, totoque capite XXXIX, epilogum esse præcedentium, quæ Moyses commodè præterire potuisset, illud tantummodò innuens, Artifices illos quæcumque sibi a Deo mandata fuerant, omnia juxta præscriptam sibi ideam executioni mandasse. Quare supersedemus hìc ab iis narrandis, quæ alibi disseruimus de Tabernaculo ejusque partibus, sicut & de vestibus Sacerdotalibus; recurrunt enim hìc eædem voces, & salebræ, quæ illìc. Vero propiùs autumaremus, Artifices illos apud se descripta retinuisse ea omnia; quæ suis manibus commissa fuerant, omniumque rationem exactam reddidisse; hinc fit, ut hæc narratio repetatur.

℣. 14. AD OPERIENDUM TECTUM TABERNACULI. Hebræus: לאהל על המשכן, *Tentorio super Tabernaculum*; vel juxta Chaldæum, & Arabicum: *Ut sterneret super Tabernaculum*. Integumenta illa e setis caprarum protegebant velamina illa pretiosa, quæ defendendo Tabernaculo omnium prima erant instrata.

℣. 17. FECIT ANSAS QUADRAGINTA. Erant ansæ illæ frustula panni complicata, quibus jungebantur fibulæ. Septuaginta: *Fecit quinquaginta ἀγκύλας, uncos*.

℣. 18. ET FIBULAS ÆNEAS QUINQUAGINTA, QUIBUS NECTERETUR TECTUM. Tectum hìc appellantur

℣. 19. Fecit opertorium Tabernaculi de pellibus arietum rubricatis : aliudque desuper velamentum de pellibus janthinis.

℣. 20. Fecit et tabulas Tabernaculi de lignis setim stantes.

℣. 21. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ unius : et unum ac semis cubitum latitudo retinebat.

℣. 22. Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, ut altera alteri jungeretur. Sic fecit in omnibus Tabernaculi tabulis.

℣. 23. E quib' viginti ad plagam meridianam erant contra austrum,

℣. 24. Cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub una tabulâ ponebantur ex utrâque parte angulorum, ubi incastraturæ laterum in angulis terminantur.

℣. 25. Ad plagam quoque Tabernaculi, quæ respicit ad aquilonem, fecit viginti tabulas,

℣. 26. Cum quadraginta basibus argenteis, duas bases per singulas tabulas.

℣. 27. Contra occidentem verò, idest, ad eam partem Tabernaculi, quæ mare respicit, fecit sex tabulas.

℣. 28. Et duas alias per singulos angulos Tabernaculi retrò,

℣. 29. Quæ junctæ erant a deorsum usque rursum, & in unam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex utrâque parte per angulos:

℣. 30. Ut octo essent simul tabulæ, & haberent bases argenteas sexdecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis.

℣. 31. Fecit & vectes de lignis setim quinque, ad continendas tabulas unius lateris Tabernaculi,

℣. 32. Et quinque alios vectes ad alterius lateris coaptandas tabulas : & extra hos, quinque alios vectes ad occidentalem plagam Tabernaculi, contra mare.

℣. 33. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo, usque ad angulum perveniret.

℣. 34. Ipsa autem tabulata deauravit, fusis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci possent: quos & ipsos laminis aureis operuit.

℣. 35. Fecit & velum de hyacinto & purpurâ, vermiculo, ac bysso retortâ, opere polymitario, varium atque distinctum:

℣. 36. Et quatuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauravit, fusis basibus earum argenteis.

COMMENTARIUS.

lantur saga illa, quibus defendebantur vela pretiosa, proximè tegentia Tabernaculum.

℣. 33. FECIT QUOQUE VECTEM ALIUM, QUI PER MEDIAS TABULAS AB ANGULO, USQUE AD ANGULUM PERVENIRET. Nihil de transverso hoc repagulo habet Vulgata in Textu huic parallelo capitis XXVI, 28. Sunt qui credant, intus in asseribus insertum excurrisse, ut planè alterum sit repagulum præter eos vectes, qui ex parte exteriori latera claustri secundùm longitudinem continebant. Tostatus & Jansenius reputant, ipsissimum esse repagulum, de quo Josephus libro III, capite 5; continuisse autem tabulas simul junctas lateris occidentalis Tabernaculi. Quam opinionem suam fulciunt iis, quæ hic leguntur, nimirum vectem hunc excurrisse ab uno ad alterum angulum: quod nulli meliùs quàm lateri posteriori Tabernaculi convenit. Cæterùm etiam constat, illud, *per medias tabulas*, indicare, vectem per intima tabularum viscera permeasse, illasque inter se junxisse, diversâ planè ratione ab aliis vectibus, qui per dispositos secundùm longitudinem annulos permeabant,

℣. 37. Fecit & tentorium in introitu Tabernaculi ex hyacintho, purpurâ, vermiculo, byssoque retortâ, opere plumarii.

℣. 38. Et columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

COMMENTARIUS.

bant, non per transversas tabulas.

℣. 38. ET COLUMNAS QUINQUE CUM CAPITIBUS SUIS, QUAS OPERUIT AURO. Excussa est alibi sententia illa Interpretum, ferens, & singulis columnis porrectum fuisse uncum, capiti columnarum inhærentem, sustinentemque virgas ex unâ ad alteram columnam ductas, regentesque vela, quæ atrium claudebant, seu virgas, quæ spirali lineâ stringebant columnam. Opinionis hujus refutationem habes in capite XXVII, 11, 12, ubi voces omnes, quæ ambiguitatis aliquid inferre possent, exposuimus.

BASES AREAS FUDIT ÆNEAS. Vulgata in Polyglottis Antwerpiensibus & Parisiensibus fert, bases illas auro superinducto nituisse: quod nullibi legitur.

CAPUT XXXVII.

Descriptio Arcæ, Propitiatorii, Candelabri, & Altaris Thymiamatis.

℣. 1. FEcit autem Beseleel & Arcam de lignis setim, habentem duos semis cubitos in longitudine, & cubitum ac semissem in latitudine; altitudo quoque unius cubiti fuit & dimidii: vestivitque eam auro purissimo intus ac foris;

℣. 2. Et fecit illi coronam auream per gyrum,

℣. 3. Conflans quatuor annulos aureos per quatuor angulos ejus: duos annulos in latere uno, & duos in altero.

℣. 4. Vectes quoque fecit de lignis setim, quos vestivit auro,

℣. 5. Et quos misit in annulos, qui erant in lateribus Arcæ, ad portandum eam.

℣. 6. Fecit & propitiatorium, idest, oraculum, de auro mundissimo, duorum cubitorum & dimidii in longitudine, & cubiti ac semis in latitudine.

℣. 7. Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos posuit ex utrâque parte propitiatorii.

℣. 8. Cherub unum in summitate unius partis, & Cherub alterum in summitate partis alterius: duos Cherubim in singulis summitatibus propitiatorii,

℣. 9. Extendentes alas, & tegentes propitiatorium, seque mutuò, & illud respicientes.

℣. 10. Fecit & mensam de lignis setim in longitudine duorum cubitorum, & in latitudine unius cubiti, quæ habebat in latitudine cubitum ac semissem.

℣. 11. Circumdeditque eam auro mundissimo, & fecit illi labium aureum per gyrum,

COMMENTARIUS.

DEscriptam Arcam & Propitiatorium habes capite XXV, 10, &c. Candelabrum capite XXV, 31; Altare capite XXX, 1. Oleum unctionis capite XXX, 23; & XXV, 34.

℣. 9. SEQUE MUTUO, ET ILLUD RESPICIENTES. Intulit ex his Monceius, Cherubim illos retulisse

℣. 12. Ipſique labio coronam auream interraſilem quatuor digitorum, & ſuper eandem, alteram coronam auream.

℣. 13. Fudit & quatuor circulos aureos, quos poſuit in quatuor angulis per ſingulos pedes menſæ

℣. 14. Contra coronam: miſitque in eos vectes, ut poſſet menſa portari.

℣. 15. Ipſos quoque vectes fecit de lignis Setim, & circumdedit eos auro.

℣. 16. Et vaſa ad diverſos uſus menſæ, acetabula, phialas, & cyathos, & thuribula, ex auro puro, in quibus offerenda ſunt libamina.

℣. 17. Fecit & candelabrum ductile de auro mundiſſimo. De cujus vecte calami ſcyphi, ſphærulæque, ac lilia procedebant.

℣. 18. Sex in utroque latere, tres calami ex parte unâ, & tres ex alterâ.

℣. 19. Tres ſcyphi in nucis modum per calamos ſingulos, ſphærulæque ſimul, & lilia: & tres ſcyphi inſtar nucis in calamo altero, ſphærulæque ſimul, & lilia. Æquum erat opus ſex calamorum, qui procedebant de ſtipite candelabri.

℣. 20. In ipſo autem vecte erant quatuor ſcyphi in nucis modum, ſphærulæque per ſingulos ſimul, & lilia:

℣. 21. Et ſphærulæ ſub duobus calamis per loca tria, qui ſimul ſex fiunt calami, procedentes de vecte uno.

℣. 22. Et ſphærulæ igitur, & calami ex ipſo erant, univerſa ductilia ex auro puriſſimo.

℣. 23. Fecit & lucernas ſeptem cum emunctoriis ſuis, & vaſa, ubi ea, quæ emuncta ſunt, extinguantur, de auro puriſſimo.

℣. 24 Talentum auri appendebat candelabrum cum omnibus vaſis ſuis.

℣. 25. Fecit & Altare thymiamatis de lignis Setim, per quadrum ſingulos habens cubitos, & in latitudine duos, e cujus angulis procedebant cornua.

℣. 26. Veſtivitque illud auro puriſſimo cum craticulâ, ac parietibus, & cornibus.

℣. 27. Fecitque ei coronam aureolam per gyrum, & duos annulos aureos ſub coronâ per ſingula latera, ut mittantur in eos vectes, & poſſit Altare portari.

COMMENTARIUS.

ſe figuram alati bovis; neque enim aliter reſpicere ſe commodè potuiſſent, ſimulque faciem habere ad Propitiatorium converſam: ſed argumenti hujus imbecillitatem nemo non ſentit.

℣. 16. ET THURIBULA EX AURO PURO, IN QUIBUS OFFERENDA SUNT LIBAMINA. De thuribulis nihil in Hebræo, cujus vox קשות, *Keſchaoth*, a Vulgatâ reddita *thuribula*, exprimit genus quoddam pateræ, vel ſcyphi, ad libationes, ut jam demonſtravimus ad Exodum XXV, 29.

℣. 25. FACIT ET ALTARE THYMIAMATIS. De hoc altari hæc leguntur in Septuaginta Romanæ Editionis: *Hic fecit altare æneum, ex thuribulis æreis, qui fuerunt viris illis, qui moverunt ſeditionem cum Synagogâ Core. Hic fecit omnia vaſa altaris, & focum ejus, & baſim, & phialas, & fuſcinulas æreas.*

Hic fecit Altari additamentum, opus reticulatum ab imo foci ſub ipſo uſque ad dimidium ejus. Et impoſuit ei quatuor annulos e quatuor partibus additamenti altaris, æreos capaces vectibus, ad portandum in eis altare. Quod habent de thuribulis ſectatorum Core, gloſſema eſt Textui appoſitum. Seditio, in qua partes Core ſequuti interierunt, nonniſi poſt conſtructionem Tabernaculi orta eſt.

℣. 26. CUM CRATICULA AC PARIETIBUS, ET COR-

℣. 28. Ipſos autem vectes fecit de lignis ſetim, & operuit laminis aureis.

℣. 29. Compoſuit & oleum ad ſanctificationis unguentum, & thymiama de aromatibus mundiſſimis opere pigmentarii.

COMMENTARIUS.

CORNIBUS. Inhærendum eſt iis, quæ diximus in capite XXX, 1, 2, 3; ubi demonſtratum eſt, nullam fuiſſe hìc craticulam, quam inferunt Septuaginta; & ſuperiorem menſæ partem æquam fuiſſe ac planam.

CAPUT XXXVIII.

Deſcriptio Altaris holocauſtorum. Vide ſupra ad caput XXVIII, 1. Labii anei ad lotiones. Vide caput XXX, 18. Atrii. Vide caput XXVII, 4, &c.

℣. 1. FEcit & Altare holocauſti de lignis ſetim, quinque cubitorum per quadrum, & trium in altitudine:

℣. 2. Cujus cornua de angulis procedebant; operuitque illud laminis æneis.

℣. 3. Et in uſus ejus paravit ex ære vaſa diverſa, lebetes, forcipes, fuſcinulas, uncinos, & ignium receptacula.

℣. 4. Craticulamque ejus in modum retis fecit æneam, & ſubter eam in Altaris medio arulam,

℣. 5. Fuſis quatuor annulis per totidem retiaculi ſummitates, ad immittendos vectes ad portandum.

℣. 6. Quos & ipſos fecit de lignis ſetim, & operuit laminis æneis,

℣. 7. Induxitque in circulos, qui in lateribus Altaris eminebant. Ipſum autem Altare non erat ſolidum, ſed cavum ex tabulis, & intus vacuum.

℣. 8. Fecit & labrum æneum cum baſi ſuâ de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CRATICULAM EJUS IN MODUM RETIS FECIT ÆNEAM, ET SUBTER EAM IN ALTARIS MEDIO ARULAM. Utrùm Textus originalis exprimat reverâ arulam, an focum, examinavimus ad caput XXVII, 14. Variant hìc nonnihil Septuaginta, ſed levioris momenti ſunt variantia.

℣. 8. FECIT ET LABRUM ÆNEUM CUM BASI SUA DE SPECULIS MULIERUM, QUÆ EXCUBABANT IN OSTIO TABERNACULI. Ad literam (a): *Quæ cuſtodiebant oſtium*. Ita Textum exponit Grotius. Hebræus quidem non exprimit illud *mulierum*; cùm tamen vox *zoboeth*, quæ articuli eſt fœminini, jungiturque ſpeculis, ſatis indicet, agi hìc de mulieribus. Septuaginta (b): *E ſpeculis jejunantium, quæ jejunabant ad portas Tabernaculi*. Legiſſe illos oportet צמות *zamoth*, pro *zaboth*. Chaldæus: *De ſpeculis mulierum, quæ veniebant ut orarent in oſtio Tabernaculi fœderis*. Rabbinorum nonnulli cenſent, mulieres fuiſſe quaſdam pias, quas ſervitiis Tabernaculi detinebat ſpontanea religio, quæque nullâ non die certiſque horis eò ſe conferebant ad preces. Veniebant per choros, ut armatorum manum, juxta vim Textûs originalis, exhibere viderentur. Fœminæ illæ, quibus filii Heli

(a) במראות הצובאות אשר צבאו פתח אהל מועד (b) Ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευουσῶν, αἳ ἐνήστευσαν παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς.

℣. 9. Fecit & atrium, in cujus australi plagâ erant tentoria de byſſo retortâ, cubitorum centum.

℣. 10. Columnæ æneæ viginti cum baſibus ſuis, capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea.

℣. 11. Æquè ad ſeptemtrionalem plagam tentoria, columnæ, baſesque & capita columnarum ejuſdem menſuræ, & operi ac metalli, erant.

℣. 12. In eâ verò plagâ, quæ ad occidentem reſpicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta, columnæ decem cum baſibus ſuis æneæ, & capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea.

℣. 13. Porrò contra orientem quinquaginta cubitorum paravit tentoria:

℣. 14. E quibus quindecim cubitos columnarum trium, cum baſibus ſuis, unum tenebat latus:

℣. 15. Et in parte alterâ (quia inter utraque introitum tabernaculi fecit) quindecim æquè cubitorum erant tentoria, columnæque tres, & baſes totidem.

℣. 16. Cuncta atrii tentoria byſſus retorta texuerat.

COMMENTARIUS.

Heli ſummi Sacerdotis ingenti populorum ſcandalo abutebantur (c), advigilabant cuſtodiæ oſtii Tabernaculi, vel ibi agebant excubias. Eidem operi addictas fuiſſe virgines illas clauſas, de quibus in Libris Macchabæorum (d), Annam Prophetiſſam (e), & ipſam pariter B. Virginem (f) ferunt. Ajunt hanc Templi ſervitiis deſtinatam religione parentum ſuorum, ut cum aliis fœminis ibi miniſtraret. Mulieres igitur illæ piæ ac religioſæ, ſervitiis Tabernaculi addictæ, ſpecula ſua contulerunt. Porrò Tabernaculi hìc nomine indicari reputandum eſt illud, quod extra caſtra erat erectum; necdum enim alterum, juſſu Dei parandum, erat fabricatum: niſi malis, hæc omnia revocanda eſſe ad tempus poſt erectum Tabernaculum. Profectò Philo (g), ut notat Rivetus, exprimit tantùm, mulieres illas certatim, ac tanto ardore, quanto alius nemo, ſpecula ſua contuliſſe; nihilque perhibet de excubiis ad oſtium Tabernaculi.

Putavit Oleaſter, ſpecula illa, de quibus hìc Moyſes, aliis uſibus impenſa fuiſſe, quàm ut materiam ſufficerent labio; diſpoſita enim illa cenſet tantum circa labium ipſum, ut lavantes ſeſe Sacerdotes, ſeu jam loti ſpeculum conſulerent. Sed hæc expoſitio nihil minùs eſt quàm literalis.

Docet Athenæus (h), apud Perſas, mulieres quaſdam nocturnas obire excubias, tum & agere cuſtodias præ foribus ædium regalium conſueviſſe. Interdiù illæ dormiebant; noctem verò vigilantes fallebant luſu inſtrumentorum & cantu ad incenſas lampades: cujus moris hodie pariter perſeverat in Aulâ Perſarum conſuetudo (i). Sex mulieres adſiſtunt ſemper diu noctuque per gyrum, ut ſingularum ſemel in hebdomadâ recurrat munus; præeſtque omnibus ſenior quædam virgo, loco matris vel tutricis. Id generis excubias fortè mulieres Iſraëliticæ agebant, ſed modeſtiori ritu, ad oſtium Tabernaculi, tamquam ad oſtium Regiarum ædium. Interpretes quidam ita reddunt Hebræum: *Mulieres choreas ducentes ad oſtium Tabernaculi.*

Parabantur olim ſpecula e metallorum quocumque genere, ex argento, ære, ſtanno, atque ſtanni ſimul & æris mixtione. Hodie pariter e calybe quædam ſpectantur probatiſſima. De Brundiſinis ita Plinius (k): *Optima apud majores fuerant Brunduſina, ſtanno & ære mixtis.* Alibi (l) idem Plinius: *Specula (ex ſtanno) laudatiſſima a Brunduſii temperabantur; donec argenteis uti cœpere & ancillæ.* Hodie pariter in Oriente ſpecula omnia ſunt ex metallo, nec vitrea priùs illis innotuere, quàm poſt commercium cum Europæis (m). Jam alibi adnotavimus, in aditu Profanorum Templorum poſita fuiſſe labia ad lotiones, quorum inventum tribuit S. Juſtinus (n) calliditati Dæmonis, ſtudentis, ut imitatione exprimeret cæremonias cultui veri Dei conſecratas.

℣. 10. COLUMNÆ ÆNEÆ VIGINTI CUM BASIBUS SUIS. Æneas fuiſſe columnas illas, nullibi exprimit

(c) 1 *Reg.* 11, 22. *Et quomodo dormiebant cum mulieribus quæ obſervabant ad oſtium Tabernaculi.* (d) 2 *Macc.* III, 19: *Virgines quæ concluſæ erant.* (e) *Luc.* 11, 37. (f) *Vide Pſeudo-Evangelium S. Jacobi.* (g) *Philo, l. 3 de vitâ Moſis.* (h) *Athen. l. 12 Dipnoſoph. c. 2.* (i) Chardin, voyage de Perſe, t. 2, p. 279. (k) *Plin. l. 33, c. 9.* (l) *Plin. l. 34, c. 17.* (m) Chardin, voyage de Perſe, t. 2, p. 83. (n) *Juſtin. Apolog. 2: Ingreſſuri in delubra eorum (dæmonum) & acceſſuri ad illos, atque libationibus & adipis nidoribus offerendis operaturi, ſeipſos aquæ aſperſione luſtrarent, effecerunt: quin ut toto quoque corpore laventur prodeuntes, priuſquàm ad templa, ubi illi collocati ſunt, veniant, inſtinctu & operâ ſuâ curant.*

℣. 17. Bases columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis suis argenteis : sed & ipsas columnas atrii vestivit argento.

℣. 18. Et in introitu ejus opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpurâ, vermiculo, ac bysso retortâ, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo verò quinque cubitorum erat juxta mensuram, quam cuncta atrii tentoria habebant.

℣. 19. Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis, capitaque earum, et cælaturæ argenteæ.

℣. 20. Paxillos quoque tabernaculi, & atrii per gyrum fecit æneos.

℣. 21. Hæc sunt instrumenta tabernaculi testimonii, quæ enumerata sunt juxta præceptum Moysi in cæremoniis Levitarum per manum Ithamar filii Aaron sacerdotis:

℣. 22. Quæ Beseleel filius Uri filii Hur de tribu Juda, Domino per Moysen jubente, compleverat,

℣. 23. Juncto sibi socio Ooliab filio Achisamech de tribu Dan, qui & ipse artifex lignorum egregius fuit, & polymitarius, atque plumarius ex hyacintho, purpurâ, vermiculo, & bysso.

℣. 24. Omne aurum, quod expensum est in opere Sanctuarii, & quod oblatum est in donariis, viginti novem talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum, ad mensuram Sanctuarii.

℣. 25. Oblatum est autem ab his, qui transierunt ad numerum a viginti annis, & suprà, de sexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta armatorum.

COMMENTARIUS.

mit Hebræus; æneis tantùm basibus nitebantur (o). Columnæ erant ligneæ, argenteis fasciis ornatæ. Eadem difficultas recurrit ad ℣. 12.

Capita columnarum. Vide capita xxvi, 32; xxvii, 11, 12; & xxxvii, 38.

℣. 21. Quæ enumerata sunt in cæremoniis Levitarum. Hebræus (p): *Ista sunt vasa Tabernaculi Testimonii, quæ computata sunt, & tradita in manus Levitarum, ad jussum Moysi*, ut ea curarent, servrent, uterenturque ipsis in suis ministeriis (q).

Per manum Ithamar. Mandatis operatus est Ithamar tradendi hæc omnia Levitis. Ejus viri custodiæ commissa sunt omnia ea vasa, sed diu post quàm hæc gesta sunt. Vide Numeros 1, 50.

℣. 24. Vigintinovem talentorum fuit, et septingentorum triginta siclorum. Tantum auri spontaneâ oblatione congestum est. Septuaginta Romanæ Editionis habent xxix talenta, & dccxx siclos aureos (r). In proximè subsequenti versiculo exprimitur æstimatio auri congesti ex capitatione hemisicli.

℣. 25. Oblatum est autem ab his, qui transierunt ad numerum. Exegit Moyses capitationem hemisicli, juxta traditum a Deo mandatum Capite xxx, 13; quæ summam reddidit c talentorum (s), & mdcclxxv siclorum argenti; quæ pecuniæ summa impensa est juxta ac traditur ℣℣. 27, 28. Mosaicam narrationem contrahit hìc Vulgata; quæ contractio textum reddit magis implexum quam sit originalis. Ita enim Hebræus ad literam: *Et argentum visitatorum* (eorum qui recensiti sunt) *Synagogæ centum talenta, & mille & septingenti, & quinque & septuaginta sicli, in siclo sanctitatis* (pondere Sanctuarii). *Beka in singulos, dimidium sicli, a filio viginti annorum, & supra, sexcentis millibus, & tribus millibus & quingentis & quinquaginta*. Demonstratur hìc æstimatio talenti, quod ex æquo reddebat ter mille siclos; cùm enim 603550 hemisicli conficerent 301775 siclos, e 300000 siclis reddita sunt 100 talenta, 3000 siclorum in singula.

℣. 16.

(o) *Vide Cap.* xxvii, 10.
(p) אלה פקודי המשכן משכן העדת אשר פקד על פי משה עבדת הלוים
(q) Τὴν λειτουργίαν εἶναι τῶν Λευιτῶν. (r) Talentum aureum æstimatur 60532 libris, 5 solidis; siclus aureus 12 libris, 12 solidis, 9 denariis. (s) Talentum argenteum refert 4867 libras, 3 solidos, 9 denarios. Siclus argenteus 32 solidos, 6 denarios, & 3/8 denarii.

℣. 26. Fuerunt præterea centum talenta argenti, e quibus conflata sunt bases Sanctuarii, & introitus, ubi velum pendet.

℣. 27. Centum bases factæ de talentis centum, singulis talentis per bases singulas supputatis.

℣. 28. De mille autem septingentis, & septuaginta quinque, fecit capita columnarum, quas & ipsas vestivit argento.

℣. 29. Æris quoque oblata sunt talenta septuaginta duo millia, & quadringenti supra sicli,

℣. 30. Ex quibus fusæ sunt bases in introitu tabernaculi testimonii, & altare æneum cum craticulâ suâ, omniaque vasa, quæ ad usum ejus pertinent,

℣. 31. Et bases atrii tam in circuitu, quàm in ingressu ejus, & paxilli tabernaculi, atque atrii per gyrum.

COMMENTARIUS.

℣. 26. CENTUM TALENTA ARGENTI, E QUIBUS CONFLATÆ SUNT BASES SANCTUARII. Bases argenteæ Tabernaculi erant omnino centum; e quibus quadraginta dispositæ erant per singula duo latera, septemtrionale & meridionale; sexdecim ad occidentale pertinebant, reliquæ quatuor regebant totidem columnas, quæ Sanctum a Sanctuario distinguebant.

℣. 28. FECIT CAPITA COLUMNARUM, QUAS ET IPSAS VESTIVIT ARGENTO. Jam supra adnotavimus, juxta complurium Interpretum opinionem, per columnas illas excurrisse spirali amplexu laminas argenteas; nisi malueris, circulis argenteis per æqua intervalla dispositis fuisse distinctas. Sed Textus hic de capitibus tantùm columnarum, quæ superinducto argento niterent, non de argento ipso columnarum agere videtur. Quare ita reddendus esset: *Fecit capita columnarum, vestivitque capita laminis argenteis*; quæ est pariter & Septuaginta interpretatio: habent enim, columnarum epistylia vestita fuisse argento. Quo vestirentur, non narrat Hebræus; sed quæ dicuntur in capitibus XXVII, 10, 11, 12; & XXXVIII, 10, 11, 12, demonstrant, argenteis laminis superinduta fuisse. Erant & epistylia inaurata, sed solùm posita super quatuor columnas, quæ Sanctum a Sanctuario distinguebant; item super quinque alias, quibus aditus Sanctuarii claudebatur, capite XXVI, 32, 37; & XXXVI, 36, 38. Cætera omnia columnarum epistylia argenteis laminis vestiebantur.

℣. 29. ÆRIS QUOQUE OBLATA SUNT TALENTA SEPTINGENTA: DUO MILLIA ET QUADRINGENTI SUPRA (insuper) SICLI. Hac ratione punctis distinguendus est Textus Vulgatæ, ut cohæreat Hebræo. Editiones Septuaginta plurimùm inter se discrepant. Editio Nobilii fert LXX talenta, & MD siclos æreos. Polyglotta Philippi II, LXX talenta, & bis mille & CD siclos æreos; nova Editio Hexaplorum Hebræo cohæret, LXX M talentorum, ac MMCD siclos: aliæ Editiones, CCCLXX talenta, & MMCD siclos. Cæteri Græci Interpretes CDLXX talenta, & bis mille siclos æreos.

CAPUT XXXIX.

Descriptio vestium Summi Sacerdotis, & ornamentorum Tabernaculi.

℣. 1. DE hyacintho verò, & purpurâ, vermiculo, ac bysso, fecit vestes, quibus indueretur Aaron, quando ministrabat in sanctis, sicut præcepit Dominus Moysi.

℣. 2. Fecit igitur superhumerale de auro, hyacintho, & purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ,

COMMENTARIUS.

℣. 1. FECIT VESTES, QUIBUS INDUERETUR AARON. Duo vestium genera distinguit Textus Hebræus; alterum appellat *vestes ministerii*, hìc in capitibus XXXI, 10; & XXXV, 19, ubi sermo est de vasis Tabernaculi, integumentis suis obvolutis in itinere. Alterum sunt *vestes sanctitatis*, quibus utebatur Aaron in Tabernaculo. Vide Exodum XXVIII, 4; XXIX, 29, &c.

℣. 3. Opere polymitario; inciditque bracteas aureas, & extenuavit in fila, ut possent torqueri cum priorum colorum subtegmine,

℣. 4. Duasque oras sibi invicem copulatas in utroque latere summitatum,

℣. 5. Et balteum ex eisdem coloribus, sicut præceperat Dominus Moysi.

℣. 6. Paravit & duos lapides onychinos, astrictos, & inclusos auro, & sculptos arte gemmariâ nominibus filiorum Israël:

℣. 7. Posuitque eos in lateribus superhumeralis, in monimentum filiorum Israël, sicut præceperat Dominus Moysi.

℣. 8. Fecit & rationale opere polymito juxta opus superhumeralis, ex auro, hyacintho, purpurâ, coccoque bis tincto, & bysso retortâ:

℣. 9. Quadrangulum, duplex, mensuræ palmi.

℣. 10. Et posuit in eo gemmarum ordines quatuor. In primo versu erat sardius, topazius, smaragdus.

℣. 11. In secundo, carbunculus, sapphirus, & jaspis.

℣. 12. In tertio, ligurius, achates, & amethystus.

℣. 13. In quarto, chrysolitus, onychinus, & beryllus, circumdati, & inclusi auro per ordines suos.

℣. 14. Ipsique lapides duodecim, sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israël, singuli per nomina singulorum.

℣. 15. Fecerunt in rationali & catenulas sibi invicem cohærentes de auro purissimo:

℣. 16. Et duos uncinos, totidemque annulos aureos. Porrò annulos posuerunt in utroque latere rationalis,

℣. 17. E quibus penderent duæ catenæ aureæ, quas inseruerunt uncinis, qui in superhumeralis angulis eminebant.

℣. 18. Hæc & ante & retrò ita conveniebant sibi, ut superhumerale, & rationale mutuò necterentur,

COMMENTARIUS.

℣. 3. INCIDITQUE BRACTEAS AUREAS, ET EXTENUAVIT IN FILA, UT POSSENT TORQUERI CUM PRIORUM COLORUM SUBTEGMINE. Aurum in tenuissima folia redigi jussit Moyses; tum bracteas illas in tenuissima filamina divisit, ut textrinæ unà cum laneo subtemine diversi coloris servirent; quare filamina illa auri non arcti foraminis angustiis tenuata, sed e bracteis malleo ductis, ac deinde forfice scissis, formata erant. Alio sensu redderetur commodè Hebræus: *Fecerunt bracteas auri malleo ducti, & aurea fila confecerunt*; idest, bracteas aureas paravere ad inaurandum quidquid opus erat in Tabernaculo; tum & duxere auri flamina, ut unà cum subtemine variæ lanæ texerentur, &c. Vel potiùs: *Extenderunt aurum in fila* (ad literam in licia, in laqueos) *inciderunt que fila*; quasi scilicet duplex hæc phrasi unum idemq; significarent. Maluerim ego tamen priorem Hebræi expositionem retinere, meliùs Vulgatæ cohærentem: quod potissimùm suadet illud Numerorum XVI, 38: *Tollat thuribula, producatque ea in laminas, & affigat Altari*; ubi eædem voces, ac in præsenti, recurrunt.

Apud Homerum aliosque Veteres spectare licet morem ducendi malleo aurum, redigendi in tenuissimas bracteas ac delicatissima fila. Narrat ille, in Sacrificio quodam solemni venisse aurificem cum incude suâ, malleo & forcipe, traditumque sibi a Nestore aurum redegisse in bracteas, quibus induta sunt cornua victimæ. Vide Odysseam Γ. Idem & apud Virgilium, Æneidos X, habes:

Statuam ante Aras auratâ fronte juvencum.

Apud eumdem Homerum (*a*) mos inducitur alligandi comam auro vel argento. Ita Virgilius de Didone (*b*):

.... *Crines nodantur in aurum.*

℣. 18. UT SUPERHUMERALE ET RATIONALE MUTUO

(a) *Iliad.* P. Πλοχμοί θ', οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο.
(b) *Æneid.* 4. *Vide Exod.* XXVIII, 20.

℣. 19. Stricta ad balteum, & annulis fortiùs copulata, quos jungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent. & a se invicem moverentur, ficut præcepit Dominus Moysi.

℣. 20. Fecerunt quoque tunicam superhumeralis totam hyacinthinam,

℣. 21. Et capitium in superiori parte contra medium, oramque per gyrum capitii textilem:

℣. 22. Deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho, purpurâ, vermiculo, ac bysso retortâ:

℣. 23. Et tintinnabula de auro purissimo, quæ posuerunt inter malogranata in extremâ parte tunicæ per gyrum:

℣. 24. Tintinnabulum autem aureum, & malum punicum, quibus ornatus incedebat Pontifex, quando ministerio fungebatur, sicut præceperat Dominus Moysi.

℣. 25. Fecerunt & tunicas byssinas opere textili Aaron, & filiis ejus:

℣. 26. Et mitras cum coronulis suis ex bysso:

℣. 27. Feminalia quoque linea, byssina:

℣. 28. Cingulum verò de bysso retortâ, hyacintho, purpurâ, ac vermiculo bis tincto, arte plumariâ, sicut præceperat Dominus Moysi.

℣. 29. Fecerunt & laminam sacræ venerationis de auro purissimo, scripseruntque in eâ opere gemmario, SANCTUM DOMINI.

℣. 30. Et strinxerunt eam cum mitrâ vittâ hyacinthinâ, sicut præceperat Dominus Moysi.

℣. 31. Perfectum est igitur omne opus tabernaculi, & tecti testimonii: feceruntque filii Israël cuncta, quæ præceperat Dominus Moysi.

℣. 32. Et obtulerunt tabernaculum, & tectum, & universam supellectilem, annulos, tabulas, vectes, columnas, ac bases,

COMMENTARIUS.

TUO NECTERENTUR (℣. 19.) STRICTA AD BALTEUM, ET ANNULIS FORTIUS COPULATA. Fusiùs Hebræus: *Fecerunt* (opifices) *duos annulos aureos, & dederunt super duabus extremitatibus pectoralis, super labium ejus, quod est ad latus superhumeralis in domum* (quod respondet extremitatibus rationalis retrò interiùs). *Et fecerunt duos annulos auri, & dederunt eos super duabus scapulis ephod ab infra, e regione conjunctionis ejus desuper* (superioris) *rationalis cum ephod*. In postremis hisce capitibus plures sunt versiculi, quos Author Vulgatæ in compendium redigendos censuit, molestæ repetitionis evitandæ gratiâ. Non leguntur in Hebræo illa: *stricta ad balteum*, quæ negocium in Vulgatâ faciunt.

℣. 26. MITRAS CUM CORONULIS SUIS EX BYSSO. Hebræus (*c*): *Fecerunt cidarim gossypio* (bysso), *& ornamenta mitrarum gossypio*. Chaldæus: *Tiaram ex bysso, & pileos in decorem ex bysso*. Septuaginta (*d*): *Cidares ex bysso, & mitram ex bysso*.

℣. 27. FOEMINALIA QUOQUE LINEA, BYSSINA, ideft, ampliores illas zonas ad infima usque femora descendentes, de quibus ad Exodum XXVIII, 42; & quæ pariter appellantur ubique *fœminalia linea*. Erant autem non e simplici tantùm lino, sed e gossypio pariter intertexto, eo artificio, de quo Pollux (*f*). Subtemen erat lineum, e gossypio stamen. Addit hìc Textus Samaritanus: *Femoralia linea ex bysso, hyacintho, purpurâ, cocco dibapho, opere acupicto, sicut præceperat Dominus Moysi* (*g*).

℣. 29. LAMINAM SACRÆ VENERATIONIS. Hebræus שיץנור הקדש, *Laminam corona sanctitatis*. Laminam pararunt, quæ corona sanctitatis esset Summi Sacerdotis. Exprimebat autem, consecrari illum Domino, eamque, qua illum indui opus erat, san-

(c) ואת המצנפת שש ואת פארי המגבעת שש [d] Τὰς κιδάρεις ἐκ βύσσου, καὶ τὴν μίτραν ἐκ βύσσου. (e) *Vide Levit.* VI, 10, & XVI, 4. (f) *L.* 7, *c.* 17: Ἀφ' οὗ κρόκη γίγνεται, τὸν δὲ στήμονα ὑφιστᾶσι αὐτῷ λινοῦν (g) *Vide Exod.* XXV, 2.

Digitized by Google

℣. 33. Opertorium de pellibus arietum rubricatis, & aliud operimentum de ianthinis pellibus,

℣. 34. Velum, arcam, vectes, propitiatorium,

℣. 35. Mensam cum vasis suis & propositionis panibus:

℣. 36. Candelabrum, lucernas, & utensilia earum cum oleo:

℣. 37. Altare aureum, & unguentum, & thymiama ex aromatibus:

℣. 38. Et tentorium in introitu tabernaculi:

℣. 39. Altare æneum, retiaculum, vectes, & vasa ejus omnia, labrum cum basi suâ: tentoria atrii, & columnas cum basibus suis.

℣. 40. Tentorium in introitu atrii, funiculosque illius, & paxillos. Nihil ex vasis defuit, quæ in ministerium tabernaculi, & in tectum fœderis jussa sunt fieri.

℣. 41. Vestes quoque, quibus sacerdotes utuntur in Sanctuario, Aaron scilicet, & filii ejus,

℣. 42. Obtulerunt filii Israël, sicut præceperat Dominus.

℣. 43. Quæ postquam Moyses cuncta vidit completa, benedixit eis.

COMMENTARIUS.

sanctitatem, tanto muneri gerendo parem.

℣. 36. CANDELABRUM, LUCERNAS, ET UTENSILIA EORUM CUM OLEO. Hebræus: *Candelabrum purum* (h), *lucernas*, *& omnia vasa ejus* (illi opportuna), *& oleum luminaris*; sive *candelabrum ardens*, *dispositasque in eo quotidie lucernas*.

℣. 43. QUÆ POSTQUAM MOYSES CUNCTA VIDIT COMPLETA, BENEDIXIT EIS. Hæc verò legimus in Hebræo & Septuaginta [i]: *Et vidit Moyses omnia opera: & ecce fecerant illa, quemadmodum præceperat Dominus. Et benedixit eis Moyses.* Porrò benedictio hæc, si pronus literæ sensus spectetur, recidit in opifices, quorum Moyses laudat in executione operis sedulam accuratamque diligentiam. Sed persuasum est nonnullis (k), benedictionem impertisse illum populo, adeò munifico ac prompto in iis omnibus conferendis, quæ operi essent necessaria. Alii tandem censent, benedictione suâ opus probasse atque laudasse Legislatorem.

CAPUT XL.

Erectio Tabernaculi, quod & gloriâ Dei protegitur. Nubes Tabernaculum nunquam deserit, nisi dum castra movenda sunt.

℣. 1. LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens:

℣. 2. Mense primo, primâ die mensis, eriges tabernaculum testimonii,

℣. 3. Et pones in eo Arcam, demittesque ante illam velum.

COMMENTARIUS.

℣. 2. MENSE PRIMO, PRIMA DIE MENSIS, ERIGES TABERNACULUM TESTIMONII. Manus admota est fabricando Tabernaculo circa sextum mensem ab exitu ex Ægypto; absolutumque est opus exeunte priore hoc anno; confectumque Tabernaculum erigi cœptum est primâ die primi mensis, ineuntis anni secundi. Quæ verò hîc narrantur, contigerunt post annum, minùs tredecim diebus, ab exitu ex Ægypto. Exinde ineuntium mensium dies prima solemnis fuit (a); sed lex quietem per eas dies non indicit, totâ religione in peculiaribus Sacrificiis constitutâ [b].

℣. 4.

(h) *V. de Exod.* XXXI, 8.

(i) וירא משה את־כל המלאכה והנה עשו ארה כאשר צוה יהוה... ויברך אתם מ״ה

(k) *Est. Rivet.* (a) *Vide* 1 *Reg.* XX, 5; 2 *Par.* II, 4; *&* XXXI, 3; *&* 1 *Esdr.* III, 5; *Isai.* I, 13; *Judith*, VIII, 6.

(b) *Num.* XXVIII, 11, 12; *&* X, 10; *&* XXVIII, 11.

℣. 4. Et illatâ mensâ, pones super eam, quæ ritè præcepta sunt. Candelabrum stabit cum lucernis suis.

℣. 5. Et Altare aureum, in quo adoletur incensum, coram Arcâ testimonii. Tentorium in introitu tabernaculi pones.

℣. 6. Et ante illud Altare holocausti:

℣. 7. Labrum inter Altare, & tabernaculum, quod implebis aquâ.

℣. 8. Circumdabisque atrium tentoriis, & ingressum ejus.

℣. 9. Et assumpto unctionis oleo unges Tabernaculum cum vasis suis, ut sanctificentur:

℣. 10. Altare holocausti, & omnia vasa ejus:

℣. 11. Labrum cum basi suâ: omnia unctionis oleo consecrabis, ut sint Sancta sanctorum.

℣. 12. Applicabisque Aaron, & filios ejus ad fores Tabernaculi testimonii, & lotos aquâ

℣. 13. Indues sanctis vestibus, ut ministrent mihi, & unctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat.

℣. 14. Fecitque Moyses omnia, quæ præceperat Dominus.

℣. 15. Igitur mense primo anni secundi, primâ die mensis, collocatum est Tabernaculum:

℣. 16. Erexitque Moyses illud, & posuit tabulas, ac bases, & vectes, statuitque columnas,

℣. 17. Et expandit tectum super Tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperaverat.

℣. 18. Posuit & testimonium in Arcâ, subditis infrà vectibus, & oraculum desuper.

COMMENTARIUS.

℣. 4. PONES SUPER EAM, QUÆ RITE PRÆCEPTA SUNT. Hebræus (c): *Ordinabis quæ ordinanda sunt*. Septuaginta (d): *Propones quæ proponenda sunt*. Impones super eam duodecim panes Propositionis, eo ritu, de quo ad Exodum xxv, 30.

℣. 5. TENTORIUM IN INTROITU TABERNACULI PONES. Indicatur hìc velum, Sanctum ab atrio distinguens, oppansumque ante ostium Tabernaculi.

℣. 11. UT SINT SANCTA SANCTORUM. Perinde habebuntur, ac sanctissima, peculiari ac singulari sanctitate Deo addicta.

℣. 12. ET LOTOS AQUA. Non lotos ad sacrificium accedere nefas. Vide quæ diximus ad Exodum xix, 10, de purificationibus.

℣. 13. UNCTIO EORUM IN SACERDOTIUM SEMPITERNUM. Contrahit hìc maximè Vulgata quæ fusiora sunt in Hebræo, qui ita fert: *Filios Aaronis appropinquare facies, & induere facies eos tunicis. Et unges eos, quemadmodum unxisti patrem eorum, & fungentur Sacerdotio mihi; & erit ad ostendendum eis unctionem eorum in Sacerdotium sæculi in generationem eorum*. Cùm Sacerdotium ad familiam Aaronis hæreditario jure pertineret, supervacaneum erat utique in singulis ex eo genere eas unctiones iterare, de quibus hìc (e); satis enim habebatur, ut primi illi Sacerdotes pro se suisque omnibus semel uncti fuissent. Nihilo tamen seciùs unctio Summi Sacerdotis perseveravit ad usque adventum Jesu Christi, uti nos in Exodi xxix, 7, contra Rabbinos evicimus.

℣. 17. IMPOSITO DESUPER OPERIMENTO. Exteriorem Tabernaculi partem tenebant vela minùs pretiosa. Operimenta e pellibus arietum rubricatis sternebantur supra velamina e pilis caprarum; & postrema hæc vicissim protegebant velamina hyacinthinum & purpureum, quæ proximè contingebant Arcam. Sanctuarii tectum nullo alio tecti genere, quàm his velis operiebatur.

℣. 18. POSUIT ET TESTIMONIUM IN ARCA. Posuit in Arcâ Tabulas Legis, quæ monumentum erant & instrumentum fœderis. Jam alibi adnotatum est, Profanos probrum mysteriorum suorum occultasse in arculis rerum inanium plenis. Ita eâ de re loquitur S. Clemens Alexandrinus in Protreptico ad Gentes: *Quales autem sunt cistæ eorum mysticæ? Oportet enim sancta eorum revelare, & arcana enunciare. An non eæ sunt sesamides & pyramides, & lanæ bene laboratæ, libaque multis distincta umbilicis, salisque pugilli, & Draco orgium Dionysio Bassari? An non mala Punica, atque etiam corda, ferulæ, & hederæ, & præterea placentæ & papavera? Hæc sunt eorum sancta. Quin etiam Themidis arcana symbola, origanum, lucerna, ensis, pecten muliebris, quem honestè & mysticè licet dicere pudendum muliebre*. Quantum discrimen inter veræ

(c) ערכת את ערכו (d) Προθήσεις τὴν πρόθεσιν αὐτῆς. (e) *Grotius*.

℣. 19. Cùmque intulisset Arcam in Tabernaculum, appendit ante eam velum, ut expleret Domini jussionem.

℣. 20. Posuit & mensam in Tabernaculo testimonii ad plagam septemtrionalem extra velum,

℣. 21. Ordinatis coram propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Moysi.

℣. 22. Posuit & candelabrum in Tabernaculo testimonii, e regione mensæ, in parte australi,

℣. 23. Locatis per ordinem lucernis, juxta præceptum Domini.

℣. 24. Posuit & Altare aureum sub tecto testimonii contra velum.

℣. 25. Et adolevit super eo incensum aromatum, sicut jusserat Dominus Moysi.

℣. 26. Posuit & tentorium in introitu Tabernaculi testimonii,

℣. 27. Et Altare holocausti in vestibulo testimonii, offerens in eo holocaustum, & sacrificia, ut Dominus imperaverat.

℣. 28. Labrum quoque statuit inter Tabernaculum testimonii, & Altare, implens illud aquâ.

℣. 29. Laveruntque Moyses, & Aaron, ac filii ejus manus suas, & pedes,

℣. 30. Cùm ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad Altare, sicut præceperat Dominus Moysi.

℣. 31. Erexit & atrium per gyrum Tabernaculi & Altaris, ducto in introitu ejus tentorio. Postquam omnia perfecta sunt,

℣. 32. Operuit nubes Tabernaculum testimonii, & gloria Domini implevit illud.

℣. 33. Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & majestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat.

℣. 34. Si quando nubes Taberbaculum deserebat, proficiscebantur filii Israël per turmas suas:

℣. 35. Si pendebat desuper, manebant in eodem loco.

℣. 36. Nubes quippe Domini incubabat per diem Tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israël per cunctas mansiones suas.

COMMENTARIUS.

veræ Religionis mysteria, & ridiculas Profanorum abominationes, decipiendis hominibus inventas.

℣. 24. Posuit et Altare aureum sub tecto testimonii. Sub tecto, vel sub integumentis Tabernaculum operientibus, & in Sancto, locus erat Altari thymiamatis destinatus.

℣. 28. Labrum quoque statuit. Repetitio est Versiculi 7.

℣. 32. Operuit nubes Tabernaculum testimonii. Quæ eò usque nubes obumbraverat parvum illud Tabernaculum, collocatum a Moyse extra castra, super Tabernaculum fœderis, statim ac erectum est, stetit. Sunt qui Rabbinis asserentibus credant, sub signis Juda Tabernaculum illud constitutum fuisse, idest, quo loco ea Tribus habebat castra, quippe quæ cæteras dignitate præcederet; sed nobis meliùs locatur in medio omnium castrorum, ut in Tabulâ significatur.

℣. 33. Nec poterat Moyses ingredi tectum foederis. Moyses Dei præsentiam reveritus, pedem eâ die in Tabernaculum inferre recusavit; deinceps verò pro consueto more ingressus est.

℣. 36. Et ignis in nocte. Perhibet Chaldæus, eamdem nubem, quæ interdiù tenebras offerebat, noctem insigni adeò luce collustrasse, ut per omnia latè castra spectaretur; quo eodem sensu Textu interpretantur Septuaginta. Vide Exod. XIII, 22; & XI, 20.

FINIS EXODI.

T A B U L A

Rerum quæ in Genesi & Exodo continentur.

A

Arca

B

Colum-

Digitized by Google

D

Digitized by Google

Eth.

Digitized by Google

F

Digitized by Google

G

H

I

Digitized by Google

K

L

ba

Digitized by Google

N

O

Digitized by Google

Digitized by Google

Sa-

Digitized by Google

T

Digitized by Google

Digitized by Google

FINIS TABULÆ.

Nos Cæsar Trenta Rector Generalis Congregationis Matris Dei.

CUm Opus, cui titulus *Commentarius Literalis in omnes S. Scripturæ Libros Authore R. P. D. Augustino Calmet Ordinis S. Benedicti*, a P. Joanne Dominico Mansi Latinè redditum duo ex nostris Theologis legerint, & imprimi posse judicaverint; ideò quantum ex nobis facultatem concedimus ut typis mandetur.

Datum Lucæ e nostro Colleg. S. Mariæ Curtis Orlandingorum.

Carolus Roncaglia Secretarius.

OF...5645 ..32

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

